A. XXX: Lan
32154/D
pts 2-3

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30455674_0002

PARS II.
OPERUM
D. Chriſtiani Johannis Langii.

CONTENTA PARTIS SECUNDÆ.

Praxis Medica.
Chirurgia.
Collegium Caſuale.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PRAXIS MEDICA.

PRÆFATIO.

ABſoluta jam Medicinæ Theoria aggredior alteram partem, quæ tractat hiſtoriam, ſigna, cauſas ac curam ſtatus præternaturalis ſive morbi. Non equidem me latet, diſtinctim alias hasce partes tractari à Doctoribus: Verum placet illas conjungere & una quaſi in tabula omne, quicquid de quovis morbo ſcitu neceſſarium eſt, oculis exponere. Sic enim ars longisſima non modo brevis redditur, ſed etiam diſcentium memoriæ egregie ſuccurri poteſt. Servabo autem methodum in Phyſiologia adhibitam, ita ut ſingulis ejus theſibus opponantur capita, in quibus omnes anomaliæ ejusdem functionis certis & diſtinctis paragraphis incluſæ contineantur. Faxit DEUS Ter Optimus, ut fiat FELICITER.

CAPUT. I.

De

SITI AUCTA.

HUjus affectus notisſimi hiſtoriam ac ſigna dare ſuperfluum duco, cum nemo facile ſit, qui illum ignoret.

Cauſa privativa. *poſitiva.* Cauſas itaque ſolum in illo attendere neceſſum habet Medicus, quæ vel privativa eſt, cum ſaliva deficit; vel poſitiva, quando viſciditas aut ſalſedo præternaturalis in illa notatur, vel ejus excretio propter ſpaſmodicas *a*) contractiones organorum ſecretoriorum, quæ nunc per eſſentiam, nunc per conſenſum afficiuntur, unde turbata & intercepta *b*) lympha.

Cogno-

a) Nullum in Epilepſia frequentius ſymptoma eſt, quàm ſitis poſt paroxyſmos, quatenus ob concusſiones nervorum turbati ſpiritus ad tempus deſeruerunt opus ſecretionis ſalivæ, unde non poteſt non ſitis oriri.

b) Sitis inextinguibilis in hydrope cauſa eſt motus lymphæ impeditus ad has ipſas partes, propter ſtagnationem enim motum circulatorium habere non poteſt: Conferantur quæ habet *Poterius in Obſ. 151.*

Peccantium cauſarum cognitio.

Cognoſcuntur verò hæ cauſæ partim ex ipſis ægris de ariditate oris, vel viſciditate aut acrimonia ſalivæ conquerentibus, partim ex cauſis antecedentibus & remotioribus, v.g. ſudore nimio, venæ ſectione larga, diureſi, ſalivatione, diarrhoea, æſtu febrili, inflammationibus & doloribus *c*) partium externarum & internarum, eſu ciborum viſcidorum ac ſalitorum.

Cura.

Prior cauſa removetur remediis aqueis, quæ hauſta, aut ſaltem ore retenta citiſſime ſalivæ defectum reſarcire valent. Iisdem aqueis & viſciditas dilui poteſt non ſecus, ac ſalſedo ſalivæ nimia; quanquam hæc etiam per dulcia glycyrrhizam, paſſulas, ficus, &c. temperetur, aut oleoſis ac pingvibus, lacte puta, emulſionibus, ſem. quat. frigid. major. amygdal. dulc. gelatin. ebor. CC. inviſcetur. *d*)

Sitis in Hydrope quomodo ſedanda?

Quodſi conſultum non fuerit, e.g. in hydrope ejusmodi potulenta aſſumere, poterunt grana maſtiches ad imitationem *Fonſecæ in Conſultat.* vel mucilagines ſem. pſyllii & cydoniorum in ore detineri. Tolli quoque hic affectus poteſt, dum cauſis remotioribus proſpicitur, quando in ſiti febrili & ab inflammationibus & doloribus orta, remedia, quæ ſpirituum impetum ſiſtunt & ſpasmos tollunt, adhibemus v.g. in malignis febribus alexipharmaca & in benignis nitrum pur. nitrum antimon. lap. prunellæ, tinctur. papav. & interdum vini ſpirit. vel quæ bilem & nitroſam cruditatem in primis viis abſtergunt, qualia ſunt acida, ex vegetabilibus ſucc. citri, granatorum, aurantiorum, ribium, berber. ceraſor. acid. acetoſæ & tandem ipſum acetum: ex mineralibus ſpir. ſalis, vitrioli philoſoph. ſulph. vitrioli, nitri, clysſi minerales & cum his paratæ tincturæ fl. bellid. roſar. tunicæ &c. Notandum tamen eſt, hæc ultima longe efficaciora eſſe, ſi cum vehiculo *e*) aquoſiore probe diluta propinentur.

Caput II.

De

APPETITUS CIBI VITIIS.

§. I.

De

Anorexia, Sive Fame Deficiente.

TRiplici modo Appetitus cibi vitiatur, primo quando deficit, ſecundo, quando augetur, tertio quando depravatur.

Anorexiæ deſcriptio.

Primus affectus peculiari nomine ANOREXIA, ſive Appetitus proſtratio dicitur, conſiſtitque in eo, quod ægri vel plane non, vel ſolito minus appetant cibum.

Cauſa privativa.

Cauſas agnoſcit duas privativam alteram ſpirituum ſcil. defectum, aut influxum ad ſtomachi fibras denegatum in animi pathematibus, tempore geſtationis, ſtudio nimio: alteram poſitivam, nempe

---

c) Nullus excepta ſiti dolor magis angit noſtrum corpus teſte *Pechlino L. 3. Obſ. de ſiti præternaturali p. 519.*

d) vid. *Sibbaldus in Prodromo Hiſt. naturalis Scotiæ*, ſimile quid refert de rad. Aſtragali Sylvatici.

e) Retulit aliquando miles Centurio è Sabaudia ſuperioribus annis redux, quod conſueverit ſequentem pulverem pro Jalapio extemporaneo ſæpius in uſum revocare, quemque olim à Doct. Hoffmanno, Aldorſino, accepiſſe ſe faſſus eſt ingenue. Rec. Aceti vini ℔ ß. Succ. berber. granator. a. ʒ ß. aqu. roſar. ℥vj. vini Rhenan. vel acidiuſculi ℥ß. ebulliant leni igne, poſtea inſperge ſacchari ℥vj. vel q. ſ. ad exhauriendum totum liquorem, dein in pulverem ſiccandum: Hic aquæ fontanæ injici poteſt in expeditione caſtrenſi & peregrinatione, ardente præprimis Sirio pro Jalapio perutilis.

poſitiva. nempe vel cruditatem pituitoſam aut nidoroſam, rarius quoque acidam, vel cruda *f*) & dyspepta alimenta.

Cognitio harum quomodo impetranda? Ad cognitionem verò harum cauſarum ſigna inſerviunt ſequentia: Ubi pondus & dolor aliquis gravativus & inflatio ventriculi obſervatur, ibi utplurimum pituita hæret in ventriculo, aut indigeſta, ubi verò oris amaror, cardialgia, nauſea ac ructus bilioſi adſunt, tunc nidoroſam cruditatem judicabis; ſi ructus acidi, murmura ac rugitus in abdomine appareant, acidam cruditatem illa manifeſtant. Quodſi hæc recenſita ſigna concurrant mixtæ erunt cruditates: aſt quando nullum horum ſignorum adeſt, & præterea totum corpus languet, Spirituum defectus in culpa eſt.

Cognita ſic causâ morbifica talis cura inſtituatur:

Cura in Spirituum defectu. Spirituum defectus reſtitui debet remediis ſpirituoſis *g*) ac analepticis, qualia ſunt omnes Spiritus & aquæ apoplecticæ, tam per fermentationem, quàm cum vino & ſpiritu vini paratæ, v. g. menthæ, meliſſæ, hyſſopi, roris mar. &c. aqua Carfunculi, aqua vitæ mulier. Cinamon. borrag. Magnanimitatis &c ſpir. maſtichin. compoſ. *in Quadrip. Botan. p. 541. à Sim. Pauli* deſcriptus. Quibus ambra vel in ſubſtantia vel in tinctura rectè ſociatur.

Cura Cruditatis pituitoſæ. Cruditas pituitoſa corrigi debet remediis acribus & aromaticis v. g. galanga, Zedoaria, Cinamom. Zingib. pipere, helenio, rad. armoraciæ, ari &c. item ſalinis, quæ vel alcalia ſunt, ſal abſinth. Centaur. min. Sal tartari, Spir. ſalis ammon. ſal volatile ConuCervi, vel ſalſa, ſal ammoniac. depuratum, Arcan. dupl. tartarus vitriolatus, liquor terræ fol. tar. vel acida etiam.

Cruditatis biliosæ. Cruditas bilioſa tollitur acidis jam ſupra enarratis, quorſum etiam referri debet Elix. vitriol. *h*) Mynſicht. & Elix. Propr. acidum.

Conferunt etiam in hac cruditate remedia amara, abſinth. Centaur. min. agrimon. &c.

His non proficientibus ad evacuantia accedendum, vomitoria imprimis & purgantia.

Cruditatis acidæ. Aciditas tandem ventriculi vel diluitur remediis aqueis; vel abſorbetur terreis, ut ſunt oculi cancr. Cornu Cervi, ebur uſt. & ſ. igne, mater perlar. corall. pulv. conchar. creta, oſſ. ſep. &c. vel ſaturatur Martialibus *i*) limatur Martis & hæmatite, aut alcalinis tam fixis quam volatilibus ſupra recenſitis.

§. 2.

De FAME AUCTA BULIMO ATQUE CANINA APPETENTIA.

Famis augmentum triplex. Alterum jam ſequitur appetitus vitium, quando ſcil. ille augetur, quod contingit vel ſine aliis ſymptomatibus, ſic, ut ægrotantes præter inexplebilem famem nullam de cætero moleſtiam percipiant; vel lipothymia inſimul corripiuntur, ſi non ſtatim latranti ſtomacho ſatisfaciant; vel per vomitum aut ſeceſſum copioſiſſima ingurgitata paulò poſt ejiciunt.

Famis auctæ diverſa appellatio. Primus affectus Fames aucta, ſecundus Bulimus *k*) tertius Canina Appetentia audit.

Cauſa proxima. Cauſa horum affectuum eſt vehemens ſtomachi contractio, quæ quemadmodum moderate facta appetitum naturalem producit, ſic præternaturalis cauſa efficiens morbi hujus manet.

f) Interdum evenit, ut alimenta longius in Stomacho indigeſta relinquantur. Refert *Kerkringius Spicil. Anatom.* uvas integras deglutitas n. 6. 8. ſubſequente anno Menſe Majo demum rejectas, adeoque per 6. menſes latitaſſe.

g) *Plinius in hiſtor. Nat. L. 22. c. 21.* micropſychis ſ. animo linquentibus commendat mulſum:

h) Quomodo Spiritus Vitrioli dejectam appetentiam corrigat, patet ex *Horſtii Problemat. Dec. V. de Cordis & Ventriculi affectibus: Quæſt. 7.*

i) Liquor Martis ſolar. it. tinctura Martis apetitiva Zvvelfferi; conferatur *B. Michaelis Diſſ. de Ferro Lipſ. 1658. edita. c. 3.*

k) Bulimus audit quaſi tunc totum bovem eſuriant juxta Eraſm. in Colloquiis.

Occaſionalis 1) acidum. Occaſionales cauſæ ſunt primo acidum *l*) p. n. in habitans ventriculum, cujus ope non modo aſſumta citius ſolvuntur, ſed etiam tunica interior ventriculi vellicatur Spirituumque affluxus ſic conciliatur ad ſtomachi ſuperius, orificium, tumque Syncopes fit cauſa; vel ſi fibras ventriculi & inteſtinorum pungit, ad motus convulſivos, hoc eſt, vomitum & ſeceſſum ſtimulat.

2) Vermes. Simili modo appetitum augent vermes *m*) in ventriculo ac inteſtinis ſtabulantes, quatenus ſc. mordent ac rodunt illum, ſimulque chylum omnem conſumunt.

3) Frigus. Tandem & nimium frigus *n*) hybernum occaſio fit hujus morbi, dum Spiritus verſus interiora repellit, imo dum ratione ſuæ ſubſtantiæ frigoriferæ vellicat, irritat ac pungit ipſius ſtomachi interiora.

Cura adverſus acidum, Cura ad cauſas remotas eſt dirigenda, acidum itaque remediis *o*) §. præcedenti enarratis tollitur, quibus pingvia remedia & alimenta ſunt annumeranda v.g. Oleum olivarum, amygd. dulc. butyr. & jura pingvia gallinar. capon. &c. item capita ac pedes vitulorum ac ſuum.

Vermes, & Vermes quomodo curentur in ſubſequentibus ex profeſſo docebitur, in hoc tamen caſu amaricantia & in ſpecie aloetica experta ſunt.

Frigus dirigenda. A frigore ortum habens remedia poſtulat calida, qualia ſunt aromata & ſpirituoſa, itidem in §. præced. tradita. Vinum tamen dulce ac generoſum cum bolo panis aſſumtum omnibus eſt præferendum.

§. 3
De
Appetitu Depravato in Pica et Malacia.

Reſtat adhuc appetitus depravatus, qui ad duas claſſes commode reduci poteſt. In una locatur error circa objectum, dum planè incongrua & abſurda appetuntur, ut ſunt creta, calx viva, lapides, terra, goſſypium, corium inauratum, pelles ovillæ cum lana, piſces & cancri vivi, & (quod ſine nauſea vix memorari licet) ipſum ſtercus humanum, ſexcentaque alia ineptiſſima, de quibus omnibus paſſim apud Auctores *p*) hiſtoriæ proſtant, qualis affectus omni ætati ac ſexui *q*) accidere poteſt dicitur KITTA ſive PICA. *Pica.*

In altera claſſe vitium appetitus eſt in modo, quo affectu tantum corripiuntur gravidæ circa primas tres geſtationis menſes, quando tanta cum aviditate appetunt, ut niſi participes fiant deſiderati, vel plane abortiant, vel ſtigmate aliquo ſignent embryonem, & hic affectus MALACIA *r*) audit. *Malacia.*

Cauſa *s*) utriusque affectus phantaſticæ impresſioni ſpirituum debetur, qui in Pica inepta pro aptis, nauſeoſa pro delicatis, inſueta pro ſolitis eligunt, vel *Cauſa Proxima.*

l) Illuſtratur obſervationibus *Foreſti & Borelli de acido in terram cadente & ebulliente.*
m) Huc facit obſerv. *Actor. Haffnienſ.* de pediculis in ſtomacho pueri repertis.
n) *vid. Eraſm. Bartbol. Tr. de Nive c.33. p. 187.*
o) Notetur præ cæteris Sal.Tart.ex *M. N. C. D. III. A. IV. c. 81. p.177.*
p) Conf. *Schenck. Obſ. L. 4. Tulpius. Foreſtus.*
q) Animalia bruta etiam pica laborant, quale exemplum *Riverius c. 4. Obſ. 33.* de Fele refert, it. de cane & porco *Act. Philoſ. Anglicana & M. Marci de Ideis operatricibus.*
r) In Malacia delirium non tam circa res appetibiles notatur, ſed etiam circa alias res. *Sic Chronicon Lipſ.* refert exemplum prægnantis, quæ appetebat ad morſionem pedis nudi ſervi piſtorii, qui annuens, binis vicibus hoc ſuſtinuit, tertia tamen vice id denegavit, hinc factum, ut bini fœtus vivi, unus mortuus excluſi fuerint brevi ab ipſa fœmina. *Panaroll. Pentec.* Malaciam notavit in quadam, quæ cum malum punicum appetiit, ex denegatione ejus ſtigma foetui impresſit, quod cum maturatione & mutatione ejusmodi malorum mutabatur, v. *Tulp. l.2. c.24.* de prægnante 140. haleces una vice comedente. Alia axungiam aurigarum appetiit, alia, ut è foro veniens marito aliquot ova in facie confringat &c. vid. *Caſp. Bauhin. de Hermaphrodit. l.1. c.12. Foreſtus* aliquot libras piperis deglutitas notavit. *vid. Act. Anglicana* de afflatu follis intra oris concamerationem: Harsdörfer in ſeinen lehrreichen Geſchichten. it. uxor quædam petiit, ut maritus ova cruda in ipſius faciem conjiceret.
s) Quoad cauſam, unde tam ineptus appetitus, unde deſiderium hoc ſummum? in genere

vel in Malacia tam obſtinatè appetunt, ut fœtus œconomiam aut planè negligant, unde abortus, aut ſaltem ineptam illam ideam embryonis corpori adhuc tenello & cereo imprimant, unde ſtigmata.

Cauſa occaſionalis. Occaſionem huic Spirituum exorbitantiæ dant aliquando cruditates ventriculi, aliquando menſium ſuppreſſio in ſexu fœmineo, utplurimum tamen naturalis ad ejusmodi ineptias inclinatio. *t*)

Cura cauſæ proximæ. Ad Curam igitur horum affectuum medicamenta requiruntur, quæ abſurdam hanc ideam Spiritibus eximere poſſunt, aſt quoniam talibus pharmacopolia noſtra deſtituuntur, illa ſolùm in uſum vocanda erunt, quæ particulis Spirituoſis peregrina idea ſignatis turgent, ut ſcil. horum ope deſtruatur illa Spiritibus inhærens delira idea.

Talia verò ſunt vinum vetuſtum ab Ægineta, aut Rhenanum vel Malvaticum à *Jocle in Pr.* laudata, ros majal. aqua ex fol. vitis deſtillata, item ex palmite læſo fluens ex Commendatione *Grülingii in Tr. Germ.* von Weiber-Kranckheiten/ *p. 39. & Sim. Pauli in Quadrip. Botan. p. 566.*

Cauſarum occaſionalium. Interea occaſionalibus cauſis remedia debita ſunt opponenda, ubi in cruditate ventriculi bilioſa malum punicum, ſucc. citri & limonum, & Spiritus Vitrioli Philoſoph. in acida magiſt. matr. perlar. & amylum ſpecificè conveniunt, & reliqua *u*) præcipitantia.

In menſium vitiis remedia menſes pellentia infra tradenda, adhiberi poſſunt.

Animi autem importunitas blandis *w*) perſvaſionibus emolliri vel increpationibus corrigi aut ſtratagematibus *x*) falli debet.

Caput III.

De

MASTICATIONIS VITIIS.

§. I.

De

Dentium Dolore.

Læditur maſticatio triplici modo, primò vitio muſculorum maxillæ inferioris vel paralyſi, vel ſpaſmo correptorum; ſecundo vitio maxillæ ipſius luxatæ, tertio vitio dentium.

Dentium vitia. Hac vice ſolùm morbi dentium exami-

---

moneo, cauſam unice quærendam in Spiritibus delinquentibus. Verè eſt delirii ſpecies. Dantur tamen deliria etiam alius appetitus, v.g. Venerei, it. circa alia animi pathemata. Nos potius inter deliria hanc appetitus depravationem retuliſſemus, quoniam verò plurimi Autorum ejus inter appetitus vitia meminerunt & nos illud h.l. negligere noluimus. Cauſa itaque eſt aberrans Spiritus cui idea ejusmodi delira impreſſa eſt, circa objectum Pica; Quemadmodum: Malacia verè etiam delirium eſt, ubi non quidem circa objectum aberrant Spiritus, ſed circa modum exceſsivum.

t) Die von Natur ſchon halbe Narren ſeyn/ und allerhand wunderliche Dinge angeben. it. maximè delicatæ aut molliter educatæ potisſimum ſexus ſequioris.

u) *Hoffm. M. Med.* Specifice laudat Matr. perl. *Brendel. Prax.* Amylum. *Dolæus* Oleum Tartari per del. verbo, quodcunque antacidum, ſi modo cauſa in ventriculo lateat.

w) Ne penes ægros omnem amittat fidem Medicus, magis ſemper perſuaſionibus impotentiam animi emendare ſtudeat, quàm increpationibus, quæ hanc magis augent. Verum & hic conditio ægrorum conſiderari debet juxta illud Terentianum: ut homo eſt, ita morem gerito, ſed connivendum eſt ipſis, alias nullum Medicamentum aſſumunt.

x) Fallaciis aut technis (v. g. loco ceraſorum recentium vel condita vel ſacharata exhibeantur) circumeantur. *Salmuth. obſ.* de puella pica laborante & avidè corium deauratum devorante, quod colocynthide poſtmodum inunctum corium reliquit. *M.N.C. Dec. 2. A. 3. & 86.* quæ calc. viv. devoravit curata per Mechoac. pulv. loco calc. viv. quotidie datam.

minandi erunt, cæterorum enim affectuum curam ſub generalibus titulis tradere eſt animus.

Equidem huc propriè tantùm ſpectant DENTIUM DOLOR ET MOBILITAS, data tamen occaſione de reliquis quoque STUPORE videlicet EROSIONE ſive EXCAVATIONE, NIGREDINE & SCABRICIE illorum nonnulla ad jicere lubet.

Cauſa Odontalgiæ nunc in dente,

Cauſa doloris ſive Odontalgiæ, quandoque in dente inhæret quandoque in ſanguine circumfuſo. In dente, Vermes *y*) (*Salmuth c. III. obſ. 32.*) Subinde occurrunt minutiſſimi, qui rodendo partes & nervos radicibus ejus inſitos exquiſitiſſimum & ineffabilem illum dolorem efficiunt.

nunc in ſangvine hæret.

In Sangvine *z*) ſpicula ſunt ſalina, à quibus non ſecus, ac à vermiculis ſenſatæ dentium partes lancinantur.

Signa cauſarum.

Signa cauſarum ſunt ſequentia, ſi plures una vice doleant dentes nec fixus maneat dolor, tum ex acrimonia ſanguinis erit morbus; quando verò in unico tantùm dente dolor ſentitur, isq; remediis acrimoniam deſtruentibus non obediat, tum vermes ſuſpicari licet.

Curatio pro cauſarum differentia varianda eſt.

Cura. in vermium præſentia.

Vermes ſuffumigio ex ſem. hyoſcyami parato ac dente per infundibulum excepto extrahuntur: idem obtinetur, ſi ex dicto ſemine cum ſevo hircino aut ex alkekengi fructibus cum cera formentur globuli & imponantur dentibus excavatis, vel ſevum cervinum (*ex Bartholin. Cent. 3. hiſt. 96.* relatione:) gingivis admoveatur, l. os. aceto cum herbis amaricantibus decocto eluatur.

Acrimonia Sangvinis.

Acrimonia Sanguinis temperatur per lac retentum in ore, in quo chamomilla aut coct. Sambuci deferbuit; aut emplaſtris ex gummi elemi, maſtiche & tacamahaca externè temporum regioni applicatis.

Doloris remedia opiata.

Dolor ſiſtitur per opiata *b*) tam internè adhibita quàm denti cavo intruſa aut buccis impoſita.

Evacuantia.

Quod ſi vero his remediis dolor non removeatur, evacuantia *c*) in ſubſidium vocanda erunt, ſc. purgantia, hydragoga & phlegmagoga. V. S. ſacrificationes, veſicatoria *d*) & ſi chronicus fuerit affectus, fonticuli. *e*)

Proſunt & ſternutatoria & errhina *f*) Salivatoria *g*) tamen omnibus præferenda, utpote quæ immediate ex affecta parte noxios humores educunt, talia autem ſunt, rad. pyrethri, fol. nicotianæ &c. olea deſtillata acria dentibus applicata, ſpicæ, caryophyl. origani cretic. coryli, Sabinæ, buxi, item eſſentiæ Saturejæ, thymi, calaminthæ, zingib. lingni ſancti &c. quæ cuncta hoc nomine conducere videntur. Si hæc non ſufficerent, applicentur Cauteria actualia, aut extrahatur dens carioſus.

§. 2. De

---

y) *vid. Schenck. obſ. 417. L. 1.*

z) Qui Scorbuto oris laborant, frequenter ab incaute admiſſo aere frigido intra laxas gingivas, odontalgiam patiuntur, ubi tunc maximè perioſtium afficitur. conf. *Barth. Euſtachii Lib. de dentibus* it. *Gagliardi Anatom. oſſ. nov. invent. illuſtr. Romæ 1689. impreſſ.*

a) Alii oleum amygdal. dulc. calidum in ore retinent, it. butyrum non ſalit. felici ſucceſſu. vid. *Crato. in Conſ. & Epiſt. 182.* rurſus alii admittunt fl. papav. & ſambuci cum tantillo croci.

b) Sub forma Tincturæ vel pilulari non contemni debent, modo doſis augeatur, ſi dolor atrox fuerit: circumſpecte tamen, ne mors ſubſequatur, quale quid *Schenckius* obſervavit.

c) Vomitum commendat *Diemerbroeck Obſ. 23.* vid. quoque *Bayerus in Praxi.* Admodum quoque conducunt pilulæ ex Extr. Panchymagog. Crollii, Gumm. Gutt. & Mercurio dulci, evolvatur *Franciſci à Puteo Hiſtor. de Indico Gummi.*

d) vid. *Wallonius Obſ. Libr.*

e) *Zacut. Luſit. L. 1. Obſ. 40. & 66.* nivem vel glaciem commendat, quæ repellendo agunt.

f) Errhina *Borellus* laudat, & in ſpecie Betonicæ radicem naſo inditam.

g) Mercurialia hic locum non obtinent, propter nimiam reſolvendi virtutem, & laxitatem gingivis conciliandi, ideoque plane ab his abſtinendum.

§. 2.

De

Dentium Mobilitate.

IMpediunt porro maſticationem dentes mobiles, dum in hoc ſtatu alimentorum magis duriorum comminutionem præſtare non poſſunt.

Cauſa. Cauſa hujus affectus eſt interdum gingivarum eroſio, interdum ligamentorum, quæ dentes in alveolis maxillæ firmant, relaxatio. *b*)

Prius à ſangvine ſcorbutico acri, alterum à catarrhis, aliisque nervoſo generi infeſtis cauſis externis, inter quas agmen ducit Mercurius *i*) vivus & exin præparata, oritur.

Cura. In Cura, ſi à ſcorbuto hoc malum fuerit, præter ea, quæ in poſterum ſub ſcorbuti titulo interne commendabuntur, externè in gargariſmis *k*) adhiberi poterunt, primo acrimoniam corrigentia & conſolidantia, plantago, veronica, prunella, portulac. fol. & flor. aquilegiæ, ſaniculæ, myrrh. maſtich. gummi laccæ &c. Secundò adſtringentia & ligamenta roborantia, roſmar. ruta, pimpinell. fl. ſalviæ, roſar. rubr. fl. balauſtior. ſumach. aquileg. fol. quercus, liguſtri, rad. tormentillæ, nux cupreſſi, bacc. myrti, cort. granator. cortices virides nuc. juglandium, gallæ, alumen uſtum, acetum, ſangv. dracon. myrrh. terra catechu, ſal ammon. lap. medicament. Crollii, phlegma vitrioli, tinctura laccæ.

Quodſi catarrhos pro cauſa habeat, anticatarrhalia ſuo loco tradenda & apophlegmatizantia in *antecendente* §. enarrata præmitti debent.

Quibus tandem à Mercurio dentes vacillant, quod metallifuſoribus aurifabrisq; non raro accidit, & qui in gallica lue ex inunctione vel aſſumtione mercurii ſalivationem patiuntur, iis convenit aureos nummos in ore detinere, vel gingivas auro obducere ad imitationem *Zacch. Luſitan. Pr. admirand. Lib. 2. Obſ. 136.* & aurum foliatum ejusque ramenta aut pilulas vel globulos inauratos deglutire, quibus adhæreat Mercurius in corpore latitans.

§. 3.

De

Stupore Dentium.

HOc nomine ſignificatur ille dentium morbus, quando nec alimenta, nec aërem calidum aut frigidum ferre poſſunt, ſed ab iis moleſtiam quandam percipiunt ægri.

Cauſa eſt acidum dentes nervosque illorum leviter arrodens; ex minerali regno ſpiritus acidi, ſalis, ſulphuris, vitrioli &c. ex vegetabili fructus horæi immaturi, acetum. *Cauſa.*

Cura remotione & inviſcatione hujus acidi humoris abſolvitur. Prodeſt itaque ſi ſolo panno aſpero dentes confricentur, vel loco ejus ſale communi. *Cura.*

Idem obtinetur, ſi portulaca viridis, caſeus recens, amygd. nuces, pineæ & avellanæ maſticentur, aut oleum calid. vel lac in ore detineatur, balſam. peruvian. dent. inunctum *Hoffm. M. M. pag. 304.*

§. 4.

De

Dentium Carie seu Excavatione.

DUpliciter conſiderari poteſt hic affectus, primo quatenus dolor ab eroſione excitatur, de quo §. 1. *hujus cap.* Secundo quatenus excavatio ſimpliciter attenditur ſine aliis ſymptomatibus, ſub qua

b) Tandem etiam in acetabulis vitium latet, læduntur enim vel à materia aliqua tartarea, ad rad. dentium collecta, quæ tractu temporis cavitates plenariè replet vid. *Euſtachius de dentibus. Schenck.* hincq; dentes exturbat vel (quod rarius eſt, *Ruyſch. obſ. 82. p. 104.*) ex alveolis ipſis conſumtis.

i) Evolvatur *Ruyſch. Obſ. Anatom. Chir. 104. Stiſſer. in Act. labor. Chym. Spec. 11.*

k) Huc ſpectat naſturtium hyemale, quod Bunium aliàs & Barbaream Botanici nominant, cujus ſuccus laxis gingivis afficiuntur, vid. *Zornius in Herbar. Pancoviano.*

l) Præſervamus dentes diligenti frictione ſalis comm. ex commendat. *Foreſti L. 14. Obſ. 6. ſeqq. Fonſecæ Conſult. p. 39.* vel cinerum ſalviæ, quos ſæpius profuiſſe vidi.

qua conſideratione hoc loco tractatur.

Cauſa. Erodunt dentes utplurimum humores acres, dentium interſtitiis & cavernis molarium inhærentes: aliquando tamen & vermiculi illos excavant, de quibus *vid.* §. *1. hujus cap.1.*

Cura. In cura hujus affectus cum exeſi dentis partes reſtitui non poſſint, ſufficiet, ſi modo ulterior eroſio impediatur. Obtinemus hoc, ſi ſtatim a prandio vel cœna abſoluta, dentiſcalpio reliquiæ alimentorum ex cavitatibus ſtudioſè tollantur & poſtea caverna repleatur foliis auri, *m*) camphora, myrrha, gummi juniperi vel cera alba.

Omnium tamen optimè caries ſiſtitur per attactum olei vitrioli aut aliis cauſticis actualibus.

His remediis ſi corruptio dentis arceri nequit, extirpandus eſt, quantocius fieri poteſt, ne vicini adhuc integri, putredinis labe quoque inficiantur.

§. 5.

De

DENTIUM DISCOLORATIONE.

Cum de agyrtarum ac dentifrangibulorum potius, quàm Medici officio ſit, dentibus nitorem conciliare, omitti poſſet hic §. Verùm ne mancam dicat quis Praxin noſtram vel brevibus hunc affectum annectere placuit.

Cauſa. Cauſa ejus debetur reliquiis alimentorum viſcidis ac terreis (qualia colliguntur imprimis ex ſaccharatis crebrius maſticatis) quæ dum dentibus agglutinantur, primo ſub forma glutinis ſive muci, ſenſim deinde exſiccantur in concretum tartari forme luteum quandoque vel nigrum colorem exhibens.

Cura. Curatur hæc dentium ſpurcities, ſi debitè poſt prandium vel cœnam à ſordibus hiſce mucoſis liberentur, quod fit, ſi digito frices illos intincto pulveri ex corall.oſſ. ſep.mandibul.lucii piſcis.C.C. uſt.teſt. ovor. pumice uſto vel cineribus tabaci, roris marin. vitis, panis aut tartaro calcinato.

Quod ſi verò mucus hic in tart. jam concreverit cum ſcapello aut alio apto inſtrumento removeri debet; poſtmodum adhibeantur enarrati pulveres, vel quod præſtat ſpiritus ſalis *n*) aut alius acidus, qui in momento reſiduas ſordes abſtergit, cujus acrimonia ut obtundatur, quodammodo non inconſultum eſt, radicem polypodii vel glycyrrhizæ *o*) in ſpiritu vitrioli maceratam adhibere.

CAPUT IV.

De

DEGLUTITIONE IMPEDITA.

§. I.

De

TUMORE TONSILLARUM, UVULAE ET GLANDULARUM SUBLINGUALIUM.

Præterea hic lubens vitia deglutitionis ex muſculorum huic inſervientium paralyſi. Non enim peculiarem curam præ aliis hoc affectu correptis partibus poſtulant.

Solùm itaque in hoc cap. agam de TUMO-

m) Loco fol. auri, fol. ſtanni Stanniol/aſſumatur. Veteres magni æſtimarunt ſotirellam parvam cum momento cretæ vel lap. cancr. pilulari forma immiſſam, ut *Mindererus* teſtis eſſe poteſt, agit vi abſorbente & anodyna. Videantur pilulæ apud *Jonſton. in Idea Medic. Pract. L. 4. tit. 11. c. 1. art. 1. ex Tralliano laudatæ.*

n) Spiritu vitrioli vel nitri chartam ſcriptoriam albicantem macerant, exſiccant rurſus & ſic fricant dentes; Sed moneo, ne frequentius hæc acida adhibeatis, friabilitatem enim ſummam dentibus conciliant.

o) Præſtat ſi extract. ejus cum exigua quantitate aquæ fl. aurantiorum in ungventum redigatur & ſpiritus vitrioli ad gratam aciditatem imprægnetur.

TUMORIBUS ac INFLAMMATIONIBUS viam ad ventriculũ intercipientibus, illi occurrunt in tonſillis, uvula ac glandulis ſublingualibus, hæ in muſculis colli, laryngis, oſſis hyoidis & linguæ.

Symptomata. Symptomata 1.) Aliquando denegatur tranſitus, imprimis ſolidis, ſæpe tamen & fluidis, quæ per nares regurgitant, ſi vi ea depellere audeas. 2.) Dolor 3.) Reſpiratio intercepta.

Signa Tumoris harum glandularum dat inſpectio.

Cauſa. Cauſa eſt acris vel viſcida lympha ſtagnans in his partibus.

Occaſionales cauſæ: Abuſus acidorum vel auſterorum, *p*) refrigeratio colli, aër frigidus & potus talis v. g. aquæ nivalis, glacialis &c.

Signa cauſarum. Facile verò cognoſcitur natura cauſæ modo ex ſymptomatibus, quod ſi enim inflammatio aut dolor intenſus adfuerint, ex acrimonia humorum erit morbus, è contra, quando magis indolens eſt tumor, pituitæ abundantia accuſari debet, modo ex antecedentibus habetur, v.g. vini acidi potu, aut alio frigido, refrigeratione colli &c.

Cura acrimoniæ. Cura acrimoniæ inſtituitur per lac cum chamomilla & fl. malvæ arboreſc. decoctum, vel per gargariſmata ex uvularia, vincapervinca, prunella &c. parata, quibus Nitrum vel Sal ammon. Saccharum Saturni, Succ. Cancr. aut etiam Spiritus Nitri vel Vitrioli ad gratam aciditatem addantur, ſi partes iſtæ jam inflammatæ ſint.

Conveniunt quoque in hoc caſu adſtringentia *cap. 3. §. 2.* expoſita, quatenus ſcilic. conſtringendo poros harum partium, & exprimunt p. n. ſtagnantes humores, & ulteriorem affluxum non admittunt.

Tumoris pituitoſi. Tumor pituitoſus diſcutitur per reſolventia *q*) exterius adhibita, emplaſtr. de meliloto, diaphoreticum Mynſichti, fl. Chamomill. & Sambuci *r*) in ſacculo cataplaſm. appoſitos, vel evacuatur purgantibus.

Uvulæ tumoris. In uvulæ Tumore experimenta vulgi *s*) ſunt, attollere illam digito Zingiberis aut piperis pulvere conſperſo, vel vertici cataplasmata ex fermento, ſuccino & Spiritu vini apponere.

§. 2.
De
ANGINA.

ANgina eſt vel morbus ſolitarius, vel eſt ſymptoma febris malignæ Hungar.

Anginæ quatuor ſpecies. Quatuor ANGINÆ ſpecies ratione loci affecti diſtinctæ recenſentur à Practicis.

Prima vocatur SYNANCHE, tumoremque tam in faucibus quàm externè in collo ſignificat.

Secunda PARASYNANCHE audit, & in hoc affectu muſculi externi oſſis hyoidis ac colli tantùm inflammati ſunt, nullus ſiquidem tumor in oris cavitate obſervatur.

Tertia CYNANCHE appellatur, ubi nec in faucibus nec in collo quicquam de tumore aut inflammatione occurrit, interim tamen ſummo dolore afficiuntur ægri potiſſimum inter reſpirandum, adeo ut nonniſi exſertâ lingvâ reſpirent.

Quarta PARACYNANCHE dicitur, quando ſolùm laryngis muſculi inflammantur, & tumor in faucibus apparet:

Cauſa Cauſa ANGINÆ ſangvinis eſt ſtagna-

p) Si adſtringentia diu in ore detineantur, ſi fructus horæi, ut berberum, ribium copioſius aſſumti fuerint; æſtivo tempore potus glacialis, hyeme aër frigidus incuſari poteſt.

q) De Galbano Crocatum, oxycroceum, valent in tumore glandularum ſublingvalium, non verò uvulæ.

r) Nervina etiam accerſenda ut fl. majoranæ, lavendulæ, imprimis ſi camphora admixta fuerit.

s) Frictio regionis carpi *M. N. C. D. II. A. 2. o. 56. A. 3. o. 50. A. 5. o. 127. Rondel. L. 2. c. 4. fol. 322.*

t) Inſerviunt etiam Veſicatoria regioni carpi applicata. *Blancard. in Collect. Med. Phyſicis* frictione carpi tumorem uvulæ curavit, vid. *Hannemann. in M. N. C. D. 2. A. 2. obſ. 56. it. A. 3. obſ. 50.*

gnatio in muſculis colli, oſſis hyoidis, lingvæ & laryngis producta, jam ab acri humore jam à pituita viſcida poros obſtruente. Ex priori cauſa ANGINA vocatur exquiſita, ex altera verò ſpuria nuncupatur.

Signa Cauſarum. Signa cauſarum ex præcedenti affectu diſcuntur.

Cura. Cura exquiſitæ Anginæ eadem remedia poſtulat, quæ aliàs inflammationibus opponuntur *u*) de quibus ſuo loco. Igitur & Venæ ſectio præ cæteris requiritur: præterea & gargariſmata *w*) in uvulæ ac tonſillarum dolore laudata conducunt, quando ſcil. in ipſa oris cavitate inflammatio manifeſta eſt, ſicuti è contra, ubi tumor fuerit externus, externè ad diſcutiendum tumorem nidus *x*) hirundinum ſub cataplaſmatis forma collo impoſitus ſpecifica vi gaudet:

Angina notha cura. In Angina notha *y*) præter diſcutientia, *z*) pariter uvularum dolore, nominata purgantia *) & clyſmata acriora ſunt adhibenda.

Poſſunt quoque ſi nondum via ex toto ſit occluſa interne reſolventia propinari, qualia ſunt Salia Volatilia, Mixt. ſimpl.

CAPUT V.

De STOMACHI VITIIS.

§. I.

De APEPSIA, BRADYPEPSIA ET DYSPEPSIA.

Apepſia. TRiplicia ſunt concoctionis vitia. APEPSIA cum planè nulla chylificatio contingit. *Bradypepſia.* BRADYPEPSIA, quando tarda eſt, & plus temporis conſumit in abſolutione ejus, quàm aliàs requiritur; *Dyspepſia.* DYSPEPSIA, ubi aſſumta non in chylum laudabilem mutantur, ſed corrumpuntur, & degenerant in cruditates.

Cauſa. Cauſæ chylificationis læſæ cum Anorexiæ Cauſis *Cap. 1. §. 1.* datis communes ſunt, h.e. vel defectus Spirituum vel cruditatum jam acidæ, jam bilioſæ, jam pituitoſæ præſentia: His adde vitium men-

u) Repellentia in uſum vocanda non ſunt, niſi ſimus certi adeſſe ſangvinem ſtagnantem. *Heide in Obſ.* Vitr. alb. in aqua ſolut. laudat, ranas alii commendant, quæ repellendo agunt.

w) *Hartmann.* ſucc. ſemperviv. cum ſale ammon. vel Nitro laudat, in principio optimum eſt. *Scultetus Obſ. 23.* ex aceto vini gargariſm. parat. *vid Mœbius Tr. de Camphora. Mizaldus c. 3. aphoriſ. 16.* Oleô lini utitur, inviſcat acria ſalia: Urina calida diſcutiendo agit.

x) Virtute ſalino-ſalſa agere videtur, ſemperque cum aquâ vel lacte ſubigitur vid. *Kunrath. in medulla deſtillatoria.* Cataplaſmata ex mica panis cum oleo chamomill. juxta *Rhodium* conducunt, ſæpeq; per hæc diſcutitur tumor, qui internis non cedit. *Bartoletus* cremorem rad. iridis recentem cum butyro & oleo olivarum mixtum applicat.

y) Si ſangvis ſit coagulatus ex defectu ſeri aut frigore, ſive à viſciditate vel fuga ſpirituum, ſolus Thée potus ſufficit, quamvis & ſalia volatilia cum ipſo ſumta haud inutiliter adhibeantur.

z) Si his cedere nolit, paretur ex melle, paſſulis, Theriaca, oleo cheiri, roſarum, lil. albor. ungv. quo ipſo pars inflammata ad ſuppurationem deducatur. Bronchotomia exerceatur, ſi ſuppurare nolit. vid. *Ballon. L. 1. Conſ. 54.* ubi quis ſe jugulare voluit & ſic abſceſſum aperuit.

*) Uti ſunt pil. ex trochiſc. alhandal. vid. *Baricell. in Hortulo geniali. Binningerus in Obſerv. Heide in Obſerv. Tulpius L. 1. Obſ. 45.* Caveat autem ſibi Medicus, ne Vomitum excitet.

menſtrui *a*) ſtomachalis & atoniam *b*) ventriculi.

Signa cauſarum. Cognoſcuntur hæ cauſæ ex iisdem ſignis loco allegato ſuppeditatis.

Cura. Tandem nec aliam curam poſtulant, quam illam ſupra traditam. Interim ad curam horum affectuum multùm confert cauſarum externarum remotio & accurata diæta. *c*) Vitanda hinc ſunt omnia, ſi Spirituum defectus fuerit in cauſa, quæ ad Spirituum jacturam faciunt, animi pathemata, Venus immodica, ſtudia &c. Deinde ab alimentis dyſpeptis abſtinendum, aliisque cruditates augentibus, acidis nempe ac pinguibus.

§. 2.

De

DOLORE VENTRICULI GRAVATIVO.

Ratio denominationis. GRAVATIVUM dicimus hunc ventriculi dolorem, quoniam illo correpti ſolùm de pondere ventriculi fundo inhærente conqueruntur, cujus moleſtam ſenſationem non modò poſt alimenta paululum duriora aſſumta, ſed etiam jejuno ventriculo ac ferè indeſinenter percipiunt.

Cauſa Cauſa utplurimum à pituita ventriculum occupante, quandoque tamen etiam à cibis ſolidioribus v. g. carne, fumo indurata, aſello &c.

Cura. Curatur medicamentis pituitam reſolventibus & ſpirituoſis, quorum catalogum in præcedentibus dedi. Quoniam verò non ſemper hiſce ſperatus effectus obtinetur, (quod imprimis contingit, ubi à deglutitis durioribus cibis aut viſcidiſſima pituita morbus dependeat) idcirco & vomitus *d*) excitandus eſt, cujus beneficio quicquid ventriculo inimicum fuerit, educitur commodiſſimè.

§. 3.

De

CARDIALGIA.

Quomodo a Dolore gravativo differat? EST & hic affectus ſpecies doloris ventriculi, multum differens à præcedenti. Etenim loco gravativi doloris CARDIALGIA roſio aliqua orificii ſuperioris ventriculi ſummè doloroſa ſentitur.

Signis

a) Ad opus chylificationis requiritur menſtr. ſtomach. ex aqueo-ſalino-ſalſis partibus conſtans, quod extrahit partes chyloſas ex alimentis pedetentim poſt ex ventriculo ad inteſtina demandandas. Quando itaque partes neceſſarias in ſe non habeat hoc menſtruum rebus extrahendis aptas (ſalina & gelatinoſa enim poſtulant menſtruum aqueum, oleoſa verò ſalinum &c.) Si cruditas pituitoſa nimisque viſcoſa in eo adſit, vel ex acido vel ſpirituum turbatione hic liquor menſtrualis ventriculi nimis redditus fuerit glutinoſus, non conveniens eſt ad extrahendum. Cruditas pituitoſa indeq; dyſpepſia oritur ex alimentis dyſpeptis, v.g. carne & piſcibus fumo induratis &c. Item quando copioſum ſal acidum vel acido-ſalſum abundet in menſtruo; coagulantur enim partes alimentorum hinc, & exſurgit poſtmodum cruditas acida vel pituitoſa &c. Ex ipſis etiam alimentis acidis oritur hæc cruditas. Inſuper etiam ex laudabilibus alimentis diutius in ſtomacho retentis, imprimis aceſcentibus, accedit acor ejusm. menſtruo ventriculi. Item per cruditatem bilioſam, ſi nimium pingvia, ſalſa & oleoſa nimia in quantitate aſſumuntur.

b) Dein ex parte ſtomachi, & ejus motricis virtutis vitio læditur digeſtio. Si enim langveant fibræ & ſpiritus, vel deficiant, vel ſaltim ad hæc loca non debite influant, avertantur, læditur chylificatio, unde omnes cauſæ externæ v.g. ſtudia nimia, Veneris abuſus, animi pathemata protracta (it. langvet etiam ſtomachus ex potu nimio, cruditatibus pituitoſis &c. it. ex morbis antecedaneis vel præſentibus) quia ſpiritus vitales deſtruunt, chylificationem lædunt. Huc ſpectant morbi tam humorum, quàm ſolidarum partium, quàm ſpirituum, à quibus ſpiritus labefactantur.

c) *Tulp. L. 2. c. 24.* refert, quod halex apud Batavos celebretur ut egreg. ſtomach. verum eſt; Sal enim commune evporiſton reſolvens eſt in cruditate pituitoſa, vel etiam aliud ſal ſalſam cruditatem pituitoſam optimè curat.

d) Novi puellam delicatam, quæ ſemper, ubi poſt cœnam potum adhuc cereviſiæ ſuperhaurit, de nocte dolorem gravat: mane vomitum patitur.

Signa. Signis indiget nullis, ſi modo attendantur querelæ ægrotantium & ſedes doloris, qui ſub cordis ſcrobiculo ſive cartilagine enſiformi percipitur.

Cauſa proxima Cauſa proxima eſt ſpasmodica & dolorifica contractio orificii ventriculi.

remota. Cauſa interdum quidem extra ſtomachum *e*) hæret, quando per conſenſum in affectibus ſpasmodicis uteri, inteſtinorum in febribus malignis &c. orificium ventriculi patitur; utplurimum tamen humor eſt acris in ſtomacho *f*) fluctuans, qui pungit & vellicat orificium ejus admodum ſenſatum.

Symptomata. Pro diverſitate itaque acrimoniæ plus minus tali Symptomata conjuncta vel mitiora vel graviora ac periculoſa habet. Aliquando enim præter dolorem levem & aliqualem anxietatem nihil patiuntur ægri, cum tamen alio tempore dolor & anxietas in tantum augeantur, & cum inquietudine ſumma ſudores frigidi non modo per totum corpus (& in ſpecie circa frontem) erumpant, reſpiratio impediatur, artus frigeant, pulſus deprehendatur parvus & obſcurus; ſed etiam ſyncopen patiantur & hæc cardialgia febribus malignis familiaris eſt, utut citra illas nonnunquam quoque occurrat. Latitat verò hæc acrimonia commodiſſimè ſub tegmine cruditatis bilioſæ ſive nidoroſæ, rarius acidæ, quorſum non pauca ex vulgo ſic dictis venenis referenda ſunt.

Præter hanc acrimoniam dantur aliæ adhuc cauſæ ſcil. flatus ex pituitoſa cruditate generati; ſi ſpasmus aut dolor in aliis partibus, aut febris maligna, aut alia Symptomata ſe offerant, aut ſi læſiones alicujus partis præceſſerint; item vermes orificium hoc arrodentes, item corpora aculeata aſſumta, qualia ſunt ſcobes adamantis, fragmenta vitri, acus deglutitæ.

Signa cauſarum. Manifeſtæ fiunt hæ cauſæ, primo bilioſa acrimonia ex ſiti, amarore, ſiccitate & ſalſedine oris, ructibus, vomitu & diarrhoea bilioſis.

Secundò aciditas ex ſupra ſuppeditatis ſignis: venena, ſi ſubitò dolor iſte ſuboriatur & corpus intumeſcat.

Tertiò flatus ex diſtenſione & intumeſcentia ventriculi.

Quartò vermes ex remisſione doloris poſt lactis aut dulcium alimentorum aſſumtionem, vel exaſperatione ejus ventriculo vacuo.

Quinto ſcobs adamantis &c. ex vomitu & alvi fluxu cruento, aliisque circumſtantiis externis potisſimum antecedentibus.

Cura Cardialgiæ. Ex Acrimonia Bilioſa. In cura itaque ad cauſas enarratas reſpiciendum eſt. Acrimonia bilioſa *g*) per remedia in *ſuperioribus §is* aliquoties

e) Cum ex pari vago orti nervi non tantùm orificio ſtomachi inſerantur, ſed etiam conſtituant cum intercoſtalibus nervos pnevmoniacos, cardiacos, pleuriticos, phrenicos it. quod hepar &c. & univerſæ abdominis partes plexus habeant ab hoc nervo; oriri facile poteſt ex vitio pleuræ, cordis, pulmonum, diaphragm. hepat. lien. uteri, veſicæ & partium genitalium, ut læſa ejusmodi parte per conſenſum cardialgia producatur.

f) Per eſſentiam verò naſcitur Cardialgia ab acrimonia aliqua, quando ſalia in ventriculo hærent, imprimis acida, quod tamen rarius, aliquando cruditas nidoroſa & bilioſa. Sæpe etiam ex bile regurgitante oritur alio tempore ex alimentis, venenis, Medicamentis &c. v. g. à vomitoriis, purgantibus, imprimis draſticis &c. oritur Cardialgia; acrimonia enim lancinat fibras orificii, nervos pungit & ad contractivos motus diſponit; Aliquando vermes generant Cardialgiam, aut deglutiti aut intus geniti de bufonibus *v. M. N. C.* & *Act. Haffn.* Quod autem ſymptomata tam gravia ſuperveniunt, (nempe anxietas &c.) eſt ex doloris acerbitate: frigidi ſudores ex connexione nervorum deducendi. Item flatus ſtomacho inhærentes & ſe expandentes, ventriculum diſtendendo, orificium anguſtum reddere ſpaſmumque ejus inducere poſſunt, quo magis enim dilatatur ſtomachus, eò magis conſtringitur orificium, imprimis cum muſculus diaphragmatis inferior illud circumambiat? Et tunc dolor non æque lancinans & pungens eſt, ſed diſtendens ſaltem, ut etiam promineat ſæpe in abdomine ab extra, & tunc vix attactum ab extra fert.

g) Acrimonia nidoroſa, ſi abundat, vomitorio evacuanda, impr. eſt in febribus mal. moleſtiſſimum ſymptoma, hinc tali caſu non incongruè vomitoria adhibentur,

ties memorata terrea & acida corrigitur, in ſpecie tamen è terreis cryſtallus montana ſingularis eſt efficaciæ hoc in caſu, ex acidis ſpiritus vitrioli Philoſ. ſucc. citr. & cum hoc paratus ſyrup. corallor. it. Syrup. granator. acidus & Syrup. de omphacio ex commendatione *Pauli Quadrip. Botanices p. 384. & Zacut. Luſitan. Pr. Adm. Lib. 2. Obſ. 4.*

Acida. Aciditas itidem ſupra præſcriptis remediis *h*) tollitur.

Ex Venenis. Quodſi à venenis cauſticis ſit morbus, puta, arſenico, auripigmento, Mercurio ſublim. purgantibus fortioribus, elleboro, colocynthide, tunc in genere omnia oleoſa & pinguia, quæ vim habent aculeos venenorum inviſcandi, ſunt optima: juſcula hinc pinguia carnium, lac vaccinum & caprinum &c. larga doſi citisſimè propinentur ipſisque addantur, quæ tanquam antidota horum venenorum ab Autoribus commendata ſunt, cryſtallus præparata, ſmaragdus & oleum tartari per d. item Antimonium diaphoret: Proficuum poſthac erit, ſi opiata adjunxeris, theriacam ſcil. & mithridatium.

Cardialgiâ per conſenſum. Si per conſenſum ex aliarum partium vitio eveniat Symptoma hoc, v. g. ſi ex utero, hujus vitia tollantur, ſi ex malo hypoch. febre maligna vel alio affectu, illis medicina eſt applicanda. Imprimis verò tum Antiſpaſm. & opiata locum habent, urgente potisſimum dolore; quamvis pro rei exigentia omnis generis evacuantia aliaque alterantia alio tempore ſe quoque judicioſo Medico commendent.

à Flatibus. Flatus diſcutientur per remedia aromatica & carminativa, chamomill. abſinth. mentham, hyſſopum, ſummitates anethi, roſmarin. ſem. carvi, aniſi, grana piperis integra aſſumta, cortic. aurant. cinamom. rad. Zedoar. &c. item per reſolventia, ſpirit. nitri dulc. ſpirit. carminativ. de tribus, ſpiritum ſalis ammoniaci aniſat &c. Conferunt quoque hoc in caſu externa diſcutientia ac dolorem mitigantia oleum deſtillat. v. g. ſtomach. craton. oleum maſtichinum, macis, caryophyllor. ſuccini, carvi, aniſi, oleum nuciſt. incorporatæ, aut cum gummi tacamahacæ in emplaſtrum redacta, quod adeo commendat *Poterius Cent. 3. obſerv. 32.*

à Vermibus. Vermes enecantur Mercurio dulci & aliis §. de lumbricis commemorandis.

aſſumtis durioribus. Tandem Vitri & adamantis fragmenta *i*) pulte ex oryza vel milio, aut Syrup. de mucilaginibus vel maſtiche copioſius aſſumta involvuntur.

§. 4.

De

SODA.

Sodæ differentia à Cardialgia. Affinis hic dolor Cardialgiæ, differt tamen ab illa, quod non orificium ſolum ſuperius ventriculi afficiatur, ſed etiam dolor quaſi urens inſimul percipiatur in œſophago, quapropter

Synonimia. etiam alio nomine ARDOR vel EBULLITIO

---

aſt tunc ſæpe à motu irregulari ſpirituum Cardialgia oritur. Conveniunt poſt vomitoria terrea, vel acida ſpiritus vitrioli philoſoph. Succ. Citr. &c. impr. Syr. Corall. cum ſucc. Citri, granatorum acidus, Omphac. &c.

h) Acidum ſi adfuerit (quod non ſemper adeſt juxta Sylv.) conveniunt terrea, ſalia, alcalia, fixa, volatilia, oleoſa, pingvia, Martialia ſub quacunque formula; terrea tamen præferenda inque larga doſi adhibenda, ſi enim quantitas nimia in ventriculo hæret, una doſis non ſufficit, ſed reiteranda ſæpius, & ad ℨij-ℨß. Terrea ſæpe exhibenda commode diluantur cum vehiculo appropriato, facile lap. Cancr. ℨiij. &c. dari poſſunt usque dum corrigatur acrimonia. In ſpecie ex terreis Cryſtall. mont. ſingulariter extollitur, cardiacam vim habere dicitur, nullam tamen prærogativam habet præ Lap. Cancr. C. C. uſt. &c. modo terreum ſit ſitibundum.

i) Si à rebus actu aculeatis v. g. vitri fragmentis deglutitis (M. N. C. acubus deglutitis) Cardialgia oriatur, qua de cauſa Adamantis pulvis ad venena refertur, remedia aculeos obvolventia & inviſcantia adhibenda, non lenta illa oleoſa & pingvia, ſed ſyrupi & mucilagines, ſacharata, minus acria, pultes &c. oryzæ aut farinaceæ craſſiores ſine potu, ut involvi poſſit. Novi ego ipſe ex oſſiculis minutiſſimis alaudarum deglutitis Cardialgiam, quo caſu ſine potu pultes ejusmodi dedi & involuta fuerunt, alvoque dejecta, licet hæmorrhoides tumentes inde expertus fuerit æger.

LITIO aut FERVOR STOMACHI dicitur.

Cauſa. Cauſa ſimiliter ac præcedentis morbi acrimonia aliqua billioſa (rarisſimè quicquid alii dicant acida) magis tamen volatilis quàm in Cardialgia eſt, adeoq; promtius inter chylificandum cum halitibus elevatur atque aſcendit per œſophagi canalem, aliquando etiam usque in ipſam oris cavitatem.

Cauſæ procatarcticæ. Cauſæ procatarcticæ ſunt alimenta acria & pinguia, quæ facillimè in nidoroſas cruditates abeunt, vinum item & alia ſpirituoſa à quibus bilioſi *k*) humores volatiles redduntur.

Cura. Curatio hujus affectus conſiſtit partim in evacuatione humoris peccantis, partim in alteratione ac tandem in ſedatione doloris.

Pro primo ſcopo vomitoria *l*) utramque faciunt paginam, immediate enim ex loco affecto cauſam morbi educunt.

Pro altero ſcopo medicamenta primò conveniunt aquea, ſucc. ſempervivi maj. portulacæ, paſtinacæ (carotæ aliàs ſive carotis lutea, gelbe Möhren dictæ) vel aqu. ſimpl. *m*) potus. Secundo terrea, *n*) creta cryſtallus præparata, ebur uſtum, corall. unicorn. foſſil. &c. notandum tamen in magna doſi hæc omnia eſſe adhibenda. Tertio acida ſupra jam recenſita in ſpecie Syrup. aurant. acid. quem tanquam expertum tollit *Zacut. Luſitan. p. 41.* Quartò dulcia & glutinoſa, *o*) glycyrrhiza, ſiliquæ, tragacantha &c.

Pro tertio ſcopo Anodynis dolor palliatur e.g. Syrup. nympheæ, violar. papav. aut ſi nimium urgeat dolor, ipſo laudano & opio cydoniato.

§. 5.

De

NAUSEA & VOMITU.

Vomitus deſcriptio. Conſideratis affectibus doloroſis ventriculi ſequitur VOMITUS, quan-

---

k) V. g. in utero tempore geſtationis. Aſt credo potius ex mole uteri premi ventriculum & inteſtina, unde bilis ad inferiora deſcenſus intercipitur, quare ad ventriculum regurgitans ſodam excitat.

l) Cruditates nidoroſæ &c. evacuantibus removendæ, quas vomitoria expetere *Hipp.* ſcribit, tartar. emet. Vitriol. vomit, poſtmodum abſorbentia & præcipitantia conveniunt. Si ab acido malum, vomitoria non quadrant, ſed ſtatim antacida, nempe volatilia, fixa, ol. tartar. per del. ſolut. cin. clav. ſal. ſtip. fab. cent. nim. abſ. Card. ben. &c. item terrea, Oſtracoderma & marina, teſtæ conchar. oſtrear. oſſ. ſep. lap. perc. C. C. uſt. unic. foſſ. ebur. uſt. &c.

m) Potus aquæ comm. & ſimplicis frigidæ etiam quatenus frigiditate ſua conſtringit orificium ventriculi, vulgare eſt remedium, diluens ſalia & ad ulteriorem actionem ineptum reddens. A cereviſiis verò crasſioribus ſæpe magis augetur Soda, hinc convenientior eſt potus aqueus. Subſtitui poſſunt infuſa calida, Thee &c. Novi tandem aquarum thermalium uſum profuiſſe incantamenti ad inſtar, incaſſum tentatis aliis.

n) Cretæ peculiaris vis contra Sodam adſcribitur, eſt enim abſorbens aciditatis & blande adſtringens, incommodum tamen hoc inde emergit, ut poſt ejus aſſumtionem largam adſtrictio alvi obſtinata ſuperveniat, quemadmodum aliorum terreorum mineralium. Ergo loco ejus abſorbentia ex animali regno adhibenda, quæ cum acido non in adſtringens, prout cum terreis mineralibus, ſed in ſalinum potius abeunt. Item Martialia, Croc. Mart. aper. eſſ. mart. cum ſucc. aperitiv. cum liqv. tar. tartariſ. Liqv. mart. ſol. egregium præcipitans & corrigens aciditates præternaturales. Item inviſcantia acidum & acre, ne tamen cum ſalſis in nidoroſam cruditatem abeant, non oleoſa & butyroſa, ſed mucaginoſa ſint illa inviſcantia v. g. ſuccus glycyrrh. coporiſton eſt inviſcans, ſua dulcedine ſe admodum commendans in Soda, it. Siliqua (Johannis-Brodt) modo genuinum non exſiccatum, non rancidum ſed recens ſit remedium.

o) *Conradus Khunrath. Medull. deſtill.* Maſtichen commendat, *Sennert. Prax.* grana thuris &c. vel album. ovor. tritum & in liquorem redactum, ac cum ſaccharo penid. aſſumtum, it. ol. oliv. cum ſaccharo in linctu aliquando novi expertum. Item parari poſſunt Trochiſci ſublingvales aut etiam morſuli ex ſucco glycyrrh. Tragac. cum terreis abſorbentibus, Martialibus &c.

quando ſtomachus non à ſiniſtro orificio verſus dextrum, ſed inverſo modo *p)* movetur, & quidem tanta cum vehementia, ut omnia contenta ejus per oeſophagum & os rejiciantur; aliquando tamen moleſtia ſolùm aliqua circa ſtomachum, cum ſalivæ collectione intra os, & deſiderium vomendi adeſt, dumque NAUSEA audit.

Nauſeæ deſcriptio.

Differentia. Differunt proinde VOMITUS & NAUSEA ſolùm gradu, hinc etiam utplurimum NAUSEA eſt prodromus VOMITUS.

Cauſa proxima. Cauſa utriusque affectus proxima in fibris ventriculi ac oeſophagi hæret, quæ præternaturali motu à pyloro verſus ſuperiora rapiuntur, prout id per avtopſiam annotavit in fele *Olaus Rudbeck. Obſ. 20.* & *Wepferus in Tr. de cicuta aquatica.*

Occaſionales Variæ ſunt occaſionales cauſæ hujus vitiati motus ſc. vel externæ vel internæ.

Externæ Externæ cauſæ ſunt circumgyratio *q)* navigatio, aſpectus alterius vomentis &c. à quibus omnibus irregularis motus ſpiritibus communicatur.

Internæ. Ex internis cauſis quædam hærent in ipſo ventriculo, quædam in aliis partibus, v. g. utero, inteſtinis, renibus, diaphragmate, capite &c. cum quibus ventriculus per nervos cohæret. Quæ immediatè in ventriculo habitant, dupliciter iterum irritant fibras ejus, ſcil. quatenus acria ſunt, ex qua cauſa vomitum provocant cruditates acidæ & bilioſæ, vomitoria, purgantia, item venena; vel quatenus quantitate nimia moleſtiam inducunt fibris dictis, quod contingit à copioſa aſſumtione cibi & potus, uti expituoſæ cruditatis abundantia.

Signa cauſarum. Signa harum cauſarum partim ex rejectis per vomitum, partim à loco ſimul dolente aliisque circumſtantiis habentur.

Cura. Curatur vomitus à cauſis externis ortus per quietem & ſedationem ſpirituum, pro quo ſcopo ſacculus crocatus externè ſaltem ventriculo appoſitus multum confert.

Si acrimonia verò fuerit in cauſa internè debent aſſumi, quæ corrigunt illam. Proinde in acida aſſumantur terra ſigillata, bol. armen. terra vitrioli, martialia, aliaque aliquoties commendata. In bilioſa præter terrea jam memorata acida quoque conducunt, è quibus in ſpecie ſeligantur Elix. vitrioli Mynſ. & alia aceta bezoardica.

In vomitu nimio ab emeticis purgantibus & venenis oleoſa ac pinguia, oleum amygdal. dulc. juscula pingvia &c. *in §. de Cardialgia* recenſita conveniunt, imprimis ſi opiata ac abſorbentia alia ſimul propinentur & extra quoq; emplaſtr. Theriacale, vel aliud anodynum applicetur.

Quod ſi verò à pituitoſis humoribus fuerit vomitus, aromata cum reliquis acribus & ſpirituoſis conducent, v. g. zedoaria, cinam. caryophyll. Præterea non inconſultum erit vomitorium propina-

---

p) Cauſa proxima in fibris ventriculi latet, nihilominus adjacentes partes ſæpe non inſontes ſunt, nec contradicunt ſibi M. N. C. *Dec. 2. A. 4.* & Wepferi allegata ſententia, dum ibi contractivus motus in ſtomacho non obſervatus fuit, ſed ſaltim convulſivus motus muſculorum abdominis imprimis rectorum.

q) Circumgyratio in uſu eſt Indis, qui ea vomitum ſibi provocare ſolent; De navigatione res notiſſima, in ſpecie orta tempeſtate, unde See-Kranckheit dicitur. Cujus cauſa nulla alia, quam inſveta corporis agitatio, unde infantes talem vomitum in navi non patiuntur, adſveti enim jam tum ſunt tali agitatione cunarum: Sunt qui cum *Pontano bellar. Attic. p. 524.* & aliis in ea ſunt opinione, exhalationes ſalinas ex mari exſurgentes nauſeam navigantibus concitare, adeoque vomitum non ſentiri, niſi oborta tempeſtate illæ inſurgant. Hinc expreſſe ait, quod, qui in fluvio navigant, hoc non experiantur; aſt falſum eſt, & refutatur ab *Olear. Itin. Perſic.* qui ſibi contrarium eveniſſe aſſerit, & potius ex inquietudine corporis à fluctibus excitata illum vomitum eſſe ortum, quemadmodum nonnulli etiam ex vectione in curru, ſi illi inadſveti ſint, facile vomitus incurrant. Mihi cauſa vomitus in navigantibus potiſſima videtur metus, excitatus ex oborta tempeſtate, quemadmodum in quibusdam ſubjectis ex ſola imminente tempeſtate, utut extra mare & navim conſtituantur, vomitus annotatur.

pinare, ut ſic onus ſtomachi rejiciatur, quo facto adſtringentia quoque fortiora ſubjungi poterunt, menth. cydonia, rad. tormentillæ, rob. ſorbi torminalis, alumen in ſubſtantia gr. vj.

Tandem qui per conſenſum *r*) ab aliis partibus excitatur, remedia vix admittit, niſi cauſa hærens in parte primario affecta removetur.

§. 6.

De

Cholera Humida.

Deſcriptio. Atrox hic morbus eſt ſummeque periculoſus; aſſiduis enim vomitionibus ac dejectionibus acribus ac bilioſis, cardialgia, torminibus ventris, ſiti inexplebili, ſudore frigido, pulſu parvo & frequente, animi deliquiis, tandemque convulſionibus totius corporis adeo defatigat ægrotantes, ut niſi citiſſimè illis ſuccurratur, brevi intereant omnes, aut ſaltem difficillimè ob exhauſtas vires reconvaleſcant.

Signa. Signa hujus affectus ex hiſtoria petenda ſunt.

Cauſa proxima. Cauſa eſt acrimonia humorum pravorum, quæ non modo utrumque orificium ventriculi & inteſtinorum fibras pungit ac irritat ad contractionem & motum præternaturalem, ſed etiam concomitantia ſymptomata producit, prout *ex §. de Cardialgia* videri poteſt.

Occaſionalis. Occaſionem huic enormi vomitui & diarrhœæ omnia alimenta dant acria, & quæ facilè in cruditates degenerant, item evacuantia fortiora & venena.

Cura. Cura eadem eſt, quæ vomitus; dilui enim poteſt acrimonia remediis aqueis *s*) ad imitationem *Borelli Cent. 2. Obſ. 27.* Quibus ſi bilioſi *t*) fuerint humores non ineptè combinantur acida. Conveniunt deinde & terrea, præprimis cryſtallus, vid. *Lang. in Epiſt. Medicin. Lib. 3. Cap. 1.* cum reliquis in *§. de vomitu* præſcriptis, pariter ac Martialia, in ſpecie adſtringentia, tinctura hæmat. & ſulphur vitrioli. Tandem opiata, tam internè quàm externè regioni ſtomachali appoſita, Plura *vid. in §. antecedente.*

§. 7.

De

Cholera Sicca.

Deſcriptio. Dicitur equidem & hic affectus CHOLERA impropriiſſime tamen; non enim ut in præcedenti, bilioſa per vomitum & ſeceſſum rejiciuntur, nec diris ejusmodi ſymptomatibus ſtipatus eſt; ſed ſolummodo ructus & flatus per ſuperiora & inferiora erumpunt, quibus tanquam ſymptomata accedunt rugitus in abdomine & inflatio ejus pariter ac ipſius ventriculi. Incurrit itaque hic morbus ſtatim in ſenſus nec indiget ullis ſignis.

Cauſa. Cauſa eſt reſolutio pituitæ *u*) facta, jam ab ipſis ſpiritibus, jam à calore externo, jam ab alimentis ſpirituoſis ac aromaticis.

Cura. In cura præter remedia carminativa ſupra in *§. de Cardialgia* recenſita clyſmata

---

r) Si per conſenſum morbus ex doloribus Anodyna omnem abſolvunt paginam cum ſuis ſpecificis remediis v. g. in Nephrit. calculum frangentibus, in colica carminantibus &c. quibus neglectis cuncta irrita.

s) *Muys in Podalirio redivivo p. 131.* potum Coffee commendat.

t) *Sibbaldus in Prodr. Hiſt. Nat. Scotiæ P. 2. p. 13.* betam conducere aſſerit cum aceto ſumtam.

u) Nil monſtri alit hæc veterum doctrina, quoniam chylus crudus nihil eſt aliud, quàm talis pituita. Interim in alimentis quandoque latet cauſa, ut potulentis non ſufficienter fermentatis, muſto, cerevifia recenti, fructibus horæis crudis, ut patet ex *Helmontii* experimento, qui pomum crudum in vitro bene clauſo, (Zucker-Glaß) aſſervabat, quod poſtmodum in partes ab aëre in pomo latitante diſſiliit. vid. *Stair. in Phyſiologia L. 19. p. 577. Sect. 3.* qui ad examen fructus pleroſque & vegetabilia vocavit, e. g. uvam groſſulariæ &c. Coffeé etiam flatus generat, præprimis ſi poſt ejus uſum frigori exponatur corpus. Cum ſucco ovorum formicar. artificialem choleram inſtituunt. Vid. *Panerol. P. 1. Obſ. 39.* qui ex eſu melonum, & *Borellus*, qui eſu cucumerum morbum hunc prognatum vidit.

ſmata *w*) quoque ex acribus plantis parata, uſurpanda ſunt, ut materia flatuum pituita ſcil. ſubducatur, viaque ſemper aperta ſervetur.

Caput VI.

De

INTESTINORUM MORBIS.

§. I.

De

Lienteria.

Deſcriptio. SEquuntur nunc inteſtinorum affectus, ubi primo loco LIENTERIA ſive ille alvi fluxus examinandus, in quo alimenta cuncta planè non, vel parum alterata per ſeceſſum iterum non raro cum torminibus ventris ſatis atrocibus egeruntur.

Cauſa proxima. Cauſa proxima eſt atonia orificii infer. ventriculi, unde fibræ ejus minus debitè ſe conſtringunt, aſſumtaque ad abſolutam usque digeſtionem detinent.

Occaſionales. Occaſionales cauſæ variæ ſunt, omnes tamen eò collimant, quod ſpiritus ab ipſis vel divertantur, vel deſtruantur, ſic animi pathemata graviora, ſtudium nimium, frigus *x*) externum, & mora in aqua frigida, item nimia potus aſſumtio, & apoſtemata ventriculi & apthæ hunc morbum producunt, prout conſtat ex *obſervationibus Deodati, Foreſti*, aliorumque.

Cura. Ad curam igitur requiruntur primo remedia analeptica & quæ ſpirituum defectum reſtituere poſſunt; item ſtomachica aromatica ſupra *cap. 2. §. 1.* & paſſim enarrata. Præ aliis tamen præſtantisſimum remedium eſt Cinam: vel in ſubſtantia adhibitum vel ſub tincturæ forma (cum ſpiritu formicarum acido parata) vel ejus aqua ſpirituoſa ſimplex aut cydoniata, & ex mentha præparata medicamenta elixir, conſerva &c. item vinum Hiſpanicum cum pane ſumtum, aut loco ejus ſpiritus vini, aqua vitæ mulierum, balſamus embryonum, ſpirituoſa aqua hyſſopi, ſpiritus maſtichinus compoſitus.

Secundo adſtringentia *y*) cydonia mala, terra ſigillat. cum acidis ſpiritibus & alumine exhibita, reliquaque quæ in paragrapho de vomitu videantur.

Tertio balſamica *z*) balſamus peruvianus

w) Sæpe ad ſuperiora pelluntur à clyſmatibus flatus, quo caſu prius vel ſola clyſmatis fiſtula intrudenda, aut magis patula cannula, ut hinc ſphincter relaxetur, poſtmodum verò ſtimulans & acre clyſma injiciatur; Imo cum ſymbolam ad ejectionem flatuum robur non tantum inteſtinorum, ſed etiam muſculorum abdominis addant, externis etiam ſuccurrendum, ſtimulantibus hos, eorumque robur reſtituentibus, quale quid præſtant Thermantica, v. g. lateres calentes impoſiti, item calefacientia potentialia acria & ſpirituoſa v. g. inungitur abdomen ſpiritu vini, aqua reg. Hungar. oleis deſtillatis &c. Si his non ſufficiens robur additur, non malè cingulum circumjicitur paulo arctius, novumque hinc robur partibus conciliatur.

x) *Vid. Kozac. tr. de Sale*, qui una hyeme plus mille Lienteria laborantes curavit, disjicit enim frigus ſpiritus, it. obſervavi ipſe ex mora in aqua frigida, item poſt præmaturam remotionem integumentorum hyemalium (Bruſt-Latz) tempore adhuc frigidiore exiſtente.

y) Syrup. rad. Ir. paluſtr. lut. S. olim frequenter in uſu erat *B. Langio* ſub tit. Nectaris adſtringentis; quo fœminam per 3. annos Lienteria correptam ſanavit, it. *Donat. ab Altomar. p. 317.* uvas immaturas pro ſcopo hoc adſtringendi & roborandi commendat. *Foreſt.* pellic. intern. ventriculorum gallinac. Myvam Cydon. *Hoffm. meth. med.* pro ſcopo roborandi, impr. etiam tincturam terræ Catechu, ſulphuris vitrioli, hæmatit. aut ejus infuſum in aqua.

z) Flos lactis pro potu, mel cum lacte datum, balſ. copaiva, opobalſam. de Tolu, præſertim ſi cum abſorbentibus, e. g. lap. cancr. ad imitationem *Pechey in appendice*

vianus, toletanus, copaiva &c. cum vitello ovorum ſubacta, quæ locum primum inveniunt in eroſionibus & apthis ſtomachi.

§. 2.

De

Fluxu Coeliaco.

Deſcriptio. Est & alius alvi fluxus, quando chylus vel purus vel cum alvinis excrementis permixtus per inferius guttur excernitur.

Diagnoſis. Signum diagnoſticum hujus morbi è fecibus alvinis deſumendum eſt, quas mulier clinica aut ægrotus ipſe, ſi vilioris fuerit conditionis inſpicere poteſt, & obſervare, an lacteo liquore fuerint confuſæ. Notanter dico, lacteo liquore debere eſſe confuſas; non enim ſtatim omnis candidus color fecum ſignum conſtituit fluxus chyloſi, cum talis etiam in ictero, fluxu alvi pituitoſo & dyſenteria ſuppurata conſpiciatur, qui tamen affectus diſtinctisſimi ſunt à fluxu cœliaco.

Cauſa proxima. Cauſa proxima eſt impeditus chyli tranſitus per vaſa lactea ad maſſam ſanguineam, ſive ille fiat ex ipſius chyli culpa, ſi nimium craſſus & textura conveniente privatus, ob bilis vitia, transcolari ſe non patitur, ſive ex tunicæ inteſtinorum villoſæ, ſive ex glandularum meſaraicarum obſtructione, perinde eſt. Utroque enim in caſu motus ordinarius chyli ſufflaminatur, & quidem in primo dum craſſities chylum ineptum reddit ad transcolationem; in altero vero, dum oſtiola vaſorum lacteorum oblinuntur, vel planè coaleſcunt & conſolidantur, quod vel à pituita viſcidoque humore, vel poſt dyſenteriam aut aliam inteſtinorum eroſionem contingit, qualia exempla referuntur à Practicis. In ſecundo caſu glandulæ obſtruuntur, vel à chylo, vel ab acido quodam coagulato, vel alia gypſea *a*) & tartarea materia, quas cauſas in tribus ſubjectis fluxu cœliaco enecatis ex diſſectione cadaverum annotavit *Diemerbrock. Anat. p. 67.*

Signa cauſarum. Signa cauſarum ex antecedentibus & ſymptomatibus concomitantibus facilè habentur. Pituitæ enim præſentia & obſtructio inde nata cognoſcitur ex borborygmis & inflatione abdominis, aliisque pituitoſæ cruditatis characteribus, occalleſcentia inteſtinorum ex præceſſa eroſione vel dyſenteria, glandularum meſaraicarum vitium ex ſcirrhoſa duriti.

Cura. In Cura ante omnia attendenda eſt cauſa proxima. Bilis igitur vitium corrigatur, deinde obſtructio oſtiolorum lacteorum reſeretur pituitam reſolventibus & acribus remediis, ut ſunt ſalia, ſalſa, ſal ammoniac. tartar. vitriolat. liqu. terræ fol. tart. tinct. tartar. antimonii, *b*) quorſum referendæ ſunt quoque plantæ ſtomachicæ ſic dictæ à veteribus calidæ, menth. abſinth. ruta &c. Et ſi nimia fuerit pituitæ abundantia, gummata acriora, ammon. & aloes, quæ præter vim incidendi ſimul alvum ſubducendi habent.

Quandocunque vitium eſt in glandulis meſeraicis, alcalia ejusdem virtutis cum præcedentibus ſeligenda ſunt, in ſpecie *c*) ſpiritus ſalis ammon. tartariſatus aliaque ſalia volatilia.

Tertio ſi à conſolidatis inteſtinis fuerit hic alvi fluxus, lethalis *d*) ille eſt, Deoque ac fato committendus. Ingenuè enim fateor, nullum mihi notum eſſe

---

Promptuarii Praxeos Medicæ, in maſſ. pilularum redigantur, vid. *Hoffm. Meth. med. Foreſt. Obſ. 27. 28. L. 22.* vitellum ovi, inſperſo prius ℥j. nuc. moſch. pulveriſatæ, ſupra tegulam ignitam aſſatum exhibuit.

a) Conferatur *Francke in Diſſertat. de Lapidicina Microcoſmi in Thorace, Heidelbergæ 1688. edita*, ubi exempla recenſentur.

b) Huc pertinet ſic dicta tinctura metallorum, quæ nil aliud eſt, quam tinctura nitri calcinati cum ſpiritu vini extracta; Eſſ. alcalina *Clauderi Tr. de Balſ. corp. human. c. 7. p. 206. 208.* deſcripta.

c) Liqv. C. C. ſuccinatus. ſpirit. carminat. de tribus.

d) *Alexander Benedictus in ſuis Obſer.* exemplum habet de virgine moniali, quæ poſt Dyſenteriam fluxu cœliaco ad mortem usque laborabat, in qua periſtoma villoſum callo obductum erat.

eſſe medicamenti genus, cujus beneficio oſtiola hæc iterum poſſunt aperiri.

§. 3.

De

DIARRHOEA.

Deſcriptio. TErtia hæc ſpecies eſt alvi fluxus, in quo ſolito crebrius nunc ſeroſa & merè aquea, nunc mucoſa & viſcida, nunc bilioſa, flava, viridia, æruginoſa, livida, nigra, variegata, valdè fœtida excernuntur. Convenit quidem omnibus hiſce alvi fluxibus generale nomen DIARRHOEÆ, qui tamen melioris diſtinctionis gratia cum Sylvio ab excrementis alvinis aliam vocaverit ſeroſam, aliam pituitoſam, & tertiam bilioſam, non malè agit. Nihilominus utut excretorum reſpectu diſtingui videantur, fluxus hi alvini, una tamen eademque omnibus eſt cauſa proxima, videlicet motus periſtalticus inteſtinorum. p. n. auctus. *Cauſa proxima.*

Antecedentes. Producitur verò ille vel ab acrimonia aliqua acida vel bilioſa vel ſalſa ſtimulante inteſtina ad rejectionem contentorum & glandulas inteſtinales ductumque biliarium ac pancreaticum, ut uberiores ſuccos bilioſos & lymphaticos fundant. Deinde quoque è dolore in ſpecie inteſtinorum & aliis ſpirituum commotionibus in animi pathem. terrore &c. excitatur ſimilis fluxus.

unde acrimonia? Acrimonia gignitur à variis cauſis externis, ab uſu fructuum horæorum vel potu muſti aut cereviſiæ feculentæ, item à pharmacis &c.

& Dolor inteſtinorum? Dolor inteſtinorum præterquam, quod ex iisdem cauſis, ſæpe etiam à ſolo frigore externo oritur, imo idem accidit & ab animi pathematibus, timore imprimis terrore ac ira.

Cura in acrimonia acida. Ad curam proinde diarrhoeæ, ſi acida acrimonia ſit in cauſa, requiruntur remedia abſorbentia, terra ſigill. bol. armen. hæmatit. crocus Martis adſtring. His præmiſſis ad alia fortius adſtringentia accedendum eſt, quæ ſupra jam fuerunt præſcripta, quibus fructus ſorbi torminalis immaturi, item acaciæ atq; corni accenſendi ſunt.

bilioſa. In bilioſa acrimonia eadem remedia uſurpantur, quæ tamen in ſalſa quodammodo mutari debent, ſic ut potius oleoſa ac mucilaginoſa *e)* ſeligantur, maſtiche v. g. & lac item vitellus ovorum, atque gumm. Arabic. flor. ſulphur.

Hiſce remediis cunctis ſi opiata aſſocientur, vix dici poteſt, quàm divina evadant remedia. Dolor enim brevi poſt ab ipſis ſiſtitur, eoque ſedato fluxus alvi ex quacunque cauſa oriundus ſupprimitur.

Si frigus in cauſa. Interim tamen ſi a frigiditate externa primum habuerit principium, lateres calefacti, item fotus ex ſpiritu vini aut frumenti, vel alia aromatica aut roborantia Stomachica ventri appoſita emolumento erunt egregio.

In ſpirituum commotione. Tandem quæ ex Spirituum commotionibus oritur Diarrhoea, ſtatim ſua ſponte deſinit, quàm primum per quietem motus ille irregularis ſublatus fuerit. *f)*

§. 4.

De

DYSENTERIA.

Deſcriptio. SUpereſt ille alvi fluxus in quo ſanguinolentæ primum feces cum ramentis inteſtinorum, poſt cruor ſincerus tandemque materia purulenta excernuntur.

Div. Duplicem hunc faciunt affectum Auto-

e) V. g. laudatur lac in quo ferrum candens intinctum, potu oliv. largiore Diarrhœas Epidemicas curatas novi, it. juxta *Hoffm.* gelat. Priap. Taur. Cerv. &c. Si hypercatharſis ſit, acrimonia temperanda, vel per oleoſa, juſcula pingvia carnium gallinac. oleum amygd. d. lac cum ovis, (Eyer-Suppen) & obtunditur & involvitur acrimonia.

f) Sæpe etiam, imprimis ſi copia humorum adſit, evacuantia conveniunt, quanquam incongruum videatur primo intuitu: aſt remota abundantia ceſſat etiam ſtimulus. Non tamen reſinoſa purgantia quadrant, quædam enim reſolvunt ſimul, quæ fugienda ſunt, hinc omnis generis reſinoſa & Mercurialia evitanda pro hac intentione, ſed ſaltim conveniunt, quæ blande laxando ſimul adſtringunt,

Autores, primum malignum dicunt, qui cum anxietate præcordiorum, ſumma virium proſtratione, ſævisſimis torminibus inteſtinorum, dolore vix effabili inter excernendum occurrente, anique procidentia conjungitur, quibus ſe aliquando febris, internarum partium inflammatio & ſingultus aſſociant. Alterum benignum vocant, quando in gradu mitiori magis adſunt quædam ex dictis ſymptomatibus.

Signum Pathognom.

Signum pathognomonicum ex cruentis ac purulentis fecibus conjunctis cum enarratis ſymtomatibus, in ſpecie torminibus ac dolore inteſtinorum habetur. Quod ſi enim ſymptomata illa non adſunt ſola ſangvinolenta & purulenta rejectio haud tutum ſignum DYSENTERIÆ conſtituit, cum ſanguineæ excretiones mutilatis plethoricis & hæmorrhoidum fluxu laborantibus ſint ſolennes & purulenta materia per metaſtaſin è phthiſicorum thorace non raro ad alvum feratur. *g*)

Cauſa.

Differentia Diarrhœæ & Dyſenteriæ.

Quoad cauſam parum differt dyſenteria à Diarrhœa, hinc etiam ſæpisſime hæc in illam mutatur. Si tamen differentia inter illas adhuc datur, eſt ea ratione acrimoniæ, quæ in præſenti affectu tanta eſt, ut tunicas etiam inteſtinorum arrodat ac laceret, atque ita ſanguinem ex illis eliciat. Alias communes prorſus antecedentes cauſas habent, ſcil. inſpiſſationem humorum ex radiorum ſolarium æſtu, quare non raro æſtivo tempore morbus iſte frequens obſervatur, præprimis tamen immoderata aſſumtio fructuum horæorum aptiſſima eſt ad generandam hanc acrimoniam, adeo ut non infrequenter autumnali tempore, ob aëris conſtitutionem etiam graſſetur epidemicè hic morbus.

Subjecta eroſionis.

Eroduntur verò ab hac acrimonia vel omnia in univerſum inteſtina, vel tenuia vel craſſa ſolùm. Si omnia, undiquaque in abdomine dolor & tormina, ſi tenuia, in regione umbilicali tantum, ſi craſſa in ſpecie Colon, in ambitu illa obſervantur.

Cura.

Cura conſiſtit in quadruplici puncto, primò, ut acrimonia deſtruatur, ſecundò dolor ſiſtatur, tertiò efluxus per diaphoretica vel adſtringentia corrigatur, & quartò, ut inteſtina eroſa conſolidentur. Abſolvitur verò primùm per CC. oſſa humana uſt. priapum ceti, cervi, tauri, epar ſerpent. unicorn. verum, raſur. cranii humani, ejusque uſneam, ungulam equinam, antimonium diaphor. quod in maligna epidemica ab *Hoffmanno in Clav. Pharmacevt. p. 303.* multum commendatum eſt *h*)

Secundum per anodyna, quorſum lac chalybeatum, butyr. non ſalitum, papaverina & in ſpecie opiata omnia pertinent.

Tertium per adſtringentia aliquoties ſupra ſuppeditata, è quibus tamen ſeligi debent terra ſigill. bol. armen. catechu, hæmatites, terra vitrioli dulc. rad. tormentill. & ſachar. Saturni.

Quartum per vulneraria & conſolidan-

---

in ſpecie Rhab. toſtum ſupra carbones & aloëtica, hæc enim poſt laxationem ſimul adſtringunt.

g) Si ſymptomata graviora abſint, minus periculoſa dyſenteria, ſecus contra. Nempe ſi præter tormina adſint anxietates præcordiorum cum virium proſtrationibus, ſi in inteſtinis ardor ſentiatur, ſi febris ſuperveniat, ſi dolor ſubitò ceſſet, peſſima ſigna ſunt. Pejora adhuc, ſi loco ſangvinis materia nigricans vel etiam ramenta ipſa inteſtinorum vel eorum tunicæ ejiciantur. Si artus tremiſcant & refrigerentur, licet cætera rectè ſe habeant, nullosque dolores ſentiant, peſſimum ſignum, tunc enim certo certius gangræna in ſphacelum abit, & brevi poſt mors ſequitur.

h) Cum acrimonia primaria cauſa, videndum an poſſit evacuari, aut ſaltem tempeſtive & ſine conturbatione educi, hinc non incongrua aliquando erunt ab initio vomitoria, præſertim benigna, ubi ſedes cauſæ morbificæ tantum in primis viis eſt, e. g. rad. ipecacuanha a. ℈ij. ad ʒj. aut juxta *Fabrum* ſalis vitrioli ℈j. item blanda laxativa, v. g. decoct. mann. cum cort. myrobal. citr. *M. N. C. Dec. 1. Ao. 8.* (Cave à laxantibus acribus, aliàs oleum igni affundes,) aut rhab. toſt. cum cort. myrob. citrin. vel Rec. fol. S. S. ſtip. ʒiij. rhab. toſt. myrobal. citr. ana. ʒij. coqv. in ſ. q. ▽ plant. colat. adde elect. diaphœn. ʒj. & F. potio, aliquoties alvum ſubducit, materiamque peccantem educit.

dantia, hederam terreſtrem, plantagin. ejusque ſemen, burſam paſtoris, hypericum, pyrolam, ſanicul. flor. lyſimach. purp. rad. ſymphyt. maj. &c. quæ decocta vel ſub potionum forma hauriri, vel pro Clyſmatibus cum aliis balſamicis, gumm. Arab. maſtiche, balſamo ſulphur. vel peruviano aut terebinthina uſurpari debent.

§. 5.

De

TENESMO.

SUbnecti hic affectus debuit præcedenti, quoniam non raro ejus ſoboles, & ex illo tanquam Parente naſcitur.

Teneſmus. Eſt autem TENESMUS cum dolore inteſtini recti conjuncta aſſidua, ſed inanis cacandi cupiditas; nihil ſiquidem aut perexiguum ſaltem mucoſi, bilioſi, cruenti vel parulenti humoris ejicitur, ſed ſolus ſæpe pruritus adeſt; quandoq; dolor eſt exquiſitus, & ſupervenit ani prolapſus, inflammatio, febris &c.

Cauſa proxima. Cauſa proxima eſt continua irritatio inteſtinorum ad contractivum motum.

Diviſio. Dividitur Tenesmus in legitimum & nothum.

In Teneſmum legitimum Legitimus eſt ſubinde conjunctus cum exulceratione inteſtini recti, agnoſcitque communiter pro cauſa acrem quendam humorem, inteſtinum rectum continuò vellicantem tandemque excoriantem. Sequitur hinc frequenter dyſenteriam & purgantia acria, imprimis ex colocynthide parata, adhibita, circa finem operationis. Aliquando tamen aſcarides inteſtinum rectum inhabitantes pruritum ejusmodi perpetuum excitant. Pæterea & ſola podicis refrigeratio ex aëre frigidiori incautius admiſſo, vel ab alia ſimili cauſa excitata, producere hunc legitimum Tenesmum poteſt. Sæpe ſola ariditas fecum diutius retentarum in cauſa eſt, contingens nunc vitio bilis, aut potulentorum defectu, vel craſſitie, nunc ex acido admixto, aut deficiente inteſtinorum motu periſtaltico propter congeſtionem pituitæ &c.

& Nothum. Nothus verò contingit, cum per conſenſum tantùm patitur inteſtinum, nec cruenta aut purulenta per ſeceſſum abeunt, quali morbo frequenter corripiuntur gravidæ, ex nimia uteri mole inteſtinum rectum premente, hanc deſidendi cupiditatem efficiente. Simili modo ex eodem conſenſu ſtranguria, calculus veſicæ collo impactus, vel ulcus ejus, aut ſaltem proſtatarum eroſio hunc affectum gignit.

Signa cauſarum. Signa cauſarum ſunt ſequentia: acrimonia ex dolore & eroſione cognoſcitur, item ex præceſſa Dyſenteria, medicamenti purgantis aut aliorum aſſumtione. De aſcaridibus ſuſpicari licet, ſi nulla dictarum cauſarum præceſſerit & nihilominus perpetua ſtimulatio, & morſus adeſt, quæ conjectura poſtmodum confirmatur, ſi vermes cum alvinis fecibus excernantur. Refrigeratio ex relatione ægrotantis aliisque circumſtantiis habetur. Ex uteri preſſione, qui ſit tenesmus, cognoſcitur ex geſtationis tempore, nam ultimis menſibus hæc cauſa potiſſimum locum habet, non æque prioribus. Qui verò ex veſicæ calculo oritur, ſignis ſuo loco tradendis manifeſtatur.

Cura. Cura cauſis accommodari debet. Sic humor acris per injecta clyſmata lenientia ex mercuriali herba, malva althea, fl. verbaſci lutei & tiliæ, chamomillæ &c. cum oleis *i*) infuſ. roſar. chamomelino, anethi, lilior. alb. hyperici &c. item ſevo hircino & ovor. vitellis parata, uti ſuppuratio per clysmata ex vulnerariis remediis Tereb. Balſ. Sulph. in Dyſenteria recenſitis facta corrigitur & conſolidatur.

Aſcarides clyſmatibus ſpecificis cum Mercurio vivo decoctis & ſaccharo dulcificatis, item ſuppoſitoriis ex caſeo Hollandico vel lardo aut ſebo hir-

i) Inter olea non adhibendum eſt oleum oleum olivarum, quia gaudet acrimonia acida, nam arrodit venerem & viridem reddit. Aut ſaltem quod ſupernatat aſſumatur pro uſu, ſi enim in loco calido ſervatur, recedit à ſe & craſſa pars fundum petit, purior ſupernatat adhibenda.

hircino extrahuntur, item Amylo Gumm. Tragac. Arab. &c.

Refrigeratio podicis per inſeſſum ſuper linteamina calida aut ſacculum chamomilla, fl. verbaſci aliisque repletum & calefactum curatur. *k*)

Qui verò ex conſenſu uteri *l*) & veſicæ eſt, non niſi excluſo fœtu ac calculo ſanatur. Interim tamen anodynis tractari debet æger.

§. 6.

De

HAEMORRHOIDIBUS.

Hæmorrhoides quousque cum Tenesmo conveniant. AFficiunt HAEMORRHOIDES pariter ac Tenesmus inteſtinum rectum, multumque præterea inter ſe conveniunt quoad dolorem & alia ſymptomata, adeo ut ſubinde in principio invaſionis Medicus etiam exercitatisſimus vix certò pronunciare posſit, quonam horum morborum laboret æger.

Diviſio. Duplex autem clasſis eſt illorum, tumentium ſcil. ac fluentium, quæ poſtmodum rurſus ſubdividuntur ratione loci affecti in externas ac internas. Tumentes alio nomine cœcæ ac furentes. Germ. die Maſt-Körner dictæ ſunt tumores vaſorum hœmorrhoidalium conjuncti cum doloribus plus minus acutis. Fluentes ſive apertæ, Germ. die güldene Adern vocantur, quando non modo inter excernendum ſanguis cum fecibus effluit, ſed etiam aliquando poſt ſcybalorum excluſionem hæmorrhagia illa perdurat.

Signa. Signa hæmorrhoidum ſunt manifeſta. Cœcæ externæ cognoſcuntur è tumoribus ſphincterem & marginem ani occupantibus, ſicuti internæ ex dolore dorſi juxta ductum inteſtini recti. Nec difficultas aliqua deprehenditur in fluentium dijudicatione, modo attendatur cruor unà cum fecibus, vel ſeorſim ex tumoribus externis propullulans.

Cauſa. Cauſa utriusque affectus modo vel Plethora eſt, in tumentibus ſtagnationem & inflammationem producens; in fluentibus verò per hiantes poros effluens, modo vel cacochymia aut acrimonia ſanguinis, quæ ſimili modo tumores, dolores & hœmorrhagias excitare valet.

Cauſarum ſigna paragraphi de Plethora & cacochymia ſuppeditabunt.

In cura cum duplex, ut ſupra dictum, hæmorrhoidum ſit ſpecies, de ſingulis ſeorſim agendum venit. *Cura.*

Quantum proinde cœcas attinet, diſcutiendæ ſunt illæ vel aperiendæ. *Cœcarum.* Primum obtinemus per venæ ſectionem & ſacrificationem, ſi à Plethora fuerint, aut per remedia cacochymiam corrigentia, qualia ſunt omnia Martialia, ubi illa tumorum extiterit cauſa. Prodeſt etiam pro hac intentione infuſum beccabungæ, chelidon min. naſturt. cochleariæ &c. in ſero lactis, aut decoctum ex ſenecionis herba, millefolio &c. paratum, inteſtinoque recto injectum, vel ſub fotus forma pro loci affecti diverſitate adhibitum.

Quoniam verò hujus affectus ſymptomata maximè urgentia dolor ſunt ac inflammatio, neceſſum eſt, his quoque opponantur medicamenta. Contra dolorem itaque inſerviunt rad. ſcrophulariæ, groſſulæ, herb. linariæ, boni heinrici, folia momordicæ, fl. verbaſci, ſambuc. papav. ſem. & fol. hyoſcyam. ſolani officinar. Contra inflammationem verò ſaturnina omnia, camphora, ſpir. vini. Laudantur præterea amuleta quædam in hac hæmorrhoidum claſſe, rad. ſc. ſcrophular. & fabariæ, quam ultimam ceu infallibile remedium *Wedelius proponit in M.N.C. A.2. Obſ.195.*

Quod ſi his remediis non diſcutiantur tumores, ad apertiones illorum accedere debet Medicus, quæ per folia ficus recentia attrita, ſuccum cyclaminis, aloen, colocynth. aliaque acria promtisſime perficitur. Omnibus fere hiſce aperientibus palmam præripiunt hirudines applicatæ tumoribus & ſca-

---

k) Si à refrigeratione vinum malvat: tanquam clyſma egregium injicitur.

l) In gravidis leniri & evitari aliquo modo poteſt, ſi ipſæ non ſupra dorſum, ſed in latere alterutro decumbant.

& ſcalpellum Chirurgicum. Notandum tamen in genere circa apertionem, non illam eſſe inſtituendam temere, ſed ſolùm quando ſubjecta fluxui huic aſſueta ſunt, vel ex aliis partibus ad has materia morbifica translata fuerit.

Fluentium. Hæc de tumentibus, ſequuntur fluentes, ad quarum curam apparatus ſequens requiritur, nempe ſi à plethora, venæ ſectio, ſi à ſeri copia, evacuantia, v. g. purgantia aliquoties reiterata, it. diaphoretica, è dente hippopotami vel caſtoris, & denique incraſſantia, ut ſunt lacticinia, gummi arabicum, maſtix, colophonia: nunc denique ubi adeſt vaſorum ſanguiferorum apertio adſtringentia *m*) ſunt imploranda, v. g. in internis tinctura hæmatit. aut ſulphur. Vitrioli clyſmatibus addita, & externis crepitus lupi, aut ſacculus Rulandi ex glandibus & foliis quercus cum aceto madefactus ſuperimpoſitus.

Qui amuletis delectantur, ex his quædam habent cingulum ex foliis hellebor. nigr. recentibus conquaſſatis ex commendatione *Hartmanni in Praxi Chymiatr.* vel polygonum ſub axillis geſtatum. vid. M. N. C. *A. 3. obſ. 22.*

§. 7.

De

ALVI SUPPRESSIONE.

EXplicatis alvi fluxibus & tumoribus ad illos ſpectantibus ſuccedunt vitia oppoſita alvi ſuppreſſio & Ileos.

Alvi Suppreſſio deſcribitur. ALVI SUPPRESSIO dicitur ille affectus, in quo excrementa alvina non debite deſtinato tempore deponuntur, ſed per aliquot dies non ſine moleſtia magna retinentur. Pertinet etiam ad hunc affectum ALVI SEGNITIES, cum non quidem ex toto obſtruitur, interea tamen tardius & tertia die demum vel quarta *n*) ſuccedit, ſummoque conatu ſolvitur. *it. Alvi ſegnities.* Dici hic affectus ad meliorem diſtinctionem ALVUS PIGRA vel SEGNIS germ. Hartleibigt/ poteſt, quemadmodum prior ALVUS CONSTRICTA, OBSTRUCTA &c. germ. Verſtopfft.

Cauſa ex duplici principio oritur, ſc. vel ex vitiatis fecibus, vel inteſtinis. *Cauſa* Ex vitiatis fecibus accidit, quando illæ juſtò plus exiccatæ aut induratæ, vel acerbo aut conſtringente humore imbutæ ſunt: ſicuti ex inteſtinorum culpa propter compreſſionem, inflammationem, ingreſſum mutuum, herniam, motum periſtalticum deficientem vel langvidum, vel paralyſin.

Occaſionem huic affectui præbent *Cauſa. Occaſionalis.* evacuatio nimia per purgantia, urinæ, ſudoris, lacrymarumve profuſio, inedia, parcior & craſſior potus aſſumtus, febres ardentes, ſangvinis craſſities, viſciditas humorum, malum hypochondriacum, pyra adſtringentia vel cydonia, meſpila aſſumta, geſtatio uteri & ſexcenta alia, à quibus inteſtina inflammantur, intorquentur, aliove modo læduntur.

Signa vitioſarum fecum ſemper ſunt *Signa.* obſcura, niſi lux aliqua ex antecedentibus cauſis, ſymptomatibus, borborygmis, dolore ardente &c. affulgeat, è quibus conjectura naſcatur de ſiccitate illarum vel auſteritate. Similis difficultas inſignis in cognoſcendo mutuo inteſtinorum ingreſſu deprehenditur, ſic ut ante intereant multi ex hac cauſa decumbentes, quàm illa exploretur. Compreſſio tamen ex uteri ſitu; inflammatio ex dolore ardente & febre utplurimum conjuncta; paralyſis ex inſenſibilitate utut remedia ſtimulantia & acria exhibita ſint, hernia per tumorem

m) Spiritus vini rectificatiſſimus cum goſſypio applicatus, aut oleum terebinth. calidum admotum cum linteamine, in momento fluxum ſiſtit.

n) Differunt gradu ſuppreſſio & ſegnities alvi vid. *Schenck. Obſ. L. 3. Panarol. Pent. 1. o. 1.* de viro 10. & 20. dierum ſpatio, imo ad tertium usque menſem alvi adſtrictione laborante. *Mœnichen. O. 5. Salmuth.* teſtatur ſe virum noſſe, tertia ſemper ſeptimana alvum deponentem, cum difficultate tamen maxima: plura exempla vide *Rhodiap. C. 2. o. 81. Salmuth. c. 3. um. 26. Donat. L. 4. c. 10. Panaroll. l. c.* ſupra ſesquianni ſpatium durantem ſuppreſſionem notavit *Salmuth. c. 2. o. 98.*

morem plus minus notabilem manifeſtantur.

Cura in fecum ſiccitate. Pro cura convenit in fecum ſiccitate potus largior ordinarius vel medicamentoſus, ſerum lactis *o*) cum ſaccharo, melle, manna, paſſulis, ficubus, prunis &c. ut fluidæ reddantur feces aridæ & quodammodo ſtimulentur inteſtina.

Auſteritate. In fecum ac humorum auſteritate idem potus largior ex dulcibus memoratis præſcriptus egregius eſt pro diluendis & edulcorandis ſalibus acribus. Conferunt præterea & oleoſa, lac tepid. aſſumtum cum Sal. ammon. vel oleo rapar. ſaccharatum ex commendatione *Hannemanni M.N.C. Ann. 4. Obſ 83.* pinguedo omenti arietini ex *Zacut. Luſitan. Pr. Hiſtor. Lib. ult. p. 628.* vel oleum amygd. dulc. aut olivar. item butyr. pro ſalium inviſcatione, item abſorbentia aciditatem iſtam oleum tart. p. d. *p*) tinct. tartari.

Interim non negligendus eſt clyſmatum uſus reiteratus ex jure carnium, vel emollientibus v. g. fol. malvæ, altheæ, parietariæ, branc. urſin. atriplicis, violariæ, rad. altheæ, lilior. albor. ſem. lini fœnugræci, pſylli cum oleis olivarum, violar. amygdal. dulc. litior. albor. lini &c. vel loco oleorum cum ſtimulo ſalino paratorum.

Motus periſtaltici defectu. In motus periſtaltici defectu uſurpentur purgantia, acriora in ſpecie, ut irritentur ab hisce fibræ inteſtinor. vel externè talia acriora applicentur, v. g. fel bubul. cum pulv. ſcammonii vel colocynthidos, aut rad. armoraciæ cum lactis cremore tepido umbilico impoſita. Promovet etiam hunc inteſtinorum motum refrigeratio corporis vel obambulatio nudis pedibus in pavimento lapideo, quo remedio *Braſſavola* Ducem Ferrarienſem triduana alvi conſtipatione laborantem brevi miraculoſe reſtituit. Cautè tamen hoc remedium adhibeatur.

Paralyſi inteſtinorum. Paralyſis inteſtinorum decocta & clyſmata poſtulat ſpecifica antiparalytica ex roremarin. ruta, ſalvia, lavendula, origan. ſerpill. ligno Quajaci. vid. *Conſil. 7. Laurentii.*

Reliquis cauſis, inflammationi ſc. herniæ, quomodo occurratur, quæri poteſt in §*is de Iliaca pasſione & Herniis.*

§. 8.

De ILEO ſive VOLVULO.

Deſcriptio. Conſtipatur quidem in hoc morbo ſimiliter ac in præcedenti alvus, multum tamen pertinacius perpetuisque præterea anxietatibus & acutisſimis doloribus inteſtinorum eſt ſtipatus, quos nauſea, ructus fœtidi, ſingultus, tandemque fecum alvinarum per ſuperiora rejectio excipiunt. Horrendus hic morbus eſt, & non raro lethalis, adeoque meritò à vulgo MISERERE MEI titulo ſalutatur.

Signum Pathognom. Signum pathognomicum Ilei in fieri alvi obſtructio eſt, cruciatibus ac torminibus exquiſitisſimis conjuncta; in ſtatu verò cum ructibus putridis nauſea ac ſcybalorum vomitu.

Cauſa. Pro cauſa habet nunc herniam nunc intusſuſceptionem, nunc contorſionem, nunc motum periſtalticum inverſum, nunc fecum duritiem.

Quibus ſignis ſingulæ cauſæ cognoſcantur, ex *præcedente* §o. liquet.

Cura. Cura dirigenda eſt ad cauſas: ſi ex hernia ſit morbus, reponi inteſtina debent in naturalem ſitum, inibique firmari prout id docebitur in ſubſequentibus.

In deſcenſu Ilei. Deſcenſus inteſtini in inteſtinum vel fit

o) Inter potulenta medicamentoſa imprimis laudandum ſerum lactis iis, qui fecum ſiccitate & auſteritate laborant, v. *Manichen. o. ſ.* egregium eſt remed. habet enim in ſe particulas ſalinas ſtimulantes ſalſas, quibus junguntur diluentia ſeroſa & aquea.

p) Alcalia fixa v. g. oleum tartar. per del. ſalis tartar. abſynth. &c. item juxta *Agric. comm. ad Popp.* tinctura tartari cunctaque tartarea, ob alcali agentia acidumque deſtruentia, jungi poſſunt. It. Martialia v. g. acidulæ, discontinuatur per eas ſpiſſitudo fecum, abſorbetur ab his acidum; poſſunt artificiales parari v. g. liquor Marti-ſolaris cum aqua dilutus. Omnia Martialia fiunt aperitiva, dum abſorbent, acidum, in Vitriolum enim degenerant, hincque ſtimulant,

fit ut pars inferior concludatur ſuperiori, vel contra, ut ſuperior intret inferiorem, qualia exempla tradunt *Schenckius Lib.3. Obſ. Blaſius Obſ. Med. 37. Peyerus de glandul. inteſtin. p.321. aliiq́;* quàm plurimi.

In primo caſu globuli plumbei aut aurei deglutiti ex conſilio *Paræi Lib.16. & Baricelli, Hortuli genial. p. 321. Helmontii. Tr. de flatibus §.31.* aperiunt feliciter duplicaturam, vel qui illos metuit, hauriat Mercurium vivum *q*) per corium expreſſum à ℔ß. ad ℔j. vel alteram, imò etiam iij ex ſvaſu citati jam *Paræi.*

Si pars ſuperior intravit inferiorem periculoſiſſimus eſt morbus, clysmate tamen ventoſo, vel folle in inteſtinum rectum immiſſo tentabimus retro pulſionem ſuſcepti inteſtini ad imitationem *Hippocr. de morbis* & *Amat. Luſitani Cent. 1. Obſ. ultima.*

Contorſione Ilei, Contorſionem inteſtini, qualem inſtar funis convolutam *Panarollus Pentec. 1. Obſ. 50.* vidit antiſpaſmodica juvant vel globuli plumbei & Mercurius aſſumtus ex ejusdem Autoris obſervatione.

Inflammatione Inteſtinorum. In inflammatione inteſtinorum venæ ſectio proderit in principio morbi largiter celebrata, interne ſimul adhibito nitro in ſubſtant. & aliis nitratis v. g. arcan. duplicat. in quibus præter vim reſolventem, refrigerantem & laxativam conjunctam habes, item Martialia, præprimis ubi in gangrænam abiit inflammatio.

Inverſo motu eorundem. Quando verò ex inteſtini motu inverſo feces per vomitum rejiciuntur, qualem obſervationem ex *Matthia de gradibus* recenſet *Sennertus Pr. m. 428. Fabr. Hildan. Obſ. Chirurg. c. 6. Obſ. 60.* adhibenda ſunt remedia Anodyna aut Antepileptica, tam externa, quàm interna, Opiata.

fæcum duritie. Tandem fecibus induratis remedia applicentur *§. antecedente* præſcripta, quo in caſu axungia ceti, vel cataplasma ex emollientibus vel omentum caſtrati animalis ventri dolenti ſuperimponi debet.

Quibus non proficientibus ad deglutionem globulorum plumbeorum, aut Mercurialium jam laudatorum remediorum adigendus eſt æger.

§. 9.

De

HERNIIS.

Equuntur nunc morbi inteſtinorum in ſitu, quando ſc. illa extra corpus prolabuntur in herniis & procidentia ani.

Homonymia. Non me latet, aliàs ſub nomine *Herniæ* non modo inteſtinorum, ſed etiam omenti prolapſum, imo & alios tumores in ventre, ingvine & ſcroto obortos Autoribus venire, ideoque etiam datâ hîc occaſione totam *Herniarum* hiſtoriam brevibus recenſebo.

Species herniarum tres Tres autem ſpecies ſunt *Herniæ* ratione loci affecti à ſe invicem diſtinctæ. Prima *Omphalocele* ſive hernia umbilicalis, altera *Bubonocele* ſive inguinalis, tertia *Oscheocele* ſive ſcrotalis dicitur: quibus non immeritò annumerari poteſt Hernia ex vulnere abdominis orta, cujus locus præciſe determinari non poteſt.

Subjectum affectum. Subjectum primario affectum eſt Peritonæum vel male conformatum, vel dilatatum aut ruptum.

Cauſa. Cauſa *r*) Herniarum variat, vel enim

---

q) Ante ejus aſſumtionem juſcula pingvia, lac, oleum olivarum exhibeantur, ut acrimonia cauſtica in primis viis hærens quodammodo involvatur. Mercurius quamdiu currens eſt, neutiquam, ut quidam putant, venenum eſt. conf. *Mœnichen. Obſ. 6.* Scorbuticis autem, in quibus præprimis peccat acidum, non facile dari debet, quia tunc fit corroſivus: conferatur in hanc rem elegans *Differt. de Iliaca paſsione Johan. Conrad. de Muralto. Baſileæ 1693. edita.* ubi plura egregia invenietis.

r) A reſpiratione inflammata, clamoribus, tibiarum inflatione, equitatione, nimio feces dejiciendi conatu, geſtatione aut elevatione ponderis gravioris, tuſſi ferina, vomitu enormi, coitu frequenti & ſtrenuo poſt cœnam largam, partu difficili.

nim inteſtina per peritonæum *s*) laxatum, aut ruptum prolapſa conſtituunt tumorem, vel omentum vel aqua, vel flatus, vel excreſcentia carnea, aut varicoſa circa teſtes enata. Ex hac cauſarum diverſitate diverſa nomina impoſita ſunt *Herniis*, ita, ut ex prima cauſa productus morbus *Enterocele* nominetur, ſive Hernia inteſtinalis, ſicuti ex altera *Epiplocele t*) ſive omentalis, aut alio nomine Zirbalis, ex tertia *Hydrocele* ſive aquoſa, ex quarta *Pnevmatocele*, ſive ventoſa, ex quinta *Sarcocele* ſive carnoſa, ex ſexta *Cirſocele* ſive varicoſa. Quod ſi verò concurrant plures cauſæ, compoſitus deinde gignitur affectus *Entero-epiplocele*, *Hydropnevmatocele*.

Diſtinctio à cauſis deſumta.

Signa.

Signa harum cauſarum ex tumoris attactu habentur, facile enim inteſtina ab omento, vel flatibus, aut aqua, item carnoſa teſticulorum ſubſtantia à varicibus, quæ teſticulo ſolum adhærent, dijudicari poterunt.

Cura Herniæ inteſtinalis.

In Cura Herniæ inteſtinalis (quæ tamen hodie agyrtis citius quàm Medicis committitur) duo attendi debent: Primò, ut in locum naturalem inteſtina reponantur; *u*) ſecundò, ut prohibeatur, ne rurſus excidant.

Primum manu artificioſa obtinetur, qua inteſtina blandè palpari ac tractari debent, donec cavitatem abdominis iterum ſubintrent: Aut emplaſtro magnetico arſenicali regioni lumbari appoſito, teſte *Hoffmanno in Methodo Med.* & *Clav. Pharm. Schroed.* Sed quoniam non raro flatus ac feces inteſtinis infarcti ſummo impedimento ſunt, quo minus feliciter repoſitio peragi poſſit neceſſum eſt, potionibus æque ac clyſmatibus & externis *w*) quoque remediis carminativis diſcuſſionem

s) Communiter duplicaturam peritonæi incuſant in hernia ſcrotali & ingvinali; Rectius tamen ſentit Aut. *Nuck. in Adenogr. p. 130.* ſc. à latere duplicaturæ hujus deſcenſum fieri, ubi diverticulum quoddam natura effinxit in ſequiore ſexu, in loco, ubi fimbriæ cornu uterini vel ligamentum rotundum ad ingvina adſcendit, & in potiori, ubi ſpermatica vaſa tranſeunt. Anguſtum hoc eſt in atrio, ita ut vix calamum ſcriptorium capiat, ſubtus tamen dilatatum cernitur, ſic ut digitus facile poſſit intrudi.

t) An autem Epiplocele in Ingvine & ſcroto contingere poſſit, negant non pauci ex eo, quod ſitus omenti huic non faveat, ſiquidem illud vix infra umbilicum ſe extendat. Aſt alius ſitus eſt in cadavere ſupra dorſum reclinato, alius ſitus omenti in homine erecto vivente, ibi enim retrahitur quidem, non tamen inde ad hoc concludere licet. Imo *Malach. Gaiger. tr. de Herniis* de Empirico refert, quod cum ſecare vellet Herniam ſcrotalem, reperit ſubſtantiam pingvem non convenientem cum aliis ſcrotalibus, quam cum materiam hujus tumoris eſſe putaſſet & reſecuiſſet, brevi demortuus æger, omentique dimidium reſciſſum deprehenſum fuerit.

u) In repoſitione manuali 1.) obſervari debet, ut tempore repoſitionis vacuus ſit ſtomachus inteſtinaque, alias feliciter repoſitio non ſuccedit. 2.) Situs conveniens corporis, fiet v. g. optime declivi pedibus paulo elevatis, aſt hunc ſitum non quivis v. g. obeſus feret, hinc *Monſr. le Quin.* Herniarius Pariſienſis *tr. de Herniis* (annexus eſt *obſervationibus Marchetti in Barbettam*,) alium excogitavit, vid. etiam *Blegnus. l. c.* 3.) exſpirare debet æger inter reponendum, ac deinde blanda manuum contrectatione retrudantur inteſtina, quod facilè contingit in umbilicali & ingvinali, difficulter in ſcrotali & ubi intra circulos illos tendineos muſculorum abdominis prolapſa ſunt, ſimulque partes illæ dilatatæ ſpaſmo laborant, quibus proſpiciendum, nempe flatibus & fecibus clyſmatibus ano injectis.

w) *Muys obſ. chir.* roh Garn in lacte coquit, & partibus hernioſis circumjicit, unde feces emolliuntur. Flatibus externè Carminantia opponuntur v. g. Decocta Sem. 4. calid. min. cum vino juxta Helmont. it. interne eadem conveniunt, nihilominus licet hæc remota fuerint, difficultas tamen adhuc emergit à tendinibus muſculorum abdominis repoſitionem impedientibus hinc ſæpe, etiamſi expertiſſimus ſit Chirurgus. Si ſpaſmo laborent, dolor urgeat & inflammatæ fuerint partes externe anodyna v. g. Murald. l. c. Eſſ. opii. c. bombace applicat; ſi enim dolor non ſedetur, nec ſedatur ſpaſmus. His non ſufficientibus ad Chirurgiam

ſionem flatuum & emollitionem fecum promoveamus.

Alterum obtinemus per emplaſtra adſtringentia *x*) ex ſanguine Draconis, ſarcocollæ, pulv. gallar. nucis cupreſſi, maſtiche, thure, gummi ceraſor. ſucc. conſolidæ majoris &c. & interna conſolidantia, perfoliatam plantag. herniariam, ſaniculam, jaceam alb. quinquefol.

Interim loco affixus hæreat æger per aliquot ſeptimanas ad minimum, aut non niſi ſubligaculo munitus incedat.

Cura Herniæ Omentalis. In Cura Herniæ Omentalis nihil novi occurrit, adhibeatur modo methodus medendi in Enterocele præſcripta.

Reliquas Herniarum curas in aliis §*is* invenies, nempe Hydrocelem ſub titulo Hydropis, Pnevmatocelem §*pho de Tympanite*, Sarco- & Cirſocelen de teſtium affectibus.

§. 10.

De

Ani Procidentia.

Deſcriptio. Qualis ſit præſens affectus, rubrica ſtatim §i explicat, nempe accidit quandoque, ut aliqua inteſtini recti pars inter cacandum ſimul egrediatur, nec abſoluto hoc negotio iterum intret, ſed propendeat extra podicem.

Cauſæ. Oritur hic morbus ex vitio muſculorum elevatorum ani atoniam aut paralyſin, vel à frigore externo, vel affluxu humoris viſcidi, ſeroſi aut acris, vel nimio conatu in fecum aut fœtus excluſione patientium. Igitur hyberno tempore, in puerulis, cachecticis, poſt purgantia aſſumta, vel dyſenteriam & teneſmum, ſectionē calculi, alvi ſegnitiem difficilemq; partum accidere ani exitus conſuevit. Quacunque v. ex cauſa occaſionali contigerit læſio muſculorum, ad duo tamen inprimis reſpici debet in cura, quæ ſimiliter ac præcedens affectus in repoſitione partim, partim inteſtini firmatione in loco naturali abſolvitur.

Cura per repoſitionem. Repoſitio citisſimè debet fieri, aliàs intumèſcit pars ptominens cū inflammatione in ſphacelū non raro abeunte. Præſtatur autem illa in principio ſtatim manu ipſius ægrotantis; accedentibus verò memoratis ſymptomatibus Chirurgi, qui digito linteo molli involuto elapſum inteſtinum retrudit, poſtquam ſcil. tumorem (ſi quis adeſt) lacte tepido, decocto chamomillæ, tanaceti, fl. ſambuci, ſem. anethi, aut vino calido &c. fovit, & illito oleo chamomelino, hyperici, anethino, fl. verbaſci, ſevo hircino &c. viam reddidit lubricam.

Firmationem. Firmatur poſthac anus remediis ſolis adſtringentibus gallar. pulvere, ſem. rutæ, fl. balauſtior. roſis rubr. myrtillis, nuce cupresſi, glandibus, rad. prunellæ &c. decoctis in aqua Martiata, aut vino & cum ſpongia aut linteo appoſitis vel ſub pulveris forma adſperſis.

& remotionem cauſarum inſtituenda. Fruſtra tamen omnis medicina applicatur, niſi ſimul occaſionali cauſæ remedia opponantur v. g. paralyſi & atoniæ muſculorum Antiparalytica & roborantia, pituitoſo ſanguini acria & incidentia, læſioni vulneraria, acrimoniæ corrigētia & anodyna quorſum in ſpecie ſuffitus *y*) ex maſtiche aut conis pini ex *Pauli Quadrip. Botan. p. 500. & Velſchii Mictom. Cent. 1. Obſ. 93.* & remedia in Teneſmo præſcripta referri debent. *z*)

Pro-

tranſeundum, atque diſſecandæ partes ſive tendines, ut via reddatur patula vid. *Murald. Job. Meckren &c.*

x) Empiricus aliquis pro arcano habebat Lythargyrium cum aceto coctum & cum Lint. circumjectum, roborat & adſtringit. Italus quidam externe adhibebat oleum Been infuſum cum roſmar. & Aſellis, adſtringit manifeſtè.

y) *Helwig* ex pice ſutor. & Tereb. ſuffitum parat. *Fontanus* Bdellium carbonibus injicit, Thus extollit *Hartmann.*

z) Si alvus redditur adſtricta per emollientia recludatur, v. g. Syr. de Spina Cervina &c. ne majori conatu deponi debeant feces: ſi pruritus ani ſuperveniat, aqua.

§. II.

De

TORMINIBUS VENTRIS, ILIACO ET COLICO DOLORE.

PRogredior ad affectus doloroſos inteſtinorum, qui ratione loci affecti diverſis nominibus veniunt. Etenim quando totus inteſtinorum canalis dolore vexatur, ita ut undiquaque in abdomine ille deprehendatur, generali titulo *Ventris Cruciatus*, Germ. Reiſſen im Leibe dicitur; quando verò Ileon tantum vel Colon inteſtinum patitur, *Iliacus* aut *Colicus* dolor audit.

Dolorum a parte afflicta diverſa denominatio.

Signa.

Signa proinde haud prolixa requiruntur ad morbum cognoſcendum, modo dolor & cruciatus in inteſtinis attendatur. In ſpecie tamen Iliacus ac Colicus dolor ex ſede & naturali horum inteſtinorum ſitu habetur.

Cauſa proxima.

Cauſa hujus mali eſt irritatio ſenſatæ inteſtinorum ſubſtantiæ, unde corrugatio & ſpaſmodica ejus affectio, aut alio tempore diſtenſio oritur, vel ab acrimonia *a*) humorum (quorſum & purgantia & venena referri debent) vel flatibus inteſtinis incluſis, vel convulſione illorum dependens.

Occaſionalis.

Occaſiones ſunt ſcybalorum congeſtiones, inflammatio & irritationes omnes; Cauſæ verò acrimoniæ & flatuum ſupra ſunt aliquoties expoſitæ, de convulſionibus igitur tantùm erit ſermo.

Non raro autem illa à vermibus, refrigerio *b*) corporis, vel conſenſu ex uteri & renum paſſione, aut ex podagra retropulſa accidit.

Symptomata

Symptomata: totius abdominis dolor, ita ut ne digiti attactum ferat, alvi conſtipatio, vomitus &c.

Signa cauſarum.

Signa cauſarum ex antecedentibus & dolorum natura depromuntur. Lancinans ſiquidem dolor eſt ab acrimonia excitatus, ſicuti ille, qui ex flatibus gignitur, diſtendens, & ex convulſione contorquens deprehenditur, quod ſignum manuum applicatione haberi poteſt.

Cura doloris ex acrimonia oriundi eadem eſt, quæ Cardialgiæ à ſimili acrimonia ortæ; nec alia remediorum gene-

---

a) Lancinant & ſtimulant cuncta acria, in quo autem eorum natura conſiſtat, controvertunt Naturæ conſulti; aliqui enim in qualitatum conſtitutione, caliditate ſcil. prævalente, quærunt, rectius recentiores effectum acrium à textura & particulis eorum pungentibus cuſpidatis &c. deducunt. Diſcrepant tamen acria rurſus, dum alia aculeos obtuſos, alia ſummè acutos obtinent, hinc pro hujus texturæ diverſitate diverſa quoque nomina gerunt. Quæ ſummè aculeata ſunt, dicuntur venena, quatenus breviſſimo temporis intervallo effectum ſuum producunt, hinc ut cauſam torminum ventris accuſamus rectè venena, mercur. ſubl. vitr. antimon. mercur. vitæ non ritè parat. butyr. antimon. arſenic. & huic affinia arſenical. ſandarac. arab. &c. qualia ſi vel conſulto vel caſu fuerint aſſumpta, tormina exquiſita, anxietates vomitus &c. producunt, imo ipſas inteſtinorum & ventriculi arroſiones. Econtra, quæ ex acribus aculeos obtuſiores habent, tormina quidem excitant, h. e. vellicant quidem & pungunt, non tamen adeo dilacerant, & talia ſunt cuncta ſalia, videatur *Lœuvvenhoeck*, qui ſingula examinavit per Microſcopia. Nihil autem refert, quo pacto in corpore nata ſint talia acria; ex diverſis plerumque oriuntur ſalibus aſſumptis, acidis, cereviſia acidula, vino acido, acetariis &c.

b) Ad acria pertinet etiam frigus externum, agit pariter non aliter, niſi pungendo, quod in tenerioribus ſubjectis hyeme videmus, ita ut res quaſi adurantur à frigore. Hinc à potu frigido aut admiſſo aëre frigido, potu glaciali tormina ventris & colica ſæpe notantur. Dein ab acrimonia non tantum irritantur, ſed verè etiam convelluntur inteſtina & conſtringuntur, alio tamen tempore convelluntur quoque per conſenſum, ab aliis ſc. partibus læſis, v.g. à bile vitioſa in Ictero tum ex obſtructione ductus choledochi quàm ex copioſiori bilis ad inteſtinum deſcenſu, ex calculo renumque affectu ſive uteri &c. ſemper conſtringuntur fibræ longitud. & circulares inteſtinorum. Denn es iſt als wenn ægris eine Hand im Leibe griff/ und wolte ihnen die Inteſtina heraus reiſſen. &c. Imo aliquando ex ſola Spirituum irregulari agitatione in animi pathematibus idem naſcitur, potiſſimum in ſubjectis debilioribus, hinc v.g. ex metu, ira &c. impetuoſè commoti t. t. ſpiritus, uti in

genera poſtulat, qui à flatibus provenit dolor, quàm quæ ſupra ſub titulo Carminantium commendata ſunt. His ſuperadde Clyſmata ex temperantibus acrimoniam & flatus diſcutientibus remediis aliquoties etiam jam præſcriptis, & ſufficientiſſimus tibi erit remediorum apparatus.

Conducunt etiam eadem remedia in convulſione ſi à cauſis prædictis illa fuerit; ubi verò ex conſenſu eſt, præſtant antepileptica ſpecifica, liqu. CC. ſuccinat. Eſſ. Caſtor. Unicornu, fl. ſulphur. Cinnab. Antimonii, præprimis ſi cum opiatis maritentur.

§. 12.

De

VERMIBUS.

Vermium figura varia. QVamvis nulla pars corporis noſtri immunis ſit à vermibus, prout id per obſervationes Autorum facili negotio comprobari poſſet, nihilominus præ reliquis omnibus ingratos illos hoſpites inteſtina experiuntur, utpote in quibus non modo in maxima copia, ſed etiam diverſi generis ac magnitudinis ſtabulantur: ſic ut alii lati, alii longi inſtar faſciarum qui Tæniæ dicuntur, alii cucurbitini, alii rotundi lumbrici, alias germ. Spuhlwürme vocati, alii cornuti, alii hirſuti, alii cum, alii ſine pedibus fuerint obſervati ab *Amat. Luſitan. Augenio, Foreſto, Hildano, Zacuto, Sennerto, Schenckio* aliisque. Ab *Symptomata.* omnibus tamen inteſtina lancinantur non ſine exquiſito dolore, quod in puerulis *c*) (quibus alias magis familiares ſunt, quàm adultis) pavor in ſomno, ejulatus, & non raro inſequens epilepſia teſtatur. Præterea quoque chylus omnis ab ipſis abſumitur, adeoque corpora infantum contabeſcunt, aut ſaltem cacochymica evadunt.

Cauſa. Cauſa generationis vermium olim caloris nativi defectui adſcribebatur, cujus vitio alimenta non in chylum, ſed in putridam & cœnoſam materiam potius converterentur, ex qua vermes poſtea provenirent. Recentioribus tamen generatio *d*) hæc ex vermium ſeminibus placet aſſumtis unà cum cibo potuve, prout hoc eruditè ſatis demonſtratum eſt *à Rhedi de Generatione Inſectorum. p. 302.*

Signa. Signa vermium varia quidem ſuppeditantur à Practicis pariter & aniculis v. g. pruritus narium continuus, oculorum pallor, alvi profluvium lientericum, faciei color jam cachecticus & pallidus, jam iterum roſeus, aquoſi humoris per os continuus effluxus, nauſea, ſitis, contabeſcentia poſt ſufficientem cibum aſſumtum, punctura & dolor roſivus ſive mordicans in inteſtinis, pavor ſomni tempore, ejulatus, lipothymia & epilepſia. Verum enim verò niſi collectivè hæc omnia ſumſeris, vix certò poteris vermes decernere; ut taceam ſymptomata hæc cuncta in aliis morbis, nullam affinitatem cum lumbricis habentibus occurrere. Attende igitur ſolùm dolorem vel ejulatum & pavorem in infantibus, in ſpecie inteſtinis vacuis aut ſine alia nota-

partibus externis ſuos irregulares motus edunt per artuum tremores &c. ita idem in inteſtinis quoque fit.

c) In infantibus magis obſervantur vermes, quia incautiores ſunt in aſſumendis alimentis repurgandis, dein calor in corporibus eorum magis quoque accomodatus eſt pro fovendis & excludendis ovulis inſectorum cum alimento aſſumptis. Taceam adultos tractu temporis in primis viis contrahere acorem admodum adverſum vermibus, cum potius dulcibus oblectentur pueruli.

d) Rectius recentiores ſtatuunt, negantes omnem æquivocam generationem, ſed omnem eſſe univocam dicentes, atque ex ſeminibus vermium ſemel excluſis, cumq; alimentis aſſumptis hinc in corpore pronaſci vermes, experimentis probavit *Redi Italus Nobilis Florentinus.* Ovula ſua ad ſubſtantiam putrilaginoſam inſtinctu naturæ deponunt inſecta tanquam magis diſpoſitam, quæque ipſis potius alimento eſt. Huic opinioni nihilominus *Ruyſch. o. 66.* contradicit: it. *Bonani tr. de viventibus, in non viventibus,* eò quod ovula non poſſint illæſa transferri ad alias partes per vaſa lactea, ut inde in cerebro, hepate &c. vermes deinde pronaſcan

notabili cauſa accidentem; vel fac periculum an vermium deliciæ, lac puta, ſaccharo edulcoratum dolorem & ſymptomata illa compeſcat. Præ omnibus tamen tutisſimum ſignum tibi dabunt vermes ipſi cum fecibus ejecti, qui vel ſponte vel per ſpecifica adhibita facili negotio expelluntur.

Cura. Curatio Lumbricorum in enecatione & exturbatione illorum conſiſtit.

Anthelmintica ſunt vel talia, quæ vermes ſatiant & nutriunt: hinc faciunt, ut à roſionibus abſtineāt vermes, ſed hæc remedia palliativa tantùm ſunt, & talia ſunt ſapida atque dulcia, in ſpecie ſaccharata, mellita, ficus, paſſulæ &c. lac. Hinc ſæpe incantamenti ad inſtar ceſſant ſymptomata, utut enim primo intuitu à dulcibus nutriri videantur vermes, tamen ſub eorum tegmine ſæpe adverſa propinare licet. Alia Anthelmintica ſunt, quæ vermes averſantur, v.g. amara Cent. min. Tanacet. Marrub. Agrimon. Scord. Ruta, Sabina, Rad. Zedoar. Coſtus, Aloe Myrrha, Cort. Aurant. Card. Bened. Crocus, Chin. Chin. quæ ſi per os adhibeantur & in clyſmate injiciantur, feliciter ſæpe vermes exturbantur; Alia porro ſunt quæ vermes enecant:

1.) Amara in delicatulis.
2.) Terrea CC. uſt. Ebur. uſt. Muſcus marin. Unic. mar. Corallin. Unic. foſſile, Martial.
3.) Salſa, Sal. mar. Sal. gemm. Sal comm. Alumen, ſal ammon. Tartar. Vitriol.
4.) Acida, Spir. Vitriol.
5.) Alcalia tam fixa quàm volatilia.
6.) Acria raphan. marin. allium, cepa. Spir. vini &c.
7.) Oleoſa & pingvia, oleum oliv. Amygd. Infuſa Hyſſopi, Abrotani Sclareæ, CC. Succin. &c.
8.) Svaveolentia, aqua fl. Namphæ ſive aurant. roſar. Ambra. Zibeth. Moſchus.
9.) Mercurialia.
10.) Aqu. Extinct. metallorum, aqu. fabrorum. aqu. Saturn.
11.) Pulvis lumbricorum.
12.) Purgantia, quæ ſimul evacuant, ut aloe, Mercur. dulc. potiſſimum & colocynthis.

Commendantur etiam pro hoc ſcopo cataplaſmata ex foliis perſici cum felle bubulo, colocynthide, myrrha, aloe &c. parata & umbilico impoſita.

§. 13.

De

TYMPANITE.

Doloroſis inteſtinorum affectibus non immerito & præſens accenſetur, relatus aliàs à practicis ob nimiam ventris intumeſcentiam ad hydropem ſub titulo hydropis flat. ſ. ventoſi, Germ. der Windſucht/ Hiſtoria ejus eſt ſequens: Diſtenduntur ſenſim ſenſimque ſtomachus & inteſtina cum abdomine, ita, ut non modo venter, in tympani magnitudinem attollatur, ſed etiam digito pulſatus ſonum ſimilem penè edat. *Deſcriptio.*

Præterea adſunt tormina & dolores circa umbilicum ſatis exquiſiti & contumaces, præcedunt enim ipſum morbum, tanquam prodromi ejus, & non niſi curato ipſo mitigari ſe patiuntur. *Symptomata*

Cauſa proxima eſt ſpaſmodica affectio omnium in abdomine contentarum partium. *Cauſa proxima.*

Cauſa remota aut ſæpe etiam productum *remota.*

---

tur; aſt verum tamen eſt, faciléque hoc contingit, dum illa admodum exigua ſunt & viſum penitus fugiunt, ut taceam terrea Medicamenta ſæpe periſtoma villoſum tranſire, cur non æque ejusmodi ovula. Urget ulterius, quod nullum inſectum extra corpus deprehendatur unquam, quod ſimile ſit vermibus in corpore natis, exemplo ſunt tæniæ latæ illæ (inſtar Zwirn-Band) 6. l. 8. ulnas longæ, quibus ſimilia inſecta nunquam videmus, aſt in noſtris terris talia inſecta non viſuntur, cur non cum aromaticis aliunde & ex peregrinis oris transferri poſſent, cum illa ſæpe carioſa deprehendantur? quod quantitatem vermium attinet, in cauſa ſunt alimenta, quæ hæc inſecta in corpore abundantiora inveniunt, hinc in majorem longitudinem & molem excreſcunt, tubus inſuper inteſtinorum his ſatis commodum habitaculum concedit. Tæniæ & Faſciæ & vermes in genere omnes non niſi poſt excluſionem eorum certè deprehenduntur & cognoſcuntur.

ctum ſunt flatus, hærentes non modo in inteſtinis, ſed & quandoque in ipſa abdominis cavitate. Quomodo verò & ex qua cauſa generatio illorum tanta in copia contingat, ſupra §. *de cholera ſicca* & aliis in locis traditum eſt; inquirendum igitur ſolùm erit, ex quâ cauſa retineantur in inteſtinis & abdomine. Paucis: in culpa eſt alvi ſuppreſſio ex variis cauſis *e*) orta, quæ videri poterunt §. 7. & 8. *hujus* capitis.

Signa cauſarum. Judicioſus itaque ſit Medicus & ſuppresſionis alvi cauſam eruat per ſigna in illis locis tradita, vel ex aliis circumſtantiis & tunc facili negotio curabit horrendum hunc morbum.

Cura. Nullis enim indiget aliis remediis, quàm quæ ſub titulo carminantium §*o*. 3. & 7. *Cap. V.* & pasſim ſunt commendata. Ex illis autem pro rei exigentia potiones, pulveres, clyſmata, caveat modo, ne in majori doſi, aut nimis cito antequam ſc. cauſa obſtructionis per incidentia lenitiva *f*) antiſpaſmodica &c. remota ſit, aut alimenta flatus generantia, qualia ſunt legumina & olera in diæta præſcribat vel admittat, aliàs hac ſua feſtinatione & negligentia certò certiùs in vitæ periculum injiciet ægrotantem.

§. 14.
De
MALO HYPOCHONDRIACO.

Morbus nomine caruit. Agmen claudat affectuum inteſtinalium præſens morbus ſpeciali nomine hactenus deſtitutus, niſi quod antiquis mizachialis affectus dictus ſit. *Symptomata.* Variis vero ſymptomatibus ſtipatus incedit, nec ſemper eandem faciem in omnibus ægrotantibus retinet. Interim tamen hoc malo affecti primariò de dolore quodam compresſivo & tenſivo in regione diaphragmatis, inflatione hypochondriorum comitantibus borborygmis atque rugitibus continuis. Præterea in nonnullis ructus è ventriculo erumpunt crebriores, jam acidi, jam inſipidi, jam bilioſi, cardialgia vexantur & vomitu, appetentia modo canina, modo iterum anorexia laborant, doloribus colicis & inteſtinorum contorquentibus ſæpius ſunt obnoxii, ardor obſervatur in inteſtinis, alvus pertinaciter ipſis eſt obſtructa, reſpirant difficulter, cor palpitat, caput dolet, phlogoſes patiuntur poſt paſtum & vertigino ſi ſunt, antequam cibum aſſumant, triſtes ſemper incedunt, & tandem melancholici fiunt.

Cauſa. Cauſa eſt acida & pituitoſa, rarius bilioſa cruditas ventriculo & inteſtinis inhærens, ex quibus tanquam ex ſcaturigine prima omnia recenſita ſymptomata promtè derivari poſſunt. Conſtat jam ex ſuperioribus, quomodo flatus gignantur ex pituita per acida ſoluta, quibus ſi admiſceatur bilis aut acrior, aut ſaltem glutinoſa, non parum valet augere malum. Nec mirum eſt in hypochondriis potisſimùm flatus ſupprimi, cum coli celluloſa ſtructura & incurvatio in ſiniſtro latere viam facilè ipſis intercipiat. Pariter ab acido illo & pituita ructus, cardialgia, vomitus, appetentia canina & anorexia, item dolores colici & alvi conſtipatio deducuntur, prout id ex paragraphis hos affectus exhibentibus conſtat. Porrò his partibus affectis, ſtatim connexæ aliæ corripiuntur; unde poſthac ſpirandi difficultas vel ex conſenſu cum ſuperiori orificio ventriculi, cordis palpitatio, phlogoſes aut vertigo etiam item

e) Singularem Tympanitis & Aſcitis cauſam in auriga obſervavi, nempe ova in aceto frixa Halis largiori in copia aſſumpta, unde adſtrictio alvi ſatis pertinax emergebat, quam inſequebatur inflatio abdominis ac poſt 20. demum dies ejiciebantur ova adhuc integra adhibitis clyſteribus & tunc potuiſſet morbus curari; aſt quia jam tum nimium diſtenta erant inteſtina, vaſaque lactea & lymphatica rupta fatis æger ceſſit. Aliæ cauſæ notantur *M. N. C. D. 2. a. 1. o. 81. v. g.* veſicularum generatio in inteſtinis, à diſruptis fortean vaſis lymphaticis it. *M. N. C. Dec. 1. A. 2. p. 140.* ulcus ani fiſtuloſum alvum ſupprimens, tandemque ex diuturna collectione fecum tympanitidem cauſans.

f) Cuncta enim carminativa magis nocent, niſi via patula prius reddita fuerit. Hinc

item capitis dolor proveniunt, quàvis & ultima hæc ſymptomata ab acrimonia bilioſa ad ſangvinis maſſam delata originem ſumere poſſunt. Tandem triſtitia, anxietas ſumma & melancholia eandem agnoſcit aciditatem maſſæ ſangvineæ communicatam.

Cauſa occaſionalis. Occaſionem *g*) hisce cruditatibus varia equidem in ſpecie dyſpepta & acida alimenta, item potus craſſior ac feculentior ſubminiſtrant, præ omnibus tamen vita ſedentaria & lucubrationes, quæ ſcil. ſpiritus à digeſtione avocant, corpusque enervant per continuas vigilias & ut inter ſedendum inteſtina comprimantur cauſæ exiſtunt.

Cura. Ad curandum hunc morbum duo remediorum genera requiruntur, primò alterantia deinde evacuantia. *h*)

Ad priora pertinent acidum abſorbentia, pituitam incidentia & bilem corrigentia. Remedia jam ſatis ſupra ſunt expoſita, adeoque ſolùm requiritur, ut omnia exhibeantur methodicè & cum judicio, nec animum dejiciat æger. aut Medicus, ſi malum hoc contumaciſſimum *i*) non tollatur ſubitò.

CAPUT VII.

De

VITIIS SANGUINIS IN QUALITATE ET QUANTITATE.

§. I.

De

HYDROPE.

POſtulaſſet nunc Methodus ex Phyſiologia hactenus in Praxi obſervata caput de læſa diſtributione chyli per vaſa lactea, verùm cum nulla mihi hujus generis cognita ſint, præterquam ex coalitione oſtiolorum poſt dyſenteriam, aut obſtroctione per pituitam aut chylum congrumatum vel tan-

ſemper alvus ſit libera. In *M. N. C. Dec. 2. A. 10.* laudatur Electuarium Spagyricum ſive ex ſalinis concretis, potiſſimum arcano dupl. quod vim habet incidendi pituitam, alvumque ſubducendi, ad cujus exemplum alia parari poſſunt. Hoc facto ad carminativa, aromatica, ſalina, ſalſa, acida &c. confugiendum, cunctaque quæ vellicando inteſtina agunt. it. Externa quoque ungvent Mart. de Alth. de Bacc. Laur. ſpir. vini & Eſſentiæ ex Carm. paratæ poſſunt adhiberi, ut robur etiam accedat partibus externis item vincula & ligaturæ exterius circumjectæ ſatis ſuccurrunt. Symptomata in ſpecie dolores quod attinet, prudentiſſimè hic procedendum, utut enim aliàs opiata in doloribus optima, hic tamen temere vix danda, langvorem enim inducunt; & non niſi cum ſtimulantibus in extrema neceſſitate danda. Si dilacerata fuerint vaſa lymphatica & lactea, non poſſunt non flatus in inteſtinis hactenus concluſi in abdominis cavitatem dimitti, hinc nullum ſupereſt conſilium quàm ut, niſi ſponte natura rumpat; partes eas aperiamus. Aliquando enim Hernia umbilicalis à natura laudabiliter producitur ſ. Pnevmatocele, quæ ſæpè etiam rumpitur, & hinc liberantur ab hoc malo ægroti. vid. *Helvvig. obſ. Phyſ. Med. 89. in Schol. Schrœckii.* ubi varios Autores allegat. Ni ſpontanea diſruptio ſequatur per paracenteſin abdominis via paretur, flatusque educantur; quo remedio tamen properandum; ſi enim intumeſcentia nimia fuerit, poſt Paracenteſin ſæpè hoc modo adminiſtratam reſpiratio læditur ad mortem usque, aut ſaltim ne omnis ſubſtantia concluſa una vice emittatur ſvadeo.

g) Abſtinentia à potu in ſexu ſequiori.

h) Blandiora non probo, imprimis Aloëtica, quia adſtrictionem alvi poſt ſe relinqvunt, & quantum per ejusmodi evacuans educitur, tantum rurſus per adſtrictionem ſubſequentem cumulatur. Aliquando tamen acida cruditas purgantia etiam fortiſſima penitus caſtrat, aut tormina enormia excitat, hinc illa non niſi ſaturato jam ſufficienter acido propinanda ſunt, quamdiu enim aciditates ad-

tandem diſruptione lactearum nata; placuit caput hoc omittere, quoniam vitia ex primis duabus cauſis oriunda jam ſub cœliaci affectus tractatione fuere memorata & ultima in præſenti §. de Hydrope occurrat.

Deſcriptio. Eſt verò *Hydrops* vi nominis intumeſcentia p.n. vel totius corporis, vel partis ſaltem alicujus ab aquoſa humiditate principium ducens. *Diviſio.* Dividitur in Univerſalem & Particularem: Univerſalis eſt, quando univerſum, Particularis, quando ſaltem pars aliqua aquoſo liquore tumet. Datur verò Particularis Hydrops in capite ſub nomine Hydrocephali, in abdomine ſub Aſcitis titulo, occurrit etiam in thorace, in utero, in ſcroto nomine Hydrocele, tuba Fallopiana: intra peritonæi duplicaturam & muſculos abdominis: in pedibus etiam, quorum nomina exprimuntur nominata ſimul parte affecta.

Cauſa proxima. Cauſa ejus eſt abundantia particularum ſeroſarum in ſanguine, vel impeditus fluxus ſeri per lymphatica vaſa, modo obſtructa, modò planè diſrupta.

Antecedentes. Cauſæ antec. ſunt: 1.) impeditæ excretiones ſudoris & urinæ, copioſioris potus ingeſtiones, compotationes nocturnæ, 2.) Coagulationes ſanguinis & ſeri, ejusque motus retrogradus impeditus, ab acidis, frigore, ſpiritu vini &c. 3.) rupturæ à contuſione, caſu ab alto &c. factæ in renibus, ureteribus, vaſis lymphat. &c. 4.) viſcerum indurationes & mutationes in textura, quorſum tonus languens viſcerum, ex hæmorrhagia larga ſuppreſſa, etiam pertinet.

Symptomata. Symptomata: laſſitudo, ſitis, difficultas ſpirandi, anxietas, inflatio, tuſſis ſicca, vigiliæ, alvi adſtrictio, urinæ ſuppreſſio, abſceſſus &c.

Cura in abundanti ſeri. Cura Hydropis ex prima cauſa evacuatione ſeroſitatis ſuperfluæ perficitur. Conveniunt itaque primo purgantia in ſpecie hydragoga dicta, Syrup. de ſpina cervina, reſin. Jalapp. gumm. guttæ. ſuccus ireos noſtr. cryſtalli lunares, *k)* vel tandem Mercurius vitæ, qui in hydropicis catharticum evadit remedium.

Secundò Diuretica v.g. Sal ononidis, geniſtæ, juniperi, Spir. ſal. ammon. tartari, Lumbric. terreſtr. ocul. cancr. teſtæ ovor. milleped. vincetoxicum, petroſelin. bacc. juniperi, alkekeng.

Tertio Diaphoretica, quorſum ſalia volatilia cuncta ſpectant pariter ac ſulphurea fixa ex Antimonio, item decocta lignorum Saſſafr. Guajaci &c. *in Actis Haffn. Vol. 1. p. 146.* experta & ex aliis ſudoriferis, ſcord. card. bened. millefol. puleg. &c. parata.

Quodſi evacuantibus hiſce non omnibus aquoſitas removeatur, ſed in cavitatibus adhuc remaneat, ad Chirurgiam accedendum eſt, & per paracenteſin *l)* ex abdomine, thorace aut ſcroto, vel inciſionem capitis reſiduum ſucceſſive extrahi poteſt. *Diæta.* De cætero ad curam hujus affectus multum confert diæta conveniens & abſtinentia à potu nimio, quâ ſola ruſticum ab Hydrope curatum eſſe refert *Deodatus Obſ. Medic. p. 146.*

Cura in obſtructione, In Hydrope ab altera cauſa incidentia *m)* & ſub catalogo Diureticorum ac diaphoreticorum in præſenti §o recen-

---

ſunt, tamdiu vehementiſſima quoque purgantia non agunt, ſed tunc temporis ſaltim blandiſſima & quæ fermentando potius aperiunt, adhibenda, v. g. ex paſſulis, polypod. ficubus &c. quæ tandem humores inviſcant, & fermentatione ſua ad ejectionem diſponunt.

i) Ne perverſa diæta magis contumax reddatur, vitentur olera, fr. horæi; acida, angvilla & reliqua viſcida, vinum Rhenanum; admitti autem poteſt Francicum.

k) *Conf. Angel. Sala, & Boyle de uſu Philoſoph. Experim.*

l) Cave ne in Paracenteſi adornanda una vice educas omne ſerum, muſculi enim abdominis hactenus diſtenti concidentes ſuffocationem inducunt.

m) In obſtructione pertinaci à quibusdam laudatur ſalivatio mercurialis & ſæpè cum felici ſucceſſu adminiſtrata eſt. In caſu neceſſitatis enim extremum tentandum eſt, præbetque Mercurius egregium incidens, acidum domans atque infringens ſimulque educens medicamentum.

cenſita convenientiſſima erunt, in ſpecie evacuantibus inſimul adhibitis.

in ruptione vaſorum.

Ex tertia claſſe ſcil. ex ruptione ductus thoracici aut lacteorum Hydrops ortus deſperatus eſt; vix enim per medicamenta vulneraria, vaſcula hæc tenerrima conſolidari ſe iterum patiuntur.

§. 2.

De

CACHEXIA, LEUCOPHLEGMATIA & TUMORE PEDUM OEDEMATOSO.

ALterum jam ſequitur ſangvinis vitium, quando viſcidis humoribus abundat,

Signa.

Signum hujus vitii in principio vix habetur, antequam per anheloſam reſpirationem conjunctam intumeſcentia, vel totius corporis habitus vel in ſpecie tantùm faciei ſe prodat, ita ut color vividus ac floridus in pallidum, lividum ac plumbeum mutetur.

Cacochymia quid denotet?

Generali equidem *Cacochymiæ* nomine ſalutatur præſens ſanguinis vitium cum præcedenti abundantia particularum aquoſarum, ſed nihilominus ſpeciali appellatione pro diverſitate loci affecti & intumeſcentiæ ipſius inſignitur ab Autoribus. Quandocunque enim tumor aliqualis in corpore cum diſcoloratione faciei notatur, ſub nomine *Cachexiæ* venit; ſed cum tumor ille non modo totum corpus occupat, & præterea ſplendet, ac poſt impresſionem digitorum veſtigium aliquod relinquit tum *Anaſarca* ſive *Leucophlegmatia*, germanice getunſen/ geſchwollen/ appellatur. Quodſi ejusdem naturæ intumeſcentia in pedibus tantum apparet *Pedum tumor Oedematoſus*, in aliis verò partibus *Tumor Phlegmaticus* dicitur.

Cachexia.

Anaſarca.

Tumor œdematoſus & phlegmaticus.

Cauſa proxima

Cauſa horum affectuum proxima, uti ex præmisſis jam innoteſcit, pituitoſus eſt humor ſanguinis, ſtagnans, vel in poris totius corporis, vel alicujus ſaltem partis. Lividus autem color vel plumbeus faciei cachecticorum debetur admixtis inſimul bilioſis aut aliis corruptis humoribus, de quibus pluribus §. *de Ictero.*

Unde faciei color plumbeus.

Cauſæ antecedentes.

Cauſæ antecedentes ac occaſionales hujus ſanguinis vitii ſunt omnia, quæ lædunt chylificationem, adeoque primò alimenta viſcida & glutinoſa in majore quantitate à juvenibus aſſumta, materiam ſuggerunt pituitæ, deinde cuncta, quæ ſpiritus diſtrahunt à munere chylificationis: idem præſtant lucubrationes, ſtudium nimium, Veneris abuſus, mœror, amor, terror, cunctaque animi pathemata immoderata, ſomnus poſt paſtum &c. Porro quoque vitia viſcerum ac aliarum partium ad cachexiam & Leucophlegmatiam concurrunt, ut occaſionales cauſæ, v. g. ulcera partium internarum, præprimis pulmonum, dum vel purulenta materia ſangvinis colorem roſeum inquinat, aut varias obſtructiones in corpore gignit, vel quatenus ex læſo hoc organo exaltatio ſangvinis in pulmonibus perficienda impeditur.

Cura in Cachexia ex vitio primarum viarum.

Cura pro diverſitate antecedentium cauſarum variat. Quando enim primæ viæ ſunt in culpa, præ omnibus medicamentum vomitorium, vel purgans requiritur, ut repurgatis ſic ſordibus chylificatio ordinaria iterum ſuccedere poſſit. Poſtmodum in maſſa ſangvinea ac partibus ſtagnans pituita facili negotio per appropriata reſolventia & diaphoretica remedia (qualia ſunt rad. ari, armoraciæ, vince toxic. cichorii, helenii, zedoar. galang. herb. Centaur. min. Card. bened. abſinth. rorismar. menth. rutæ, ſalv. naſturt. cochlear. ſaturej. thymi, puleg. meliſſ. hyſſop. Rhapontic. dauci, origan. & alia aromatica ac ſalina volatilia *n*) aliquoties in antecedentibus contra hanc cruditatem exhibita) eliminatur.

Pituitæ ſtagnantis.

ob Spirituum defectum.

Poterunt quoque his, ubi Spirituum defectus fuerit occaſionalis cauſa, ſpirituoſa *o*) addi, qualia ſunt aqua meliſſ. cum vino, cinamom. &c. imò ipſe ſpiritus

---

n) De ſale volatile viperarum & reliquorum uſu ab aliis unicè commendato, videatur *Diſſert. de Elephantiaſi Javæ nova Mentzelii Francof. 1603. edita Theſ. 18.* cujus epicriſis huc maximè quadrat.

o) Solus ſpiritus vini juxta Ridlin. *o. 4.* inter cœnandum & prandendum adhibitus

tus vini ac ambra ad imitationem *Quercetani pharm. reſtit. p. 381. & Ridlini Obſ. medic. 4.*

Acidum. Conferunt in Cachexia Martialia, præprimis in illa ſpecie, quæ conjunctam habet acrimoniam acidam, nam & illa remedia cruditatem pituitoſam reſolvunt, quatenus præ aliis acidum hoc peregrinum abſorbent.

Cura tumoris particularis. Servari præſcripta methodus etiam poteſt in particulari tumore pedum, aliarumque partium, ſaltem ut externa remedia ſimul adhibeantur, e.g. fol. bardanæ viridia ſuris pedum circumligata aut pedum plantis ſuppoſita, item ſal commun. eodem modo uſurpatum.

Cura Cachexiæ ex ulcere viſcerum. Verum alia remedia poſtulat Cachexia ex ulcere pulmonum aut aliarum partium internarum oriunda, nec enim vomitoria aut aromatica, aut alia ſalinatum locum habent, ſed potius conſolidantia & vulneraria, ſicuti hoc docebitur. §. *de Phthiſi.*

Cautio in Praxi obſervanda. Tandem circa Curam Cachexiæ in genere hanc attendat cautelam Medicus, ne remediis fortioribus illam aggrediatur, ſed in quantum poſſibile leniſſimis, citius enim obtinebit intentionem ſuam, præpr. ſi debitam diætam inſimul obſervet æger.

§. 3.
De
ICTERO.

Meretur hic affectus locum proximum poſt cachexiam, quoniam ſimili modo ac in illa facies ac totum corpus fœdo colore tingitur; qui jam flavus ac aureus, jam obſcurus ac nigricans eſt, adeoque pro diverſitate diſcolorationis *Icterus* flavus & niger appellatur.

Icterus duplex.

Signa. Signa hujus affectus in oculum ſtatim incurrunt, dum in illo colore flavo primum oculorum album, deinde etiam facies totumque demum corpus ſuperinducitur.

Differentia Cachexiæ & Icteri quomodo noſcatur. Quoniam verò lividus color in cachecticis quibusdam quoque occurrit, ne hunc affectum pro illo habeas, inſpici præterea poteſt urina, quæ certiſſimum & infallibile tibi ſuppeditabit ſignum: videlicet rubet urina ictericorum intenſe cum flavedine aliqua, ſæpe etiam nigredine, & linteum in ea madefactum croceâ tincturâ inquinatur.

Cauſa. Producitur verò icterus à duplici bilis vitio. Primò quando illa abundat in corpore & ſic penitus non alterata cum chylo ad ſangvinem totumq; corporis habitum transfertur. Secundò quando ob ductum à lapillis aut pituita obſtructum, non ad inteſtina fluit, ſed præternaturali via ad M. S. regurgitat. Tertiò & venena quædam aſſumta aut aſpidis morſus diſcolorationem talem gignunt, quatenus humores ſangvinis corrumpunt, & in colliquamentum bilioſum convertunt.

Signa cauſarum. Signa cauſarum ex bilis vitio oriundarum alvinæ feces potisſimum docent, quæ in abundantia bilis naturalem & croceum plus minus colorem, conſiſtentiamque fluidam præ ſe ferunt: è contra verò in obſtructione ductus choledochi arida plerumque ſunt ſcybala & cineritii coloris, vel albicantia inſtar albi græci: alioquin in hoc caſu conqueruntur etiam ægroti de dolore ſummo in dextro hypochondrio *p*) Quandocunque verò à veneno hauſto aut virulento morſu Icterus eſt, ex ſubitanea invaſione ejus, item cardialgia, animi deliquiis aliisque atrocibus ſymptomatibus, aut ex relatione patientis vel adſtantium facile cauſam Medicus intelliget.

Cognita ſic cauſa hac methodo cura aggredienda eſt.

Cura in abundantia bilis. Si abundantia bilis adeſt, vomitorium

---

cachexiam tollere poteſt, præprimis quando langvent fibræ motrices ſtomachales.

p) Porro Icterici ejusmodi obſtructione ductus choledochi à calculo laborantes utplur. dolorem in hypochondrio dextro ſentiunt, ſiquidem ductus choledochus admodum ſenſatus eſt, utpote totus nerveus, qui dolor minor eſt, ſi obſtructio ſolùm à muco viſcido, & major, ſi à compacto calculo. Et ſi talis dolor notatus in ægris fuit, infallibiliter fere de calculo. fellis veſiculæ concludere licuit, ita,

um aliquod antimoniale vel purgans cholagogum ex rhabarb. ſcammon. reſin. vel aloe (quibus non inconvenienter ſalina abſtergentia adjunguntur) præmittendum; poſtmodum ad alterantia bilem, potiſſimum tamen ſudorifera progreſſus faciendus eſt.

Inter alterantia meritò primas tenet Mars, & ex illo parata, quod bilis viſciditatem, vel admixtum illi acidum præcipitent: ſeqvuntur deinde calculi human. & de felle bovis, lap. cancr. unicorn. pulv. milleped. vel lumbric. terreſtr. rad. quinque aperientes maj. & min. fragaria, fl. geniſtæ, hyperici ſem. cannab. ſapo &c.

In diaphoreticor. claſſe locantur Antimonium diaphoret. in ſpecie Martiale, lap. bezoard. ſalia omnia volatilia & ex regno vegetab. rad. vincetoxici, ſem. aquilegiæ, item balneum aquæ dulc.

obſtructione ductus biliarii. Ubi verò icterus ex obſtructione ductus biliarii, materia obſtructionis reſolvenda eſt per acria remedia ex regno vegetabili deprompta, qualia ſunt *q*) fumar. chryſanthemum *r*) cent. maj. abſinth. marub. alb. agrimon. chelidoiū muſc. quercinus, rad. filicis, ſcorzoneræ cichorii &c. vel ſalina ſalſa æquè ac volatilia urinoſa, ſpir. carminat. de tribus, lumbric. terreſtr. milleped. CC. Eſſentiſ. Sal ammon. &c.

Venenis. Tandem ſi à veneno proveniat morbus ſpecifica venenis competentia præſcribi debent, de quibus forſan alibi.

§. 4.
De SCORBUTO.

PErgo nunc ad quartam dyſcraſiæ ſangvinis claſſem quæ complectitur morbos ex acrimonia ejus p.n. ortos. Hos inter primas jure meritoque tenet *Scorbutus*, utpote è quo tanquam radice reliqui omnes propullulant, vimque ſuam ac robur ſortiuntur. Faciem hujus affectus quod attinet, impoſſibile eſt, illam accuratè depingere; tam varias enim formas aſſumit, ut nullus pene affectus detur in tota praxi, ſub cujus pallio non quandoque perſonam ſuam agat. *Scorbutivaria facies.* Dabo itaque ſolummodo catalogum potiſſimorum in ſcorbuto occurrentium ſymptomatum, quanquam quod præmonendum eſt, non omnia in omnibus ægrotis, ſed pro diverſitate ſubjecti vel cauſæ, aut ipſius etiam morbi ſtatus maxima differentia inter ſymptomata deprehendatur. *Symptomata.* In principio enim hujus mali vix de ulla moleſtia conqueruntur ægroti, præterquam quod laſſitudinem aliqualem vel pruritum levem in cute percipiant. In augmento verò ac ſtatu accedunt cephalalgia plus minus pertinax, phlogoſes, hæmorrhagiæ narium aut uteri enormes, dolores lancinantes non modò circa regionem dorſalem, ſed etiam in ipſis inteſtinis, tibiis, aliisque partibus externis & internis, & hi non raró in paralyſin, contracturam & contabeſcentiam vel totius corporis vel partis ſaltem terminantur. Præterea anxietas præcordiorum adeſt ſumma, quam lipothymia vel convulſivi affectus in viris & hyſtericæ paſſiones in ſexu ſequiori excipiunt.

Tandem & gingivæ experiuntur tyrannidem hujus morbi, dum ſangvinem vix attactæ ubertim plorant & brevi eroduntur & putreſcunt cum ſummo oris fœtore. Nec corporis peripheria immunis eſt, inquinatur ſiqui-

---

ut quando ſolenniter feces alvinas diligentius perſcrutari juſſi, tunc quoque lapilli reperti fuerint jam ſatis duri atque compacti jam verò paulo molliores.

q) *Liſter.* in Ictero pro deſtruendi ſcopo aliquamdiu colorem Indicum in infuſo adhibuit, unde ſemper urina viridis reddita fuit, hinc concludit, ſubſtantialiter Indicum colorem ad M. ſangv. abiiſſe, ſiquidem ex flavo & cœruleo colore ſemper viridis naſcitur.

r) E. g. Chryſanthemum &c. *M. N. C. Dec. 1. a. 3. o. 290.* Muſcus Quernus in cereviſ. ſecundaria coctus, ſi per 13. dies cochlear unum vel alterum adhibeatur, laudatur. it. Salia fixa & lixivioſa item ſalſa, tartarea. liquor terræ fol. tartari, ſal arcan. &c. *Augenius* Gummi ſal ammoniacum laudat, it. ſaponem venet. ℥j. cum lactis bu-

ſiquidem illa maculis quàm plurimis, præſertim circa tibias & brachia rubicundis, lividis aut violaceo colore conſpicuis: vel loco harum exanthemata erumpunt varia & ulcera cacoethea & gangrænam minitantia.

Signa. Signa præſentis affectus ſuppeditant quidem recenſita modo ſymptomata, ſi concurrant in ægro, ſed quoniam maxima pars illorum etiam aliis morbis ſociatur, cogitare debet Medicus de firmo & infallibili charactere, quem potiſſimum habebit ex doloribus lancinantibus vagis, gingivarum cruentatione & eroſione, ſalſedine ſalivæ, maculis prædictis & tandem ex urinæ inſpectione, quæ aurei coloris, ſabuloque ſimul rubro vel albo referta eſt.

Cauſa proxima. Cauſa peſſimi hujus mali acrimonia præternaturalis ſangvinis eſt, jam ſalſa, potiſſimum tamen acido-ſalſa, quæ reſolvendo, vellicando & erodendo enarrata ſymptomata unicè producit.

Occaſionalis & Antecedens. Naſcitur hæc acrimonia, primo ex ipſo aëris vitio, hinc ex Europæis Belgæ & maris Baltici accolæ & navigantes, item qui loca paludoſa inhabitant, epidemicè ſcorbuto vexantur: Secundo per alimenta multum ſalita (ut ſunt carnes muria conditæ & fumô induratæ, haleces) acrimonia communicatur, & hac ex cauſa Saxoniæ inferiori magis frequens eſt, quàm aliis regionibus ſcorbutus. Propagatur porrò idem hoc malum cum ſaliva per nutrices ad infantes, dum pulmentum in ore prius volutatum tenellulis præbent.

Cura. In Cura *s*) ad acrimoniam hanc corrigendam intentio prima dirigenda eſt (cujus natura ex primarum viarum cruditatibus vel ſalivæ ſapore facile cognoſci poteſt:) ſed nihilominus optimo conſilio inſimul palliativis remediis proſpicitur ſymptomatibus maximè urgentibus.

Acrimonia verò hæc ſcorbutica, ſi acidum peccat, corrigitur martialibus terreis, mercurialibus, urinoſis & acribus remediis. In prima claſſe C. C. uſt. ocul. cancr. bolus alba &c. excellunt; in altera ſpir. ſal. ammon. urinæ, lumbricor. terreſtr. in tertia potiora ſunt cochlearia, naſturtii omne genus, ſedum, vermicul. perſicaria acris, piperitis, flammula, rad. raphan. ruſt. ſem. ſinapi, erucæ. His ſuccedunt bellis minor pratenſis, beccabunga, trifolium aquatic. chelidonium minus. Deinde & aquea conducunt, quatenus diluunt ſalia iſta peregrina & ſecum per urinarias vias abripiunt. Hinc potus cereviſiæ tenuioris aut loco ejus aquæ ſimplicis vel thermalis admodum proficuus eſt ſcorbuticis.

Proſunt hæc aquea egregie quoque in acrimonia ſalſa eandem ob rationem, interim nec contemnenda ſunt oleoſa ac ſulphurea *t*) qualia ſunt lac ca-

---

buli ℥ijs aliquot infundunt & decoctum propinant. Salia volatilia omnibus palmam præripiunt, in maj. doſi exhibita.

s) In cura eò dirigenda eſt indicatio, ut abundantia ſalia vel removeantur, vel ad actionem inepta reddantur; vix quidem evacuari poſſunt ſive per purgantia ſive diaphor. rem aggrediaris; niſi magis inſpiſſare velis illa. Ex evacuantibus tamen Diuretica imprimis ſalia abundantia educunt, quia hæc via etiam naturaliter ſalibus evacuandis ſervit. Inter diuretica tamen magna eſt differentia; quædam enim ſunt diuretica, quatenus diluunt, quædam quatenus ſtimulant. Hic quidem, quæ ſalinæ texturæ ſunt diuretica, non quadrant, ſed potius diluentia, utpote quæ ſalia ſuſcipiunt & per urinarias vias educunt. Deinde laudantur etiam quæ viſcoſitatem ſangvinis reſolvendo id præſtant, qualia ſunt veg. Antiſcorbutica κατ᾽ ἐξοχὴν dicta, vias urinarias apertas ſervando humoresque diſponendo, ut facilius per eas vias ferantur. Non tamen in omni ſcorbuto conveniunt, non enim in ſalſa acrimonia, ſed in acido-ſalſa ſaltem: aquea tamen præ reliquis laudanda, omnis ſcil. generis diluentia, & quæ virtute diuretica ſimul gaudent, e.g. ſerum lactis ob ſalſam vim in eo latentem, item potus dilutus, aquæ ſimpl. calidè aſſumptus.

t) Gelatinoſa & inviſcantia lac, ſtrobili pini agentia ratione glutinoſ. ſalia involventis

caprin. vaccin. ſtrobili pini, gelatin. C.C. acebor. glycyrrhiza. *u*)

Symptomatum ſedatio. Deinceps ſymptomata quod concernit, ſciendum eſt, phlogoſin & ſanguinis orgaſmum item cephalalgiam & hæmorrhagias exin oriundas commodiſſimè per ſanguinis miſſionem & per refrigerantia nitrum pur. arcan. duplic. vel ſpirit. acidos vitrioli, Sulphur. &c. ſucc. acetoſ. & citri cum ſero lactis refrenari poſſe, ſicuti dolores, convulſivi affectus &c. per opiata: anxietates, lipothymia, paralyſis gingivarum, putredo per remedia aliàs uſitata & appropriata.

§. 5.
De Affectibus Catarrhalibus.

Poſt Scorbuti tractationem primum damus locum affectibus *Catarrhalibus*, quoniam vix ullus è toto morborum ordine propius ad naturam ejus ſuccedit, arctiorique conſanguinitatis vinculo conjunctus eſt.

Diſtinctio Catarrhi in calidum & frigidum. Duplicem verò ſpeciem horum affectuum jam olim non modo agnovit antiquitas, quorum alteram calidam, alteram frigidam, à cauſa & ſymptomatum natura appellarunt. Sed illam quoque recentiores adhuc, quamvis mutatis nominibus retinent. Veterem ſiquidem catarrhum calidum, catarrhum acrem, frigidum aut pituitoſum dicunt.

Deſcriptio calidi. Catarrhi calidi & acres æſtu potiſſimum & doloribus lancinantibus hinc & inde in corpore vagis ſeſe manifeſtant, & propterea etiam ab aliis Autoribus Arthritidis vagæ ſcorbuticæ, Germ. der fliegenden oder lauffenden Gicht/ vel modeſtiori magis titulo *Dolorum* puta *Scorbuticorum*, der ſcharffen und hitzigen Flüſſe ſalutantur. *& Frigidi.* Illi verò, qui pituitoſi vel frigidi, Germ. kalte Flüſſe vocantur, in principio invaſionis torporem ac laſſitudinem aliqualem doloremque capitis gravativum, it. horrorem potiſſimum in regione lumbari inducunt, quibus ſe poſtmodum vel febricula impr. circa veſperam, vel tumores œdemat. & dolores aſſociant, quæ tamen ultima Symptomata non adeo exquiſita vel vaga ſunt, ut in acri catarrho.

Signa, & De ſignis horum affectuum haud ſollicitus erit Medicus, modo dolorem æſtumque interdum conjunctum ad acrium catarrhorum dignotionem, laſſitudines verò reliquaq; ſymptomata jam enarrata circa veſperam ſingulis diebus ſe exacerbantia in frigidis catarrhis attendat.

Cauſa utriusque. Cauſa *w*) utriusque affectus acrimonia eſt ſanguinis, jam ſola in acribus catarrhis, jam ſub tegmine vel ſeri vel pituitæ latitans. Notanter dixi ſub ſeri vel pituitæ latitans, pro diverſitate enim hujus involucri diſtinctio notabilis deprehenditur inter illos, prout hoc in exemplo Coryzæ ſuo loco demonſtrabitur.

Cura. Ad curam catarrhorum acrium peculiaris medicamentorum apparatus haud requiritur diſtinctus ab illo, qui in præcedenti §o. contra Scorbutum ſuppeditabatur. Dirigat proin ſolùm Medicus intentionem primariam, ſic ſuo officio ægrotantisque voto egregie ſatisfaciet.

Nec frigidi catarrhi & ex his κατ᾽ ἐξοχὴν craſi novam medendi methodum exigunt à cura pituitoſæ cruditatis vel cachexiæ diſtinctam. Omnia enim ſub catalogo incidentium & diaphoreticorum in illis morbis commendata in præſenti affectu conveniunt. In ſpecie ſi majoran. ſerpill. lign. ſaſſafr. juniperi,

---

it. ipſum pini lignum hoc nomine rem. egregium antiſcorbuticum eſt, item gelatinæ Ebor. C. C. aliæque ex extremit. & cap. animalium paratæ, quorſum gluten vulgare, Ichthyocolla, album. ovor. pertinet, it. ipſa glycyrrhiza.

u) Evporiſton eſt ſuccus expreſſus ex tritici recentis ſummitatibus (aus der Schrappe im Frühling.)

w) Catarrhi ſeroſi cauſa remota nunc eſt aër frigidus & humidus, nunc potulentorum, præprimis vini, copioſa ingurgitatio. Süſſe machen Flüſſe/ imo ipſa aëris frigiditas coagulando ſerum, nec non conſtipando poros cutis adeoque tranſpirationem intercipiendo multum contribuit; tandem & alimenta gelatinoſa copioſius hauſta ſymbolam addunt.

peri, rad. caryophyllatæ & cortic. tamariſci aſſocientur. In altera ſpecie catarrho nempe tenui poſt evacuantia x) incraſſantia potius locum habent, v. g. maſtiche, ſtyrax calamita ſuccin. fl. Sulphur. rad. Chinæ Sarſaparill. & alia in ſpecialibus caſibus in poſterum exhibenda.

§. 6.

De

ARTHRITIDE Ejusque SPECIEBUS PODAGRA, GONAGRA, CHIRAGRA, ISCHIADICO ET SCAPULARUM DOLORE.

Arthritidis variæ ſpecies. ARthritici, ſive quod idem eſt, doloroſi articulorum affectus ſequuntur nunc in ordine. Vocantur aliàs Germ. die Gicht/vel Reiſſen in Gliedern/variæque ſunt ejus ſpecies, diverſis ſemper nominibus (à loci affecti appellatione deſumtis) inſignitæ. Sic dolorem in pedibus circa digitos, calcaneum reliquasque plantæ juncturas *Podagram* das Zipperle; in Genu *Gonogram*, in manibus *Chiragram*, in oſſis coxendicis articulatione *Iſchiadicum Malum*, in ſcapulis *Scapularum Dolorem* & ſic porro nuncuparunt.

Signum Pathognom. Signum pathognomicum Arthritidis & congenerum affectuum, quo etiam a ſcorbuticis aliisque doloribus facilè diſtingui poterunt, dolor eſt inter articulationes hærens, quem tumor excipit, nunc ruber & æſtuans, nunc verò pallidus minusque ardens, ſemper tamen cum morboſa partis impotentia movendi conjunctus. Quod ſi morbus inveteratus fuerit, nodi ac tophi circa articulationes exſurgunt, vel gypſea & calciformis materia ex ipſis juncturis ulcuſculis ibi apertis emanat, aut citra exulcerationem ad unguium marginem tartari dentium ad inſtar excreſcit.

Cauſa. Cauſa horum dolorum eadem eſt, quæ Scorbuti, nempe acrimonia ſanguinis. Quod autem tumorem habeat comitem modo rubrum & æſtuantem, modò pallidum minusque ardentem, fit ex culpa vel ſeri diluentis vel pituitæ incruſtantis acrimoniam. *Ratio tumoris*

& motus difficilis. Motus veró impotentia tumori conjuncta à ſpaſmo eſt producta, ſicuti tophi ac nodi, it. gypſea ac tartarea materia circa juncturas collecta copioſisſimis terreis particulis, una cum ſalinis & acribus ad ſanguinem & articulationes translatis originem debet.

Cauſæ occaſionales. Occaſionales cauſæ generandæ arthritidis ſunt potisſimum diſpoſitio hæreditaria, deinde luxatio aut alia læſio vel debilitatio partis y) in corpore prædiſpoſito, hoc eſt ſcorbutico. Tertiò alimenta tartarea quorſum præprimis vinum vel aqua ejusmodi particulis inturgeſcens referenda, & hinc in Tranſylvania, Moravia & Auſtria endemie grasſantur articulares morbi. At verò ubi ſemel depoſita eſt hæc materia peccaminoſa ad juncturas partis cujusdam, irritare & exacerbare illam multùm poſſunt non acida tantùm & acria intus ſumta, ſed etiam animi pathemata, ſpiritus vehementer commoventia uti ſunt excandeſcentia, Veneris abuſus, terror ſubitaneus.

Cura acrimoniæ Cura præſentium affectuum fundamentalis, ſi recentes adhuc fuerint, ex hujus capitis præcedentibus *§is. 2. 4. & 5.* peti & huc transferri debet. Ubi verò ſemel radices firmas egerunt, extirpare penitus illos velle, res erit temporis, laboris & patientiæ multæ. Sufficit propterea ad corrigendam acrimoniam z) exhibere oſſa microcoſmi calcinata vel cineres talpæ cum ſali-

x) In Catarrhis ad ſeri abundantiam evacuantia requiruntur vel per habitum corporis ſcil. per diaphoretica nunc ſola acria & exagitantia, impr. ſi ex pororum obſtructione naſcantur catarrhi &c. humores vel per alias vias, nunc per diuretica & laxantia, it. ſi partes ex ſeroſa alluvie langveant, alia emunctoria ſolicitanda v. g. ut per errhina, apophlegmatiſmos &c. eliciatur ſerum, aut tandem per fonticulos (ſi nempe chronici fuerint catarrhi &c.) veſicatoria, ſetacea &c.

y) Saltatores citius fiunt Podagrici quàm gladiatores conf. *Panaroll. obſer.* nam atonia articulationum plurimum confert; debilitantur enim ligamenta.

z) Si cruditates in primis viis hærent, reliqua medicamenta nihil præſtabunt, niſi prius adhibueris evacuans aliquod. Hinc quidam, accedente paroxyſmo, ſemper aſ-

ſalibus fixis & tinctura tartari, item ſalia volatilia C.C. ſpir. ſalis ammon, lumbricor. terreſtr. tartari volatilem, aut lac vel viſcum quercin. aliaque.

Doloris. Verum enim verò quoniam dolor ſymptoma præ omnibus maximè urgens eſt, primario ille demulcendus erit diſcutientibus & anodynis, è quibus decoctum ſarſaparillæ & rad. chinæ, herb. chamædryos, capri folii, cortic. populi alb. rad. lappæ maj. eminent cum opiatis aut aliis anodynis, ni circumſtantiæ illa disſvadeant, uſurpatum. Hunc in finem quoque externè oleum lilior. alb. hyperic. lumbricor. terreſtr. pingvedo urſi, vulpis, humana, canina, anſerina &c. adhibentur, vel folia hyoſcyami, herbæ paridis, ebuli papav. cicutæ & ex regno animali ſtercus vaccinum.

Admitti hæc anodyna externa poſſunt pro ſcopo refrigerandi tumorem æſtuantem, felicius tamen illa intentio obtinetur per cataplaſma ex lentibus paluſtribus, vel ſemperviv. maj. lactuca, plantag. caſeo recenti (Qvarck) albumine ovi cum tantillo aluminis mixto, ſpermate ranarum aut applicatione ſpir. vini camphorat. vel cum butyr. antimonii digeſti.

Tumoris pituitoſi. Si autem tumor pituitoſus fuerit, externè ſal comm. prodeſt, vel rad. bryoniæ vel fœnum græc. in aceto coctum, vel ſolum ſuffimigium ex aceto, aut emplaſtrum ex gumm. ammoniaco, galbano, reſina pini, tacamachaca, ſagapeno, ſuccino, pice & maſtiche &c. item cataplaſmata ex rad. raphan. ruſt. vel ſem. ſinapi in aceto per noctem macerato, aut tandem *a)* veſicatorium *b)* ex cantharidum pulvere paratum.

Ad tophos & nodos podagricorum, ſi ullum remedium, à thermis certe id ſperandum, ad quas ablegandus eſt patiens; quibus verò illas adire haud licitum eſt, ad balſam. ſulphur. vel cum oleo petræ vel hyperici aut alio *c)* factum confugiant, qui extra illitus præ omnibus aliis medicamentis reſolutionem & ſuppurationem illorum promovere poteſt. *Tophorum*

§. 7.

De SCABIE.

POſt doloroſos è ſangvinis prava conſtitutione natos affectus, ordo tangit illos, qui per exanthemata & ulcera in corporis habitu erumpentia ſe manifeſtant. Ex horum numero primo tractamus *Scabiem* die Krätze/ quam duplicem faciunt Autores, unam humidam, alteram ſiccam. Humida dicitur, quando latisſimis puſtulis cum inſigni pruritu copioſum pus ac ſerum fundentibus corpus præſertim circa manus obſitum & tantùm non incruſtatum eſt. Siccam vocant, cum puſtulæ longe minores cutem inæqualem & aſperam reddunt cum intolerabili pruritu. *Scabies duplex.*

Cauſa. Cauſa *d)* ſangvis eſt, acrimonia ſua cauſtica cutem partim dilacerans, unde

ſumere ſolitus eſt vomitorium, & ſe liberavit à malo; Quali ita præmiſſo conducunt antacida aliaque.

a) Non ineptè etiam pro ſcopo præſervatorio ſcarificationes in pedibus laudantur ſingulis menſibus adornatæ.

b) Huc ſpectant moxa & veſicatoria, v. *Buſchovius de moxa*, qui teſtatur *in Ind. or.* hoc unicum & expertisſimum eſſe remedium v. *Ten. Rhyne. de arthrit.* & *Stiſſerus in Tr. de Podagra.*

c) Oleo pingved. hum. ab *agric. in Poppium*, ſi in axung. hum. oſſa microcoſmi immittantur & deſtillentur, oleum fugacisſimum impetratur, quod applicari poteſt.

d) Pro ſua ſententia probanda allegant, quod v. g. chirotheca ſcabioſi ab alio in uſum vocata huic mox afferat ſcabiem, quat. pauci relicti vermiculi cuti alterius per chirotecam affricti poſtmodum infinitos alios gignant, ut tota cutis brevi infecta, conſpiciatur. Aſt Rec. idem etiam dici poteſt de ſalibus acribus. Porro urgent, quod à vermibus una vel altera tantum corporis pars afficiatur, cum è contra, ſi à ſalibus eſſet, tota maſſa ſangv. iisdem referta eſſe deberet, adeoque totum corpus ſcabie inquinari; Aſt videmus ſalia etiam certas tantùm partes afficere, v. g.

de puſtulæ, partim verò vellicans fibras ejus nerveas, unde pruritus. Quod autem jam ſicca ſit, jam humida eroſio illa, per accidens contingit propter humores ſeroſos vel præſentes vel abſentes.

Cura. In cura ſcabiei obſervet Medicus, an præter hanc ſangvinis qualitatem vitiata etiam quantitas humorum peccantium in ægro adſit, ubi ultimum deprehenderit, ante omnia ſcarificationem vel purgans aliquod remedium humori pravo conveniens adhibeat. Pro hac intentione præ reliquis purgantibus infuſum fl. pruni ſylveſtr. vel fumariæ à *Paulo in Quadrip. Botanico* commendatum inveniet; quibus tamen ego mercurium dulc. rite paratum cum ſtimulo aliquo purgante ex reſin jalapp. aut gummi guttæ quodammodo acuatum, tanquam evporiſton in hoc affectu purgans, multum antepono.

His præmiſſis ad alterantia & diaphoretica progreſſus fiat, è quibus inter fixiora C. C. uſt. & antimon. diaphor. martiale omnem abſolvunt paginam, ſicuti è volatilioribus pro ſcopo expellendi ſal volatile C. C. tartar. viper. &c. ſunt optima.

His remediis internis quodſi malum non obtemperet, ad externa accedendum, è quorũ ampliſſimo cumulo tanquam ſelectiora placent balneum aquæ dulc. rad. helen. lapathi ſcrophular. cum pingvedine porcina & fl. ſulphur. ad ungventi formam redacta, vel lixivium ex tartaro & nitro præparatum, probe tamen aqua aliqua refrigerante dilutum.

Non inconveniens erit & Saturnina remedia, ubi inflammationem ſuſceperunt puſtulæ, præſcriptis addere medicamentis, vel pro eadem intentione, guttas aliquot ſpir. ſalis aut vitrioli vel Mercurii ſublimati in aqua roſar. ſoluti adjungere: illis enim remediis pro dolore inflammatorio ſedando vix quicquam præſtantius. Omnibus tamen illis ungventum ex Mercurio crudo cum ſaliva extincto, vel cum Mercurio ſublimato *e*) aut dulci factum palmam præripit, ſi cum judicio (NB.) hoc eſt, purgato prius corpore per ſupra ſuppeditata Mercurialia, uſurpetur.

§. 8.
De
Impetigine & Serpigine.

Non levis controverſia eſt inter Practicos de Græcis nominibus præſentium affectuum, an ſcil. *Impetigo* λειχὴν & *Serpigo* ἕρπης ſit Græcorum; ſunt enim, qui hoc affirmant, ſunt etiam, qui negant. Nos de hiſce controverſiis parũ ſoliciti, contenti ſumus, hodie Impetiginis *f*) ſub nomine illam aſperitatem *Controverſia de nomine.* *Impetigo quid ſit?*

pedes in Podagra reliquis integris. Tandem addunt, quod mercurialia in ſcabie optima ſint, quæ tamen non niſi anthelmintica ſunt. Rec. ſunt antacida & ſalium aculeos invertunt, viſciditatemque reſolvunt. Aſt cum nondum ſatis clarè hæc pathologia animata explicata ſit, nondum quoque res deciſa eſt; dubitatur enim, an vermes præſentes ſint cauſa ſcabiei, an potius effectus.

e) Externis omnibus præfero hoc, Rec. aquæ f. vel deſtill. ℔j. ſolve in ea ℥ß-℥j. mercurii ſublimati, lento igne, hæc aqua expertisſimum remedium eſt pro cura ſcabiei, & tutum, non repellit, ſed potius evocat & exſiccat.

f) Sub hoc tit. plures affectiones congeneres comprehenduntur, nempe Lepra Græcorum & Arabum, Leuca, Vitiligo, Papulæ &c. Impetigo enim eſt aſperitas cutis cum ſpuma in ſquamas abeunte, prurigine, quæ ſub ſe comprehendit Lepras gr. & arab. Non enim niſi gradu differunt, &, ſi continuo affligat, & per longius tempus, dicitur ſcabies ſicca, vel ſi morbus rebellis, Lepra Græcorum, ſi extrema cutis ſcabrities & rugoſitas accedat ut cutis elephantorum cutim aſperam fere referat, vocatur Elephantiaſis ſive Lepra Arabum, ſi levis gradus ſcabritiei & pruriginis adeſt, dicitur Impetigo à Celſo al. Papula dicta. Dein ſi ſquamulæ albeant, vocatur alphus, Leuca (a colore albo) vitiligo alba vero Galen. ſi ſquamulæ decidentes nigreſcant dicunt Melan (a colore nigro.) Altera ſpecies ſive ſerpigo eſt ſcabrities cutis, non tamen in ſquamas abiens, ſed potius eroſionem præſtans

tem ac ſcabritiem cutis venire, quæ cum prurigine ſummo in ſquamas & furfures tandem reſolvitur. Quemadmodum ſub ſerpiginis titulo ſimilis quidem ſcabrities cutis ſubintelligitur, non tamen æquè in ſquamas abiens, ſed potius in eroſionem & exulcerationem cuticulæ plus minus amplam ac ſerpentem, multumque præterea ſeroſi liquoris plorantem. Interdum tamen ſerpigines etiam è minoribus puſtulis conflatæ ſunt, & tum vocatur *Herpes Miliaris* (quaſi qui puſtulas inſtar granorum milii alat) Noſtro Germanico idiomate *Impetigo* die Raude/ *Serpigo* v. Flechten oder Schwinden dicuntur.

Serpigo quid ſit?

Herpes miliaris.

Cauſa.

Cauſa utriusque affectus non differt à Scabiei cauſa, tum quoad ipſam ſanguinis acrimoniam, quàm ſeroſos ac tenues liquores per accidens quoque admixtos.

Cura.

Conveniunt idcirco in illorum cura omnia Medicamenta *g*) externa ac interna in ſcabie recenſita, ita ut præter illa vix nova materia medica requiratur.

§. 9.

De VARIS ET GUTTA ROSACEA.

EXoſa admodum biga hæc affectuum formæ cultoribus eſt, dum illam potisſimum corporis partem, cujus formoſitate aliàs ſe commendant, faciem puta, obſident, & tantum non defœdant.

Deſcriptio Varorum.

Sunt autem *Vari h*) Germanice die Finnen puſtulæ rubicundæ ac duræ, magnitudinem ſeminis cannabini non excedentes, quæ quandoq; ex ingenito pure matureſcunt, illoq; expreſſo brevi diſparent, vel etiam ſine prævia ſuppuratione iterum exſiccantur.

Gutta Roſacea.

Cognata hisce tuberculis *Gutta Roſacea* eſt, quam Germani den Kupffer ob colorem cupri politi ſimilem appellant, ſuperinducitur verò non modo rubedine hac puſtuloſa facies, ſed etiam ſi morbus invetereſcat, in monſtroſisſimam deformitatem affectæ partes, ſpeciatim nares attolluntur.

Cauſa.

Cauſam agnoſcunt proximam ſangvinis chyliq; acrimoniam, inviſcatam *i*) tamen multis crudis ac glutinoſis particulis. Probatur hoc ex occaſionalibus cauſis; nulla ſiquidem alimenta citius ac magis augent præſentes affectus, quam quæ chylum crudum & impurum dant: qualia præprimis ſunt haleces, pernæ, caſeus putridus, brasſica muriatica, aliaque pingvia & dyſpepta.

Cura.

In Cura *k*) horum affectuum ſi radi-

& ſerum fundens: ſerpunt ſemper, & partes ſanas inficiunt. Sedes primaria utriusque mali eſt cutis ſola, prout in ſcabie. Et quemadmodum ſcabies vel humida vel ſicca erat, ſic impetigo ſicca, ſerpigo humida affectio eſt.

g) Saliva hominis jejuni ſani agit propter gelatinoſitatem, nam ſi ſaliva ſit non bene conſtituta e. g. in ſcorbut. non tollit, ſed auget malum. Sic novi quod nutrix lue vener. infecta ſua ſaliva inungeret ſerpiginem infantis: plane exedebantur cum ipſius interitu. Hinc patet ſalivam minime prodeſſe propter ſalia ſua, ut multi credunt, ſed propter gelatinoſitatem. Quare etiam lac aut alb. ovor. conqvaſſatum cum aqua mixtum ſæpe omnem curam abſolvunt. Sic ſola aqua ſimpl. calida optimum eſt remed. ſi ſcil. ſerpigo ſæpius de die abluatur. Sufficit quoque vulgaris ſapo; inviſcat enim ſalia & adhibita ſimul aqua ipſa abſtergit.

h) Vari al: coſſi, dicti, ſunt puſtulæ rubicundæ & duræ &c. ſedes facies utplurimum eſt, quam defœdant, ſubinde tamen in pectore dorſo &c. etiam cernuntur. Cæterum levia habet ſymptomata, nempe aliqualem dolorem, & rubedinem, impr. ſi ſuppureſcant. Convenit cum his gutta roſacea, Kupffer/ ſedes pariter facies non tantùm ſub forma puſtularum ſe exhibet, ſed tota quoque facies rubedine ſuperinducitur, & quamdiu rubedo adeſt, dicitur gutta roſacea, quando vero quaſi vari guttæ roſaceæ inſident aut colores nigricantes, ſubfuſci &c. exhibentur, dicitur Morphæa. Non facile in alia corporis parte, præterquam in facie hoc malum deprehenditur.

i) In viſcida hac acrimonia circulatio humorum impeditur, unde inflammatio faciei. It. ſi facies ſæpius manibus impuris tangatur, tunc tranſpirationi obex ponitur, porique partium occluduntur.

dicalem illam deſiderat patiens, chyli ac ſangvinis correctio primum eſto ſtudium. Interdicat proinde Medicus omnia, quæ chylum crudum ac ſangvinem acrem reddunt, & è contra ſimpliciſſimum victum tenuemque diætam ex pane ſc. carnibus macilentis, ſero lactis, aqua ſimplici & ſi tempus fert, è frugis lactuca & cichorio &c. præſcribat.

Deinde conveniet, ut crudi illi humores vel per cucurbitulas *l*) in ſcapulis ſæpius ſcarificatas, vel ſi nimium fuerint impacti per Venæ ſect. in fronte inſtitutam, aut per hirudines ad imitationem *Zac. Luſitan. Pr. adm. Lib. 1. Obſ. 65.* aut per aquam Mercurialem (ex ℥ j. Mercurii ſublimati in aquafont. ℔ j. ſoluti paratam) ex commendatione *Miſcell. N. C. D. A. 4. p. 47.* extrahantur.

Quod ſi verò palliativam *m*) tantum curam quis expetat, proficuus eſt externus remediorum inflammationem ſedantium & adſtringentium *n*) uſus, cujus generis ſunt aqua roſarum ac fragar. *o*) albuminis ovor. flor. fabar. &c. in quibus tantillum ſaccharum ſaturni liquefactum eſt, vel lithargyrium aut ceruſſa in aceto ſoluta vel emulſio ex nucleis perſicor. adjecto alumine confecta, vel camphora cum oleo amygd. dulc. aut lilior. alb. ſubacta. Omnia tamen hæc ſuperantur à lactis muliebris vel menſtrui ſangvinis externo illitu.

§. 10.

De LENTIGINIBUS & MACULIS HEPATICIS.

Leviſſimi ſunt hi affectus, quippe qui nec dolorem *p*) pariunt, nec ullam functionem lædunt; nihilominus cum cutis ab ipſis defœdetur, cura illorum à virginibus & mulieribus expetitur. Sunt verò *Lentigines* maculæ obſcuræ & nigricantes, quæ inſtar punctulorum minimorum hinc & inde faciem conſpurcant. *Lentigines deſcribuntur.*

Occupant præter faciem lentigines quandoq; & collum, pectus, imo & manus, ſi radiis ſolaribus iſtæ partes exponantur liberius. Impoſitum ipſis a noſtratibus eſt nomen **Sommer-Sproſſen**/ quoniam æſtivo impr. tempore proveniunt & hyeme ſua ſponte evaneſcunt.

Differunt ab his *Hepaticæ Maculæ* **die Leber-Flecke** / quod latiores non modo & ampliores ſint, quàm lentigines, ſed præterea colorem magis luteum præ ſe ferant, nec etiam facile loca illa, quæ aër attingit, occupent, quin potius occulta & veſtimentis tecta, pectus v. g. & dorſum ament, rarius, niſi in quibusdam gravidis, faciem ipſam ac præſertim frontem. *Hepaticæ Maculæ deſcribuntur.*

Utut autem aliqualis ſic differentia inter dictos affectus occurrat, tamen quo- *Cauſa.*

k) Tinctura vitriol. mart. ſolar. cum ſucco betulæ parata optimum eſt remed. in varis; ea enim adhibita aliquamdiu ſola ſæpe totaliter curavi varos.

l) Per fonticulos & ſetacea *Waldtſchmidt. Epiſt. ad Dolæum 111. p. 88.* præter hæc nulla ſe ſcire dicit remedia, in quibus firma ſpes collocari poſſit. Fonticulos in dextro crure, *Sennertus* laudat.

m) *Velſchius in Hecatoſtæa 2. c. 44. p. 24.* remedium ſingulare laudat.

n) Sæpe hæc tuta non ſunt, quia repulſa materia alia mala excitat, quemadmodum nuper Studioſus ex varorum repulſione Eryſipelate correptus fuit. Quidam incidebat varos, lavabatque aceto, aſt inflammationem gravem aliaque ſymptomata incurrebat; alius ab adhibitis repellentibus adſtringentibus & refrigerantibus ſibi aſthma, ſpaſmum & Paralyſin contraxit. Conf. *Salmuth. C. 2. Obſ. 36.*

o) *Mizaldus in memorabilibus* aqv. deſtillatam ex fragis externè adhibet, confert quoque fragis contuſis fricare faciem, quoniam virtute repellendi gaudent.

p) Si incaleſcat corpus, oritur pruritus moleſtus in locis iis, quos occupant maculæ hepaticæ, ut neceſſum habeant ægri ſcalpere cutim, non ſecus ac in ſcabie ſicca (contra lentigines nullum unquam dolorem pariunt) pruritus autem iſte ſentitur non tantum, quando radiis ſolaribus calidioribus ſe exponunt, verùm etiam quando ſtragulis ſe operiunt, dum enim ſerum viſcidum ſub cute ſtagnat & accedente calore cutis corrugatur, neceſſe eſt, ut ſerum tunc ſtagnet impeditum in ſuo motu, cum nihilominus magis alliciatur.

quoad cauſam maximè conveniunt, in utroque enim viſciditas ſangvinis nimium inſpiſſata (veteres illam per bilem aduſtam exprimebant) deponitur ad ſuperſiciem corporis & quidem in lentiginibus extrahitur & provocatur illa à radiorum ſolarium æſtu, ſicuti in hepaticis maculis à ſudore.

Cura. Curatio prædictarum macularum in remotione materiæ peccaminoſæ, quæ per nulla remedia facilius obtinetur quam per acria externa *q*) Conveniunt propterea radices ari vel ſigill. Salomon. vel bryoniæ, vel oxylapathi cum melle in formam ungventi redactæ, ſemen erucæ vel ſinapi in aceto per noctem maceratum, ſtercus columbinum vel paſſerinum vel ovillum cum aceto ſubactum rad. cucurbitæ ſylv. in oleo cocta, & tandem oleum tartari per d. Aſt quoniam acribus hiſce remediis cutis aſpera redditur, & non rarò planè eroditur, vel ſaltem intumeſcentia aliqua excitatur, non abs re erit, præmiſſis hiſce acribus ſubjungere iterum detergentia & lenientia *r*) v. g. farinas fabar. cicer. lupinor. amygd. dulc. rad. ireos florent. cum medulla panis alb. in linimentum piſtas, vel aqu. album. ovor. roſar. ſtipit. fabar. omnium flor. &c. aut demum lac caprin. human. vel aſininum.

§. II.

De

LUE VENEREA.

Denominatio. Quem hic ſub *Luis Venereæ* titulo proponimus morbum, aliàs ſcabies Hiſpanica vel Neapolitana, item morbus Gallicus, Franzoſen audit. Horrendum ac ſummè deteſtabile malum eſt, ubi firmas radices egit; homines verò vivos cum ſummo dolore in putrida cadavera non modò convertit, ſed etiam ob contagioſam materiam ex aliorum conſortio planè exturbat. *Deſcriptio.* In principio quidem invaſionis per plures quandoque menſes deliteſcit, & præter artuum gravitatem nihil niſi levem capitis dolorem gignit. Succeſſu tamen temporis levia hæc ſymptomata in alia graviora magis abeunt, ſc. dolores genitalium cum pruritu artuum ac capitis (circa nucham) admodum fixos ac acerbos, & quæ nocturno potisſimum tempore exacerbantur, item in ulcera *s*) & puſtulas ſquamoſas ac flaveſcentes latè & profundè in omnibus corporis partibus externis, præprimis tamen in pudendis, faucibus ac fronte ſerpentes. *Symptomata* Sed nec externæ tantùm partes tyrannidem horum ulcerum experiuntur, quin etiam interna viſcera, glandulæ proſtatæ & urethra (unde Gonorrhæa virulenta) imo tandem & ipſa oſſa erodantur & carioſa fiant. Præter hæc recenſita Symptomata plura ſuperveniunt non minus moleſta, nempe appetitus proſtratio cum dolore ventriculi gravativo, faciei pallor, oculorum caligo, raucedo, tuſſis humida, coryza mucoſa, tinnitus aurium, tumores glandularum ſublingvalium, parotidum & ingvinalium (qui bubones dicuntur Venerei) tophi in oſſibus enaſcuntur & in cute verrucæ, tandemque capilli capitis decidunt. Erras tamen, ſi credis, omnem luem hac facie incedere, hoc eſt, ſymptomata cuncta eô ordine reddere, quo modo recenſita ſunt; poteſt tamen illa exiſtere, ubi unum ſaltem & alterum Symptoma ex his adeſt, v. g. in quibusdam dolor nullus in artubus obſervatur, puſtulis tamen & ulceribus eroditur corpus & vice verſa; in alio deſunt puſtulæ, qui dolores nocturnos patitur exquiſitiſſimos: uterq; tamen gallico morbo correptus eſt, & ſic porro. Cave autem ex uno ſtatim Symptomate v. g. exulceratione oris aut puſtulis, vel dolore artuum raucedine &c. judices morbum huncce, niſi

q) Aqua levcoji, bulboſi, ſatyrii maculoſi ſigill. Salom. decoct. & ungv. coſmet. mynſ. Sapo niger, ſulph. vivum. Phlegma vitriol. lithargyrium in aceto ſolut lac virginis ſ. ex tinctur. benzoës, camphora in oleo tereb. ſoluta. Ungv. ex mell. ℥ij. alumen ſciſſil. ℥ij.

r) Ad arcendas inflammationes ab acribus factas, inſimulque & tumores exin natos vid. *Joh. Marinellus edit. Germ.* von der Zier der Weiber &c.

s) Aliquando obſervavi primum eroſiones digitorum circa radices ungvium ortas ex ſola contrectatione genitalium impurorum.

niſi plura inſimul occurrant,& vel in locis obſcœnis ulcera & puſtulæ ſquamoſæ hæreant, vel gonorrhæa inſimul adſit virulenta aut aliud manifeſtum indicium.

Cauſa proxima

Cauſa hujus morbi immediatè ab acrimonia ſanguinis cauſtica dependet, quæ jam pituitoſa cruditate commixta eſt, jam ſine illa in corpore circumfertur. Facilè itaque omnium Symptomatum ætiologia reddi poteſt, ſi modo præcedentes §i. *de ſanguinis vitiis* evolvantur.

Cauſa antecedens.

Gignitur hæc acrimonia *t*) rarisſimè in corpore, ſed ut plurimum ab extra communicatur, h.e. vel cum ſemine parentum, vel cum lacte nutricis vel cum ſaliva, vel cum ſudore, vel quod omnium frequentisſimè accidit, per coitum.

Cura.

Quoad Curam *u*) morbi gallici correctio & evacuatio acrimoniæ ſanguinis meditanda eſt. Multiplici verò incedunt via Autores ad hanc intentionem obtinendam. Sunt ſcil. qui per ſalivationem *w*) ex Mercurii vivi ſuffimigio aut affrictu excitatam & per viginti aut plures dies continuatam curam hujus acrimoniæ tentant & quandoque obtinent, minus tamen tuta mihi hæc videtur via, cum ſciam quandoque prorſus irrito ſucceſſu, aliquoties ad contabeſcentiam usq; & tantum non mortem ægrotantis ſalivationem fuiſſe reiteratam à nonnullis. Alii per ſudorifera & in ſpecie potionem ex cortic. quajaci ejusque ac Rhodii & juniperi ligno rad. bardanæ, ſarſaparillæ, chinæ & glycyrrhizæ, putaminibus virid. nucum jugland.

---

t) Oritur autem acrimonia illa juxta *Hœferum Herc. Med.* ex imaginatione, quod tamen falſiſſimum eſt, minime enim ſola imaginatio hanc acrimoniam excitabit. Sæpe ſolus contactus ſufficit, v. g. ſi quis cum ægro tali in lecto decumbat it. per ſudorem à reliquiis acrimoniæ in lecto relictis. Citius contingit per contactum corporalem, ſcortum impurum, ubi ſimul accedit orgaſmus humorum, tunc enim miaſma facilius per poros corporis apertiores communicatur, item per contactum ſalivæ vid. *Tulp.* per ſuctionem mammarum conf. *Fernel. de abditis rerum cauſis p. 619.* ut per eam partem, ubi communicabatur acrimonia primum ſe exſerat, v. g. ſi per oſcula transferatur, primum labia & os tyrannidem patiuntur.

u) Cura duplex datur vel ſaltem poſtulatur præſervatoria & curatoria. Illam quod attinet, ea vix commendanda iis, qui ſpurcis congreſſibus venereis delectantur. In pœnam enim effrenæ libidinis hic morbus datur. Iis tamen qui infectos tractant, aut cum iis rem habere coguntur, v. g. conjugatis, ſvadetur ſc. poſt congreſſum immediatè ſordes detergantur, & loca abluantur, primò enim in loco illo ubi contagium communicatur, eruptio puſtularum contingit, impr. intra præputium & in glandulis ſub hoc latentibus ſedem primam figit, ut patiantur tumores, quod *Rolſinck.* jam notavit, ergo ſtudioſe abluenda ſunt hæc loca vel urina calefacta, vel vino calido, vel ſputo abſtergantur genitalia, alii decoctum furfurum ſvadent alii aqv. reg. Hung. ſpir. vin. ſimpl. aqv. theriacal. vel ſuccum citri ſvadent & feliciter uſurpant. In fœmina præſervatorium exhibet *Panaroll. Pentec. 3. o. 1.* ſc. goſſypio mundo ſtatim ſordes abſtergantur & interiora genitalium omni ſtudio purgentur aut in vulvam ſpongiæ virginis ſive nondum uſurpatæ particulam immittat, in ea enim deliteſcunt ſalinæ partes quædam de ſale marino participantes, quæ ſe exſerunt ſoluta ibi, & detergunt ſordes. *Craanen Comment. ad Königii Prax.* aqv. ſ. ſpir. theriacal. camphor. quidem ſvadet, ſed propter acrimoniam vellicantem prudenter procedendum eſt, ne inflammationes ſuperveniant, quod experimentum tamen non improbo.

w) Hodie vel intus vel extus adhibetur mercurius. Intus ſcil. aut dulcis aut præcipitatus ruber ſ. turpethum minerale, illum ſub doſi ℈j. ſingulis diebus, hunc ſive turpethum quotidie gr. ij. iij. jv. cum mica panis in pilulas formant & propinant, quo usque procedat ſalivatio. Externè ungventum ex mercurio vivo & pingved. ſuilla &c. alii ungvent. v. g. de pomis parant, & inungunt ipſo articulationes, hinc ægrum in calido loco detinendo, lecto ſcil. calefacto, repoſito die, reiteratur inunctio, rurſusque quarto, & non raro tunc ſuccedit tumor glandula-

gland. c. antimonio crudo paratam corrigere & proſcribere illam conantur.

Sed non omnia corpora ad ſudorem ſunt diſpoſita, nec etiam vires omnium ægrotantium hanc methodum ferunt. Rectius proinde agunt, qui per purgantia ex Mercurio dulci & decocta lignor. cum foliis Sennæ correctionem ac evacuationem depravati ſanguinis ſuſcipiunt, nam vix dici poteſt, quàm notabile auxilium afferant illa præ reliquis omnibus, dum ſenſibiliter dolores mitigant ulceraque exſiccant.

Cura ſymptomatum. Quoniam verò hæc remedia ad fomitem morbi tantum directa ſunt, alia quoque requiruntur pro Symptomatibus nimium urgentibus, & ideo ſciendum eſt, contra dolores contumaces conferre decoctum ſarſaparillæ & rad. Chinæ; vel ſi admodum fixi ſint, ſuffimigium ex Cinnabari vel emplaſtro Vigonis de ranis cum Mercurio.

In ulceribus *x*) ſordidis externè lapis medicamentoſus *y*) Crollii in decocto ſudorifero vel plantarum vulnerariarũ in ſpecie petroſelini ſolutus, vel ungvent. ægyptiacum, ſicuti in inflammatione illorum ſaccharum Saturn. *z*) in aqua refrigerante liquefactum prodeſt.

Dolor ventriculi gravativus per vomitoria *a*) curatur. Tumores glandularum reſolvit emplaſtrum diaphoretic. Mynſichti, tophos v. ſupra commendatũ emplaſtrum per exſiccationẽ tollit Mercur. cum ſaliva extinctus & verrucas Spir. Vitriol. vel alius cauſticus liquor, item ſuccus chelidon. major. & ſabinæ pulvis.

§. 12.

De

PLETHORA.

HActenus conſiderata ſunt ſangvinis vitia quoad qualitatem, inſeqvuntur nunc illa, quæ quantitate vel exceſſiva vel defectiva peccant. Vitium in exceſſu vocatur Practicis PLETHORA, & denotat in genere ſangvinis laudabilis abundantiam. *Plethora deſcribitur.* Eſt autem hæc Plethora duplex, vel ad vaſa vel ad vires.

Ad vaſa audit, cum copia hæc ſangvinis inſigniter turgeſcere facit vaſa ſangvifera, de cætero verò nullam moleſtiam creat in corpore. *dividitur in Plethoram ad vaſa*

Ad vires audit, quoties illa abundantia laſſitudinem artuum & anheloſam reſpirationem (præſertim poſt motum corporis vel ſcalarum aſcenſum) aut tremorem artuum conjunctum habet. *& Plethoram ad vires.* Non jam multum diſceptabo cum hujus diſtinctionis adverſariis de exiſtentia Plethoræ ad vires, quam ideò abſurdam pronunciant, quod virium fons ſit ſanguis, adeoque ab ejus abundantia virium robur ac augmentum citius quam defectum eſſe ſperandum

---

rum ſublingvalium, fœtor oris, atque ſputatio frequens, quæ continuatur per 14. dies. Intra hoc tempus hypocauſto probè calefacto inſit æger, nec licet ad feneſtram aëri frigido ſe exponere. Potus omnis tepidus eſſe debet. Alimenta ſolida non porrigenda, ſed tantùm juſcula macra aut ipſum lac. Decoctum hord. quo obtundatur acrimonia. Si non facilè ſuccedat ſalivatio, mercurius intus bis dari poteſt ut excitetur. Si crebrior fiat ſalivatio compeſci debet. Ad eroſiones oris gargariſmata ex lacte, mucilaginoſis, R. alth. lil. alb. &c. adhiberi debent, quæ tamdiu continuanda ſunt, usque ulcera exſiccentur. *Boccone Tr. curieuſe* Anmerckungen über etliche natürliche Dinge autumat, cantharides peculiari modo præparatas etiam pro ſcopo ſalivatorio exhiberi poſſe. Verùm inutile & inſons planè hoc remedium eſt; Et ſi quid agunt, id omne fit per diureſin.

x) *Blegny in Zodiaco Gall.* balneum mercuriale ſvadet ex ſolutione mercurii ſublimati, ſed minus tuta eſt hæc methodus.

y) Caruncula in urethra curatur, ſi internè detur pulv. cort. rad. onon. in vino, aut ſi alia virtute acrimoniam abſorbendi gaudentia dentur. Urethræ verò immittantur cum ellychniis lap. cauſt. vitriol. ven. &c. particula, ut erodatur excreſcentia carnea v. *Lanzorius, River. c. 2. o. 14. Borell. c. 1. o. 19. Blegny Zod. p. 593.*

z) *Conf. Agric. Comment. in Pop. P. 2. p. 676.*

a) *Faber* aliquoties ſolo mercurio vitæ tribus vicibus adhibito curaſſe luem veneream ſcribit.

dum: experientia enim pro me non tantum quotidie in Praxi loquitur, ſed etiam per varias inſtantias infirmitatem argumenti demonſtrat, dum primo vinum opponit, cujus moderatus hauſtus vires confortat, immodicus autem debilitat, vel ſecundo aquam fluminis, cujus ordinaria quantitas molendinarum rotas agitat, nimia impedit & ſufflaminat.

it. in Veram, & Sed præter hanc diviſionem Plethoræ aliam adhuc admittimus inter ſic dictam veram ſive exquiſitam, cujus hiſtoriam modo dedi, & *Spuriam.* ſpuriam ſeu apparentem, quæ in Scorbuticis poſt levem corporis commotionem cum reſpiratione difficili, cordis palpitatione, dolore capitis, aliisque exquiſitis Symptomatibus ſe manifeſtat.

Signa. Si ſigna deſideras, inſpice modo venas vel tange digito, & ubi intumeſcentiam vaſorum notabilem & renitentiam aliquam invenies, pulſum verò magnum plus minus vehementem ac tardum in arteriis deprehendes, tutus eris de Plethora.

Illam autem veram agnoſces, ſi hæc omnia corpore quieſcente, reliquis functionibus ſalvis contingunt, ſicuti ſpuriam, ſi non niſi prægreſſa commotione ſigna hæc appareant. Ubi verò laſſitudo artuum concurrit Plethora eſt ad vires.

Cauſa. Cauſa Plethoræ exquiſitæ *b)* alimenta ſunt eupepta, in larga quantitate asſumta & à ſpiritibus tranquillis in chylum laudabilem ac ſanguinem digeſta. Aſt notha ſolum à ſalibus ſcorbuticis *c)* Maſſam ſanguin. in motum rapientibus excitatur. Quod verò difficilis reſpiratio & laſſitudo artuum utramque ſpeciem Plethoræ ſequantur ob ſanguinis motum in partibus quadantenus impeditum accidit.

Cura. Cura Plethoræ veræ citiſſimè per Venæ ſectionem *d)* vel una vice largiter vel parcè reiteratis vicibus celebratam obtinetur, adeoque unicum hoc ex fonte chirurgico depromtum præſidium ſufficientisſimum ac certisſimum eſt. Quoniam tamen quidam, neſcio, quam ex V. S. metuant dilapidationem virium, illis ſcarificatio in locum ejus *e)* commendari poteſt. Quodſi & hanc abhorrent, per purgantia, diuretica & diaphoretica & impr: jejunia *f)* imminutionem quidem ſanguinis, ſerius tamen, quam per Venæ ſectionem impetrabunt.

Quod ſcorbuticæ *g)* Plethoræ curam concernit, admittit & illa quidem Venæ ſectionem, compeſcitur tamen & or-

b) Plethora ad vaſa potiſſimum datur in ſubjectis robuſtis, bajulis, ruſticis &c. ubi copioſa alimenta ingeruntur, & in laudabilem chylum convertuntur ad vaſorum usque turgeſcentiam.

c) Notha eſt à ſalibus ſcorbuticis M. ſangvin. in motum p. n. rapientibus.

d) In Italia & Gallia decies reiterari ſolet, & ſemper ad ℥as aliquot, pro reſpectu virium. Adverſus venæ ſect. pugnarunt *Helmont. Gehema & Bonteckoë*, qui nullam dari plethoram dicebant, ideoque nulla venæ ſectione curari poſſe. Alii connatum nobis eſſe ſangvinem putant, hinc alimentis non poſſe reſtitui in integrum conf. *Phyſiologia B. Langii cap. de Hæmatoſi & Tr. Schad-Gebema.*

e) Hirudines vid. *Horatius Augenius in Conſil.*

f) Olim jejunium triduanum in omni morbo commendabatur, haud fruſtra tamen commendatur in ſangvinis abundantia. Eſt præſervatio plurimorum morborum, ſi ſaltim per 1. diem ſingulis ſeptimanis jejunetur. Evacuantia reliqua non adeo conveniunt, quia tantum ſangvinis partem evacuant, non totum ſangvinem, interim aliis morbis occaſionem dant.

g) Salia peregrina fibroſitatem ſangvinis ſolvunt eamque diſſipant, hinc ejus turgeſcentia & phlogoſis; emendatur verò vel diluentibus, vel præcipitantibus, vel inviſcantibus, ubi *Paracelſus* ſperma ranarum commendat, quod adeo ſpiſſum reddere ſangvinem ait, ut etiam ex vulneribus ſangvis effluere nequeat, fides verò ſit penes Autorem. Tandem & acidis ſpir. nitri & tinctur. refrigerantibus vegetabilium, ut bellidis, tunicæ, pœoniæ, roſar.

& orgaſmus ille ſanguinis aliis etiam remediis, quæ in §o. *de Scorbuto* quærantur.

§. 13.

De

Sanguinis Defectu.

POſſet hic §us plane omitti, cum rarisſime & non niſi in ſummo ejus gradu, quando vix medicamentis aliquis locus relinquitur, ejus ad curam ægrotantes accerſunt Medicum. Ne tamen mancam videamur tradidiſſe Praxin, paucisſimis ſigna, cauſas ac curam ſuppeditabimus.

Signa. Signa proinde ex vacuitate & depletione vaſorum ſanguiferorum cum ſumma virium proſtratione conjuncta, item ex quantitate profuſi ſanguinis aut antecedente inedia facile habentur.

Cauſæ. Cauſas agnoſcit vel famem diuturniorem aut læſam diſtributionem chyli ad maſſam ſanguin. vel febrium ardentium æſtum aut tandem hæmorrhagiam à vulnere inflicto, contuſione aliaq; cauſa externa, vel interna.

Curatio. Curatio pro cauſarum diverſitate varianda erit, & quidem ubi fame vel æſtu febrili abſumta eſt ſanguinis quantitas, reſarciri poteſt defectus chylo laudabili ex alimentis *h*) eupeptis & analepticis, modicè tamen & parca manu primum exhibitis, ut debitè digeri posſint.

Quando verò obſtructio viæ chyli ad M.S. in culpa eſt, tum inquirenda cauſa oppilationis & cura eò dirigenda juxta methodum §. *2. c. VI.* traditam.

Tandem ubi ex Hæmorrhagia inſigni oritur defectus, periculum haud leve imminet ægroto, impr. quando nimia hæc ſanguinis profuſio nondum coercita eſt. Nec poſt ſuppresſionem hæmorrhagiæ extra diſcrimen res eſt, niſi ſubitò hæc jactura ſanguinis reſtituatur.

Fruſtrà hic autem omnia analeptica ac optimè nutrientia alimenta implorabis, quoniam ob Spirituum defectum haud quaquam digeri poſſunt. Sed unicum ſupereſt remedium, exoſum quidem multis, interim tamen hoc in caſu admodum accommodatum, transfuſio *i*) ſcil. ſanguinis è ſanô homine in ægrum.

Caput IIX.

De

Vitiis Sanguinis in Motu.

§. I.

De

Inflammationibus et in Specie Eryſipelate.

COntinuum eſſe ſanguinis motum circularem è corde ad partes, & ex his iterum ad cor Phyſiologia olim docuit. Nunc Praxis ejus vitia proponit, quæ ad duo genera reduci commodè poſſunt, ſc. quando excedit, vel deficit. Deficit autem, cum ſanguis in poris partium ſtagnat, inque illis tumorem nunc ſaltem œdematoſum, nunc inflammatorium excitat. Solet verò hæc inflammatio, quæ Germanis **eine Entzündung** ſalutatur, pluribus affecti- *Inflammatio interna.*

h) 1.) alimenta non dyſpepta poſt perpeſſam diuturniorem famem exhibenda (*Licettus*) ſed potius evpepta, quæ à langvente & corrugato ſtomacho retineri & digeri poſſunt v. g. juſcula reſtaurativa, pultes, vid. *Boccone* in *curieuſen* Anmerckungen *p. 282. Obſ. 11. Julius Cæſar Claudinus in Conſil. & Reſponſ.* 2.) parcius adhibenda. *Lery in navigatione* notat plures ſubito extinctos fuiſſe, quia avidius & copioſius poſt perpeſſam famem alimenta aſſumſerant cum 7. ſaltem ſervati fuerint exhibito primo per vices bolo panis aceto deſtill. madido.

i) *Lovver. Act. Anglic. major Etmullerus Elsholzius Archiat. Berol. Merckling.* de ortu & occaſu transfuſionis ſangvinis. *Lamzvverde Tab. II. Sculteti Arman. chir.* annexa.

affectibus tanquam Symptoma ſupervenire, quamvis non raro & ſolitariè morbum conſtituat, tam in partibus internis, v.g. epate, ventriculo, liene, renibus, diaphragmate, pleura &c. quàm *Externa* externis, manibus, tibiis, capite &c. ubi IGNIS SACER, ICTERITIA RUBRA vel ERYSIPELAS Germ. Roſe à rubedine audit.

Signa inflammationum. Signa inflammationum in partibus externis contingentium ex ſymptomatibus, rubore & dolore ardente fiunt clara: poterunt tamen & internæ ex ardore & dolore ſummo cum febri & ſiti inſigni facili negotio haberi.

Cauſa. Cauſa inflammationis ex jam dictis liquet, nempe quod ſit motus ſangvinis in partibus ſufflaminatus, unde non difficulter ex hac ſtagnatione ſymptomata inflammationibus ſolennia æſtus ſc. tumor & dolor poterunt deduci, ſi modo attendatur, quodnam ex his primum ſit, quodnam inſequatur.

Cauſa remota. Sed ut felicius hæc agnoſcantur, cauſæ ſtagnationis ipſius inquirendæ erunt, quæ vel ex vitio ſangvinis contingit, quando præternaturalis craſſities ob ſeri nimiam conſumtionem deprehenditur (quam cauſam veteres per ſangvinem bilioſum intemperiemque ejus calidam non malè exprimebant) vel grumeſcentia aliqua, quæ modò ab acido quodam poteſt gigni, modo à ſpirituum retroceſſu v.g. in terrore, modò à refrigeratione vel potius corporis in aëre vel aqua frigida, vel potu ſaltem gelido poſt commotionem nimiam ſumto. Ex vitio verò partium oritur, quando pori vel à ligatura, aut vinculo nimium ſunt conſtricti (qua ex cauſa non raro vulneribus ſupervenit) vel quando fibræ nerveæ ac carneæ partium irritatæ jam à cauſa externa, cōtuſione, luxatione, caſu ab alto &c. jam ab interna acrimonia convelluntur, & ſpasmum ſuſcipiunt, à qua cauſa inflammationes & tumores in dentium dolore, podagra, veſpæ punctura &c. proveniunt.

Cura. Cura inflammationis & eryſipelacei tumoris in genere per venæ ſection. *k*) obtinetur, dum enim per evacuationem ſangvis imminuitur, etiam à parte affecta ſimul evocatur.

in Sangvinis ſtagnatione In ſpecie tamen ad ſtagnationis cauſam medicamenta dirigi à Medico quoque debent, & quidem primo ubi crasſities ſanguinis in culpa eſt, humectantia interna plus conferunt, quam alia infinita remedia, imo niſi illa adhibeantur, vix radicitus curaveris illam, quin ſemper recrudeſcat.

Sangvinis congrumatione. In ſanguinis congrumatione multum conferunt ea, quæ coagulationem illam reſolvunt, talia ſunt omnia ſudorifera, præ reliquis tamen ſalia volatilia urinoſa, Sal ammon: C. C. &c. item volatilia ſalſa, quorſum mixturam ſimplicem vel Tinct. bezoard. refero, quamvis nihil viribus cedant fixa illa, ocul. cancr. lap. percar. raſur. dent. apri, mandibul. lucii piſcis, ſangu. hirci, fuligo, præſertim, ſi cum aceto calido ſumantur: tandemque & antimonialia, antimon. diaphor. ſimpl. & Martiale, Anti hect. Poter Bezoard. minerale. Cinnabar. antimonii.

Vitio partium. Quando ex partium vitio eſt inflammatio, & quidem ex ligatura nimis ſtricta, religatio aut laxa magis conſtrictio vinculorum ſtatim iterum illam tollit, aut ſi quid remaneat per unicum diaphoreticum diſcutitur.

Ubi vero ſpasmodica affectio fibrarum in cauſa eſt, in caſſum omnia adhibentur reſolventia ac diaphoretica, niſi antiſpaſmodica ſimul admiſceantur, & impr. anodyna. Conveniunt proinde hoc in caſu liqu. CC. ſuccinat. Antihect. Poterii, Cinnabar antimonii, flor. ſulphur. ſuccinum præparatum, & ſi febris inſimul urgeat, Nitrum purum & ſaccharum Saturni, imo & ipſa opiata.

Præter hæc interna remedia, externe *l*) quoque contra inflammationes uſu

---

Superiori ſeculo vixit *Scheunemannus Paracelſiſta* hoc remedii genus in uſu habens, v. plura *in Chir. p. 1. ſeqq.*

k) In Eryſipelate non convenit V. S. quando ibi motus criticus eſt, qui hac ratione turbaretur.

l) Ut humores redeant ad ſua vaſa, repellentia vulgo adhibent, nempe 1.) Adſtringen-

uſu experta ſunt varia, v.g. in tumore eryſipelatis ceruſſa, minium, bolus armen. farina ſecalin. pannus ſangvine menſtruo pollutus, flor. Sambuci & chamomillæ, Sp. vini vel ſimpl. vel camphoratus &c. In aliis verò inflammationibus vinum cum flor. Sulphur. decoctum, Spir. Nitri dulc. lixivium è ſarmentorum cinere Nitro aut aceto vini paratum ex commendatione *Sculteti*. Deniq; & Anodyna, crocus herb. parid. fol. & rad. hyoſcyami.

§. 2.

De

HAEMORRHAGIIS.

SEcundum nunc ſequitur ſanguinis vitium in motu excedens, quod duplex: nempe aliquando intra cancellos & terminos proprios tantum movetur impetuoſius ſanguis, aliquando verò limites illos transgreditur & extravaſatur. Miſſa jam priori ſpecie, utpote de qua incidenter §. *de Scorbuto* actum eſt, & ſin ſubſequentibus, ubi de febribus ex profeſſo erit ſermo, ſolum aſſumimus illum ſanguinis inordinatum motum, quo extra corpus profunditur. Vocatur à Practicis Hæmorrhagia Germ. Blutſtürtzung & frequentius per nares, nonnunquam tamen etiam in viris per hæmorrhoides & in ſexu ſequiori per uterum, imo in omnibus partibus venoſis ac arterioſis, cauſa externa læſis, contingit. *Hæmorrhagiæ variæ.*

Cauſa. Cauſa hæmorrhagiæ in genere conſiſtit in vaſorum ſanguiferorum apertione facta jam à ſpontanea dehiſcentia oſtiolorum ſive extremitatum illorum, jam verò à violenta læſione.

Priori cauſæ occaſionem dant primò Plethora, quæ ſupra ad vaſa dicebatur, item Scorbuticus ſanguinis orgaſmus, aut alia ejus exagitatio, modò à meri potu uberiori, modo à vehementiori commotione corporis excitata. Alteram cauſam præſtant vel acrimonia *m*) ſanguinis erodens vaſorum extremitates, vel externa inſtrumenta incidentia, contundentia ac vulnerantia. *Occaſionalis Cauſa.*

Signa, quæ cauſas oſtendunt, quærere potes, partim in §*is de plethora*, & *ſcorbuto*, partim verò ex ægroto & adſtantibus ſciſcitari. *Signa.*

Circa curam ratio habenda eſt diverſarum cauſarum, & quidem primò cum ex Plethora hæmorrhagiam judicaveris V.S. largiter celebrata unicum idque infallibile remedium erit. *Cura.*

Eadem quoque valet in æſtu ſanguinis quacunque ex cauſa oriundo, cui tamen ſuperaddi poſſunt & interna remedia, quæ vim incraſſandi impetumq; ſanguinis ſiſtendi habent. Incraſſant verò primò acida, inſtar omnium Spir. Vitrioli ex *obſervatione Wedelii in M. N. C. Ann. 3. Obſ. 106. p. 176.* vel etiam alius v.g. Spir. ſalis, præſertim ſi cum illis Tinct. fl. bellid. vel papav. errat. exhibeatur. Præter hæc acida conveniunt eodem in caſu glutinoſa ac gummoſa remedia, è quorum catalogo nullum omnino, prterquam Sperniola Crollii, *n*) ob gelatinoſam ex ſpermate ranarum ad-

---

tia, quæ inflammationes non rarò curant rad. biſtort. torment. cupreſſ. fl. balauſt. ſumach. gall. &c. Corrugant partibus ſuis hamoſis partes & humores reprimunt. 2.) Refrigerantia, quæ tamen non niſi recenter factis, imprimis ab injuria externa ſc. alliſione, contuſione, inductis inflammationibus & tumoribus applicanda, ut non admittant ſtagnationem humorum, extra quod tempus non conveniunt, humores enim jam craſſefacti inepti ſunt ad regreſſum. 3.) Nervina & reſolventia habent vim ſtimulandi partes & ad corrugationes diſponendi, ſpir. vini ſimpl. camph. aqv. reg. Hung. ſpir. vini theriacal. herb. roriſmar. ſalv. &c. ſi modo conveniat repulſio aut reſolutio, extra quem caſum nocent, & conveniunt potius acria attrahentia, rubefacientia.

m) Cur hyemali tempore præprimis hæmorrhagiæ oriantur, à catarrhis ſeroſis mihi videtur contingere eo, quod, cum per frigus tranſpiratio impediatur, hincque ſerum in corpore p. n. colligatur, non poſſit non tunc auctus ſangvis vias præternaturales quærere.

n) Male myrrha & alia acria adduntur ſperniolæ crollii, contraria enim operationi ſunt hæc remedia; Deinde quoque in doſi adeo exigua propinatur ab autoribus, gr. duo verò nihil efficiunt, & tuto ab ℈ß. ad ʒj. porrigi poteſt. Par ratio eſt ſper-

addito oriundam conſiſtentiam, admodum nobilis, & gummi Arabicum, *à Proſpero Alpino de plantis Ægyptiac. p. 5.* tanquam in quavis hæmorrhagia conveniens remedium adeò commendatum.

Tandem nec obliviſcenda ſunt remedia ſpirituum impetum, & per conſequens etiam ſangvinis orgasmum refrenantia opiata aut alia narcotica intro aſſumta. Solent aliàs in ſimili caſu pro ſcopo revulſionis ventoſam *o*) magnam nuchæ vel hepatis regioni applicare & ligaturas arctas doloroſis partibus injicere, item per terrorem improviſum ad ſclopeti exploſionem à tergo factam, aut conſperſione cum aqua frigida excitatam, item per linteum aqua frigidiſſima imbutum, & vel teſtibus in viris, vel mammis in fœminis circumligatum hæmorrhagias enormes ſiſtere. Sed omni ex parte haud mihi apta videntur illa remedia, quoniam per ea coagulatio ſangvinis poteſt gigni, æquè poſtmodum periculoſa ac anteà hæmorrhagia erat.

In altera cauſa læſione ſcil. ex vulner. vaſorum ſangviferor. interne æquè ac externè vulneraria & adſtringentia debent uſurpari. Interna ſunt ſuccus urticæ, plantaginis, menthæ, & burſæ paſtoris &c. aut uſnea cranii humani, excreſcentiæ nigræ ſpicarum ſiliginis, Croc. Martis adſtringens, hæmatites pulveriſatus, vel tinctura ejus aut Sulphur Vitrioli, it. Sachar. Saturni.

In externorum *p*) catalogo continentur fol. ſalicis, urticæ, herbæ gratiæ Dei, amylum, bolus armen. crocus Martis, colcothar. Vitrioli, crepitus lupi, aut famoſi liquores ſtiptici *q*) ex Vitriolo & Alumine vel ſaccharo Saturni in aqua plantag. ſoluto; vel Spiritu Vini ſimpl. ex obſervatione *Bohnii in Eruditor. Actis Lipſ. A. 83. Menſ. April.*

Omnia tamen illa fruſtulum Aluminis trunco arteriæ vel venæ læſo intruſum ſuperat, in momento enim & incantamenti ad inſtar oſtiola illa ſauciata conſtringit, ſicuti hoc ex *Petr. Borello Cent. 4. Obſ. 50.* & quotidiana Chirurgorum obſervatione addiſci poteſt.

CAP.

matis ranarum in ſubſtantia aſſumti. Acida & ejusmodi viſcida cum opiatis optimo cum ſucceſſu dantur.

o) Non male applicatur, agit enim dolorem excitando & ſangvinem alliciendo ad muſculos, quibus ventoſa applicata fuit; doloroſas compreſſiones etiam laudant, de quibus vid. *Petræus in Noſologia Harmonica*, jubens, ut digitus annularis fortiter filo ſericeo conſtringatur; quid verò in genere de ligaturis venarum in hæmorrhagiis ſit ſentiendum, unâ cum cautelis vobis inſerviet *Meibomii Diſſ. de Hæmorrhagia §. 42. 43. &c.*

p) Si vaſa ipſa dilacerata ſunt, externis ſuccurrendum per ἴσχαιμα nempe 1.) Comprimentia, quæ ſcil. vaſa eorumque extremitates comprimunt, ligaturæ arctæ. 2.) Obturatio v. g. ſpongioſa vulneribus immiſſa juxta *Galenum* per pilos leporinos in reg. abdominis repertos & evulſos it. lanugo raſilis linteaminum, Corbey/ (linteamina uſta ſive fomes, item tela aran.) non tamen ex Catthu. parata v. *Muys Chir. rat.* it. lanuginoſa illa v. g. ſpongia marina in aqua aliquoties macerata item lanugo ſalicis, caſtanearum, fructuum caſtanearum, cydoniorum, platani &c. vulneribus immiſſa obicem ponunt. 3.) Glutinantia juxta *Tabernæmont.* farina volatica ſive amylum vel farina vulg. item ſangvis exſiccatus, ſangvis dracon. gluten. vulg. album. ovi. 4.) Coagulantia, v. g. vel adſtringentia vel cauſtica, gallæ, uſnea, crepitus lupi, alumen, vitriol. cyprin. goſſipio involutum, hinc fiunt liquores ſtiptici, it. huc referri debet ſpir. vini vulneribus applicatus aut ol. tereb. deſtill. cum lanugine raſili applicatum. Tandem cauteria actualia & potentialia ignis candens, ferrum candens: corrugantur hinc partium fibræ, ſangvisque ipſe coagulatur, ut ſibi ipſi obicem ponat.

q) De illo *Weberi vid. Act. Haffn. Vol. 2. p. 349.* ſunt & alii, *Dni. Vivient. & Bondeti* de quibus *Blegny in Zod. Gall.* de oleo *Terebinth. vid. Tr. James Jonge, cui tit. Currus Triumphalis Terebinth. idiomate Anglico ſcriptus.*

CAPUT IX.

De VITIIS LIENIS, DOLORE ſcil. INFLAMMATIONE, TUMORE ET SCIRRHO.

POſt ſanguinis vitia lienis propono tanquam viſceris multum ſanguinis elaborationi inſervientis. Quaternionem patitur hoc viſcus affectuum admodum atrocium, dolorem puta, inflammationem, tumorem, ſcirrhum. Atrocium dico: minimus enim ex his totam oeconomiam animalem turbare & adeo anxios & inquietos reddere clientes poteſt, ut neſciant ſæpè numero, quid agant, aut quam in cauſam tantæ anxietatis culpam referre debeant, lacrymas enim effundunt, ſæpius ſuſpiria ac gemitus ab imo pectore ducunt, & ſi chronicus hic morbus fiat, in melancholiam incidunt, & violentam mortem non raro meditantur. Quæſiti interim de cauſa hujus inquietudinis, nullam dare poſſunt, præterquam quod locum ſub coſtis ſpuriis ſiniſtri hypochondrii indigitent, in quo vel moleſtiam aliquam, vel ardorem aut tumorem, modò mollem, modo induratum tactuque renitentem percipiunt. *Symptomata.*

Signa. Signa horum affectuum habentur è modo recenſitis ſymptomatibus cum ſiniſtri lateris moleſtia immediate ſub coſtis ſpuriis hærente. Accuratè hic locus notari debet ad evitandam confuſionem quam parit dolor in coli curvatura ejusdem lateris infra lienis ſitum occurrens. Anſam dedit dolor hic flatulentus quibusdam recentioribus Medicis dubitandi de vero lienis dolore & annon ille idem dolor colicus hactenus ſemper antiquitati impoſuerit, ut illum pro ſplenico judicaverint. Sed quemadmodum hoc rigoroſum neotericorum aſſertum minime approbo: ita nec veteribus adſtipulari poſſum, qui ubique & in omnibus pene morbis lienem ejusque obſtructiones accuſant. Medio proinde tutisſimi ibimus, nec omnem dolorem ſiniſtri lateris ſplenis affectum, nec omnes ægritudines lienis figmenta credentes.

Cauſa. Quodſi nunc veræ lienis affectiones contingant, cauſam agnoſcunt, vel acrimoniam ſanguinis, quæ in hoc viſcere admodum nervoſo ac ſenſibili non tantum doloris plus minus exquiſiti, ſed & inſuper inflammationis, tumoris ac tandem ſcirrhi (ubi inſimul viſcidæ ac tartareæ partes, veteribus atrabilariæ nuncupatæ, in cruore abundant) origo eſt. Quæris: ſed unde dira illa ſymptomata triſtia ſc. immodica, crebriusque repetita ſuſpiria? Noli, quæſo, illa mirari cum arctisſima ſit connexio diaphragmatis, & hujus viſceris mediante nervo paris vagi dicto, adeoque facile illud à lienis ægritudine in conſenſum raptum anheloſam efficit reſpirationem. *Ratio ſymptomatum.*

Cura. In Cura affectuum lienis duo incumbunt Medico, primò vel præſentem moleſtiam tollat, & poſtea ut recidivam ejus impediat.

interna. Primam intentionem obtinebit per dolorem demulcentia anodyna tam externa, quàm interna, vel ſi inflammatio adfuerit per V. Snem *r)* aut alia contra inflammationem in antecedentibus laudata remedia.

Quoniam verò palliativa eſt dicta cura, fomitem tantorum malorum (dyſcra-

r) Antiqui ramum brachialis venæ inter digitum auricularem & annularem eligebant, illamque ſalvatellam vocabant, videatur *Spigelius tr. pecul.* mera tamen ſunt figmenta, quæ de connexione lienis cum ſalvatella traduntur. Si modo tundatur vena, largiterque paulo effluat ſangvis motum obſervabit retrogradum ſangvinis ſtagnantis in liene. Imo ſaphæna tuſa levamen adducit &c.

(dyſcraſiā loquor ſanguinis) neceſſum habet aggrediatur. Pro hac intentione exſequenda petat è §. *de Scorbuto* acrimoniam corrigentia, ipſisque addat chalybeata, limat. Martis præpr. croc. aut tinctur. cum ſucc. pomor. borsdorff. aut alio menſtruo paratam, vel acidulas, liqu. Marti-ſolarem.

Deinde incidentia & reſolventia ex §is *de Cachexia & catarrhalibus affectibus* mutuetur, cumque illis conjungat appropriata ſcil. dicta ſpleneticа, lign. & cortic. tamariſci, ſcolopendrium, epithymum & cuscutam, fumariam, galeopſin, chelidonium majus, rutam, chamædryn & chamæpytin, rad. filicis & quinque aperientes majores & minores, in ſpecie tamen capparum.

externa. Interim externè lienis regioni imponi poſſunt diſcutientia vulgaria ex flor. Sambuci, chamomill. meliloti, papaveris &c. aut ſi hæc invalida fuerint, cataplaſmata ex capparibus cum aceto vel lixivio coctis vel ex Nicotiana viridi, bryonia aut cyclamine facta: & his etiam irritis emplaſtra de cicuta, de galbano crocatum, ſpleneticum de gummi ammon. aliisque fortioribus reſolventibus cum oleo capparum aut alio ſpecifico malaxatis. *s*)

Caput X.

De MORBIS CIRCA URINAM & ORGANA HUJUS FUNCTIONIS.

Diabete describitur. Rarioribus affectibus non immeritò præſens, attamen propterea non ſtatim illis, qui in mera ſpeculatione conſiſtunt cum *Dygbæo Theatr. Sympathetic. p. 224.* accenſeri debet. Variis ſalutatur nominibus à Medicis, præterquam enim quod Græci διαβήτην illum dicant, ab aliis hydrops ad matulam, diarrhœa in urinam, item dipſacus appellatur. Admodum miranda eſt ejus natura, redditur enim quandoque in illo urina, eandem *Dividitur.* prorſus faciem cum potu *t*) aſſumto exhibens, & hanc ſpeciem notham dixerunt diabetem, quemadmodū illam veram, in qua ſolito major quantitas (quæ nonnunquam potus antea hauſti copiam multum ſuperat) *u*) urinæ excernitur. *Symptomata.* Præterea ſiti pene intolerabili, æſtu, ſumma virium debilitate & contabeſcentia totius corporis, & tandem ubi à mejendo per paucam temporis moram abſtinuerint, tumore lumborum, ilei ac teſtium vexantur ægri.

Causa. Cauſam diabetes quod concernit, veteres hanc in renibus & ſpeciatim in illorum intemperie modò calida, modo humida, vel in facultate attractrice aucta quærebant, quibus è recentioribus *Sylvius* ſubſcribit exiſtimans à caruncularis renum præter naturam relaxatis vitium hoc originem ſumere. Nos media via incedimus ſtatuentes, ut plurimum cauſam latitare in ſanguine, non quidem (deſero hic *Williſium*) ab acido quodam (ineptum enim hoc

 foret

s) Nec approbo extirpationem lienis v. *Barth. Cent. Hiſt.* in homine enim eſt abſolutè impoſſibilis, ſive ſ. n. ſ. p. n. conſideres, in ſtatu namque naturali immediatè ſub coſtis ſpuriis lien eſt poſitus, quis eo abs laceratione aliarum partium veniret, imo nec absque circumligatione vaſorum id fieri poſſet.

t) *Horſt. Obſ.* emulſ. amygd. dulc. ita rejectam refert. *Bartholinus* vinum rubrum mictum &c.

u) *M. N. C. Dec. I. A. 8. o. 26.* referunt diabeticam 12. menſ. ſingulis diebus mingentem, cum vix 3. vel 4. hauſerat. conf. *Schenck. L. 3. Obſ.* diabetica plus urinæ intra paucos dies emittebat, quàm univerſum corpus ad lancem examinatum. *M.N.C.D. 1. A. 2. p. 274.* diabetem per vitæ tempus referunt conf. *M. N. C. D. 2. A. 8. p. 372.* ubi ratio redditur tantæ ſeri quantitatis excretæ & unde ſit.

foret ad præſtandum hunc effectum) fuſo, ſed potius particulis ſalinis *vv*) & ſeroſis admodum ſua natura ad ſecretionem aptis, luxuriante.

Symptomatum ratio. Qua cauſa ſuppoſita facilis erit ſymptomatum concurrentium explicatio, ſitis ſcil. ex defectu ſalivæ non ſolùm, ſed etiam ſalium in ſero abundantia, prout ex cap. I. videre eſt, dependet. Æſtus motui ſanguinis accelerato & contabeſcentia defectui particularum oleoſar. ac viſcidarum in ſanguine debentur.

Quandoque tamen cauſa hujus mali in ipſis renum tubulis *x*) nimium relaxatis hærere poteſt, cum ſc. in altera diabetes ſpecie potus planè non alteratus (quod tamen rariſsimè contingere puto) redditur.

Cura. Quoad curam cum duplex quaſi ſit affectus ex duplici, uti modo dictum, cauſa reſultans; ſciendum eſt, in Diabete vera reſtitutionem deficientium in ſanguine particularum ſulphurearum omnibus modis moliendam eſſe, quam etiam ſubinde obtinebimus per incraſſantia *y*) & viſcida, thus, maſtichen, gummi arabicum, tragacantham aliaque minus acria gummata: Quibus ex animali regno lac, gelatinæ C. C. & eboris, & quibus communiter utimur è pedibus vituli vel porci addi poterunt. Præfero hanc medendi methodum aliis paſſim ab Autoribus traditis, quæ per purgantia aut diaphoretica remotionem abundantis ſeri intendunt: contra enim indicare hæc remedia ſumma ægrotantium debilitas videtur.

In altera Diabete, quam notham ſupra diximus, adſtringentia *z*) potius locum habent, aliquoties in antecedentibus propoſita terra ſigill. bol. armen. hæmatites &c. & talia remedia quæ chylificationem inſimul læſam reſtituunt.

§. 2.
De
ISCHURIA ET DYSURIA.

DEnotant hæc nomina affectus Diabeti è diametro oppoſitos, nempe ſuppreſſionem urinæ quæ prout vel totalis vel aliqualis tantum eſt *Iſchuria* & *Dyſuria* appellatur. Moleſti ſatis juxta & periculoſi & non raro lethales ſunt dicti affectus, imprimis ſi non intra paucos *a*) dies ſuppreſſio illa tollatur. *Iſchuriæ & Dyſuriæ deſcriptio.*

Symptomata. Symptomata ut plurimum habet conjuncta, dolorem pro diverſitate cauſarum varium, & tumorem in lumborum vel pubis regione eminentem; accidit tamen quandoque ut neutrum ex his ſymptomatibus adſit, quale exemplum *M. N. C. Ann. 4. p. 209.* exhibent

w) Aliquando ab aſſumtis acribus orta eſt diabete, v. g. ab aromatum abuſu v. *M. N. C. D. 2. A. 2. p. 281.* it. ex betulæ ſucci largò uſu. *M. N. C. D. 1. A. 2. p. 300.* it. ex uſu externo cantharidum in veſicatoriis v. *M. N. C. D. 2. A. 7. p. 149.*

x) Aliquando etiam in tubulis relaxatis renum cauſa eſt v. *Ruyſch. o. 13 p. 19.* Is diabeticum ſecavit, in quo utrumque renem conſumtum vidit, vaſculaque ſecretioni deſtinata admodum dilatata, membranas verò obtegentes admodum fuiſſe incraſſatas.

y) Abundantia ſeri & defectus gelatinoſarum corrigitur per viſcida, glutinoſa &c. lac ovillum, bubulum, aſininum, vid. *River. Pr.* Mucilag. ſem. pſyllii cydon. & ſangvin. dracon. videatur *Alex. Benedictus* decoct. malv. alth. aliorumque commendat. *Blancard. in Coll. Phyſ. c. 1. o. 8.* Dict. rad. chin. & ſarſap. laudat. *River.*

z) Commendat autem *Sylvius* rad. ſymph. maj. & ſyrup. ejus, alii laudant equiſeti ſuccum, ſyr. de omphacio, ſyr. pſeudoacori paluſtris, quem *B. Chriſt. Langius* ſalutavit nectar adſtringens, teſtaturque in medicamentis ſuis, ſæpius ſe hoc ipſo diabetem ſpuriam curaſſe ex voto.

a) Iſchuria maxime periculoſa eſt & utplurimum terminatur intra 7. dies *M. N. C. D. 1. A. 2. o. 23. & 30.* referunt, Iſchuriam ad 11. vel 15. imo ad 22. diem duraſſe; verum rariſſima ſunt exempla hæc. Ille affectus, quem *M. N. C. D. 1. A. 4. p. 209.* referunt, ex obſtructione vaſorum arterioſorum, quæ ad renes abeunt, erat; unde ſangvinis affluxus impediebatur, hinc etiam urinæ ſecretio, adeoque tumor in pube obſervabatur nullus.

bent, & tùm ſi non abſolutè lethalis, ſummè tamen periculoſus eſt morbus.

Cauſa. Cauſa illorum vel in ſangvine ipſo, vel in viis urinariis hæret: exempla refert *Williſius Pharm. rat. P. 1. p. 102.* aut aliorſum, v. g. ad poros cutis rapiuntur in ſudore diuturno, vid. Piſo: in ureteribus jam in veſica jam in urethra materia obſtructionis *b*) continetur; jam vero per conſenſum illa afficiuntur. Per eſſentiam itaque patiuntur dictæ partes, quando in iis calculus aut ſabulum vel pituita vel ſanguis congrumatus vel purulenta materia vel (ſpeciatim in urethra) caruncula hæreat, aut inflammatione, gangræna, ſphacelo, ſpaſmo, paralyſi aut atonia (ex diuturna retentione urinæ) correptæ ſunt: ſicuti per conſenſum tantũ afficiuntur, quando à fecibus durioribus vel uteri mole in gravidis, cervix veſicæ comprimitur, vel ex vicinarum partium læſione v. g. in caſu ab alto ex luxatione vertebrarum in conſenſum *c*) rapiuntur.

Signa. Signa loci affecti facili negotio tumor vel dolor illarum partium ſuppeditabit, aut ſi nullum ex his adfuerit, in Maſſa ſanguin. culpa erit. Sed difficilior eſt cauſarum in illis cognitio, poteſt tamen huc per antecedentium & ſymptomatum examen perveniri. Calculus enim dolore lancinante utplurimum ſe prodit, inflammatio dolorem ardentem habet comitem &c. quæ tamen ſymptomata in aliis cauſis deſunt.

Cura in Iſchuria ex ſeri defectu. Cura pro cauſarum diverſitate, diverſa debet inſtitui à Medico. Sic in ſangvinis vitio ſerum corporis debet augeri per aquea, ut ſunt decoctum petroſelini, dauci, anſerinæ, virgæ aureæ, ſeminis milii ſolis vel aqu. extinctionis ſilicum ex commendatione *Tachenii Hippocr. Chim. p. 23.* vel affluxus ad alias partes debet inhiberi, quæ remedia de ſudoris vitiis habebis.

Obſtructione. Quando verò ab obſtructione eſt ſuppreſſio urinæ, tum cauſam removere allaborabis; & primò quidem calculum per diuretica, emulſionem ſem. violar. vin. alkekengi, tincturam nephritic. Amelungii, ocul. cancr. cryſtallum, teſtas ovor. calcinat. & alia inferius §. *de calculo* tradenda.

Pituita. Pituitam per aperientia & reſolventia in ſpecie ſalia volatilia vel fixa, ſalſa, ſal ononid. ſtipit.. fabar. ſal. ammonia. &c.

Sangvine congrumato. Iisdem remediis ſangvis congrumatus reſolvi poteſt, imprimis ſi illa addideris, quæ §. *de Inflammatione* commendavi.

materia purulenta. Purulentam materiam tolles remediis §. *de renum & veſicæ ulceribus* proponendis, ſicuti carunculam in urethra hærentem medicamentis contra hunc affectum in lue gallica ſuppeditatis.

Inflammatione. Inflammationis, gangrænæ ac ſphaceli, ſpaſmi & paralyſeos curam ex peculiaribus hiſce morbis dicatis §is depromes.

Atonia Atoniam compreſſione externa manus vel roborantibus & antiparalyticis juvabis.

duritie fecum Quodſi à fecum duritie fuerint hæc mala, clyſma emolliens vel pro rei exigentia acre proficuum erit.

Compreſſione cervicis veſicæ Compreſſionem verò cervicis veſicæ ab utero, ſitus corporis reſupinus & partus ſolvent.

per conſenſum. Tandem ſuppreſſionis urinæ ex conſenſu oriundæ non alia erit cura, quàm repoſitio & reſtitutio harum partium.

§. 3.

De

Ardore Urinae
et Stranguria.

Novum nunc par affectuum circa Urinam ſiſto, *Ardorem* ſcil. *Urinæ* & *Stranguriam*, in quibus quidem magna affinitas cum Dyſuria deprehenditur quoad mictionem, quadantenus ſuppreſſam, quæ tamen facili negotio per ſymptoma hiſce affectibus proprium & inſeparabile (dolorem intelligo ab urina effluente excitatum) diſtingui poteſt. *In quo differant à Dyſuria.*

Sub

b) Novi Iſchuriam ex caſeo Holland. & potu cereviſiæ Wettinenſis (Keuterling) ortam.

c) *Binningerus* exemplum iſchuriæ in obſ. refert, à refrigeratione pedum originem ſumens.

Quomodo à ſe invicem differant? Sub duplici titulo doloroſos hos mictionis affectus propono, utut non ignorem ab aliis pro uno eodemque morbo haberi & urinæ ardorem cum ſtranguria ſæpius confundi. Etenim in ardore Urinæ ratione quantitatis ejus, nullus quidem defectus notatur; interim tamen inter excernendum tantus dolor tantaque roſio gignitur in urethra *d)* non ſecus ac ſi igne eſſet exuſta, in ſtranguria verò ſtimulatio perpetua ad mingendum adeſt, nihil tamen præterquam una aut altera guttula effluit. Sed licet quodammodo ſic differant inter ſe, nihilominus multum quoad cauſam ac curam conveniunt.

Cauſa. Uterque enim acrimoniam urinæ pro cauſa habet, à qua dolor non tantum ſed etiam mingendi cupiditas dependet. Notandum vero eſt acrimoniam hanc majorem videri in Stranguria, quam in ardore urinæ, cum illam in hoc affectu aliquandiu adhuc, in illo vero vix per momentum temporis retinere valeant ægri. Quæris, cujus naturæ ſit dicta acrimonia? Scias à Recentioribus illam tantum acidam *e)* credi (cum experientia teſte ſtatim ex Spir. ſalis. Vitrioli &c. abuſu aut à cereviſiæ acidæ vel nondum defecatæ hauſtu contrahantur dicti affectus) ſed male. Loquuntur enim obſervationes hos affectus etiam ex ſanguine congrumato & purulenta materia è pulmonibus aut aliis partibus ad renes & veſicam translata, item ex Spir. ſalis ammon. cum calce viva parati, aut ſalis cujusdam fixi larga aſſumtione, quæ tamen cuncta nemo niſi hoſpes vel peregrinus in chymia acida dixerit.

Præter dictam verò acrimoniam urinæ & excoriatio veſicæ aut urethræ v. g. ab ulcere ejus aut gonorrhæa virulenta item conſenſus ex vellicatione aut inflammatione inteſtini recti vel uteri horum affectuum derivari poteſt cauſa, prout hoc ſæpius praxis docet.

Cura. In Cura itaque ante omnia intentio dirigatur ad acrimoniæ correctionem quæ obtinetur primo per diluentia, copioſum potum *f)* aquæ, fabarum ex conſilio Sennerti vel aquæ extinctionis fabrorum &c. deinde per abſorbentia terrea, ocul. cancr. lapidoſ. &c. tertio per viſcida *g)* & glutinoſa, maſtichen, thus, gummi arabic. tragacantham, tere-

d) In ardore urinæ magis afficitur ab acrimonia illa urethra & ſphincter, quod inde conſtat, quia retineri poteſt per aliquod tempus urina, donec ejus quantitas fuerit collecta, & tunc demum, quando excernitur, doloris ſenſus percipitur, in ſtranguria verò ureteres & veſica magis afficiuntur, hinc etiam dum per ureteres vel guttula urinæ deſtillat ad veſicam, ſtatim & in his & in veſica dolorem atque ſtimulum ad excretionem inducit, hinc hoc in affectu continuo, uti dixi, mingere conantur ægri.

e) Cauſa non ſola eſt acrimonia acida, quamvis aliquando ab eadem contingere hos morbos conceſſerim, ſed quævis acrimonia tale quid efficere poteſt. Nam cantharides aſſumtæ aut etiam externe ſaltim applicatæ ſtranguriam ſæpe horrendam excitaſſe loqvuntur obſervationes. vid. *Binninger. o. p. 101. 322. & 484.* in quibus tamen manifeſte deficit acidum. Cur autem cantharides adeo noceant vaſis urinariis, multas Autores adducunt rationes. Quidam putant, ex hac ratione viis urinariis, & non aliis cantharides infeſtas eſſe, quod illis in locis, urinariis puta cantharidibus addatur ſal illud, quod urina alit & inde degenerare illas in cauſticum, quod partes eas adeò afficiat, probant hoc, quod ex antimonio & ſale comm. mordaciſſimum concretum, & ſummè cauſticum, butyrum nempe antimonii producatur. Verum reſpondeo, minime hanc rationem genuinam eſſe, cum cantharides etiam externè applicatæ ſtranguriam inducant, hinc non à ſale accedente, ſed virtute earum propria dependet. Melius inde rem explicant alii, qui aſſerunt, in aliis partibus obſtare viſciditatem lymphæ, quæ acrimoniam involvit, ut adeo operari nequeat; è contra in renibus, quia ſecernuntur purè aqueæ ſubſtantiæ & cum hac ſimul cantharidum acrimonia, viſcida verò illa lympha deficit, hinc facilè acrimonia ſibi relicta has partes afficere, graviaque adeo ſymptomata producere poteſt, abradendo ſimul mucum veſicam ordinarie incruſtantem hancque excoriando.

f) Aquæ ſimpl. aut thermalis vel Thee aut Coffee &c. aut alium tenuem.

g) Si à cantharidum uſu aut ex alia acrimonia, conducunt imprimis viſcida & glutino-

terebinthinam, mucilagines ſeminum pſylli & cydon. lac. bubul. & caprin. emulſionem ſeminum quatuor frigidor. maj. & min. amygdal. & caſtanearum decoct. ptiſanæ & raparum paſſarum rad. malvæ & glycyrrhizæ &c. Quibus non malè ſi dolor fuerit nimius anodyna, ut ſunt ſem. papav. alb. & hyoſcyami vel crocus adduntur.

Non inconveniens quoque erit cuncta hæc glutinoſa & pinguia, vel loco illorum album. ovorum *h*) conquaſſator: aut mel dilutum vel balſamum Sulphur. vel copayva in ipſam veſicam per urethram immittere: longe enim citius præſtabunt inviſcationem acrimoniæ, quam interius ſumta, imprimis, ſi jam eroſa & inflammata ſunt interiora.

§. 4.

De

INVOLUNTARIA URINÆ EXCRETIONE.

Licet quodammodo ad involuntariam mictionem Urinæ ſtillicidium ob continuam irritationem, quam patitur veſica à liquore acri allabente, pertineat; ſolùm tamen in hoc §. peragimus de illa incontinentia, quæ ſine omni dolore ac ferè inſenſibiliter inter dormiendum potiſſimum accidit, quæ aliàs peculiari nomine *Diamnes* audit.

Deſcriptio. Corripitur hoc affectu ſolenniter infantilis & puerilis ætas; quandoque verò & in adultis vel in ipſo ſenio hoc vitium deprehenditur, ſic ut vel plane Urinam non contineant, ſed omni momento, quo quicquam ejus ad veſicam translatum eſt, involuntariè iterum transmittant, aut ſaltem ſi per diem & vigilantes illam ſupprimant, noctu tamen & ſomno ſepulti ſtragula permingant, qui ultimi propterea ἐνερῶνται & ſtylo Helmontiano lectiminges vocantur.

Cauſa. Cauſa moleſtisſimi juxta ac turpisſimi hujus mali unice veſicæ ſphincteri attribuenda, qui vel impar eſt retinendo copiam urinæ ad veſicam translatæ (& hac ex cauſa infantum *i*) ac potatorum quorundam vel ſenum invitum eſt urinæ profluvium) vel irritatur ab acrimonia urinæ, calculo aut uteri mole in gravidis vel paralyſi afficitur ob caſum ab alto, *k*) vertebrarum, aut osſis ſacri luxationem &c. vel nimium dilatatur aut atonia laborat à calculo egreſſo aut in partu difficili atoniam patitur; vel denique ob læſionem fibrarum (modo per ineptam obſtetricis manum, modo per ſcalpelli chirurgici aciem in partu & calculi ſectione) ineptus plane ad retinendum redditur.

Cura Diamnes. In cura habendus eſt reſpectus cauſarum proximarum: ſic primo puerulis, potatoribus ac ſenibus de nocte lectum commingentibus detrahatur potus in ſpecie cubitum ituris conſuetus, Ger-

---

ſa emulſ. ſem. frig. maj. & min. *River. p. 267. Binninger. l. c. & Heyde obſ. 69.* It. lac in quo decocti fuerunt fl. chamomill. Huc ſpectat Reſina abietis magnitud. nuc. moſch. cum ſaccharo aſſumpta, quam *Sibbaldus Prodr. Hiſt. Nat. Scotiæ P. 2. Sect. 2. o. 1. Heyde o. 39.* commendant tanquam ſingulare remed.

h) Terebinth. cum album. ovor. ſubacta, ſed ſub emulſionis formâ.

i) In infantibus hoc malum frequens eſt, utp. qui ſufficiente ſpirituum robore deſtituuntur, hinc fibras ſphincteris non debite inflant, imo ipſæ fibræ muſculares adhuc teneriores ſunt in pueris, ut debitè etiam conſtringant. Idem in ſenibus quoque accidit, ob ſpirituum defectum, qui non amplius officium ſuum debitè obire valent unde fibræ langvent. Defectus ſpirituum, aut deficiens robur in infantibus magis elucescit ex eo, quod tractu temporis ſponte hoc malum ceſſet; ætate ſcil. creſcente, & ubi ſpiritus majus acquirunt robur. Potatoribus vitium hoc accidit, ideo quod à nimia potus ingurgitatione, ſimulque cum potu ingeſtis ſpiritibus peregrinis inebriativis, ſpiritus corporis quaſi ligentur & ſuperentur, ut hinc ſuo muneri præeſſe amplius nequeant; à metu autem, ac timore, terrore, gaudio improviſo ſphincter etiam ſolvitur, quemadmodum ex muſica audita. *M. N.C. D. 1. A. 1. p. 134.* tale exemplum recenſent.

k) Contingit ex luxatione oſſis ſacri, ejusque læſione à caſu ab alto, recipit enim

Germanicè der Schlaffttrunck. Deinde per adſtringentia & nervina infra proponenda roborantur fibræ ſphincteris.

Ex irritatione ſphincteris. Quodſi verò ex irritatione ſphincteris oriatur, corrigenda eſt acrimonia, qualem potionem ex ficubus paſſulis & glycyrrhiza paratam tanquam expertam exhibet *Bartholinus in Actis Hafn. Vol. 2. p. 273.* ſi calculus in culpa fuerit, ejus cura habeatur, ſi uteri moles veſicam & ſphincterem compreſſerit, abſoluto geſtationis tempore & foetu enixo ſponte ſua curabitur.

Luxatione. Quæ ex luxatione eſt per ſolam repoſitionem, ſicuti quæ ex paralyſi per antiparalytica &c. reſtituetur.

Sphincteris atonia. Sphincteris atoniæ à diſtenſione nimia in partu adſtringentibus & nervinis ſuccurres, qualia ſunt glandes, maſtiche *l)* terra ſigill. & catechu *m)* marga, grana myrtilli, tunica interior ventriculi gallinarum &c. calamintha & mentha, alchimilla, ruta, ſalvia, caſtoreum, lign. aloes &c. quorſum etiam axungiam urſæ cum raparum paſſarum decocto externe applicatam refero, quam ex conſilio aniculæ tali in caſu miraculi ad inſtar, reliquis pene omnibus incaſſum adhibitis aliquando profuiſſe memini.

Ex Sphincteris laceratione. Tandem quando ſphincter planè dilaceratus vel diſſectus eſt, ambigua admodum erit cura, præprimis ſi morbus jam inveteratus fuerit. Poterunt nihilominus, ne ſine ſolatio dimittamus ægros, cineres bufonis externe appendi ex commendatione *Heinrici ab Heers in obſervatione Medica p. 194.* quamvis ut verum fatear, prorſus nullam operationis rationem videam: quemadmodum nec ſatis intelligo vim ſpecificam v. g. pudendi ſuilli in farcimine vel quocunque alio modo exhibiti, vid. *Miſcell. N. C. Dec. 1. Ann. 2. Obſ. 21.* gutturis galli incinerati ex *Solenandri & Horſtii* præſcripto, cineris erinacei ex *Sennerti*, muſculorum domeſticorum (junger Mäuſe) ex *Plinii vid M. N. C. A. 6. Obſ. 125.* capitis leporis vel ſaltem cerebri ejus cum veſica apri ex *Weckeri obſervatione* &c.

§. 5.
De MICTU CRUENTO.

Ut ut quivis ex inſcriptione §phi facilè hiſtoriam præſentis affectus habere poſſit, nihilominus quædam adhuc ad explicationem tituli facientia ſubjungo.

Deſcriptio. Sciendum itaque eſt per mictionem cruentam nobis venire non modò illam, qua lotium ſangvinis purpura tinctum emittitur, ſed etiam quando ſincerus ſangvis haud ab urina dilutus per eandem viam promanat, quam tamen ultimam ſpeciem *Hollerius in Comment. ad aphor. Hippocrat. Sect. 4. aph. 72.* tanquàm à mictu ſangvineo prorſus diſtinctam propoſuit.

Signa. Signa hujus mali uroſcopia ſuggerit; caveat tamen Medicus, ne à flammea ſcorbuticorum quorundam urina, interdum ſanguineum colorem mentiente decipiatur, proinde ut certior magis fiat, linteo urinæ intincto veritatem exploret, quod in mictu cruento purpurea veſtigia oſtendet, ſecus ac in ſcorbuto.

Cauſa proxima. Cauſa ejus dependet ex læſione & dilaceratione vaſorum ſanguineorum in renibus, veſica, & urethra.

Antecedentes. Læduntur verò hæc vaſa & diſrumpuntur in ſubjectis plethoricis ex abundantia ſanguinis nimium per commotionem corporis exagitata, vel ab ipſa natura aperiuntur ad ſarcinam hanc imminuendam, hinc obſervamus, ſtatis quandoque temporibus excretionem hanc fieri in viris, ſimili ac aliàs modò per hæmorrhoides, aut men-

ſphincter veſicæ ſuum nervum ex oſſe ſacro, hinc ipſo læſo afficitur & hic vid. *Waldſchmidt. Ep. ad Dol. p. 98.*

l) Si ex ſphincteris irritatione malum hoc naſcatur, commendatur, ut ſingulis diebus ℥j. maſtiches tanquam egregium remed. in quacunque formula adhibeatur, juxta Fioravantam aſſumatur.

m) Conf. *M. N. C. D. 1. A. 2. Obſ. 129.* injicitur quoque cum ſiphone ſi addatur infuſum fol. Theé.

menſtruas purgationes in fœminis, imò & illis viis præter naturam oppilatis cruentum mictum ſubſtitui à natura obſervationes Practicorum perhibent.

Porro quoque ex aliis adhuc cauſis læſio vaſorum ſangviferorum contingit. Jam enim ipſa ſangvinis acrimonia ſcorbutica illam efficit, vid. *Riverius Cent. 2. Obſ. 13.* jam acria aſſumta, præprimis Cantharides *n)* quæ etiam quod mirandum, externè in Emplaſtris veſicatoriis applicatæ urinam cruentam excitare valent: jam vermes renibus inhabitantes, vid. *M. N. C. Ann. 1. Obſ. 13. Ruyſchius obſ. anat. 9. & 11. p. 44. 45.* jam calculus in ſpecie inæqualis & acutus, jam caſus ab alto, jam vulnus renum & veſicæ, jam exanthemata variolarum, vid. *Höchſteteri obſ. Decad. 1. caſu. 7. & 9. Bartholin. Cent. 4. hiſt. 45.* jam coitus *o)* nimius in culpa ſunt.

Signa loci affecti. cauſarum. Signa loci affecti vix certa habentur, niſi dolor conjunctus illam prodat; quod cauſarum verò attinet, poterunt illa hauriri vel intuitu ſubjecti plethorici, aut variolis correpti &c. vel ex relatione ægrotantis, qui caſum ab alto, vulnus, hæmorrhoidum ſuppreſſionem &c. ſuppeditabit; vel ex urina, quæ calculos inſimul continebit, vel ex dolore concomitante, majori in calculo, vermibus &c. minori in aliis cauſis.

Cura. In cura reſpiciet Medicus cauſas, ita ut in mictu cruento ex plethora V. S. ſvadeat, ex ſcorbutica verò acrimonia oriunda, Antiſcorbutica: ſicuti in eo, qui ex cantharidibus, *p)* acrimoniam hanc corrigentibus, qualia ſunt præ aliis oleoſa ac pinguia, lac &c. occurrat.

Simili modo in calculo & in reliquis cauſis adhibebit debita & appropriata medicamenta.

Ut autem citius impediatur præternaturalis hæc ſanguinis excretio, opus præterea erit adſtringentibus & vulnerariis, quæ ſupra §. *de hæmorrhagiis* jam ſunt exhibita. Probè hic notetur circa uſum adſtringentium medicamentorum, ne quis abutatur illis in omni ſanguinis mictu, tantum enim abeſt, ut locus ſit ipſis, ubi malum ex tranſlatione ſanguinis ex alia parte aut evacuatione critica *q)* & naturali originem ſumat, quin potius illis in caſibus notabi-

n) *Boyle de poroſ. corp. p. 28.* ex uſu cantharid. in veſicatorio in ſe ipſo teſtatur, refertque exemplum Michaelis Paſchalis Chirurgi, qui cantharides in pera geſtavit, hincque mictum cruentum ſibi contraxit *conf. Schenck. o. 37. l. 8. Bacone Obſ. curioſ. o. 5. p. 94.* His contrariatur *Sennert.* qui negat naſci mictum cruentum poſſe à cantharidibus, teſtaturque etiam ab uſu interno cantharidum ſe nunquam tale quid obſervaſſe; contrarium tamen ego teſtari poſſum, ſcil. à cantharidum ſola externa applicatione pro veſicatorio mictum cruentum fuiſſe obortum. Cauſam, ob quam cantharides hæc præſtent, h. e. cur tantum vias urinarias afficiant, reliquas verò intactas linquant, variam Aut. adducunt; *Liſterus Comment. de Inſectis p. 117.* in pilis eam hærere aſſerit, refertque ſe talem erucam obſervaſſe, quæ cum moreretur, ac pilos amitteret, flatum in vitrum immiſit, piloſque erumpere vidit, qui faciem attingentes, eam totam veſicis infeſtabant, unde hæc dicta colligit de cauſa. Verum non negamus curioſum experimentum, dicimus tamen rarò imo rariſſime tales erucas piloſas inveniri. Potius itaque putamus, cantharides operari acrimonia peculiari, quæ nec ad acidum, nec alcali referri poteſt, quam etiam aliquo modo ſal in urina latens juvat. vid. quæ de ſtrangur.

o) Coitus nimius incuſari debet, quatenus diu nimis ſangvis in penis corporibus ſpongioſis ſtagnare cogitur, hincque dum vaſa nimium diſtenduntur, facilè eorum ruptura contingere poteſt *v. Graaff.* aut dum ſeminis elaborationi nullum ſpatium conceditur, contingit, quod nunc purus ſangvis h. e. nondum in ſemen exaltatus per vaſa ſeminalia excernatur.

p) In mictu cruento ab uſu cantharidum *Boyleus tr. de rem. ſpecif. p. 129.* tanquam ſpecificum commendat ſaponem venet. it. *M. N. C. D. 1. a. 2. o. 105.* Decoct. fœniculi ejusque pulverem ut expertum remedium extollunt, uti & omnia ex aniſo & fœniculo parata.

q) A febribus *Acta Brixienſia p. 29.* malum hoc oriri annotarunt in quodam, qui ſub ſingulis invaſionibus ſangvinem emittebat per vias urinarias, usque dum febris ſedata fuerit penitus.

tabiliter noceant, impediendo ſc. naturæ conatum, qui tamen â judicioſo Medico potius per reſolventia juvari debebat.

§. 6.

De

Calculo Renum et Vesicæ.

HAbes in hoc §pho corporis humani tyrannos infenſisſimos, meritò ſic appellandos ob atrocia ſymptomata, quibus Clientes ſuos miſerabiliter excruciant, vides enim illos appetitu prorſus proſtrato laborare cum crebriore vomitu, ac dolore exquiſitisſimo in lumborum & veſicæ regione, accedentibus nunc crurum ſtupore, dorſi incurvatione, reſpiratione difficili, lotio jam plane ſuppreſſo, jam cruento, alvi conſtipatione plus minus obſtinata, teſtium dolore, tumore ac retractione intra abdomen &c. *Symptomata*

Calculi renum & Veſicæ diagnoſis Diagnoſtica calculi renum & veſicæ ſigna ex ſymptomatibus nunc recenſitis ſunt, qui deſumere jubent; alii è contra felicius ex urina ſabuloſa peti illa poſſe docent. Qui primo ex fundamento ad morbi cognitionem pervenire ſtudent, caveāt ne colicam pasſionem aut ſcorbutum pro calculo habeant. Evitabunt hunc errorem facile, ſi locum dolentem accurrate inquirant, qui in colica pasſione ſupra renum ſedem nec adeo fixus, in ſcorbuto verò præciſè juxta dorſi ſpinam, in calculo autem renum immediate ſub diaphragmate ad ſpinæ latera deprehenditur. De cætero non ex uno aut altero ſymptomate, ſed demum ex ſyndrome illorum hauriat morbi ſigna. Alterum qui medium (uroſcopiam loquor) adhibent, pro diagnoſtico ſcopo, attendant, velim, non omne ſabulum, quod fluctuat in matula, indicare calculum, ſed tantum gaudens compactiore magis ac ſolidiore conſiſtentia, quodque fundum petit ob ponderoſitatem & nunquam parietibus matulæ accreſcit.

Cauſa calculi ſunt particulæ terreæ *r*) ad Maſſ. ſanguin. una cum aliis nutritiis delatæ, & in renibus vel veſica per ſalia in concretum quoddam ſolidum ac firmum compactæ. Demonſtrant ad oculum cauſam hanc calculi accuratus ille concretorum analyſta ignis, cujus ope per deſtillationem calculi ſalinæ ac terreæ partes educi & incredulis exhiberi facile poterunt, vid. *Helmont. Tr. de Lithiaſi*, *Tachenius. Hippocrat. Chim. c. 14.* *Cauſa.*

Cura triplex poſtulatur à Medico prima præſervatoria à calculo, ſecunda, quæ calculum jam actu præſentem removeat, tertia, quæ ſymptomatibus maxime urgentibus, præprimis dolori occurrat. *Cura.*

Præſervationis punctum maximum in debita diæta poſitum eſt, tali ſcil. quæ nulla alimenta *s*) admittit, copioſiores particulas terreas continentia, & è contra talia adhibet, quæ coagulationē terrearum cum ſalinis impediunt, qualia ſunt oleoſa & pingvia, butyrum non adeo ſalitum ex commendatione *Helmontii Tr. de Lithiaſi* ſem. 4. frigid. maj. avellanæ, amygdal. ac olivar. fructus. Deinde detineat urinam nunquam ultra debitum tempus, ſed potius medicamentis æque ac alimentis ſemper illam promoveat. *Præſervativa.*

Ex alimentis virtute hac pollent daucus, petroſelin. fœnicul. veronica, hede-

---

r) Nos dicimus calculum naſci ex ſabulo ſive terreſtribus particulis, beneficio ſalium concretis. Sic facilè ex concretione tartari vini eluceſcit noſtra ſententia, ibi enim ex terreſtribus pariter particulis per ſalia coagulatur tartarus, imprimis ſi accedat quies. Eod. modo primo ad dentes ſub forma mucaginis terreſtris dentibus apponitur tartarus poſtm. in corpus ſolidum concreſcens.

s) Ex alimentis huc vocat *Liſter* præprimis oſtreas, cancros; & cuncta teſtacea animalia. Imo non raro cum pane talis lapidea ſubſtantia communicatur, quatenus inter molendum atteritur aliquid de lapidibus molaribus, quod farinæ commiſtum aſſumere cogimur.

dera terreſtr. ſaxifragia, raphanus, allium, baccæ Juniperi, fr. fragor. alkekengi, acaciæ exſiccatæ.

Ex medicamentis *t*) ſem. violarum lithoſperm. cochenilla tinctorum, terebinthinata, pulv. milleped. lumbricor. terreſtr. lapis ſpongiæ, judaicus, oſſa dactylor. meſpilor. ficuum, ſalia volatilia & fixa omnia, ſalia ſalſa, ſal comm. tartar. ſimpl. & vitriol. nitrum purum, acidulæ, ſuccus betulæ, limonum, ſal volatile ſuccini, crem. & cryſtall. it. Tinct. tartari & ſexcenta alia.

Calculi præſentis remotiva. Alteram curam, remotionem ſcil. calculi jam concreti, præſtant omnia ſic dicta lithontriptica, *u*) quorum ingentem copiam ex Autoribus tranſcribere poſſem, ni ſcirem ab acidis ſpiritibus Nitri, Vitrioli Philoſoph. vel ſalis omne quicquid ſperandum hoc in caſu impetrari poſſe. Prudentia tamen ſumma requiritur in illorum exhibitione, primò ne dolore ſæviente uſurpentur, augent enim illum urgendo calculum; ſecundò ne, ſi de inſigni mole calculi ſuſpicio ſit, fortiora hæc remedia frequentius aut in majore doſi propinentur, movebunt enim, ſed non promovebunt calculum. Tali proinde in caſu potius experta Chirurgi manus imploranda eſt, ut commoda ſectione *w*) facta ingratum illum hoſpitem depromat, quod etiam longè felicius præſtabit, quàm omnis calculum frangentium apparatus.

Symptomatum ſedativa. Tertio doloris ac reliquorum ſymptomatum mitigationi inſerviunt cuncta vi anodyna prædita, v. g. balnea aquæ tepidæ, clyſmata ex emollientibus & anodynis, inunctiones ex ungu. de althea, oleum lilior. alb. chamomill. ſcorpion. pætræ, item balnea ex lacte & oleo. Omnibus verò his palmam præripit opium cydoniat. cum ſpecificis antiſpaſmodicis ac diureticis internè exhibitum.

§. 7.
De INFLAMMATIONE RENUM & VESICÆ.

Quemadmodum nullum internum viſcus ab inflammatione tutum eſt, ita nec hæc urinaria organa exempta ſunt, quin etiam quandoque graviſſimis ſymptomatibus ſtipatas inflammationes patiantur.

Pro

t) Hodie à Batavis commendatur infuſum vegetabilis ex inſ. Zeylon allati, nomine acmillæ, mihi tamen nondum licuit tentare, dicitur brevi calculum frangere & ſub muci forma educere.

u) Concretus jam calculus ut removeatur, laudant equidem lithontriptica, quæ tamen nihil aliud ſunt, quam diuretica, præprimis tartarea, ſpir. tartari volatilis, tinct. tartari &c. Aſt cuncta lithontriptica titulum hunc iniquè gerunt, ſiquidem hactenus irrito ſucceſſu tentata ſunt. Nam in primis viis perdunt vim, ut ad renes integra non veniant. Et ſi forte aliquando calculi exitus promotus hinc fuerit, per accidens id factum, quatenus ſtimularunt fibras ad excretionem. Si nihilominus aliqua medicamenta lithontriptica eſſent, certè acida.

w) v. *Tolettus*. Olim in perinæo, hodie in ſexu virili in inteſtino ipſo recto ſectionem inſtituunt, inſtrumento ſc. falcato. In fœminis vero non adeo opus eſt lithot. quia urethra egregie eſt dilatabilis, ut absque difficultate eximi poſſit calculus & protrahi. In urethra ſi hæret calculus infarctus, & ſymptom. creet, varium apparatum commendant: ſcil. inſtrumento convenienti immiſſo arripiunt calculum & extrahunt, quando nempe in anterioribus hæret, vel jubent contundere calculum, aſt maxima hinc pariunt ſymptomata; facile quidem ſuccedit, ſi calculus friabilis ſit, ſed ubi ſaxeus, gravia ſymptomata pariunt: vel in loco, ubi hæret calculus, urethram incidunt & eximunt; aſt non facilè conſolidatur vulnus, ſed ſæpe fiſtula oritur, continuo enim tranſit urina. Alii itaque ſuctionem commendant, ſuccedit, ſi minor ſit calculus. Alii eo caſu, ubi calculus grandior, vinculum inferius circumjiciunt, & inflant urethram, quo dilatata hoc modo dimittat calculum, aut protrudere poſſit ipſa. Alii tandem inſtrumento aliquo plane retrudunt ad veſicam usque calculum, usque commodius oboriatur tempus & tunc ſæpe, ſi cum impetu rejiciatur urina, feliciter quoque aliquando ejicitur cum conatu calculus.

Proprium habet nomen illa in renibus contingens inflammatio apud Practicos, dum *Nephritis* ſalutatur; veſica autem tali deſtituitur.

Signa. Signa deſumuntur ex dolore lumborum vel inguinis ardente, & æſtu ſummo illis in locis, tactu non modo ab extra, ſed rubore etiam notabili ſe manifeſtante, aut ex inſuper accedentibus ſpecificis ſymptomatibus, vomitu puta, impotentia ſe erigendi vel ambulandi in renum affectu: ſicut in veſicæ, intolerabili prorſus urinæ ardore.

Symptomata. Symptomata conjuncta præter jam recenſita ſunt febris continua, ſitis, vigiliæ & ſi non in tempore proſpiciatur, ſequitur ſuppuratio dictarum partium.

Cauſæ. Cauſæ proximæ communes ſunt cum aliis inflammationibus *x*) & conſiſtunt in impedito ſanguinis motu per partes iſtas. Convenientia talis quoque eſt inter remotas & occaſionales cauſas. Modo enim ſanguinis viſciditas præternaturalis, modo grumeſcentia, modo ſuppreſſio hæmorrhoidum vel menſium ex obſervatione *Stephani Decad. 5. Conſil. 1. &c.* Omnium tamen frequentiſſime calculus renum à nimia concuſſione lumborum inter equitandum aut vehendum in curru, vel à largo diureticorum uſu aut alia cauſa externa commotus.

Cura. Cura eadem plane eſt, quæ aliarum inflammationum. Confert enim egregie in morbi principio ſanguinis miſſio largiter pro ſubjecti ſtatu celebrata, Nec minorem uſum præſtant interna reſolventia, quibus adde cum *Harttmanno Pr. Chymiatr. p. m. 249.* Nitrata, Nitrum ſcil. vel purum, vel lap. prunellæ, vel nitrum antimoniat. Arcan. duplicat. item ſuccum cancror. fluviatil. aut cum Joele emulſionem ex ſem. quat. frigid. maj. & papav. cum aqu. nympheæ vel plantag. addito ſacchar. Saturni paratam. Laudantur alias hiſce in caſibus clyſmata ex emollientibus plantis lactis ſero incoctis, quibus terebinthina ovor. vitello ſoluta adjecta eſt; multum tamen roborabitur illarum virtus, ſi capita præterea papaveris incoquantur, aut Nitrum in decocto ſolvatur. Interim externe *y*) lumborum vel veſicæ regioni poteſt pro ſcopo refrigerandi *z*) & anodyno lamina plumbea applicari, aut alia unguenta vel linimenta v. g. oleum violar. cum ſacchar. Saturni butyracei linimenti in formam redactum ex præſcripto *Fabri*, ſucci nympheæ, ſempervivi, cancror. fluviatil. alum. crud. pulveriſat. cum album. ovor. ex *Obſerv. Langii.* oleum amygd. dulc. vel lilior. alb. cum camphora in mortario plumbeo ſubactum.

Quod-

x) Oritur inflammatio vel à vitio ſangvinis vel viarum transmittentium, ſc. ſi ille abundet, cum enim venæ non poſſunt tantum ſangvinis revehere, quantum per arterias affertur, ſtagnare cogitur ille, adeoque dolorem, ruborem inducit it. ſi viſciditate p. n. laboret, ſive ex defectu partium aquearum ſive abundantia gelatinoſarum. Sic aliquando frigus externum coagulare poteſt ſangvinem; it. acida copioſè hauſta, aut animi pathemata gravia impr. terror, mœror, quatenus fugant ſpiritus. In viis latet culpa, ſi anguſtentur & criſpentur, unde ab acrimonia ſangvinis, quatenus vellicat partes transmittentes, hincque ſe criſpant, oriri poteſt inflammatio. Sic alio tempore injuriæ partibus ab extra illatæ, v. g. ex concuſſione inter vehendum &c. item à calculo aſpero, quatenus irritantur partes, idem efficiunt. Sic quoque aſſumta acria in ſpecie cantharides criſpare faciunt partes. Sic frigus externum irritando ad criſpaturam diſponit.

y) Spiritus vini camphoratus, vel theriacalis camphor. Externa hæc ſunt vel reſolventia, ita ut circ. ſangvinis promoveant, e. g. calida vegetabilia impoſita; vel ſunt repellentia, quæ vi quaſi ſangvinem protrudunt, ad quam claſſem adſtringentia & actu frigida pertinent.

z) Saturnina egregie in inflammatione conveniunt, non quatenus refrigerant, ſed quatenus adſtrict. vi repellunt. Adhibent etiam lentes paluſtres, caſeum recentem, verùm de his moneo, ne imprudenter omni adhibeantur tempore, ſi enim

Quodſi cuncta hæc externa & interna nihil levaminis adferant ægro, certiſſimum eſt ad ſuppurationem tendere inflammationes, de quibus in *§pho ſequenti.*

§. 8.
De
ABSCESSU & EXULCERATIONE RENUM ET VESICÆ.

Degenerare tandem inflammationes omnes in abſceſſus & ulcera, usque adeo clarum eſt, ut nulla indigeat probatione. Mirum itaque haud eſt, ſi idem accidat renibus & veſicæ antea inflammatis.

Signa. Signa *a*) abſceſſus deſumere poteſt Medicus ex ſymptomatibus Nephritidis nulli medicamento cedentibus, imprimis quando dolor antehac ardens nunc evadit punctorius. De ulceribus vero certus fiet ex urina purulenta, docente hoc expreſſis verbis *Hippocrate Lib. 4. aphorism. 75.* Aſt quoniam præter ſemen pituita craſſa puris mentitur faciem, ſignis ſpecialioribus opus habebit tyro praxeos. *Horat. Augenius Tom. 2. Epiſt. & Conſult. Medic. Lib. 12. p. 170.* ſequentia illa ſuppeditare conatur, aſſerens: ſemen innatare urinæ, pituitam ſubſidere & purulentam materiam ita permiſceri lotio, ut aut nunquam aut ſaltem longè poſt fundum petat. Verùm enim verò quis ignorat & pituitoſum ſedimentum quandoque per temporis aliquod ſpatium fluctuare in urina, & purulentam materiam aliquando ſtatim fundum petere, quod *Hipp. ipſe loc. citat.* de pure ex veſicæ ulcere fluente ſtatuit. Certiora itaque habebit ſigna puris primò ex odore conjuncto fœtido, ſecundò ex colore ad viriditatem inclinante, vel cruore tincto, tertio ex conſiſtentia ſedimenti in ſemine fibroſo quaſi, in pituita admodum tenaci, in pure verò prorſus non cohærente, aut ex fœtore ſupra carbonem candentem effuſo.

Certiore ſic facto Medico de præſentia ulceris locus affectus ab ipſo inquiri debet, quem cognoſcet, primo ex mictione libera in renū exulceratione, doloroſa in ulcere veſicæ. Deinde ex urina jam ramentis quibusdam, carunculis minoribus & fibrillis capillorum inſtar tenuibus in renum affectu referta, jam ſquamulis coctoque magis ac fœtido pure inquinata in veſicæ vitio. *Loci affecti cognitio habetur. 1) ex mictione. 2) Urinæ inſpectione*

Tertio ex loco dolente, qui renibus affectis in lumbari regione unà cum ſymptomatibus, in calculo & Nephritide recenſitis occurret: Sicuti in ingvine quando veſica patitur. Quodſi nullum ex dictis ſignis deprehendatur, & nihilominus urina purulentam materiam contineat, cogitet Medicus, annon materia hæc ex alia parte exulcerata abierit ad vias urinarias, quale quid ex vomica pulmonum rupta ipſe ego in praxi obſervavi. Tandem cum in Gonorrhæa virulenta etiam pus cum ſangvine per penem effluat, nec urina ſine dolore emittatur, ne illam pro veſicæ ulcere habeas, criterion hoc accipe: effluit pus in Gonorrhæa ante & poſt mictionem, quod in veſicæ ulcere inter mejendum cum urina excernitur. *3) doloris ſede.*

Symptoma harum exulcerationum perquam moleſtum febricula continua lenta eſt, ſi chronicus evadat morbus, quæ ſucceſſive etiam in tabem univerſalem præcipitat ægrotos. *Symptomata.*

Cauſa horum morborum eſt corruptio ſtagnantis vel extravaſati ſangvinis in renibus vel veſica, cui ut occaſionales cauſæ antecedunt, inflammatio, dilaceratio vaſorum ex calculi aſperitate, contuſione, vulnere, acrimonia ſanguinis ſcorbutica, pure ex aliis partibus ad illa loca delato, medicamentis acribus *b*) cantharidibus &c. *Cauſæ.*

Cu-

ſangvis jam coagulatus eſt non conveniunt, ſed citra principium inflammat. aliàs conſtringunt magis poros & coagulum adaugent.

a) vid. *Heinr. ab Heer. obſ. 10.*

b) Novi ulcus renum ex larga quantitate olei ſpicæ nardi hauſta *M. N. C. A. 1.* ex abuſu olei deſtill. ſuccin. *o. 39.* ſunt hæc acria. Idem præſtant cantharides, diuretica acriora, ſalia volatilia &c. Diuretica crebrius uſurpata. Novi tale ulcus renum lethale à ſpiritu carminativo longius contra flatus aſſumpto.

Cura. Cura abſceſſus abſolvitur remediis ſic vocatis emollientibus, rad. alth. lilior. alb. ſem. fœn. græc. flor. chamomill. violar. malv. quæ in cataplasmatis formam redactæ & cum anodynis externè impoſitæ ſuppurationem abſceſſusque ruptionem *c*) juvare poſſunt, quamvis ut verum fatear, rariſſime talibus remediis opus habeamus, cum natura maturum abſceſſum ſponte ſua aperiat.

Aperto ſic abſceſſu ad exulcerationis curam ſe accingat Medicus, & internè præſcribat detergentia *d*) & vulneraria, qualia ſunt hydromel, mel & conſerva roſar. terebinthina vel in ſubſtantia vel ſub forma balſami aut olei deſtillati, ſchœnanthum &c. cyperi radix ex commendatione *Pauli Quadrip. Botan. p. 283.* bolus armen. adeò laudata à *Foreſto*, decoctum rad. Chinæ, vid. *Joel. Prax.* aut decocta vulneraria *e*) & conſolidantia ex veronica, petroſelin. equiſeto, rad. conſolid. maj. tormentillæ aliisque innumeris. *f*)

Diæta. Multum præterea juvabitur cura per diætam debitam. Caveat proinde ſibi ab omnibus acribus aromatibus &c. & (primis viis ab omni aciditate prius probè repurgatis) lacticiniis cum ovis ſorbilibus ac juſculis pullorum utatur, item amygdalis, pineis ac aliis oleoſis. Ab animi pathematibus abſtineat, quantum posſibile; Veneris verò uſum ceu peſtem fugiat.

Symptomatk Cura. Contra febrem adhibebis ocul. Cancror. cum Antihect. Poterii, emulſionem ex ſem. 4. frigidor. ac alia, quorum ſylvam infra habebis, ubi de febribus.

CAPUT. XI.

De VITIIS SUDORIS.

TRiplici modo vitiatur ſudor, primo quando nimius, ſecundo abolitus, tertio quando depravatus eſt. Miſſis jam vitiis primæ & ſecundæ claſſis, utpotè quæ nunquam ſolitarie occurrunt, ſed ſemper tanquam ſymptomata alios morbos comitantur, v. g. febres malignas, ſudorem Anglicum, febres hecticas, intermittentes omnis generis, præprimis circa finē paroxyſmi, aut ex altero ordine Leucophlegmatiam ac alias cachexiæ ſpecies, item febres ardentes aliasque benignas ac malignas. Nihil quoque dicam de illo depravato ſudore, qui vel quoad totam ſubſtantiam vel colorem ſaltem peccat; Sicuti arenoſum *Bartholinus Cent. 1. hiſtor. 34. Joh. Dan. Horſtius Man. ad Med. P. I. c. 2. p. 123.* verminoſum. *M. N. C. A. 7. Obſ. 3.* Cereviſiæ *Salmuth. Cent. 2. Obſ. 28.* vini rubri *Bartholin. Cent. 4. Obſ. 19. A. 6. Obſ. 179.* Sangvineum *Henr. ab Heer. Obſ. 3. Schenck. Tom. 1. Libr. 3 c. 57.* Atrum. *Zac. Luſitan. Pr. adm. Obſ. 76. Borrichius Act. Haffn. Vol. I. c. 70. M. N. C. A. 6. Obſ. 10.* Viridem *Borellus Cent. 2. Obſ. 22. Cent. 3. Obſ. 56.* cœruleum *Miſcell. A. 6. Obſ. 67. Hildan. Cent. Obſ. 77.* rariſſimi quidem hi ſunt, & miraculis, quæ in Medicina fiunt, non male accenſentur. Solum itaque loquar de fœtore ſudoris, affectu ſane admodum moleſto. Eſt autem fœtidus ſudor vel univerſalis, qualem urinoſum *Salmuth. Cent. 2. Obſ. 28.* annotavit, vel particularis pedum, manuum, alarum &c. item ratione fœtoris differt; alius enim hircum olet & propterea etiam affectus hic hircus vel hircismus dicitur; alius caſeum putridum, alius mephitim ſive ſulphureum odorem ſpirat, talemque annotatum vides in *M. N. C. A. 5. Obſ. 158.*

Variæ ſudoris depravati ſpecies.

Sudor fœtidus eſt l. univerſalis l. particularis.

Cauſa proxima. Cauſa ponenda eſt vel in maſſam ſanguinem particulis copioſiſſimis ſulphureis ac ſalinis turgidam, quæ per intima

c) Oleum cucurbitæ per infuſ. paratum pro ruptione vomicæ in pleura huc ſpectat in *M. N. C. D. 1. A. 1.* deſcriptum.

d) *Boyle* teſtatur aliquandiu adhibito ſapone veneto ulcus ſanatum fuiſſe, latet in ipſo vis abſterſiva ſimulque conſolidans.

e) Aqua ſpadana juxta *Tulp. l. 1.*

f) *M. N. C. D. 1. A. 7. Obſ. 129.* lap. nephriticum laudant.

tima à ſpiritibus commixta, odorem ejusmodi foetidum conſtituunt; ſecundo in nimiam relaxatam texturam glandularum miliarium, per quam nunc craſſæ ſalinæ ac ſulphureæ particulæ emigrant, quibus alias in naturali ſtatu via non patet.

Occaſionales Occaſionales cauſæ *g)* ſunt alimenta *h)* ſulphurea & foetida, e. g. porrum, cepæ, judæorum deliciæ, à quibus foetorem ejus gentis ſolennem multum promoveri credo. Deinde commotio corporis, libido &c. & tandem ſordities & impuritas affectu hocce laborantium; dum enim ſordes has naturales nunquam removere ſtudent, fieri aliter non poteſt, quam ut tandem corrumpantur. Hanc cauſam iterum agnoſcit coetus Judæorum, agnoſcit quoque utplurimum alarum, inguinum ac partium obſcoenarum, manuum ac imprimis pedum iſte foetor.

Quem pedis à digitis diffundit ruſticus hoſpes,
Qui longum pluvio tempore fecit iter.

Cura. Cura, ſi ab interna cauſa oriatur vitiũ, evacuanti aliquo remedio inchoari poteſt (quorſum fonticuli à *Zac. Luſitan. in Pr. adm. Lib. 1. obſ. 102.* experti referri debent) ut ſcil. humorum peccantium quantitas quodammodo imminuatur.

Quo præmiſſo ad interna deveniendum, ubi tanquam ſpecificum *Mizaldus Memorab. Cent. 6. aph. 49* laudat decoctum rad. Scolymi ſive cinaræ in vino factum. His adhibitis tuto poſtmodum ad externa tranſitus fieri poteſt, v. g. ad eandem radicem Scolymi cataplaſmatis in formam cocti, ſquamam ferri aut orichalci ex *ejusdem Autoris* commendatione *Cent. 3. Aphor. 12.* vel acetum, in quo lithargyrium aut molybdæna efferbuit, *i)* pulver. folior. myrti calceis lineis impoſitum. Vid. *Panaroll. Pentec. 3. Obſ. 16.* Cineres plantar. cephalic. *Tachenius in Principe morborum* commendat pediluvium in quo Alumen ſolutum.

Præſtabit tamen, ante uſum horum adſtringentium & alterantium, corpus totum aut partes mephitim ſpirantes aqua fluviali ſemel vel bis de die lavare, ſæpiusque induſia tibialia aut calceos lineos *k)* mutare, quæ ſola aliquoties profuiſſe omneque hoc malum debellaſſe novi. Licet etiam ſi malum non ſtatim hiſce remediis cedit, interea contra foetorem hunc pugnare per odoromenta varia ex Zibetho, moſcho, ambra, jasmini vel aurantiorum oleo, aliisque fragantibus unguentis vel oleis (ſi illa ſubjecta ferre poſſunt) parata uſque dum cura perfecte abſolvatur.

CAPUT XII.

De MORBIS CIRCA NUTRITIONEM.

§. I.

De OBESITATE ſive CORPULENTIA NIMIA.

g) *Edmundus de Meara hiſt. rar.* notavit virum ex potu vini aut orgaſmo venereo cadaveroſum ſpirantem odorem, cauſamque ex oſculo defunctæ uxori impreſſo deducit, unde halitus fœtidus redditus fuerit.

h) Aſparagus comeſtus urinam fœtidam reddit, hinc ſi diutius uſurpetur, totam maſſam ſangvineam inquinare poteſt.

i) Pulverem fol. Thée proficuum expertus ſum, alii rad. tormentill. pulveriſatam laudant.

k) Impr. qui cœruleum colorem habent, ſive glaſto tincti, von blau gefärbter Leinwand.

TRanſeo nunc ad nutritionis vitia omisſis ſeri laudabilis, bilis ac epatis affectibus, quæ aliàs ex methodo Theſium Phyſiologicarum prius tradere debuiſſem, niſi jam alibi fuiſſent propoſita. Epatis verò affectus ſpeciales, inflammationem puta, abſceſſum, ſcirrhum &c. ideo negligo, cum nihil novi habeam monendum circa illos, quod in aliis viſceribus iisdem morbis laborantibus non ſufficienter ſit declaratum. Sed ad propoſitum noſtrum. Peccat nutritio vel exceſſu vel defectu. Exceſſu, quando particulæ nutritiæ tanta in copia apponuntur alendis partibus, ut non modo hominem deformem & ad motum, procreationem ſobolis, aliaque munia ineptum reddant; ſed etiam præterea reſpirationem faciant anheloſam ſummeque difficilem, & tantum non ſuffocationis periculum inducant. Nomen proprium hujus nimiæ auctæ nutritionis *Obeſitas* eſt, quæ aliàs etiam *Corpulentiæ nimiæ* titulo venit.

Symptomata

Diagnoſis.

Nullis ſignis opus habemus pro cognoſcendo hoc affectu, in oculos enim incidit; attamē cum in Leucophlegmatia quoque ac Hydrope corporis habitus inſigniter augeatur ac intumeſcat, ne obeſitatem pro cachexiæ ſpecie habeas, appetitum attende & digeſtiones, quæ ſi ſalvæ fuerint, colorque faciei vividus ac floridus, tutò credas, corpulentiam nimiam non alium morbum adeſſe.

Cauſæ.

Cauſa primaria partim in abundantia particularum nutritiarū in corpore, partim in cauſa nutritionis efficiente, unicè huic operi intenta quærenda: Secundariæ verò ſunt vita ſedentaria ac tranquilla, omnibusque a curis aut animi pathematibus libera, & tandem diæta laudabilis & larga.

Cura.

Cura partim ad cauſam nutritionis efficientem, h. e. ſpiritus, partim ad chylum & ſanguinem, tanquam ad materiam nutritionis dirigi debet.

Pro primo ſcopo conveniunt omnia, quæ ſpiritus turbant in hoc negotio vel illos plane deſtruunt. Præſtant hoc primo motus corporis vehemens in exercitiis illis equeſtribus, equitatione, digladiatione, ſaltatione, quæ ideo potisſimum proficua videntur, quoniam præter disſipationem ſpirituum ſudorem largum provocant, & ſic non paucam nutritiarum particularum copiam corpori detrahunt. Idem ſperandum de animi pathematibus gravioribus & in longum protractis, ut ſunt curæ, (populatores artuum non male ab Ovidio dicti) amor, ſtudium nimium, vigiliæ &c.

Alteri ſcopo inſerviunt omnia ſanguinem vel etiam chylum imminuentia & corrumpentia. Imminuunt vero illos humores notabiliter primo victus parcior, quorſum præprimis alimenta dyſpepta, potus abſtinentia *l)* ex obſervatione *Panarolli Pentec. 4. Obſ. 15.* pertinent. Deinde venæ ſectio larga vel reiterata ſæpius, ſcarificationes vel hirudines ex *Zac. Luſitan. Obſerv. Medic. princip. hiſt. 3. Obſ. 112.*

Tertio evacuantia omnis generis h.e. tam purgantia, quàm ſudorifera, *m)* diuretica vid. *Helmont. Aſthm. & tuſſ.* §. 49. ac ſalivatoria vid. *Borellus Obſ. Cent. 2. Obſ. 11.* de maſticatione foliorum tabaci *Acta Haffn. Vol. Obſ. 74.* de Mercurio dulci ad ſalivationem uſque ſumto.

Inter illa remedia, quæ chylum corrumpunt, refero primò diætam tenuem, juſcula macra, aquæ ſimplicis potum parcum &c. ſecundo acetum vel ſimplex *ex obſervatione Chattieri obſ. 13.* vel ſquilliticum ex conſilio *Fonſecæ Tom. 1. Conſult. 32.* quotidie propinatum. Cavendum tamen, ne curaturi pejora longe mala h.e. cachexiam, hydropem, tusſim pertinacisſimam & alia innumera excitemus, quæ certo certius diuturnum aceti potum ſolent inſequi; quod proprio damno penè didiciſſem ipſe olim, niſi *Cautio.*

l) Panis abſtinentiam præcipit *Chattier Obſ. 13.*

m) Purgantia tamen & ſudorifera non oleoſas educunt particulas ſed tantum ſeroſas, quare ſæpe non adeo conveniunt, aut ſaltim non ſufficiunt. De diureticis admodum magnificè ſentit *Helm.* at non adeo abundat ſerum in obeſis, quin potius oleoſæ particulæ & pingues.

niſi cautior factus ab illis abſtinuiſſem maturè.

§. 2.

De

ATROPHIA ſive TABE.

AD alteram nutritionis læſæ ſpeciem defectu peccantem progredior, quam Græci *Atrophiam*, Latini *Tabem*, *Maciem*, *Ariduram*, Germani die Schwindſucht vocare ſolent. *Deſcriptio.* Formalitas hujus morbi in eo conſiſtit, quod nutritio debito modo non ſuccedat h. e. vel planè nihil apponatur partibus alendis, vel etiam præterea illud, quod anteà agglutinatum erat rurſus conſumatur. Quoniam verò hæc nutritionis læſio vel toti corpori, omnibusque ejus partibus muſculoſis ac carnoſis, vel uni ſaltem aut alteri parti v. g. pedi, manui, dorſo &c. *Diviſio.* accidit, idcirco non malè ab autoribus diviſa eſt in univerſalem & particularem, Germanis, das Schwinden der Glieder / dictam.

Signa. Facilè morbus hic cognoſcitur, ſi jam conſummatus eſt; facies enim livido plumbeoque colore turpis eſt, tempora ſunt collapſa, oculi retro in cavernas ſe abſcondunt, malæ protuberant, genæ exeſæ ſunt, labia non ſufficienter dentes tegunt, coſtæ, ſcapulæ, claviculæ & ſpina dorſi multum eminent, artus cum reliquis muſculoſis partibus excarnes ſunt, paucis: flaccida cutis nuda ſolummodo oſſa inveſtit. Ille verò, qui in fieri adhuc eſt, non æquè cito obſervatur, niſi antecedentes affectus accuratè perſpectos habeat Medicus.

Cauſæ hæret Originem habet *Tabes* vel ex nutritionis cauſa efficiente, vel ex materia tam proxima quàm remota peccante. *nunc in chyli defectu* Peccat materia remota ſive chylus triplici modo: primo deficit v. g. in fame, lienteria; ſecundò non debitè movetur, i. e. nec in vaſa lactea aut ad ſangvifera transfertur, e. g. in alvi fluxu chyloſo, *motu non debite inſtituto* diarrhoea, lumbricis, in hydrope ex ruptione vaſorum lacteorum, vel receptaculi lumbaris; tertio depravatur, quando *depravatione.* dyschyma alimenta, imprimis copioſa acida aſſumuntur, vel tandem ubi à fecibus alvinis non ritè depuratur. Eandem pene trigam vitiorum annotamus etiam in materia nutritionis proxima, ſangvine puta, utpote, quæ *nunc in Sangvine* vel motu vel quantitate vel qualitate peccans tabis conſtituere valet cauſam. Motu vitiato hæc præſtat, dum extra corpus fluit in hæmorrhagiis narium, hæmorrhoidum, uteri, aut vulnerum. Ex quantitatis vitio contingit, ſi illa per hæmorrhagias immediatè vel chyli defectum aut corruptionem, item per alvi fluxus, diureſin, aut diaphoreſin præter naturam imminuta, corpori alendo haud ſufficiens & par eſt. Qualitate tandem ſua gignit *Tabem*, cum luxuriat particulis aqueis ac viſcidis in hydrope & cachexia, vel ſalinis in Scorbuto, vel corruptis & purulentis, in ulceribus partium internarum, renum, pulmonum, epatis &c.

Quod cauſam efficientem nutritionis h. e. ſpiritus concernit, iterum tri- *nunc in Spiritibus.* plex illorum vitium occurrit, dum ſcil. primò deficiunt ex ſenio, mœrore, curis diuturnis, amore, ſtudiis, gonorrhæa, nimioque Veneris exercitio (quod præprimis dorſi carnem deprædatur, *Tabemque* ſic dictam dorſalem generat) ſecundo alterantur per ideam quandam peregrinam, v. g. philtrum, venena quædam, ſpir. vini *n*) immodicè hauſtum, confer. *Bartholin. Cent. 5. hiſt. 38.* Tertiò intercipiuntur in paralyſi, luxatione partium, aut alia nervi ad partem tendentis læſione.

Cura *o*) cauſis accommodanda eſt, *Cura in Chyli defectu* adeo-

n) Spir. vini immoderate hauſtus tabem inducere poteſt, non modo quat. ſpir. animales hinc ad opus nutritionis perficiendum torpidi redduntur, ſed etiam quat. ab acore ejus condenſantur & incraſſantur humores, & tandem quat. idem partes ſolidas arrodit unde *Liſter. Tr. de Hydrope* in hydropicis ex abuſu ſpir. vini ſemper viſcera attenuata & arroſa deprehendit.

o) *Proſp. Alpinus de Medic. Ægyptiac.* refert, quod illi incolarum, quibus corpora obeſa ſunt, pro formoſisſimis habeantur; quoniam aut clymatis caliditas ipſis anſam hanc præripiat, pene ſolenne ipſis eſt negotium, maximam diei partem in balneis

adeoque in defectu chyli ob inediam diuturnam exhibeantur evpepta alimenta, parca tamen manu in principio curæ.

motu indebito. Quodſi autem ex Lienteria originem habeat hic defectus, inveſtigata prius ejus cauſa, curam pete ex ſuperioribus. Idem ages in alvi fluxu chyloſo, diarrhœa, lumbricis *p*) hydrope, chylificatione læſa *q*) hæmorrhagiis, diureſi ac diaphoreſi nimia, cachexia, &c.

CAPUT XIII.

De

AFFECTIBUS ORGANORUM RESPIRATIONIS.

§. I.

De

SINGULTU ET CONVULSIVIS DIAPHRAGMATIS MOTIBUS.

TRanſilio hic conſultò vitia pnevmatoſeos, quibus caput hoc aliàs ex Phyſiologicarum theſium methodo deſtinatum erat; quoniam ſi jam tractarem illa, aut materiam ſubſequentium theſium præriperem, aut crambenbis coctam in poſterum non ſine tædio apponere neceſſum haberem. Reſervabo itaque ſpirituum affectus commodiori occaſioni ad morborum in reſpirationis organis contingentium tractationem me accingens. Quemadmodum vero variæ ſunt partes, quæ in hac functione concurrunt, diaphragma nempe, pulmones & thorax. ita in ſingulis vitia peculiaria deprehenduntur. Accedat nunc diaphragmatis *Motus Convulſivus.* Hactenus equidem, quantum memini convulſivi motus diaphragmatis à nullo Practicorum diſtinctim ſunt tractati, ſed ſub ſingultu à recentioribus quibusdam ſunt comprehenſi. Et licet non repugnem, inter illos arctam ſatis affinitatem ratione loci affecti & curæ intercedere, nihilominus, cum ſymptomatum ratione multum differant, eodem jure, ac aliâs ardor ſtomachi & cardialgia &c. diverſis ſub titulis à practicis proponuntur, mihi quoque licebit convulſivos diaphragmatis motus à ſingultu diſtinguere.

Motus Convulſivi diaphragmatis ſeorſim à ſingultu tractandi.

Subjectum utriusque affectus eſt diaphragma, quicquid contra in ſingultu *Ariſtoteles* de pulmonibus læſis & *Hippocrates* aliique innumeri de ventriculo dicant: quod ut comprobem, unicè urgebo ſingultum per inſpirationem violentam arte quaſi factum, quo in caſu pulmones cum ventriculo nihil prorſus patiuntur.

Subjectum affectum.

Cauſa proxima contractio violenta eſt diaphragmatis jam in ſingultu per certa intervalla inſpirationem ſine

Cauſa proxima.

---

tepidis conſumere, hinc fit, ut arida cutis flacceſcat, aptàque fiat ad extendendum & nutrimentum recipiendum; interim dum hoc agunt, nil niſi pingvia, ut oleum béen aſſumunt, it. juſcula ex gallin. pineis, & ſæpius per plures menſes nil aliud agunt, quàm ut his ipſis corpus ſedulò infarciant, atque ſic enormiter pingveſcant.

p) Si tabes à lumbricis fuerit, v. g. uti *Blegny Zod. P.* 1. aliquando ex deglutita hirudine tabem obſervavit, anthelmintica requirunt, h. e. quæ aut interimunt aut educunt, aut ad tempus conſopiunt vermes, quod ultimum præprimis præſtant lacticinia, aſt magis conveniunt enecantia & educentia, impr. mercurialia; In dicto caſu *Blegny* præſcripſit theriacam, & exinde excluſa fuit hirudo cum euphoria ægri.

q) Sic *Borellus* ex tabe quendam reſtituit oleo oliv. ſingulis auroris cum pane ſimilag. exhibito; forte laboravit ille æger tenuitate nimia ſangvinis, & defectu partium oleoſarum. Alium idem Borellus ſolo aquæ potu curavit, in quo forſan pituitoſus fuit ſangvis.

ſine alia moleſtia impediens, jam verò ſine intermiſſione ita convellens diaphragma, ut ſine ſingultu nunquam inſpirare aut conceptum aërem explodere valeat æger.

Occaſionalis Si cauſas *s*) occaſionales, à quibus præternaturalis ille diaphragmatis motus excitatur, deſideras, ſunt illæ primo nimia vel ab alimentis aſſumtis, vel à flatibus diſtenſio ventriculi, qui pondere poſtmodum ſuo, aut mole, adnexi diaphragmatis motum remoratur ac irritat. Præter hanc repletionem acrimonia *t*) vel vermes in ventriculo hærentes talem in motum præternaturalem diaphragma rapere poſſunt, quat. ſcil. vellicando & rodendo orificium ſuperius, ſimul afficiunt arcte connexum diaphragma. Sic tertio ex aliarum partium conſenſu *u*) v.g. colica, dolore nephritico, hyſterica paſſione, pleuræ, lienis, epatis, aliarumque connexarum partium vulnere vel inflammatione convulſio talis originem quoque ſumere poteſt.

Cura. In Cura intentio dirigi debet partim ad cauſas remotas, partim ad ipſum motum inordinatum.

Remotæ cauſæ tolluntur primò, ubi nimia ventriculi repletio à cibo vel potu in culpa eſt, per vomitum, vel digito aut penna faucibus intruſis, aut emetico quodam medicamento provocatum.

Si autem a flatibus, per Carminativa, Zingiber in India conditum, Zedoar. galangam, cort. aurant. decoctum anethi, chamon. carvi & alia aromata.

Acrimonia corrigenda eſt pro exigentia rei, modò terreis abſorbentibus CC. uſt. vid. *Joel. Praxis*; modò oleoſis & pinguibus v.g. oleo amygd. dulc. olivar. butyro, cremore ptiſanæ &c. modo amaris & cruditati nidoroſæ contrariantibus, abſinthio vid. *M. N. C. A. 4. Obſ. 48.* modò diluentibus, potu cereviſiæ vel aquæ ſimpl. *Hiſt. p. 318.*

Pari ratione reliquæ cauſæ occaſionales, vermes, colica & hyſterica paſſio ſpecificis ſuis remediis removendæ ſunt.

His factis pro ſupplemento curæ irritatio diaphragmatis ſedanda eſt. Præſtabunt hoc primo omnia antepileptica, cujuscunque nominis ſint ac tituli; ſecundò omnia anodyna, præpr. tamen opiata & papaverina.

Nec inconſultum præterea erit pro ſiſtendo motu illo irregulari, ſpiritum paululũ continere, aut per ſternutationem *vv*) contrarium motum diaphragmat. imprimere. Item externè hypochondria ac ſtomachi regionem oleis ac balſamis ex oleo nuciſtæ, violarũ, caſtorei, olei deſtillati, ſuccini, menthæ, ruthæ aliisque paratis inungere vel ventriculo ſaltem emplaſtrum de galbano crocatum Mynſichti, aut de mica panis cum vino Malvatico vel ſpir. vini *x*) apponere.

§. 2.

De

PARAPHRENITIDE, PLEURITIDE, PERIPNEUMONIA ET PLEUROPNEUMONIA.

Turmam nunc in medium produco dolorificorum affectuum, quorum omnium ſedes reſpirationis quidem ſunt organa, peculiarem tamen ex illis partem ſinguli occupant, & ab illa nomen ſuum ſortiuntur. *Paraphrenitis* enim hæret in diaphragmate; *Pleu-*

---

r) In aridura ex nervi punctura vel alia læſione dolor præprimis demulcendus eſt, & tunc maximè conducit oleum ceræ albæ calidè applicatum.

s) Aër frigidus vel per ſe, vel per potum frigidum, ventriculo illatus.

t) Aliquando provenit à purgantibus draſticis, quarum acrimonia generi nervoſo inimica valde eſt, à mercurio, arſenico, oleo & ſpir. vitrioli aſſumto.

u) Ex nimio riſu, motu & lacrymarum profuſione. *Timæus* obſervavit à fruſtulo carnis in aſperam arteriam illapſo ſingultum. Ex capitis vulnere præter *Foreſtum & Schenckius* obſervavit; Ex parotidum ſuppuratione ſingultum lethalem ſupervenisse obſervavi ipſe; Alio tempore contingit ex refrigerationibus pedum, læſionibus ani, paſſionibus arthriticis. In paſſione hyſterica, ut & in febr. malignis.

w) Vid. *Hipp. in Aphoriſm. 13. Sect. ſexta.*

x) Aqu. Reg. Hungar. & ſpir. reliquis ab aromatibus & nervinis abſtractis.

Pleuritis in pleura, ſive illa membrana, quæ coſtas cingit; *Peripneumonia* in pulmonibus: *Pleuropneumonia* in pleura & pulmonibus ſimul.

Signa diagnoſtica. Signa diagnoſtica ſingulorum ex loco dolente depromuntur, qui anatomiæ gnaros nunquam ſubterfugiet; quod ſi enim dolor in inferiore parte thoracis transverſim quaſi ſævit, omnemque ſimul reſpirationem intercipit, diaphragma laborat; ſi in latere vel antica parte ſub ſterno, pleura eſt affecta; ſi in profunda parte, pulmones patiuntur; ſi undique dolor deprehenditur, cum pulmonibus pleura quoque correpta eſt.

Symptomata. Symptomata, quæ doloroſas has affectiones comitantur, horrenda ſatis & atrocia ſunt. In Paraphrenitide enim, & quandoque etiam in Pleuropnevmonia delirium, & tantum non furor adeſt, cum febre admodum ardente & reſpiratione enormiter, propter motus diaphragmatis convulſivos, ſufflaminata: reliqui verò affectus, Pleuritis puta & Peripnevmonia, tusſim ſolum habent ſociam, modò ſiccam modò humidam & ſputum jam ſpumoſum, jam233 bilioſum, jam cruentum rejicitur, cum reſpiratione doloroſa & nonnunquam febre.

Cauſa. Quoad cauſas horum morborum nulla intercedit differentia, una ſiquidem omnibus eſt communis, nempe inflammatio. Inflammationes autem dictæ eandem planè originem habent, ac aliæ, de quibus pasſim actum. Etenim præterquam, quod acrimonia ſanguinis ad fibroſas partes has delata, irritare illas & in ſpaſmum rapere, ſicque demum ſanguinis ſtagnationem gignere poteſt; idem prorſus efficient viſciditas ſanguinis vel coagulatio ejus quacunque ex cauſa facta. *Cauſæ remotæ.* Hinc etiam præter victum, & aerem ad inflammationem diſponentem omnia, quæ pituitam augent, remotæ fiunt cauſæ: nulla tamen frequentior ſolet occurrere, quàm aër frigidus ſtatim poſt balnea, aut aliam corporis exæſtuationem inſpiratus. Obſervare hoc quoque licet poſt potum frigidum æſtuante corpore hauſtum. In ſexu ſequiori ſæpius etiam ſuperveniunt hi affectus menſium & lochiorum, & in viris hæmorrhoidum ſuppreſſionibus.

Signa cauſarum. Signa cauſarum, tam antecedentia, quàm doloris natura & ſymptomata ſuggerunt, quæ enim ab acrimonia proveniunt inflammationes, dolore exquiſitisſimo, febre, deliriis &c. ſtipata ſunt; cum in illis à viſciditate ſangvinis ortum habentibus præter puncturas non adeo doloroſas vix amplius notatu dignum ſymptoma occurrat.

Cura. Indicationes curativæ ſunt tres: prima eſt, ut ſanguis *y*) ſtagnans in motum cieatur: ſecunda, ut ſymptomata tollantur: tertia, ut dolor ſedetur. *z*) Quonam verò remediorum genere *a*) ſatisfiat ſingulis, ſuperfluum duco hic apponere; ſiquidem primæ & tertiæ *b*) inſerviet *Cap.7.§.1.* quemadmodum ſecundæ itidem ſuperius expoſita, & in ſubſequentibus theſibus de febribus & deliriis tradenda.

§. 3.

y) In vera utplur. venæ ſectionem laudant, convenitque ideo mox primo adornata, quia retardatus ejus motus inde juvatur & promovetur. Locus ſit lateris affecti brachium. *Helm. Tr. Pleura furens* rejicit venæ ſectionem. Convenit tamen etiam in notha: Tota die experimur uſum venæ ſectionis in pleuritide egregium. vid. *Horſt. Probl. quæſt. 7.* de vitiis organ. loquel. *Mœnichen. obſ. & Lanzon. annotat. ad has obſerv.* Hinc ante omnia tundenda vena, & evacuanda quantitas ſangvinis, ut taceam ſangvinem venâ emiſſum ſignum nobis dare de commodioribus remediis cogitandi. Ineſt enim aliquando magna quantitas nuci viſcidisſimi (impr. in pleuritide hyemali notabilis) aliquando acidum in cauſa eſt, quo caſu ſangvis extravaſatus quaſi coagulatus apparet.

z) Externè actu calida applicanda cataplaſmata, & quod ipſe proficuum obſervavi, veſica bubula, vel aqua ſimpl. calida vel lacte &c. calido repleta applicata.

a) Oleum lini interne & externe; oleum quod *M. N. C. D. 1. A. 1. o. 10. p. 29.* ut ſingulare antipleuriticum commendant, vetuſtiſſimum ſcil. olivarum cum corticibus cucurbitarum long. paratum v. in *Mœnichen. obſ.*

b) Solo antimon. diaphor. ſ. cum nitr. antimoniato & tantillo croci, pro tribus doſibus dato, ſæpe pleuritidem curavi.

§. 3.
De
VOMICA PULMONUM, EMPYEMATE THORACIS, ET PHTHISI.

UT umbra corpus ſuum, ita præſentium affectuum triga inflammationes organorum reſpirationis infallibiliter ſequitur, niſi ſubitò per debita remedia diſcutiantur.

Vomica Pulmonum quid ſit?

Eſt autem *Vomica Pulmonum* nihil aliud quam absceſſus, *c)* in pulmonum celluloſa ſubſtantia hærens, germanicè, ein Lungen-Geſchweer.

Empyema Thoracis quid ſit?

Empyema Thoracis purulentam deſignat materiam ex pleuræ, vel pulmonum abſceſſu rupto ad cavitatem thoracis depoſitam.

Phthiſis quid ſit?

Phthiſis tandem, die Lungenſucht, eſt contabeſcentia corporis totius conjuncta cum febre lenta, tuſſi & continua exſcreatione viscidi, ſanguinei, & purulenti muci.

Signa Vomicæ.

Signa *Vomicæ* ex reſpiratione quodammodo ſufflaminata, & inſpirationem aëris liberam non admittente deſumi poſſunt, ſi ſc. hæc ſymptomata peripnevmoniam non debite h. e. per expectorationem curatam inſequantur, alias & pituita infarcta illis occaſionem ſubminiſtrare poteſt.

Signa Empyematis thoracis.

Empyema Thoracis cognoſcitur ex pondere & fluctuatione in thoracis cavo, quæ non admittit decubitum ægri in latus ſanum, ſed ſtatim ſuffocationem minatur. Attendendum tamen hic, num pleuritidem & peripneumoniam excipiat, ne confundatur cum thoracis hydrope.

Signa Phthiſeos.

Phthiſeos characterem habebit ex ſputo primum ſanguineo, pòſt purulento fœtore halitus, febricula continua, & tandem contabeſcentia totius corporis.

Cauſa.

Cauſa omnium eſt corruptio ſanguinis, vel ob ſtagnationē diuturnam, ex inflammatione, vel obſtructione viarum à pituita, contuſione, eroſione, à catharrho acri, aut ruptura, à tuſſi ferina & tandem a vulnere pulmonum.

Cura.

Cura vel præſervationis gratia expetitur à Medico, vel reſtitutionis.

Præſervationis.

Præſervatoria in eo conſiſtit, ut occaſionales corruptionis cauſæ quantocyus removeantur, v. g. inflammatio diſcutiatur, obſtructio à pituita deoppiletur, acrimonia ſanguinis, catarrhus & tusſis corrigantur, vulnus conſolidetur; quæ cuncta quibusnam mediis poſſint obtineri, ex ſuperioribus partim, partim ex ſubſequentibus innoteſcet.

Reſtitutionis ubi

Quodſi vero omni præſervatione in caſſum adhibita nihilominus ſequatur *Vomica*, aut *Empyema* vel *Phthiſis*, tum ad alteram curam deveniendum eſt, ubi hæc quatuor puncta obſervanda ſunt.

1) Ulcus aperiatur.

Primo num ulcus jam ruptum ſit an ſecus? ſi non apertum eſt, interim tamen vel dolore, vel reſpirationem impediendo moleſtiam pariat, de ejus ruptione cogitandum, quam obtinebit vel per uſitata remedia emollientia interne & externe uſurpata, vel interne per cancros vivos contuſos cum aceto vel vino, aut externe per oleum corticis cucurbitarum longiorum, cujus præparandi modum & virtutem incomparabilem vid. in *M. N. C. A. 1. Obſ. 10.* Vomitorium *d)* remedium, ututà quibusdam in caſu deſperato præſcribatur, non ſvadeo, licet enim obtineamus ex nimia totius corporis conquaſſatione aliquando rupturam vomicæ, ob ſuffocationis tamen periculum, quod inter vomendum imminet, aut hæmoptyſin, alia-

Vomitorium in Vomica minus tutum.

---

c) Frequentiſſime occurrit apud Batavos v. *Tulp. L. 2. o. 23.* ubi utplurimum ex peripnevmonia vomica fit. Vomicæ differunt ratione magnitudinis, nam ſunt vel minores vix piſum excedentes, vel majores, prout ſcil. plus vel minus puris continetur, hocque pus rurſus vel fluidum, vel ſpiſſum, fœtidum, vel minus eſt &c. Vomicæ rarius tuſſi rejiciuntur, quanquam aliquando ſub ovi columbini magnitudine vomicam rejectam noverim in praxi, quæ poſtmodum aperta maximè fœtidum pus oſtendit.

d) Ut ſingulare remed. laudantur cancri vivi contuſi. Hæc magis arrident, quàm fortiora, quæ ruptionem vomicæ violentam excitare debent, v. g. vomitoria. Certi enim non ſumus, an magna ſit vomica, an plures ſubſint &c. hinc ſi per ejusmodi

aliaque dira ſymptomata facile inſequentia: ad evitandas cenſuras oſorum Medicinæ tutius erit prorſus ab illis abſtinere, vel ante uſum de periculoſo & ancipiti eventu adſtantes, & ægrotum commonefacere.

2) pus educatur, Secundo aperto apoſtemate officium eſt Medici evacuationem puris vel per expectorantia tentare, qualia ſunt Veronica, ſcabioſa, hyſſopus, tuſſilago, capilli Veneris, marrub. album, braſſica rubra, ruta, ſalvia, roſmarinus, rad. helenii, angelicæ, leviſtici, imperatoriæ, lign. guajac. &c. vel per laxativa rhabarb. mechoacannam; fol. ſennæ, rad. polypodii, vel per diuretica blanda, petroſelin, hederam terreſtr. ocul. cancr. vel ſi in thoracis cavo fluctuet, & cancri cum aceto, vel vino contuſi (quod medicamentum aliàs vix in hoc caſu fallit) per urinarias vias non exturbaverint purulentam materiam, ad paracenteſin *e*) deveniendum eſt.

3) Ulcus mundetur & conſolidetur. Tertium punctum eſt mundificatio ulceris & conſolidatio. De his verò non citius cogitet Medicus, niſi pure maximam partem evacuato. Convenientiſſimum igitur tum erit, cum bechicis vulneraria præſcribere, ut ſunt urtica, bugula, herb. coſti, cherefolium, geranium Robertianum, millefol. pyrola, plantago, portulaca, petroſelin. ſanicula, burſ. paſtor. rad. ſymphyti maj. tormentill. pimpinell. &c. Aut loco harum plantarum præparatas jam cum ſaccharo *f*) conſervas, coſti flor. ſalv. urticæ præprimis, & roſarum; aut alia balſamica v.g. balſamum peruvian. aut Sulphuris, in ſpecie terebinthinatum, parca tamen manu uſurpare.

4) Symptomatum habeatur ratio. Quartum punctum eſt, ut ſymptomatum habeatur ratio, exque iis maximè urgentia removeantur. Febrem itaque emulſione ſem. quatuor. frigid. maj. nitro, ſacchar. ſaturni, gelatin. C.C. ocul. cancror. cum Antihect. Poterii mitigabis. Tabem iisdem glutinoſis tolles, in ſpecie additis aliis oleoſis, v.g. lacte humano, aſinino & caprino, juſculis caponum, ac aliis reſtaurantibus. Sanguinis ſputum & tusſis quomodo ſiſtenda, in proximè ſubſequentibus paragraphis dicam.

§. 4.

De

Tussi.

Tusſis nunc ſequitur, affectus phthiſicis non modò importunus, ſed & aliàs omni ætati ac ſexui infenſus juxta, ac moleſtus.

Deſcriptio. Formalitas ejus conſiſtit in exploſione violenta & ſonora aëris è pulmonibus, concitata ab irritante aliquo, vel à pituita pulmonum cellulas atque bronchos infarciente.

Utraque cauſa ſufficiens eſt irritare pulmones, & per conſequens etiam reliqua reſpirationi dicata inſtrumenta, & quidem hæc, quatenus conglutinat pulmonum parietes, nec aëris reciprocum motum admittit; illa verò quatenus aculeos infigit ſenſatis pulmonum, vel aſperæ arteriæ partibus, illasque ad contractionem præternaturalem ſtimulat. Parùm verò hic refert, cujuscunque naturæ ac conditionis ſit cauſa irritans. Capax enim eſt ad præſtandam illam, non ſangvis tantum Scorbuticus, *g*) ſed etiam ſerum tale è faucibus ſub catarrhi nomine ad laryngem depluens, vel etiam materia purulenta in thorace aut pul-

violentiam ampla vomica in momento rumpatur, poteſt ſuffocatio induci, uno actu repleta ferè tota arteria aſpera.

e) De qua *Tulp. L. 2. o. 5.* Celeriter tamen adornari debet. Educes enim aliàs quidem pus & ſangvinem &c. non tamen è periculo ægrum. Quo diutius namque relinquitur, eò magis nocet.

f) Non omnia ſubjecta ſaccharata ferunt, augent enim tuſſim, quoniam facilè aceſcunt; Viſcidum autem quod in ſe habent, non penitus ceu inutile ſpernendum.

g) In ſubjectis ſcorbuticis frequens eſt tuſſis. Glandulæ enim aſperæ arteriæ circulis ejus interpoſitæ ſerum hoc acre fundunt, ut toties ſcreare neceſſum habeamus.

pulmonibus collecta. Idem verò, quod acrimonia præſtat, efficiunt quoque aliæ cauſæ ab extra advenientes, nempe aliquid de cibo ac potu, vel alia re peregrina *h*) in aſperam arteriam incidens, aër frigidus, vel craſſus & nebuloſus, aut fumo vel gas minerali, *i*) aut pulvere refertus.

Quemadmodum verò ex irritatis primùm pulmonibus contingit tuſſis, ita etiam ex diaphragmate & intercoſtalibus muſculis, modò per eſſentiam, modò conſenſum *k*) affectis hoc malum gignitur, v. g. in paraphrenitide, pleuritide, inflammatione epatis, lienis, in cardialgia, ventriculi, & inteſtinorum cruditatibus, refrigeratione manuum pedumque.

Diviſio, ejusque fundamentum. Ex hac cauſarum differentia eſt, quod non modo tuſſis jam humida ſit, jam ſicca, h.e. in alia ſpecie aliquid mucoſi & viſcidi *l*) ſimul cum aëre ex aſpera arteria, & in alia, ut ut longe vehementiori prorſus nihil elidatur; ſed etiam præterea ex illis ipſa tuſſis modo ferinæ modò mitioris naturæ deduci commodè poteſt.

Signa cauſarum. Ut autem ſingulas cauſas addiſcat medicus, attendat, neceſſum eſt, an ſtrepitùs ſive ronchus, ein Rächeln in aſpera arteria inter reſpirandum deprehendatur, illud enim pituitam denotabit. Sed quomodo ad acrimoniæ ſangvinis, vel catarrhi, aut abſceſſus in pulmonibus cognitionem perveniat, ex ſuperioribus liquet. Tuſſim ex illapſu rerum peregrinarum, aut aëris vitio ex relatione, ſicut illam, quæ ex conſenſu eſt, ex circumſtantiis & ſymptomatibus habebit.

Cura tuſſis humidæ Curatio tuſſis humidæ fit per reſolventia & incidentia, quorſum præprimis pertinent ſub expectorantium nomine in phthiſi propoſita, additis aliis ſalinis, hinc & inde pro ſcopo hoc exhibitis. v.g. Spir. Salis ammon. ſimpl. & aniſat. liqu. C.C. ſuccinat &c. Quod ſi materia hæc vitioſa nimium abundet, nec per hæc expectorantia tam ſubitò ſe removere patiatur, evacuantibus eliminatio ejus ἄνω καὶ κάτω inſtitui debet, h. e. tam vomitoria quàm purgantia vel clyſmata uſurpanda ſunt.

Sicca. Tuſſis verò ſicca ab acrimonia proveniens curatur decocto paſſar. rapar. paſſulis & ficubus cum Spir. Vini & Saccharo cando deflagratis, ſiliqua, glycyrrhiz: eleoſacch. aniſo & fœnic. oleo *m*) olivar. cum Spir. Vini ſumto &c. His irritis ad magis inviſcantia progreſſus fiat, v. g. ad reſinas & gummata minus acria, gummi tragacanth. Arabic. hederæ, thus, maſtich. aſ. dulc. ſtyrac. ſuccin. vel fl. & lac Sulphur. aut balſam. Sulphur. aniſat. ſuccinata, juniperina, (quæ cuncta etiam in tuſſi à catarrho ſalſo vel tenui unà cum opiatis ſummè erunt proficua.) In phthiſicorum tuſſi pro ſtatu ægri incidentia, demulcentia, incraſſantia & vulneraria conveniunt.

Tusſis ex illapſis rebus peregrinis in aſperam arteriam excitata, nonniſi illis rurſus per ſcreatum rejectis compeſcitur.

Quæ ex aëre frigidiore eſt, contrario aëre & calefacientibus Medicamentis ſedatur, ſc. ſpir. vini hauſtu, ac pediluviorum calidorum uſu.

Quæ ex fumo minerali, lactis *n*) potum, vel decoctum vulnerarium poſtulat.

Tandem ſi tusſis ex aliarum partium

h) *Borellus obſ.* habet de nucleo pruni incaute ad aſperam arteriam transmiſſo. Aliquando ab aceto, vino, ſpina piſcis idem accidit.

i) Exhalationes arſenicales, ſulphuris, quæ continuò partes vellicant & ſtimulant. Conferatur *B. Michaelis Diſſ. de morbis metallurg.*

k) Antequam calculo vexantur, tuſſis ſemper ſolet præcedere, it. in aliis renum affectibus, in paſſione hyſterica. Semper quoque antecedit purpuram noſtratum, & in variolis & morbillis ſymptoma eſt pene inſeparabile, adeo, ut ex hoc ſigno hariolari haud difficulter valeat morbum medicus.

l) Plerique ſub aurora tuſſiunt ſomno expergefacti, nam aër tempore ſomni exſiccavit bronchos, hinc viſcidum impedimento eſt reſpirationi, poſtquam autem ejectum fuerit, libera utuntur reſpiratione.

m) Oleo amygdal. dulc. cum ſpermate ceti mixto.

n) Butyrum non ſalitum cum pane comeſtum agit obſtruendo, & oblinendo mem-

um conſenſu excitatur, ſingulis partibus convenientia ſpecifica proderunt.

§. 5.
De
Haemoptysi.

Duo ſunt tusſis ſymptomata, quorum remotionem ægri à Medicis anxiè non rarò deſiderant, unum dicitur *Hæmoptyſis*, alterum *raucedo*.

Hæmoptyſis quid ſit?

Hæmoptyſis, Germanis das Blut-außwerffen deſignat quidem omnem ſanguinis per os ejectionem, *o*) communiter tamen ſub hoc nomine illa tantum autoribus venit, quâ vel cum, vel ſine tusſi nunc ſincerus, & copioſus plus minus, nunc ſaltem muco vel puri admixtus per aſperam arteriam excernitur.

Differentia.

Differt præterea *Hæmoptyſis* primo à ſanguinis vomitu, utpote in quo ingens non raro cruoris copia tam laudabilis, quàm coagulati è ventriculo rejicitur. Deinde illud etiam ſanguinis ſputum longè diſtinctum eſt ab *Hæmoptyſi*, quod ex gingivis vel naribus poſt hæmorrhagiam originem habet: quemadmodum verò omni periculo vacat ultimæ claſſis ſputum cruentum, ita è contra ſanguinis vomitus, & hæmoptyſis κατ' ἐξοχὴν dicta eò periculoſiora ſunt, quo major contingit in illis ſanguinis profuſio.

Cauſa.

Cauſa hæmoptyſeos veræ aliquando debetur ſanguinis nimiæ copiæ, quæ non amplius intra proprios limites ſe detineri patitur, atque in pulmonibus redundat; vel orgasmo *p*) ſaltem ejus, ob ſcorbutum, aut ex Menſibus, lochiis, aut hæmorrhoidibus non debitè reſpondentibus; vel tusſi præprimis ferinæ, vel ſanguinis aut abſceſſus acrimoniæ, vel extravaſationi v. g. ex caſu ab alto, contuſione.

Vomitum ſangvinis excitant eroſiones vaſorum ſangviferorum, factæ jam à venenis, aliisque rebus acribus & acutis aſſumtis: excitant quoque eundem vulnera ventriculi, vel ſangvis ex aliis partibus illuc depoſitus, quorſum etiam ex hæmorrhagia narium incautè deglutitus pertinet.

Signa cauſarum.

Signa cauſarum Medicus ex circumſtantiis judicii lance accuratè ponderatis feliciter deſumere poteſt, adeo, ut circa illa nihil habeam, quod adjiciam.

Cura.

Cura, ſi à nimia ſanguinis copia proveniat hæmoptyſis, venæ ſectione abſolvitur, quæ etiam in menſium, lochiorum & hæmorrhoidum ſuppresſione (unà cum aliis ſpecificis motum ſanguinis promoventibus) egregia eſt, præprimis ſi in talo *q*) celebretur.

Quæ à tusſi eſt, pro diverſitate cauſarum tractari vult, id quod etiam in ſanguinis, vel puris acrimonia attendi debet.

Illi verò hæmoptyſi, quæ à caſu vel contuſione naſcitur, reſolventibus blandis v. g. decocto aliquo bechico, vel vulnerario, aut ocul. cancr. & antimon. diaph. Martiali obviam eundum eſt.

Eodem ex fundamento cura vomitus ſanguinei inſtitui poteſt, nempe per remotionem cauſarum occaſionalium, cui ſcopo inſerviet materia medica §. *de Cardialgia & vomitu* ſuppeditata. Bene tamen notandum: ſangvinis vomitum, qui ex aliis partibus transmiſſum cruorem cum euphoria evacuat, non ſtatim, niſi admodum nimius fuerit, ſiſtendum eſſe, quoniam aliàs naturæ conatus præpoſtero ſatis auſu impeditur.

Cum verò omni hoc remediorum apparatu cauſa quidem occaſionalis removeatur, productum tamen, ſive ipſa vaſorum ſanguiferorum læſio non attingatur; opus erit alia adhuc remedia in ſubſidium vocare, quibus hæc intentio

---

branas, ut gas illud acre & minerale in ipſas agere non poſſit, magis tamen præſervatoriè quàm pro curandi ſcopo inſervit.

o) *vid. Bauſch. t. de hæmatit. in præf.*

p) *Acta Brixienſia* de juvene annotarunt, qui circa initium paroxyſm. febrilis & vomitum ſangvinis & mictum cruentum paſſus eſt.

q) Nam quo magis ad remotiora loca deducitur ſangvis, eò citius ſiſtitur vomitus ſangvineus.

tio poſſit obtineri. Talia ſunt conſolidantia *r)* & adſtringentia hedera terreſtr. cherefol. urtica, plantago, portulac. pulv. roſar. rubr. balauſtr. rad. tormentill. ſymphyt. maj. bol. armen. terra ſigill. & catechu, pelliculæ tegentes immediatè carnem glandium, caſtanearum & avellanarum, feſtucæ ſecalinæ, hæmatites, terra Vitrioli dulc. & ex his ultimis præparatæ tincturæ. Præter hæc Practici quoque ſvadent hypnotica & opiata, v.g. ſem. hyoſcyami *s) Heurnius & M.N.C. A.2. Obſ. 45.* ſem. papav. alb. & philonium perſicum. *Foreſtus Lib.16. Obſ.11.* Sed ſumma cautio circa eorum uſum adhibenda eſt.

§. 6.

De

RAUCEDINE.

Raucedo ex accidenti ſit moleſta.

LIcet præter vocem vel aſperam vel clangoſam nihil incommodi ſentiant *Raucedine* laborantes; nihilominus haud raro admodum ægre ferunt hoc malum Præcones verbi divini, aliique, quorum munus eſt vel in publica concione, vel privatim declamare; adeo, ut horum in gratiam cura raucedinis utique ſit addiſcenda.

Cauſa.

Cauſam proinde ſi deſideras, eſt illa læſio organorum vocis, hoc eſt, vel laryngis, aut muſculorum cartilagines ejus moventium, vel uvulæ aut tonſillarum.

Larynx quomodo lædatur?

Læditur larynx cum muſculis ſuis primo ab inflammatione; hinc ſolennis eſt raucedo angina & cynanche vel paracynanche correptis; ſecundo à catarrho acri ex faucium & palatinis glandulis depluente, vel vitio ipſius ſanguinis, unde raucedo leproſorum, & lue gallica laborantium deducenda eſt. Tertio ab humiditate nimia & atonia e. g. à catarrho tenui aut pituitoſo, à compotatione ſtrenua, aëre nebuloſo & frigido. Quarto ab exſiccatione excesſiva in loquela diuturna, aut vociferatione vehementi, ab aëre pulverulento, purgatione *t)* diureſi & diaphoreſi, qualis raucedo hecticis quoq; familiaris eſt & cauſo laborantibus.

Uvula & tonſillæ quomodo Raucedinem producant?

Quod uvulam & tonſillas concernit, raucedinem illæ partes producunt, dum nimium tumefactæ, vel plane à gallico ulcere aut alia cauſa exeſæ aëris modificationem impediunt.

Cura remotionem exigit cauſæ lædentis organa hæc vocis.

Cura pro diverſitate cauſarum varia.

Conveniunt itaque in raucedine ex inflammatione quæ §. *de angina* exhibui, in acrimonia & irritatione lenientia &c. & inviſcantia proderunt, ut ſunt decoctum braſſicæ, rapar. paſſar. cremor. ptiſan. aqu. calid. cum oleo vel butyr. pingvefacta, rob. nucum, diamoron, ſyr. violar. & roſar. & omnia reliqua ſub titulo incraſſantium §. *de Tusſi* propoſita.

In humectatione nimia præmiſſis evacuantibus uſurpentur incraſſantia *u)* & exſiccantia; ſicuti in refrigeratione ab aëre, vel pituita calefacientia, & reſolventia, v. g. hyſſopus, flor. lilior. convall. roſmar. lavendul. ſalvia, ſem. aniſi & tota bechicor. & incidentium phalanx. ſeligatur tamen ex his præ reliqu. ſyrup. de eryſimo Lobelii, qui hoc in caſu euporiſton eſt incomparabile.

Quodſi ab exſiccatione ſit, humectantibus opus erit. Ravim itaque ex ſermone prolixo contractam demulcentia & potus reſtituent.

Eadem remedia conducent quoque in hoc affectu poſt purgationem, diureſin & diaphoreſin.

Difficilior tamen longe raucedinis he-

---

r) Velſchius in Mycto min: p. 9. laudat excreſcentias ſpicarum in ℈ß. vel ℈j. aqv. plantagin. ſolutas.

s) Non auſim unquam iſtud propinare, nam ſemper enormia ſuperveniunt ſymptomata, deliria e. g. quæ etiam ſe offerunt poſt uſum ſeminis ſtramonii, quod hodie ſub titulo Maslach circumfertur.

t) Qui diarrhœis, dyſenteriis, per dies aliquot laborarunt, ordinariè ſub finem fermè morbi raucedinem patiuntur.

u) Inter arcana vitellum ovi pertinet, vel ſolùm, vel cum ſacharo uſurpatum, aut ſi lubet, cum hauſtu vini canarienſis.

hecticorum aut febre ardente correptorum cura eſt, utpote quæ nunquam niſi remotis ipſis his morbis tollitur.

Quando raucedo è tumore uvulæ vel tonſillarum originem ſumit, removendus is eſt ex methodo §. *1. cap. 4.* ubi autem conſumtis & exeſis his partibus debetur, omnem medicinam fruſtra *w*) in uſum vocabis.

§. 7.
De

Respirationis Difficultate in Dyspnoea, Asthmate et Orthopnoea.

Reſpirationis difficultas morbus maximè moleſtus.

DEvenio nunc ad reſpirationis difficultatem, morbum adeo moleſtum, ut non inique de illo *Seneca Epiſt. 54.* licet omnia pene corporis aut incommoda aut pericula ſuſtinuerit, nullum tamen magis moleſtum ſe vidiſſe, hincque in reliquis omnibus ſe ægrotaſſe, in hoc verò animam egiſſe, aſſerat.

Tres ejus dantur Species.

1) Dyspnœa

Tres ſunt ejus ſpecies, gradu tamen diſcrepantes: prima *Dyspnœa* dicitur, quo quidem ſub titulo admodum generali omnis aliàs reſpiratio morbis ſe aſſocians v. g. in angina, pleuritide & peripnevmonia &c. comprehēditur; nihilominus communiſſima illa difficultas reſpirationis ſolùm hoc nomine intelligitur, in qua aër crebrius ac tenſius, quàm ordinarie inſpiratur & exploditur.

2) Aſthma.

Altera ſpecies *Aſthma* dicta denotat reſpirationis difficultatem, qua ſpiritus non niſi cum ſummo ſtertore, ſuſpirio, & anhelitu, haud ſecus ac illi ſolent, qui velocius cucurrerunt, ducitur.

3) Orthopnœa.

Nihil ab Aſtmate quoad recenſita ſymptomata differt tertia ſpecies, cui *Orthopnœa* nomen impoſitum eſt, præterquam quod erecta ſemper cervice reſpirare cogantur, leviter namque reclinato corpore ſtatim ſuffocatio imminet.

Subjectum.

Subjectum illorum ſunt univerſa reſpirationi inſervientia organa, h. e. pulmones, muſculi, intercoſtales, diaphragma &c.

Cauſa.

In pulmonibus latet culpa, quando veſicularis illorum ſubſtantia obſita, & repleta eſt jam muco viſcido, jam colluvie ſeroſa.

In inſtrumentis verò reliquis reſpirationi dicatis hæret nunc, ſi muſculi intercoſtales ſpaſmo laborant, aut ſi diaphragma ab eodem malo, aut alia cauſa in motu ſuo impeditur.

Quemadmodum autem primæ cauſæ conglutinando, & replendo pulmonum & aſperæ arteriæ cavitates, aërem non admittunt; ita altera thoracem non dilatando, expanſionem pulmonum, & per conſequens aëris ingreſſum impedit.

Fundamentum diſtinctionis inter Aſthma humidum & ſiccum.

Ex qua cauſarum differentia diſtinctio illa aſthmatis in humidum & ſiccum, ſive convulſivum ortum habet, quæ ſanè non malè excogitata eſt, cum accuratè ſatis morbi ipſius naturam cum cauſa ejus proxima exprimat.

Sed præter has cauſas aliæ adhuc dantur, v. g. vomica, aut pus collectum in pulmonibus, aut lapidea vel calculoſa materia infarciens ramos arteriæ aſperæ aut aqua pericardii p. n. aucta, item thoracis hydrops, aut ejus mala conformatio in gibboſis, in quibus pulmonibus expandendi ſe ſufficiens ſpatium haud datur.

Aſt cum rarius hæ cauſæ in vivis ſubjectis animadvertantur, (quis enim aquam pericardii auctam, cartilaginoſam aut lapideum corpus in pulmonibus hariolabitur,) vel difficilius aut planè non removeatur, e. g. modò memoratæ cauſæ, gibboſitas &c. ideo nihil amplius de illis addo, ſed potius ad occaſionales, & antecedentes humoroſæ & convulſivæ difficultatis reſpirandi accedo.

Cauſæ occaſionales.

Humoroſæ occaſionem dant præprimis catarrhi, vel alimenta viſcida, aërisque *x*) ac climatis frigus, quibus non malè ſcabies retrò pulſa & animi pa-

---

w) Conficiunt quidem ex tenui ferri lamina von Blech/ uvulam, eamque applicant, de quibus vid. Taliacotium in Chirurgia curtorum.

x) Aër nebuloſus & humidus affectum hunc quibusdam regionibus popularem facit, uti Belgis.

pathemata in longum protracta accenſentur v.g. mœror, triſtitia, cura.

Convulſiva verò ſive ſicca gignitur vel à refrigeratione nimia, vel ex menſibus aut alio fluxu conſueto ſuppresſis, *y*) vel à fumo metallico, in ſpecie Mercuriali hauſto, vel à ſcirrho hepatis & lienis, ab aſcite & tympanite, ab hyſterica pasſione & malo hypochondriaco.

Signa cauſarum diagnoſtica. Signa diagnoſtica cauſarum proximarum habentur ex ſtrepitu, ſtertore & exſcreatione pituitoſi humoris, ſi materia talis fuerit in cauſa; quorum neutrum in morbo ſicco & convulſivo, ſed loco illorum compresſivus aliquis dolor & renitentia aliqua deprehenditur.

Ad occaſionalium verò cauſarum cognitionem devenies, ſi temporis, conditionis, vitæ generis ægri, aliarumque circumſtantiarum accuratam habebis rationem.

Cura. Cura reſpirationis difficilis à pituita non differt à cura tusſis, aut alius morbi ex hac cauſa ortum habentis. Conferunt enim expectorantia omnia & incidentia, præprimis tamen ab Autoribus compertum decoctum rorismar. *z*) botryos, hyſſopi in vino, ſuccus raphani, bryoniæ ac ſcyllæ, ſperma ceti *a*) millepedes in vino infuſi, ſulphuratus potus Helmontii vel ſpir. Aſthmatic. Michael. ex gumm. Ammoniaco & ſulphur. cum ſpir. ærug. paratus.

Licet egregia vero hæc ſint remedia expectorantia, experimur tamen ſæpius infidum illorum effectum, tum præprimis, quando primæ viæ ſimul excrementitio hoc muco ſcatent. Tali in caſu in adjumentum vocare licet evacuantia, tam vomitoria, infuſum vitri Antimonii, aut ſyrup. emet. vel Mercurium vitæ, quam purgantia, quæ inter excellit gumm. Ammoniacum, & ex nicotiana præparata.

Si à catarrho tenui vel acri gignatur aſthma, anticatarrhalia convenient & incraſſantia, de quibus aliquoties jam actum.

In aſthmate convulſivo & ſicco antiſpasmodica & anodyna, liq. C. C. ſuccinat. cinnab. Antimonii, crocus & opiata omnia.

Occaſionalibus cauſis poſtmodum proſpici debet. Scabies retropulſa expellenda eſt per Diaphoretica Antimonialia, & ſalia volatilia, ſpermaque ceti. Menſes provocentur; fumi mineralis aut Mercurialis acrimonia corrigatur per lac, & ſolaria remedia: ſcirrhus lienis & epatis reſolvatur per incidentia ſuperius approbata: & ſic procedatur in reliquis.

§. 8.
De SUFFOCATIONE.

Deſcriptio. Extremus reſpirationis læſæ gradus eſt *Suffocatio*, utpote in quo non amplius difficilis eſt, ſed prorſus cum omni ſenſuum læſione, jam cum ſtertore ſummo & ſpuma circa os collecta, jam ſine illis intercipitur. Dicitur ab aliis Autoribus ſtrangulatio, & recte quidem, referunt namque ægroti poſt reſtitutionem, non aliter aſperam arteriam, ac a reſti collo circumligata fuiſſe constrictam.

Cur ab aliis Strangulatio dicatur?

Convenit cum præcedentibus ratione ſubjecti & cauſarum. Circa Subjectum cauſasque proximas, & remotas hujus morbi pauca erunt monenda. Conveniunt ſiquidem quoad maximam partẽ cum præcedentibus, ſolùm quod obſtructio à pituita vel ſero longè major, motusq; muſculorum reſpirationi inſervientiũ non tam ſufflamminatur, quàm planè ceſſat. Inſuper tamen ſuffocatio ſæpius dependet à ſangvinis abundantia in pulmonibus ſtagnante, aut à coagulatione ſangvinis modò ab acido facta, modò à frigido potu corpore antea calefacto aſſumto: item à fumo carbonum vel exhalationibus metallicis *b*) aut vini vel cereviſiæ fer-

y) Poſt ſaccharum Saturni in maj. quantitate datum gonorrh. ſuppreſſam, & aſthma ſuperveniſſe obſervavi.

z) *Borell. Cent. 3. c. 46.*

a) Sperma ceti recens potiſſimum v. *Mizald. Memor. Cent. 7. a. 61.*

b) Huc ſpectant obſervationes de crypta Italiæ, Crotta di Cane & Schvvalbacenſi, vid. *Pechl. Obſ. Med. Phyſ. L. 3. Obſ. 44.*

fermenteſcentis vid. *Borell. Cent.* 1. *obſ.* 20. vel à rebus *c*) per errorem in aſperam arteriam illabentibus aut ſaltem illam comprimentibus.

Medicus in cauſarum inquiſitione promtus ſit. In inquiſitione cauſarum promtus ſit medicus & inſimul accuratus. Nam tempus hic non datur multum cunctandi, nec morbi atrocitas & truculentia medicamenti ancipitem effectum expectat. Diſcat igitur primo ex ægri habitu, an plethoricus, an cachecticus, an hydropicus &c. ſit, ex adſtantibus & domeſticis ſciſcitetur, num antea de aſthmate, catarrho, tuſſi, torminibus ventris &c. conqueſtus fuerit; aut ex quanam occaſione externa morbum contraxerit.

Tum verò ad Curam properet, quæ duplex eſt, altera extra paroxyſmum, altera in paroxyſmo.

Cura in paroxyſmo ex Sangvinis abundantia In paroxyſmo ſuffocationis ex abundantia ſanguinis aut coagulatione, V. S. ſacra eſt anchora, quam citisſime & largiter celebrabit. Interim dum chirurgus vocatur, ſanguinis motus promovendus eſt, per frictiones cum panno aſpero, per ligaturas doloroſas manibus pedibusque injectas, aut etiam cucurbitulas admotas, item per actu calida collo circumjecta.

ex pituita Proderunt hæc etiam in ſuffocatione ex pituita, ſi non ad curam radicalem, tamen ad paroxyſmum minuendum.

ex defluxione ſeri acris. In Catarrho ſuffocativo *d*) iisdem utere remediis, non neglectis tamen ſuffumigio ex thure & ſuccino, ſacculo arena calida repleto, colloque circumligato & pectori appoſito, vid. *M. N. C. Ann.* 2. *Obſ.* 159. Cataplaſmate ex fermento acri, & ſuccino; vel ſuccino & ſpir. vini cum linteo vertici admotis ad imitationem *Riverii & Hoffmanni Meth. Med. p.* 295.

ex fumo, vapore minerali, muſti & cerevisiæ ſpiritibus Ubi à fumo, vel vapore minerali *e*) aut ex muſto, vel cereviſia exhalante fuerit æger ſtrangulatus, & tantillum vitæ adhuc inſit (quod ex pulſu, pennæ motu, vel halitu in ſpeculo ori admoto, vel aquæ undulatione in patella cordis regioni appoſita diſcitur) frictiones iterum conveniunt. Præterea ſternutatorium acre naribus inſuffletur, vel aqua frigida corpus conſpergatur, vid. *Borell. Cent.* 2. *obſ.* 4. vel acetum cum pipere conditum ori infundatur ex commendatione *Foreſti.*

ex aquarum inundatione. Non differt Methodus medendi in aqua ſuffocatorum ab hac, niſi quod omiſſa aquæ adſperſione potius prono in caput corpore aquæ effluxus promoveatur, & deinde per calida, lectum puta calefactum, & analeptica v. g. ſpir. vini cum mica panis cordi admotum excitatio illorum debeat tentari Confer. *Borell. Cent. Obſ.* 2.

ex ſpaſmo. Quæ ab hyſterica pasſione aut alio convulſivo motu vel ſpaſmo eſt, curatur

---

c) Conf. *Cæſonis Grammii Examen Problematis Hippocratici: An de liquidis in fiſtulam ſpiritalem aliquid illabatur ſecundum naturam. Schlesvvigæ* 1665. *ibid. p.* 21. §. 40. ita periêre Anacreon poeta ex acino uvæ laryngem incurrente. Fabius Senator Romanus, cui avidius lac haurienti pilus irrepſit in rimam. Hadrianus IV. Pontifex Romanus ex muſca cum aqua fontana attracta in tracheam §. 41. Ita extinctus eſt Juvenis Haffnienſis ex lingvæ bubulæ fruſto inter rimam hærente, & epiglottida, de quo *Bartholinus* &c. Sic vidi, quod pulveris emetici particula in guttur abrepta vitæ periculum quidam paſſus fuerit. Novi, qui fabæ portiuncula arteriam ſubingreſſa & tuſſi tandem rejecta, ægerrimè vitam per triduum tolerabat. Conf. *Camerar. Syllog. Memorabil. Cent.* 15. *part.* 19. *& ſeqq. Schenck. Obſ. L.* 3. *p.* 231. *ſeqq.*

d) In catarrho ſuffocativo conveniunt juxta *Brunner. Conſil.* gargariſmata ex aceto. Roborat enim partes atque adſtringit, hinc ſeri ex glanduloſis partibus deſtillationem inhibet. Huc facit etiam, ſi in ore detineatur aliquod corpus abſorbens humiditates, & adſtringens ſimul v. g. fruſtum C. C. uſt. vel terræ ſigill. portio. Huc facit etiam ſitus corporis pronus, qui non ſit ſupra dorſum, ſed potius ſupra ventrem, aut capite verſus anteriora declivi, ne ſerum ad aſperam arteriam depluat.

e) In cryptis ſubterraneis & cellis vinariis, convenit corpus humo proſternere, ore verſus terram converſo.

tur per ſuffitum picis, ſulphuris, pennarum, crinium, per odorem ſpir. ſal. ammon. cum calce viva, aliaque antiſpaſmodica & epileptica, v.g. ungventum ex oleo deſtillato ſuccin. rutæ &c.

ex rebus peregrinis in Tracheam illapſis.

Quæ à rebus peregrinis aſperam arteriam illapſis eſt, item ab aliis rebus arteriam hanc tam ab extra, quàm intra comprimentibus, omnium difficillima curatu eſt, niſi ſtatim in principio per tuſſim, vomitum, ſternutationemque peregrinus & importunus ille hoſpes ejiciatur.

ex tumore aut inflammatione colli.

Quid in ſuffocatione ex tumore colli œdematoſo, aut inflammatione agendum ſit, petendum ex §. *de angina*.

Cura extra Paroxyſmum

Sublato paroxyſmo quid conſilii, habes in §. *præcedenti & paſſim*.

Caput XIV.

De

FEBRIBUS.

§. I.

De

Febrium Natura et Differentia in genere.

Cum in antecedentibus non ſemel Febrium facta ſit mentio, animum induxi hoc in capite, quicquid de illis Medico ſcitu neceſſarium eſt, inſerere. Antequam verò de ſingulis ejus ſpeciebus verba faciam, ſummè neceſſarium credidi, prius de illis in genere aliquid præliminariter proponere, quo facilius poſthac nomina, ac proprietates ſingulorum intelligantur.

Febres in qvo conſiſtant.

Conſiſtit autem febrium natura in motu præternaturali ſpirituum, jam à peripheria ad centrum, jam à centro ad peripheriam, concitato nunc à cauſa quadam interna, nunc externa, nunc materiali, nunc ideali, à quo frigus poſtmodum ac calor unà cum pulſu irregulari, aliisque inſeparabilibus febrium ſymptomatibus originem ſumit.

Dividuntur, ratione temporis & Symptomatum.

Suppoſita hac febrium generali deſcriptione, inſignem illarum numerum ab Autoribus traditum in duas claſſes redigo, ita, ut in prima temporis, in altera ſymptomatum ratione diviſas collocem.

in Ephemeras ſ. Diarias

Eſt enim alia febris unius ſaltem diei ac paroxyſmi & hanc vocamus *Ephemeram* ſive *Diariam*, alia autem plurium dierum. Ex his rurſus quædam per aliquot dies ſine ulla remisſione, aut nova exacerbatione durant, & dicuntur *Continentes* ſive *Synochæ*, quædam verò licet ſimiliter per aliquot dies affligant ægrum, fit tamen illud ſine aliquali remisſione, novaque exacerbatione ſymptomatum, & hujus generis febris *Synochus* ſive *Continua* audit.

Continentes.

Continuas.

Quodſi ingraveſcentia hæc ſymptomatum in continuis certas & accuratas periodos ſervet, hoc eſt, vel quotidie, vel ſecunda aut tertia die accidat, tum cum additamento *Quotidianæ*, *Tertianæ*, *Quartanæ* appellantur.

Quotidianas, Tertianas, Quartanas.

Tandem quædam febres finito paroxyſmo remisſionem omnium ſymptomatum experiuntur, ita, ut debitè & ſine querela ſolitis muniis vacare ſubinde posſint ægrotantes, usque dum omnia ſymptomata ordine quaſi ſolito ſuccedant, & illæ nomen *Intermittentium Febrium* gerunt.

Febres Intermittentes easque.

Intermittentibus verò hiſce à diebus paroxyſmorum nomina iterum propria accedunt, v.g. ſi ſingulis diebus per aliquot horas paroxyſmus febrilis duret, cæterumque tempus ſine ullo, aut ſaltem non adeo notabili incommodo tranſigatur, *Quotidiana* dicitur *Intermittens*, ſi alternis diebus febris affligit, *Tertiana*, ſi tertia die, *Quartana* (ultra hunc terminum

vel Quotidianas

vel Tertianas

vel Quartanas

num rariſſimè *f*) protrahitur febrilis paroxyſmus) ſi nulli tempori certo alligentur paroxyſmi, hoc eſt jam typum quotidianæ, jam tertianæ &c. ſervent, *Erraticæ* audiunt. Sed ſimplices hæ tantum ſunt intermittentes, dantur præterea aliæ compoſitæ duplici ratione.

aut denique Erraticas.

Febres compoſitæ ſiunt duplici ratione.

Primo *Quotidiana* fit *Duplicata, Triplicata*, imo & *Quadruplicata*, cum ſingulis diebus bis, ter vel quater paroxyſmus recurrat, & hac ratione tertianæ quoque, ac quartanæ multiplicantur.

Secundò, ſi die intercalari v.g. in tertiana, aut ſi in quartana uno die ſano quis febrilē etiam paroxyſmū patiatur, *Duplicata Tertiana & Quartana* dicitur; ſi ultimus adhuc dies liber in quartana duplicata à paroxyſmo febrili occupatur, *Triplicatæ Quartanæ* poſtmodum nomen aſſumit.

Semitertianæ deſcriptio.

Eſt inſuper & alia compoſitæ febris ſpecies, quam *ſemitertianam g*) dicunt, cujus typus talis eſt, primo die ſimplici vice invadit ægrum, alterô duplici, tertio iterum ſimplici, & ſic ulterius.

Diviſio Febrium ratione Symptomatum, in Algidas & Ardentes.

Hæc prima claſſis eſt febrium; ſequitur altera ex Symptomatum differentia deſumta, ſic febris ſolo frigore ægrotis moleſta *Algida h*) κατ᾽ ἐξοχὴν appellatur, germanis das Kalte. Quæ verò ſolo calore affligit, *Cauſos* ſive *Ardens* das hitzige Fieber dicitur.

Leipyriæ,

Ubi externa frigent, & interiora quaſi calore aduruntur, *Leipyria* ſalutatur.

Epialæ,

Quando æſtus & frigus ſimul & eodem tempore vexant ægrum, *Epialæ* titulo inſignitur.

Febris Lentæ & Hecticæ deſcriptio.

Quod ſi nec frigus, nec æſtus ſint adeo notabilia, ſenſim tamen conſumantur vires, *Febris Lentæ* nomine notatur: ſicuti *Hecticæ* titulo gaudet, quæ cum calore equidem continuo, ſed non niſi poſt paſtum manifeſto, ope ſudoris nocturni omnem carnem depaſcitur.

Febres Malignæ quænam?

Tandem ſi ſymptomata aliàs febribus ſolennia ſolito ſint pejora, & imprimis virium proſtratione inſigni, cardialgia ſumma inquietudine conjuncta, nomen adipiſcuntur *Febrium malignarum.*

Quæ reliqua ſint febrium genera ad ſecundam hanc claſſem relata, nempe febres tuſſiculoſæ, arthriticæ, inſanæ &c. prætereo; nimius namque foret numerus, ſi ab omnibus ſymptomatibus velimus illa denominare.

Diviſio à cauſis deſumta rejicitur.

Cauſa proxima.

Continentur itaque binis hiſce ſub claſſibus, ad unum omnes febres, adeoque haud opus erit de tertia differentia à cauſarum diſcrepantia deſumta quicquam ſuperaddere: imaginariæ ſiquidem tantum ſunt cauſæ, à quibus putridas, nothas, ac veras febres deducūt, cum una omnibus ſit communis cauſa proxima, ſpirituum nempe præternaturalis motus.

§. 2.

De

FEBRIBUS QUOTIDIANIS, TERTIANIS, AC QUARTANIS.

DUm in præſenti §pho. de Febrium intermittentium, communiter Algidarum dictarum, natura, ſymptomatibus & cura facere verba decrevi, neceſſum duxi præmonere, mihi haud quaquam in ſenſu proprio vocem febrium algidarum venire, qua ſolo

f) Notantur ab Autoribus etiam quintanæ, ſextanæ, octanæ, menſtruæ &c. ſed rariores illæ ſunt. Memini ſemel adhuc octanam, ſiquidem virgo quædam primaria ſolo die Jovis in hebdomade febre corripiebatur, reliquis diebus ſalva exiſtens; non tamen facilè dixerim, propriè dici debere octanam. Contingit enim plerumque, ut intermittens febris per medicamenta intempeſtive ſuppreſſa recidivam pariat talem. In menſtrua febre, quam Blaſius refert, aderat per 3. dies frigus, 5. dies æſtus, poſtmodum 3. ſeptimanas intermittebat febris, quo tempore elapſo & frigus repetebat ægrum cum Ictero, qui per æſtum ſequentium dierum interim diſſipabatur. *Sibbald. Prodr. H. N. Scot.* obſervavit febrem 4ta & 7ma die recurrentem.

g) De qua vid. *Tr. Spigelii de Semitertiana Francof. 1624. in 4to edit it. Thaddæus Duny de Hemitritæo Tiguri 1592. in 8vo.*

h) *Sylvius* notat febres algidas in Batavia eſſe communes, ubi ſc. planè nullus calor ſentitur. vid. *Pr. de febribus intermitt.*

ſolo frigore ſine omni calore inſequente affligente alias veniunt; ſed in laxiori paululum, ſic ut illæ, in quibus horrorem notabilem calor poſtmodum inſequitur, etiam contineantur.

An febres pure algidæ dentur?

Non jam multum diſputabo cum quibusdam moroſis veteranis de exiſtentia harum febrium, experientia pro me loquitur, quicquid in contrarium de πυρετῶ illarum græco nomine, à πῦρ igne deſcendente, aut aliis Ebraicis, vid. *Petr. Poterius in Oper. ſuis p. 644.* dicant. Largiar enim ambabus, olim hujus generis febres ob climatis caliditatem, quo ſacer Hiſtoriographus & *Hippocrates* degebant, latuiſſe.

Febres vero tales, **die kalten Fieber** ſunt quotidianæ, tertianæ ac quartanæ,

Symptomata

præterque frigus & æſtum ſymptomata habent conjuncta varia, vomitum, dolorem ventriculi & capitis, laſſitudinem artuum, faſtidium carnis & cereviſiæ, & plura alia.

Subjectum.

Subjectum febrium harum credo eſſe Spiritus noſtros, ex nullo enim alio principio adeo promte ſymptomata cuncta explicari poſſunt quam ex his. Quod enim attinet primo frigus, poteſt illud ſymptoma commode ex retroceſſione ad interiora, & fuga ſpirituum è partibus deduci.

Ratio Symptomatum. Frigoris.

Quemadmodum enim video ſymptoma hoc ſubſequi ſpirituum fugam ob hybernam aëris inclementiam, aut lipothymias, terrorem, ſenium &c. ita & febrile frigus ex ſimili retroceſſione ſpirituum provenire nullus dubito.

Caloris.

Calorem è contra & inſequentem æſtum ſpiritibus deberi in contrarium, hoc eſt, impetuoſum ex interioribus motum raptis, firmiter mihi perſvaſum habeo. Hoc ut comprobem, rurſus ad exempla compello; nonne radiorum ſolarium, aut fornacis calor in motum exagitans ſpiritus, æſtum in corpore noſtro excitare potis eſt? quid dicam de aromatibus & ſpirituoſis aſſumtis? Clariora hæc ſane ſunt teſtimonia, quam ut ulteriore explicatione indigeant. Quod ſi tamen adhuc dubites, aſpice hominem iratum, & ex ejus oculis fulgidis faciei rubedine, æſtuque totius corporis inſigni, à ſolo ſpirituum furioſo motu obortis, diſce caloris febrilis ſimilem cauſam.

Doloris ventriculi & vomitus.

Et tali namque ſpirituum motu dolorem ventriculi, & vomitum excitari poſſe, facile intelliges, ſi in horrore non externa, ſed interiora etiam viſcera conquaſſari obſervaveris.

Palpitationis cordis &c.

Patet hoc præprimis ex palpitatione cordis, ac tremulo cordis motu tempore rigoris, & ſtimulatione ad urinæ redditionem eo tempore pene ſolenni. Capitis dolor, delirium, agrypnia, inquietudo &c. ex æſtu ſpirituum & rapido ſanguinis fluxu oriuntur. Laſſitudo artuum ex defatigatione, faſtidium vero cibi ac potus à nauſea ſpirituum.

Cauſa occaſionalis.

Cauſa occaſionalis hujus inordinati motus ſpirituum non una eſt: aliquando enim cruditates in primis viis ex alimentorum corruptione oriundæ: aliquando ſolùm ideæ peregrinæ, ſpiritibus firmiter impreſſæ illum excitare poſſunt. Nimius eſſem, ſi hæc cuncta prolixe deducerem, ſufficiat hoc ſaltem monuiſſe, ex hac cauſarum occaſionalium differentia quàm plurima alia ſymptomata præter jam ſupra recenſita dependere, hæmorrhagiam loquor, arthritidem, dolorem ventriculi gravativum, paſſionem hyſtericam, cardialgiam, tuſſim, diarrhoeam, ſputationem &c.

Ratio typi in febribus fixi.

Sed licet quis ſibi concipiat febrium naturam quoad ſedem cauſas & ſymptomata, ardua tamen adhuc reſtat difficultas, qui fiat, ut jam ſingulis diebus, jam alternis, jam tertia, & rurſus bis, ter vel quater ſingulis diebus præciſè recurrant, & campanæ ſonum, qui horas denotat, accuratè ſæpius obſervent. Verùm enim verò, ſi quis conſiderat, conſvetudinem fieri alteram naturam, non mirabitur typum febrium hunc adeo accuratum. Spiritus enim ſemel, bis vel ter, aut ſæpius à cauſa morbifica exagitati adſveſcunt motui illi inordinato, ſic, ut impoſterum citra commonefactionem ullã rapiantur in annomalum hunc motum. Vis exempla, quid conſvetudo valeat? Conſidera exempli gratia duos ſtudioſos contubernales, unum ſedulum, qui

qui antelucano tempore lectum derelinquens ſtudiis incumbit; alterum ignavum, multamque in lucem ſtertentem, qui non expergiſcitur à ſomno, antequam octava, vel nona hora ſit audita; cum alter præciſè circa quartam matutinam evigilet.

Cura.

Circa curam tria occurrunt indicantia, primo, ut cauſa occaſionalis removeatur, ſecundò, ut idea illa inepta è ſpiritibus deleatur, tertio tandem, ut ſymptomatibus proſpiciatur.

I. Cauſa occaſionalis removeatur.

Ad primum indicans pertinentia remedia citò debent in uſum vocari, antequàm radices profundas agat malum, tum enim

- - fruſtrà medicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre moras.

Quod præprimis de Quartana ſummo ſæpe cum noſtro tædio verificatur. Dirigi verò hæc remedia immediatè ad cauſam debent, hoc eſt, ſi in ventriculo vel inteſtinis cruditates hæreant, ut evacuentur per vomitoria, purgantia, aut etiam clyſmata, *i)* aut ſi talis evacuatio locum non inveniat, vel fruſtra adhibeatur, ut alterentur. Conveniunt pro hoc ſcopo primo terrea, lap. cancr. ſpecificum Strobelbergeri, ſive conchar. pulvis. C.C. uſtum, lap. ſciſſilis, vid. *M. N. C. A. 3. obſ. 231. &c.* Secundò alcalia, eaque vel fixa, e. g. ſal tartar. abſinth. centaur. min. imperator. vel volatilia, ſal volatile C.C. ſal ammon. &c. Tertio ſalſa, tartar. vitriolat. arcan. dupl. aut alia nitrata, ſal ammon. depurat. &c. Quarto amara, abſynth. cent. min. card. bened. rad. gentian. pulv. de gannanaperide ſ. chinæ *k)* vel in ſubſtantia, vel extractus vel infuſus; quinto acria, e. g. roſmar. caryophylli arom. piper, ſimiliaque quàm plurima, item pituitam reſolventia, quorſum revoco aſari decoctum, & naſturtium decantata illa antiquartia.

Hæc

i) *v. Lang. Miſcell. gymn. 11. no. 5.*

k) Antea curabantur febres difficillimè; non enim adeo facilè eruuntur cauſæ ſpiritus afficientes, hinc conſumebant olim plures menſes, antequàm febres, imprimis quartanam curarent, niſi ſponte ſæpe cederent. At hoc ipſo remedio hodie ſymptomata febrilia, horror ſcil. & æſtus feliciter removentur. Eſt enim china amaric. & adſtr. adeoque mixtæ virtutis reſolvendi & conſtringendi. Sic itaque operatur, quod, dum ante paroxyſmum aſſumta eſt, ad chylum & M. S. feratur, imo ad ſubtiliſſimos tubulos, indeque ibi reſolvantur latentes humores viſcoſi, roborenturque fibræ & tubuli, per quos ſpiritus fluunt, & hac ratione motus eorum ſiſtatur irregularis. Hinc fit, ut ſi debito tempore, doſi, & circumſtantiis obſervatis detur, unicum & ſufficientiſſimum antifebrile ſit. Quod doſin concernit, primitus ſufficiebat ʒj. pro doſi, vel ʒij. & curabatur feliciter morbus. Hodie vix ſufficit ℥j. ſæpe requiruntur ℥ij. iij. antequam tollatur. Culpa fortè in china, vel adulterata, vel temporis tractu ſua virtute ſpoliata latet. Adulteratur per cortices alios amaricantes, chinam chinæ ſpuriam, ſive chacrinille, (caſcarille) hinc non mirum, majorem tunc doſin requiri, tanta enim virtute non pollet, quàm vera china chinæ. Ablata etiam eſt vis per longitud. temporis. Dum enim affertur ex America, pluribus injuriis externis ſubjicitur: exhalare itaque facile poſſunt virtutes volatiliores. Ergo hodie neceſſe eſt largior doſis, quæ cum nauſeoſa admodum ſit, & nimiæ molis 2. Löffel voll pulv. quare de modo convenienti cogitandum. Empyricus aliquis primum Anglus Talbotius dictus exhibuit ſolùm in infuſo, in vino gall: albo, usque vim ſufficientem aſſumſiſſet, & exhibebat ℥ij. vel iij. cort. ejus ad $\frac{1}{4}$. Menſ. ſ. ℔ß. Pro ſingulis doſibus binos Ducatos expetebat. *vid. Blegny Zod. Gall.* Felix ſemper effectus hinc ſecutus eſt, ut magnam pecuniæ ſummam empiricus ille acquireret, quæ ut delata ad Regem ſunt, adegit eum ad manifeſtandum arcanum, pro quo 200. aureos ipſi ſolvere juſſit. Sic pro lubitu etiam poteſt parari ejusmodi infuſum cum vino, & certò ſufficit ſolùm, ad quod occultandum alia vegetabilia addi poſſunt: ad Mj. vel ij. vini ℥ij. Adhibetur etiam in extracto, tinct. In extracto tamen cum ſpir. vin. facto equidem quædam ſubſtantia latet, ſed non omne ibi reperitur, quod ad curam febrium requiritur: hinc non adeo convenit, niſi forte eſſentia fiat & cum aqua pluviali, & ſale lixivioſo vel alcal. paretur. Optimè in ſubſtantia agit, & cum

Il.) Ideæ febriles ſpiritibus excutiantur.

Hæc de prima indicatione. Circa alteram optandum foret, noſtras officinas talia posſidere medicamenta, per quæ ideæ hæ poſſent ſpiritibus rurſus excuti; ſed cum talia inibi non reperiantur, adeo difficulter etiam à Medico hæc intentio impetratur. Proderunt tamen his quandoque animi pathemata v. g. terror improvidus, vel ira, aut ebrietas ex vino copioſius hauſto vel ſpir. vini. Deinde ſpiritus quoque alio modo divertendi *l*) ſunt e. g. per vomitorium aut purgans brevi ante paroxyſmum exhibitum, aut ſudoris provocationem ante paroxyſmi acceſſum, per ſtudium, luſus, aut alia negotia, per veſicatoria & rubificantia, per amuleta *m*) & curas magneticas &c. vel tandem ligandi ſunt per opiata, quæ ſanè remedia infallibiliter ſuſpendere, aut imminuere paroxyſmum, interdum etiam penitus tollere valent.

Ad tertiam indicationem nihil addo, præſuppono enim ex aliis paragraphis remedia; illorum verò propinationem judicio Medici relinquo. Plura ſi deſideras evolve *Diſſert. Dn. D. Rivini de Febribus Intermittentibus.*

§. 3.

De

FEBRE LENTA ET CATHARRALI.

Superfluum dixi peculiari in paragrapho de febre Leipyria agere (quæ *Galeno & Fernelio* teſtantibus tantùm in phlegmone internarum partium occurrit) quoniam de ejusmodi febribus ſymptomaticis incidenter §pho *de Nephritide* jamjam actum eſt. Nec Epialam ſeorſim tractabo, dubito enim vehementer, an talis unquam in ſenſu ſtricto, h. e. ubi ægrotantium corpora uno eodemq; tempore ſimul algent & calent, extiterit; quod ſi tamen de ſubitanea vicisſitudine, ſive, ut clarius loquar, à reciprocatione crebriori caloris ac frigoris febrem nuncupaveris Epialam, parum vel nihil differt à lentis catarrhalibus, de quibus nunc nobis ſermo erit.

An Epiala detur in ſenſu ſtricto? dubitatur.

Etenim & in his calor & frigus alternatim,

Deſcriptio Lentarum & Catarrhalium.

ſyr. aliquo &c. in electuarium redigi poteſt. Aliqui cum gummi tragac. pulver. corticis in pilulas formant, in forma amygdalarum. Methodum & tempus adhibendi quod ſpectat, ubi primæ viæ impuræ, ante omnia repurgandæ ſunt, vel per vomitor. vel cathar. vel diaphor. poſtm. tutò dari poteſt illud antipyreton. In momento invaſionis nonnulli exhibent, quod etiam empyricus ille Talbotius obſervabat. Imo recentiſſimi ſcriptores, impr. *Liſter. de Conchiliis part. 3.* refert ſe 1. & 2. doſibus plus efficere poſſe, ſi iſto tempore detur, quàm alio tempore ſi exhibitum fuerit. Ego potius facio cum illis, qui per longum à paroxyſmo tempore propinant, v. g. diebus intercalaribus binis ſingulis horis 1. doſin, usque recurrat paroxyſmus. Quo major enim doſis medicamenti datur ante paroxyſmum, eò citius ille tollitur. Rectè quidam ſvadent, in quotidianis mox finito paroxyſmo ut exhibeatur eadem methodo. In tertianis & quartanis, diebus intercalaribus detur. Quod ſi tamen non ſtatim ceſſet ab hoc medicamento paroxyſmus, ſed recurrat, ſæpeque magis auctus videatur, bonum nihilom. eſt. Indicat enim agitatam eſſe materiam & à medicamento deturbatam, ſive ante ſive poſtponatur ille parox. Et cum hoc rem. palliativè ſaltim curet, cauſam morbificam verò non attingat, ſpatio 8. dierum emenſo propinetur doſis, de eodem medicamento, idque continuetur per menſem ad minimum, aliàs recurret & recidivam ad minimum patietur æger. Reliqua antipyreta non ſunt adeo tuta, impr. arſenic. utpote quod venenum præſentaneum, ſi in larga doſi datur; putant tamen nonnulli hodie in minima doſi 4. gr. v. g. non nocere. Aſt triſtes caſus docent contrarium *v. Stahl. Menſ. Nov. de Archiatro.*

l) Sic etiam verberibus percuſſus, hincque alterationem ſpirituum perpeſſus febrem amittit v. *Paullinus de cura morborum per verbera.*

m) Amuleta in ſe nulla vi quidem gaudent, febres tamen tollunt ſpiritibus aliam ideam imprimendo, ut negligant priſtinam illam, ne paroxyſmos ſentiant. Abba catabra, aliæque inſcriptiones, ſcarabæi vivi Laub-Fröſche an Halß gehenget / inſcio ægro; aut propinata varia cum firma ſaltem promiſſione de reconvaleſcentia &c. cuncta niſi confidat his ipſis æger, nihil juvant.

natim, haud tamen adeo ſenſibiliter, niſi circa veſperam occurrunt, quo tempore non modo hæc ſymptomata, ſed etiam alia catarrhalibus affectibus propria, dolores loquor artuum cum tuſſi, cephalalgia &c. ordinariè exaſperantur.

Cauſa. Cauſa ſunt Catarrhi, de quibus vid. *paragraph. 5. cap. 7.*

Cura. Adeoque in cura etiam ad illos ac ſymptomata potisſimum moleſta reſpici debet. Contra horrorem igitur in febribus catarrhalibus *n*) nihil felicius adhibetur, quam liqu. C.C. ſuccinat. ſalia volatilia præpr. oleoſa: ſicut contra calorem Arcan. duplicat. cum aliis nitratis, in ſpecie, ſi cum ſpecificis antiſcorbuticis vel anticatarrhalibus judiciosè maritentur. Ad hæc ſi materiæ peccantis copia urgeat, nec purgantia omittenda velim.

§. 4.

De

FEBRE HECTICA.

Conceditur merito huic febri locus proximus poſt lentas, cum nulla majori affinitatis vinculo connexa ſit, quam hæc, adeo namq; lento paſſu obrepit ægris, ut prius præſentiam ejus vix percipiant, quam radices admodum profundas egerit.

Signa. Nec enim quicquam de ullo calore præternaturali deprehendi poteſt in illis, præterquam in vola manus: nec alia via febris hæc ſe prodit; niſi per faciei ruborem, ac phlogoſin inſvetam poſt paſtum, & pulſum tum temporis paululum auctum. Facilius tamen poſtea cognoſcitur, ſi (ſtylo antiquorum) in altero ac tertio gradu conſtituta fuerit, hoc eſt, ſi jam calor augmentum notabile ſumſerit, febrisque nunc continens facta cum inſigni virium jactura in contabeſcentiam univerſalem, extremumque marasmum præcipitaverit ægros.

Symptomata Symptomata hujus febris *o*) moleſta juxta & ſumme nociva ſunt primo ſudor nocturnus, qui ſæpius tam copioſe emanat, ut ægrotantes aquæ fuiſſe immerſos jurares, dum ſingulis noctibus ſemel bis vel ter cum induſiis ſtragula mutare coguntur; ſecundo ira & excandeſcentia vehementisſima ob levem ſæpe cauſam, quod ſymptoma adeo familiare eſt ipſis, ut ex ejus præſentia ſignum imminentis hecticæ admodum firmum deſumi posſit.

Cauſa proxima. Si rationem ejus exigis, nullam plauſibiliorem dare poſſum, quam quod ſpiritus ob febrem in continuo præternaturali motu conſtituti, citius ab objectis externis in motum ſe rapi patiantur, quam alias in ſtatu tranquillo & ordinario.

Cauſæ. Occaſionales Cauſæ occaſionales harum febrium ſunt vel exulcerationes partium internarum: hinc phthiſin ulceraque renum & veſicæ chronica ſequuntur; vel ſudor nocturnus, quatenus nempe cum ſero ſpiri-

---

n) Si adſit acrimonia humorum, diluentia optima ſunt remedia. Calida tamen diluentia ſive aquea melius diluunt, quàm frigida. Vis enim diluendi per calorem intenditur, & ſic aquæ calidæ optimum præſtant remedium anticatarrhale, quales ſunt aqua ſimpl. calida, aquæ thermales; Thée, Coffée infuſa, quæ experta ſunt remedia, impr. ſi paulo largius aſſumantur. Diſcontinuantur enim inde humores viſcoſi non tantùm, ſed & ſalia diluuntur, ſangvinique conſiſtentia naturalis reſtituitur, ut circulatio humorum ritè iterum peragi queat. Sed ſi ſerum abundat, abſtineamus à diluentibus, & potius abundans evacuemus vel ſub forma ſudoris, vel per vias urinarias, vel per inferius guttur & per purgantia. Si catarrhus ex conſtipatis poris & impedita tranſpiratione oriatur, tunc vias iterum reddas patulas, ſcil. corpus aëris inclementiæ ſubtrahatur, & in hypocauſto calefacto æger detineatur, ut obſtructio pororum reſeretur, aliàs non curantur ejusmodi febres, poſtmodum acrimonia ſeri vel pituitæ removeatur per diaphoretica, quæ tunc optima remedia, & ſi calida diluentia non ſufficiunt, acriora ſubſtituantur, ſalia ſcil. volatilia, quæ primum locum hic habent, impr. liqu. C.C. ſuccin. ſpir. ſalis ammon. ſuccinat. carviſat. aniſat. ſaccharat. lavendulat. eſſ. lign. aliaque ſalia volatil. oleoſa. Et ſic humores ſtagnantes diſcontinuantur & obſtructiones reſerantur.

o) Confer *M. N. C. D. 2. A. 1. obſ. 109.* de hectica in lactante it. *A. 2. Obſ. 166.* de hectica

ſpirituum notabilem quantitatem deprædando reſiduos in corpore elanguidos ſpiritus cogit,ut majore niſu, & per conſequens etiam calore peragant functiones; vel febres intermittentes, vel cauſus, aut alii morbi chronici non rite curati, vid. *Foreſtus Lib. 4. Obſ. 4.* vel moeror valens, & longus, ſpirituumque morbi e. g. à philtro hauſto, ira & incandeſcentia crebriori.

Curæ Scopus duplex.

In cura duplex ſcopus propoſitus eſt, primo ut pacatior reddatur ſpirituum motus irregularis, deinde ut ſymptomata urgentia removeantur.

1. ut Spiritus tranquillentur.

Obtinetur prima intentio, vel quatenus per remedia refrigerantia olim dicta fervor ille ſpirituum compeſcitur, vel quatenus cauſæ occaſionales removentur. Removentur verò hæ, v. g. ſi phthiſi, aut aliis exulcerationibus per ſuperius jam aliquoties præſcripta remedia, præprimis decocta vulneraria obviam itur; vel ubi nimius ſudor illam produxerit, ſi ſupprimitur.

Sudor ex organorum laxitate.

Neceſſum tamen Medicus habet, ut prius in cauſas hujus ſudoris inquirat, antequam de Medicamentis adverſus illum cogitet, num ſcil. ex organorum huic functioni inſervientium nimia relaxatione; num verò ex materiæ ſecernendæ abundantia, aut acrimonia eveniat: Ubi prima eſt, tum per interna æque, ac externa adſtringentia exhibita voti compos reddetur. Internè exhiberi poſſunt hæmatites pulveriſatus, Saccharum Saturni, Vitriolum Martis ad rubed. calcinatum, Tinctura Martis antiphthiſica Michaëlis, & alia adſtringentia *p*) medicamenta: ſicuti externè fol. nympheæ heder. roſar. violar. ſalicis lectulo inſtrata, vel decubitus ſuper ſtratum coriaceum, aut, ſi tenuioris fortunæ ſit æger, ſuper ſaccum lineum, in quo farina frumenti ante hac erat aſſervata, aut ſuper linteamina multo amylo rigefacta (geſtärckt) ad imitationem *Hoffmanni in Clavi*, aut balnea aluminoſa tam naturalia, quàm artificialia.

Quando verò ab abundantia ſeroſi humoris in ſangvine ortum habet, competunt purgantia hydragoga, cave tamen ne illis utaris, cum jam extenuatio ſumma, atque cum febre ſiccitas corporis adeſt.

ſeri abundantia, aut acrimonia oriundus quomodo tollendus.

Tandem ſi acrimonia ſeri, titillando glandulas miliares ſubcutaneas, hos ſudores concitat, utere inviſcantibus *q*) v. g. ſem. quatuor frigidor. maj. amygd. d. pineis, paſſulis, rad. Chinæ decocto, lign. ſaſſafr. gelatina C. C. & eboris & inter alimenta cancris fluviatilibus, carne ranarum, vitulina, teſtudinum, ſicuti pro potu lacte humano, caprino &c.

Quod ſi hectica febris fit ex aliis prægreſſis febribus, philtro &c. proſpiciendum hiſce cauſis eſt ex methodo medendi cujusque affectus propria.

Sic refrenatur motus Spirituum removendo cauſas occaſionales; Quod refrigerationem tanquam alterum medium ad hanc intentionem perveniendi concernit, haud opus habemus novo medicamentorum apparatu, utplurimum enim, prout tritisſimo illo proverbio dicitur, unâ fidelia duos dealbamus parietes, ſi pro corrigenda cauſa occaſionali ſudoris oleoſis, ac glutinoſis utamur.

Poterunt tamen inſuper pro hoc ſcopo ex regno vegetabili inſervire aqu. rorellæ, ros majal. aqu. nympheæ aliæque

---

in febrem ſalutarem ardentem feliciter terminata. it. *Zodiac. Gall. Tom. 1. p. 128.* de hectici anatome poſt verbera mortui.

p) Spiritus aluminis à *Sachſio in Ampelographia L. 2. Sect. 7. c. 1.* laudatur maximè.

q) Si acrimonia ſeri titillando glandulas ad ſecretionem ſudoris invitat & in cauſa eſt, vel remediis diluentibus, vel inviſcantibus obviam eundum. v. g. rad. chin. decoct. omnis generis gummatibus minus acribus &c. Oſtrearum viventium, & crudarum carn. tanquam excellentiſſimum antihecticum ſvadet *Tulpius.* Involvuntur enim ſalium aculei ab oſtrearum glutinoſitate: Decoctum porcelli commendat *Sibbaldus Hiſt. nat. Scot. P. 2. t. 2. p. 37.* aquam ex cochleis deſtillatam. *Zac. Luſit.* vel etiam aquam deſtillatam ranarum; verbo: quicquid glutinoſitatem in ſe habet, inviſcat acrimoniam, eſtque antihecticum.

que refrigerantes. Ex minerali regno Saturnina & Jovialia cuncta locum habent, ſpeciatim tamen famoſum eſt Antihect. Poterii & ſaccharum Saturni.

2) ut Symptomata removeantur. Quoad alteram intentionem curationis, nempe Symptomatum remotionem, palmaria ſunt contabeſcentia & imbecillitas virium.

Tabes, & Circa primum nota, tabem extremam, ſive maraſmum vel planè non, aut ſaltem difficulter; recentem verò ad methodum *Cap. 12. §. 2.* datam curari.

Imbecillitas Imbecillitati medentur analeptica, *r*) non tamen, quod probe notandum, cuncta, ſed tantùm quæ frigida olim dicebantur, v.g. flor. tunicæ, borrag. bugloſſ. confect. alkermes incompleta, confect. de hyacinth. ſpir. formicarum acidus, tinct. Solis cum ſpir. roſar. &c. Unicorn. ver. corall. os de cord. C. magiſt. cordial. margaritæ, vel præparatæ, vel in magiſterium vel oleum redactæ, & alia vulgo analepticis annumerata, quæ non niſi per accidens, quatenus videlicet cruditates primarum viarum corrigunt, ad hanc claſſem referuntur.

§. 5.
De FEBRE ARDENTE.

Febb. ardentium variæ ſpecies apud veteres. Quodſi Veterum codices practicos evolvas, deprehendes varias ardentium febrium ſpecies ab ipſis annotari: alias ex his vocarunt Cauſodes ſive Cauſos, alias Synochos ſive continuas exquiſitas &c. Nos minimè de nominibus ſolliciti, relinquentes illa ſub *Febrium Ardentium* titulo, in genere intelligimus omnem febrem urente quaſi caliditate homines torquentem.

Symptomata Symptomata Febrium ardentium præ aliis moleſta ſunt ſitis, & ſiccitas oris ſumma, præter hæc cephalalgia in quibusdam ſupervenit cum agrypnia, delirio, inquietudine, vomitu, alvi conſtipatione aliisque. Hinc acutis morbis non malè accenſentur, ſolent enim intra dies quatuordecim enecare ægros, vel à morbo abſolvere.

Signum Pathognom. Signa pathognomica non trado, cum morbus ex ſymptomatibus modo datis ſine omni difficultate colligatur; quodſi tamen præterea ex pulſu ad ejus cognitionem pervenire lubet, notes illum vehementē, & crebriorem ſemper deprehendi: ſi ex urina morbum vaticinari malis, colorem ejus attende flammeum, conſiſtentiam claram, peneque pellucidam.

Cauſa proxima Circa cauſas febrium ardentium ſciendum eſt, proximam & immediatam iterum in ſpiritibus, motuque illorum plane furioſo quærendam: ab illo ſiquidem deducimus longè promptiùs *Symptomatum ratio.* non modò æſtum inſignem, ſed ſitim quoque, ariduram oris, delirium, agrypniam, pulſum vehementē, ac celerem &c. quàm veteres, qui hæc cuncta ſanguinis putredini, aut bili in M. ſanguineam infuſæ imputabant. Quod *Veterum opinio de putredine ſanguinis & bilis effuſione examinatur.* enim ſanguinis attinet putredinem, vix totius maſſæ concipere mihi poſſum ſine præſentaneo vitæ periculo; particularem verò in viſcere aliquo, aut peripheria corporis tantum æſtum cum reliquis ſymptomatibus haud ſemper excitare, manifeſto exemplo demonſtrant ſcabioſi, quibus aliàs febris ardens perpetuum foret ſymptoma. Nec bilem aptam eſſe pro ejusmodi turbis in corpore excitandis, demonſtrant icterus flavus, & cachexia bilioſa ſinē febre haud raro in plurimis ægris conſpicua. Ut tamen quodammodo venerandæ antiquitatis autoritas ſervetur, dicam, in quantum hæc ultima hypotheſis poſſit tolerari. Dantur nempe febres bilioſæ, in quibus tamen bilis magis productum eſt, quâm cauſa morbi. Quodſi vero per bilem velimus intelligere Maſſam ſanguin. in-

---

r) Imbecillitas analeptica deſiderat; quæ duplicis generis ſunt, vel calida h. e. oleoſa, aromatica & ſpirituoſa, particulas acres & volatiles poſſidentia, quæ tamen hic locum nullum habent, quia ſpiritus magis commovent; ſed conveniunt potiùs analeptica frigida in §pho allegata. Non tamen niſi ex accidenti fiunt analeptica h.e. removent occaſiones, à quibus commoventur ac irritantur ſpiritus. Partim enim in ſe continent vim adſtrictoriam, ut Confect. Alckerm. hinc motus ſpirituum compeſcitur: partim emolliunt glutinoſitatem inviſcantem, partim abſorbent &c. & ſic ſemper agunt cruditates abſorbendo, ſpirituum tamen vires non augent materialiter, ſicut analeptica calida faciunt.

inſpiſſatam, h. e. omnibus particulis ſeroſis orbatam, non adeo moroſe refragabor, ſanguinem hunc (prout alias loqui amant) aduſtum, & bilioſum cauſam poſſe conſtituere motus hujus furioſi ſpirituum, dum nempe hinc & inde ſtagnans ad correctionem ſui (per naturam tamen impoſſibilem) indeſinenter ſtimulat. Videmus hinc ſudores nimios tempore æſtivo multum diſponere ad febres has, ſicuti illi, qui ardente ſirio iter faciunt, ſuo damno ſæpius experiuntur. Idem præſtant aliæ occaſionales cauſæ condenſationem ſanguinis promoventes, quorſum faciunt corporis exæſtuantis refrigerationes intempeſtivæ, potus frigidus, vel lapſus in aquam frigidam, vel terror ſubitaneus, de quibus vid. *Gabelchoverus in Obſ. Cent. 6. fol. 56.* Non tamen ſola hæc ſanguinis inſpiſſatio remota cauſi eſt cauſa, ſed etiam præterea inflammationes viſcerum, e. g. lienis, epatis, diaphragmatis, pulmonum, meningum, muſculorum abdominis &c. Spiritus in motum talem enormem rapiunt. Ulterius copioſa aromata aut vina generoſa liberaliter hauſta, item animi pathemata, gaudium in ſpecie immoderatum ex obſervatione *Rhodii Cent. 1. Obſ. 4.* & excandeſcentia ſumma in ſubjectis diſpoſitis occaſionem præbere poſſunt febribus ardentibus.

Cauſæ remotæ & occaſionales.

Cura reſpiciens

Indicationes curativæ reſpiciunt partim febrem ipſam, partim cauſas occaſionales, partim ſymptomata.

Febrem ipſam.

Primæ indicationi inſerviunt refrigerantia, Nitrum purum, Arcan. duplicat. lap. prunell. Nitrum Antimon. Nitrum tabulat. Saccharum Saturni &c. Refero huc quoque Spir. Vini, imprimis ſi ad imitationem *Hartmanni Prax. Chim. p. 532.* cum aquis & ſyrupis refrigerantibus porrigatur.

Cauſas occaſionales.

Secundo, ſi imſpiſſatus ſit ſanguis à ſudore, conveniunt diluentia ſupra in hectica recenſitae g. decoctum hordei, *s*) potus aquæ frigidæ à *Galeno olim text. 12. Lib. 4. de vict. ratione* commendatus & à *Smetio in M. N. C. p. 161.* & *Stammero in Itinerar. Orient.* expertus, vel julepus acidulus, jam ex ſimplici, jam deſtillata aqua v. g. roſar. plantag. roris majal. ſemper viv. flor. violar. endiv. borrag. prunell. cichor. nympheæ, acetoſæ, lactucæ, portulacæ &c. cum ſuccis acetoſæ, citri, cydonior. ribium, berberum, omphacii, & ſpiritibus acidis Nitri, Sulphuris, Salis, Vitrioli Philoſoph. &c. paratus.

Ubi ex coagulatione ſanguinis, vel inflammatione febris ortum duxerit, tum vel Venæ Sectio, ſtatim tamen circa primas dies, ſi corpus fuerit plethoricum, celebrari poterit; vel blande reſolventia & diaphoretica, CC. ſ. igne, Ebur. uſt. Unicorn. raſur. dent. apri, mandib. lucii piſcis, Antimon. diaphor. Antihectic. Poterii uſurpanda ſunt.

Si autem ex vini meracioris ingurgitatione, aut aromatum abuſu, vel ex animi pathematibus immoderatis orta ſit, itidem venæ ſectio in *t*) principio morbi cum aliis refrigerantibus, acrimoniam obtundentibus, ſpirituumq; æſtum compeſcentibus locum habebit.

Symptomata

Tertio circa ſymptomata notandum, ea quidem utplurimum una cum febre tolli poſſe; attamen cum illorum ve-

s) Cereviſia tamen lupulata non adeo convenit. Spiſſa enim jam eſt M. ſangvin. hinc ſi talem craſſum potum adhibeas, magis exareſcunt fauces, & magis ſitiunt ægri, ut taceam, quod potus ſit inebriativus, hinc ſpiritus furibundi magis exagitantur ad delirium usque. Hinc inepte & peſſime agunt Practici ægros cogentes quaſi ad potum ordinarium ex eo, der Magen ſey darzu gewohnet/ cum tamen continuo, poſt aſſumtionem ejusm. potus craſſioris à natura conſtante ructus emittantur, indicio manifeſto, non ferri ab eadem poſſe talem potum, quin potius ab alio dilutiori cereviſ. ſecundar. potu aquæ ſimpl. bene ſe habere videamus ægros.

t) Sin acrimonia manifeſta adſit, temperantia ſvadeas, v. g. emulſiones, & lacticinia, aliaque partibus oleoſis turgida.

vehementia citius quandoq; remotionē poſtulet, imprimis vomitus *u*) ac alvi adſtrictiones, *w*) ideo pro tali ſcopo ſpecificis remediis indiget Medicus. Habebit autem contra primum in Julepo ſimplici acidulo remedia, quibus paria vix dantur.

Contra reliqua, nimirum cephalalgiam, agrypniam & delirium nihil præſcribo, cum animus ſit diſtinctim de illis in ſubſequentibus agere; hæmorrhagiæ verò, ac ſitis curam in antecedentibus jam præmiſerim.

§. 6.

De

Febribus Malignis.

SI ullum genus febrium unquam medicorum ingenia exercuit, ſanè hoc fuit, quod pertractandum propoſuimus. *Ratio denominationis.* Vocatur illud malignum, partim ob peſſima & perquam atrocia ſymptomata, quibus ſemper ſtipatur, partim ob cauſam, quam venenoſam & deleteriam credebant antiqui, hincque Germanico nomine **gifftige Fieber** appellabant.

Symptomata Symptomata, quæ febrem hanc non adeo notabili calore (præprimis circa principium) affligentem concomitantur, ſunt ſubitanea, citraque manifeſtam cauſam proſtratio virium, conjuncta cum anxietate præcordiorum ſumma, inſolitaque inquietudine & jectigatione corporis: his in progreſſu morbi ſuperveniunt vel cardialgia ſumma, linguæ ariditas, ſingultus, ſpirandi difficultas, cordis palpitatio, & tremulus motus, lipothymia, ſyncope, agrypnia, delirium, ſomnus turbulentus plus vires deſtruens, quàm reficiens, ſenſuumque externorum, præprimis guſtus, & auditus læſiones, ſtridor dentium, convulſiones, tremor artuum &c. Notandum autem hic, recenſita ſymptomata in omnibus malignis haud occurrere, nunquam tamen in illis debilitatem virium cum anxietate præcordiorum, & inquietudine deeſſe; & licet quandoque de illis haud conquerantur ægri, nihilominus non deſunt, ſed à ſpiritibus vel delirantibus, vel jam deficientibus non dijudicantur, hinc peſſima ſemper prognoſis ſumitur, quando nihil moleſti febre maligna decumbentes ſentire ſe pronunciant.

Cauſa ex opinione Veterum & Recentiorum. Subjectum & cauſam harum febrium veteres quæſiverunt in corde, recentiores in ſanguine, exiſtimantes nunc venenoſam ſanguinis putredinem, nunc maſſam ſanguineam vel ab acido quodam coagulatam, vel ſale volatili reſolutam, vel lentore mobili ac fermenteſcente refertam, peſſimorum ſymptomatum eſſe fontem. Neutra tamen ex *ex opinione Autoris.* his opinionibus arridet, neutra enim ſufficiens eſt immediate vel virium defectum, vel anxietates cum reliquis ſymptomatibus, in quibus tamen ſic nuncupata malignitas potiſſimum conſiſtere videtur, excitando. Veniæ proinde locum futurum ſpero, ſi hac vice ab omnibus hactenus tritam viam deſeram, & potius, prout in reliquis febribus, ſic etiam in malignis, ſubjectum illarum ſtatuam ſpiritus. Ad hoc enim credendum perſuadeor à ſymptomatibus, quæ ad unum omnia ex illorum ſtatu præternaturali, hoc eſt idea triſti, timida & tantùm non deſperabunda aptiſſime deduci poſſunt, ut certò nunc credam, omnem hactenus decantatam malignitatem nihil aliud eſſe, quàm talem ideam firmiter ſpiritibus impreſſam.

Probatur duplici ratione. Probationis loco primò urgeo ſimilitudinem ſymptomatum, debilitatem loquor ſummam, anxietates, inquietudines, ſpirandi difficultatem, palpitationem & tremorem cordis, lipothymias &c.

---

u) Si vomitus continuus adſit, ſuccurras huic vel externè applicando balſ. & ſacculos ſtomachic. &c. (ex oleo nuciſt. expr. balſ. peruv. aut vinum malvat. cum panis cruſta impoſitum,) aut quod commodiſſimum, potus ſaltem calidus, Thée, Coffée &c. aut potus aquoſus, aqv. cinnamom. ſimpl. vel cydoniat. aut julepus Hartmannianus aſſumatur. Ab hoc enim motus fibrarum ſtomachi naturalis reſtituitur.

w) In alvi adſtrictione clyſmata conveniunt; aut julapiis adhibitis alvus facilè etiam ſolvitur. A dulcibus enim laxatur alvus, licet ſæpe leviter admodum.

&c. aliàs ex animi pathematibus, timore vel deſperatione oriundas: urgeo ſecundo cauſas; ſæpe enim accidit, ut (exempla tantùm adduco mihi nota) à viſo ſpectro, ex nauſea concepta, ex vomitione canis audita, ex relatione ſupplicii horrendi, à mœrore ob jacturam bonorum, conjugis, vel amaſiæ interitum febris maligna fiat. Hoc equidem non negaverim, præter has cauſas externas *x*) alias internas quoque dari, v.g. in puerperis ſuppreſſionem lochiorum, in aliis ſubjectis vermes, vel cruditates, ſpeciatim bilioſas in ventriculo ſtabulantes.

Nihilominus hæ cunctæ non, niſi quatenus ſpiritibus de cauſarum talium remotione (vel ob nimiam quantitatem vel fruſtraneum laborem) diffidentibus timidam hanc, vel deſperatam ideam imprimunt, cauſæ ſunt malignarum.

Indicatio curativa duplex. Ex hac Theoria duplex indicatio curativa exſurgit: prima ideæ triſtis ac deſperabundæ: altera occaſionalium cauſarum ac ſymptomatum rationem exigit.

Prima, ut idea triſtis deleatur. Si verum fateri velim, deeſt omnino medicamentorum apparatus priori indicationi inſerviens pharmacopoliis noſtris, adeo, ut mirum haud ſit, tam difficulter febribus malignis affectos arte noſtra reſtitui. Si quid tamen pro hac indicatione adhiberi debet, petatur illud ex claſſe olim dictarum cordialium frigidarum, v. g. roſis, borragine, bugloſſa, meliſſa, vel ex compoſitis aquis v. g. cordial. frigid. Hercul. Saxoniæ, rore majali, ac aliis analepticis. Poſſet ad hanc claſſem etiam referri vini potus largior, admodum proficuus in malignis, obſervatus à *Bartholino Cent. 4. Obſ. 7. M. N. C. A. 3. Obſ. 145. p. 266.* nunquam tamen ego ſvaſerim, niſi vehementer ille appetatur ab ægro, & ſi nulla adſint contra indicantia. Sed quoniam vix ſufficere videtur horum omnium facultas analeptica, cogimur per indirectum ideam hanc è ſpiritibus delere, nunc per vomitorium *y*) aut per diaphoretica, alexipharmaca, & alexicaca quondam dicta, v. g. Card. b. Scorzoner. ſcordium, galegam, ſcabioſam, angelic. petaſitid. olsnitium, Zedoar. pimpinell. vincetoxic. &c. terr. ſigill. bol. armen. unicorn. ver. & foſſile. CC. raſpat. uſt. & Philoſoph. præparatum, corallia, ſpecies de hyacintho, lap. bezoar. item acida, qualia ſunt aceta alexipharmaca, Spir. Vitrioli Philoſoph. ſalis, ſulph. &c. Præter hæc proponuntur ſub alexipharmacorum catalogo alia adhuc ab Autoribus: theriaca, & mithridatium, electuarium de ovo, orvietanum, camphoratum Kegleri, item Mixtura ſimplex, vel Tinctura bezoartica, ſaliaque fixa & volat. pariter, ac olea deſtillata; quoniam vero ab illorum acrimonia ſumma æſtus, ac deliria facile excitantur, inde ut non, niſi circumſpecte adhibeantur, autor ſim: nunc vero per veſicatoria, *z*) quæ præprimis in deliriis locum inveniunt.

x) Taceam, multiplices illas aëris viciſſitudines, dum modo humidus & frigidus, modo calidus exiſtit, multum facere ad febres epidemicas reddendas. Ordinariè enim aër auſtralis in barometris iſtas manifeſtas alterationes producit, ut tunc cadat Mercurius &c. ex quo colligitur, aërem talem leviorem fieri. Si itaque dicamus, eodem modo & humores corporis noſtri alterari, non erraverimus. Nam tunc ſangvis è vena ſecta extractus totus coagulatus deprehenditur, imo ſerum ſangvinis tunc inſtar gelatinæ craſſefactum apparet, ex quibus patet, aërem auſtrinum coagulare humores, alium verò reſolvere; ob viciſſitudines has, & dum humores nunc rareſcunt, nunc rurſus coagulantur, non poteſt non vitium manifeſtum in iis oriri, ſicque febris ejuſmodi produci.

y) Indirectè tamen diverſa evacuantia ideam iſtam ſpiritibus eximunt, vomitoria nempe non tantum pro evacuanda cauſa occaſionali, ſed etiam pro commotione ſpirituum ex vellicatione ventriculi. Item diaphoretica, ea potiſſimum, quæ olim alexipharmaca dicebantur. Acida commendantur, non quà acida, ſed quatenus cum terreis juncta in ſalſa degenerant.

z) Veſicatoria in malignis potiſſimum locum habent, pro avertendis ſymptomatibus,

Secunda, ut cauſarum occaſionalium & Symptomatum ratio habeatur.

Pro ſecunda intentione quidam egregiis encomiis extollunt vomitoria, quatenus ſcil. ope illorum ex primis viis evacuata ſaburra vitioſa ſymptomata multũ mitiora in morbo reddat. Alii laxativa in principio commendant, alii venæ ſectionem. Stante hac noſtra theoria, nullum ex hiſce remediis conveniens eſt, deſtruunt enim cuncta vires, quæ auro tamen, ſi poſſent, redimi deberent.

Quodſi nihilominus quis in malignis ex lochiorum ſuppresſione venam tundere, ex cruditate bilioſa ortis vomitorium, ex vermibus purgans Mercuriale in uſum vocare velit, monerem ſeriò, ut ſumma id fiat cum cautione, ne nimium occaſionalibus cauſis intentus ſpiritus penitus deſtruat. Svaſor itaque ſim potius, per alterantia tentetur occaſionalium cauſarum remotio pro ſingularum exigentia. e. g. in lochiorum ſuppresſione per myrrhata: in cruditate bilioſa per præcipitantia ac acida: in vermibus per cinnabarim Antimonii, aut alia contra vermes tradita. Cæterum ad ſymptomata quod attinet, non eſt quod pluribus remotionem ſingulorum hic apponam. Ceſſant enim utplurimum ſtatim, ac immediatæ cauſæ quodammodo proſpexeris; quando verò unum aut alterum præ reliquis urgeat, deſumere potes materiam medicam ex §. ejus affectus, illamq; cum ſupra laudatis judicioſè combinare.

§. 7.

De

MORBO CASTRENSI ſive HUNGARICO.

Etymologia.

SEquuntur nunc variæ ſpecies febrium malignarum, & quidem impræſentiarum Morbus *Caſtrenſis* ſive *Hungaricus* dictus. Nomen hoc ideo gerit, quod illis potisſimum, qui caſtra ſequuntur, exitioſus ſit, adeoque etiam morbi militares, German. der Soldaten Kranckheit titulo venit. Hungaricus autem appellatur morbus, quoniam in expeditionibus contra Turcas utplurimum miles noſter in Hungaria ponens tentoria experitur hanc febrem, vel quod ſuperioris ſeculi anno ſexageſimo ſexto in exercitu Chriſtianorum contra Turcas in Hungaria pugnante primum natales ſumſerit.

Deſcriptio.

Febris eſt maligna, & in ſtatu ardentisſima ſimul. Utriusque enim ſymptomata in illa concurrunt, prout ex hiſtoria ejus eluceſcet. Equidem ad initium, teſte Helmontio, calor adeſt vix perceptibilis, qui cum horrore præcedente, & mox iterum ſubſequente æſtu mutatur, ſimili planè modo, ac Ovidius duudum cecinit:

> Cum modô frigoribus, calido modô ſtringimur æſtu
> Tempore non certo, corpora languor habet.

Symptomata

Sequitur tamen paulò poſt æſtus inſignis, imo tantus, qui ſitim non modò excitat inextinguibilem, ſed linguam inſuper, ligni ad inſtar aduſti, aridam, aſperam & nigram reddit. Præterea vigiliæ continuæ, vel ſomnus profundus cum cephalalgia exquiſitisſima, delirioque conjuncto, & tandem petechiæ cum tota malignorum ſymptomatum phalange quandoque ſuperveniunt. Sicuti verò non ſemper uniformis in omnibus ſubjectis apparet morbus hic, ita pro ſymptomatum maximè urgentium differentia variis germanicè vocatur nominibus, h.e. nunc die Bräune/ ſi lingvæ nigredo, ac aſperitas conjuncta ſit; nunc die Haupt-Kranckheit/ ſi cephalalgia ac delirium præprimis urgeant: nunc das hitzige Fleck-Fieber/ ſi exanthemata erumpant. Epidemicus hic morbus eſt; non enim ſolum tota caſtra pervadit, ſed etiam extra eorum limites cum milite vagatur, ac diſſeminatur, ſic, ut integræ regiones cum civitatibus, ac pagis ejus tyrannidem ſæpe experiantur. Præterea etiam truculentus eſt: plures namque è militibus pau-

Pro Symptomatum varietate diverſimodè appellatur.

removendis cauſis, ſpiritibusque aliter afficiendis. vid. *M. N. C. A. 2. D. 1. Obſ. 2. 14. it. Act. Haffnienſ. Vol. 3. p. 87.*

paucos intra dies eo correpti, quàm interdum gladii acie per aliquot ſeptimanas vel menſes ſuccumbunt.

Cauſa. Cauſam hujus mali olim peculiarem crediderunt malignitatem in ſangvinis primùm maſſa, poſteà in corde accenſam, vel ex humorum putredine, vel ex aëris infectione, *a*) vel ex communi vitæ errore ortam. *Opiniones aliorum refutantur.* Sed ignoſcant mihi, quæſo, ſi rurſus hic divortium faciam ab hac opinione. Dedi jam tum in paragraphis præcedentibus rationes, cur malignitatem, & ſanguinis putredinem hactenus decantatas non admittam: nunc cur idem ſentiam de aëris infectione, occaſionaliter hic aperio. Inexplicabilis hæc infectio eſt, ſive priſcorum aſſumſeris opinionem, qui in qualitate quadam occulta, vel putredine ſingulari; ſive recentiorum, qui vel in qualitate napelli, vel arſenici, vel ſalis cujusdam volatil. contagii energiam ponunt. Mirum enim eſſet, ſi venenum tale in aëre oberraret, cur non indifferenter omnes uno actu homines ſub eodem climate degentes, infecti interirent, quemadmodum aliàs videmus arſenici fumum omnes adſtantes indiſcriminatim afficere. Regerunt quidem, id contingere ob inhabilitatem ſubjecti, quod eludat hanc virulentiam: ſicuti v. g. nebulæ, aut pruinæ pravæ & noxiæ in hortum, vel arvum decidentes non omnes plantas, ſed tantùm certas tenerioris texturæ ſcil. ſpecies, reliquis plane illæſis, offendunt. Verum enim vero, ſi ulteriùs urgeas ipſos, ut inhabilitatis formalitatem explicent, cùm debiles non modo, ſed etiam robuſti, imo omnis ætatis ſexus aut conditionis corripiantur, tum coguntur utique cum Comico fateri, de ea nihil ſpeciale ipſos ſcire, niſi quod neſciant. Inſtas ulteriùs; ſed res ipſa loquitur, contagium aliquod adeſſe in hiſce febribus. Tota enim die obſervatur, ſanos cum ægris talibus converſantes ſimili modo implicari: Reſpondeo me largiri ambabus morbum hunc popularem eſſe; an verò ille *Contagium explicatur.* per contagium (hoc eſt, ut contagii nomen involvit, ex contactu & transmigratione effluviorum per aërem diffuſorum in corpus ſanum) communicetur, hoc eſſe, quod in quæſtionem adhuc cadat. Ne tamen ſcrupulus hic aliquis maneat, quomodo tam amplè divagetur febris hæc, ſciendum, culpam non tâm in aëre venenato, qui innoxius utplurimum eſt, quàm in diætæ erroribus, item in animi pathematibus, *Autoris ſententia.* in quibus cauſas harum febrium unicè quæro, hærere. Animi pathemata communia ſunt metus violentæ mortis, & perpetuæ captivitatis, à quo nunquam in expeditione contra Mahometanos liberi ſunt; quid verò tales ideæ firmiter ſpiritibus impreſſæ valeant, fuſius §. præcedenti deduxi. Quoad verò diætæ errores pariter communes, primo loco commemoro perdurum vitæ genus gregariorum militum, quando interdiu radiis ſolaribus aduruntur, & de nocte ſuper humum cubare, pluvias omnesq; aliàs cœli ac tempeſtatum injurias (in Pannonia perquam frequentes) perferre coguntur. Deinde annonæ caritatem, ſive ut modeſtiùs loquar, alimentorum in caſtris penuriam allego, eò haud rarò redigentē hoc hominum genus, ut inſvetis v. g. fructibus immaturis, & tantùm non abſurdis latrantis ſtomachi deſiderio ſatisfaciant. Idem aſſerendum quoque de potulentis, quæ utplurimum ſunt aquæ paluſtres, ex nimia ſtagnatione putreſcentes, vel ſi fortuna favet, vinum potens ac generoſum, cujus illecebris allecti plus ingurgitant, quàm debile, variisque adverſitatibus fractum corpus ferre poteſt.

Cura Febris. In cura *b*) contra hanc febrem alexipyreta, h. e. talia in uſum vocantur, quæ vim habent nimiam exæſtuationem ſpirituum pacandi, & præterea meticuloſam & deſperabundam ideam excutiendi. Quoniam verò utrorumque apparatus in præmiſſis exhibitus eſt, ſuperſedeo illum denuò recenſere. Conjungat itaque ſolùm Nitrata cum alexipharmacis terreis & camphora, vel loco illorum pulv. pyreum exhibeat, vel decocta

a) *Legantur Tobiæ Coberi Obſ. Caſtrenſes per Meibomium editæ in 4to.*

b) *Kober. l. c. pag. 34.* aſſerit, ſe circa morbi hujus initium feliciter exhibuiſſe vomitoria.

cocta hordei, vel rad. Scorzoneræ aut Bardanæ, vel Card. b. cum C. C. julepo roſar. aut violar. vel ſyrup. quodam acido edulcorata. Potum aquæ, ſi deſideretur ab ægris, nec valde urgentia contra indicantia diſſuadeant, tutò ex juſſu *Joh. Langii* expertisſimi quondam Medici caſtrenſis *in Epiſt. Lib. 1. epiſt. 4.* concedat Medicus. Ariduræ linguæ proſpiciat per Nitrata in aqu. ſemperviv. plantag. prunell. &c. ſoluta; Cephalalgiæ per epithemata frontalia, vel ex ſpir. vini camphorato cum Eſſ. Croci, vel ex lactuc. nymphea, verben: vel ex nucleis perſicor. cum ſeminibus papav. albi in emulſionis formam redactis parata. Petechiarum verò erumpentium habeat curam ex methodo nunc immediatè tradenda.

Symptomatum.

§. 8.

De

Febribus Petechialibus.

Synonymia. *Deſcriptio.*

PEsſima equidem omnis febris eſt per exanthemata malignitatem ſuam manifeſtans, reliquas tamen cunctas ſuperat *Petechialis* κατ' ἐξοχὴν, juxta alios Pedicularis, Puncticularis, Purpurata, noſtratibus das Fleck-Fieber dicta, utpote cujus truculentia tanta eſt, ut fortunæ filius non immeritò audiat, qui illa correpta rurſus evadat. Intelligo verò ſub hoc petechialium febrium nomine omnes eas, quæ cum malignitatis ſymptomatibus, hoc eſt ſubitaneo virium lapſu, præcordiorum anxietate, jactitatione corporis ſumma &c. per maculas diverſi coloris hinc & inde in corpore, præprimis tamen in dorſo, pectore, & cruribus effloreſcentes ſe ſiſtunt.

Maculæ variæ.

Dico per maculas diverſimodè coloratas. Vario namque ſub ſchemate prorumpunt, nunc ſub rubicundo, nunc livido, luteo, plumbeo, viridi, cœruleo, violaceo & nigro. Uti verò frequentisſimæ ſunt rubicundæ, ita non æquè periculoſæ ſunt, quàm reliquæ, quarum apparitio ſine inſequente morte rarò contingit.

Signum Pathognomicum.

Signum pathognomicum hujus febris ſuppeditabunt maculæ: Caveat modo Medicus, ne forte ſtigmata ægrotantibus olim in utero materno impreſſa, aut ſcorbuticas maculas, aut pulicum morſus pro petechiis judicet. Non adjeciſſem hanc cautelam, niſi ſcirem ob ipſorum ſimilitudinem facile decipi Medicum. Ad evitandum propterea hunc errorem, jubeo magnitudinem macularum harum aſpicere in petechiis ad lentium magnitudinem accedentem, in ſcorbuticis autem maculis utplurimum acus caput vix æquantem: deinde per compresſionem inquirere, an macula ad tempus removeri posſit, an non? ſi ultimum contingit, ſecurus eſſe poteſt de ſtigmate, ſecus ſi alterum acciderit. Eadem compresſio inſerviet dijudicationi veſtigiorum à pulicum morſu relictorum; dum ſcil. non ex toto huic cedunt, ſicut Petechiæ, quin ſemper punctulum aliquod ſanguineum remaneat. Licet verò quodammodo his cautelis adhibitis posſit perveniri ad cognitionem petechiarum, certa tamen illa ſigna & infallibilia non ſunt, niſi ſimul ad ſymptomata attenderis, & equidem primo illarum eruptionem præcedentia, quæ ſunt, cum aliis malignarum febrium propriis ſymptomatibus conjuncti dolores dorſi, ac capitis lancinantes, circa crepuſculum augmentum ſumentes: poſteà ad illas jam in ſuperficie corporis hærentes concomitantia, remisſionem ſcilic. aliqualem dolorum capitis ac dorſi, ut & anxietatis & inquietudinis: tertio ad inſequentia retrocesſionem illarum intempeſtivam, vel ex refrigeratione improvida aut naturæ debilitate cauſatam, ut ſunt recrudeſcentia, anxietates præcordiorum, difficultas ſpirandi, lipothymia, ſcotomia &c.

Petechiarum ab aliis maculis diſcretio.

Cauſa Malignitatis.

Cognitis his Petechiis de illarum cauſa hoc ſciendum; malignitatem cum illis conjunctam nihil omnino differre à malignitate in genere deſcripta, adeoque etiam quoad hujus cauſam tam immediatam, quàm occaſionalem ac remotam nihil addo amplius. Quoad verò Petechiarum cauſam monendum, illam à ſanguine quodammodo jam ab animi pathematibus, mœrore timore ac ter-

Petechiaru[m]

terrore vel ab aliis cauſis coagulato pendere; dum nempe à natura ad ſuperficiem cutis vitium hoc ſanguinis relegatur.

Cura. In Cura febrium petechialium occurrunt tria indicantia, primò malignitas, ſecundo ſanguinis vitium, tertio ſymptomata.

Primum ac tertium quomodo removeantur, conſtat abundanter ex præmiſſis paragraphis; de ſecundo ſolùm igitur agam, ubi ante omnia requiruntur reſolventia & expellentia; habes veró talia præ reliquis in terra ſigillata, bolo armen. terra lemnia, antimonio diaphoretico, antihect. Poterii. cinnabari antimonii, bezoard. mineral. tam ſimpl. quàm ſolari, lunari &c. ſpeciatim ſi cum acetis theriacalibus, aut ſpiritu vitrioli Philoſoph. vel alio acido propinentur, quanquam etiam ſine illis in extirbandis ingratis hiſce hoſpitibus egregia ſe ſiſtant.

An ſalia volatilia rectè in Petechiis adhibeantur? Præferunt equidem pro hoc ſcopo alii Practici volatiliora & calida magis ſudorifera, v. g. ſalia volatilia, mixt. S. & tinctur. bezoard. aliasque eſſentias & tincturas ſudoriferas, utpote à quibus multò velocius hæc intentio obtineri queat, quàm à fixis. Verùm utut citius expellantur ab ipſis Petechiæ, tamen hæc incommoda illorum uſum ſequuntur, quæ à fixioribus non metuenda; nempe quod cephalalgia, dolores dorſi cum anxietate &c, non imminuantur, ſed æſtus potius ac deliria ante hac non præſentia ſæpius advocentur; deinde quod expulſæ petechiæ per volatilia non ſtabiles permaneant in peripheria, ſed ſua ſponte à levi occaſione iterum retrofugiant.

Retroceſſio quomodo prohibeatur? Expulſis autem petechiis omni labore ac ſtudio illarum retroceſſio *c)* impedienda, quod fiet per continuatum uſum expellentium & per interdictionem refrigerationis corporis, quorſum præ reliquis pertinet mutatio linteaminum aut induſiorum, potus frigidus, & ex animi pathematibus terror.

Ex ſymptomatibus veró cum nullum citius hanc retromeationem efficiat, quàm diarrhœa, *d)* ſeduló cavendum ab ejusmodi medicamentis, quæ alvum nimis lubricam reddunt. Exulent itaque clyſmata frequentiora & fortiora laxativa: impr. veró ſi ſponte ſequatur alvi profluvium, quantocyus fieri poteſt ſiſtatur illud per adſtringentia, aliàs certiſſime brevi ſequetur mors.

Ne tamen & jam retroceſſis maculis ſine conſilio mittamus ægros, diaphoretica iterum ſunt accerſenda & tali in caſu licitum erit ſalia volatilia uſurpare & è duobus malis minus eligere.

§. 9.
De
Purpura.

Vocabuli Purpuræ varia acceptio. Non ignoro *Purpuram* à Medicis accipi jam pro febribus malignis in genere, jam pro petechialibus tantùm, jam alio in ſignificatu, quemadmodum hiſce in ſenſibus Purpuræ vox in *Pauli Neucrantii Tract. de Purpura* & *Octaviani Rocerti de Febribus petechial.* ac paſſim apud Autores legitur. Nihilominus ſtrictiori magis in ſenſu Purpuræ nomen volo, quatenus ſcilicet illam ſolùm exanthematum ſub milii granorum ſpecie erumpentium in corporis peripheria deſignat catervam, quæ germanico nomine der Frieſel vocatur (à panno ſcilicet in ſuperficie nodoſo, qui noſtrâ lingvâ Fries dicitur.) *Purpura cur Germanis dicatur, der Frieſel.* Neſciunt equidem hunc morbum quamplurimæ nationes, regiones ac civitates, adeò, ut tanquam ſingulariſſimam obſervatio-

---

c.) Italus quidam *Ramazini* aſſerit, ſe obſervaſſe cucurbitularum in partibus externis applicationem eſſe maximè proficuam, cùm aliæ ſangvinis evacuationes locum hic non inveniant.

d) Vitentur dulcia & ſaccharata, nam pariter ac juſcula pingvia alvum laxant cum periculo. Vidi aliquam febri petechiali laborantem fœminam unica alvi dejectione petechiarum retroceſſionem fuiſſe expertam cum morte ſubſequente. Si vero perduret adſtrictio alvi, ut eam aperiri neceſſum ſit, non ſvaſerim, ut cly-

tionem in *M. N. C.* Purpuram in Pannonia annotârit *Carol. Rayger A. 3. obſ. 281. p. 497.* attamen in noſtra Lipſia perquam frequens *e)* eſt, ut non modò pueros cum juvenibus, adultos cum ſenibus, viros cum fœminis & ex his ſpeciatim puerperas tota penè die invadat, & paucas intra dies, nî ſumma habeatur cura, interimat; ſed non à multis retrò annis hanc purpuræ moleſtam familiaritatem civitas noſtra experta eſt, ſed demùm paulò ante annum hujus ſeculi quinquageſimum cum puerperarum quam plurimarum ſtrage primam ejus invaſionem recordantur incolæ. Abſit tamen propterea novum nec unquam ante viſum, aut cognitum hoc malum eſſe credas, prout quidam audacter juxta ac obſtinatè affirmant; contrarium ſiquidem evincit morbus, quem *Haly Abbas* olim Rubeolam, *Foreſtus* verò Rubedinem *Lib. 6. Obſ. 59. in Scholiis* vocitârunt: quorum hiſtoriæ adeò concordant cum noſtra purpura, ut ovum ovo haud ſimilius eſſe queat.

Lipſiæ frequens admodum.

an novus morbus ſit?

Deſcriptio,

Talis autem purpuræ noſtræ eſt facies: corripiuntur ægri febre malignâ, non tamen multum exquiſitâ in principio, cujus invaſio utplurimùm cum horrore plus minùs notabili ortum ſumit, ſucceſſu tamen temporis, & circa alterum vel tertium morbi diem incrementum ſumente morbo, creſcunt quoque ſymptomata, præprimis calor & ſitis cum cephalalgia & tuſſicula penè continua &c. Et tùm ſenſim ſenſimq; in dorſo præprimis, collo & pectore prævio quodam pruritu & rubedine aliquali cutis, exanthemata miliiformia egrediuntur, quæ poſtmodùm vel in ſuperficie cutis exſiccatæ tanquam ſquamulæ decidunt, vel à cauſis tàm externis, quàm internis retrò fugata anxietatem cum motibus convulſivis &c. denuò excitant. Notandum tamen circa hanc hiſtoriam, non ſemper eandem faciem præ ſe ferre purpuram, ſed quandoque citra omnem febrem, aut ullum ex his ſymptomatibus ſe ſiſtere, ita ut ne quidem lecto clientes affigat, aut ad munia conſveta obeunda reddat ineptos, & talis benigna dicitur, ſicuti altera maligna. Nihilominus ſi etiam benignior negligentius tractetur, corpusque frigori exponatur, in malignam plerumque degenerat. Deinde & hoc ſcitu dignum, non ſemper rubicunda, ſed etiam aliquandò alba ſub larva apparere exanthemata miliaria, imò & albas has efflorescentias (der weiße Frieſel) rubicundis ſuperveniſſe, ipſisque quaſi inſediſſe frequentius apud nos obſervatum eſt.

Signa purpuræ imminentis in febribus malignis ſumere ſoleo ex tusſicula illa continua & ſicca, quæ ſummè moleſta eſt ægrotis, præprimis dum dolorem ſimul exquiſitum in dorſo, & punctiones ſub cute percipiunt. Quandò verò eruptio exanthematum facta eſt, pluribus ſignis diagnoſticis non egemus, ſed ſtatim ac cernuntur, ab aliis dijudicari poſſunt.

Signa Purpuræ imminentis,

præſentis.

In cauſarum inquiſitione ſeparanda iterum malignitas à purpura venit, quemadmodum hanc diviſionem natura ipſa docet, dum ſæpius purpuram, prout ſupra jam dictum, ſine omnibus malignitatis ſymptomatibus in quibusdam ſubjectis ſiſtit. Omittam proinde nunc malignitatem, ne toties recocta crambe appoſita nauſeam moveat; de purpuræ tamen cauſa hoc memorandum, eam deberi ſanguini nimium acri & tantum non cauſtico. Poteſt hinc ſtatim ratio pruritus, rubedinis & exanthematum reddi, modò repetantur ea, quæ ſupra *cap. 7. §. de ſcabie* fuſius inſinuavi.

Cauſa.

Nihil itaque novi in purpuræ jam præ-

ſmata aut alia laxativa adhibeantur, potius intrudatur ano globulus ſaccharatus moſchatus, Bieſen-Kugel / quod felicem effectum præſtabit.

e) Alia eſt febris ſcarlatina, cujus mentionem facit *Sibbaldus in Prodromo Hiſt. Nat. Scotiæ*, it. *Liſter. & Morton*, ubi tota cutis ſcarlatino ſeu rubicundo colore pingitur: non adſunt efflorescentiæ miliiformes, ſed eryſipelas, quod in infantibus 1697. & Anno 1695. ſatis malignas obſervavi: Intereunt, ſi exponantur frigori. Ruſticis circa Lipſiam dicitur der rothe Hund / quorum infantes frequenter hoc morbo vexantur.

præſentis cura occurrit, quod non ſufficientisſimè in præmisſis ſit declaratum. Tractet itaque ſolùm Medicus prorſus eadem methodo purpuram benignam, *f*) quâ aliàs ſanguinis vitiis cuticulam erodentibus obviam ire conſvevit: malignæ verò purpuræ opponat remedia in febrium petechialium tractatione ſuggeſta. Cave, ne nimium ad ſudorem adigantur ægri, & vice verſa, ne refrigeretur corpus; Hinc conclave nimis æſtuans, ſtragulorum copia, potus non alius, niſi pene fervens, & ſi omnis recentis aëris aditus arceatur, nocent. Moderata verò in cunctis his conveniunt. Nec etiam ad curam præſervatoriam ab aliis prolixe expoſitam quicquam addo: firmiter mihi namque perſvaſum habeo, citius Herculi clavam extorqueri, quàm è corpore ſcorbutico ſalium abundantiam & acrimoniam tolli poſſe. Ne autem prorſus otioſi videamur, ſi aliquando à nobis hæc præſervatoria Cura expetatur, poterimus antiſcorbutica, & ex illis terrea, item Tinctur. Coralli or. antiſcorb. D. Michael. Eſſent. fumar. & alia mitiora huic intentioni inſervientia (præprimis in gravidis) ad uſum vocare.

Cura præſervatoria.

§. 10.

De

VARIOLIS & MORBILLIS.

PAr hoc morborum præſenti paragrapho conjunctim cur ſiſtam, non eſt cur mireris; licet enim differentia ratione efflorеſcentiarum hoc diſſvadere videatur, attamen è contra utrorumque affinitas ratione ſymptomatùm, cauſarum ac curæ huic facto veniam rurſus pollicetur. Clarius dictorum veritas ex ſubſequentibus innoteſcet.

Variolarum deſcriptio.

Variolæ noſtris die Bocken/ ſunt efflореſcentiæ in cute primùm ſub forma macularum rubicundarum comparentes, quæ tamẽ ſenſim in puſtulas elevatæ ſuppurantur; Elevantur autem vel ad lentis, aut piſi altitudinem, intraque illos terminos ad curationis usque finem perſiſtunt, vel diffluunt & coaleſcunt inter ſe invicem, ita ut unicam tantùm cruſtam per faciem, aut etiam totum corpus horrendo aſpectu referant. Antequam verò hæc puſtularum eruptio contingit, febrem ſæpius patiuntur ægrotantes plus minus ardentem, aut malignam cum dorſi dolore inſigni, pavore in ſomno, punctione ſub cute, oculorum rubedine ac tumore, lacrymarum profuſione, faciei phlogoſi, narium pruritu & hæmorrhagia, capitis dolore, tuſſi, vomitu, cordis palpitatione, ſyncope & epileptico inſultu &c. conjunctam. Affligunt hæc ſymptomata decumbentes usque donec puſtularum ejectio abſoluta eſt, (quam circa quartam diem decubitus plerumque natura molitur usque ad ſeptimam vel nonam) tunc enim maximam partem ceſſant.

Symptomata variolarum eruptionem præcedentia.

Dixi maximam partem, remanet namque dolor aliquis ardens & lancinans ſub illis, qui in pruritum ſæpiùs moleſtisſimum terminatur, durantem usque ad totalem illarum exſiccationem & decidentiam, quæ in morbi diem decimam quartam præter propter incidit. Sed licet aridæ eſcharæ nunc ſpontè ſua decidant, nondum tamen morbi ac moleſtiarum finis eſt, cùm videas faciem imprimis cum manibus à maculis rubicundis obſitam, & tantùm non tectam; ſucceſſivè nihilominus & hæ diſparent, loco que illarum in apricum veniunt veſtigia ſeu foveæ, quæ interdum ad vitæ usque terminum dehoneſtant, ac deturpant elegantiam vultus cum inſigni formæ cultorum querela.

Conſequentia.

Hæc idea eſt variolarum, conveniunt cum ipſis quoad omnia ſymptomata *Morbilli*, Germanis die Maſern/ ſolùm quod puſtularum loco tantùm maculæ rubicundæ, neutiquam in puſtulas abeuntes, nec foveas poſt ſe relinquentes pro-

Morbillorum deſcriptio.

f) Purpura benigna eodem modô tractatur ac ſcorbutus, ſcilicet per abſorbentia acidum, acrimoniam ſalium temperantia, hinc adhibitis diluentibus & blandis diaphoreticis ſpontè quaſi ceſſat. Sin maligna fuerit purpura, rurſum blanda terrea & diaphoretica ſæpiùs dicta conveniunt.

prorumpant. Præterea nec dolor dorſi adeò exquiſitus, lacrymarum tamen ſtillicidium multò copioſius ac mordacius præcedit.

Cauſa proxima. Cauſa utriusque mali non diſcrepat à ſcabiei aut purpuræ, hincque, niſi febrium ut plurimùm ſe aſſociantium haberemus rationem, rectiùs ipſis locus competeret inter ſanguinis vitia.

Occaſionalis Occaſionales hujus acrimoniæ cauſas antiqui in ſanguinis menſtrui venenoſitate nobis in utero materno jamjam communicata quærunt, & ex hoc fundamento rationem reddere conantur, cur infantes citius corripiantur, quàm alii adultiores. Scire tamen aveo, ſi hæc vera fuerit cauſa, cur omnes infantes poſt nativitatem non ſtatim illis afficiantur? item cur quidam planè non hos morbos experiantur? Haud enim video, quomodo hæc deleteria qualitas ſine vitæ periculo aut functionum læſione tamdiu in corpore tenello deliteſcere, aut plane digeri poſſit. Rectiùs proinde illi agunt, qui repudiata hac veterum opinione potiùs in victus communis vitium, vel tempeſtatum inclementiam culpam ponunt, à quibus non modo acrimonia ſingularis in corpore gigni, ſed inſuper, cur epidemici ſint hi morbi promptiſſimè deduci poſſit.

Cura varia. Curatio conſiſtit primò in expulſione harum efflorescentiarum, ſecundo in ſymptomatum ante, in & poſt eruptionem urgentium remotione.

pro ſcopo expellendi. Pro prima intentione faciunt ſæpius hactenus allegata expellentia blanda *g*) è terreis præprimis concinnata, vel loco illorum emulſio ex ſem. napi, aquileg. card. bened. card. mar. aut Tinctura myrrhæ, vel ex aſa fœtida aut caſtoreo parata.

Iisdem remediis poſſumus alteri indicationi ſimul ſatisfacere, nempe ſymptomatibus eruptionem præcedentibus, ſeligendo nimirum expellentia talia v.g. quæ antepileptica &c. ſint.

æſtum febrilem temperandi. Contra æſtum febrilem hoc in caſu convenientius remedium non excogitari poteſt, quam Tinctura papav. errat. *h*) utut nitrum purum cum flor. Sulphuris aut Cornu cerv. uſt. ſimiliter non contemnendum ſit.

vultum ac œſophagum præmuniendi Dum hiſce remediis expellimus exanthemata, de Medici officio eſt, præcavere, ne à variolis ſpeciatim oculi, aures ac facies, item nares cum oris cavitate ac œſophago ab ipſis occupentur. Imminet namque aliàs non modò cœcitas, ſurditas, formæque jactura, ſed inſuper quoque ſuffocatio & mors ex inedia. Ut igitur his malis tempeſtive præveniatur, ſvadent quidam cum *Horſtio in decad. obſ. 9. p. 23.* ſub principium morbi laxativa v.g. vinum paſſulatum, aut cum *Graffio in Miſcell. N.C. A. 3. obſ. 56.* Mercur. dulc. *i*) cum ſtimulo quodam purgante. Alii è contra Venæ Sectionem præ illis extollunt. Non improbo utrumque remedium, modò tempeſtivè adhibeatur, antequam ſcilicet eruptio contingat, poſthac enim haud video ex quo capite locum inveniat, cum ex aſſe natu-

g) Nimiùm ab acribus ejusmodi exagitatur maſſa ſangvinea, pejoraque adducit ſymptomata vid. *Med. Critic. Ammanni,* ubi adhibuit Medicus tribus fratribus hoc in caſu ſal volat. corn. cervi, & omnes mortui fuerunt.

h) Meminit *Waldſchmidt. in Epiſt. ad Dolæum* cujusdam remedii, de cujus inſigni virtute in variolis agyrtæ inſtar multum deblaterat, modum autem componendi ſilentio præterit, licet integrum *Tractat. ſub titulo: Anchora Salutis pro Varioloſis Marpurg. 1689. in 4to.* evulgarit. Cenſeo tamen liquorem hunc nil aliud eſſe, quam tinctur. flor. aquileg. cum ſucco betulæ extractam, qui illum aliquando vidi, uti proſtat apud Pharmacopolum Francofurt. ad Mœnum.

i) Quamvis alii Autorum progeniem verminoſam hîc accuſantes v.g. *Petr. Joh. Faber, Petr. à Caſtro, Chr. Langius Miſcell.* & ex recentioribus *Paullini &c.* aliter agere dicant mercurium, vi ſcilicet anthelmintica; aſt falluntur ſæpè hi Autores, credentes, illud eſſe cauſam, quod tamen productum eſt. A corruptione enim ſangvinis aliquando vermes naſci non negabo; mercurius dulcis autem minimè exhiberi debet, ubi eruptio jam facta, præprimis in integra & tali doſi, qua laxare ſolet, quamvis nec tunc, ſed in minima doſi gr. j. ij. fortè nec incongruus foret, quod ſæpiùs obſervavi.

naturæ contrariam operationem præſtent. Magis itaque tunc approbarem illam methodum in *M.N.C. A.6. obſ.86. p.247.* & *à Sylvio Pr. Lib.1. c.4. §. 76.* propoſitam, qua jubent, pedes primo invaſionis tempore immergantur tepido decocto herbarum emollientium, aut lacti calido, ut ſic ad inferiora per humidum calorem majori in copia vocatæ variolæ non occupent caput. Aliàs pro ſpeciali oculorum defenſione collyria commēdantur ex aqua roſar. lacte cū croco & camphora, vel ſi rubedo jam præſto ſit, cum ceruſſa, ſarcocolla nihili, floribus Zinci, tutia, lap. calaminar. &c. pro defenſione narium ſuccus menthæ attractus, vel aceti odor; pro oris ac faucium tutela gargariſmata refrigerantia cum ſucco berber. vel ribium, vel theriaca exteriùs collo circumlita.

Symptomata remanentia depellendi.

Reſtant adhuc remedia pro ſymptomatibus variolarum remanentibus poſt exſiccationem & caſum illarum, maculas ſcilicet rubras atque foveas. Incipio à foveis, pro quibus avertendis *Weickardus in ſuo Theſauro Pharmaceutico* maturam puſtularum apertionem cum acu aurea aut forfice, *Dygbi* deaurationem *k*) faciei poſt inunctionem cum oleo amygd. dulc. factam: *Baricell. Hortul. genial. pag. 92.* ſolam inunctionem crebriorem cum oleo dicto amygdalino, *Langius in Epiſt. p. 72.* poſt decidentiam cruſtarum abluitionem faciei cum decocto lupinorum, aut florum fabarum, vel oleo tartari p. d. *M. N. C. A. 4. Obſ. 60.* circa initium prorumpentium variolarum externè ſpir. vini myrrhiſatum, & poſt biduanum ejus uſum ſaccharum ſaturni in aqv. roſar. ſolutum, ead. *Miſcell. in Append. ad Ann. 7. p. 192.* linimentum ex lardo liquido, & flor. lactis, alii axungiam aſciæ piſcis, vel gelatinam pedum vituli, vel ſem. cydoniorum aut decoct. rad. lilior. oryzæ pulmentum commendant. Parùm tamen emolumenti ex omnium uſu accedet ægrotantibus, niſi per ſuperius data illarum eruptio in facie impediatur. Adeò ut hic potiſſimum verificetur tritum illud vulgiloquium: Tardius ejicitur, quàm non admittitur hoſpes.

Quod maculas rubras concernit optimum contra eas eſt remedium, non ſtatim poſt caſum eſchararum in publicum prodire, faciemque aëris injuriis exponere. Quod ſi tamen nihilominus rebelles fuerint, tractentur eâdem methodo, quâ maculæ poſt luem Gallicam remanentes.

§. II.

De PESTE.

Vana antiquitatis de venenoſa Peſtis qualitate opinio.

SI vetuſtatis magis, quàm veritatis eſſem ſectem ſectator, longè aliis coloribus iconem peſtis, quàm præſenti in paragrapho depictam cerneres. Scilicet ſub forma belluæ, quemvis draconem, aut baſiliſcum venenoſa aut toxicâ qualitate ſuperantis, nec viſu tantum, ut illæ beſtiæ, ſed etiam per tactum & auditum reliquosque ſenſus lethiferum ſuum toxicum hominibus afflantis. Sed Deo ſint grates, quod aliter de peſtis naturâ nos inſtitui ſiverit: tantùm enim abeſt, vel tantillum amplius peſtilentiæ venenum metuamus, ut potius illud tanquam inane antiquitatis figmentum tutò negligere, floccique habere poſſimus. Primus glaciem in ardua hac re fregit, horribilemque venenoſitatis larvam detraxit *Dn. D. Rivinus*; quemadmodum hoc ex *diſquiſitione ejus de peſte Lipſienſi A.1680.* conſcripta videre licet.

Peſtis cum aliis Malignis convenientia & differentia.

Age igitur de peſte obſerva, illam ab aliis malignis quà ſubjectum planè non, quà ſymptomata verò in hoc ſolum differre, quod in ea ſyndrome quaſi

k) Novi virginem Medici filiam, cujus faciem poſt inunctionem cum oleo amygd. dulc. inaurârant, & obiit, inaurataque ſepulta eſt. Arridet mihi illud ex M. N. C. ſcil. eruptione factâ dum ſuppurantur, wenn ſie in der Blüthe ſtehen / exſiccentur celeriùs, antequam acrimonia arrodat partes ſubjacentes. Aſſumſerunt ſcilicet ferrum candens latum, & è longinquo apponebant, hinc exſiccabantur & corrugabantur puſtulæ, ut nullum ſtigma relictum fuerit.

quaſi cunctorum, & quidem in exquiſitiſſimo gradu cum eruptionibus ſingulariſſimis, quas bubones, carbunculos & vibices appellant, contingat. Quid hiſce effloreſcentiarum nominibus indigitare velint practici, pauciſſimis nunc indicabo.

Bubones. Carbunculi &

Bubones ſunt tumores in glandulis inguinalibus, ſubalaribus, parotidibus, colli, poplitis &c. orti; Carbunculorum vero nomine venit exanthematum illud genus, quod partes utplurimum carnoſas in corporis peripheria occupat ſub ſpecie puſtulæ, cruſtamque nigram ac ſplendentem cum ſummo ardore, inflammatione ac mortificatione adjacentium partium oſtendit.

Vibices deſcribuntur.

Vibices ſunt ſtriæ rubicundæ (quales poſt verberum inflictiones in cute ſub nomine Germanico der Schwielen oder Striemen apparere ſolent) dependentes à carbunculis nunc apparentibus, nunc profundius adhuc deliteſcentibus.

Signa Diagnoſtica Peſtis.

Signa diagnoſtica Peſtis unicè ex his eruptionibus deſumi debent. Poteſt tamen Medicus populariter graſſante hoc malo ex aliis malignitatis ſymptomatibus ſuſpicionem haurire de imminente Peſte, circumſpectione tamen ſumma id fiat, neceſſe eſt, ne alio morbo per ſymptomata cum peſte quodammodò convenienti laborantes ad Noſocomia ſtatim, & conſortia aliorum infectorum releget.

Cauſa proxima.

Cauſa proxima terror eſt, non omnis tamen, ſed vehemens tantùm & ſpecificus h. e. cum peſtis mortisque metu combinatus. Noli mirari tantam vim ineſſe tali terrori ſpecifico: quod ſi enim ſimplex terror v. g. campanæ pulſu incendium ſignificante excitatus vim ſangvinem coagulandi, inflammationesque cum febre maligna, imò mortem ipſam producendi, prout frequens teſtatur experientia, habet: quid non ſperandum de terrore ſpecifico, mortisquè infallibilis idea quaſi characteriſato?

Objectio.

Inquis: Si terror tantùm cauſa immediata eſt Peſtis, haud illâ corripientur viri fortes ac impavidi, ſed tantùm timidulus ſexus ſequior, & puſillanimus juniorum & effœminatorum cœtus; Contrarium tamen totâ die notatur, dum robuſti pariter ac debiles, viri cùm fœminis invaduntur.

Solutio.

Reſpondeo: diſtingvendum eſſe inter homines vere, & apparenter ſaltim impavidos. Dabo ambabus, homines apparenter impavidos peſte corripi. Vehementer namque dubito, verè tales unquam exiſtere: homines ſiquidem ſumus, adeoque nihil humani à nobis alienum eſſe confiteri neceſſum habemus, præprimis cum ex juſta vindicta Deus tùm temporis nos velit eſſe timidos, prout jam olim *Levitic. 26. v. 16.* minatus eſt.

Objectio alia

Sed objicis ulteriùs infantes, in quos tamen terror talis ſpecificus ob rationis imbecillitatem non cadit æquè, ac adultos, & qui confirmati ſunt judicii, graſſante peſte ſuccumbere.

Reſponſio ad eandem

Reſpondeo: aut infantes loqueris lactantes, aut bimulos aut trimulos vel quadrimulos: ſi illos, tùm per lac maternum hæc terrifica idea ad ipſos derivatur; ſi hos, probes quæſo, illos ineptos eſſe ad terrorem ſuſcipiendum. Contrarium potiùs ego demonſtraverim ex communi puerorum terriculamento, quo tempore nativitatis Chriſti ſub nomine des Knechts Rupprechts hujus ætatis infantibus vehementisſimus haud rarò terror incutitur.

Stante hac theoriâ, quid pro præſervatione peſtis agendum, priùs exponam, progreſſurus dein ad curam ipſam.

Cura Præſervativa.

Præſervativum Peſtis optimum & probatisſimum eſt animus erectus, Deo ejusque directioni fidens, utpotè ſine cujus permiſſu in rebus hiſce terrenis ne minima quidem tribulatio ac calamitas nos tangere poteſt. Aſt quoniam non ſemper in noſtra poteſtate poſitum eſt, conſtanti animo ſummis adverſitatibus hiſce obviã ire, perquam conveniens eſt præmiſſis precibus non alimentis modò evpeptis & analepticis v. g. vini potu *l*) & Ambræ eſſentia *ex Cratonis* præſcripto, muſica etiam & converſationibus

l) *Williſius* refert de Medico Caſtrenſi, qui tempore peſtis unicè moderato uſu vini ſeſe præſervavit, cum aliquot millia ſuccumberent.

bus jucundis animum divertere ac recreare. Si quis amuletis confidat, paretur aliquod pro lubitu, non tamen operabitur niſi phantaſticè. Idem eſt, judicium de ſuffumigiis, Electuariis, Eſſentiis, Rotulisque præſervativis: juvant quandoque non tamen per ſe, ſed tantùm, uti dictum per accidens.

Cura in præſenti Peſte. Pro Curatione Peſtis cum nobis, de quo jam aliquoties conqueſtus ſum, deſint medicamenta, quibus ideæ ineptæ ſpirituum posſint corrigi, cogimur tantùm producto morboſo nempe coagulationi ſanguinis medicinam opponere. Seligo verò ex illis *m*) rurſus terrea tantùm, ut ſunt ocul. cancror. terra ſigill. Lemn. pulv. Pannon. ruber. pulv. bezoard. bolus Armen. antimon. diaphoret. bezoard. mineral. flor ſulphur. voloque ut cum acetis theriacalibus, rutaceis, & quidem ut vel in dupla vel tripla doſi quandoque exhibeantur, quo certius posſint operationem ſperatam (ſudorem loquor) præſtare. Fiet namque ſic, ut per ſudorem largum vel ex toto reſolvatur à terrore coagulatus ſangvis, vel ad glandulas ſuprà nominatas, aut ad alias carnoſas ac tendinoſas partes propulſus bubones gignat, aut carbunculos, vibices, petechiasque.

Et licet neutrum poſt primam diaphoretici exhibitionem contingat, non tamen propterea animus ſtatim omnis dejiciendus, quin potius audacius morbo per diaphoretica contraeundum, donec vel ſyptomata malignitatis ex toto remittant, vel carbunculi, bubones &c. appareant.

In primo caſu vita ægrotantis in vado eſt, nec quicquam amplius metuendum, modò ſibi caveat à novis cauſis occaſionalibus; ſecus vero in altero: utut enim nunc videatur in portu navigare, nondum tamen de vitæ naufragio tutus eſt, præprimis ſi eruptiones illæ iterum retrogrediantur.

Proinde primò ad præcavendum hoc malum, ſedulò omne id quod de petechiarum retroceſſione diſſerui, attendatur. Deinde eruptionibus illis per externa debite proſpiciatur.

Bubonibus quomodo proſpiciendum? Bubonibus proſpicitur pro circumſtantiarum exigentia jam diſcutientibus v. g. chamomill. flor. ſambuci, ſem. aniſi: ſi dolor adfuerit, jam anodynis, fol. hyoſcyam. herb. parid. ſ. uvæ inverſæ, mandragoræ, croco & theriaca &c. Si ſpaſmus adfuerit vel antiſpasmodicis, ruta, betonica, verbena, axungia cati ſylveſtris, oleo ſuccini, ſcorpion. &c. vel attrahentibus, qualia ſunt veſicatoria ex cantharidibus, flammula Jovis, *n*) raphano ruſtic. Empl. magnetic. arſenical. ranuncul. cauſticus, diachylum cum gummatibus; vel emollientibus & ſuppurantibus, rad. lil. albor. alth. cynogloſſ. fol. melilot. brancæ urſinæ, violar. vel aperientibus v. g. ficubus, allio, cepis, fimo columbino, emplaſtro de galbano, oxycroceo, ſapone nigro, pice navali &c. vel mundificantibus & conſolidantibus, ungv. baſiliconis, digeſtiv. apoſtolor. balſamo ſulphur. terebinthinato & alio, item Peruviano.

Similis circumſtantiarum inquiſitio etiam neceſſaria eſt in Cura carbunculorum, ſcil. jam anodynis tractetur ac refrigerantibus, ubi inflammatio & dolor urget; jam ſuppurantibus & conſolidantibus, ſi ſcilicet à ſana carne ars aut natura ſepparârit mortuam aut nigram.

CAP.

m) Eſſentias cum ſpiritu vini factas, extracta, ſalia volatilia & ſalſa volatilia, uti ſunt mixtur. ſimpl. tinctur. bezoard. Michael. ſpirit. corn. cerv. ſimpl. & ſuccinat. ſpirit. bez. Buſſii &c. non adeo probo, quemadmodum etiam olea v. g. illud antiloemicum Heinſii ex oleo citr. ſuccin. & camph. ſimul ex retorta deſtillatis ad gtt. v-viij. &c. quia acria hac ſunt, equidem diaphoreſin excitant, ſed vehementer movent maſſam ſangvineam; ſymptomataque gravia admodum inducunt undè *Thonerus o. p. 65.* de omnibus ſic dictis aquis vitæ, aliisque ejusmodi acribus monuit, quod rectè in his morbis vocentur aquæ mortis, ob caliditatem ſuam, aut potius acredinem.

n) Rubificans de flammula Jovis vid. *Hieron. Facric. in Chir.*

Caput XV.

De

OCULORUM AFFECTIBUS.

§. I.

De

Hordeolo ſ. Grandine.

Cum palpebræ, prout ex Phyſiologicis præſuppono, valvarum inſtar ſe habeant ad obſerationem oculorum in ipſorum tutelam à natura datarum; idcircò in limine ſtatim hujus capitis de illarum vitiis ago.

Vitia Palpebrarum varia. Varia autem illa ſunt, quandoque motus illorum læditur, dum nempè muſculus elevator paralyſi laborat, vel quando fibræ hæ motrices ſpaſmo corripiuntur, inſimulque ſuperiores invertuntur in affectu, quem *Ectropion* Practici dicunt; vel quandò tumore quodam œdematoſo, aut inflammatorio occupantur; vel quandò ſcabiem in interno pariete, aut fiſſuras, aut exulcerationes patiuntur. Alio tempore in externa lamina tumore aliquo duro, ac albicante ſub nomine *Hordeoli ſeu Grandinis* moleſtantur ac deturpantur. *quorum hiſtoriæ ac cura cum aliarum partium affectibus conveniunt.* Falleris, ſi omnium jam recenſitorum affectuum hiſtorias ac curationes expectas, expectas namque ſuperflua: ſcilic. cum nihil paralyſis muſculi elevatoris à paralyſi aliorum, nihil ſpaſmus illorum à ſpaſmo alio, nihil ſcabies, fiſſuræ & exulcerationes ab aliarum partium congeneribus affectibus differant, nolui operosè unum idemque diverſis in locis tractare, ne tædio anſa detur.

Cauſa Hordeoli. Solùm igitur Hordeolum, Germanicè Gerſten-Korn remanens conſiderandum erit, cujus cauſa ſanguis eſt viſcidior, ac craſſior ſtagnans in palpebrarum poris, Antecedentes cauſæ naſcuntur partim ex vitioſa diæta, de qua ſupra §. *de Varis* jam aliquid monui: partim ex immunditie, cum nempè illotis manibus, carne potisſimùm pingui, aut alio viſcido pollutis oculi tanguntur & fricantur: ſic enim obliteratis poris illarum partium, impeditaque exhalatione inſenſibili occaſio panditur ſtagnationi ſanguinis.

Cura Cura vel productum ipſum morboſum, vel ſymptomata ſaltem reſpicit.

Symptomatum Symptomata, quando inflammationi *o*) ac dolori ſuccurritur per anodyna ac refrigerantia, v. g. per ſucc. ſemperviv. maj. vid. *Act. Haffn. Vol. 4. obſ. 89.* aut alia *Cap. 7. §. 1.* præſcripta.

Tumori verò, dum per reſolventia *p*) ac emollientia, mitiora primùm e. g. ſalivam hominis jejuni ſæpiùs affrictam, vel muſcas contuſas ad imitationem Weikardi, Sennerti, Hoffmanni; aut his irritis per fortiora magis, empl. ſcilicet de Gummi ammoniaco, aut de Galbano crocat. aut ungv. de calc. viv. vitriol. calcinat. & melle paratum remotionem ejus intendimus. Caveat modò in ejusmodi acrium uſu, ne oculi bulbus tangatur, ni velit graviora excitare mala.

Producti morboſi. Ubi ad maturitatem deductum eſt hordeolum, & purulenta materia ſe oſtendere incipit, tùm ſcalpelli acies curæ feliciſſimum imponet finem.

§. 2.

o) Quia ex dolore & inflammatione hac oritur non rarò inflammatio oculorum per conſenſum, quatenus albuginea tunica oculi bulbum, & palpebras cingit, ſuccurrendum eſt vel refrigerantibus, vel repellentibus tempeſtivè adhibitis.

p) Huc ſpectat in extremo caſu fotus ex decocto Coffée potus iſtius famoſi, ſi per infundibulum fervidus ejus vapor ad oculos mittatur, quatenus non tantùm calor hoc modô admittitur, ſed etiam ſal volatile reſolvens in Coffée latens. vid. *M. N. C.*

§. 2.

De

LACRYMARUM CONTINUO EFFLUXU, trieffenden Augen.

Quid per continuum lacrymarum fluxum intelligi velit, exponitur.

CUm de continuo lacrymarum effluxu verba facere nunc decreverim, nolim quis credat, lacrymarum profluvium ab animi pathematibus elicitum nos intelligere. Hujus enim curam illis relinquimus, qui ſcaturiginem, h. e. animi pathematum cauſas vel per ſola argumēta Theologica, aut Moralia, vel reali auxilio obturare & exſiccare valent. Nec illud loquor à tēpeſtatum inclementia aut acrium rerum (v.g. fumi, ceparum *q*) odoris vel raphani ruſtici &c.) attactu concitatum; Medici enim auxilium nullus propterea expetet; ſed ſub hujus paragraphi rubrica illum tantum volo lacrymarum rivulum, qui citra ullam præcedentem animi perturbationem, aut aliam cauſam externam continuo & interrupto fluxu genas perluit.

Cauſæ, earumque cognitio.

Cauſæ ſunt vel nimium à fletu diuturno relaxati glandularum lacrymalium pori, vel larga ſeri copia, vel præternaturalis ejus mordacitas. *r*)

Prima cauſa cognoſcitur ex ægrotantium relatione: altera ex doloris abſentia: tertia verò ex rubedine oculorum, ſummaque moleſtia ac ardore conjuncto.

Cura, ſi à nimio fletu.

Siſtuntur lacrymæ invitæ à nimio fletu ortum ducentes per exſiccantia leviterque adſtringentia, v. g. corall. alb. uſta, flor. Zinci, nihili, tutiam, lap. caminarem, ceruſſam, ſaccharum ſaturni, vitriol. alb. in oculi canthos (vel ſub forma Sieff. h. e. pulveris minutiſſimè triti, vel cum aqua euphragiæ, roſar. flor. cyani, tenellor. quercus) immiſſa.

abundantia ſeri.

Si abundet ſerum in corpore, evacuetur vel per purgantia; vel diaphoretica, aut diuretica; vel per ſalivatoria ptarmica, veſicas excitantia, aut ſetaceum, aut fonticulos, venæſectionem & ſcarificationes.

aut acrimonia malum fuerit ortum.

In acrimonia ſeri *s*) collyria jam nominata debent adhiberi, non neglectis internis abſorbentibus & edulcorantibus item anodynis, uti ſunt pilulæ de cynogloſſ. *t*)

§. 3.

De

LACRYMARUM VISCIDITATE.

conſequens malum palpebrarum conglutinatio.

BRevibus & hujus mali deſcriptionem ſiſto, cum ſciam, ejus curam frequentiùs in puerulis deſiderari. Moleſtia, quæ illud ſequitur, in eo conſiſtit, quod nocturno tempore inter dormiendum palpebræ ſuperiores cum inferioribus firmiter cohæreant, ſic ut expergefacti diducere nullo conatu poſſint, niſi prius per emollientia & blandum adjumentum mucaginoſa clauſtra relaxârint.

Cauſa.

Cauſa occaſionalis viſcidioribus imputari debet alimentis, aut inſpiſſato lacrymali ſero per diaphoreſin aut alias evacuationes largas.

Cura.

Cura requirit remedia diluentia tàm interna, quàm externa. Hauriant hinc aquam ſimplicem potûs loco, & fugiant omnia incraſſantia, ſic una fidelia duos dealbabit parietes, diluet enim viſciditatem, & reſtituet ſeri defectum.

Externè aqua roſar. euphrag. ſucc. ſemperviv. maj. cum tantillo vitrioli in-

q) Hunc morbum aliquando in jureperito curavi, qui halecibus cum cepis frequenter comeſtis ferè in dies delectabatur, itemque veneri navabat operam.

r) Aliquando exulceratio à variolis relicta continuum lacrymarum effluvium concitat.

s) In diæta vitetur veneris exercitium, quo ſolo recidivam patiuntur non rarò ægri, prout notavi.

t) Egregium eſt remedium noctu adhibita maſſa pilularis dicta de cynogloſſa. Conſtat enim ex gummatibus minus acribus, ſed inviſcantibus & ſimul anodyno, opio.

inſtilletur; præſervationis verò cauſa de nocte palpebri pellicula *u*) recenter ex ovorum teſta deſumpta interponatur.

§. 4.

De

STRABISMO.

Deſcriptio. Strabiſmus illud oculi eſt vitium, quando bulbus vel unus, vel uterque objectis videndis non rectâ opponitur, ſed modò in dextrum, modò in ſiniſtrum latus &c. declinat, Germanicè das Schielen.

Cauſa. Cauſa eſt in muſculis oculorum moventibus, cum ſcilicet unus ex illis officii ſui immemor non rectè dirigit oculi bulbum. Occaſio huic malo datur vel per læſionem, *w*) aut vulnus ipſorum muſculorũ, aut ſaltem ramuli nervoſi oculum moventis dicti. Ex qua cauſa ſine dubio ille erat ſtrabiſmus, qui in viro quodam conſultisſimo hic Lipſiæ ex dentis canini ſuperioris eradicatione excitabatur. Eſt quoque cauſa conſuetudo *x*) prava, ac petulantia, dum pueri contorto oculo rem aliquam, imprimis candelam accenſam, à latere cunarum ſtantem diutiùs contemplantur. Tandem ipſa conformatio *y*) vitioſa in culpa eſt, dum talem ideam mater gravida firmiter ſibi imprimens ad embryonem transfert.

Cura. Curam ſtrabiſmi ex prima cauſarum biga provenientis, vix promittere poſſum, niſi admodùm recens fuerit malũ; quo in caſu à nervinis, antiſpasmodicis & vulnerariis omnis ſalus ſperanda.

Ubi conſuetudo prava originem dat, inclinatio oculorum in partem adverſam confert. Inclinari autem illuc commodè poſſunt, ſi vel larva aut *z*) nucum juglandium cortices in medio perforati oculis adaptentur: ſic fiet, ut non niſi è diametro oppoſita foramini in pupilla cernens puer ſenſim ad motum adſveſcat muſculos antagoniſtas.

Idem hoc remedii genus in ſtrabiſmo ex ultima cauſa tentare licet, quo non ſufficiente, neſcio, an aliud remedium commendare debeam. Parum enim fido ab Avicenna olim laudato ſangvini turturis oculis inſtillato, aliisque externis ac internis remediis.

§. 5.

De

OPHTHALMIA.

Nunc pervenio ad morbos ipſius oculorum bulbi, è quorum numero primum ad examen voco *Ophthalmiam*, ſive, ut clariùs loquar, inflammationem oculorum.

Signa pathognomonica deſumuntur ex æſtu, rubedine & dolore. *Signa.*

Cauſa *a*) ejus ſufficienter *Cap. 8. §. 1. de inflammatione* in genere eſt declarata, è quo illam repete. *Cauſa.*

Circa Curam notetur, eam omnino cauſis debere eſſe accommodatam, hoc eſt, jam diluentia viſciditatem requiri, jam acrimoniam corrigentia, jam blan- *Cura.*

u) Loco ejus aurum bracteatum, vel folia ſtanni non malè ſvadent alii.

w) Ex pilæ parvæ luſu & ad oculum alliſione quendam prius ophthalmiam, hincque orta ſtagnatione humorum in oculo, ſupervenientem ſtrabiſmum, accepiſſe novi: illa diſcuſſa fuit, & poſt evacuationem materiæ reſtitutus æger fuit.

x) vid. *Borell. Cent. 3. Obſervatione 1.*

y) *Confer* Bartiſch Augen-Dienſt *Edit. Germ. in Fol. c. figuris.*

z) Tales larvas primus commendavit *L. Lemnius conf. etiam* Bartiſch.

a) Huc ſpectant fucus, item adſtringentia incautè adhibita, vid. *Muys Dec. 1. o. 1.* qui ex pulvere fungi Chirurgorum notavit ophthalmiam. Huc quoque ſpectat, quando ſani adſpicientes ophthalmiâ correptos ſimili malo afficiuntur. Dum ſpectant læſos, oculi læduntur & ipſi &c. juxta Ovidium; *Conf. Diemerbroeck. Obſ. 55. p. 68.* & notis ad hanc, qui ſæpè ophthalmiam contagioſam vidit. Ipſe ego tale exemplum novi. Ex terrore enim id fit, ita, ut idea peregrina h. m. communicata coagulet ſangvinem; vel juxta alios ex acribus exhalationibus ex oculis emiſſis per contagium afficiuntur adſtantes vid. *Borell.* qui ſcribit perſpicilla h. m. fuiſſe perforata.

blande evacuantia, diaphoretica, diuretica, interdum etiam Venæ Sectionē, ſcarificationes, fonticulos, veſicatoria & ſetacea. Notanter ambigue loquor; errant enim, qui in omni ophthalmia aquoſa commendant, & ſpirituoſa blandeque acida, v. g. vini potum damnant. Legant enim quæſo *Hippocratis aphor. 36. lib. 6 & Galeni Commentar. in allegat. aphor. it. Borelli obſ. 77. C. 2.* Eodem modo hallucinantur, qui Venæ Sectionem undique deprædicant. Fruſtra namque illam ſæpius celebratam vidi in acrimonia ſanguinis nimia vel viſciditate, quam tamen ſolæ pilulæ de Cynogloſſa, vel aquæ potus feliciter tollebat &c. Judicio itaque ſolùm hic opus erit, nec deerunt remedia. Pro uſu tamen externo evporiſta ſunt fruſtulum carnis vitulinæ recentis ſæpius mutatum, album ovi cum tantillo aluminis & camphoræ, ovum ad duritiem coctum remoto vitello, mucilagines ſem. pſyllii, cydonior. & fœnu græci, ovorum pelliculæ & quæ ſunt alia pro ſcopo exſiccandi lacrymarum fontes *§. 2. hujus Cap.* commendata.

§. 6.

De

NUBECULA, ALBUGINE S. PANNO, ET PTERYGIO S. UNGUE OCULORUM.

Confunduntur à non paucis Practicis præſentes affectus ob ſummam affinitatem, *b)* quæ inter illos tam ratione ſedis, quàm cauſæ ac ſymptomatum intercedit. Aſt nos cum aliis curatius illos intuentibus diſtinctim ſiſtimus ob rationes mox indicandas.

Panni deſcriptio & diverſa appellatio. *Pannus* occupat corneam tunicam, ejusque pellucidam ac vividam faciem ſuperinducit colore nunc aëreo, hinc *Nebulæ* nomen gerit, nunc albo, tunc *Albugo* à quibusdam dicitur, nunc obſcuriore magis, quo tempore *Pannus* audit. Semper hoc malum viſum intercipit, modo tamen plus, modo minus, prout nempe externum velamen tenuioris aut ſpiſſioris eſt conſiſtentiæ.

Ungvis ſedes. *Ungvis* verò ſive *Pterygii* ſedes non in ipſo bulbo æquè, quàm in cantho, præprimis interno eſt, è quo progerminat ſenſim, usque donec univerſus oculi bulbus ab ipſo contegatur, coloris utplurimùm eſt albicantis, ſubſtantiæ tenuis ac nervoſæ, viſumque non adeò lædit, nec etiam cum ipſo oculo cohæret. Notanter dixi utplurimùm: Dari enim ungvem quoad ſubſtantiam craſſum & quaſi carneum, copioſisque ſangvineis vaſis turgidum, & cum oculo cohærentem, viſumque omnem intercipientem, obſervationes Autorum docent.

Cauſa Nubeculæ. Cauſa Nubeculæ ſ. panni eſt elevatio exterioris laminæ ſclerotidis ſ. corneæ, excitata vel à violentia externa, vel ab acrimonia ſangvinis humorumque affluxu.

Ungvis. Ungvis autem ſ. pterygium tantùm ex tunicæ adnatæ augmento, ab affluxu ſuperflui nutrimenti ortum ſumente, dependet.

Cura Nubeculæ ſ. Panni alia eſt, Cura prioris affectus alia poſcit in principio mali, alia in ſtatu: & rurſus alia in morbo ex cauſa interna vel externa genito.

Si a cauſa externa: alia, Si à cauſa externa v. g. contuſione immineat pannus, ſociam ſemper habet inflammationem, adeoque tùm deſiderat remedia externa inflammationem ſedantia, ejusque cauſam diſcutientia. Qui hiſce adjungit remedia, aliorſum humorum affluxum derivantia, v. g. quæ alvum blande ſubducunt, vel veſicatoria aut ſetacea, non malè agit, ſed licet indirectè, egregiè tamen inſidias ſtruit malo.

Si ab acrimonia ſangvinis: alia, Quandò malum hoc ab acrimonia ſangvinis provenit, ophthalmica remedia conveniunt.

Si malum inveteratum &c. Hac methodo recenti, vel potiùs in fieri nubeculæ aut ungvi occurri poteſt; longè verò alia pro inveterato & à vulneribus vel variolis ortum ſumente requiritur. Scilicet in hoc accerſenda ſunt

b) Differunt inter ſe gradu, ut aliquo modo viſus lædatur in nubecula, magis in albugine, maximè in panno.

ſunt collyria *c)* primò ex melle, ſaccharo cando, pingvedine *d)* anſerina & leporina, liquore hepatis muſtelæ piſcis; poſt ex cornu cervi, corall. teſtis ovor. ſarcocolla, off. ſepiæ, lap. ſciſſil. in alcohol ſubtilisſimum redactis, Zingibere & alumine uſto, tandem ex felle lucii & cyprini piſcis, ſucc. chelidonii, ære uſto, vitriolo albo, ſale gemmæ & ammoniaco, vel mercurii ſublimati ſolutione probè diluta.

Cura Ungvis. Iisdem derivantibus ac collyriis Cura ungvis *e)* etiam aggredienda eſt, quod ſi tamen illis cedere noluerit, Chirurgi ſcalpellum in auxilium vocari debet.

§. 7.

De

MACULIS ſive TELIS ANTE OCULOS APPARENTIBUS.

MIſſis externis oculorum vitiis ad interna pergimus, & quidem impræſentiarum ad *Maculas*, ſive *Imagines* illas inter cernendum ante oculos occurrentes.

Maculæ Literatis moleſtæ. Summam omnibus hujus mali præſentia creat moleſtiam, imprimis tamen literatis exoſa eſt. Obſtat namque ſtudiis non parùm, dum continuâ hac repræſentatione macularum ad lectiones autorum juxta, ac ad ſcribendum perquàm inhabiles facit.

earum ſedes. Sedent autem maculæ hæ intra ipſum oculi bulbum, & ſi clariorem loci deſcriptionem expetas, intra tunicam corneam & cryſtallinum humorem, ſcilicet in humore aqueo.

Cauſa. Cauſa dependet à quibusdam pituitoſis fribillis *f)* diverſimode configuratis, illis in locis hærentibus, quæ tandem exſiccatæ membranarum naturam aſſumunt.

Cura. Cura difficilis eſt ob denegatum medicamentorum acceſſum, adeo, niſi notabiliter viſum lædat, *g)* nunquam malum hoc attingendum ſvaſerim.

Ubi tamen opem noſtram efflagitant ægri, per evacuantia, veſicatoria & ma-

---

c) Si inflammatio ſuperveniat, ſief. alb. ſine opio vid. de his *M. N. C. D. 2. A. 3. Obſ. 33.* quod verò illa ultima ex vitriolo & mercur. ſublimato attinet, notandum eſt, non niſi in ſumma neceſſitate illa adhibenda eſſe, ne forſitan oculorum ſubjacens bulbus ſimul erodatur; aut ſi dentur, cum temperatis illa dari neceſſe eſt. Longè enim præſtat, juxta *Galen. L. 4. de Compoſit. Medicament.* ſerius & tutius curare, quàm majori periculo cum ſpe citioris curationis ægros exponere.

d) Pingvedo viperina palpebris ſaltim illita, aut oculo inſtillata maximè laudatur in *M. N. C. D. 1. A. 2. o. 125.*

e) Vid. *Hornungii Ciſt. Med. 590.* ubi ſuccus nicotianæ ex fol. recentiſſ. cum butyro majali adhibetur; it. ſuccus ex formicis majoribus conducit; Verùm ſunt hæc remedia nimis acria, quibus oculus facilè lædi poteſt, inſimulque exacerbatio ſymptomatum produci. Si verò cum bulbo cohæreat forfice adimitur & bolo armena aliisque defenſivis iterum curatur.

f) Oriuntur autem illæ aliunde & ad oculi cavum feruntur, unà cum nutrimento pro humoribus & tunicis adducto, ibique magis alterantur. Non quidem facio cum *Nuckio* ſtatuente, peculiaria vaſa, ſeu ductus aquoſos ad oculum abeuntes, hancque materiam ſuppeditantes, ſed abeunt ad oculum manifeſta vaſa ſangviſera, ita ut ductus à *Nuck.* annotati, nihil aliud ſint, quàm rami arterioſi, quod injectione ceræ per carotides in cane obſervavi. Contribuit etiam violentia externa, contuſio ſcilicet, unde primò ophthalmiam & dolorem excitatum, poſt temporis verò ſpatium in ægro quodam obſervavi maculas & telas. Idem etiam notavi alio tempore in ſtudioſo, qui cum oculos nimium ſoli opponeret, quò eclipſem ſolarem tùm temporis notabilem, adverteret, ſubitò maculis his affectus fuit cum inſequenti brevi tempore coecitate plenaria: fortè à radiorum ſolarium impetu quædam partes aqueæ coagulatæ & condenſatæ fuerunt; quod etiam contingit in aliis ejusmodi humoribus, radiis ſolaribus diutiùs expoſitis.

g) Aliqui maculas initium catarractæ dicunt, hinc à totali coecitate metuunt. Rectè tamen alii contradicunt. *vid. Act. Haffn.* ubi *Hanemannus* Medicus conſilium Bartholini hoc ipſo malo laborans expetit; Ipſe ſæpe vidi, quod per longum temporis ſpatium ægri maculis his correpti fuerint, neutiquam tamen hinc catarractam obſervavi, licet cum ipſa affinitatem habeant.

&mafticatoria & inſpecie ptarmica *b*) materiæ averſio & derivatio hic iterum molienda. Compoſuit pro hac intentione *Bartholinus in Act. Haffn. Vol. 1. p. 50.* ejusmodi pulverem, prout vocat, naſalem, *i*) ejusque vires tanquam in ſemetipſo expertas multis celebrat verbis: placet illum tranſcribere:

Rec. tabac. optim. ℥j.
majoran. ℥ij.
euphraſ.
Sem. fœnicul. aa. ʒj.
Agaric. trochiſcat. ℈j.
Cum aquæ fœnic. q. ſ. M. F. Pulv. ſubtiliſſ.

Aliàs multum encomii de facultate maculas haſce delendi datur à Batavis radici alceæ, *k*) nuchæ ſaltem appenſæ, quemadmodum hoc non modò ex illorum obſervationibus, ſed imprimis ex ſpecioſo ejus Germanico nomine, Fellriß/conſtat.

Inſuper diætæ ſtrictæ regimen præſcribendum eſt, ſic ut balnea, vina, venus, cum aliis pathematibus animi, imprimis lacrymas elicientibus interdicantur, è contrà tenuiora alimenta ſvadenda ſunt cum fœniculo, euphraſia, ruta, verbena, betonica atque chelidonio.

§. 8.

De

CATARACTA ſeu SUFFUSIONE.

Deſcriptio. Occaſione macularum præcedenti paragrapho exhibitarum devenio nunc ad *Suffuſionem* ſeu illud oculorum vitium, quandò à corpore quodam craſſo, & opaco intra corneam & cryſtallinum humorem interpoſito viſus vel ex toto, vel quadantenus intercipitur.

Signa diagnoſtica. Signa diagnoſtica partim ſuppeditat æger, partim inſpectio oculi: æger, dum cœcitatem refert vel perfectam, vel inchoatam, vel unius, vel utriusque oculi; inſpectio oculi, dum pupillam immutatam, eamque modò turbidam tantùm, modò cœruleam, modò citrinam, modò albam, modò nigram &c. oſtendit. Et licet utrumque ſignum commune ſit cum panno, tamen ipſius diſcolorationis anſam aperiet, quæ ſcilicet in hoc malo in interioribus bulbi partibus eſt, ſplendore ejus externo adhuc integro, in illo vero externa occupat.

Cauſa proxima Quoad cauſam jam ſupra innui, eſſe corpus quoddam opacum inter corneam & cryſtallinum interpoſitum. Notanter generalem corporis terminum adhibeo, ut ſcilicet ſub illo & humorem viſcidum & tunicam comprehenderem. Etenim in principio hujus mali viſciditas ſaltem quædam, ſeu ut veteribus loqui placuit, pituita innatat humori aqueo, quæ tamen temporis ſucceſſu in tunicam quandam mucagi noſam diverſimode coloratam, & undiquaque uveæ adhærentem condenſatur.

Occaſionales. Occaſionales cauſæ ſunt variæ, eo tamen cunctæ collimant, ut vel affluxum humorum ad oculos concitent, vel humores exſiccent. Ad priorem claſſem diæta inepta, ophthalmia &c. pertinent: Sicuti ad alteram lacrymæ immodicæ, vid. *Hildani obſ. Cent. 4. obſ. 15. Mercurialis Tom. 1. Conſult. Conſil. 28. & 45.* contuſiones bulbi oculorum, lucubrationes, febres acutæ, dolores capitis &c. Quanquam, quod contuſiones concernit, crediderim quoque ab ipſis fiſſuram quandam, ſive dehiſcentiam laminæ interioris corneæ fieri poſſe: hinc non miror momentaneum ejus ortum, in

---

b) Vix removentur, niſi per miaſmata ſalium volatilium è longinquo oculis admotorum. Plures obſervationes horum ſalium & effectus notârunt Batavi, qui ex vitio alimentorum frequentiùs hoc malo vexantur. vid. de ſalibus volatilibus *Stiſſer. in Laborator. Chymico.*

i) *Hildanus pag. 26. in Oper. Chirurg.* omnem uſum ſternutatorii interdicit.

k) Radix alceæ recens nuchæ appendatur, quam aliquoties in uſum vocavi, ſæpè cum ſucceſſu, ſæpè in caſſum, ſi enim recens eſt, habet vim rubefaciendi & veſicato-

in cujus explicatione adeo deſudat ſupra allegatus *Hildanus Cent. 5. obſ. 14.* Mentionem prætereà & alius cauſæ, ſcil. flatuum è ventriculo ad oculos elevatorum, faciunt codices practici, verum cum via incognita, & cauſandi modus perquam obſcurus ſit, â nobis illa negligitur.

Cura interna recentis Cataractæ,

In Cura reſpici debet ætas, ut ſic loquar, hujus morbi. Recens namque & cujus cauſa nondum in perfectam tunicam coaluit, ſed tantùm ſub pituitæ forma cœcitatem gignit, ex fonte Pharmaceutico adhuc ſolatium ſperare jubet, & quidem ab illis in ſpecie medicamentis, quæ pituitam incidunt, & poſt evacuant. Parùm autem refert, quibuscunque remediis ſolutionem hanc, & evacuationem moliaris ſive per purgantia ex mercurio dulci, & gummi ammoniaco, aut maſſa pilularum cochiarum, lucis major: ſine quibus eſſe nolo &c. ſive per ſudorifera ex ligno quajaco, ſive per maſticatoria è cubebis, ſem. fœniculi, maſtiche, pyrethro; ſive gargariſmata ex betonica, majorana, ruta, ſalv. fœnic. ſem. erucæ, cubebar. rad. pyrethri; vel per ſetacea, veſicatoria, hirudines cervici applicatas.

Cura externa num proſit?

An externa *l*) collyria vel fotus ex diſcutientibus & reſolventibus debeant interim quoque adhiberi, diſputant Autores: ego pro negantium partibus ſto. Aut enim lenia ſunt externa, tùm plus promittunt, quàm præſtant, aut humida vel acriora, tùm plus nocent quàm proſunt.

Cura Cataractæ maturæ.

Cum hisce remediis Cataracta recens removeri non poteſt, expectanda maturatio eſt, & tùm ad Chirurgiam *m*) deveniri poteſt, cujus adminiſtrandæ rationem tradiderunt *Celſus lib. 7. c. 7. Paulus Ægineta lib. 6. c. 21. Paræus Oper. Chir. l. 16. c. 22. Scultetus p. m. 117. & ſeqq.* **Bartiſch im Augen-Dienſt.**

§. 9.

De

Gutta Serena ſeu AMAVROSI.

PArit hic affectus non ſecus, ac antecedentes totalem viſus abolitionem, nihilominus cum ipſis non confundendus eſt, quod feciſſe videntur ii, qui primò Germanicè **den ſchwartzen Staar** ſalutarunt.

Signum diagnoſticum.

Signum diagnoſticum ſuggerit cœcitas perfecta ac totalis citra ullum aliud oculorum vitium, & pura apparente pupilla accedens.

Cauſa.

Cauſa non æquè in tunicis aut humoribus quærenda eſt, quàm in tunica retina indeque orto ſpirituum viſivorum influxu denegato. Denegatur verò ille, primò, quando nervi optici propago, h. e. dicta retina ab humoribus viſcidis & craſſis, vel ob inflammationem ſtagnantibus, vel planè deficientibus, vel alia cauſa *n*) externa op-

riam, hinc prout alia ejus generis agit, ducendo & alliciendo humores ad alia loca, ne impetuoſius illuc devehantur.

l) Aliqui externa etiam commendant, ego tamen cuncta irrita & fruſtranea judico, quatenus per compactam tunicam penetrare non facilè poſſunt. Ut taceam, plura eſſe nimis acria, ſcilicet oleum linteolorum, vid. *Act. Haffn.* ſupra ſecurim paratum, raſura Zingiberis &c. poſſunt enim facile inflammationes producere & magis nocere, aut ſi mitiora & inſipida ſunt, irrita applicatio erit.

m) Chirurgus ſit amphidexter: alter oculus ſanus tempore depoſitionis deligetur, ne, dum hic movetur, ſimul alter etiam moveatur. Dein cavendum Chirurgo, ne inter deponendum partes lædat v. g. ligamentum ciliare, ex pluribus vaſculis conflatum &c. Poſt depoſitionem uterque oculus deligandus, ne irruptione radiorum humores denuò ad locum hunc ferantur. Præ cæteris tamen Chrirurgus certus ſit, an materia intùs latitans apta ſit ad depoſitionem. Irritus enim erit conatus, ſi membrana non adſit, ſed viſcidus ſaltim mucus.

n) Novi in nobili fœmina ex partu difficili guttam ſerenam per totum nychthemeron, cui poſt applicationem in reg. fœm. veſicatorii morbum ſublatum vidi. **Bartiſch** peculiarem ſpeciem guttæ ſerenæ refert, **den ſchwartzen Weiber-Staar.** *Tulp. Lib. 1. o. 10.* ſe tale quid in partu annotâſſe notat; tale quid & ipſe aliquoties vidi, ut voce quidem adſtantes diſtingvere, minimè tamen viſu poſſent.

oppilatur & exſiccatur; *o*) Secundò quandò ſpiritus vel deficiunt, vel non influunt v.g. ob nimium Veneris abuſum, lucubrationes &c. *p*)

Cura. Rarius perfecta reſtitutio ſperanda, ubi ex ſiccitate aut ſpirituum vitio malum accidat, niſi forſan ſtatim in principio humectantia, & analeptica quid præſtiterint. Attamen cum à prioribus cauſis dependet malum, aliqua reſtitutionis ſpes adhuc affulget ex incidentibus, reſolventibus, evacuantibus vel derivantibus, item inflammationem ſedantibus aliquoties jam recenſitis.

§. 10.
De

AMBLYOPIA.

Deſcriptio. FRequens hic affectus ſed curatu difficillimus eſt. Latinis vocatur *Hebetudo* ſeu *Caligo Oculorum*, Germanis ein dunckel und blöde Geſichte / deſignatque illam aciei imminutionem, quæ ſine notabili alteratione in oculis accidit.

Cauſæ. De Cauſis ſi es ſollicitus, ſcias, multum illas convenire cum Gutta ſerena, ſolùm ut in hoc malo non omnem prorſus ſpirituum affluxum impeditum, nec illorum defectum adeò enormem ſupponas; quodſi tamen inſuper & lacrymarum acrimoniam, nimiamque illarum profuſionem, crebriorem ignis, aut fulguris intuitum ſimul accuſaveris, ut cauſas occaſionales magisque remotas, non adeò à verò aberraveris.

Cura. In Cura Amblyopiæ ante omnia eſt videndum, ex quonam fonte illa oriatur. Si ex ſpirituum influxu denegato, removeantur obſtacula: ſi ex defectu, *q*) reſtituantur. Similiter & reliquæ cauſæ occaſionales, ſi res adhuc integra, tollantur.

Superfluum cenſeo, ſpeciatim hic iterum medicamenta ſingulis indicationibus accommodata recenſere, adeoque nunc ad præcedentes paragraphos te remiſſum volo.

Quod ſi nihilominus de infido omnium medicamentorum ſucceſſu conquerantur ægroti, ne ipſis conſilio deſis, conſpicillorum uſum ſvade, & ubi unum non ſuffecerit ad mandatum *Petr. Borelli Cent. 3 obſ. 90.* bina, terna, aut quaterna conjunge, ut augeantur, diſtinctioresque reddantur ſpecies cernendæ. Aut niſi ex illis levamen aliquod ſenſerit (ſæpius enim ex conſpicillorum uſu major eſt Amblyopia præprimis in ſenibus,) tum in illo pyramidali tubo (ſive faſciola ſpirali intus nigra) *in Act. Philoſ. Soc. Reg. Angl. p. m. 604. ſeqq.* deſcripto ſolatium reperiet, de quo viſui obſcuro, inventorique hujus inſtrumenti æternum gratuletur.

§. 11.
De

MYOPIA.

EST & præſens malum hebetudinis oculorum ſpecies, habet tamen hoc peculiare, quod in eo res præſertim paulò minores v.g. literæ, non niſi ſemiclauſis, proximeque admotis oculis cernantur. Latino idiomate *Luſcioſitas* appellatur, Germanicè überſichtig. *Deſcriptio*

Pro cauſa habeo utplurimùm pravam conſvetudinem, quæ tandem altera quaſi fit natura: nihilominus non negaverim ex vitioſa conformatione humoris cryſtallini, aut ſitu profundiori in humore vitreo, prout illum *Corbæus in ſua Pathologia lib. 2. Sect. 2. c. 36.* accuſat, item ex denſitate majori tunicæ corneæ à nativitate ſtatim contingere poſſe. *Cauſa.*

Facile ex his intelliges, quamobrem rarius Myopſis à nobis curetur. Quis enim *Cura.*

o) Quod in ſenibus frequens eſt, vel etiam quibus ſerum à febribus malignis, hecticis, peſtilentialibusque abſumptum fuit.

p) Item repercuſſionem radiorum ſolarium in mare, nive. Huc ſpectat hiſtoria de incolis Melitenſibus; vid. quoque *Plin. Lib. VII. cap. 2.* ubi de Gymnoſophiſtis loquitur.

q) Deficientibus ſpiritibus, analeptica & ſpirituoſa & ambrata conveniunt.

nim quæſo noſtrum vitia humoris cryſtallini à nativitate contracta, quis conſvetudines inveteratas emendabit? nemo profectò mortalium. Proindè ſi quid conſilii ſupereſt *r*), hauriendum illud erit ex conſpicillis aut tubis præcedente Paragrapho laudatis.

§. 13.

De

NYCTALOPIA.

DUm integrũ nunc caput de oculorum morbis claudo, pluresque adhuc ſuperſunt affectus in Practicis deſcripti, quorum mentio haud facta, neceſſum duxi, ad calcem ſubnectere, ne partim ipſos ut prorſus incurabiles, partim ut jam jam ex aliis paragraphis notos conſultò præteriiſſe, nec in ſuperfluis nimius & jam notis tædioſus videar.

Nyctalopiæ acceptio duplex. Sed ad propoſitam *Nyctalopiam.* Cogimur autem hic, antequam ad explicationem hujus morbi progrediamur, pedem in ipſo limine, quod ajunt, ſiſtere; Siquidem ante omnia monendum, vocis Nyctalopiæ acceptionem eſſe duplicem apud Autores; nam modò volunt in illo viſum de die obtuſum, ſed ſole occidente ac nocte acriorem; modò contrà, viſum ſcilicet de die mediocrem, veſperi tamen & de nocte, ad candelæ puta lucem, nullum.

Nos Nyctalopiam in ultima acceptione, prout etiam communiter à *Galeno*, aliisque Antiquis pariter, ac recentioribus quamplurimis adhibetur, intelligimus.

Cauſa proxima. Cauſa *s*) debetur confuſioni Spirituum viſivorum intra oculum ob radiorum luminoſorum irruptionem inſolitam, quemadmodum aliàs deprehendimus aciem oculorum etiam in ſanis ſubjectis perſtringi, ſi modò diutiùs quis ignis flammam, aut radiorum ſolarium ſplendorem intueatur.

Occaſionalis Cauſa. Occaſionem huic confuſæ & vehementi repræſentationi lucis ſubminiſtrant præprimis lacrymæ (ob nimiam ſeri copiam, ſeu acrimoniam) abundantes, utpotè quæ oculi pupillam largiter irrorando efficiunt, ut lux candelæ non ſecus ac in ſpeculo, ac alio corpore polito aut aqua refringatur, hincque major ſplendor, quàm ſpiritus viſivi ferre poſſunt, gignatur. Inſervit loco probationis theoriæ meæ, hunc affectum nulli hominum generi magis familiarem eſſe, quàm lippis, aut quibus à mœrore, aut etiam morbo v.g. morbillis oculi lacrymis abundant.

Cura. Pro Cura itaque non opus erit, ullum aliud cogites remedium, præterquàm quod ſeri lacrymalis copiam imminuit, aut acrimoniam obtundit, vel viſciditatem reſolvit. Qualia autem illa ſint, quære in hujus *Cap.* §. *2. & 5.* Aliàs ab Autoribus commendatum invenio jecur angvillæ ante prandium comeſtum; vid. *Panaroll. Pentec. 3. obſ. 49.* hircinum vel caprinum (pro ſexus ſcilicet differentia) *à Leone Art. Med. Sect. 1. lib. 16. & 10.* vel bovinum, vid. *M. N. C. Ann. 3. obſ. 121.* Non intelligo operationis modum, ſi verum fatear, niſi forſan ab illorum eſu ſerum quodammodò in corpore incraſſari, quod præprimis de epate bovino aſſato: & ſine potu deglutito intellectum volo.

Externè laudatur liquor hepatis angvillæ, ſanies epatis hirci, oleum ex fundulis paratum, vide ſis *Weickardum Pr. p. 75.* item fomenta ex fœniculo, verbenâ & euphraſia & aliis plantis oculo dicatis cum vino facta. Nec inconveniens eſt umbraculum viride & quæ nigra ſunt, objicere, remotis omnibus ſplendentibus, & rutilante colore ſuperbientibus.

CAP.

r) Quidam pro hac cura palliativa laudant lamellam aliquam perforatam, atque uno oculo clauſo alteri admotam uſurpant: Et certè facilis eſt reſtitutio, ſi ex prava conſvetudine oriatur malum.

s) *Sennertus* refert de viro quodam docto, quod ſcalas aſcendens, librumque in repoſitorio ſtantem acriter intuens nyctalopiam contraxerit. Cauſam eſſe putat ſitum vitioſum humoris cryſtallini, à qua ſponte iterùm curabatur, reducto iterùm in ſitum naturalem oculo.

Caput XVI.

De AURIUM AFFECTIBUS.

§. I.

De Aurium Sonitu.

INter aurium affectus, à quibus auditus crebriùs turbatur, primò *Sonitum* in ſcenam producimus, ideò potisſimùm, quod ejus cognitio lucem plurimam affundat ſequentium malorum explicationi, utpotè quibus viam non tempeſtivè remotus ſternere ſolet.

In hiſtorica deſcriptione non eſt, quod multum ſim occupatus, cum ſolo nomine audito, ejus natura haud amplius posſit eſſe incognita.

Diviſio. Dividitur à quibusdam Practicis, è quibus Platerum inſtar omnium nomino, in quatuor ſpecies ſoni ratione differentes, primam *Tinnitum*, das Klingen / alteram *Sibilum*, das Pfeiffen / tertiam *Pulſum*, das Klopffen oder Pochen / quartam *Fluctuationem* das Rauſchen oder Brauſen vor den Ohren / dicunt. Non diſplicet hæc diviſio, nullius tamen in Praxi uſus eſt, niſi forſan unius affectus varia appellatione eruditionis cujusdam ſpeciem apud ignaros (quod tamen vehementer improbo) venatum iveris.

Cauſa. Cauſa catarrhus eſt, prout veteres loquebantur, frigidus ad aures irruens, vel ſi ſtylus recentiorum magis arridet, humor viſcidus ad auditus organa depoſitus. Omnes itaque catarrhorum occaſionales cauſæ etiam tinnitum excitare valent, præprimis tamen ingurgitatio nimia meri in corpus cachecticum, aër frigidus, aut aqua frigida ad aures admisſa, capitis plaga &c. hoc præſtant. Per conſenſum *t*) naſcitur ex aliarum partium vitiis, ex ſtomacho, inteſtinis; pleuritide, in febribus malignis &c.

Cura. In Cura nullam aliam, quam catarrhorum habere debes rationem, illorumque materiam pro indicantium exigentia vel evacues modò per purgantia, modò ſalivatoria, modò ptarmica, modò veſicatoria & cauteria; vel reſolvas remediis *§. 2. Cap. 7.* ſuppeditatis.

Præterea inſignem uſum in debellando hoc malo obtinebis ab externe auribus immiſſa *u*) aqua Card. bened. aliquoties ſuper recentem carduum deſtillata ex *Cratonis* præſcripto, vel Eſſ. lignorum aut ſaſſafras, vel fotu ex anticatarrhalium plantarum decocto, aut panis calentis cum baccis lauri & rorismarini foliis piſti, vel eſſ. caſtorei cum ſpiritu ſalis armon. cum calc. viv. facta, aut felle lucii piſcis, aut urina animalium cum bombace adhibita: plura *vid. §. ſequente.* Si per conſenſum oritur morbus, primarius eſt curandus.

§. 2.

De Gravi Auditu Et Surditate.

DIfferunt præſentes morbi tantum gradu, adeoque ipſos non disjungere volui.

Deſcriptio Auditus gravis. Primus namque denotat tale auditus vitium, quando verba ac ſonus adhuc quidem, ſed perquam difficulter per-

t) Nervus enim acuſticus duplici ramo præditus, unus mollior tranſit per cochleam ad labyrinthum, abitque in membranulam ad tympanum usque; alter durior ultra aures progreditur & perreptat totam faciem cum ſuis ramulis. Nervus intercoſtalis abit ad viſcera interiora, ventriculum ſcilicet &c. inde cardialgiâ, vomitu, nauſeâ, colicave & hyſtericâ paſſione affecti ſemper conqueruntnr de tinnitu aurium.

u) Ceu ſingularia ambrata commendantur.

percipiuntur, h. e. non niſi alta voce ſermones proferantur, auribusque os loquentis proxime admoveatur. Germani appellant das Ubele oder ſchwer Gehör/ hominem vero tali affectu correptum ſurdaſtrum latine dicimus.

Surditatis.

Alter autem ſignificat omnimodam auditus ablationem, quæ tanta ſæpe eſt, ut ne bombardarum aut tormentorum bellicorum in propinquo exploſorum ſtrepitum audiant, Germanis Taubheit.

Cauſæ.

Cauſæ w) præter catarrhorum nimium ad aures affluxum ſunt aliquando auris externæ defectus, aliquando nimia ceruminum abundantia aut inſpiſſatio, aliquando tympani relaxatio aut dilaceratio, aliquandò ſpirituum acuſticorum defectus, vel influxus per nervum auditorium nunc ex obſtructione, nunc vitioſa conformatione denegatus.

Signa cauſarum.

Signa cauſarum ſunt, ſi à catarrhis & obſtructione nervi ab humoribus viſcidis gravis auditus, capitis gravativus dolor, aliaque catarrhoſis familiaria ſymptomata conjuncta; ſi relaxatio tympani ſit genitor horum affectuum, catarrhi, vel aquæ aut aëris frigidioris admisſio; ſi ruptio ejus, vel caſus ab alto, vel ſonus vehemens, vel alia cauſa violenta præcesſit; ſi ſpirituum defectus ex morbo acuto antecedente, vel ſenectute habetur; ſi mala conformatio nervorum acuſticorum, aut aliarum partium huic ſenſui inſervientiũ à primis incunabulis ſtatim illi erunt ſurdi.

Cura pro cauſarum diverſitate variat.

Curandi ratio ad cauſarum differentiam varianda eſt: Auris externæ defectus per volæ manus, aut alius inſtrumenti x) convenientis adaptationem juvetur; cerumina evacuentur, ſi abundant; tympani relaxatio roboretur per nervina & anticatarrhalia; obſtructiones nervi acuſtici deoppilentur per incidentia; ſpirituum defectus poſt morbum reſtituatur per analeptica, y) v. g. ambram, ſpiritum formicarum &c. mala conformatio verò tympanique dilaceratio fato committatur.

Iterum pro ſingulis intentionibus externa Autores commendant, ſcil. ſpiritum terebinth, ova formicar. contrita, aquam magnanimit. vel apoplectic. ſpiritum acuſtic. Mynſ. ambram, moſchum Zibethum, oleum infuſum ex vermiculis intra corticem & lignum ſtabulantibus, vid. *Deodatus Panth. Hygiaſtic. P. 3. p. 133.* pingved. viperinam, oleum rutæ & fraxin. infuſum, oleum amygd. amar. ol. ſuccin. corn. cerv. chamom. lign. quajaci deſtillat. ſpirit. urinæ z) aut ſalis armoniac. per inſtrumentum ab *Hoffmanno in Clav. pag. 664.* deſcriptum, adhibita. a)

§. 3.

De

OTALGIA aliisque AURIUM DOLORIBUS.

Ut animus ſit in ſubſequentibus ex profeſſo dolores examinare, nihil tamen impedit, quo minus nunc ſpeciatim de *Otalgia ſ. Dolore aurium* verba faciam. Videtur enim id atrocia ejus exigere, quæ tanta quandoque eſt, ut Hippocrate, imò frequenti obſer-

---

w) Gonf. *du Vernay Tr. de Auditu, Bartholini in Hiſtor. Anatom.* ubi dilacerata erat membrana.

x) *Vid. Nuck. in Experiment. Chirurg. p. 50. & 53. ſeqq. Nehemias Grevv. in Muſeo Regali p. 359.*

y) *Hoffm. M. Med. p. 299.* qui poſt balneum aquæ apoplect. guttas aliquot inſtillare jubet.

z) Pars etiam ſalis volatil. ſicci cum bombace applicati, proficua eſt.

a) Aurium inflammationem in milite generoſo anno 1695. Lipſiæ obſervavi; æger ne verbulum de ſymptomatibus proferre poterat, auris externè rubebat, & poſtquàm à Chirurgo attacta fuerat, univerſam corporis convulſionem producebat cum effluxu inſignis quantitate puris, & morte brevi ſubſequente: contraxerat enim morbum à vini generoſioris potu nimio.

ſervatione teſte etiam in vitæ diſcrimine verſentur, qui illo ſunt correpti.

Otalgiæ dolor ſæpe compoſitus. Eſt enim hic dolor ſæpiùs non ſimplex, ſed ex ardente, lancinante & tenſivo compoſitus, (à quo ultimo, utpotè præ reliquis familiari, Germanicum ejus nomen, der Ohr-Zwang natales ſumpſiſſe, non improbabile mihi videtur.) Deinde partem admodùm ſenſilem, maximeque cum cerebro conſentientem occupat, ex qua connexione *Symptomata* poſtmodum meningum inflammatio, delirium, febris acuta, ſenſuum internorum, inſimulque loquelæ defectus, *b*) convulſivi motus &c. generari poſſunt. Extenditur ſæpè ad fauces & gulam, ſi modò leviter lædatur à frigore externo, dum pileus nocturnus caput deſerit, *Pechlin. O. p. 320.* ex levi irritatione tympani vomitus ſequitur *Id. 16.*

Cauſæ. Cauſæ ſunt lancinationes & ſubindè inflammationes partium illarum internarum, originem trahentes mox à ſangvinis acrimonia aut craſſitie, mox à frigore hyberno, mox a contuſione aurium.

Signa cauſarum. Signa cauſarum doloris ſævitia nunc mitior, nunc effera ſuggerit, hæc, quatenus acrimoniam, illa quatenus pituitam denotat. Frigus verò hybernum imprudenter admiſſum, item contuſiones per querelas ægrotantium manifeſtantur.

Otalgiæ Cura quamdiu Inflammatio adeſt, Curatur Otalgia iisdem planè remediis internis, ut aliarum partium dolores vel exquiſiti vel nothi; adeò ut de illis nihil peculiare habeam monendum.

Notentur itaque ſolùm topica Autoribus experta, uti ſunt oleum lilior. alb. amygdalar. amar. lumbricor. terreſtr. aſellor. ſcorpion. ovor. vel ſola, vel cum albumine ovor. conquaſſata, butyr. non ſalitum, medulla crurum vituli, lac muliebre, vel vaccinum, vel ſolitarium vel cum tantillo thuris, ſucc. ſemperviv. maj. cum grano uno vel altero camphoræ, fotus ex betonicæ, chamomill. majoran. rorismarin. mentaſtri, ſerpilli vel recent. fol. tabaci, item ceparum decocto.

Cum dolor ex horum uſu nondum ceſſarit, narcotica implorari debent, ſcilicet oleum hyoſcyami expreſſum, crocus & opium, quæ cum modò recenſitis combinata divinum prorſus exerunt effectum: caveas modò, ne nimio uſu cum dolore omnem ſimul illarum partium ſenſum tollas.

Hac methodo Cura Otalgiæ eſt inſtituenda, quamdiu inflammationem ſcimus adeſſe, quandò autem illa in abſceſſum abiit, & à puris acrimonia nunc dolor dependeat, immutanda illa paululum erit, ſeligendo loco anodynorum & refrigerantium maturantia & conſolidantia. Internè decocta vulneraria, externè oleum hyperici, momordicæ, balſam. peruvian. vel ſulphuris, mel roſat. aut ſyrup. abſinth. cum lacte caprino ex commendatione *Marcelli Empirici.* Debent tamen hæc externa, quod de prioribus quoque obſervandum, ſemper calefacta paululùm auribus inſtillari, aliàs ex illis ſi dolor majus augmentum capiat, mirum non eſt. *poſtquam in abſceſſum degeneravit.*

Diſtinctus ab Otalgia eſt dolor à vermibus, vel intra aurem ex ulcere genitis vel ab extra irrepente muſca *c*) aut pulice originem ſumens. *Cura in dolore ex vermibus illapſis.*

Ut

b) Externè caput roborantia vid. *Hœchſtetter. Obſ.* applicavit empl. de tacamahaco raſo capiti toti, in ægro per longum tempus gravitate auditus laborante. Huc ſpectant evacuantia vid. *Act. Haffn. Vol. V. p. 179. obſ. 77.* Cauterium occipitio applicatum, quod ipſe in nobili à contuſione ſurditatem patiente obſervavi proficuum.

c) Si dolor à rebus auribus illapſis fuerit, v. g. ex globulo vitreo intruſo vid. *M. N. C.* à granis hordei incautè illapſis. Item à vermibus irrepentibus omnis generis, v. g. ſi ulcus in aure ſit, muſcæ ovula ibi deponere poſſunt, unde fotis his ovulis varia inſecta producuntur, it. pulices, & inſecta illa, Ohren-Würmer dicta. Singularem obſervationem refert *Stiſſer. Labor. Chym. Part. 2. cap. 4.* ſe ſcilicet vidiſſe cauponem ruſticum, in cujus aures aliquandò lacerta ſe reconderat, & per 6. annorum ſpatium ibi commorans, ut ideo ſemper lac inſtillare coactus fuerit, graviſſima ſymptomata produxerat, ſcil. otalgiam, torturam oris & ſpaſmum cynicum &c. *Binninger. Obſ. 61. C. 4. p. 456.* de ſe ipſo teſtatur aliquandò à muſca aurem intran-

Ut igitur diſcas, quid hic agendum, obſerva, illa inſecta, quæ majora ſunt, nec adeò profundè irrepſerunt, volſella commodè; quæ verò minora, ut pulex, vel crinium faſciculo intruſo, vel cum bombace terebinth. aut melle illita extrahi poſſe.

Quod ſi verò non amplius in atrio hæreant, ſed profundius ſe jam receperint, duplex iterum via adeſt curationis, nunc enim per lac cũ Saccharo edulcoratum externeque aurium meatui affrictum, aut cum ſpongiola applicatum, vel per ficus inverſas, vel lardi fruſtulum, aut ſcorpionum oleo eliciuntur; nunc ſi illecebris his ſe allici non patiantur, per amara & acria, ſuccum ac decoctum abſinthii, centaur. minor, mentaſtri, fol. perſici, rutæ, fel animalium, aloën, colocynthidem, ſuccum ceparum, oleum lign. coryli in ipſis auribus interficiuntur, & poſtmodum auriſcalpii *d*) ope facilè educuntur.

Caput XVII.

De OLFACTUS AC GUSTUS VITIIS.

De CORYZA.

Ratio cur olfactus & Guſtus vitia conjunxerit.

Quod duplicis hujus ſenſus vitia conjunctim ſiſtam, deſines mirari, ſi reſciveris, guſtum vix unquam lædi, niſi forſan in ictero, ubi omnia amara: & in febribus, *e*) ubi iterum vel amara vel nullius ſaporis judicantur: & tandem in *Coryza*, à qua & ſimul odor afficitur.

Coryzæ deſcriptio ac diviſio in Humidam, & Siccam.

Coryza autem hæc alio nomine *Gravedo*, Germanicè der Schnuppen dicta, nihil aliud eſt, quàm catarrhus ad horum ſenſuum organa depoſitus. Dividitur autem non male in humidam & ſiccam; In humida ſeroſus liquor continuò è naribus, ore & oculis effluit, vocatur Coryza der flieſſende Schnuppen/ & conjungitur non raro tuſſis, cephalalgia, hæmorrhagia narium &c. E contra in ſicca nihil quicquam, ſæpiùs etiam cum maximo conatu, emungi poteſt; dicitur Gravedo der Steck-Schnuppen. Adeſt ſiccitas oris, imprimis in meatu è naribus ad palatum ducente, Cephalalgia &c. præcedunt omnia ſymptomata catarrhorum, laſſitudines artuum, febris, tenſiones dorſi & articulorum, gravativus capitis dolor, vertigo &c. reſpiratio per nares impeditur, olfactus & guſtus deperditur.

Cauſa differentiæ hujus.

Cauſa differentiæ hujus quærenda eſt in acrium ac ſalinarum particularum catarrhos conſtituentium tegmine. Illud enim ſi tenue ac fluidum eſt, facilè per glandulas lacrymales, aut ſub narium vel palati tunica latitantes; Imò etiam per proceſſus mammillares, oſſisque cribriformis tubulos, (quicquid cum *Schneidero Tract. de Catarrh. & oſſe cribriformi* alii in contrarium dicant) ſecerni poteſt: Secus ſi viſcidum fuerit ac inſpiſſatum, tùm enim ob nimiam craſſitiem ineptum non poteſt tranſire tubulos exiguos glandularum, ſed illos oppilando ſiccitatem gignit in naribus, ac meatu ad palatum ſæpiùs ſummè moleſtam, imprimis cum ſalibus abundet ſubjectum.

Ratio Symptomati[um].

Ex eodem fundamento & reliqua ſymptomata proveniunt, ſcil. reſpiratio per nares impedita, olfactus deperditus cum gravativo capitis dolore.

Cauſæ occaſionales.

A quibusnam cauſis externis & occaſiona-

---

te ſe atrocia paſſum mala. Si itaque vermis irreſperit, videndum, an inſtrumento retrahi queat.

d) Extrahuntur animalcula enecata apparatu ab *Hildan. Obſ. p. 6.* delineato.

e) Conferantur *Schenckii Obſervat. it. Borrich. in Act. Haffnienſ.* de febre maligna, ubi omnia alimenta dulci ſapore fuiſſe prædita referebat æger.

ſionalibus contrahatur hic affectus, omnibus notum eſſe credo, cum nemo forſan ſub climate noſtro vivat; qui hyberno tempore ex calido hypocauſto aperto capite in frigidum ſe recipiens locum, aut vice verſa cum frigido aëre ſubitò commutans calidum, illum non aliquando paſſus ſit.

Cura. Methodus medendi eadem, qualis in aliis affectibus catarrhalibus h. e. modò per evacuantia, modò per incidentia inſtituenda eſt.

Pro ſcopo tamen reſolvendi *f*) viſcidum mucum excellit Spirit. Salis armoniac. aut alius ſalis volatilis odor, item majorana cum flor. lilior. convall. tabaci foliis, aut hellebori nigr. radice ſub ſternutatorii pulveris formâ naribus inſufflata, vel balſamus vulgò apoplecticus, naribus illitus.

Pro ſcopo incraſſandi in humida coryza conferunt ſuffitus gummi elemi, ſuccini, maſtich. thuris, tacamahacæ &c. ſeminis nigellæ toſtæ odor, vid. *Pauli Quadrip. Botan. p. 291.* vel cornuum ungularumque nunc raſpatarum, nunc accenſarum fœtor *g*).

Caput XVIII.

De VITIIS CIRCA TACTUM.

§. I. De Tactu Imminuto.

Plerumque particularis eſt. Seqvuntur tandem tactûs vitia & quidem in hoc paragropho *Tactus imminutus* ſeu *Stupor*, de quo ſciendum, rariùs illum in omni tactus organo, ſed utplurimùm in una tantùm aut altera ejus parte notari.

Cauſa in Spiritibus Cauſa partim vitio ſpirituum eſt adſcribenda, partim organi ipſius.

Vitio ſpirituum, quando hi non debito modô influunt, vel ob defectum vel narcoticorum abuſum, vel viam à paralyſi, apoplexia aut frigore externo occluſam.

& organis hæret. Organorum *h*) verò vitio, quando illa vel exſiccata, aut calloſa à nimio labore facta ſunt, quale quid in ruſticorum aut bajulorum manibus aut pedibus obſervari poteſt.

Cura. Quoad curam nihil addo, præterquam quod in prima cauſa tactus imminuti *ad §phos de Lipothymia & Syncope*, in altera *ad §phum de Sapore*; in tertia *ad §phos de Pernionibus* item *Sphacelo*, in quinta *ad §phos de Hectica aut de Callis* remittam, utpotè in quibus ſufficiens materia medica pro ſingulis indicationibus continetur.

f) Euphorbium eſt ſummum rheumaticum, habet acrimoniam ſummam quaſi urentem, ejus tamen acrimonia temperatur per amyli partem mediam ad part. j. Euphorbii, & ſub quantitate lentis naribus immittitur vid. *Helvvig. o. 58. Schol. Rolfinck. Tr. de Purgant. S. 4. annot. 3.* Ex mineralibus reſolvunt etiam vitriol. album, alumen, ſoluta in aqua & naribus immiſſa; *Zech. Conſil.* laudat mannam in aqv. ſalv. ſolutam, it. aqv. Regin. Hungar. aut alia ſpirituoſa naribus immiſſa, aut ſal volatile naribus admiſſum v. g. ſpirit. ſalis ammon. cum calc. viv. corn. cerv. &c. penetrant enim nares, & in momento quaſi reſolvunt.

g) Quod ſi tandem eroſio narium adfuerit, lac bubulum naribus inſperſum illam curabit.

h) Organa tactus ſunt papillulæ minutiſſimæ nerveæ cuti intertextæ, quæ humectatæ debitè à ſero transmiſſo diſponuntur, ut objecta externa ſentire queant, ita enim diſpoſitæ ſunt, ut pro diverſa modificatione objecti tangibilis ſpiritus his inhabitans diverſimodè affici poſſit.

§. 2.

De

DOLORE.

SÆpius hinc & indè de *Dolore* ſermonem feci, nondum tamen, quantum memini in ejus naturam accurate inquiſitum eſt: debuit præterea in hoc capite id fieri, præprimis cum ille externas partes occupans, tactum ſæpisſime adeò reddat exquiſitum, ut res licet mollisſimas ac levisſimas, non tamen niſi ægrè ac ſumma cum moleſtia ferat.

Dolor in quo conſiſtat?

Formalitas doloris ex omnium conſenſu in moleſta quadam ac triſti ſenſatione conſiſtit, quod cum in vulgus etiam notum ſit, prolixiùs non deduco.

Subjectum ejus duplex.

Subjectum ejus duplex eſt, unum organicum, hoc eſt, fibræ tàm carneæ, quàm membranoſæ & nerveæ; ex illis tamen membranoſæ cum nervoſis longè exquiſitiore ſenſatione præditæ ſunt præ carneis. Alterum ſubjectum primarium eſt, & dicitur ſpiritus ſeu noſtrum vitale principium: illud ipſum namque eſt, quod fibras illas inhabitans, commotum ac affectum ſentit moleſtiam. Sentit autem illam pro cauſarum differentia

Variat pro cauſarum differentia.

variam, modò ardentem, modò gravativam, modò lancinantem, modò tenſivam, modò pulſatoriam, modò ex his mixtam. Dixi pro cauſarum diſcrepantia variare ſenſationem hanc moleſtam, quod ex ſpeciali uniuscujusque doloris ætiologia nunc probatum dabo.

Cauſa doloris ardentis

Scilicet doloris ardentis cauſa interna inflammationi debetur; non igitur mirum, ſi formalitas ejus in ardore, **in Brennen und Hitzen** conſiſtat.

gravativi

Dolor gravativus cauſam agnoſcit ſeroſum ac pituitoſum humorem, vel ſangvinis abundantiam ſtagnantem in aliqua parte, hinc pondere tantùm moleſtus eſt, **es druckt nur oder macht ſchwer.**

lancinantis

Dolor lancinans (aliàs etiam punctorius, rodens ſeu terebrans) gignitur ab acrimonia humorum vel à vermibus, quatenus ſpiculis ſalinis vel roſtellis lacerantur partes hæ, unde dolor quaſi diſcerpens excitatur, qui meritò germanicè **reiſſender oder ſtechender Schmertzen** appellatur.

tenſivi

Dolor tenſivus pro cauſa habet contractionem & ſpaſmum nervorum, vel ſaltem nervoſarum partium, eoque etiam partes huc ſuſtinentes moleſtiam talem percipiunt, qualem membra ligamento quodam conſtricta, **als wären ſie geſpannet.**

pulſatorii

Dolor pulſatorius dependet à ſangvinis impetuoſa irruptione in partem, **es klopfft und pocht darinn.**

Mixti.

Mixtus tandem dolor ex binis aut pluribus adhuc multifariè compoſitis emergit, v. g. ex ardente & lancinante, & tenſivo in catarrhalibus affectibus.

Cura doloris in genere

Pro cura doloris in genere ſcire convenit, univerſale indicans in omnibus ejus ſpeciebus eſſe, ut ſpiritus ſedentur, adeòque non poſſe errari, modò tale remedium, quod anodynum vel narcoticum dicitur, (inter quæ crocata & opiata, *i*) & pro uſu externo hyoſcyamus, ſolanum & mandragora eminent,) exhibeatur. Aſt cùm circumſtantiæ non modò innumeræ, ſed etiam ipſa cauſa doloris ſæpius vel planè contraindicent, vel ſaltem non niſi ſummo cum judicio narcoticorum uſum admittant, tradam nunc alia remedia, quibus cauſas occaſionales tollendo illis in caſibus nihilominus poſſumus intentionem noſtram obtinere.

in ſpecie.

In dolore ardente igitur adhibe inter-

---

i) Cum prudentia verò adhibita ſunt divina remedia. Nunquam tamen niſi urgente cauſa, doſes opiatorum augeantur. Si nihilominus dolor ſæviat, non aberrari poteſt in doſi, quamdiu enim dolor adeſt, tamdiu in doſi ordinaria vix aberrari poteſt, nam ſi dolor ad primam doſin non cedat, altera, imò & hac irrita, tertia, quarta &c. dari poteſt e. g. niſi in arthritide vaga, Podagra &c. ita procedamus, vix aliquid poſſumus. Si tamen dolorem ſentiens æger ſomnum capere incipiat aut ſtuporem, omninò deſiſtendum eſt ab opiato, quia in ſomno ſopitur dolor.

ternè diaphoretica & reſolventia, item nitrata, aliaque ſulphurea cum refrigerantibus vulgò dictis, ſem. nempe quatuor frig. maj. ſacchar. ſaturni, camphoram & externè ſpiritum vini camphoratum, flor. ſulphur. in vino coctos, tinctur. croci &c.

In dolore gravativo utere pro cauſarum neceſſitate, reſolventibus, v. ſ. aut aliis ſangvinem vel ſerum evacuantibus.

In dolore lancinante pro acrimoniæ natura locum habebunt jam terrea, jam ſalia fixa aut volatilia, jam acria, jam alia.

In dolore tenſivo antiſpaſmodica uſurpentur, liqv. corn. cerv. ſuccinat. cinnab. antimon. ungul. alcis &c. aut quæ ſpaſmi excitati occaſiones removent.

In pulſatorio venæ ſectiones cum aliis orgaſmum ſangvinis compeſcentibus in *§pho de Scorbuto*, & modò in dolore ardente maximam partem recenſita convenient.

In dolore mixto, prout doloris cauſæ, ita etiam medicamenta ſint mixta.

§. 3.

De

Dolore Capitis.

Cephalalgia omnem in genere capitis dolorem denotat.

Placet, cum jam de Dolore in genere dixerim, nunc *Cephalalgiam ſ. capitis dolorem* ſubnectere. Volunt hoc nomine Autores omnem capitis ſenſationem triſtem in genere ſumtam. Specificis enim titulis illos dolores, qui in media tantum parte, vel ſuperiore, vel circa frontē, aut aliis in locis obſervantur ſcilicet per Hemicraniam, Galeatam paſſionem, Ovum, Nucem, Clavum indigitant, quemadmodum hoc ex *Sennerti Pr. lib. 1. P. 3. Sect 1. c. 3. & Foreſto lib. 9. obſ. 62.* videri poteſt.

Varietas ejus quomodo cognoſcatur.

Varius autem omnis capitis dolor eſt, ex ægrotantium tamen relatione & ſignis *§. præcedente* datis facile cognoſcitur.

Cauſæ remotæ & occaſionales.

Occaſionales & remotas cauſas Cephalalgiæ conſtituunt pro dolore ardente excitando, eryſipelas, vulnus capitis, contuſiones, *k)* mora in radiorum ſolarium æſtu; pro gravativo coryza aut alia ſanguinis intemperies, item plethora; pro lancinante aſſumpta, vel cum aëre inſpirata ſalia acria; pro tenſivo cruditates ventriculi, *l)* lienis, inteſtinorum ac renum vitia, vertebrarum luxationes, hyſterica paſſio, frigus hybernum; pro pulſatorio ſcorbuticus ſanguis, animi pathemata & ſpirituum commotiones inſvetæ, excandeſcentia ſcilic. ac febris: pro mixto cauſarum diverſarum concurſus.

Cura.

Facilè nunc ingenioſus Medicus inveniet remedia, modò priùs compertas habeat cauſas, pro quarum inquiſitione accurata nervum omnem intendere debet, nî ſpe ſuá ſæpiùs fruſtrari velit, vid. de hac materia Diſputat: meam de Cephalalgia.

Caput. XIX.

De

AFFECTIBUS SENSUUM INTERNORUM.

§. 1.

De

Memoriæ Læsione.

Cum

k) Si contuſio præceſſerit capitis, læditur pericranium, hinc ob connexionem ſimul afficiuntur meninges, unde inflammatio, dolor capitis, deliria.

l) Cephalalgiæ cauſa ex crapula duplex eſt 1. vel acrimonia cum potu aſſumpta, & maſſæ ſangv. admixta; vel 2. cruditates ſtomachi, quoniam ab abundantia potus in digeſtione impediuntur ſpiritus, quo minùs ea rite ſuccedere queat.

Memoria quid ſit.

CUm memoria illa ſit ſpirituum functio, quæ ideas per ſenſoria externa receptas aſſervat, ac ſuo tempore iterum reddit, ægerrimè homines ejus vitia ferunt, cum ad ſtudia non tantùm, ſed negotia alia, uno verbo ad omnem civilem converſationem per illa fiant inepta.

Læſio ejus triplex.

Triplex hæc eſt læſio, una quando difficulter ſpiritus ſuſcipiunt ideas externas, ſuſceptas tamen ſemel tenaciſſimè poſt retinent ſine omni penè oblivione; altera ubi promptè cuncta vel lecta, vel audita imprimuntur, poſt iterum tamen brevi delentur: tertia, quando nec recipiuntur nec aſſervantur per ſenſoria communicata, quod vitium omnium peſſimum eſt.

Cauſa primæ ſpeciei.

Cauſa in ſpiritibus latet, qui in prima ſpecie ſegnes & torpidi ſunt, (quod plurimùm ob cruditates pituitoſas in ſangvine ſtabulantes) adeoque non niſi lento paſſu ad idearum apprehenſionem accedunt; quoniam verò ob eundem torporem non facilè ab aliis novis ac peregrinis ideis diſtrahi ſe patiuntur, firmiter, quæ ſemel receperunt, retinent.

Alteræ ſpeciei

In altera ſpecie contraria eſt ſpirituum conditio, ſcilicet nimiùm ſunt agiles promptique ad ſuſcipienda ea, quæ offeruntur: dimittunt tamen ex eodem fundamento citiſſimè cuncta, quatenus nempè repetitionem negligunt, unicè de novis objectis ſolliciti.

Tertiæ ſpeciei

In tertia ſpecie vel deficere ſpiritus, vel in gradu ſummo ſegnes eſſe videntur, cujus cauſa vel virium naturale decrementum in ſenio, vel catarrhi ad caput depoſiti, Paralyſis poſt Apoplexiam levem, vel contuſiones capitis aut vulnera, aut extenſiones fibrarum, occalleſcentia vel ſiccitas fibrarum cerebri, aut corrugationes, niſi forſan malitia ſubſit in pueris, ſic ut ex negligentia magis, quàm ſpirituum vitio, nihil attendant ac repetant.

Cura.

Cura deficientis memoriæ partim indirecta eſt, nempè quæ occaſiones tantùm horum vitiorum removet: partim directa, quæ ſpiritus à torpore excitat, & deficientes reſtituit.

indirecta per remotionem cauſarum occaſionalium.

Quoad occaſiones, tantùm loquor phyſicas v.g. catarrhos capitis & diſſipationem ſpirituum per veneris abuſum vel nimium ſtudium, labores, inediam &c. *Zacut. Luſit. M. P. H. p. 219.* moralium namque remotionem, malitiam puta puerorum & negligentiam, pædagogorum curæ relinquimus.

Catarrhorum Curam obtinebis incidentibus, & evacuantibus aliquoties in præmiſſis affectibus datis, in præſenti tamen morbo experta ſunt Autoribus errhina, maſticatoria *m*) & lotiones capitis ex lixivio cum plantis cephalicis decocto.

Circa coitus ſtudiique abuſum nihil aliud de Medici officio erit, quàm remonſtrare noxam exin oriundam, moderatamque illorum uſurpationem commendare.

directa per Spirituum excitationem ac reſtitutionem.

His præmiſſis ad Curam directam deveniendum, ubi pro torpidis ſpiritibus excitandis frictiones capitis, ac artuum quotidianæ, deindè aromata aſſumta, v.g. ſem. ſinapi, erucæ, cubeb. cardamom. nuc. moſchat. cinamom. caryophyll. mac. piper, zingiber, aut ex floribus. lavendulæ, anthos, ſtoechad. arab. ſpicæ nardi, lilior. convall. meliſſæ, *n*) ſalviæ &c. inſerviunt.

Pro roboratione externè lavamenta capitis *o*) ex nervinis & adſtring. facta, it. oleo nuciſtæ, coſti, ſpicæ, lavendul. majoranæ, macis, cinamom. caryophyll. nardi, juniperi, rutæ, roriſmarin. jaſmini vel cum ſpiritu vini anthoſat. meliſſato, aut de aliis ſpeciebus fragrantibus abſtracto, conveniunt; ſicuti interne aqua magnanimitatis, vel aquæ aliæ, eſſentiæ vel tincturæ ſpirituoſæ cum ambra, moſcho ac zibetho, vel confect. Alkermes *p*) &

---

m) *Zacut. Luſit.* multis verbis *Prax. l. 2. p. 219.* remedium divinum ad memoriam commendat, quod conſtat ex gargariſmat. & ex vino infuſo cum Zedoar. &c.

n) Infuſum meliſſæ, antequàm floreſcat ſæpê proficuum expertus ſum.

o) Lavamenta pedum & capitis ex nervinis & roborantibus facta *vid. Ficinus de tuenda Studioſorum ſanitate.*

p)& anacardina, infuſ. beton, ſem. & rad. pœoniæ.

§. 2.

De

MELANCHOLIA,

Germanicè

Schwermüthigkeit.

Melancholiæ Deſcriptio. INter phantaſiæ errores primum aſſignamus locum *Melancholiæ*, triſti illi & calamitoſo morbo, qui ſuos clientes penè omni humanitate exuit, efficiendo illos ſolitudinis amatores, meticuloſos, triſtes, lacrymabundos ac gemebundos, anxietatesque ſibi ſæpiùs adeò horribili ſub larva fingentes, ut etiam proprias manus violentas, quo faciliùs à conceptis miſeriis liberi fiant, inferre ſibi non vereantur.

Cauſa proxima, Cauſa proxima eſt idea ſummè triſtis & meticuloſa, ſpiritibus firmiter impreſſa & continuò ab illis agitata & repetita.

Occaſionalis. Occaſiones ſuggerunt adverſitates variæ (imminentes pariter, ac præteritæ & præſentes) nunc in corporibus ægrotantium, nunc in bonis fortunæ, aut Theologicis, quas ſuperare pro abſolutè impoſſibili habent. In corpore occurrunt ventriculi, ac inteſtinorum cruditates, ſive malum hypochondriacum inveteratum, (à quibus cauſis Melancholia cum additamento hypochondriaca *q*) appellatur) aut ſcirrhus lienis vel epatis, vel pancreatis vel meſentericarum glandularum omenti, vel uteri, aut tandem vermes in inteſtinis copioſè hærentes, vel alii affectus chronici.

In bonis fortunæ, ac Theologicis ſunt cauſæ divitiarum, amicorum, conjugis, liberorum, bonæ famæ, aut etiam gratiæ divinæ amisſio; & quæ ſunt aliæ penitus innumeræ.

Cauſæ quomodo indagandæ. Pro cognitione cauſarum juvat ſciſcitari ex ægrotis, aut potius à neceſſariis & adſtantibus, cum horum fides non tuta ſit, num moleſti *r*) quid in corpore, & quonam in loco illud percipiant, & ulterius, ſi aliquam moleſtiam affirment, num ante conqueſti ſint de illa, quàm hoc malo corriperentur: ubi verò negaverint id, num forte dura fatorum, vel ſatanæ tela in fortunæ bonis aut conſcientia ſentiant. Cerni enim ſic tanti morbi ſcaturigo facili negotio poteſt.

Cura difficilis. Sed licet ſic perfectè occaſionem didiceris melancholiæ, res tamen ſi non planè exſuperans vires tuas, plena tamen laboris erit, illam præprimis, quæ ex ſolis animi pathematibus provenit, tollere. Quamdiu enim continentes cauſas non ſuſtuleris (impoſſibile autem eſt factum infectum reddere, & v. g. demortuos in vitam rurſus revocare, aut bona amiſſa reſtituere) tamdiu in remotione hujus morbi operam, ut in proverbio ajunt, & oleum perdis. Hiſce igitur in caſibus, jubeas neceſſum eſt, accerſatur facundus divini verbi Præco, qui ex ſacris literis dolorem leniat, mentemque ægram gratis demulceat ſolatiis: tu verò fac, *s*) cauſas occaſionales phyſicas, *non tamen omnino impoſſibilis.* cruditates ſcilicet primarum viarum, ſcirrhos, vermes, & cæteras per conſvetam, ac ſingulis affectionibus convenientem methodum removeas, ſpiritusque analepticis v. g. vino generoſo, borraginis, bugloſſæ, tunicæ & meliſſæ floribus, ambræ eſſentia, confectione alkermes ac croco, aliisque confortantibus robores, aſtu demùm ac dolis bonis: Sique nec his remediis auſcultent, ſcu-

---

p) Optima quidem ſunt, ne tamen quid nimis, aliàs nervi exſiccantur, & tranſitus ſpirituum inhibetur.

q) *vid. Malach.* Geiger/ *pec. Tractat.*

r) Sæpè Melancholici vix laborant morbo, præterquàm quod non credant ſe eſſe ſanos, quando ſcilicet ſolùm idealis morbus eſt, & tunc juxta *Celſum* nunquam curantur ii, qui ſemper curari volunt, & juxta Lipſ. Melancholici non feliciùs quàm diæta ſanantur, & quiete.

s) In curatione obſervetur, ut Medicus fiduciam apud ægrotantem conſervet, de his conf. *Tulpius L. 1. Obſ. 11.* juxta *Celſum* ſemper aſſentiendum eſt Melancholicis, nunquam verò contradicendum.

ſcutica, *t*) ferulis aut alio apparatu pro ingenio ægrotantium abſurdam hanc ideam excuties, Conf. *Pechlin. Obſ. p.* 448. Facit huc experimentum *Roberſoni à Fr. Merc. ab Helmont. Tr. de Homine ejusque morbis p.* 33. adductum, qui aquæ immergens miſeros ipſis ideam delirii eximit.

§. 3.
De

DELIRIIS.

Delirii formalitas. ERrant in hoc malo iterum Spiritus in combinatione idearum, ſed diverſo, ſi non planè contrario modô, quàm in Melancholia, dum ſcilicet non æquè ſegnes ſunt, nec circa unicum objectum tantùm verſantur, ſed pluribus ſimul inhærent, Probatur hoc ex actionibus, & ſermocinationibus omninò abſurdis & inconvenientibus, in quibus delirii formalitas conſiſtere videtur.

Variæ ſpecies. Varias equidem delirii ſpecies tradunt Autores, nos tamen tantùm agamus de illa deſipientia, quæ vel à nativitate, vel ex ſuperbia, aut alio vitio naturali oritur, & in qua regem ſe v. g. aut mercatorem prædivitem eſſe credunt, cum tamen Irô ſæpius ſint pauperiores, & ad ſubulci functionem magis apti, quàm imperii adminiſtrationem. Deinde etiam ſub delirii nomine illam phantaſiæ anomalam actionem intellectam volo, quæ ex ſola ſpirituum confuſione & impetuoſo motu eſt.

Cauſa deſipientiæ naturalis. Cauſa deſipientiæ naturalis parentibus debetur, qui vel in principio ſtatim generationis ineptas ejusmodi ideas communicant, dum ebrii v. g. officium conjugale præſtant, & cum mater geſtationis tempore morionem videns, ideam in fœtum transfert, vel quandò in educatione negligentes ſunt, nec converſationem cum ſtolidis, ſuperbis &c. impediunt, prout *Plutarchus in ſuo de Puerorum Educatione* hoc eleganter pluribus deducit.

Delirii acquiſiti occaſiones. Deliria verò ex ſpirituum confuſione agnoſcunt ut occaſiones animi pathemata vehementiora, v. g. iram &c. vel aſſumpta ſpirituoſa, ſpiritum vini, vinum, cereviſiam; vel morbos, febres loquor, inflammationes, hyſtericam paſſionem, agrypniam, dolores quosvis &c. Paucis omnia, quæ turbant & exagitant ſpiritus, vim habent ad delirium redigendi eosdem.

Cura delirii naturalis. Circa Curam ſciendum eſt, deſipientiam à nativitate aut animi vitiis, ſi chronica evaſerit, rariùs aut nunquam medicam manum admittere, ſed niſi admonitiones, increpationes, verbera ac incarcerationes opem ferant, malum penitus eſſe deſperatum.

Symptomatici. In deliriis ſymptomaticis tamen, quæ febres *u*) ſequuntur aut inflammationes, poſt venæ ſectionem hypnotica & refrigerantia tibi commendata ſunto, illaque vel interna vel externa.

Inter interna eminet nitrum, ſacchar. ſaturn. Antihect. Poter. bezord. Jovial. & alia in inflammationibus, & febribus recenſita, it. eſſent. flor. hyper. & anagallidis flore purpureo, utpotè in quibus ſingularis vis anodyna latet; quibus Spiritus Vitriol. philoſoph. cum opii eſſentia maritatus accenſendus.

Pro uſu externo inſerviunt anſerina pedum plantis applicata, vid. *Pauli Quadripart. Botan. p.* 206. vel Cephalicum illud externum Langii (paratum ex filtrato aceto vini ſuper caput mortuum vitrioli probè anteà edulcoratum) ſaltem naribus admotum, vel inunctio capitis cum oleo violarum frigido & oxyrhodino, vel pulli columbini viventes diſſecti & dum cruorem adhuc calidum ſtillant, capiti raſo applicati, vid. *Sennert.* vel veſicatoria, vid. *Act. Haffn.* it. plantis pedum applicata acria.

Quod ex vigiliis vel hyſterica paſſione naſcitur delirium, ceſſabit remotione

t) *Pechlinus* de empirico notat, quod metu vel verberibus plures melancholicos reſtituerit.

u) Si febris intermittens fuerit, præ reliquis cort. peruv. rite adhibitus eſt antipyreton & delirium ſedans. In mal. & continuis febribus alexipharmaca & bezoardica it. diluentia pro cauſarum diverſitate optima ſunt v. g. bez. min. jovial. it. nitrum ac nitrata, ligant imprimis hæc ſpiritus in motu nimio conſtitntos.

ne horum affectuum, de quibus ſuo loco.

ex aſſumtis ſpirituoſis pronati. Reſtat adhuc ex aſſumptis Spirituoſis geniti delirii medela. Rarius equidem à Medicis poſtulatur illa, quandoquidem capto ſomno ordinariè iterum Spiritus fiunt pacatiores, interim tamen, ſi in reſipiſcentiæ mora periculum ſit, ope horum remediorum ſubitò omnis ebrietas demitur, ſcilic. ſi frontale applicetur ex capite mortuo vitrioli & acet. roſac. vid. *Lang. Miſcell.* aut ſi in mixturam ex ſucc. ſempervivi maj. aceto acri, & nitro ſcrotum cum pudendis partibus immittatur, ſi vir ſit ebrius, vel ſi hæc cum linteaminibus mammis ſuperponâtur, ſi pro fœmina conſilium petatur Conf. *Henr. ab Heer Obſ. Med. 19.* Aliàs pro arcenda & impedienda ebrietate braſſicæ folia grandia in aqua frigida macerata, capitique circumligata *Fontanus laudat in Pr. l. 1. c. 8* Sed quis, quæſo, ſine ludibrio, ſic coronatus aſſidebit combibonibus? Conſultius itaque erit, pro diureſi promovenda ſpirit. ſalis *vv*) vel ſalis ammon. *x*) aut oleum tartar. p. d. ante & inter potandum aſſumere, vel ex *Plateri* conſilio pulverem hirundinum combuſtorum. Commendantur etiam ab aliis amygdalæ amaræ, oleum vel comm. vel amygdal. ad ℥j. vel braſſicæ decoctum, vel lac *y*) jejuno ſtomacho hauſtum &c. cum tuta ejus diei compotationis pollicitatione: Sæpiùs tamen hiſce experimentis fidentes cùm viderim citiùs inebriari, quàm alios; non adeò magnis extollere poſſum laudibus, nihilominus, ne ſine omni ſolatio maneant Oenophili, ipſis potus thee, dum adhuc vinum in corpore ebullit, largiter propinetur.

§. 4. De MANIA.

Est equidem Mania nihil aliud, quàm ſummus delirii gradus, ſed nunquam cum febre, attamen cum aliis horribiliſſimis ſymptomatibus ſtipatus. *Symptomata Maniæ.* Scilicet adeſt in illis audacia ſumma cum robore planè ineffabili, ita ut catenas etiam ferreas, quæ ad compeſcendum furorem injectæ erant, diffringant, & integros cœtus armatorum aggrediantur citra metum. Præterea & incredibilis vigiliarum ac frigoris tolerantia, ciborumque abſtinentia, vel alio tempore nimia voracitas in illis occurrit. Tandem vel nimium ſunt loquaces ac vociferantes, vel è contra nimium taciturni, nec verbulum ullo modo extorqueri ſibi patiuntur.

Cauſa proxima. Cauſa quandoque eſt ab obſeſſione cacodæmonis, *z*) qui ex ſupremi Numinis permiſſu in tantum furorem rapit miſeros homines, & hi κατ᾽ ἐξοχὴν, obſeſſi, vel dæmoniaci dicuntur, majorique olim frequentia in palæſtina occurrebant, quàm, Deo ſint grates, in no-

w) Aliqui adſtringentia & acida laudant v. g. ſpirit. ſalis dulcem Hoffmannus pro ſcopo orific. ventriculi conſtringendi, ne ſcilicet exhalationes dictæ ad caput ferantur, quod tamen ita non procedit. Proſunt equidem ſed agunt potius transcolationem per primas vias impediendo, ita, ut potulenta potius per alvum dejiciantur. Imò ſi modò alvus liberior fiat in præſente jam ebrietate, tunc illa tollitur.

x) Præſervativè agunt contra ebrietatem v. g. volatilia *Dav.* von der Beck extollit ſpiritum ſalis ammon. (den Sauff-Spiritum) quatenus acidum vini inebriativum eſſe putat, hinc illud præcipitare contendit, ex alio tamen fonte eſt hujus remedii actio, nempè quatenus diureſin promovet, & in acido non eſt vis inebriativa, cum dentur inebriativa minùs acida.

y) Aliqui lac (oleum aliquod) in magna quantitate priùs antè potationem hauſtum commendant vid. *Plater.* ab aſcenſu partium ſpirituoſarum per gulam ad caput inebriationem excitari autumantes, hinc per oleoſa hæc exhalationem impedire ſtatuentes, quatenus olea ſupernatent. Ego verò ſæpè obſervavi ab aſſumptis oleoſis ante potum fuiſſe obortos vomitus crebriores, undè non mirum, pulſam fuiſſe ebrietatem.

z) De diſtinctione Dæmoniacorum à Maniacis conf. *Tr. Jordani c. 35. de eo quod eſt divinum in Medicina.*

noſtris oris. Quandoque tamen ex ſolo ſpirituum furore provenit hoc malum, hinc robur illud ingens, hinc vigiliæ diuturnæ, frigoris tolerantia cum aliis ſymptomatibus deducenda ſunt.

Antecedens. Cauſæ antecedentes ſunt ira, amor, injuria agrypnia ex curis, vel inflammatio partium ſenſatarum, uteri, meningum, diaphragmatis, vel dolores exquiſiti, cardialgia, cephalalgia, malum hypochondriacum, vini potus largior, æſtus radiorum ſolarium, nimia diaphoreſis.

Signa Cauſarum. Signa cauſarum ex delirio ipſo habentur & ſpeciatim dæmoniaci diſtinguuntur ab aliis furioſis, quod blasphement, præterita aut futura incognita, item lingvâ peregrinâ proferant, & intelligant, qualia Maniacis ex altera cauſa accidunt.

Cura. Curam dæmoniacorum Theologis relinquimus, qui ſolis ardentibus precibus ad *Chriſti* & diſcipulorum ſuorum imitationem hospitem illum importunum exturbare valent.

Sed altera *maniæ* ſpecies forum ſpectat noſtrum; Fatemur autem perquàm difficilem eſſe curam, ſi non alio, tamen ex immorigeroſitatis ægrotantium puncto; interim tamen adhuc posſibilis eſt, modò talia in uſum tempeſtivè vocentur, quæ ſpiritus furioſos ad pacatiorem ſtatum, etiamſi id cum illorum ſumma deſtructione fieri debeat, componunt. Loquor hic arteriotomiam ex *Panaroll. Pentec. 1. Obſ. 29.* aut Venæ Sectionem ad animi usque deliquium celebratam, (ſexagies venam tundit *Plater. Pr. T. 1. c. 3.*) vel vomitoria & purgantia vehementiſſima ex mercur. vitæ, Syrupo emetico, helleb. alb. & nigro (prima vice infuſum ʒj. in vino ſine ebullitione, ſecundò cum ebullitione, tertiò cum expresſione *Velſch. Obſ. 15.*) vel colocynthide &c. aut diaphoretica, *a*) Spirit. analeptic. Hartmanni, Miſtur. ſimpl. Salivationem mercurialem laudat *Rolfinc. Conſ. 8. l. 2.* Trepanationem *Hartm. Pr. Chym. c. 3. l. 2.* item ſpecificum illud ex ſangvine *b*) aſini pone aures elicito.

Internè convenientisſima ſunt Opiata cum nitratis, ſaturninis & camphoratis, quorſum ab Autoribus adeò deprædicatum refero decoctum flor. hyperic. & anagallidis; ſiſtunt enim cuncta ferociam ſpirituum. Impetrabitur idem hoc ab externis refrigerantibus, & narcoticis capiti admotis, v. g. ex mixtura aqu. roſar. cum opio & croco, vid. *Thoneri Conſil. Med.* ex cancris vivis contuſis cum aceto, ex nymphea alb. papaver. chamomill. roſar. lilior. alb. & flor. verbaſci.

Si quis ſpecifica expetat, habebit in hoc morbo cerebrum canis & arietis nigri ex *Grembſii* & *Hoffmanni* præſcripto: vereor tamen, ne pollicitis divites caſſa ſpe ludant, nimium qui fident illis, cum perquam lubrico ſignaturæ puta fundamento innitantur.

§. 5.
De
HYDROPHOBIA ſeu RABIE CANINA.

Rara ac inſimul perquam miranda hæc eſt delirii ſpecies, etenim illa correpti aquam vehementer metuunt ac formidant, nec propterea, ſi gradus hujus mali fuerit ſummus, manus lavare vel ſitim potulentis extingvere audent. Præter hæc mala alii ex his nihil ſentiunt incommodi, *c*) alii è contra perfecta ra- *Deſcriptio.*

a) Fruſtra fermè adhibentur, quoniam ſtragula haud ferunt Maniaci.

b) Huc enim ſpectat remedium *Hartm. Prax.* ſpecificum ex ſangvine aſini menſe Martii elicito, latet in eo lentor & viſciditas tanta, ut ſemel exſiccatus ſangvis nullo modo in fluorem redigi poſſit: hinc ſangvini rapido frenum injicere poteſt. Quare magis convenit Maniacis ab excandeſcentia & furore ſangvinis exæſtuante, quàm ſi malum ab hypochondriaco malo &c. fuerit. Adhiberi etiam poteſt ſangvis aſini linteo exceptus & potui ordinario infuſus. Novi aliquando profuiſſe eundem in infuſo cum eventu felici.

c) Præter aquam nihil formidant, de cætero ſani ſunt, quale experimentum ipſe novi, qui nihil niſi aquam metuebat, præterea bene digerebat & egerebat.

rabie inſimul vexantur, canum ad inſtar latrant, mordent ac bibunt, Cynanchen patiuntur, & quale quid *Borellus Cent.3.Obſ.60.* annotavit, olfactu adeò egregio excellunt, ut etiam è longinquo adventantes amicos, licet ipſos nondum viderint, percipiant & diſtinguant. *d*)

Cauſa. Cauſam agnoſcit ut plurimum canis, felis, aut alius animalis rabidi morſum. *e*) Quæris modum fiendi? Scias in ſaliva non paucas ſpirituoſas hærere partes, quæ ſub hoc tegmine vulneri à dentibus inflicto ſimul, ac inſtillantur, ideam ſuam rabioſam ſpiritibus imprimunt, ſicque in nobis ſimilem non modò rabiem, metumque aquæ, ſed etiam reliquas caninas proprietates communicāt. Si dubites de hacce idearū communicatione, *f*) probationis loco viperarum morſum accipe, cujus venenoſitas ſi non ex toto, maximam tamen partem ab exagitatione & excandeſcentia harum beſtiolarum dependet, vid. *Redi & Charras de viper. p. m. 170. 171. ſeqq.* Nondum hæc tibi ſi ſatisfecerint, aliud adducam forſan magis amicum exemplum. Docent, qui amandi præcepta tradunt, nullis illecebris citiùs ad amorem reciprocum invitari poſſe puellas, quàm oſculis, non tamen vulgari & ruſticorum more cum crepitatione & ſono impresſis, quam quæ cum aliquali labiorum morſu, tremuloque ſaliva madentis linguæ motu dantur.

Adhuc hæres quomodò tàm exigua in copia rabioſi animalis ſpiritus tantas in humano corpore turbas excitare, inſignemque ſpirituum noſtrorum copiam ſubigere poſſint? nihil hoc mirum, cum illi rabioſi, hi meticuloſi ſint, ut hi fugiant ab illis fugati.

Præter hanc cauſam hydrophobiæ reperiuntur apud Practicos variæ. Nempè fœminam quandam, cùm tunicam morſu canis rabidi dilaceratam ruiſus conſueret, & filum pro more dentibus auferret, labiis affrictâ ſalivâ canis, adhuc in fimbria hærente, hydrophobam extemplo factam refert *Hildanus p. m. 52.* Idem ibidem Autor eſt, alium ex levi vulnere à felis rabidæ ungvibus inflicto eodem affectu laboraſſe. Citra ullam externam cauſam accedentem obſervavit aliquot vicibus *Valeſcus de Taranta Tractat. de Morſu canis rabidi* &c. Aſt quoniam cum noſtra theoria præſentes caſus quodammodò pugnare videntur, ſciendum, in illis oppidò tamen raris obſervationibus, metum ac fortiorem imaginationem talem ideam fabricâſſe, nec ſemper opus eſſe reali contactu & communicatione, prout hoc ex ſtigmatum à matre embryonibus impreſſorum hiſtoriis illuſtrari egregiè poteſt

Indicatio Curativa duplex eſt, prima jubet, ut furioſæ ideæ per morſum communicatæ ad interiora impediatur penetratio; altera mandat, ut hydrophoba jam concepta idea è ſpiritibus noſtris rurſum tollatur. *Indicatio Curæ duplex*

Primam aſſequimur per dilatationem vul-

d) Aliquando etiam in talium ægrorum urina vermiculi apparent. vid. *Carteſ. P.2 Ep.37. p.445.* Hinc enim eſt, quod utplur. lethalis ſit hic morbus Aquam ut aquam ſeu in forma liquida reſpuunt, ſub forma verò nivis & glaciei exhibere tentavit Liſter, non tamen in vaſe ſolito Löffel/ ſed cultro, & avidè deglutiebant cum cultro ſcilicet exhibita; it. ſitum non rarò canum ſervant in lecto, & hoc modo Liſter in vaſe aliquo cereviſiam, cum ventri incumberet æger, porrigere juſſit, & lambendo inſtar canis de ipſa potavit.

e) Vidi ſuperiore anno 97. Menſ. Decembr. natione Gallum, Mercatorem Lipſienſem, is maximè horrebat liquorem, quem adſtantes ex longinquo etiam afferebant aut ipſi potandum infundebant, ex eadem ratione & quosvis adventantes maximè horrebat, ſibi perſvadens, afferre illos liquida. Aliquando etiam propriam ſalivam metuunt, ut ne guttulam deglutiant, & ægerrimè quoque ferant, ſi gutta ejus ſaltem de gena profluat, quale & in hoc ipſo ægro obſervavi. Audivi ab adſtantibus, eum ante 9. ſeptimanas à cane rabido fuiſſe demorſum, & vehementiſſimè ſibi de hydrophobia metuiſſe vid. *Liſter de morbis Chronicis.* Quidam aſſumere poſſunt potum ægri, ſi in ventre procumbant & lambant inſtar canum, ſecùs ſi alio ſitu gaudeant.

f) Ordinariè quidem 40. dies ſeu 6. ſeptimanas &c. ſine moleſtia ſupervivunt, aliquan-

vulneris inflicti & ſcarificationem, applicationem cucurbitulæ ſuper vulnus, vel ſinapi, ceparum, allii, rutæ ac ſalviæ, vel rad. ſcorzoneræ, vel urinæ aut muriæ, vel halecis, item ligni quajaci, reſinæ, aut cancr. ocul. uſtor. pulver. *g)* aut panis fruſtuli oleo imbuti, vel tritici maſticati, bufonis ſicci, hepatis & crinium canis rabioſi impoſitione. *h)*

Ad alteram conducunt interne ſudorifera v. g. ex alyſſo, pimpinella, ſem. card. mar. ruta, hyperico, ariſtoloch. rotund. dictamn. cretic. rad. vincetoxici & Gentianæ, vid. *Pauli Quadripart. Botanic. p. 332.* vel ex ſpiritu cancror. cum Mixtur. Simpl. vid. *Sachſii Gammarolog. pag. 65.* vel ex theriaca & mithridatio.

Si hiſce voti tui compos nondum reddaris, ſupereſt adhuc, ut juſſu *Celſi & Helmontii Tractat. demens idea p. m. 228.* ægrum in piſcinam, velit nolit, præcipites, fiet enim ſic, ut mortem metuens ſpiritus conceptam deliram ideam amittat.

§. 6.

De

PHILTRIS.

EO usque, proh dolor! apud non paucos utriusque ſexus homines deventum eſt, ut pro extingvenda laſciva cupidinis flamma, non modo blanditiis & irritamentis variis pudicitiæ turpes ſtruant inſidias, ſed etiam nî his illaqueari ſe patiantur, Philtris utantur, ut reciprocum amati ſubjecti amorem concilient.

Denotat equidem aliàs *Philtri* vox quibusdam Autoribus omnem excitatum amorem inter fœminam & marem: aſt nos neglectâ hac acceptione ſub Philtri titulo tantùm intelligimus amorem per incantationes, & carmina magica vel per manducationem, aut potum, vel ſaltem affrictum quarundam rerum conciliatum. *quid per Philtrum denotetur.*

Qualia ſint illa carmina & incantationes, vel res etiam, *i)* quibus pro philtris utuntur, nolim à me expectes; ut enim vehementer deteſtor diabolicas has artes, ita nec recenſione anſam ſcandali accipiendi dabo: quod ſi tamen curioſitatis gratia quis talia ſcire aveat, ille evolvat *Cornel. Agrippæ de Philoſ. occulta ſcriptum l. 1. c. 40. & ſeqq.* & reperiet ibi omnem ex priſcis æque, ac ſui ævi Autoribus collectum philtrorum apparatum. *unde paretur.*

Circa effectum ſeu operationem philtrorum hoc ſolùm monendum eſt, non ſemper illa in amorem conjicere deſideratum individuum, ſed quandoque loco ejus melancholiam, delirium, aut perfectam maniam cum cardialgia, ſummaque præcordiorum anxietate, totius corporis *k)* diſcoloratione propter exanthemata undique erumpentia, vel etiam contractura, ſed citra febrem in ipſis excitari. *Ejusdem operatio.*

Si-

do per unum annum juxta *Galenum.* per 7. annos juxta *Avicennam*; per 12. annos juxta *Alb. M.* conf. *Hort. gen. Baricelli p. 157.*

g) Cineres cancror. vid. *Wed. Diſſert. de Hydrophob. p. 38. Galen. l. 2. de medic. ſimpl. fac. Aurelianus de paſſionibus tardis.*

h) Si vulnus recens ſit, non ſtatim conſolidetur: (in mercatore talis error fuit obſervatus, ſiquidem poſt acceptum vulnus maximè terrore affectus eſt, vehementer de hydrophobia metuens; conſolidatum tamen fuit brevi vulnus & ſupervixit 9. ſeptimanas, antequam morbo hoc corriperetur.)

i) Nempe Babylonicæ virgines cremârunt oſſa olivarum, (dactylorum) & adhibuerunt vid. *Wier. Tr. de Præſtig. Dæmon. L. 5.* poma certis characteribus ſignata exhibent vid. *Herod. L. 1. Hiſt.* Ceram in templo ad aram veneris liquabant, addita prece, ut hoc etiam cor amaſii molleſcat &c. adhibent virgam lupi, vel extremitatem caudæ, it. cerebrum felis & aſini vid. *Salmuth. Joel. Prax. l. 2. ſ. 4.* adhibent teſticulos hominum, cor hirundinum, conf. *Mizald. Memorabil.* os ranæ viridis appenſum, Zenith juvencularum vid. *Ridlin.* genitalem liquorem vid. *Grube de Transplantat. morbor.* particulam umbilici deciduam &c.

k) Henricus ab Heer in Obſerv. annotavit à Philtro contabeſcentiam, ubi externa cutis in meram eſcharam degenerabat, ut æger per ſeptem integras ſeptimanas ſtare coactus fuerit.

Signa. Signa philtri non adeo ſunt in aprico, tantum enim abeſt, inſano qui vexantur amore, ut ſemper ex philtro illum contraxerint, quin ſæpius ex aliis cauſis, ſolaque haud raro imaginatione hoc malum originem ſumat, ita ut nec ipſis ægris, ſe per totum ejusmodi intoxicatos affirmantibus fides tuto adhibeatur, niſi certis documentis conſtet, ipſos conſortio hujus farinæ hominum utentes ex tempore veſano amore correptos male ſe habere cœpiſſe.

Cauſa immediata. Cauſa immediata eſt idea nunc ſvavis ſpiritibus impreſſa in amore veſano, nunc triſtis in melancholia, nunc furioſa in mania. Nihil hic refert, ſive illa idea ex ſola imaginatione, ſive immediate Satanæ auxilio verbis tantum, ſive mediate per herbas, lapides, aut alia ex regno animali petita ſit communicata.

Fruſtra per magnetiſmum &c. explicatur operandi modus. Nimis forſan durum ac rigoroſum hoc videbitur effatum illis, qui in favorem magnetiſmi ex naturalibus viribus hæc æque, ac illa philtra operari, nec etiam diabolum quicquam, niſi ope rerum naturalium præſtare poſſe affirmant, provocantes ad varias ſympathias & antipathias rerum, quarum moderationes male diabolo ſatis alias arroganti & elato adſcribantur. Verum enim vero, utut bona hæc ſint Arabum verba, ſæpiusque ab ignaris res naturales habeantur pro magicis, nihilominus nondum propterea mihi omnem demunt ſuſpicionem ſæpius ſub ſpecioſis mumialis confermentationis, magnetiſmi, ſym- & antipathiæ titulis vaferrimi dæmonis fallaces latitare technas, præprimis illis, quorum ope illicitis rebus (quorſum philtra etiam pertinent,) opera navatur.

Cura reſpiciens cauſam remotam. In cura reſpicienda eſt partim cauſa morbi remota, partim proxima.

Remota cauſa reſpicitur, quando philtrum propinatum adhuc in ventriculo hærens, inibique moleſtias inſignes creans, per vomitorium exhibitum rejicitur. Perinde autem hic erit, ſive mercurio vitæ id præſtiteris, de quo *Langius in Miſcell.* habet experimentum, ſeu infuſione croci metallorum ex *Rulandi* conſilio, *Curat. Empiric. Cent. 3. 91.* vel ex vitriolo vid. *Fabr. Curat. 49.* ſive ex auro vitæ Kegleri conf. *Sennert. Inſtit. p. 3. Sect. 3. pag. 4.* ſive urina equina calida ad imitationem *Salmuthi;* ſive aliis: omnia enim prorſus idem effectus ſequetur.

Quod cauſam proximam attinet, adeſt vel idea ſvavis, vel triſtis &c. in veſano amore, vel melancholia, aut mania. *Cauſam proximam.*

In primo caſu tentari perſvaſiones, monita & adhortationes poſſunt, vel alia objecta amabilia offerri, vel corpus laboribus, ſpiritus vero magis ſeriis occupationibus obrui debent. Habebunt tamen hæc remedia magis locum in imaginario philtro, ſecus enim procedendum in vero; ubi rurſus vomitoria cum purgantibus, diaphoreticis ac diureticis imploranda, ut per illa ſpiritus turbentur, & præternaturalis idea excutiatur. Vomitoria & purgantia jam ſunt nota, ſolum itaque recenſebo diaphoretica & diuretica ſpecifice convenientia: ubi in regno minerali corallia, margaritæ, mater perlarum, ſuccinum, ludus Paracelſi, terra ſigillata ſtrigon. magnes pulveriſatus &c. Ex regno vegetabili abſinth. ſem. & ſucc. rec. hyperici, gentian. rad. vincetoxici, aquilegiæ, valerianæ min. item naſturt. aquatic. bacc. alkekeng. ſemen cannabin. Ex regno animali pulvis & ſpirit. ſecundin. hum. vel ſerpent. lapis bezoar. calculus hum. vid. Hartmann. Pr. Chym. c. 7. §. 8. Hiſce cum judicio addi poſſunt pro ſymptomatum exigentia, quæ in ſubſequentibus pro venereis ſtimulis extinguendis commendata reperies.

Hæc de veſani amoris cura; quando vero ille ob denegatam uſurpationem amati ſubjecti, aut ob tardiorem curæ admiſſionem in melancholiam aut maniam degenerat, tum tractabis ægros ex methodo his affectibus convenienti, de quibus in antecedentibus ſufficienter.

CAPUT XX.

De

VITIIS CIRCA SOMNUM ET VIGILIAS.

§ I.

De

SOPOROSIS AFFECTIBUS.

Deſcriptio Somnolentiæ COmplector hoc generali titulo cuncta ſomni vitia exceſſu peccantia, quæ communiter in quinque diſtinctis capitibus exhibere ſolent practici.

Prima ſpecies dicitur *Somnolentia* & deſignat inexplebilem dormiendi cupiditatem, quæ nullo modo ſatiari poteſt, utut de die æque ac nocte profundum capiat ſomnum.

Comatis ſomnolenti. Altera vocatur *Coma Somnolentum* vel *Cataphora* & eſt ſomnolentia aucta, hac tamen cum differentia, ut expergefacti ægrotantes à ſomno delirent, inſuperque febrem quandoque patiantur, qualia ſymptomata ſomnolentia neſcit.

Comatis vigilis. Tertia ſpecies *Coma Vigil* appellatur: oppoſitum hunc cataphoræ affectum non male dixeris. Summa namque propenſio ad ſomnum in illo obſervatur, ſed citra omnem ejus fruitionem, licet membris laſſis molle detur lectum, oculisque clauſis illum invitent ægroti, quoniam delirium continuum impedimento eſt.

Veterni. Quarta *Veternus* ſeu *Lethargus* audit, in hoc malo adeo profundo ſomno ſepulti ſunt ægri, ut ille vix ullis mediis oculis iterum excuti poſſit, febris inſuper lenta ipſos corripit cum delirio, oblivioneque omnium rerum.

Cari. Quinta *Carus* ſalutatur, & nihil eſt aliud gelidæ niſi mortis imago, dum ſcilicet ſuos clientes tam gravi premit ſomno, ut nullis clamoribus & concuſſionibus corporis turbari aut ſolvi ſe patiantur, in hoc verò diſtingvitur à præcedenti veterno, quod libera hic occurrat reſpiratio, unà cum ſenſatione, quæ functiones in illo ſimul cum aliis læduntur.

Signa diagnoſtica. Signa diagnoſtica uniuscujusque ex his morbis ſoporoſis facilè nunc cognoſces, modò ſymptomata attenderis cum his affectibus concurrentia.

Cauſa proxima. Cauſam agnoſcunt omnes ſpirituum quietem, & torporem, modò tamen majorem, modò minorem, modò tranquillum magis, modò implacidum: quæ diverſitas occaſionibus & conditioni ſpirituum adſcribi debet.

Occaſionalis Hærent occaſiones vel in humorum viſciditate nimia, quæ detinet ſpiritus, vel quando à concuſſione capitis ſanguis extravaſatus, vel abſceſſus cerebri, vel ipſum cranium introrſum à caſu v. g. ab alto reflexum cerebrum comprimit, ſpirituumque motum ſic impedit. Præterea & ſpirituum defectus, vel motus illorum à narcoticis impeditus occaſio eſt horum affectuum; ſæpiùs propterea deprehendimus ſenes & illos, qui malignis, aut aliis vehementioribus morbis decumbunt, ſoporoſis tentari affectibus: idem evenit poſt opii *l*) abuſum, fumum carbonum ſub reſpiratione hauſtum, decubitum *m*) ſu-

---

l) Opium crudum non æquè in ſe habet vim ſtupefactivam, quàm habet præparatum vid. *Charras de Viperis & theriaca*, qui ipſe ſæpè ℥j. crudi opii aſſumſit, & noctes vigiles habuit, at ſi præparatum ſumatur v.g. opium cydoniatum, fermentatum &c. in grano j. ſæpè magnum omninò ſtuporem inducere poteſt.

m) *Borellus* refert affectum ſoporoſum ex decubitu ſuper ſaccum crocatum oriundum propter miaſmata odorifera.

ſuper fœnum recens, conferatur *Hildan. Cent. 6. obſ. 85.* Quod autem deliria in quibusdam ſuperveniant, id imputandum eſt confuſioni idearum, qualem in ſomno quandoque etiam naturali notamus, ubi lingva, magna non raro cum vociferatione effert, quæ offerunt inſomnia.

Cura reſpiciens. In Cura ſoporis quandoque ipſis ſpiritibus medicamenta applicanda ſunt, quandoque occaſionalibus cauſis.

Cauſam proximam. Spiritus, dum deficientes ſunt, analepticis reſtauramus; torpidos verò vel alcalium volatilium v. g. ſalis volat. urinæ, corn. cerv. ſpirit. ſalis ammoniac. vel acidorum volatil. ſpirit. æruginis, vitrioli volatil. aceti cum caſtoreo, odore vel exhibitione ſuſcitamus. Excitamus illos etiam vomitoriis, cauteriis, veſicatoriis & rubefacientibus, ſcarificationibus, frictionibus, cum pannis aſperis, irritatione narium quoad internam partem cum pennæ extremitate, quod *Rolfinccii* olim fuit experimentum. Item clamoribus aliisque tumultuationibus, quorſum ridiculum illud *Arnoldi Villanovani* experimentum, vid. *Breviar. ejus Lib. 4. c. 11.* ſpectat, de ſue circa lectum ſuſpenſa à cujus horrenda vociferatione expergefactus æger eſt aliquando.

Occaſionalem. Cruditates pituitoſæ ſi in cauſa fuerint, aromaticis, aliisque incidentibus ac reſolventibus, qualia imprimis ſunt pro uſu interno deſtillata olea rutæ, cochlear. ſalviæ &c. item eſſentiæ acriores, thymi, ſerpilli, ſatureiæ, rorismarini, & externæ fomentationes capitis ex majoran. lavendul. ſalv. ſatureja, flor. ſambuc. bacc. juniper. & lauri decoctis cum vino, vel aceto, aut etiam lixivio. *n)*

Præmiſſa venæ ſectione plus minùs larga locum hæ fomentationes etiam habebunt pro reſolvendo ſangvine intra cranium ab ictu, vel caſu coagulato, vel ſi loco illorum pelles recenter animalibus detractas circumligaveris ex commendatione *Sculteti Armam. Chir. p. 109.*

Si nondum hiſce impediri, aut removeri poteſt ſopor, trepano perforandum eſt cranium, ut grumis ſangvinis via pateat exeundi.

In depreſſione cranii triploide inſtrumento elevanda eſt juxta modum à *Fabric. Hilda. Cent. 2. Obſ. 4.* deſcriptum, ſubſidentia illa, conf. *Scultet. Solingen. &c.*

§. 2.

De

AGRYPNIA.

UTi in præcedenti paragrapho ſoporoſos expoſui morbos, ſic in præſenti contrariam habes affectionem *Agrypniam* dictam, ſive vigilias nimias.

Cauſa *o*) eſt continuata, ac haud interrupta ſpirituum excubatio in ſenſoriis, & motus organis concitata nunc ab illorum irregulari motu, quapropter in febribus ardentibus, & intermittentium æſtu ordinarium penè ſymptoma eſt, nunc à curis aliisque ſollicitudinibus, à dolore, ex vitiis humorum, ſtagnatione, acrimonia, viſciditate, nimia fluiditate, ex ſoluta unitate præprimis ſenſatarum partium. A quacunque verò cauſa agrypnia ſit, ſemper tamen, ſi longiùs protrahatur, delirium parit, quamquàm & vice verſa ſæpiùs delirium agrypniæ ſit genitor. *Cauſa.*

Tollitur hic morbus remediis *p*) hypnoticis, ſeu ſpiritibus quietem in- *Cura.*

n) Potus calidus Thée ſoporem tollit, ſomnumque arcet, ſtimulat enim continuò ſpiritus, ſimulque humores craſſos diluit.

o) Omnis dolor exquiſitus poteſt eſſe cauſa hujus mali, qualis obſ. in calculo, colica, podagra, arthriticisque affectionibus, pleuritide, ſpirituum morbis, vulneribus, fracturis, luxationibus, ſangvinis ſtagnationibus, ſcorbuto, lue venerea, febre ardente: ab aſſumtis nimia in quantitate fluidis, hydrophobia, philtro, malo hypochondr. absque crapula.

p) Solo potu Thée cum admiratione omnium agrypniam honeſtæ cuidam fœminæ propulſavi.

ducentibus. Uſitatisſima ac tutisſima ſunt crocus cum opio, quocunque modo præparata ac correcta. Poſſunt autem hæc internè adhiberi, vel externè, prout indicantia admittunt. Pro uſu externo ſolennisſimè cum medulla crurum vituli, cum oleo nuciſtæ & hyoſcyami expreſſ. vel unguent. populeo, aut alabaſtrino in linimenti formam redacta, temporum regioni affricari jubent Practici. Nihil tamen impedit operationem, etiamſi ea ad odorandum naribus ſubjeceris, vel illorum loco liguſtri, roſar. violar. meliloti, meliſſ. nympheæ ac papav. flores. Si nec hic modus placuerit, jam nominatos flores cum foliis ſalicis, vitis, lactucæ, ſolani, ſpongiis cynosbati, rad. hyoſcyam. ſemineque ejus ſub pediluvii vel frontalis, *q*) item balnei, aut ſemicupii forma adhibebis, de quibus videſis egregias obſervationes apud *Horat. Augenium Lib.5. epiſt.7. Sim. Pauli Quadrip. Botan. Claſſ. 2. p. 101.*

Inſuper verò dabis operam ſedulò, ut occaſiones removeantur, ex quibus ſpirituum eſt inquietudo, ſcilicet ut juxta earum exigentiam nunc refrigerantia, nunc delirium compeſcentia, nunc diaphoretica, nunc alia ſimul uſurpentur.

§. 3.

De

INSOMNIIS TURBULENTIS.

Inſomnia quid ſint. Sunt equidem communiter inſomnia nihil aliud, quàm repetitiones idearum ante hac ſpiritibus impreſſarum, parumque moleſtiæ ſecum habent; attamen cum omni nocte horribilia, moleſta, laborioſa &c. offeruntur phantaſmata, vix dici poteſt, quantum debilitentur ac conſternentur homines, ſic ut etiam opem noſtram propterea efflagitare cogantur.

Cauſa proxima. Proveniunt autem hæc inſomnia ex perturbatione ſpirituum, quibus ejusmodi ideæ vel jam inſunt, vel qui tales ſibi fabricant.

Occaſionalis. Occaſiones externæ ſunt vel viſa, vel audita talia horrida & ingrata: Item decubitus ſupra dorſum, *r*) declivi preprimis capite. Internæ ſunt cruditates primarum viarum, malumque hypochondriacum, aut nimia repletio ventriculi ab alimentis, item plethora *s*) aut ſangvinis viſciditas, vel morbi graves imminentes, aut nondum rite curati. Petis ætiologiam: ſcias omnes illas occaſiones moleſtiam quandam creare in corpore, ſpeciatim nunc v. g. in ventriculo, nunc in aliis partibus, & quoniam ſpiritus à ſomno ſunt ligati, & exactum de moleſtia judicium in illa parte ferre non poſſunt, ſed inſtar titubantis à vino hominis ex muſca elephantum, & ex levi quadam moleſtia inſuperabile & horrendum periculum fingunt, usque donec anxii præter modum illi ſpiritus circa ideam hanc horridam nimium verſantes, impingendo in ſpiritus quieſcentes in reliquis partibus, excitent rurſum illos à torpore.

Cura pro diverſitate cauſarum variat. Cura cauſis ſit accommodata. Si itaq; factū triſte vel lectum vel auditum extiterit cauſa, eximenda erit hæc idea relatione alius, magisque læti facti, vel muſica aut cantilenis ſpiritus ſeſe quieti dantes demulceantur; ſi ſitus ineptus ſupra dorſum occaſionem dederit, decubitus ſupra alterutrum latus emendabit malum.

Ex nimia ventriculi diſtenſione à larga cœna quæ oriuntur inſomnia mor-

q) *Langius in Epiſt. Med. L.3. c.6.* ſvadet ſacculum croco impletum capiti ſubſternere. *M. N. C. D. 1. A. 6. Obſ. 171.* laudant aures leporinas abſciſſas, naribusque admotas; aut linteolum ſangvine leporino immerſum auribusque admotum; alii hirudines ponè aures applicatas extollunt.

r) Impeditur ſic reſpiratio præprimis alimentis nimis infarcto ſtomacho; porro etiam maſſa ſangvinea rectè ſe non habet, pellitur enim major ſangvinis quantitas ad caput, quàm refluit.

s) Quatenus à ſpiritibus ex parte dormientibus non adeo liberè & commodè circulari poteſt, hinc exſurgunt ſtagnationes &c. Diſtentis enim præter modum venis repellere illum ſua contractione nequeunt.

morboſa, ſolius tenuis diætæ uſu, vel abſtinentia à cœna tolluntur.

Cruditatibus inteſtinorum, vel malo hypochondriaco quod ſi debeatur origo, juxta cruditatis conditionem removeatur, uſurpatis nunc acidis, aceto ſcilicet, vel ſucco granatorum, ac limon. nunc terreis, nunc aqueis; v.g. potu aquæ frigidæ circa tempus ſomni hauſto; nunc Martialibus, in ſpecie tinctur. martis cum ſucco borsdorff. (de qua egregiæ mihi notæ ſunt obſervationes in ægris ex hypochondriaco malo horrenda inſomnia de ſingulis noctibus patientibus) nunc alcalibus v.g. oleo Tartari p.d. vel ſpir. ſal. ammon. ſimpl. & aniſat. nunc incidentibus *t*) pituitam & evacuantibus vomitoriis æquè, ac purgantibus.

Plethoram *u*) producentem hunc affectum venæ ſectio, aut ſcarificatio imminuet.

Tandem cum ex imminentibus morbis proveniat malum, eò allaborabis, ut tempeſtivè in moleſtiæ cauſas inquiras, latentemque in herba anguem competentibus ſuffoces remediis. Sic inſomnia non modò, ſed imminens longè gravius malum uno quaſi ictu removebis.

§. 4.
De INCUBO ſeu EPHIALTE, dem Alp.

Deſcriptio. UTut præſens malum nihil aliud quàm ſpecies inſomnii ſit turbulenti; ſeorſim tamen ob ſingularem naturam ab omnibus tractatur Practicis.

Scilicet imaginantur ſibi illo affecti, hominem vel aliud pondus ſomni tempore incumbere ſupra corpus, ſuffocationemque moliri, nec omni conatu & niſu liberare ſe ab iſta ſarcina, nec vocem edere poſſe, licet utrumque vehementer intendant. Expergefacti verò tandem oſtendunt hinc indè in corpore veſtigia digitorum ſangvine ſuffuſa, & inſigniter de totius corporis defatigatione, & virium ex hac lucta lapſu, conqueruntur.

Cauſa. Cauſam vulgus malè imputat dæmoni ſub corporali figura interitui hominum inhianti; nihil enim reale, quod ipſos adeò anxios reddit, ſed merum eſt inſomnium, niſi forſan aliquando amaſius ſub incubi perſona amati ſubjecti corpus ſomno ſepultum premat; quæ tamen incubi ſpecies non medicamentis, ſed fuſtibus abigenda. *Objectio.* Sed quæris undè anxietates illæ, ſuffocationis periculum, vocis interceptio & veſtigia in brachiis & cruribus ſangvine ſuffuſa, quæ quandoque poſt paroxyſmi finem oſtenduntur ab ægris, niſi à corpore aliquo reverà premantur: etenim

Tangere & tangi niſi corpus nulla poteſt res. *ejusdem ſolutio.* Reſpondeo: nondum ex his firmam elici concluſionem poſſe, nam anxietates cum ſuffocationis periculo, vocisq; interceptione cauſis potiùs internis imputandæ, videlicet reſpirationi ſufflaminatæ à crapula, aut gravi cœna indigeſto aſſumpta prandio, vel ſangvinis abundantia aut craſſitie, item, quæ frequentisſima eſt cauſa, à decubitu ſupra dorſum, utpote quo diaphragmatis motus liber impeditur propter nimium ventriculi pondus retrorſum inclinans: Quod veſtigia verò ſangvine ſuffuſa, aut livida in bracchiis, cruribus, ac aliis partibus poſt compresſionem ab incubo apparentia concernit, adſcribenda illa ſunt alliſioni harum partium ad poſtes lecti, in imaginaria decertatione & colluctatione cum incubo habita; vel extravaſationi cruoris ob crasſitiem ſtagnantis; vel ad maculas ſcorbuticas ſangvinis vitio oriundas referri debent.

Cura. In Cura ad duo reſpiciendum eſt: primò ad paroxyſmum ejusque remotionem; & poſteà ad incubi eradicationem & præſervationem à novo inſultu.

In paroxyſmo ſolvi ante omnia ſomnus

t) Spirit. carminat. de tribus, liqv. cornu cerv. ſuccinat. ſpirit. corn. cerv.

u) Si verò chilificatio aucta deprehendatur, & omnes tubuli repleti ſunt particulis nutritivis, ſola inedia pro cura eſto.

mnus debet, quod impetramus per concuſſionem corporis, tumultum clamoremque prope lectum motum, nec ullam hic habebit prærogativam compellatio ægrotantis per nomen in ſacro baptiſmatis fonte impoſitum, quod ſuperſtitioſa anicularum concio nobis obtrudere conatur & vel ideò proficuum exclamat, quod ex recordatione fœderis cedere cogatur Cacodæmon. Diſcuſſo ſic ſomno tollitur infallibiliter imminens ſuffocatio, ſed ne alio tempore recurrat, occaſionalibus cauſis proſpiciendum eſt remediis appropriatis, *vv*) de quibus præter §. *præcedentem alii de apoplexia & Epilepſia* conſuli poſſunt.

Caput XXI.

De

DE MORBIS CIRCA MOTUM ANIMALEM.

§. I.

De

Vertigine.

Deſcriptio. Quod vertiginem primum in hoc Capite videas locum occupare, cave credas propterea fieri, quaſi inter motus animalis vitia princeps ſit, quin potius non aliter, quàm prodromum conſideres velim immediatè ſubſequentium, puta, ſyncopes & apoplexiæ.

Conſiſtit Vertigo, Germanis der Schwindel/ in eo, quod illà correpti omnia non modò objecta externa, ſed etiam propria corpora in gyrum circumagi credant, adeoque titubare incipiunt, & niſi repentè aliquid, quo ſe ſuſtentent, arripiant, collabuntur. In aliis circumgyrationis loco vel tenebræ aut ſcintillæ, aliique plus minus vividi, aut obſcuri colores oculis obverſantur cum ſimili comminatione ruinæ corporis, læſioneque externorum æquè ac internorum ſenſuum, & hæc ſpecies proprio nomine dein *Scotomia* Practicis dicitur.

Sedes vertiginis. Sedem hujus morbi quidam ex recentioribus cum *Honorato Fabro* oculos faciunt, quaſi ſcilicet in illis primariò ſpirituum viſivorum rotatio contingens reliquum ſyſtema ſimili abſurdo motu per conſenſum, & ſaltem ſecundariò afficeret. Diſſenſum tamen à tantis viris facere hic cogor, quoniam non tantùm oculis clauſis vertiginem ab ebrietate concitari, ſed nocturno etiam tempore, quo nullæ ideæ oculis communicari, multo minus ſpiritus viſorii ab illis circumgyrari poſſunt, malo hoc vexari querentes ſæpiùs audio ægros: imò quod penitus evertere illorum opinionem videtur, cœci quoque tentantur vertigine, quale exemplum *Wedelius in Miſcell. Acad. N.C. D. 1. Ann. 7. obſ. 121. p. 160.* de viro quodam literato per annum integrum illà laborante recenſet. Retineo igitur cum antiquitate ſpiritus, ut ſubjectum, ſtatuoque cauſam vertiginis proximam motum illorum gyratum, ſicuti ſcotomiæ defectum, vel retroceſſionem ipſorum ex oculis æquè, ac partibus reliquis.

Cauſa antecedentes externæ Cauſæ antecedentes externæ ſunt na-

vv) In ejusmodi ægro, ſtudioſo domeſtico, qui hac de cauſa nunquam ſomnum capiebat; niſi vigilantibus reliquis domeſticis, adhibui nil niſi acidum præcipitantia & corrigentia eſſ. mart. c. ſucc. pom. borsd. & aliquoties venam ſecari curavi &c. ſic ſæpe etiam malo imminenti obviam iri poteſt vomitorio &c. Spiritum ſalis ammon. cum liquore terr. foliat. tartari mixtum quidam pro ſecreto habent, it. pilul. è gummatibus Conerdingianas, ſi ab acido oriatur morbus.

navigatio aut circumgyratio corporis, vel aſpectus & contemplatio rei celeriter motæ, *x*) v.g. fluvii rapidè fugientis &c. internas conſtituunt cauſas nunc curæ, quæ variarum imaginum impreſſione ac conſideratione confundunt ſpiritus in motu, nunc alia vehementiora animi pathemata, nunc ebrietas, nunc inedia, cruditates ſtomachi, nunc catarrhales affectus vel plethora, nunc contuſiones capitis, nunc ſenium, nunc veneris aut ſtudiorum abuſus, nunc morbi maligni imminentes æquè ac præſentes, nunc fluxus alvi vel ſudores nimii, nunc dolores &c. verbo: res omnes, quæ ſpiritus deſtruere, aut inordinatum ipſis motum imprimere poſſunt.

interna.

Patet ex hiſce aliam vertiginem eſſe per eſſentiam, *y*) & conſiſtere tantùm in circulari ac inordinato ſpirituum motu, vel defectu aut retroceſſione, aliam eſſe per conſenſum ex aliarum partium morbis.

...viſio.

Ex hac diviſione morbi varia curationis methodus emergit, quæ juxta cauſas varianda eſt ſemper.

...a pro ...ſarum ...ietate ...erſa.

In vertigine enim ex defectu ſpirituum conveniunt analeptica cum ambra & moſcho; ex circumgyratione verò orta, vel aſpectu celeriter motorum, quies corporis vel ſaltem oculorum occluſio medicamenti loco erit.

Si ex inedia fuerit, jentaculum aſſumtum morbum tollet; ſi à ciborum vel potulentorum nimia quantitate, vel etiam qualitate prava, vomitorio exhibito ceſſat. Si ab humoribus biliofis, præter vomitoria terrea, acida & frigida ſic dicta juvant; ſi à pituitoſa cruditate aut catarrhis, abrotanum, ſalv. roſmarin. ſerpill. cherefol. flor. ſtoechad. fol. helleb. nigr. Zingiberis, ſcorzoneræ rad. item olea deſtillata buxi, cardamom. cubebarum &c. conveniunt.

Si à Plethora, phlebotomia celebranda eſt, ſi à contuſione capitis, reſolventia & diſcutientia locum habent.

Si à dolore vel alio ſpirituum motu, præter opiata liquor. Corn. Cerv. ſuccinat. cinnab. nativ. & antimonii &c. proficua erunt.

Præter hæc ut ſpecifica *z*) remedia in omni vertigine ſtercus pavonum *Borellus Cent. 3. Obſ. 98.* & rad. doronici, item auriculam urſi *Sennert. Pr. Lib. 1. P. 1. c. 4.* commendant: nec male; revera enim in ipſis cum aliis judicioſe combinatis habentur remedia non contemnenda. Majorem ſi medicamentorum deſideras apparatum, præprimis contra ſcotomiam, evolve *§os de ſyncope & apoplexia*, de quibus mox dicendum.

§. 2.

De

LIPOTHYMIA ſeu LIPOPSYCHIA vel ANIMI DELIQVIO & SYNCOPE.

Jurene an injuria principes morborum in animali motu, qui nunc ſequuntur, affectus dixerim, judicabis facile, poſtquàm conſideraveris paululum illorum adumbrationem, quam tibi ſub effigie hominis nunc planè ex improviſo, nunc prævio quodam dolore, aut levi ſaltèm ſenſu moleſto omni motu, ſenſibus externis æquè ac internis deſtituti, facie pallente, membris omnibus rigidis, algidis ſudoreque frigido madentibus ſiſto. Paucis: agoni-

Deſcriptio Lipothymiæ ac Syncopes.

x) Idem fit, ſi è loco altiori ad ſubtus poſita fiat aſpectus, quatenus tunc vel ex metu, vel ex plurium objectorum ſimultanea repræſentatione ſpiritus in motu turbantur.

y) Patet nunc, quod, cum ſpiritus turbentur vel in principiis nervorum, vel in partibus extremis, & hinc ſpiritus in univerſum in conſenſum rapiantur, emergat diviſio vertiginis per eſſentiam, quando in principio nervorum ſpiritus turbantur, & per conſenſum dictæ, quando in partibus extra caput vitium aliquod hæret, ſive ſit ſtomachus in inedia, ſive pes in podagra: per eſſentiam, ſi caput contundatur, curæ, veneris & ſtudiorum abuſus &c. præcedant.

z) Alii pingvedinem damarum, ſerpentum & ciconiarum laudant, de quibus prolixè *Hoffm. in M. Methodo.*

gonizantem tibi concipe, in quo pulſus ſaltèm veſtigia, reſpirationisque reliquiæ ſuperſunt, & ſic perfectum habebis ſyncopizantis ſtatum.

Differentia earundem. Differt à *Syncope Lipothymia*, non tamen niſi gradu, hoc eſt, ille ſubitaneus virium lapſus, qui levis eſt, & non cum totali ſenſuum abolitione, ſudoreque frigido contingit, Lipothymia, germanicè **eine Ohnmacht;** qui verò cum ſymptomatibus modò recenſitis, imprimis ſudore frigido ſenſuumque omnium ceſſatione accidit *Syncope* dicitur, noſtratibus **eine ſtarcke Ohnmacht.**

Cauſa proxima. Cauſa proxima utriusque hujus morbi eſt retroceſsio ſpirituum ex ſenſuum æque, ac motus organis, major tamen in ſyncope quàm lipothymia.

remota. Remotæ cauſæ ſunt primò ſpirituum defectus, cui occaſionem dant Venæ Sectio *a)* aut alia hæmorrhagia larga, mœror, ſtudium nimium, labores exceſsivi, morbi maligni, inedia, ſudor nimius, hypercatharſis, venus immoderata &c. Secundò evocatio illorum è partibus, aut diſturbatio in illis v.g. ob metum, terrorem, gaudium, amorem, *b)* odorem rerum gratarum, *c)* potum frigidum poſt corporis excandeſcentiam, uteri geſtationem, plethoram, dolorem exquiſitum, præprimis verò ſuperioris ventriculi orificii, ex qua cauſa ſyncope cum additamento dicitur Cardiaca, ſicuti uterina, ſi ejus partis dolor illam produxerit.

Non admittit atrocia horum affectuum, ut multùm inquiras in occaſiones, ſi paroxyſmi tempore voceris ad curam; æger enim ſenſu ac motu deſtitutus jacet, & adſtantes ſæpiùs antecedentia ignorant; hinc aut brevi ſaltèm præcedente examine neceſſum eſt, curam aggrediaris remediis infra præſcribendis. Poſt excitationem tamen omni ſtudio ſciſcitari debes, an dolor in aliqua parte, vel quales cauſæ aut occaſiones præceſſerint, multum enim id inſerviet ad præcavendum novum paroxyſmum.

Cura in paroxyſmo. Pro Cura itaque paroxyſmi tempore convenient analeptica, vinum v.g. generoſum, aut quæ in officinis aſſervantur ſub titulo aquarum apoplecticarum *Kohlreuterii & Langii*, vel illarum loco ſpiritus vini rectificatisſimus vel ſolus vel cum ambra & moſcho inebriatus, aut aqua carſunculi, balſam. embryon. ſpirit. ceraſ. nigr. lilior. convall. roſar. fragrans, aqua Anhaltina, magnanimitat. meliſſ. cum vino, theriacalis, namphæ, cinanomi, it. Eſſ. citri, meliſſ. anthos, tinctur. corallor. cum ſpirit. cord. cerv. eſſent. ambræ &c. Videndum tamen ſemper eſt, an ferre posſint ſvaveolentia ægrotantes. Sexus enim ſequior ut plùrimum, & non pauci etiam ex maſculino illa abhorrent, adeoque loco eorum aquæ apoplectic. acidæ, vel cum caſtoreo paratæ, aut aceta ſaltem, lilior. convall. rutac. calendul. vel alia magis fœtida hiſce in ſubjectis ſunt exhibenda. Infundi autem hæc cuncta in os debent, vel ſi deglutire illa non poteſt æger, externè ſaltem naribus, pulſibus ac cordis regioni affricentur.

Externo aliàs uſui in ſimili caſu cataplaſmata inſerviunt ſupra cordis ſedem impoſita ex mica panis, cinam. caryophyll. macis pulvere cum confect. alkerm. ex *Guilielmi Fabricii Obſ. Chirurg. Cent. 3. Obſ. 33.* ſvaſu, vel tenella citri frondium folia ex *Panarolli Pentec. 3. Obſ.*

a) Vidi centurionem quendam, qui ſemper à venæ ſectione in ſyncopen concidit, quam tamen ut evitaret alio tempore aliquot tympana bellica circa ipſum pulſari Medicus juſſit, inſcio centurione tympaniſtas accerſens, quo excitarentur inde ſpiritus, ne retrocederent vid. *Blegny Zod. Gall. P. 4. p. 34. ſeqq. Edit. germ.*

b) *M. N. C.* exemplum juvenis habent, qui propter peculiarem idioſyncraſiam lipothymia ſemper corripiebatur ob præſentiam virginum; Monachus alius ob viſos cancros.

c) *Melander in Jocoſeriis* citat ruſticum, qui pharmacopolium præteriens in lipothymiam incidebat, ex qua variis ſvaveolentibus ejus naribus admotis non potuit excitari, donec ruſticus alius adveniens ægri os ſtercore equino bene fricaret, unde brevi reſtitutus fuit.

Obſ. 41. vel meliſſa calid. vino imbuta. Vid. *Sennert. Pr. Cap. de Syncope;* quod ipſumetiam obtinebitur à balſamis apoplecticis naribus, manuum carpis vel lingua illitis, aut loco illorum ab oleis deſtillatis cinamom. Succini &c. cum ſaccharo lingvæ impoſitis.

Præter hæc analeptica ſuſcitant ſpiritus alia acria odoretenus ſaltem hauſta, quæ videri poſſunt *in §. de ſoporoſis affectibus & hyſterica paſſione.* Sal tamen commune labiis immiſſum idem ſæpiùs præſtabit, ſpeciatim ſi à phlebotomia quis Lipopſychiam patiatur.

xtraparo-xyſmum.

Affluxu ſic iterum ſpirituum ad ſenſoria vel motus organa concitato, ut novus paroxyſmi acceſſus impediatur, occaſiones ejus tollendæ ſunt quandoque vomitorio, v.g. in ſyncope cardiaca, vel alterantibus & diaphoreticis, è quibus Autores ut ſpecifica ſeligunt corallia cum margaritis, & lapid. pretioſorum pulveribus, rubini ſcilicet, ſmaragdi, hyacinthi, *d)* item corn. cervi ſolare & lapidem bezoardicum: quandoque aperientibus & uterinis in ſyncope uterina; quandoque venæ ſectione, ſi ſangvis vel ob nimiam copiam vel dyſcraſiam ſtagnet.

§. 3.
De
APOPLEXIA.

ffectus pe-culoſus eſt.

PAtet hujus morbi vehementia & magnitudo non tantùm ex modò ſuppeditato *Apoplexiæ* nomine deſcendente à Græco ἀποπλήττειν ſeu ἀποπλήττεσθαι, quod percellere ſeu repercutere ſignificat, ſed etiam à reliquis Latinis pariter ac Germanis appellationibus, quibus ſalutare illum ſolent Medici ac vulgus, & nunc ſiderationem (quaſi dicerent, ceu ſidere tactos ad terram proſterni ipſo correptos) nunc noſtro idiomate **den Schlag** vel **die Hand GOttes**/ob eandem rationem vocant.

eſcriptio us.

Hiſtoria ejus cum ſyncopis multum concordat; cadunt enim nunc prævia aliqua vertigine ac cephalalgia, nunc de ſubito & ex improviſo cum omnimoda motus animalis, ac ſenſuum læſione in terram, ſolùm ut artus hîc non æque obrigeſcant, nec facies pallorem inducat, aut reſpiratio cum pulſu penitus intercipiatur, ſed undique flexibilia, ſive, ut clariùs loquar, reſoluta in illa manent membra, facies rubore eſt ſuffuſa, & aër, licet cum ſtertore, trahitur tamen aliquandiu, pulſusque magnus ſimul & vehemens deprehenditur. Aſt moneo hic, hiſtoriam apoplexiæ, quam nunc narravi, non univerſalem eſſe, ſed mitiori tantùm competere: Datur enim alia magis validior ſpecies, quæ ſine ullo præcedente ſymptomate ſtatim ac miſeros invadit & proſternit, derepentè illos omni vitalitate exuit.

Cauſa proxima eſt Spirituum influxus ad partes interceptus, quandoque ex culpa ſpirituum jam à fumo metallico, v.g. mercuriali vid. *Lang. Epiſt. l. 1. p. 43.* & *Fernel. de Lue Vener. c. 7.* aut carbonum *e)* vid. *Helmont. p. m. 720.* vel ab opio aut alio ſulphure narcotico ligatorum, quandoque ex humorum ſtagnatione proveniens. Perindè verò mihi eſt, ſive ſtagnatio illa fiat ab abundantia ſangvinis, à qua cauſa apoplexiam recenſet *Zac. Luſitanus de Medic. Princip. Hiſt. 33.* & *Platerus Lib. 1. obſ. 14* ſive de orgaſmo ſaltim in excandeſcentia, vel poſt nimium ſpirituoſum potum aſſumptum, Confer. *Foreſtus l. 10. c. 70.* ſive à coagulatione ſangvinis, aut extravaſatione ob caſum ab alto, aut contuſionem capitis vid. *Tulpii obſ. lib. 1. c. 6. Horſt. lib. 2. obſ. 5.* ſive à terrore vehementi, v.g. ob fulmen, terræ motum, exploſionem bombardæ à tergo, triſtem nuncium, vide ſis *Benivenium de abdit. rerum cauſis cap. 23. Schenck. lib. 1. obſ. 4. Amat. Luſitan. Cent. 3. Curat. 22. Hildan. Cent. 6. obſ. 12.* Sive ex pituitoſo aut ſeroſo humore in cerebro collecto, vid.

Cauſa proxima.

remota.

d) De hyacintho lapid. magnificè ſentiunt Autores in cura ſyncopes, illumque egregie convenire puto, modò conditio ægri id ferat h. e. ditior paulo exiſtat, ut præſcribere eundem liceat.

e) Anno 1696. mercator aliquis in cella hîc Lipſiæ apoplexiâ ſubitaneâ correptus fuit, ratio, quoniam ſpiritus à gas ſylveſtri vel ſulphure narcotico ligabantur.

vid. præ reliquis Wepfer. Tr. de Apoplexia.

Cura accele-randa.

De therapeuſi hujus morbi hoc ſciat Practicus junior, quàm primum acceſſerit apoplexia correptum, ſine deliberatione prolixa ad Curam eſſe properandum, niſi cunctando tempus medicamenta adhuc admittens protervè transmittere velit.

excitando Apoplecticum.

Moliri autem omnium primò ſuſcitationem ægrotantis debet,& nunc quidem elevatione corporis ſituque magis erecto, vel frictionibus duris cum panno aſpero, vel ligationibus doloroſis,aut vellicationibus capillorum, vel inſufflatione piperis, caſtorei, hellebori albi per calamum ſcriptorium intra nares, quibus omnibus facilè excitamus ægrotantes.

Interea clyſma acre ex ruta, centaur. min. thymo, ſalvia, roremar. helleb.alb. & nigro,it. cyclaminis radice cum colocynthide & croco metallor. vel ſaltem ſuppoſitorium acre præſcribat, & quantocyus fieri poteſt, applicari jubeat.

Sed cum ejus præparatio ad minimum dimidiæ horæ ſpatium exigat, ne interea ſine auxilio linquatur patiens,acerſat Chirurgum, qui venæ ſectionem adornet, plus minus largam pro Subjecti conditione, vel infundat ori vitriol. album aut gillam Paracelſi, aut aliud vomitorium *f*) ad imitationem Helmontii, ac Fabri, vel veſicatoria pone aures ut applicentur, ſvadeat; ſi plura deſideras pro hoc ſcopo remedia *g*) *Cap. XX. §.1. & præcedentem de ſyncope evolve.*

confortando.

Statim verò ac paululum ad ſe redire iterum incipit æger, interna analeptica *§. de Syncope* nominata, cum ſalinis volatilibus v.g. ſpirit. ſangvinis, cranii, ſecundin. human. aut ſalis ammon. vel urinæ, liqu. corn. cerv. ſuccinat. eſſ. caſtorei &c. & acribus vegetabilibus v. g. roremarin. ſpica, lavend. ſalvii, ſem. ſinapi & erucæ, cardamomi pro ſpirituum motu conciliando & pituitæ reſolutione exhibeantur.

præſervando à recidivâ.

Sed licet nunc poſt excitationem ſenſuum è cimba quaſi Charontis retraxiſſe videaris decumbentem, nihilominùs tamen ille propterea in portu haud navigat, quin novi paroxyſmi recurſus triſtisſimum vitæ naufragium, vel remanens paralyſis miſerrimam poſthac vitam minitetur. Pro averruncando itaque utroque malo iterùm hic opus habebit Medicus remediorum apparatu, & quidem contra primum reiteratus vomitoriorum, vel purgantium aut analepticorum, vel acrium uſus proderunt, ſicuti contra alterum medicamenta antiparalytica locum invenient.

§. 4.
De
PARALYSI.

Deſcribitur

INdigitatur *Phralyſeos* titulo membrorum flacciditas ob motum animalem omninò deperditum. Latinis vocatur Reſolutio, Germanis eine Lähmung der Glieder.

Dividitur ratione loci affecti.

Diverſa hæc eſt primò ratione loci affecti, omnes enim quandoque partes ſub capite illam ſuſtinent, alio tempore tantùm medietas corporis ſecundum longitudinem ſcilicet à capite ad pedes usque, alio pars tantùm una vel altera: ſingulis his ſpeciebus propria ſua nomina indiderunt Autores, dum primam *Paraplegiam h*) alteram *Hemiplegiam*, & tertiam *Paralyſin* cum partis affectæ additione v.g. pedis, lingvæ, ani &c. dixerunt.

ratione majoris vel minoris gradus

Præter hanc differentia alia adhuc occurrit à majori vel minori gradu de-

f) *Faber* jubet, ut in apoplecticorum gratiam tale remedium ſecum ſemper gerant, tum Medici, tum ægrotantes. Pro ipſis verò vomitorium requiritur, quod genus univerſum nervoſum commodè afficiat.

g) Si ex ſtagnatione ſangvinis, & extravaſatione ſub cranio v. g. à caſu aut percuſſione &c. apoplexia fuerit, ſolùm ſupereſt trepanum.

h) Scio equidem aliquando per portam equitantem caput in ſuperiore parte propter incuriam ipſius adeò portæ allidiſſe, ut collum cum vertebra luxatum fuerit, & in momento paraplegiam paſſus ſit.

deſumta; jam enim ſolus motus partibus paralyticis eſt demtus, remanente adhuc ſenſu, jam verò ſenſus in illis eſt deperditus, quod ſtuporem dicunt.

Cauſæ dependent à ſpirituum ad partes influxu denegato, vel ob ſpirituum defectum, vel nervi *i*) læſionem à vulnere, aut relaxatione ob humorum ſeroſorum vel viſcidorum abundantiam, aut refrigerationem nimiam, vel motus convulſivos, item à dolore & luxata ſpina dorſi, vel articulatione, vel ex colica paſſione, iſchiadico malo vel arthritide ſcorbutica.

Curativa indicatio eadem eſt, quæ apoplexiæ, ſcilicet ut ſpiritibus animalibus iterum paretur acceſſus ad partes.

En! hic omnem remediorum antiparalyticorum exercitum in triplici turma locatum, quarum prima aſſervat, quæ ſola irritatione alliciunt ſpiritus & invitant ad partes. Agmen inter hæc ducunt veſicatoria cum rubefacientibus, quas cæſiones partium cum virgis vel urticis, picationes veterum & frictiones cum pannis aſperis inſequuntur.

Altera continet, quæ præter irritandi facultatem inſimul analepticam vel incidendi pituitam, vel roborandi reſolutas fibras poſſident. Huc refero thermarum uſus, balnea formicarum, ſpiritum vini vel ſolitarium, vel ſuper plantas aromaticas digeſtum, uti ſunt chamædr. Chamæpyt. ſerpill. primulæ ver. majoran. origan. thymum, lilia convall. roſmarin. puleg. baſilicum calaminth. mentha, menthaſtr. ruta ſylveſtris & domeſtica, ſalv. lavend. ſpica, flor. ſtœchad. betonicæ, rad. valerian. angelic. bryon. gentian. dictamnus, bacc. lauri, juniperi; vel magis acria, nicotian. aronis, pyrethri radices euphorbium, piper, zingiber. ſem. erucæ & ſinapi &c. Huc pertinent quoque aqua magnanimit. olea deſtillat. angelic. aniſi, ſuccini, therebinthinæ, juniper. ceræ, tartari fœtidi &c. galban. ſagapen. gumm. ammoniacũ ſtyrax, aſa fœtida, caſtoreum, petroleum, balſam. peruv. ſpirit. lumbricor. terreſtr. vel ſalis ammon. cum calce viv. fotus tandem ex vinaceis, vel fecibus vini &c.

In tertia pingvedines colloco humanas, caninas, vulpin. felin. anſerin. caſtorinas, ciconiæ, medullam crurum boum & olea lilior. alb. amygdalar. laterum &c. à quibus tamen nullum alium uſum in paralyſeos cura præſtari credo, quàm ut fibres motrices emolliant & diſponant ad citiorem ſpirituum admiſſionem, vel demulceant ſalia ſcorbutica forſan nervis incuneata.

Externis hiſce remediis ſi inſuper interna aſſociare cupis, non deerunt talia, modò ad cauſas attenderis. Erunt autem illa nunc analeptica, nunc vulneraria, nunc anticatarrhalia vel anticachectica, nunc calefacientia, nunc antiſcorbutica.

Contra paralyſin ex luxatione provenientem internis nihil efficies, niſi prius repoſita ſit pars de loco naturali turbata: nec nervorum extenſioni, aut convulſivis motibus, niſi roborantibus externis, in altera medicamentorum claſſe locatis, ſuccurras.

§. 5.

De

Epilepsia.

Synonyma Epilepſiæ varia. VAriis nominibus ſuperbit præſens morbus in Medicorum libris, quapropter, ne confundatur junior Practicus in lectione Autorum, nominabo ex illis primaria. Vocatur

---

i) Subinde tamen etiam vitium obſtructionis intus in nervis latet, quod quidem paradoxon videtur, cum negem aliàs ſuccum nervorum; ſed reſpondeo: cum nervi ex infinitis tubulis conſtent, quos permeare ſuccus ejusmodi equidem nequit, ſed ſolis ſpiritibus hi patent, nihilominus humidum aliquod unctuoſum inter diverſos hos tubulos deprehenditur, faciens ad humectationem nervorum. Quando itaque humidum illud unctuoſum ſtagnando craſſius redditur, non poſſunt non tubuli obſtrui & comprimi, & ex hac cauſa paralyſin poſt apoplexiam ſolennem oriri credo.

tur verò nunc comitialis, nunc ſacer, nunc herculeus, nunc caducus, nunc ſonticus, nunc lunaticus morbus: gerit etiam motuum convulſivorum nomen, & ſi *Nicolai Fontani notas in Prax. Medic. Dodonæi* inſpicis *p. m. 220.* peditio, hiera noxium, commenſalis & convivalis affectus audit, Germanis dicitur die böſe Seuche/ oder ſchwere Noth.

Deſcriptio, Evolutionem ſingularum denominationum prolixè tradere non eſt noſtri inſtituti, potiùs de ejus hiſtoria ſumus ſoliciti, de qua ſciendum: *Epilepſiam* eſſe totius corporis motum involuntarium, ſeu concuſſionem plus minus violentam cum externorum, ac internorum ſenſuum oppreſſione conjunctam. Sed quemadmodum hæc deſcriptio univerſalem tantùm Epilepſiam reſpicit: ita de particulari vel manuum, crurum pariter, ac partium internarum, diaphragmatis puta, ac inteſtinorum modeſtius judicari debet, quoniam in illis particulariter contingentes motus convulſivi citra ſenſuum imminutionem accidunt.

Subjectum Subjectum ejus ſunt nervi modò per univerſum corpus expanſi, modò hujus tantùm, vel illius partis.

Cauſa proxima, Cauſa proxima ſpiritibus imputanda eſt irregulariter ad partes per nervos fluentibus.

remota. Occaſionem huic anomalo motui ſuppeditant modò à parentibus communicatæ ideæ, modò animi pathemata graviora v. g. terror ex aquæ perfuſione inopinata, referente *Camerario Syllog. memorabil. Cent. 16.* metus v. g. ex conſpecta venæ ſectione vid. *Salmuth Cent. 2. Obſ. 73.* ira, excandeſcentia &c. modò ebrietas, modò frigus externum teſtante *Benivenio de abdit. rer. cauſis p. 48.* modò uteri geſtatio, modò plethora conf. *Zac. Luſitan. Med. Princip. hiſt. 26. fol. 45. Lib. 1. Obſ. 23. p. 45.* modò ſangvinis acrimonia, modò tormina ventris, vel colica, aut iliaca, item hyſterica pasſio vid. *Thoner. Lib. 2. Obſ. 3. Smetium Miſcell. fol. 546. Hœfer. Hercul. Med. l. 1. c. 2.* modo vermes, referente *Bartholino Hiſt. Anat. Cent. 4. Obſ. 7. Zacut. Luſitano Medic. Princip. hiſt.* modo contuſiones, caſus, læſiones partium ſenſatarum ac nervorum.

Valent autem hæ occaſiones non tantùm in cerebro attingentes nervorum principia univerſalem, & per eſſentiam, prout vocant Practici, epilepſiam; ſed quoque in omnibus aliis partibus per conſenſum quidem dictam, nihilominus æque univerſalem excitare, adeo ut ſæpius in extremo manuum ac pedum *k*) articulo ex dolore forſan, aut alia cauſa principium ſumens malum in momento totum reliqvum nervorum ſyſtema in horrendos convulſivos motus rapiat.

Signa cauſarum. Signa cauſarum occaſionalium ſi in ullo morbo, ſanè in hoc neceſſaria videntur Medico. Inquirendum itaque eſt, an ante hæc æger plures inſultus tales paſſus ſit, an non? ſi illud, an parentibus etiam illi fuerint familiares, aut ſecus? ſi hoc, an animi pathema grave; aut alia ſpirituum alteratio vel læſio externa vel dolor &c. præceſſerit? Poſtquam hæc cuncta reſciverit, ope rationalis ſtochaſmi facilè intelligit, num hæreditarius ſit morbùs vel à quali cauſa oriatur. In infantibus tamen cum talis cauſarum indagatio locum non inveniat; cogimur quandoq; ex retentis & excretis ſcybalis illa ſumere, quærendo ſcilicet: an in recens-natis meconium ſit debite exoneratũ, vel qualem colorem aut conſiſtentiam feces nuper depoſitæ præ ſe tulerint? num viridem an luteum? num fluidam & naturalem conſiſtentiam, num grumoſam (gehackt) item an dentitio immineat, vel an alius lateat morbus? Denotabunt autem diſcolorationes illæ fecum, ab acido *l*) quodam in inteſtinis ſtabulante, ſicuti in reliquis vel dolorem, vel morbum imminentem cauſam eſſe mali.

Cura conſiſtens Cura immediatè partim ſpirituum motui irregulari oppoſita eſto, partim remotis cauſis. Tantus hic pro utraque intentione adeſt medicamentorum

k) *Vid. Tulpii Obſ. de Epilepſ.* ex pollice pedis, it. M. N. C paſſim.

torum apparatus, ut ſelectum tantum inſtituere ex illis cogamur.

in ſpirituum tranquillatione, Erit itaque pro prima primum medicamentum opium *m*) ſive ſub laudani ſive alia quavis forma adhibitum, cui poſtmodum ex vegetabili regno viſcus corylinus & quercinus, ſem. pœoniæ, ſulphureus pulvis julorum coryli, muſci clavati, ſive quod idem eſt ſulphur lycopodii, item lunariæ vid. *Tackius Chryſogon. animal. p. 165.* tandemque ſuccinum & ex minerali regno cinnab. nativ. & antimonii, flor. ſulphur. &c. ſubſtitui vel combinari poſſunt.

& Cauſarum remotione. Pro altera omnis generis reperies medicamenta, nunc acida *n*) v. g. ſpirit. vitrioli volatil. vel ſimplex ejus oleum, ſpiritus ſalis & æruginis, vid. *Hartmann. Pr. Chym. Agricola in Popp. Tract. de Antimonio p. 163. Crato Obſ. 38. Boyle Chymiſt. Sceptic. pag. m. 227.* nunc alcalia volatilia & ſpirit. ſangvin. ſecundin. cranii cerebrique humani, nunc terrea, terra ſigillat. ſtrigon. cryſtall. præparat. unicorn. ver. & foſſile, cranium patibul. raſur. ungul. ulcis, dentis hippopotami, coagulum ſangvinis leporini, rad. pœoniæ, magiſter ſpin. viperin. vel muſtelæ piſcis, ſmaragdus, lap. bezoar. uſnea cranii human. &c. nunc ſalſa, liqu. corn. cerv. ſuccinat. mixt. ſimpl. ſpirit. aperitiv. Penoti vel à *Glaubero Furn. Philoſoph. Pr. c. 89.* deſcriptus; nunc amara aliaque aromatica, ruta, card. bened. fel catelli. confer. *Act. Haffn. Vol. 3. Obſ. 32. Vol. 5. p. 254.* rad. valerian. ſylveſtr. olea deſtillata ſuccini, rutæ, ſalviæ, coryli, buxi, ſangv. human. tandemque caſtoreum.

Utimur etiam non raro vomitoriis *o*) non ſecus ac purgantibus, clyſmatibus, fonticulis & veſicatoriis tam pro evacuatione humorum pravorum, quàm divertendis ſpiritibus.

Externe inſuper inſerviunt contra inſultus tales paroxyſmi tempore, odor rutæ ſylveſtris & hortenſ. item ſulphuris accenſi, vel emplaſtrum ex pice ſutoria, granis pœoniæ & oleo caſtorino occipiti deraſis capillis applicatum vid. *Act. Haffn. Vol. 5. p. 165.* aut ungventa ex axungia cati ſylv. vel caſtorei, oleo juniperi, ſuccini, rutæ &c. ſpinæ dorſi & cervicis regioni illita.

Quæ præterea Autores extollunt amuleta, v. g. ex nymphea alba & lutea in umbra ſeptentrionali exſiccata & lectulo ſaltem ægrotantis appenſa, item ex ſambuco ſuper ſalicem creſcente, confer. *Hartmann. Prax. Chym. Barthol. cent. 4. hiſt. 99.* aut ex pilis canis albi nullam maculam habentis &c. medio relinquimus loco, fatentes ultro à nobis nunquam illa tentata, qui ejusmodi remediis quorum operandi rationes haud dari poſſunt, perquàm difficulter fidem adhibere conſvevimus.

§. 6.

De TREMORE PARTIUM.

Ad

l) Ventriculi acor in infantibus eſt cauſa ſolennis, qui à lacte nutricis acri aceſcente oritur. Unde ſi nutrix paulò poſt excandeſcentiam infantem lactat, facilè epilepſia infantilis progenerari poteſt.

m) In forma ſicca puerulis non præſcribendum, ſed ejus tinctura ad gtt. j. l. ij. in ℥j. aquæ appropriat. Subſtitui quoque huic poteſt ſyrup. papav. alb. ex capit. papaver. & ſemine paratus.

n) Accidit aliquando, ut per plures annos epilepſiâ laborans fœmella mihi obveniret, cui cum inter loquendum mecum paroxyſmo corriperetur intumeſcebant omnes venæ mirabiliter, facies pene nigreſcebat &c. Hinc cum vulgaria remedia cuncta in caſſum adhibita jam eſſent, volatilia autem ob orgaſmum ſangvinis in ægra jam obſervabilem non quadrare ſuſpicabar, minus vulgare præſcripſi. Recipiebam ſcilicet clyſſum antimonii (tanquam acidum) cum eſſentia opii pro compeſcenda ebullitione & orgaſmo ſangvinis, & feliciter continuato uſu reſtituta fuit.

o) Si in infantum ventriculo cauſa hæreat, optima tunc ſunt; in ſpecie verò convenit ſyrup. emet. rub. idæi ad gr. j. ſæpius. Si non primâ vice vomitus ſuperveniat, reiteratur cum ſyrupo confortante alio mixtus.

AD depravatum motum animalem etiam præſens morbus referri meretur, cujus hiſtoria ex ipſa inſcriptione jam innoteſcit, noſtro idiomate dicitur, **das Zittern der Glieder.**

Sedes ejus ſ. ſubjectum.

Occupat hoc vitium quandoque totum corpus, ſic ut omnes partes tremulo motu agitentur, quandoque verò unam aut alteram partem tantùm, pedes puta, manus, brachia vel caput.

Differentia à motibus convulſ. & rigore artuum tempore hyemali.

Diſtingvitur à motu depravato in epilepſia & rigore ab inclementia aëris hyemalis dependente, quod ad lubitum quidem pars affecta moveri, ſed non ſine tremore poſſit: aſt in illo libertas talis movendi partes non modò demta eſt, ſed longe inſuper majori cum violentia ſurſum & deorſum cum ſenſuum defectu agitantur, in hoc verò ſtupor ſemper aliquis eſt conjunctus, ſimiliterque etiam quieſcente parte conſpicitur.

Cauſa proxima,

Cauſam credo tremulum ſpirituum influxum vel ex ipſorum defectu vel idea quadam communicata natum. Ut clarius aſſertum hoc fiat, provoco ad cauſas remotas externas & internas.

remota.

Palam eſt ex morbo gravi convaleſcentes, poſt evacuationes nimias, hæmorrhagias inſignes, veneris abuſum, *p)* ſyncopes & epilepſiæ paroxyſmum, inque extremo ſenio *q)* corripi hoc affectu homines. Similiter & illum patiuntur, qui inclementi frigori corpus exponunt, multâ vini copia ſe onerant, res adverſas vehementer metuunt ac timent, terrore ſubitaneo concutiuntur, irâ inflammantur, fame aut vini deſiderio premuntur, cardialgiâ laborant, ſangvinis abundantiâ vel acrimoniâ ſcorbuticâ aut ex mercurio *r)* aliove veneno oriunda cruciantur.

Cura.

Methodus pro curatione inſerviens perficitur aliquando analepticis & roborantibus, ubi ex ſpirituum defectu naſcitur morbus, quorum catalogum vide §. 2. *hujus Cap.* aliquando acrimoniam corrigentibus, ſpirit. ſangv. human. plantisque antiparalyticis, confer §. 5. *præſentis Cap.* aliquando ſolâ venæ ſectione aliisque evacuantibus, ſi plethora vel cacochymia adfuerit; aliquando abſorbentibus in cardialgia, aliquando ſola quiete, ſi ab animi pathematibus, aliquando ſolaribus *s)* medicamentis, confer. *Zacut. Luſitan. & Riverius* ſi à mercurio origo fuerit.

Specificam aliàs antitrymicam facultatem adſcribunt Practici cerebello leporino aſſato, vid. *Capivaccius Pr. lib. 1. p. 23. Foreſt. Obſ. lib. 10. obſ. 9.* ſtercori pavon. *t)* ad ℥j. cum ſpiritu vini ſumpto confer. *Borelli Centur. 3. Obſ. 93.* caſtoreo, affirmante *Heurnio lib. de Capit. morb. c. 27.*

Externa etiam inſuper ſuppeditantur remedia, aquæ ſcilicet apoplecticæ, aqu. ſalv. vel decoctum aut Eſſent. hyperici, anthos, ſpirit. tartari juxta *Horſtii Obſervationem Lib. 3. P. 2 Obſ. 14.* oleum origani & cucumeris aſinini, baccar. juniperi.

§. 7.

p) Hinc ſtatuit Avicenna in ſemine concentratos eſſe ſpiritus, ita ut guttula illius una magis vires deprædetur, quàm larga ſangvinis miſſi copia, concludit itaque à minori ad majus, quantum unus tantùm coitus vires abſumat.

q) In ſenio mirum non eſt, adeſt enim in ſenibus naturale juxta *Helmont.* virium decrementum, nec tantum ſpirituum defectus in iis notatur, ita ut ſenſus interni pariter ac externi tandem deficiant, ſed etiam in humoribus vitium latet, qui tandem penitus quoque deficiunt, hinc eſt cutis aridura & corrugatio, à deficiente ſufficiente humiditate.

r) Metallurgi & mechanici frequenter morbo hoc laborant.

s) Si poſt mercurialem ſalivationem aut fumum mercurialem tremor, non male aurei nummi in ore detinentur, quo arripiant mercurium fortè in corpore adhuc relictum, vel internè detur aurum foliatum pulveriſatum, vel ramenta auri &c. *Luſitanus* pilulas aureas commendat vel raſpaturam auri; *Riverius* folia auri propinat.

t) Ad ℥as aliquot fruſtra exhibui ſolùm experimenti gratia, num illa decantata vis apud omnes una eademque ſit.

§. 7.

De

PALPITATIONE CORDIS.

Deſcriptio. QUod motus convulſivus & tremor artuum in partibus, id *Palpitatio* in corde eſt, ſcilicet hujus muſculoſæ partis brevis, ſæpius tamen reiteratus motus, ſemper cum ſubſultatione, Auffhüpffen/factus, undè palpitatio dicitur, Germanico nomine nuncupatur Hertz-Pochen / Hertz-Klopffen / Hertz-Zittern.

Differentia gradualis. Obſervatur in hac palpitatione differentia ratione ſubſultationis inſignis, alia enim levis eſt, alia vehemens; levem voco, quæ tantùm ab ægrotantibus vel ab aliis adſtantibus admota ſiniſtræ mammillæ manu ſentitur; vehemens eſt, quæ non tantum auditu *u*) ſæpiùs in diſtans ſatis ſpatium percipitur, confer. *Chriſtophor. à Vega lib. 3. de art. Med. c. 8. & Petr. Vaſc. Caſtell. de morb. thorac. tract. 9. c. 5. p. 844.* Sed etiam coſtas diffringit, vel ſaltem de ſede ſua dimovet, ſi modò vera eſt hiſtoria quam *Angell. Victorius conſil. 97. p. 415. & Schenck. l. 2. obſ. referunt.*

Cauſa Occaſionalis. Cauſæ occaſionales ſunt intra cor, polypi, carunculæ, coagulum ſangvinis, ſangvis lentus valvulis involutus, lapides & vermes cordis, item inflatio.

Extra cor plethora, occalleſcentia ſeu oſſeſcentia vaſorum, abſceſſus vaſorum, coarctatio à flatibus vel aqua in pericardio, ſpaſmi nervorum, animi pathemata, acrimonia ſangvinis, malum hypochondriacum, menſium ſuppreſio, valvularum Lunarium eroſiones, dilatationes vaſorum, obſtructio pulmonum.

Patitur autem in utraque palpitationis ſpecie cor, diverſo tamen modô, dum nempe aliquandò immediatè irritatur à cauſâ morbifica, quandoque verò ex conſenſu patitur, hinc alia per eſſentiam dicta, alia per conſenſum.

Cauſa Palpitationis per eſſentiam. Quæ per eſſentiam eſt, pro cauſa agnoſcit nunc ſpiritus deficientes, nunc ſaltem idea quadam timidâ & meticulosâ characteriſatos: ex qua ultima cauſa palpitationes in febribus malignis & peſte ipſa, item ante invaſionem morbi in quibusdam febribus intermittentibus vel melancholia occurrentes deduco.

Præterea produci hic affectus poteſt ex vitio ipſius ſubſtantiæ cordis, modò excreſcentia carnea vel hydatide, occupatæ, vid. *Schenck & Zacut. Luſitan.* modò inflammatæ, modò abſceſſu vel polypo *w*) aut vermibus obſitæ.

Denique ex vitio ſangvinis, vel abundantia vel acrimoniâ ſcorbutica peccantis, vel præternaturali ſaltèm orgaſmo turgeſcentis, originem trahere poteſt, quæ cauſæ in ſcorbuto & ex eo fluentibus malis ſe manifeſtant.

Cauſa Palpitationis per conſenſum. Ex conſenſu verò naſcitur, quando mediante diſtributione nervi paris vagi dicti cum corde connexa pars moleſtiâ vel dolore afficitur. Dantur itaque palpitationes ex tuſſi, cardialgia ſingultu, lienis affectu, malo hypochondriaco, colica, uterina paſſione, menſium obſtructione.

Signa cauſarum. Signa Cauſarum hauriuntur ex ſymptomatibus quæ ſcaturigines ſuas judicioſo indagatori citra magnam difficultatem detegunt; ſolæ excreſcentiæ polypi & vermes difficultatem pariunt aliquam inquirentibus, rariſſimè tamen cum occurrant, non eſt, ut de illis cogitemus, niſi remedia prius

u) Notavi palpitationem ante fores cubiculi jam auditu perceptibilem in viro procerâ ſtaturâ conſpicuo. Ex mœrore contractam palpitationem optimè curavi meliſſâ additis blandis crocatis.

w) Polypus eſt pariter excreſcentia, dicitur ita à multis extremitatibus, quibus vaſa utplurimùm ex corde prodeuntia inque illud terminantia implet. Nunc materia ſaltem viſcoſa eſt, nunc ſubſtantia ejus magis carnoſa & cartilaginoſa, eſtque polypus tunc nihil aliud, quàm carnoſa ſubſtantia in cordis ventriculis nata, vel ex ipſa carne cordis orta, eſtque tunc non niſi caro luxurians, qualis in vulneribus &c. notatur, vel quando ejusmodi ſubſtantia mucilaginoſa fibris cordis adhæret, quæ poſtmodum indies augetur, hinc diſtenditur etiam in immenſum cor, &

us fuerint fruſtra contra reliquas cauſas tentata.

Cura. Cura nullatenus differt à præcedentium affectuum, ſola namq; aliquando analeptica, vel ut veteribus loqui placet, Cordialia illam abſolvunt. Experta Autoribus ſunt meliſſa, borrago, roſæ, bugloſſa, violæ, vel ſub forma eſſentiarum vel alius formulæ adhibita, item confect. alkerm. & anacardina, crocus, ambra, moſchus, quæ cuncta etiam externè cum inſigni emolumento tum quoque applicari poſſunt.

Alio tempore conveniunt antiſcorbutica, alio venæ ſectio, alio antiſpasmodica, alio acidula & quæ orgaſmum ſanguinis tantum refrænant; alio cardialgiæ vel lienis affectibus, hypochondriaco malo & paſſioni hyſtericæ, obſtructioni menſium &c. dicata.

Sed ubi in polypum ceciderit ſuſpicio, videndum, an reſolventibus imprimis Mercurialibus *x*) aliquandiu continuatis valeat materia hæc rurſus diſcontinuari; vel ſi vermes ſuſpicaris, ſuccus alii, raphani ruſtic. ſ. ſylveſtr. & naſturt. aquat. experta à *Gabelchovero Cent. 3. Curat. Medic. 1.* adhibeantur.

§. 8.

De

SPASMO.

Supereſt adhuc ultima affectio circa motum animalem, quæ *Spaſmus* dicitur, *Convulſio* & *Contractura*.

Spaſmi natura. Natura ejus conſiſtit in corrugatione fibrarum motricum involuntaria, quæ tanta eſt, ut illas ad priſtinum ſtatum reduci non ſolùm neget, ſed inſuper in illis dolores excitet exquiſitisſimos.

Diſtinctio. Iterum hic morbus eſt vel univerſalis vel particularis: univerſalis rurſus tres ſpecies admittit; prima vocatur *Tetanus*, denotatque totius corporis rigiditatem ac immobilitatem, nullum prorſus ad latus inclinationem admittentem: Secunda vocatur Emproſthotonus & in hac omnia membra verſus anteriora tenduntur; tertia opiſthotonus audit univerſique corporis verſus poſteriora reflexionem indicat. *Univerſalis tres dantur ſpecies.* Particularis convulſio aliquando manus, pedes, collum, faciem &c. invadit, è quibus illa, quæ faciem occupans os ad utrumque latus diſtorquet *Spaſmi Cynici*, quæ verò momentanea affectione brachia, crura &c, corripit, barbarum Gramphi *y*) Germanicè des Kramps titulum gerit.

Vix indigemus ullis diagnoſticis ſignis pro cognitione horum morborum, referuntur enim illi ab ægrotantibus, & licet illud haud fieret, non fugient tamen Medicum, modò inſpexerit & tetigerit decumbentem.

Circa ſolum Tetanum videtur difficultas aliqua remanere, utpote qui cum ſyncope ſimilem oſtendens artuum rigiditatem, confuſionem cum illa minatur. *Diagnoſis Tetani à Syncope.* Sed feliciter hic ſe extricabit Practicus Junior, modò ad ſenſus tam externos quàm internos ægrotantis attendat: Salvos namque & integros reperiet illos in Tetano, ſecus in ſyncope, quemadmodum videre eſt *ex §. 2. hujus Capitis.*

Cauſa immediata. Cauſa immediata omnis ſpaſmi una ſemper eſt, ſcilicet contractio hæc dependet modò à reſolutione & paralytica affectione alicujus muſculi; ſic enim alter ejus antagoniſta, viribus ſuperans, membrum pro lubitu incurvat & ceu victor ſub juga quaſi ſua mittit. *Occaſionalis.* Occaſiones hujus cauſæ ſunt cuncta, quæ paralyſin aut ſaltem atoniam muſculis & tendinibus inducunt obſtruendo vel alio modo lædendo nervos, motus cauſam efficientem partibus apportantes.

Altera

---

quia ſangvini circulando hoc modo obex ponitur, non poteſt non palpitatio talis oriri.

x) Cum inſigni vi polleant reſolvendi mucum viſcidum, in ancipiti caſu ſcilicet polypo & vermibus (cum polypus adhuc fortè mucus viſcidus fuerit,) locum habet mercur. dulcis rite paratus, licet hac commendatione nemini ſalivationis mercurialis autor ſim, ob multas, quas audaculi ignorant, difficultates.

y) Conf. *Tract. Facultat. Medicæ Marpurg.* von der Griebel-Kranckheit / Krimpſucht oder ziehenden Seuche. *Marpurg. 1597. in 4to.*

Altera cauſandi ratio in vitio ipſorum muſculorum hæret præter naturam ſe contrahentium. Occaſionem hæc cauſa ſumit utplurimum ex acrimonia humorum vellicante, & per conſequens ad contractionem irritante nervos partibus implantatos; vel à punctione aut contuſione nervorum, à quibus ſimilis irritatio & convulſio gignitur. Tali autem in convulſionis caſu pars non incurvata, ſed ferri ad inſtar rigida & immobilis eſt.

Cura Spaſmi ex Paralyſi. Ad Curam ſpaſmi unicè cauſarum occaſionalium remotio exigitur: adeoque, quandò ob paralyſin, vel atoniam alicujus muſculi alter antagoniſta robur ſuum exercendo contrahit membrum, antiparalyticis aggrediendus eſt hic morbus, eâ methodo, quæ ſingulis paralyſeos cauſis ſit accommodata, locum tamen præ reliquis tùm temporis in ſecunda claſſe locata habebunt.

ex humorum acrimonia. Spaſmis verò ex humorum acrimonia aliter occurrendum, nempè per dictam cauſam demulcentia. Si deſideras nomina horum medicamentorum, evolve §. de paralyſi modò citatum, & quidem turmam tertiam medicamentorum, ipſisque pro uſu externo aſſocia illa Autorum decantata evporiſtica v. g. oleum lumbric. terreſtr. ſcarabæorum. balſam. ſulphur. mucilag. ſem. pſyllii, cydonior. fœnu græc. rad. bryoniæ, emplaſtr. diapalma, de mucilaginibus.

ex vulnere aut contuſione. In ſpaſmo ex vulnere, vel contuſione præter allegata oleum chamæmel. anethi, lini, hyperici cum balſam. peruviano vel vulneribus ipſis inſtillata, vel ſaltem externe illita laudem merentur.

Intelliges ſinè dubio ex hac remediorum externorum recenſione, ſimilem ſelectum internorum etiam eſſe adhibendum, hoc eſt, nunc acria, eſſentia v. g. caſtorei, imperatoriæ, flor. ſalviæ, roriſmarin. ſalia volatilia macra & oleoſa, vel plantarum antiparalyticarum decocta eſſe adhibenda; nunc terrea *z*) ſulphurea *a*) ſalſa *b*), anodyna &c. quæ ſub titulo antiepilepticorum magna in copiâ in præcedentibus ſunt propoſita.

Pro evacuatione etiam & derivatione cauſarum morbi non malè purgantia vel vomitoria medicamenta adhibentur, aut in aliis adhuc ſanis partibus veſicatoria aut ſetacea applicantur, tollunt enim ſæpius ſpaſmos & contracturas, aliàs nullis remediis cedentes.

CAPUT. XXII.

De

VITIIS CIRCA LOQUELAM.

§. I.

De

APHONIA.

CUm loquela cogitationum noſtrarum ſit princeps internuncia, animique notionum accurata interpres; meritò ſolliciti ſumus de ejus conſervatione & reſtitutione, ſi forſan aliquid adverſi illa patiatur.

Vitia loquelæ. ſunt Traulotis. Patitur autem aliquid in *Traulote* ſeu *Blæſitate*, *Balbutie* & *Aphonia*. Traulotis ſeu blæſitas vocatur, quando aliquæ Alphabeti literæ, R. imprimis & *ſch* efferri non poſſunt, Germanicè; Schnarren / Liſpeln oder Tziſchen.

Balbuties. Balbuties eſt, cum literæ & ſyllabæ vocum inter pronunciandum vel abſorbentur, aut ſupprimuntur, vel aliquoties involuntariè repetuntur & interrumpuntur: nobis vocatur Stammern oder Stottern.

Apho-

z) Unicorn. marin. dens hippopot. lap. Manat. Ungul. alc. cran. human. corn. rhinoc. &c.

a) Flor. ſulphur. cinnabarina, ſuccinata &c.

& Aphonia. Aphonia tandem vocis dicitur carentia & defectio totalis, noſtratibus, Stumm / Sprachloß.

Agam verò impræſentiarum unicè de Aphonia, omisſis reliquis, tanquam ſub Medicorum curam raró cadentibus: floccipenduntur enim utplurimùm, dum recentes ſunt, & poſthac nullus amplius curæ eſt locus, quoniam per conſvetudinem longam alteram quaſi in naturam abierunt.

Cauſa. Ad propoſitum itaque. Habet aphonia pro cauſa vel morbum reſpirationis, vel reliquis formationi vocis inſervientibus organis contingentem:

Ex prima cauſa accidit in ſuffocatione à catarrho, vel alia occaſione oriunda in epilepſia, ſingultu, pasſione hyſterica, vulneribus thoracis vel tracheæ, vide ſis *Paræum lib. 9. c. 23.* in relaxatione vel inflammatione laryngis &c.

Ex altera cauſa contingit nunc ob tonſillarum, ac uvulæ intumeſcentiam, exulcerationem aut eroſionem, nunc ob linguæ immobilitatem ex ſpirituum denegato influxu, propter terrorem, *c*) timorem, metum, crapulam *d*) & excandeſcentiam, variolas aut gonorrhœam retropulſas vid. *Hildan. lib. 6. obſ. 14. Schenck. lib. 1. Zac. Luſitan. Pr. admir. Lib. 1. obſ. 105.* apoplexiam & inſequentem paralyſin; ariditatem ob febrem *e*) ardentem, vel hungaricam, aut tandem ex frenuli adſtrictione arcta.

Cura. In Cura iterum antè oculos habendæ ſunt cauſæ, itaque internè remediis *in §is de Suffocatione, epilepſia, ſingultu, pasſione hyſterica, angina, tumore uvulæ ac tonſillarum, apoplexia, paralyſi, febre ardente antiqv.*

Idem de externis quoque judicandum eſt. Etenim cauſarum diverſitas rurſus medicamenta *f*) non ſolùm ad linguæ inunctionem poſtulat varia, ſcilicet jam analeptica, ſpiritum v. g. ceraſor. nigr. lilior. convall. ſyrup. flor. tunic. ſtœchad. jam antiparalytica, oleum deſtillat. ſuccini, ſpicæ, ſalv. rutæ, eſſent. caſtor. *g*) jam refrigerantia & humectantia, mucilagin. ſem. pſyllii, cydonior. &c. Sed inſuper *h*) pro ſcopo derivatorio, vel diſcutiendi in quibusdam caſibus conveniunt Venæ Sectiones, in aliis veſicatoria, fonticuli, errhina, maſticatoria, inunctiones cervicis aut capitis.

Unica frenuli arcta adſtrictio poſcit methodum curandi prorſus à traditis diſtinctam, diſſectionem nimirum manu experti Chirurgi celebrandam. Non ſine cauſa expertam poſco manum ad hanc operationem. Nimis enim profunda diſſectio vel hæmorrhagiam periculoſam, vel ptyaliſmum incurabilem (ob ſalivalium ductuum vulnerationem, qui in illa regione terminantur) excitare valet. Quapropter omninò coërcenda, & prohibenda eſt ab hoc negotio temeraria & audax anicularum, & obſtetricum concio, quæ aliàs ungvibus ſtatim paululum acutis recens natorum frenula dilacerare ſolet; perindè ac ſi operatio hæc omnis damni foret expers. *Cura in arcta frenuli adſtrictione.*

CAP.

b) Liqv. corn. cerv. ſuccinat. ſpirit. aperitiv. Penoti &c.

c) A terrore v. g. viſorum cancrorum vivorum vid. *M. N. C. D. 1. A. 2. o. 145.* item à viſo lupo, quatenus terrorem incutit, unde Prov. Er hat einen Wolff geſehen / ab amore vid. *M. N. C. D. 1. A. 6. obſ. 136.*

d) Ab inebriatione obſervavit Aphoniam *Hœchſtetter. obſ. 9. Ronſeus Ep. 12.*

e) In puella Ao. 1696. obſervavi tres ſeptimanas aphoniam, quæ febre ardente correpta erat, ceſſante verò febre & aphonia ex voto ceſſabat.

f) Si à catarrho depluente, valet hic Lotichii remedium, acetum ſcilicet in os aſſumtum, quo conſtringuntur oſtiola glandularum excretoria, atque ulterior defluxus prohibetur. Proſunt etiam alia gargariſmata adſtringentia.

g) De his vid. *Hoffm. M. Med.* qui eam laudat.

h) Si ab animi pathematibus, per pathemata contraria curetur. vid. *Pechlini Obſ.* it. *Tulpius L. 1. Obſ. 4.* pertinent quoque huc, quæ *Herodotus* de Cræſi filio aphono, ab excandeſcentia propter occiſorem patris perpeſſa, reſtituto habet.

CAPUT XXIII.

De

MORBIS SEXUI VIRILI PROPRIIS.

§. I.

De

TUMORE AC DOLORE TESTIUM.

VIdimus huc usque morbos omni ætati ac ſexui communes; nunc progredior ad maribus, fœminis infantibusque proprios.

ecies tumorum in ſtibus quaor. A virili ſexu dum ordior, primò propono *Teſtium tumores* cum dolore ſummo utplurimum conjunctos. Dico in Plurali tumores, quatuor enim ejus ſunt ſpecies; primus tumor carnoſus eſt, vel ſi mavis ſcirrhoſus, cujus nomen proprium apud Autores eſt *Sarcocele*; alter varicoſus,& hic non æque in teſtibus, quam in vaſis pampiniformibus deprehenditur,quæ turgida,capreolorumque more intorta ſunt; tertius pituitoſus, & quartus inflammatorius eſt.

Nihil circa tumorum cauſas monendum occurrit, quod in aliis locis non ſufficienter ſit expoſitum.

Cura quodammodò ſecundum cauſarum varietatem mutanda.

ura Sarcoles. Sarcocele enim ut ſcirrhus tractatur; ſingularis tamen facultatis pro illo abſumendo (præmiſſo priùs purgante) rad. ononidis ſub pulveris forma ſingulis diebus ad unciæ unius pondus in vino abſinthite aſſumta deprædicatur à *Matthiolo Lib. 1. in Dioſcorid. c. 18. & Sculteto Armam. Chirurg. Obſ. 74.* qui ultimus inſimul externè emplaſtrum ex gummatibus ammoniaci, galbano & bdellio in aceto ſolutis & cum pinguedinibus ac oleis anodynis commixtis felici ſucceſſu uſurpavit. *Foreſti Lib. 27. Obſ. 1.* experimentum in hoc caſu eſt cataplaſma ex rad. lactuc. in mulſo coctæ, additis farin. hordei pulvere ſem. fœnu græci, lini & cepar. decocto, vel ſi nondum parere vult morbus,ex mandragoræ, hyoſcyam. & alkekengi radicibus in ſapa decoctis. Non inconveniens quoque eſt ſuffitus aceti ſuper lapid. ignitum effuſi excitatus, vid. *Weickard. Lib. 4. Theſ. Pharm. cap. 1.*

Cirſocele remediis varicibus aliàs deſtinatis removetur v. g. pinguedine humana vel oleo juniperi ex *Paracelſi in Tract. Germanico* Groſſen Wund-Artzney *cap. 25.* commendatione; vel ſucco cochlear. nigr. cum phlegmate vitrioli & oleo roſar. mixto, confer *Agricol. Chirurg parv. Tract. 5. de varicibus.* *Cura Cirſoceles.*

Hiſce non proficientibus quidam ad Chirurgiam *i)* refugiunt, & Sarco- æquè ac Cirſocelen *k)* exſcindunt juxta Methodum *à Weickardo l. 4. c. 18. & Celſo lib. 7. c. 22.* traditam. Aſt minus horum conſilium arridet, cum in utroque caſu periculum immineat non leve.

Quod pituitoſum concernit tumorem, paret ille ſtatim vulgatis diſcutientibus *l)* externè circumvolutis, flor. ſcil. *Cura pituitoſi tumoris.*

---

i) Reſectio locum non habet, ſi nimium auctus fuerit tumor. Sic novi virum hic Lipſiæ, cui teſtes ad genua usque propendent horrendæ molis, wie eine Waſſer-Kanne/ præterea vaſa ſangvifera digitum craſſitie in hoc ægro æquant, in tali itaque caſu nec extirpatio locum invenit, quatenus nimia hæmorrhagia metuenda.

k) In cirſocele medicamenta varicibus deſtinata conveniunt, quæ vide ſuo loco, emolliendæ enim externis ſunt partes, internè verò antacida danda & reſolventia vid. *Soling. Chir. p. 279.* ubi egregium ſuppeditatur remedium ad varices ex lam. ſpirit. ſalis ammoniaci &c.

l) Oritur utplurimum ex abundantia humoris pituitoſi, hinc internè commode purgantia dantur, quod ipſe aliquando didici, ubi incaſſum adhibitis cunctis aliis, tandem per evacuantia, diſcutientia & reſolventia reſtitutus fuit æger.

ſcil. chamom. ſambuc. rutæ &c. emplaſtro de meliloto & diaphoretico Mynſichti, fimo columbino, vel caprino cum aceto, vel axungia porcina ſubacto.

Inflammationis. Nec difficilius inflammatio tollitur, modò præmiſſâ venæ ſectione cataplaſmata ex farin. fabæ ægyptiacæ vid. *Aëtius Tetrab. Lib. 4. Sect. 2. c. 27. & Foreſtus Lib. 27. Obſ. 1. & 4.* vel mixtura ex aqua, aceto & oleo roſac. cum linteaminibus apponantur.

Præterea agrimoniæ folia, item hyoſcyami, paridis, ebuli, herbæ ſenecion. atque nympheæ vel ſola, vel cum vino decocta laudantur; & jure quidem, egregiè enim dolores ſedant, qui aliàs cum tumoribus teſtium utplurimum ſunt ſociati, confer. *Pauli Quadr. Botan.*

§. 2.

De

Impotentia Virili.

Inter illas adverſitates, quæ conjugium lætum, ac dulce in acerbum ac moleſtum convertere poſſunt, hic morbus primas ducit. Querendi enim thalami ſociis dat occaſionem de viduitate viva, dum jucundisſimo matrimoniali luſu carere, hinc frigidas ſummeque moleſtas ducere coguntur noctes.

Maritos autem vehementer eapropter infenſos cum Naſone ingemiſcere facit:

Tu dominam fallis, per te deprenſus inermis
Triſtia cum magno damna pudore tuli.

Cauſa proxima. Eſt verò illa cauſa haſtæ virilis langvor, quæ non, prout debebat, valida ac rigida eſt, ſed ut iterum Poetæ verbis utar:

- - - - Non magis movetur
Quam lentæ ſalices, laſſove papavera collo.

remota. Culpam hujus langvoris adſcribo ſpiritibus, debitè ad partes has, imprimis muſculos erectores non influentibus. Nihil hic intereſt, num ille influxus impeditus ſpiritibus ipſis, modò deficientibus, modò ideâ aliquâ (liceat ſic loqui) diffidenti characteriſatis, modò magicâ arte ligatis; num verò organorum inhabilitati debeatur.

Quoad organorum inhabilitatem, *nunc in organis* exiſtimo hanc cauſam occurrere potisſimum in infantum, ac ſenum virili impotentia: in his, quatenus fibræ nerveæ ex ſenio nimium rigidæ diſtendi ac inflari ſe à ſpiritibus influentibus non patiuntur; in illis, quatenus mollities *m)* nimia repugnat.

De ſpirituum defectu res in propatulo eſt, non modò enim labores nimii, ſed Cereris etiam ac Bacchi defectus, animique pathemata graviora &c. venerem reddunt langvidam. *nunc Spiritibus.*

nunc Idea diffidenti. Idea itaque ſpirituum diffidens ſolùm cuipiam poſſet videri incongruè ſupra allegata, cum apud nullum Autorem illa accuſata legatur. Ut proptereà magis aperiam mentem, ſciendum, loqui me de diffidenti tali idea in impotentia, quam per ligationem alii exprimunt. In hac ſiquidem mihi videtur quandoque culpæ maxima pars in diffidentia virium ac roboris hærere, qua ſponſi ex naturali puſillanimitate laborare videntur. Exemplum poſſem allegare, ni nomini parcendum eſſet, ejusmodi puſillanimi ſponſi, qui ex ſola diffidentia pulcherrimam ſuam ſponſam per aliquot ſeptimanas illibatam linquebat, usque donec adhortationibus amicorum erectus, & vulgatisſimis ſtimulantibus propinatis animum ſemel ſumeret, impoſterumque virum ſe præſtaret egregium.

Interim tamen abſit de omni ligatione maritorum exiſtimes diffidentiam ſolam me accuſare, quin potiùs Satanæ ope effaſcinari ſæpiùs membra genitalia utique cum aliis Practicis affirmo. Adigor verò ad hoc afferendum, *vel ligationi hærens.*

m) Cæſar L. 6. de Bell. Gallico, ait, Germanis olim ſanctè interdictum fuiſſe, ne quis ante 20. annum matrimonium iniret. vid. *Heer Obſ. Spadan.*

dum, quod ſciam maritos tales cum legitima conjuge nullo modò, cum ſcortis verò quàm feliciter rem habere poſſe.

Cura. Cura impotentiæ, quæ ex organorum inhabilitate eſt, fruſtra à Medicis exigitur; amat namque natura ordinem, hinc ſtato tantùm tempore habiles voluit juvenes ad hæc gaudia; voluit eadem quoque quieſcant ab hoc negotio ſenes, mortemque potiùs cogitent.

Quod autem influxum ſpirituum denegatum attinet, promovendus ille erit per acria ſtimulantia, *n*) ſem. erucæ, ſinapi, cardamom. cubeb. caryophyll. Zingib. piper. rad. Satyrion. plantasque omnes acriores, præprimis tamen ſaturejam, vid. *Marcell. Donatus Hiſt. memorab. p. 228.* fructus Cynaræ ex commendatione *Zac. Luſitani*, item chocolatam, ſtincum marinum & ipſas cantharides: *o*) cave tamen, ne in nimiâ doſi de ultimis aſſumas, mictum *p*) aliàs excitabis cruentum.

Non verò internè ſolùm, ſed etiam externè *q*) hæc conveniunt, cum aliis ejusdem naturæ, inter quæ Zibetum *r*) eminet ad gr. ii circa penis glandem unctum, vel oleum macis ſimili methodo applicatum. Alii ungventa parant ex oleo ſambuci, pulvere rad. pyrethri, euphorbio & moſcho; alii fel apri cum Zingiberis pulvere & Cantharidibus aliquot mixtum; alii fel perdicis cum ſtercore ejus extollunt. Omnium tamen operæ pretium unum eſt, nempe vellicant partes has, & ſic ſpiritus affluere faciunt, adeoque & frictiones harum partium imò & cæſiones cum urticis vel virgis eundem effectum præſtant, vid. *Casſii Tract. de Flagellor. uſu in re venerea cum annot. Meibomii & Bartholini.*

Præter hæc *s*) autem acria conveniunt analeptica, ſpiritus formicar. acidus, vel aqua magnanimitatis, Eſſent. ambr. croci, confect. alkerm. vel anacardina, ſyrup. flor. tunicæ, & quæ ex tota ſubſtantia operari creduntur, paſſerum puta cerebra in coitu transfoſſorum, lingvæ anſerum, teſticuli & criſtæ gallorum, priapi cervi & tauri in veneris conflictu occiſorum.

Cura ex incantatione enervatorum. Reſtat adhuc Cura ex incantatione enervatorum. Sed profectò quid de illa dicam, nondum accuratè ſcio. Si namque Dei permiſſu per dæmoniacam artem virilitas ablata fuerit, num naturalibus remediis reparari poſſit, vix affirmare audeo, cum diabolicas artes longe validiores credam, quàm quæ herbulis quibusdam pelli ſe patiantur. Metuo igitur vehementer, ne vi ipſius diaboli ligationes ſolvamus

---

n) Conf. *Mynſ. & Grülingius:* Item *Jaſon à Pratis de arcenda ſterilitate, à Meekren Obſ. Chirurg. de Potione ex cantharidibus, Hieronymus Tragus in Herbario &c. &c.* rectiùs tamen & tutiùs, ſvaſu *M. N. C. D. 1. A. 7. in Append.* ovà ſorbilia cum moſcho & vino Hiſpanico dantur.

o) Cantharides ita ſtimulant, ut etiam epileptici & convulſivi motus, mictus cruentus, ulcera veſicæ hinc excitentur, exemplum tale habet *Job van Meekren.*

p) Obſervavi in viro altera vice in conjugium ducente puellam, qui pro ſtimulatione à Pharmacopœo remedium aliquod accipiens percepit quidem deſideratos ſtimulos venereos, poſt octiduum tamen mictus ſequebatur cruentus cum ſuccedanea exulceratione partium urinariarum & tabe totius.

q) Vid. *Borellus in Obſ. & Arnoldus de Villa Nova:* ea verò magis conveniunt, ſi non peni, ſed perinæo applicentur. Pertinent huc Balſam. apoplect. & epileptica, ſed hac cum cautela, quoniam diutius non perferre poſſunt partes hanc acrimoniam, inſuper etiam eroſionem exin ortam obſervavi, quæ Chirurgi auxilium cogebat implorare.

r) Ex inunctione nimia zibethi glandi penis aliquando obſervavi ſpaſmodicam affectionem genitalium fœmineorum, ut hinc quidem & mas & fœmina ſtimulum & jucunditatem perciperent, nihilominus poſtmodùm ita cohærerent, ut vix vi divelli poſſent.

s) In alluvie ſeroſa & catarrhoſa evacuantia, purgantia aliaque conducunt. Sic novi impotentem ex tali cauſa, qui per fonticulum in crure evacuato ſero reſtitutus fuit.

mus per dentis *t*) è maxilla cadaveris maſculini eruti ſuffumigium, & exhibitionem raſuræ annuli conjugalis; aut ſi per annulum conjugalem uxoris maritum & vice verſa per mariti uxorem mingere jubeamus; vel ſi per urinæ ægrotantis coctionem in olla probè clauſa modò ſolitarie, modò cum ricini foliis inſtitutam veneficæ tantos dolores excitamus, ut præ anxietate nimia ſe ipſam prodere, incantationes demere cogatur &c. Quæ enim quæſo connexio; quæ operationis ratio eſt? nulla profecto, niſi ad qualitates occultas, vel ut clarius loquar, ad implicitum quoddam cum Satana pactum confugiamus. Abſint propterea hæ magicæ artes à nobis Chriſtianis, Deiq; potius miſericordia invocetur, interim tamen mediis ſuprà recenſitis occurratur malo.

§. 3.

De

Satyriasi & Priapismo.

Etymologia. An unquam Satyrus vel Priapus in rerum natura extiterit, præterquàm in Poëtarum & pictorum cerebris, aliis diſputandum relinquo; ſufficit mihi à Satyrorum ſalacitate, quos nympharum perpetuos ſectatores & ſolicitatores fuiſſe antiqui referunt, & priapi ingvinũ pondere grandi perpetuoque rigeſcente, nomen mutuasſe præſentium affectuum bigam.

Deſcriptio. Intelligunt enim per *Satyriaſin* Practici penis erectionem ſumma cum rei venereæ appetentia conjunctam: *Priapiſmus* verò ipſis eſt ſimilis tenſio virilis membri, nullo modò tamen, nec etiam poſt coitum celebratum remittens, hinc alio nomine quoque *Tentigo u*) appellatur.

Cauſa. Cauſa eſt ſpaſmodica muſculorum erectorum hujus membri affectio, ortum ſumens vel ex acrimonia ſeminis ipſius in gonorrhœa virulenta, vel alimentorum aut medicamentorum acrium & ad Venerem ſtimulantium.

Cura. Curatio requirit partim acrimoniam corrigentia, partim ſpirituum influxum inhibentia.

Inhibent verò hunc influxum refrigerantia & narcotica, e. g. nymphea, portulaca, lactuca, *vv*) ſuccus ſempervivi, acetum, ſuccus citri, camphora, *x*) ſaccharum Saturni, nitrum, coriandri ſemen, opium *y*) & ſuccus ſolani.

Pro acrimonia corrigenda inſerviunt corallia, cryſtallus, oſſ. ſepiæ, teſtæ ovorum &c. & quæ ſpeciatim contra gonorrhœam uſurpantur. Inſerviunt deindè etiam acria illa, mentha, ruta, quorſum etiam refero viticis & cannabis ſemen tanquam diuretica.

Non deſunt quoque externa itidem vel refrigerantia, vel antiſpaſmodica: Ad primam claſſem pertinet immerſio penis

t) Videatur *Carrichteri Herbarium,* von verzauberten Schäden; *Item Agricola in Poppium, Baierus.*

u) *Cabrolius in Obſ.* de homine refert, quod ad mortem usque tenſionem illam & ſtimulos perceperit; ſic qui motibus convulſivis pereunt, in eorum cadaveribus utplurimùm reperietur haſta virilis tenſa. vid. *Ephem. D. 1. A. 2. O. 69.*

vv) Ab omnibus quidem Autoribus pro refrigerante habetur, nihilominus obſervatum fuit, latitare in eo aliquid, quod venerem ſtimulare poſſit. Conf. *Sibbaldus in Prodr. Hiſt. Nat. Scotiæ pag. 34. Liſterus in Exercitationibus.* De reliquis ſtimulantibus evolvatur *Job van Meekren in Obſ. Chirurg. p. 142. ſeqq.*

x) De camphoræ antaphrodiſiaca virtute legatur *Tackenius in Hippocr. Chym.* qui negat hoc & provocat ad refinatores camphoræ Venetorum, quos nunquam ſteriles deprehendit, vid. *Diemerbrock in Obſ. 32.* de emplaſtro camphorato, pro ſcopo diſcutiendi applicato, quod venerem extingvebat, item de cereviſiæ potu mixto cum camphora.

y) Refertur huc & opium, quod à Perſis, Turcisque copioſè aſſumitur, de quo vid. *Gartias ab Orto L. 1. c. 4. fol. 30.* licet verò effectus contrarius nobis videatur primo intuitu, reverà tamen non eſt; nam uti paſſeres coitum citò abſolvunt, ita hi populi opium aſſumunt, ut prolongetur; Verum *Amat. Luſitan. Cent. 2. Cur. 18.*

nis in aquam frigidam, unguentum ex oleo roſar. lilior. alb. ſacchar. ſaturn. &c. ſicuti ad alteram referuntur oleum ſuccini, rutæ, chamomillæ.

Convenit quoque veſicatorium in ſeminum regione applicatum, utpote quod morbificam non modò cauſam, ſed etiam ipſos ſpiritus aliorſum derivat. Plura vid. §. *de ſpaſmo & gonorrhœa.*

§. 4.

De POLLUTIONE NOCTURNA ET GONORRHOEA TAM SIMPLICI QUAM VIRULENTA.

UTut præſentes affectus inter ſe conveniant quoad genituræ involuntariam, ac intepeſtivam profuſionem, quæ in ſingulis contingit; diſcrepant tamen rurſus non modò tempore excretionis, ſed etiam qualitate excreti liquoris, tandemque ſymptomatibus.

[De]ſcriptio [Po]llutionis [Noc]turnæ. Etenim *Pollutio Nocturna* tantùm nocturno tempore, & quidem utplurimùm inter dormiendum accidit, unoque actu ſemen prorſus laudabile, nulloque modò vitiatum ejaculat; hinc etiam illa affecti non ſecus, ac ſi coitum celebraſſent, expergefacti toto corpore, præprimis tamen viſu ac memoria languent.

[Go]norrhœa [Sim]plicis. Contra verò in *Gonorrhœa Simplici* dicta de die ac nocte penè indeſinenter genitalis liquor exſtillat guttatim inſtar lactis ebutyrati, nullo præſente vel inſequente dolore aut alia ægritudine, ſi exceperis debilitatem & conſumtionem, chronico huic affectui familiares.

Tandem in *Gonorrhoea, Virulenta* vel *Gallicæ* titulo ſuperbiente, illud, quod excernitur ſub ſeminis nomine, faciem oſtendit viridem, plus minùs luridam, ſangvineque quodammodò tinctam, conſiſtentiæ nunc eſt inſpiſſatæ paululumque craſſæ, nunc dilutæ magisque fluidæ. Nunquam hæc Gonorrhœa obſervatur, quin ſemper dolorem exquiſitum ſatis habeat ſocium, cujus tamen ſævitiam ægri vix ullo tempore magis experiuntur, quam ubi aliquid, ſive virulentæ illius materiæ, ſive etiam urinæ urethram tranſit. Inſuper quandoque ſatyriaſin incurrunt clientes, aut teſtium dolores, vel tumores, penisque inflammationem, bubones, ac tandem luem veneream. *& virulentæ.*

Cauſa vel organis ſeminalibus imputanda, vel ſeminis abundantiæ, turgeſcentiæ aut dyſcraſiæ. *Cauſa.*

Abundantia *z*) vel orgaſmus ejus potisſimùm in pollutione nocturna videntur peccare, quapropter etiam evpepta non modò, ut ſunt pineæ, piſtacia, amygdalæ, ova ſorbilia, lac, nuces caſtaneæ, oſtreæ, mytuli &c. Sed etiam acria & ſtimulantia cuncta, item cogitationes ac inſomnia laſciva, decubitus inter dormiendum ſupra dorſum, & quæ ſunt alia quibus ſemen augetur & ſpumeſcit, anſam & occaſionem huic pollutioni præbent. *vel in ſemine.*

Dyſcraſia verò in Gonorrhœis ſe potiùs exerit, & quidem in ſimplici aquea *a*) eſt, ſicuti in virulenta acris & tantùm non cauſtica. *b*) Occaſiones agnoſcunt errores diætæ, congreſſumque impurum.

Quod organorum ſeminalium vitia con- *vel organis hæret.*

---

aliud eſſe opium dicit, quàm noſtrum vulgare eſt. Veruntamen operandi ſaltem ratio differt, opium idem eſt. Conf. *Stalpart.* von der Wiel *in Obſ. pag. 241.*

z) Veſiculæ ſeminales nimium repletæ propter fibroſitatem eorum nimis extenſam ſeſe contrahunt, ſicque ſuperfluam ejiciunt materiam. Et ſi ſalia acria & ſcorbutica ſuperveniunt, ſtimulant magis, adeoque contractivum motum adaugent.

a) A compotatione nimia, potu Thée immodico ſæpe eſt liquor proſtatarum, qui ab irritatione inter equitandum aut ex alvina ſtipticitate, dum feces cum niſu eliminare tentamus, hincq; propter conſenſum etiam proſtatæ afficiuntur & comprimuntur, profluit.

b) Rariùs naſcitur hæc virulenta acrimonia in corpore; utplurimum autem ab extra accedit per contagium: dum vitium ſeri vaginæ uterinæ cum pene communicatur, poſtmodumque abit ad loca ſenſata, unde criſpaturæ nervorum, & tractu temporis eorum totalis corruptio inſequitur.

concernit, inſontes ut plurimùm ſunt teſtes cum veſiculis ſeminalibus, non verò æquè proſtatæ, porique ſeminales in urethram terminantes, utpotè in quibus relaxatio nimia ſemini & genitali liquori in gonorrhœa ſimplici, vel eroſio *c*) in virulenta portas aperiunt.

Cura. Cura cauſis reſpondeat.

peccante ſeminis abundantia. Primò itaque ſeminis abundantia nullâ methodo facilius ac jucundius imminui poteſt, quàm ſi veneri litetur. Sed cum non omnibus licitum ſit, victimam hanc ſpumantem huic aræ impune imponere, nam qui legitimi tori vinculis ligati non ſunt, procul ab illa ſevero præcepti Domini interdicto abeſſe jubentur: Proindè hiſce diæta tenuis commendanda, ex aqueis ſcilicet & refrigerantibus alimentis conſtans, confer. §. *de Satyriaſi*, vel venæ ſectione, aliaque ſanguinis detractione *d*) ſcaturigo ejus exſiccanda.

Qui pro eadem intentione laminam plumbeam *e*) ſupra regionem renum gerendam commendant, qua ratione ejus operandi modum explicent, ego ſane, qui nullam connexionem intra organa ſpermatica & ſecretioni urinæ inſervientes renes video, vix fidem illorum promisſis adhibere poſſum, niſi forſan, quod impediatur decubitus ſupra dorſum earum ope, quippe quarum importuno attactu exſuſcitentur ægri, incaute dorſo inter decumbendum incumbentes.

orgaſmo. Secundo orgasmus ſeminis utut iisdem refrigerantibus alimentis ac medicamentis compeſcatur, merentur tamen ſingulare præconium præ reliquis acetum & ſuccus citri, qui ultimus teſte *Amato* impotentiam totalem gignere aptus eſt, uſurpatus immodice.

Propterea tamen non parum ad turgeſcentiam hanc infringendam faciet, ſi converſationes, ſermones &c. laſcivi omni ſtudio vitentur, & ſi nunquam ſupra dorſum decumbendo ſomnus capiatur.

dyſcraſia aquea, Tertiò ſeminis dyſcraſia aquea, quoniam à ſangvinis ſeroſitate nimia dependet, iisdem medicamentis ut illa tractanda, h. e. nunc purgantibus hydragogis, nunc diaphoreticis evacuanda, nunc mucilaginoſis ac glutinoſis, v. g. gummi Arabico, tragacantho, ſuccino, maſtiche, colophonia &c. incraſſanda eſt.

acrimonia. Quartò acrimonia & virulentia ſeminis abſorbentia & balſamica, ſive vulneraria exigit. Famoſa ſunt ex prima claſſe C.C. teſtæ ovor. corall. off. ſep. bol. armen. magiſter. marcaſitæ: Sicuti ex altera terebinthina ven. vel in ſubſtantia, vel ſub forma emulſionis aut pilularum, vel denique ſpiritus ac olei aſſumta, item myrrha, juniperi gummi &c. Pro ditioribus balſamus peruvianus vel copayva in uſum vocari poteſt ſub iisdem penè formulis, ut terebinthina. Non dubitarem tamen eodem ſucceſſu oleum momordicæ vel hyperici intus exhibere, (licet ea hoc in affectu à nemine, quod ſciam, in uſum vocata ſint) cum plus ſimplici vice ſolum oleum olivar. larga doſi hauſtum egregiè profuiſſe noverim.

Quodſi nimis pertinax hæc ſeminis fuerit dyſcraſia, nec hiſce obtemperet medicamentis, tum decocta ſudorifera §. *de Lue Venerea* ſuppeditata, vel quæ citius mihi ſemper optatum præſtitere eventum, purgantia cum Mercurio dulci inſtituta, ſimul uſurpari poterunt.

Cura Symptoma[tum]. Contra ſymptomata hanc doctrinam ſeminis concomitantia, dolorem puta ac inflammationem penis, internè ſupra laudatis terebinthinatis & balſamo copayva nec convenientius quid, vel magis aptum excogitari poteſt. Attamen ſi quis illa reſpuat, emulſiones ex

---

c) Obſervavi aliquando ex ſola applicatione remedii acris (mercurii ſublimat. ſcilicet & viridis æris) ad frenulum penis ruptum propter ſtrenuum adeo in coitu exercitium cum conjuge ſana, cuncta oborta fuiſſe ſymptomata gonorrhœæ virulentæ, ex ſola acrimonia medicamenti; vocatus ægro ſtatim obtundentia ſvaſi, ſcilicet lac calidum, ut in hoc penem immergeret ſemel atque iterum, commendavi. Interne verò balſ. copayva præſcripſi & ſic altera nocte immunis erat à prædictis ſymptomatibus.

d) Scil. per diaphoret. apophlegmatizant. ſalivatoria.

e) Vid. *Barthol. in Anat. ref.* de lamina plumbea in hoc caſu in uſum non vocanda.

ex ſem. quatuor frigidor. maj. & minor. ſemineque papaver. ſaccharoq; Saturni adjecto factas hauriat, vel in urethram per ſiphonem illa infundat. Pro uſu externo ſola urina calida, vel lac bubul. aut ſi luxuriare cogimur, aqu. roſar. in qua ſacchar. Saturni ſolutum, vel decoctum Alchimill. agrimon. fl. verbaſc. chamomill. &c. conveniunt.

...ura peccan- pororum ...minalium ...xitate. Quinto & ultimo cum laxitatem pororum ſeminalium cognoveris cauſam, ex ſolis adſtringentibus *f)* ſalus ſperanda v. g. ex aqua tenellor. querc. pulvere & conſerv. roſar. cydoniis malis, capſulis glandium, externo cort. nucleor. avellanar. terra ſigill. croco Martis adſtring. Tinctura hæmatit. & ſulphur. vitrioli &c. imprimis tinct. Myrrhæ *g)* in doſi largiori.

§. 5.

De

Seminis Defectu et Visciditate.

Præter modò explicata ſeminis vitia offert ſe inſuper conſiderandum *Defectus* & *Viſciditas* ejus nimia, quæ injucundum juxta ac infœcundum congreſſum efficiunt. *...itur inde ...itus inju- ...ndus.* Injucundus enim redditur coitus fœminis ex vana titillationis ac jucunditatis expectatione, qua aliàs veluti torrente quodam in ipſo ſeminis ejaculationis puncto perfunduntur. *...infœcun- ...us.* Infœcundum autem fieri coitum ab ipſis clarisſimum ideo eſt, quoniam ſub ſeminis tegmine latitantis genitalis auræ acceſſu vel penitus privantur fœminæ, cum deficit genitura vel nimis ſerò & poſt feſtum, prout in proverbio dicitur, hoc eſt, abſoluto jamjam hoc negotio ex parte ipſarum demum illa afflantur.

Cauſa. Cauſa videtur rurſus partim in organis ſpermaticis, partim in ipſa materia ſeminis quærenda: organa præter naturam conſtituta, id eſt, nunc occluſa aut coalita, vel ſaltem nimium coarctata in culpa ſunt, ſicuti ſeminis materia, quatenus vel ex toto deeſt, vel ob crasſitiem ad transcolationem per ſerpentiformes teſtium tubulos inepta deprehenditur.

Signa Cauſarum. Signa cauſarum temperamentum ſive conſtitutio ægrotantis ſuppeditabit. Sicca enim vel pituitoſa ſeminis, neutra verò ex his organorum potius vitium ſuſpicari faciet.

Cura. Cura à nativitate malè conformatorum organorum Medico eſt imposſibilis, propterea cave, ſuſcipias illam.

Idem tibi dictum eſto, ſi contuſionem teſticulorum aut coalitionem pororum ſeminalium à gonorrhœa virulenta, aut alia *h)* cauſa antea dilaceratorum ſequatur defectus ſeminis; ſuſcipies ſiquidem aliàs in te perquàm arduum, & vix ullis medicamentis impetrandum negotium.

Sed quando ex humorum vitiis cognoveris morborum culpam, tum ſpes profligandi morbos non ſemper caſſa erit eventu.

Habes namque contra defectum ſeminis medicamenta & alimenta ſemen augentia, eaque copioſisſima tam ex regni vegetabilis, quàm animalis inexhauſto penu: ex priori ſunt amygdal. dulc. avellanæ, caſtaneæ, dactyli, fabæ, ficus, pineæ, piſtacia, oryza &c. & ex poſteriori gallorũ teſticuli, raſur. priapi cervi ac tauri, ova recentia, lac &c. verbo: cunctæ carnes evpeptæ. *i)*

Contra viſciditatem verò ſeminis ſola diluentia ac incidentia ſufficient.

CAP.

f) Vid. *Waldſchm. Pr.* ſolum infuſum Thée cum pauxillo camphoræ laudatur.

g) Nunquam deſeruit me myrrh. tinct. cum aqua calc. viv. facta ad ℥j. vel ℥ij. de die aſſumta.

h) Par ratio eſt de vaſis deferentibus, quæ non ad ſeminales capſulas, ſed ad alia loca, & interdum extra abdomen materiam deferunt v. *M. N. C. D. 1. A. 2. Obſ. 188.*

i) Etiam oſtreæ & mytuli, quæ teſte *Tulpio in Obſerv.* egregiam gelatinoſitatem poſſident, conveniunt, licet dyſpeptis ipſas annumeremus.

CAPUT XXIV.

De

MORBIS SEQUIORI SEXUI TANTUM FAMILIARIBUS.

§. I.

De

MENSTRUÆ PURGATIONIS DEFECTU ET CHLOROSI.

Menſtrua quando fluere incipiant. INter illa quæ ſexui fœmineo tantum peculiaria ſunt, primo loco recenſenda eſt menſtrua cruoris evacuatio per genitalia contingens, quam fœminæ ſtatim ea ætate, qua muliebris patientiæ leges ſuſcipiendo ſiunt aptæ, patiuntur, recurrentem deinde ſingulis lunæ circuitibus (niſi *quando naturaliter ceſſent.* uterô *k*) gerant, vel infanti potandas ferant mammas) usque donec hebeſcenti ſenectute ſangvini pedem iterum ſiſtere in corpore vetularum natura jubeat.

Præternaturaliter ceſſant in Emanſione & ſuppreſſione. Quodſi itaque vel ſtato à natura termino fluere menſtrua non incipiant, vel citiùs ſolitô (citra ſcil. modò allegatas cauſas) deſinant, morbi ſuccedunt, quos generali appellatione Medicorum libri menſtruæ purgationis defectiones, ſicuti illam ſpeciem menſium emanſionem, hanc verò ſuppresſionem vocant.

Emanſionis Symptomata leviora Attamen non in ſolo ſangvinis effluxu denegato affectuum horum conſiſtit moleſtia, ſed ſymptomatibus ſemper ſecundum morbi tempora, ſubjectorumque diverſitatem variis cinguntur. Etenim cum in puellis tredecim ut plurimum vel quatuordecim annorum mammæ primum elevari incipiunt, & pubis regio crinibus exornatur, inſtat prima hæc ſangvinis excretio, non ſine dolore ac pruritu notabili memoratarum partium, quæ moleſtiæ poſthac multum augentur, poſtquàm exitus turgeſcenti ſangvini denegatur.

graviora. Sed hæc levia eſſent, poſſentque tolerari, niſi inſimul totius corporis langvor, dolores lumborum, dorſi & capitis, horrorque inordinatus in calorem præternaturalem deſinens, vomitus jam pituitoſi, jam bilioſi, reſpiratio difficilis & quandoq; hæmorrhagiæ narium, ſangvinisque ſputum cum lipothymiis vehementer corpus excruciarent.

Et licet elapſô inter has calamitates præter propter quatriduo vel ad ſummum octiduo reconvaleſcentiam promittant ſymptomata, deponendo ſævitiam ſuam, breves tamen hæ tantùm ſunt induciæ, neutiquam diu ſtabiles: vix enim luna de novo redire poteſt, *in Cachexiam tandem deſinentia,* quia ſemper eodem ordine nec minore crudelitate recurrunt antehac recenſita ſymptomata, donec temporis tractu cachecticum ex toto reddant corpus, dum ſc. pallore inſveto faciem non modo pingunt, ſed pedes unà cum ventre, imo tandem totum corpus cum omnimoda appetitus proſtratione intumeſcere faciunt: quibus poſtmodum ſymptomatibus accedentibus, nomen ſolenne & conſvetum, menſium putadefectionis, mutatur cum titulo morbi virginei, quem Græci χλώρωσιν à χλωρίζω, viridis ſum, appellitant. *quæ Chloroſis vocatur.*

Suppresſionis ſymptomata. Eadem ſymptomata menſium ante hac fluentium ſuppreſſionem quoque excipiunt, hac tamen cum differentia, ut quò magis antea natura aſſvefacta eſt, ſuperfluam ſangvinis ſarcinam per has vias eliminare, eò nunc majori impa-

k) Sine damno ſupprimuntur menſes in gravidis, tunc enim ſangvis aliàs eliminandus impenditur fœtus nutritioni, it. in lactantibus, quia itidem tunc lacti materiam præbet ille ipſe ſangvis, & extra hos caſus ſi ſupprimantur menſes antea fluentes, paria ſymptomata producunt, quæ in iis notantur, ubi nunquam adhuc fluxêre.

patientia occluſionem harum viarum toleret, adeoque in his horrenda ſæpius ſymptomata ſuperveniunt, v. g. pasſio hyſterica, ſuffocationes uteri, dolores exquiſitisſimi coxarum, qui tanti ſæpe ſunt, ut contracturam & claudicationem ægris accerſant: tùm febres ardentes, inflammationes uteri, deliria atque furores, & quæ ſunt alia ſexcenta ex his rurſus oriunda.

Signa. Signa harum ſuppresſionum ex relatione equidem ipſarum ægrotantium commodisſimè haberentur; verùm cum utplurimum fœminarum cœtus ex intempeſtiva quadam verecundia hæc ſua arcana Medicis aperire detrectet, cogimur ex ſymptomatibus, de quibus conqueruntur, deſumere noſtra argumẽta, & poſtmodum oblique interrogandô ex ipſis ægris, vel anicula clinica veritatem noſtrarum conjecturarum ſciſcitari. *Cautio adhibenda.* Non tamen omni tempore tutò etiam ipſis relationibus ægrotantium credendum, ac ſtatim menſes pellens remedium præſcribendum, utut tale à nobis ſæpius vehementer efflagitetur. Accidit namque & horum ſuppresſio in gravidis, prout ſupra jam monitum, hinc ne abortum promoveas illis, quæ vel ex ſimplicitate uteri fœcunditatem ignorant, vel ex malitia furtivè ſuſceptum veneris præmium disſimulant, ſeriò ſuadeo, probè perſonarum ægrotantium *l*) conditio, vitæ genus & tandem ſymptomata perpendantur, quibus morbifica ſuppresſio menſium à naturali illa non difficulter diſtingui poteſt.

Cauſa. Cauſas in quibusdam ſubjectis deduco ex ſangvinis vitio, in aliis verò ex partium, per quas ſecretio contingit.

nunc in ſangvine. Sangvinis vitium multifarium eſt: ſc. nunc ejus cruditas pituitoſa, nunc conſiſtentia craſſa debitoque ſero deſtituta, v. g. poſt febres ardentes aut abuſum pinguium alimentorum, nunc coagulatio ex terrore, mœrore, aliisque animi pathematibus *m*) ab acidis, vel refrigeratione corporis intempeſtiva, peccat.

Similiter partium tranſmittentium ſanguinem culpa non una eſt: *nunc in organis hæret.* modò namque in illis præternaturalis conformatio adeſt, quæ nullam planè vaſorum ſangviferorum apertionem admittit; modo membrana aliqua vulvam occludens impedit illam; modò meatus à ſangvine craſſo vel viſcido ſunt infarcti; modò ab aëris injuria frigida vel ſangvinis acrimonia ſunt conſtipati, modò à ſcirrho uteri vel alio tumore minùs naturali ſunt compresſi.

Cura. Cura harum ſuppresſionum judicioſum exigit Medicum, qui antequam illam ſuſcipiat, accurate cauſas habeat exploratas, diverſisſima enim opus habet medendi methodo, quemadmodum nunc oſtendam.

Cachexia. Scil. ſi cachexia (nihil refert ſ. illam ut cauſam ſ. ut productum conſideres) adfuerit, ſemper ad illam primaria intentio dirigenda. Propterea contra illam propinanda ſunt decocta ex radicibus, plantis, floribus lignisque acrioribus. Ex radicibus ſeligo galangam, ariſtoloch. gentian. aſari, bryoniæ, cyclamin. allii, armorac. pyrethr. &c. ex herbis abrotan. arthemiſ. rubr. & alb. calaminth. meliſſ. ſabinæ folia, centaur. min. cherefol. majoran. matricar. origan. ſerpill. marrub. alb. roſmarin. rut. ſalv. dictamn. thymum, ſaturei. &c. ex floribus fl. calendul. cheiri, ſambuc. ſtœchad. arab. &c. ex lignis, quajac. juniperin. ſaſſafr. aloes, coſti, caſſiam ligneam &c.

Quibus decocta talia non ſunt ad palatum, illis extracta plantarum uterinarum vel radicum offerri poſſunt, eaque vel ſola, vel cum aliis gummatibus acribus, ſalis ammoniaci, puta ſagapeni, galban. myrrh. aſa fœtid. caſtor &c. mixta.

Et hæc ſi admittere dubitant, exhibeas ſalia tam fixa harum plantarum, quàm volatilia, ſal ammoniac. ebor. C.

l) Semper ad faciei colorem attendi debet, nempe ſi referant per 4. 5. 6. menſes jam ceſſaſſe menſium fluxum, nihilominus faciei color vividus adhuc appareat, tunc utique ſuſpicio graviditatis adeſt.

m) Huc faciunt etiam animi pathemata graviora, terror, mœror, dum enim ſpiritus deſtruuntur, per eadem coagulatur ſangvis, fluiditas enim ſangvinis unicè eſt à

C. ac ſalſa, Tartar. vitriolat. borrac. venet. arcan. duplicat. ſal volatile ſuccin. cremorem tartari.

Cogimur inſuper in contumaci ex hac cauſa malò vomitorium, (è quibus præ omnibus Mercurium vitæ laudo) ac purgantium opem implorare, quæ remedia etiam perquam auxiliares nobis præbere ſolent manus, non ſolùm quatenus repurgant primas vias à ſordibus, ſed quoque quatenus totum corpus concutiendo, ſangvinem torpidum iterum in motum rapiunt.

Cura ſuppreſſionis ex ſangvinis craſſitie

In craſſitie ſangvinis è contra diluentia & humectantia potius conveniunt, potus ſcil. largior, nymphea cum borragine &c. *n)* hujus ultimæ plantæ conſervam in vino diſſolutam, ceu mulierum ſecretum ad reſerandum fluxum hunc inhibitum refert *Petræus Noſolog. Harmonic.*

coagulo

Coagulatio autem ejus potius reſolventia *o)* & diaphoretica exigit, qualia ſunt ſalia volatilia, theriaca, rad. rubiæ tinctor. ſangv. hirci, myrrha, crocus & crocata juſcula, vel vinum, tinctura tartari &c. vel quæ citius adhuc opem fert, phlebotomiam præprimis in talo celebratam poſtulat.

partium ſolidarum vitio naturali

Ex altera parte, hoc eſt à partium culpa malo dependente ſimiliter ex Medici judicio cura varianda eſt. Quæ enim malè conformatis partibus debetur, fruſtra intenditur; nihil namque in illa omnibus medicamentis exhibitis efficies aliud, quàm ſymptomatum exacerbationem.

Ubi verò menſium egreſſus à membrana aliqua antrum hoc occludente impeditur, chirurgi manu illa diſſecanda eſt, vid. *Ammann. in Paræneſi* unà cum aliis chirurgicis ſcriptis.

pororum o[bſ]tructione

Quando pori uterini vel à pituita, vel ſangvine coagulato, vel à frigore ſunt conſtipati, tum præter reſolventia ſupra tradita, conducent etiam emplaſtra ex galban. gummi Ammoniac. aſa fœtid. cum oleis deſtillatis tartari, C. C. ſuccin. &c. malaxata, aut peſſaria *p)* ex radicibus gentian. allii, hellebor. nigri, ſyndone probè involutis, vel ſuffitus ex ſcoriis *q)* reguli Antimonii vel plantis uterinis *r)* vino aut lixivio incoctis, vel ex ſpiritu ſalis ammoniaci ad methodum *Glauberi furn. Philoſoph. part. 2. c. 88.*

Quid in acrimonia ſangvinis agendum alter ab hoc te admonebit §. ſicuti ſcirrhi uterini curam ex §. *de ſcirrho lienis* diſces.

§. 2.

De

NIMIO MENSTRUORUM FLUXU.

Quantitas excernendi ſangvinis d[e]finiri nequ[it]

PLacet quibusdam practicis inter præmiſſos affectus & præſentem ſeorſim tractare parciorem menſtrui ſangvinis fluxum. Sed inanis mihi videtur iſte labor, primo, quod impoſſibile ſit accurratè quantitatem excernendi ſangvinis ſingulis vicibus ſecundum naturam determinare, utpote quæ ob diverſitatem aëris, ætatis, diætæ, animi pathematum &c. nunquam, nec in uno individuo eadem manet, ſecundò, quod nec ratione cauſarum, nec curationis aliquid novi in antecedentibus haud ſufficienter expoſiti occurrat.

Quapropter omiſſa hac affectione, potius in rubrica promiſſi nimii menſtruorum fluxus, ſive, prout aliis audit hæmorrhagiæ uterinæ examen ſuſcipio.

An-

ſpirituum activitate, hinc à fuga ſpirituum in ſangvine extravaſato oritur coagulatio. Sic quoque à frigore coagulatur ſangvis, ſpiritusque fugantur.

n) Dubitatur autem virtus hæc conſervæ, an verò fluido debeatur, vid. *S.P. Quadrip. Botan. p. 34. ſeqq.*

o) Sæpius fortius adſtringentia in uſum vocanda, vid. *Barth. C. 2. H. Anat. 87. Epiſt. C. 3. Ep. 63.*

p) *Mizaldus* commendat peſſarium ex medulla oſſium &c. *ſ. 6. a. 96.*

q) Vid. *Agric. in Poppium p. 2. p. 135.* ubi obſtructionem per decennium durantem aperuit, ſed attendendum eſt, ne quid nimis.

r) Vetula cœpas aſſatas intruſerat genitalibus tam profundè quidem, ut extrahere eas non liceret, hinc ſupervenêre paſſ. hyſt. & motus convulſivi, & tunc ſponte ejiciebantur, adhibitis ſimul antiſpaſmodicis volatilibus.

Hæmorrhagia uterina quando naturalis, & quando præternaturalis ſit.

Ante verò omnia ut certi reddamur de ipſo morbo, neceſſum erit non tam quantitatem ſangvinis emanantis, quàm potius ſymptomata concurrentia attendere. Etenim non omne copioſum lunare tributum ſtatim ideo ad hunc paragraphum pertinet, ſolvunt namque tale ſolenniter, ac citra ullam noxam plethorica ac ſcorbutica ſubjecta; ſed tum demum ut morboſum conſiderandum erit illud, cum vel ſine remiſſione, vel adeo prodigaliter perſolvitur, ut virium non modò, ſed etiam vitæ ruina exin immineat.

Cauſa.

Cauſa provenit vel à ſangvinis abundantia, aut nimia ſeroſitate, vel impetuoſiori ejus motu.

Occaſiones

Occaſiones prioris cauſæ repete ex §. *de plethora;* de altera verò cauſa obſerva aut catarrhos frigidos, aut ſalia ſcorbutica ſeri copiam nimiam, aut prægreſſum corporis nimiũ motũ, aut ſpirituoſioris potus copioſiorem aſſumtionem, aut denique animi commotiones v. g. excandeſcentiam, & quæ ſunt alia hujus farinæ, nunquam non eſſe accuſanda.

Cura.

Curabis hunc morbum eadem methodo, quâ aliis hæmorrhagiis v. g. narium, aut aliarum partium ſuccurrere ſoles. Nempe nunc phlebotomia *s)* in brachio largâ manu celebrata tuam obtinebis intentionem, ſicuti alio tempore evacuantibus, *t)* inviſcantibus ſalia ſcorbutica, & incraſſantibus tenuem nimisque reſolutum ſangvinis conſiſtentiam, qualia ſunt emulſiones amygdalinæ, vel ſem. quat. frigidor. maj. vitell. ovor. ptiſana, lac, confer. *Horat. Augenii Epiſt. & conſult. med. Lib. 10. Epiſt. 4. p. m. 121.* Item amylum, tragacanth. gummi arab. oryza, caro ranar. &c. vel acidis, v. g. ſpir. nitri vid. *Deodat. pantheum hygiaſtic. Lib. 3. c. 26. M. N. C. A. 3. Obſ. 106. p. 176.* vel vino acidiuſculo aut terreis, bolo armen. ebor. uſt. teſtis ovor. corall. rubr. cranio human. vel osſib. microcoſmi uſtis. dent. Hippopot. Alio tempore refrigerantibus opus habebis, ſucc. ſc. urticæ, plantagin. vel decocto illorum æque, ac nympheæ, ſero lactis, nitr. ſacchar. ſaturni &c. Tandem de adſtringentibus quoque cogitabis, iisque tam externis, quàm internis. Inter interna roſæ rubr. fol. urticæ, ac nucum jugland. pulvis rad. mori, filipendulæ, excreſcentiæ nigr. ſpicar. ſiliginis, pulver. ſpongiæ uſtæ cum ſucco omphacii acaciæ, tinctur. corallor. hæmatit. ſulphuris vitrioli cum aliis hinc & inde, ſpeciatim tamen §. *de hæmorrhagia* ex profeſſo commendatis. Ex remediis externis ſpongia vino auſtero madida, vel herba centumnodii ſive polygoni maj. aut burſæ paſtor. vel urticæ, aut peſſarium *u)* ex ſtercore aſinino, vel ſuillo cum rad. conſolidæ maj. ac boli armen. pulvere paratum, aut tandem in caſu extremæ neceſſitatis balneum ex ſolutione aluminis ſufficit.

§. 3. De MENSTRUORUM DOLOROSO FLUXU.

Vitiantur ulterius menſes, quando non ſine notabili moleſtia viam è corpore legunt, ſed inter excernendum dolores plus minus exquiſitos, etiam aliquando cum eroſione, inflammatione, aut exulceratione partium genitalium excitant.

Non eſt, quod prolixus ſim in tradendis ſignis diagnoſticis hujus morbi, dolor enim, qui partes has delicatas ſummeque ſenſiles affligit, confiteri ſtatim fœminas illum facit.

Cauſæ propterea potius erui debent, quæ extra omnem controverſiam in ſan- *Cauſæ.*

s) Reiteretur ad menſtrua ſpatia, cum ſcil. morbum jam recurrere percipiat Medicus, noſtratibus verò magis arridet ſcarificatio.

t) Si ſangvis aqueus ſit, & ſæpe loturam carnis referat, dum profluit, puto in tali caſu convenire evacuantia. Et licet purgantia in hæmorrhagiis aliàs nullius uſus ſint, tamen uno vel altero evacuante, ſi malum diuturnum fuerit, egregiè inſpiſſari ſangvinis maſſa poterit, non neglectis interim incraſſantibus reliquis.

u) Vid. *M. N. C. D. II. A. 9. Obſ. 79.* ſtercora manifeſtè ſunt acida, & quicquid agunt, id omne fit ratione virtutis adſtrictoriæ.

ſangvinis acrimonia latitant, nec obſtat differentiam ſæpius maximam ratione coloris & conſiſtentiæ ſangvinis affluentis intercedere, obſervatur namq; aliquando tale lunare tributum non æquè ſangvineum, quàm nigrum ac craſſum vel variegatum, hoc eſt, ex rubro & viridi mixtum, vel denique nimis dilutum, ſolamque loturam carnium referens. Ratio enim hujus diverſitatis ſolùm in dyſcraſia latitat cruoris, vel nimium inſpiſſati vel ab acido *vv*) quodam coagulati, nunc à bilis copioſa affuſione inquinati, nunc pituitæ copia obruti, vel tandem ſeri abundantia diluti.

Cura. Curationis itaque intentio prima correctio acrimoniæ, ſecundaria remotio *x*) dyſcraſiæ ſangvinis erit.

Corrigitur acrimonia remediis variis, prout paragraphis de ſcorbuto, arthritide, aliisque abundè conſtat. Non tamen promiſcuè omnibus, ſed ſolùm iis utendum, quæ non contra indicantur à ſangvinis conditione.

Præ reliquis tamen omnibus Mars egregiè, & pene omni tempore convenit, ſpeciatim ſi judicioſe cum crocatis, papaverinis, vel etiam ipſis opiatis maritetur.

Reliqvum curæ dyſcraſiæ, videlicet ſangvinis correctionem, ut antea ſæpius jamjam traditum, non impræſentiarum repeto, vid. modò de hac materia §. *de Scorbuto, Cachexia, menſium ſuppreſſione.*

Neque etiam ſpecialem methodum curandi ſymptomata hunc affectum inſequentia appono, ſufficienter namque de ſingulis alibi partim actum, partim adhuc agendum.

§. 4.
De
Fluore albo.

Quod diſtinctim nunc iterum de fluore albo verba faciam, neutiquam ex incuria fit, qſ. ſc. eſſem immemor in præcedenti affectu de dolorifico cineritii vel albi coloris fluxu menſium dictorum. Scio enim quàm optimè à quibusdam antiquis pariter ac recentioribus ſub uno titulo utrumque hunc fluxum comprehendi; aſt mihi cum aliis toto cœlo differre has affectiones inter ſe probabilius videtur. *Fluor albus & Menſes albi vel cineritii coloris differunt.*

Habet namque cum ſangvine menſtruo, utut pituitoſo, nullam convenientiam liquor in hoc morbo è genitalibus effluens, utpote qui ratione conſiſtentiæ & coloris, vel plane aqueus, vel lacteus inſtar cremoris ptiſanæ, vel flaveſcens, vel denique virideſcens eſt: ratione verò odoris circa principium morbi omni deſtituitur, ſed in ſtatu putredinem nauſeoſam ac fœtorem ſingularem ſpirat. *ratione materiæ.*

Sed ne ullus ſcrupulus remaneat, pro ſangvine menſtruo pituitoſo militans, ſcias, primò ſæpiſſimè hoc fluore albo laborare fœminas, quarum M. S. integra, ac ſine omni cachexiæ labe deprehenditur, adeoque hæ facie florida, ac vivido colore adhuc tinctæ incedunt: ſecundo invadere illum fluxum omnis ætatis ac conditionis fœminas, ita nec tenera virguncularum *y*) quatuor modò vel quinque annos natarum, nec annoſa vetularum *z*) ætas, nec utero fœcunda immunis eſt: tertiò non ſingulis lunæ circuitibus, ut ille redditur, ſed indeſinenter ſtillat, non raro per ſemeſtre ſpatium & ultra. *Subjectorum &c.*

Ob has itaque rationes potius credo materiam hanc albam è muliebribus emanantem eſſe liquorem ſeroſum in proſtatis mulierū elaboratum, ac propterea non inique hic albus fluor à qui- *Fluor albus quid ſit.*

w) Si ſalſo-acida eſt materia, coagulat ſangvinem, inſimulque nigredinem inducit.
x) Si ſerum potius effluat & lotura carnium, unicum remedium eſt evacuatio: purgans ſcil. unum vel alterum hinc præmittatur, quicquid contradixerint alia ſymptomata; extra tamen paroxyſmum dentur, aliàs in ipſo fluxu turbatur natura, aut hypercatharſis, cholera &c. cum lipothym. &c. facilè excitatur.
y) Puellas trium annorum hoc morbo laborare obſervavi.
z) Anno 60. & 70. etiam vetulæ eo adhuc laborant, licet iis menſtrua ſubſtiterint.

à quibuſdam Gonorrhoea dicitur mulierum. Omnia namque ſymptomata, *a*) quæ in virorum gonorrhœa adſunt, in hoc morbo etiam notantur, ſcil. virium dejectio, contabeſcentia & ſterilitas, ſi ſimplex fluxus fuerit hic, diuturnus tamen: ſicuti dolor accedit exquiſitus ſatis cum eroſione ac inflammatione genitalium, quando in virulentum mutatur.

ob Symptomata dicitur Gonorrhœa mulierum.

Cauſæ.

In cauſarum igitur recenſione nolim expectes alias, niſi de Gonorrhœa virorum antehac relatas. Nec etiam de occaſionibus nova audies, ſola enim quandoque feroſa, vel ſcorbutica conſtitutio corporum, ſæpius tamen abſtinentia à coitu (hinc frequentius viduarum de illo fluxu querelæ audiuntur, quàm aliarum) vel congreſſus cum impuro *b*) id malum gignit.

Cura.

Neque tandem quoad curam differentia intercedit: nullis namque aliis præſidiis *c*) quam contra gonorrhœam ſuperius præſcriptis levamen huic affertur morbo: Attamen cum nihilominus ſimplicium quorundam vegetabilium vis ſpecifica contra hunc fluxum adeo à practicis quibusdam extollatur, placet nomina illorum apponere. Sunt itaque primaria radic. filipendul. roſmarinus, daucus, horminum, lamium & bellis floribus albis.

§. 5.

De

STERILITATE.

Cum brevi extrema ruina generi immineret humano, niſi mulierum fœcunditate indeſinenter damnum illud reſarciretur, ſummè neceſſarium ac glorioſum videtur eſſe ſtudium, quod circa conceptum promovendum impenditur à Medicis.

Cauſa ſterilitatis

Cauſæ phyſicæ hujus ſterilis conjugii (theologicas namque omitto) hærent vel in marito, vel in fœmina, vel in utroque ſimul.

nunc in viro,

Maritus culpandus venit, quando impotens eſt, aut prolificum ſemen non contribuit.

nunc in fœmina hæret.

Fœminæ debetur culpa, ſi uterus ad conceptum vel ex naturali vitio vel morboſo ſtatu eſt indiſpoſitus. *d*)

ob naturale vitium

Ex naturali vitio eſt, cum antrum venereum nunc nimis deprehenditur amplum, nunc nimis anguſtum: illud namq; ſemen virile commiſſũ non debitè retinet, ſed ſine omni fructu ſtatim iterũ idem dimittit; hoc verò ne membrum quidem virile, nedum ſemen admittit. Aut utut hæc deſint, ſi interiores magis partes v. g. orificium inferius uteri, vel tubæ Fallopianæ tortuoſæ *e*) ſunt, vel non perviæ, vel alio quodam vitio laborant.

aut morboſum uteri ſtatum.

Morboſus verò uteri ſtatus itidem multiplex eſt, jam enim pituita partes huic negotio ſacras obſtruit, jam ſicca nimis conſtitutio, vel ſenium illas corrugat, jam obeſitas nimia corporis totius vel omenti vid. *Panarollus Pent.3. obſ.10.* jam aqua p.n. in abdomine collecta, jam ſcirrhus uteri aut alius tumor comprimit, jam partus difficilis, vel coitus violentus *f*) præcedens eas ineptas reddidit.

Tan-

a) Vid. *Charleton. de uteri Rheumatiſmo*, vocant etiam catarrhum uteri. Poſſet etiam coryza uteri ſalutari, ſi quis vellet vim inferre terminis.

b) Quæ congrediuntur cum mare gonorrhœa vel lue venerea laborante, facile ſibi hocce malum contrahunt; & contra, qui coeunt cum ejusmodi morboſis mulieribus vice verſa affliguntur gonorrhœa.

c) Sæpe verò decocta lignorum diaphoretica ſufficiunt ad ℥iij. iv. quotidie hauſta & ad 14. dies continuata. Non malè tunc, ſi ſalia remota fuerint, dantur incraſſantia, ſtatim enim ac conſpiſſatum eſt ſal reliqvum, ulterius ad transſudationem non ſtimulat. Mercurius dulcis cum purgante, aut ſimplicium purgantia reiterata conveniunt. Neque etiam negligi debent interea balſamica & injectiones, quibus ſolis è ball. copayva confectis curatæ ſunt mulierculæ.

d) Vid. *Moinichen in Obſ. it. Gvillemeau de conceptu extra congreſſum facto.*

e) Vid. *Ruyſch. in Obſ. anat.* ubi meretricis meminit, cui tubæ Fallopianæ clauſæ erant. *Conf. M. N. C. D. 1. A. 2. Obſ. 208.*

f) Vid. *Borellus in Obſ.* de pulvillis in coitu doloroſo adhibendis, à nimia penis longitudine.

Quandoque in utroque conjuge culpa reſidet.

Tandem utriusque conjugis culpa ſequitur ſterilitas, ſi non conveniunt inter ſe mas & fœmina, quod fit, ſi mas ex naturali robore alacris ad hunc conflictum, fœmina autem tarda fuerit & vice verſa. Accidit ſc. tùm, ut ſemina vel nunquam uniantur, vel antequam omnia hæc negotia ſacra adornentur in fœmina, negotium à viro jam dudum ſit peractum, vel è contra oeſtrum venereum in fœmina remittat, priusquam ac mas cunctator ſemen injicit. Multum inſuper adjuvat hunc imparem congreſſum primò ætas nimis tenera alterutrius conjugis, ſecundo valetudo fœminarum præprimis chronica, hinc ſterilitas deducenda eſt à fluore albo, menſium ſuppresſione vel abundantia laborantium, phthiſicarum & animo ægrarum.

Signa Cauſarum.

Signa cauſarum maximam partem ſunt obſcura. Quis enim hariolabitur, utrum à marito vel fœmina præcisè dependeat ſterilitas? Quis vitia conformationis uteri in interioribus latitantia cognoſcet, quis denique ſeminum disconvenientiam eloquetur, niſi in ſenſus illorum anomaliæ incurrant. Nolim itaque quis ſibi perſvaderi patiatur à *Rhaſi & Democrito*, ſperma virile ſupernatans aquam & hinc criterion infallibile ſuppeditare ſuæ fœcunditatis; vel lactucas virides poſt conſperſionem cum utriusque conjugis urina areſcentes culpam ſontis prodere. Nugæ enim hæc experimenta ſunt, non fida ſigna. Quod ſi verò cachexiam, vel nimis ſiccam conſtitutionem aut obeſitatem, hydropem, ſcirrhum uteri, nimis teneram ætatem, fluorem album, menſiumque vitia &c. adeſſe in mulieribus intelligas, tum facili cura ſcatebram morbi erues.

Ex hiſce dictis facile nunc patebit, mirum non eſſe, ſi ſæpius malum hoc plus docta arte valeat. Medicinam ſiquidem nullam conformationis vitia, item dilaceratio uteri ac ſenium; difficilem autem reliquæ cauſæ admittunt.

Cura.

Attamen propterea non omnis ſpes removendi morbum hunc deponi ideo debet. Sunt enim nobis adhuc remedia contra impotentiam virilem *g*) & vitia ſeminis, contra cachexiam *h*) contra ſiccam conſtitutionem corporis, obeſitatem, hydropem, ſcirrhos &c. *i*) quibus ex methodo juxta cauſarum exigentiam exhibitis labor non caſſus erit eventu. Diſparitati conjugum in exercitio venereo vel ſtimulantibus, vel ſalacitatem extingventibus ſuccurri commodisſimè poteſt, modò prius morbi fuerint remoti, à quibus langvor fœminarum, & debitam ætatem acquiſiverit par ſponſum.

§. 6.

De

ABORTU.

Quod ſi ſterilitatem conjuges ægrè ferunt, longe plus importunus erit ipſis abortus, utpote qui fœcundam mutui amplexus meſſem in herba, ut ajunt, perdit. In illo enim fœtus ante legitimum à natura deſtinatum tempus, uteri finibus exturbatur, quem intempeſtivum partum Medicorum ſcholæ abortum, vulgus verò das unrichtig gehen der Weiber/oder unzeitig Gebähren vocant.

Deſcriptio.

Acceptio vocabuli alia apud veteres, alia ap. recentiores.

Equidem quidam ex Medicis antiquis non adeo in laxo ſignificatu, h. e. pro omni immaturi partus excluſione, vocabulū abortus uſurpant, ſed tantùm pro illa, quæ fœtui jam quoad omnes partes organizato, nempe circa ſextum vel ſeptimum geſtationis menſem accidit, illam verò, quæ intra primos duos menſes contingit, non abortum ſalutandum eſſe exiſtimant. Sed litem hanc circa vocabulum nos neutiquam curamus, cum hodie apud omnes omnino Medicos illa generalis acceptio obti-

g) Vid. *Hildani Obſ.* quam de cantharidibus habet.

h) Remedia ex roremarino; *Marcellus Donatus in Obſ. de Satureja vid.*

i) Recentes internè atque externè tollit ſpir. ſalis ammon. ſimplex. Si verò in partibus membrana adfuerit, ea diſſecetur & lanugo raſilis intrudatur, ut callus generetur in his locis, vid. *Hœchſteteri Obſ.* qui decoct. rad. ſymphyti maj. laudat.

obtinuerit. Notandum tamen eſt, ejus appellationem ſi ſeptimo aut octavo menſe fœtus imperfectus quidem quoad quasdam partes, nihilominus tamen vitalis excludatur, non æque in uſu eſſe, ſed potius per partum præcocem, frühzeitig gebähren exprimi à noſtratibus mulierculis.

Cognoſcitur abortus, qui jam factus eſt facillime, ſed hujus ad curationem Medici nunquam vocantur, bene tamen ad imminentis & qui in fieri demum eſt, cujus etiam propterea ſigna Medico omnino debent eſſe perſpecta, quo tempeſtivè remediis aptis illum poſſit præcavere.

Signa imminentis abortus. Signa igitur talia hauriet, partim ex prodromo abortus immediato, dolore puta convulſivo uteri, partim verò ex ſymptomatibus longius adhuc antecedentibus illùm, v. g. graciſeſcentia mammarum vid. *aph. 37. & 38. Lib. 5. Hippocrat.* orificii uterini apertione *k*) Dietrichin Hebammen-Buch / hæmorrhagia uteri, morbo acuto utero gerentium, terrore, ira, caſu ab alto, contuſione &c.

Cauſa proxima, Cauſa primaria eſt contractio ſive convulſio uteri. Sed magna hic iterum cauſarum occaſionalium frequentia deprehenditur, à quibus illa uteri intempeſtiva irritatio ad contractionem ſui dependet. Ex his verò quædam agunt in ipſam ſubſtantiam uteri, quædam autem in ſpiritus.

remota in ſubſtantia Quæ in ſubſtantiam agunt vel immediatè attingunt fibras ejus motrices vel per conſenſum ſaltem.

In prima claſſe continentur concuſſiones uteri in caſu ab alto, contuſione, ſaltu &c. vellicationes ab acrimonia ſangvinis ſcorbutica *l*) dependentes, aut frigidi aëris admiſſione, vel coitu frequenter tum temporis admiſſo, item à fœtus ægrotantis calcitratione vel mortui pondere aut putredine, cujus interitum, quod in parentheſi ſaltem noto, præter concuſſiones uteri cachexia etiam ac plethora *m*) prægnantium, vel hæmorrhagia in quacunque parte contingens multum promovet.

In altera claſſe ſtant tormina ventris, teneſmus, vel à purgante acriori, vel ex ejusmodi alimentis proveniens, pleuritis *n*) tuſſis, ſternutationes, clamor immoderatus.

Quæ verò in ſpiritus agunt, ſunt nunc animi affectus graviores, ira, terror &c. nunc alii ſpirituum morbi, febres ſc. dolores exquiſiti &c. nunc fœtores *o*) nauſeabundi, qualis eſt præ aliis à candela ſebacea ſemi-extincta exhalans. *aut ſpiritibus hærens.*

Cauſarum ſigna relationes adſtantium vel gravidarum ipſarum, his verò tacentibus, ſymptomata concurrentia & conſtitutio decumbentis ægræ dabunt. *Signa Cauſarum.*

Curatio hujus affectus tantùm præſervatoria requiritur, duplex tamen eſt, alia enim extra imprægnationem, quando v. g. corpus cachecticum aut ſcorbuticum per medicamenta debita à ſordibus repurgatur; alia verò durante geſtatione inſtituitur: hæc blandis ſemper remediis eſt perficienda, illa violenta quoque admittit, qualia ſunt purgantia, vomitoria. *Curatio præſervatoria heic locum habet.*

Miſſa nunc priori ſolùm de altera agam, in qua ante omnia interdici debent ſaltus, clamores aliæque exceſſivæ corporis commotiones, refrigeratio, coitus, animi pathemata graviora, phlebotomia, niſi forſan plethora adfuerit, quo in caſu non permittenda ſolum, ſed imperanda illa eſt circa geſtationis tempus medium, & quoq; circa finem.

Quod-

k) *Orificii uterini apertio vid.* Siegemund in Unterricht von ſchweren Geburthen/ Cöln 1690.

l) Salia vellicant fibras carneas placentæ uterinæ, ut arctius cohærere nequeant.

m) Nam diſtribui non poteſt nutrimentum in tam tenello corpore.

n) Pleuritis tamen utplurimum producit abortum, quia tuſſis in illa non compeſci debet, aliàs ſuffocaretur ægra, ſed promoveri, cum hæc tamen nihilominus admodum periculoſa ſit, & facilè ad abortum diſponat.

o) Ex his ſibi ſæpe adeo nauſeoſam contrahunt ideam, ut & ſtatim ad irregulares motus componantur. Conf. *Plinius in Hiſt. natur.* moriuntur & animalia ab ejusmodi fœtore præternaturali.

Variat pro cauſarum varietate.

Quodſi tamen nihilominus abortus immineat, v.g. ob contuſionem aut caſum, tum remediis blande reſolventibus ſangvinem congrumatum & dolorem quodammodo demulcentibus occurrendum, qualia ſunt ocul. canc. corall. præparat. mater perlar. margaritæ, os de cord. cerv. unicorn. ver. dens hippopot. ebur. uſt. ſucc. aſtaci viv. *p*) cum vin. expreſſ. &c. quibus etiam abortui ex acrimonia ſcorbutica, vel cruditatibus primarum viarum acribus imminenti obviam eundum eſt.

Ubi frigida aëris admiſſio in culpa fuerit, conveniunt tam internè quàm externè aromatica, aliaque calida, è quorum inſigni catalogo inſtar omnium eſſe poteſt balſam. embryon. vel zedoar. & galang. radix, & ſpir. vini ab his abſtractus, vel etiam ſimplex potus actu calidus, lateres calefacti, Empl. ex pane mellito Norib. aliaque nervina.

Pleuritis, tusſis, ſternutatio, febris & hæmorrhagia curantur, ut in antecedentibus de illis traditum; evitentur tamen omni ſtudio in illorum cura, quæ fœtum menſesque pellunt.

In ira & terrore præter Analeptica ſuperius recenſita terrea ſingulare quid præſtant, in ſpecie pulv. Marchion. *q*)

Debilitati embryonis vel matris ſuccurratur per analeptica, vinum puta generoſum, balſam. embryon. confect. alkerm. incompletam, ova ſorbilia recentia, vel ſaltem cicatriculas ex illis exemtas.

Quando pondus embryonis defuncti, vel ejus putredo uterum ad abortum ſtimulat, non impediendus, ſed potius juvandus hic naturæ conatus per remedia in difficili partu, & ſecundinarum retentione proponenda.

§. 7.

De

PARTU DIFFICILI.

Quanquam nullus partus non ſit difficilis, poſtquam ex Deo ob vetiti fructus morſum omnium fœminarum prima Eva acerbam hanc audivit ſententiam: multiplicabo dolores conceptus tui, in dolore paries liberos: attamen quandoque in gradu excesſivo eſt talis, nullo namque conatu, utut legitimum tempus partus adfuerit, fœtus ſuſceptus poteſt excludi, quin ſæpius iſte labor ad dies aliquot ſummis cum cruciatibus prægnantium, vitæque diſcrimine protrahatur.

Quid intelligatur per partum difficilem.

Cauſæ hujus difficilis partus vel in parturiente hærent fœmina, vel fœtu, vel obſtetrice.

Cauſæ:

nunc in Parturiente

In parturiente eſt culpa, primo ſi imbecillis illa fuerit vel à natura, vel morbo prægreſſo aut præſenti, aut partus labore in longum protracto, ita ut vires ejus conatui neceſſario non reſpondeant. Secundò, ſi nullos dolores ad partum neceſſarios, vel non continuos vel ſpurios *r*) ſentiat; Tertio ſi via, quam fœtus legere debet, nimis eſt anguſta, quæ anguſtia aliquando ab offium coccygis & ſacri nimia duritie provenit, nullam ſc. reflexionem ac incurvationem ob profectam nimis ætatem puerperæ admittentium; aliquando verò tantùm à tumore partium genitalium internarum, aut ſcybalis aridis, inteſtino recto impactis dependet. Quarto ſi in partu fœmina, quod ex ſuo eſt officio, vel planè non, vel negligenter agit, dum ſcil. nunc jactitando hinc & inde corpus, nunc ſuſpiria *s*) cre-

p) Nauſeoſum quidem eſt remedium, aſt multæ virtutis.

q) Tanquam amuletum ad præſervandum abortum ſvadet *Riverius* lign. meſpili aut lap. aquilæ de collo ſuſpenſum.

r) Hoc eſt, ſi non in uteri fundo incipiant & terminentur ad orificium, ſed potius ab orificio incipiant & ad fundum terminentur, aut partes nervoſas alias ſuperiores occupent v. g. ventriculum, ut vomitu corripiantur, aut diaphragma, ut ſingultiant, da ſteigen die Weh-Tagen über ſich &c. aut quando ad partes inferiores tendant, ſchlagen unter ſich und treten in die Füſſe/daß ſie zittern/c. tunc conatus irritus eſt, & nullus ſequi poteſt partus.

s) Sola oſcitatio puerperis nocet. vid. *Ariſt. de Gen. animal. c. 2.*

crebriora ducendo, nunc alio modò niſum & conatum impedit, aut ſaltem non promovet.

nunt fœtu.

Fœtus ad difficilem partum ſymbolam contribuit, quando operationi parturientis ſuo qualicunque motu & cooperatione ægrotans, extinctus, in ſitu præternaturali poſitus, aut monſtroſè formatus non ſuccurrit.

nunc obſtetrice hærent.

Denique in obſtetrice imperitia, tarditas in operatione, vel loco ejus audacia &c. adjuvat hanc difficultatem.

Signa cauſarum.

Signa cauſarum ſuppeditantur modò ex relationibus parientium vel obſtetricis, modò ex circumſtantiis.

Parturiens debilitatem, defectum dolorum partus, & ſpuriam illorum naturam, fœtus morbum & interitum refert; dum, quod fœtum mortuum in ſpecie attinet, de ejus motu in utero deficiente, rigoreque improviſo & ſine externa cauſa accidente conqueritur.

Obſtetrix anguſtias viarum deteget, ſitumque fœtus ineptum & monſtroſitatem ejus.

Ex circumſtantiis verò fœminarum errores in parturiendi negotio juxta, ac obſtetricum in operatione patebunt.

Cura quomodo inſtituenda

Cura maximam partem incumbit obſtetricibus, illæ ſiquidem manuali ſua operatione imprimis vitioſum fœtus ſitum corrigere, & ad naturalem (in quantum poſſibile) diſponere debent, de quo officio obſtetricum & operandi methodo conſuli *Louyſe Bourgeois*, *Welſchii*, *Viardels*, *Mauriceau* von Zufällen und Kranckheiten der Schwangern und Kindbetterinnen. *Solinger*, vom Amt und Pflicht der Hebammen *t*) &c. *tractatus.*

Miſſis itaque his obſtetricum enchiriſibus (quarum tamen accuratam cognitionem, ſi non practicam, ſaltem theoreticam habere debet Medicus, quo poſſit tempore neceſſitatis in his calamitatibus conſilia dare ſalubria,) ea nunc, quæ ad officium Medici *u*) in partu difficili pertinent, expono.

in Puerpera imbecillitate.

Hic igitur primo imbecillitati matris ſuccurrendum per analeptica, *vv*) ut ſunt hauſtus vini generoſi, vel Hiſpanici, aqua deſtillata cinamom. carfuncul. meliſſ. cum vino confect. alkerm.

doloribus partus aut deficientibus aut nothis

In deficientibus, *x*) vel non continuis partus doloribus promotionem illorum per ſalina, urinam puta mariti propinatam, ſal volatile, ſal ammon. ſpir. ſecund. human. borracem, ſal volatil. ſuccin. arcan. duplic. vel myrrham, dictamnum alb. caſſiam ligneam, ſabin. artemiſ. puleg. fl. cheiri, pſeudomelanthium, epar angvill. *y*) item ſecundinar. *z*) pulverem, vel vomitoria *a*) & ſternutatoria tentabit; ſicuti ſpurios per antiſpaſmodica *b*) & carminativa, ſuccin. v. g. in ſubſtantia, ſpecif. cephalic. Michael. dent. hip-

---

t) *Portal de l'accouchements des femmes*, Siegemund in Unterricht von ſchweren Geburthen.

u) De hoc peculiaris legatur *diſſertatio noſtra.*

vv) Huc ſpectant oſcula mariti ſvaviter impreſſa, ejusque conſolationes.

x) Vid. *Bauſchius Tr. de Ætite*, laudant alii infuſ. in vino roſ. de Jericho. *M. N. C. D. 1.* Laudant momordicæ fructus. vid. *Hartmann. Pr. Chymiatr.* qui oculum leporis extollit, *Dolæus in M. N. C.* fruſtum de cute tigridis, alii anthophyllos, cinnamom. acutum, ſi dolores abſint, extollunt, vid. quoque *Claudius iu Conſil. de ſucco Cancr.*

y) Ab *Helmontio in Tr. aſtra non inclinant* §. 49. extolluntur, ſi ad ℈j. vel ʒß. aſſumantur, vid. *Boyleus & du Hamel*; Semper tutum non eſt remedium, licet effectus deſideratus mihi ſæpe contigerit.

z) *Langius in Miſc. Curioſis* de puerpera, quæ per 6. dies nothis doloribus laboravit, notat, quod unica doſi aſſumta partus ſecutus ſit. Idem faciunt liqv. C. C. ſucc. cinnabarina caſtorina.

a) Vid. *Hartmann. in Pr. Chymiatrica*, argentum foſſile crinitum, das Haar-Silber / ſo an Stüffgen wächſet / tali in caſu feliciter operari. Et facilè crediderim, niſi & aſperitati, & particulis arſenicalibus nondum ſublatis id tribuendum eſt. vid. *Chirac. Obſ. in M. N. C. D. 2. A. 4. Obſ. 125.*

b) *Heertodt in Crocologia* crocum laudat, ſi dolores nimii ſint, vid. *Wedel. in Opiolog.* datur ſub form. extr. emplaſtr, ungvent. & empl. de galb. crocat.

hippopotami, unicorn. ver. caſtor. zedoar. galang, oleum ſuccin. chamom. aniſi &c. item etiam per ligaturas *c)* fortiores abdominis removebit.

viarum anguſtiis

Viarum anguſtiam ex osſium coccygis ac ſacri duritie interna lubricantia, aliquandiu ante partus tempus aſſumta, qualia ſunt olea expreſſa, præprimis olivarum, de cujus uſu in partu difficili vid. *Borell. obſ. Cent. 2. obſ. 25* emollient. quod idem ab externis inunctionibus frequentioribus cum oleo lilior. alb. cheiri, momordicæ vel fomentationibus cum decocto altheæ, malv. melilot. ſem. fœn. græc. ex Sylvii obſervatione, ſperandum.

Illa verò anguſtia, quæ ex tumore genitalium, ex ſcybalorum ariditate, & coacervatione dependet, diſcutientibus & reſolventibus, item ſuppoſitoriis & clyſmatibus adhibitis tollitur.

Puerperæ immorigeræ vel blandiloquiis adſtantium, aut quibus majus pondus ineſſe debet, mariti, vel increpationibus corrigendæ & adigendæ ſunt.

Cura Partus diffitilis ex Fœtus debilitate.

Quodſi deprehenditur ex fœtus debilitate difficultatem parturiendi provenire, analepticis internis & externis roborandus eſt; mortuus verò vehementioribus pellentibus, milio ſcil. ſolis, ſem. lini & lavendula, vid. *Pauli Quadripart. Botan. p. 77. 366.* æque ac per ea contra doloris in partu defectus commendata exturbabitur. Illis autem nondum ſufficientibus cum uncis & hamis extrahi debet: quæ etiam inſtrumenta fœtum monſtroſum decent, niſi velimus vitam matris æquè ac fœtus peſſundare.

Obſtetricis erroribus.

Obſtetricis *d)* vitia ſi reprehenſionibus non tolli poſſunt, ad Magiſtratum ſunt deferenda, cujus de officio eſt, ea emendare, ipſisque imperare, ut Medicorum dictis impoſterum citius audiant.

§. 8.

De

Secundinarum Retentione.

Symptomata

Retinetur quandoque poſt puerperium ſecundina in utero, variaque tum horrenda ſymptomata, hæmorrhagiæ puta inſignes, febres malignæ, deliria & tantum non ipſa mors ſequuntur.

Duplici verò modò remanet, primo adhuc firmiter cum utero cohærens, ſecundo ab ejus parietibus jam ſeparata.

Cauſa.

Cauſa retentionis nunc funiculi umbilicalis intempeſtivæ dilacerationi, *e)* nunc ſubitaneæ orificii inferioris uteri occluſioni eſt imputanda.

Cura.

Cura ab obſtetricis præſtatur manu, quatenus ſcil. illam oleo vel pingvedine aut mucilagine prius probè unctam immittit in uterum, cohærentemque adhuc ſecundinam blandè removet, & liberatam extrahit.

Sed neceſſum eſt, ut protinus poſt partum hæc inſtituatur operatio, antequam ſcil. ſeſe contrahat orificium uteri: aliàs enim prius multo labore circa novam ejus apertionem deſudandum erit per ſuffitus & ungventa emollientia ac antiſpasmodica, & nec tum quidem commoda patebit via manui operantis obſtetricis.

Igitur potius in tali caſu per concutientia totum corpus, ſternutatoria *f)* ni-

c) Cingula laudem merentur, ſive ſint ex corio humano, ſive cervino, modo reprimant muſculos, quod & mantile eine Qväle/ facere poterit.

d) Peccant namque, dum ante apertionem (Oeffnung) adigunt ad partum fœminas, vires enim h. m. dejiciuntur. Peccant, ſi nimis ſint operoſæ & imprudentius agant, peccant etiam, ſi negligentes admodum ſint, daß ſie gar nicht wollen Hand anlegen/ ſagende: Der liebe GOtt werde wol helffen &c.

e) Rumpitur etiam funic. umbil. non rarò, quando fœtus in utero jam mortuus fuerit, adeoque funiculus jam corruptus.

f) *Vid. Hipp. L. 2. Epidem. & Heurn. in Pr. L. 1. Bartholin. c. 5. Hiſt. Anat.* Fruſtra verò adhibent & cum noxa, ubi ſecundinæ adhuc cum utero cohærent, nam à contractione uteri ſequitur hæmorrhagia periculoſiſſima & ipſa mors inter ſternutandum.

nimirum vehementiora ex helleb. albo, caſtor. piper. Vitriolo alb. &c. parata; vel per fœtum mortuum pellentia, vel per ſuffitus, clyſmata, cataplasmata, aut peſſaria acriora expulſio eſt molienda, *Hippocr. L. 2. Epid. Heurn. L. 1. Meth. Barth. c. 5. Hiſt.* Balnea ſvadent *Ælius, Gordonius, Aquap.* ſed non conveniunt, niſi ob duritiem partium genitalium, ut emollientia deſiderentur. Nec frictiones externæ usque adeo tutæ ſunt. Vomitoria ſvadet *Burgettus c. 14.*

Niſi verò horum ope ſequantur ſecundinæ, meo judicio res eſt ſummè deſperata: ſuppurantia enim v. g. unguent. baſilicon. ægyptiac. &c. ab aliis tum temporis in uterum injecta *g)* minus mihi videntur tuta, cum æquè citò alia uteri pars, quàm ſecundina ab ipſis arrodi & in putrilaginem converti poſſit.

§. 9.

De

Dolore Post Partum.

Quinam dolores intelliguntur. Sentiuntur equidem ſolenniter poſt partum à puerperis dolores uteri ob ſummam dilatationem partium genitalium, violentamque ſeparationem ſecundinarum, & tandem contractionem ejus ſpontaneam. Verùm non tam de his nobis ſermo eſt impræſentiarum, quàm de convulſivis motibus uteri, durantibus etiam poſt excluſionem fœtus & ſecundinarum, ſæpiusque præterea inteſtina & artus in conſenſum ſummè doloroſum rapientibus.

Cauſa. Cauſa hujus motus convulſivi eſt irritatio vehemens uteri, à fœtus excluſione excitata, inſuper tamen & ſanguis ſtagnans intra uteri laminas poſt partum, vel ob acrimoniam vellicans non parum contribuit ad illum excitandum & augendum.

Cura. Cura à quàm plurimis mulierculis ſpernitur, dum credunt, dolores hos egregium naturæ eſſe beneficium pro repurgatione uteri à ſordibus ſangvineis ex nutritione fœtus in utero reſiduis conceſſum. Hæ igitur habeant ſibi tam ſacrum naturæ beneficium, quæ verò opem noſtram efflagitant, illis porrigantur pro exigentia cauſarum, convulſiones & dolores ſiſtentia, vel acrimoniam corrigentia, vel ſangvinem reſolventia. Talia autem ſunt hactenus in uſu recepta caſtor. liqv. C. C. ſuccinat *h)* crocus, myrrha, nux moſch. macis, pulv. cumini, ruta, ſem. dauci, cherefol. chamom. artemiſ. Zedoar. opiata, verbo: omnia ſupra in torminibus ventris convulſivis, & in ſubſequentibus de paſſione hyſterica proponenda. Non inconvenienter juſculum etiam caponum cum vulnerariis *i)* & conſolidantibus plantis propinatur, ſemper tamen in ejus uſu illud, ne quid nimis, obſervandum. Multum quoque ad præcavendos æque, ac imminuendos hos dolores conducit ligatura arcta infimi ventris, laterumque calidorum crebrior admotio.

§. 10.

De

Lochiorum Vitiis.

Unde Lochiorum fluxus. Quandoquidem uteri ſubſtantia geſtationis tempore multùm ab affluente copioſiore ſangvine infarcitur ac intumeſcit; accidit, ut non modò immediate poſt puerperium, & ſecundinarum excluſionem notabilis hæmorrhagia per genitalia, ſed etiam inſequentibus quatuor, vel ſex diebus & ul-

g) *Viardel* Gallus utero injicere jubet ſpir. vini, ſed *Portal* id disſvadet, ne acrimonia ſua nimium ſtimulet.

h) Aliquando ſolum oleum ſuccini ad aliquot gutt. adhibitum incantamenti ad inſtar juvat.

i) Puerpera enim interdum vulnerata eſt, & ita etiam tractari debet, danda igitur, quæ inflammationem impediunt, lap. cancr. antimon. diaphor. ſuccin. proſpiciendumque, an per balſamica ad conſolidationem deduci poſſint partes vulneratæ & læſæ.

& ultra contingat, & hæc ſangvinis profuſio ſub lochiorum nomine venit in rubrica paragraphi.

quot modis vitietur.

Vitiantur autem Lochia, vel quando ſupprimuntur, aut ſaltem parcius fluunt, vel quando exceſſivè vel cum dolore, vel non ſub forma cruoris, ſed fœtidæ ac viridescentis loturæ carnium evacuantur.

Signa Lochiorum ſuppreſſorum.

Signa lochiorum ſuppreſſorum non ex ſolo effluxu ſangvinis denegato ſunt deſumenda, fieri enim poteſt, ut vel ſubjectum non ſit ſangvineum, vel in ipſo partu ſangvinem largiter profuderit, & ideo lochia non reddat. Igitur potius ad ſymptomata eſt attendendum, & niſi dolor hypochondriorũ, tumor abdominis, difficultas reſpirationis, anxietasque corporis cum febre ſuperveniant, neutiquam ut ſuppreſſa, ſed ex naturalibus cauſis non fluentia conſiderentur: idem judicium de parciore quoque fluxu eſto.

Signa fluxus nimii.

Exceſſivi verò fluxus ſigna felicius pateſcunt, quemadmodum rationem qualitatis depravati nullum Medicum facilè fugient, modò in ægrotantes ingenuè & liberè ſuas ærumnas confitentes incidat.

Cauſæ.

Quoad cauſas horum morborum, moneo illas non differre à cauſis menſtrui fluxus ſimili ratione vitiati. Naſcuntur enim lochiorum ſuppreſſiones *k*) ſimiliter ac menſium quandoque ex ſangvinis vitio, quandoq; ex aëris frigidioris admiſſione intra uterum, vel ex terrore, febre &c.

Nimius fluxus *l*) ex ſanguinis abundantia, à diſpoſitione ſanguinis ſeroſa nimium, vel ſcorbutica, vel potu frigido aut ſpirituoſo, it. à ſecundinarum retentione, aut violenta ab utero detractione ejusque dilaceratione, aut animi commotione vehementiori; doloroſa *m*) excretio ex ſalium abundantia oritur.

Præterea tamen ſufflaminari & ſupprimi etiam ex toto hæc hæmorrhagia poteſt ab inflammatione uteri, & tumore genitalium ex difficili partu orto; fluxus verò exceſſivus à nimis violenta placentæ ab uteri ſubſtantia ſeparatione excitari poteſt: ſicuti autem viridescentis ac fœtidi liquoris ſtillicidium ex inchoata putrefactione nunc ſecundinæ in utero dilaceratæ, nunc cruoris ſtagnantis intra poros ejus dependet, effluit equidem omni tempore ad finem hujus ſtillicidii lympha loturam carnis referens, ſed cum hac confundi ichor non debet.

Cura.

Ad felicem curam *n*) vitiati lochiorum fluxus imprimis cauſarum ſcrutinium erit neceſſum, quo ritè inſtituto,

---

k) Supprimuntur lochia vel vitio ſangvinis, vel partium transmittentium: ille ſi fuerit craſſus vel ob defectum ſeri, vel ob acidum coagulans, frigus admiſſum, it. ſi febre ante partum laborarit fœmina, tunc ob ſeri exſiccationem ſangvis ſpiſſior redditus fuit, hinc fluere lochia nequeunt, it. quando ab aëris frigore admiſſo pori ſtipantur, pariter ſupprimuntur illa. Item quando à terrore ſpiritus fugantur, ſangvisque hinc coagulatur, it. ab aliis puerperarum morbis. Supprimuntur aliquando etiam lochia ob tumorem & inflammationem uteri poſt partum difficilem, quæ conditio triſtis eſt, & paucæ evadunt, impr. quando ſecundina impetuoſius ſeparata fuerit. Tumor item genitalium effluxum lochiorum vix transmittit, & tunc quidem res felicius ſuccedit, modò proſpiciatur tumori, & pateſiat janua clauſa, quia interim ſangvis ex poris uteri non ceſſavit exſtillare, ſaltim non transmitti potuit.

l) Nimiorum lochiorum cauſa nunc ipſe ſangvis vel abundans, vel turgeſcens ob partus labores & exæſtuationes nimias, aut etiam ſi in ipſo partu, quæ ſangvinis motum promovent, ſpirituoſa nimium adhibita fuerint pro confortandi fine, hinc ſangvis ebullit & turgeſcit. Huc ſpectat ira & excandeſcentia, unde pariter in orgaſmum rapitur ſangvis.

m) Doloroſa lochia oriuntur ex acrimonia ſangvinis ſcorbutica, vel alia ſalina, it. à violentiore contrectatione in partu facta.

n) Si ſupprimantur lochia ex ſangvinis craſſitie & defectu, tunc non conveniunt ſtimulantia acria, ſaltim diluentibus blande obviam eundum. Si à frigore ſupprimantur, thermantica ſola conveniunt, & quæ blandè ſtimulant acriaque ſunt, major. artemiſ. galang. ariſt. rotund. bryon. abrot. marrub. alb. cherefol. cent. minus

tò, poſtmodum medendi indicationes unà cum remediis ſponte ſuâ quaſi ſe ſiſtent, modò repetantur, quæ dicta ſunt circa methodum curandi menſium defectum, nimium, ac doloroſum *o*) fluxum, inflammationes, febres, vulnera & ulcera.

§. II.

De

UTERI PROCIDENTIA.

An detur Uteri procidentia.

UTerum, hoc eſt illam corporis officinam, quæ ſequiori ſexui ad concipiendum, embryonemque usq; ad deſtinatum partus tempus continendum à natura conceſſa eſt, verè diſruptis, vel ſaltem relaxatis ligamentis lateralibus inverti, & extra corpus prolabi *p*) unanimis antiquorum Doctorum eſt opinio, cui tamen ex Recentioribus non pauci acriter ſatis contradixerunt, urgentes impoſſibilitatem disruptionis ac relaxationis ligamentorum, pariter ac inverſionis uteri, imprimis ſi gravidis talis affectus accidat. Adeoque potius, ubi talem corporis ad ovi anſerini plus minus magnitudinem extra vulvam obſervarunt prominentiam, tunicam interiorem vaginæ uterinæ tantùm inverſam dixerunt, veritatemque hujus asſerti per avtopſiam anatomicam feliciter comprobarunt.

Signa. Signa procidentiæ ex relationibus habentur vel ægrotantium, vel adſtantium.

Cauſæ. Cauſæ utplurimum debentur parturientium conatui nimio: hinc etiam poſt partum difficilem frequentius, quàm alio tempore notatur. Interim & conſtitutio corporis ſeroſa, vel refrigeratio nimia genitalium, vaginæque uterinæ compreſſio ab uteri nimio pondere, coitus violentus &c. non excludenda ſunt.

Cura. Pro cura omnia in paragraphis de procidentia ani, herniisque adducta quoque hic locum habent: reponenda ſiquidem, quantocyus fieri poteſt, prominens vaginæ portio eſt, ne diutius extra corpus moram trahens ex inclementi attactu labem inflammationis, vel tumorem contrahat. Tum

 enim

&c. ut coagulatus ſangvis reſolvatur & in motum concitetur. Si à terrore coagulatus ſit ſangvis, gummata acria & ſalina conveniunt liqu. C.C. ſuccin. &c. ſi febris adſit, huic pariter obviam eundum. Si inflammatio adſit, neceſſe eſt, celeriter propinentur medicamenta, aliàs ex protractione gravia mala oriuntur, tuncque primum remedium eſt citisſime etiam poſt partum mox vena ſecta in talo, poſtm. diaph. cum anodyn. fixa & volatilia, antimonium diaphor. lap. cancr. &c. ut ſangvis ſtagnans reſolvatur, ſpaſmique præſentes dolorem excitantes ſedentur. Si nimia lochia fuerint, pariter venæ ſectio locum habet, ſed in brachio, imprimis quando à ſangvinis turgeſcentia fuerit, quo caſu etiam acida cum anodyn. v. g. ſpir. vitriol phil. cum opii eſſ. felici ſucceſſu dedi. Idem in ira etiam convenit, aliaque adſtringentia, corall. teſt. ov. vitriol. mart. ad rubed. calcin. caput mort. vitrioli, martis crocus adſtr. &c.

o) Doloroſa lochia, quia oriuntur ſemper ab acrimonia, hinc, ſi acida fuerit, terrea & ebur. uſt. ac ſine igne, corall. lap. cancr. teſt. ov. & peculiariter martialia; limat. &c. conveniunt, ſi tamen nimium urgeant dolores, anodyna jungenda, ſi ſalia alia adſint, involvenda per juſcula pingvia &c. Fœtor & corruptio materiæ profluentis, quia indices ſunt putredinis, tunc balſamica & vulneraria, myrrh. gummata, aromatica &c. conducunt, aliaque detergentia & conſolidantia.

p) Peccant & antiqui, dum omni tempore verè deſcendere uterum credunt, peccant & recentiores, dum omnem omnino prolapſum uteri negant, dantur enim caſus, ubi verè tale quid contigit. Dabo equidem id in gravidis non fieri, nihilominus ex hoc caſu & his circumſtantiis, quando ſaltem vaginæ membranam interiorem deſcendere aſſero, non fluit, nullo tempore fieri poſſe veram uteri inverſionem, imprimis mox à partu difficili v. *M. N. C. D. 2. A. 1. p. 197. A. 6. p. 181.* Conf. *Pechlin. Obſ. p. 46. it. Ruyſch. o. 7. p. 13. o. 9. p. 15. o. 10. p. 161. Mœnichen. Obſ. 4.* conf. *Lauzon. Comment. in Mœnichen Obſerv.*

enim opus erit ante commendatam repoſitionem *q*) dictas affectiones per inunctiones, & fotus competentes tollere.

Perficitur verò hæc operatio commodiſſimè ſolo ægrotantis, vel obſtetricis expertæ digito, nec opus eſt per terrorem ex improviſo fœminis (prius corpore paululum declive collocato *r*)) incuſſo ad imitationem *Avenzoaris & Zac. Luſitani Pr. adm. L. 2. Obſ. 95.* illam tentare, qui hunc in finem inſciæ ſic locatæ ranas, lacertas, vel mures viventes cruribus illius denudatis alligant, ut horum animalium attactu perterreatur, *s*) ſponteque ſic intus iterum ſuſcipiat elapſam vaginam.

Neſcio etiam an adeo feliciter ſuccedat illa repoſitio, quàm quidam pollicentur ex ſvaveolentium, ambræ, Zibethi, moſchi &c. applicatione ad nares, & ſuffimigatione muliebrium ex fœtidis galbano ſcil. gummi ammoniaco, aſa fœtid. vel affrictu ovi putridi; ſapit enim reponendi hæc methodus veterum hypotheſin de deſcenſu uteri, quæ tamen nullo modò concipi poteſt.

Poſt repoſitionem partes firmandæ ſunt per adſtringentia externa, decoctum gallar. roſar. balauſtior. ſumach. fol. quercus, meſpilor. plantag. rad. tormentill. & ſymphyt. maj. item aluminis; vel pulveres adſtringentes & conſolidantes adſperſos, terram ſigill. thur. maſtich. &c.

Specifica facultate retinendi uterum gaudere præter hæc dicuntur ſuffimigia ex pelle anguillæ ſalita, pinguedines urſi & taxi, externè ſaltem illitæ.

Sed ſæpius nec his omnibus uſurpatis debitè iterum firmatur uteri vagina, quin ſemper levi commiſſo errore relabatur. Tali igitur in caſu annuli ex ebore polito vel peſſaria ex cera, vel globulus ex filo cannabino, aut faſciæ in uſu ſunt vocandæ, de quibus vide ſis prolixè ſatis agentem *Sennertum Pr. Lib. 4. P. 1. S. 2. c. 16.* & *Weikard. p. 355.* Svaſerim tamen magis curam dyſcraſiæ humorum, abundantisque ſeri evacuationem, præprimis per decocta ſudorifera lignor. rad. chinæ & ſarſaparillæ ad imitationem *Mercati*, qui talia ut experta ſummoperè deprædicat.

§. 12.

De

Mola.

Antequam tractationem morborum circa generationis ac partus negotium claudamus, aliquid dicendum erit de conceptu falſo ſive *Mola*, germanice Mond-Kalb / Monat-Kind / Gewächſe.

Intelligunt verò Practici ſub his molis maſſas illas informes ac inanimatas, conſtantes intus ex copioſis vaſis ſanguineis, ſine tamen oſſibus ac viſceribus, extrinſecus verò cute quadam craſſa indutas, quæ perinde ac fœtus intra uteri cavitatem enaſcuntur, & incrementum ſumunt. *Deſcripti[o] molarum*

Dico in hac hiſtorica molarum deſcriptione ipſas informes ac inanimatas, quod tamen non abſolutè, ſed reſpectu figuræ externæ embryonum humanorum intelligendum eſt: aliàs enim dantur omnino formæ *t*) in molis, ſiquidem

nunc

q) Repoſitio vix feliciter fieri poteſt, niſi impedimenta obſtantia removeantur. Si enim pars tumet, ſeroque turget, non poteſt reponi iſta, viæ enim anguſtæ illam non recipiunt. Ergo videndum, ut alluvies humorum & tumor diſcuti poſſit, idque fiet, ſi evacuantia dentur, ſive purgantia, ſive diaphoretica, dum enim humores imminuuntur, diſponitur pars ad repoſitionem. Huc faciunt externa diſcutientia & roborantia ſub forma fotus & ſuffitus, ſi h. m. præparata pars manuali opera facile reponitur, ſcil. vel ſolis digitis, vel ligno glabro linteolo obvoluto. Conf. *Solingen. Tr.* Handgriffe der Wund-Artzney.

r) Neceſſe tamen eſt, quieta in lecto ſe detineat fœmina per aliquod tempus, alias irrita erit repoſitio.

s) Memini adſtantes in præſentia ægrotæ mulieris incendium in vicinia ſimulaſſe, & receptionem ſpontaneam factam eſſe, quam roborantibus demum firmarunt.

t) Ipſe bis vidi molas ab una fœmina dejectas, faciem avis deplumatæ, magnitudinis co-

nunc poma vel ova referunt, nunc ſub forma capitis ovilli cum oculis ac dentibus. vid. *Bartholin. Cent. 4. hiſt. 84.* nunc ſub forma murium ac ſcarabæorum vid. *Salmuth. Cent. 1. obſ. 65.* nunc ſub forma piſcium confer. *Kerkring. Spicileg. anat. p. 184. 186.* excluduntur. Excluduntur etiam molæ motum quendam oſtendentes, qualem *Salmuth. Cent. 3. obſ. 98.* recenſet, vel hinc & inde currentes vel volitantes vid. *M. N. C. A. 2. obſ. 160. Act. Haffn. Vol. 2. obſ. 57.* Sed in his vel embryo eſt abſconditus vitalis, vel monſtroſis partubus ſunt accenſendæ.

Symptomata Creat verò omnis mola, cujuscunque figuræ illa ſit ac conditionis, inſignem moleſtiam fœminis, vel ideo, quoniam non tam facile ſe patiuntur eliminari, ſed ſæpius per longum tempus, annos puta aliquot: imo per totam vitam occupant uterum.

Signa. Signa molæ adhuc in utero, & quidem in incunabulis, ut ſic loquar, ſive circa primos geſtationis menſes hærentis, vix accurrata habentur, ſymptomatibus namque ex aſſe ſimilibus vexantur, quæ talem gerunt, quem conceptu verô gravidæ. Haurit tamen de mola ſuſpicionem Medicus primò, ſi motum in utero non blandum, qualem fœtus excitat, ſed vel nullum, vel moleſtum de latere in latus ad inflexionem & jactum corporis contingentem deprehendit: ſecundò, ſi ultimo geſtationis menſe mammas quidem turgidas, ſed non lacte, videat; Tertio, ſi ultra legitimum tempus partus uteri pondus retineatur.

Naſcuntur molæ ex errore ſpirituum ex impreſſa idea peregrina in negotio generationis turbantis, ita, ut non tam formandis in ovulo concluſis fœtus rudimentis, quàm forſan cruſtæ & involucris, in quibus ſuas ideas conceptas effingunt, inhæreant, & tum embryonis delineatio ſemper erit videnda in centro ejus vid. allegat. *Kerkring. Obſervationem.* Aſt non ſemper *u*) neceſſum eſt, ovulum tale muliebre habeat pro materia ſpiritus plaſticus, aliàs enim nec viduæ, nec virgines caſtæ molis poſſent fieri gravidæ, qualia exempla nihilominus frequenter notantur vid. *Kerkring. p. 157.* Sed ſufficit etiam alia, qualiscunque demum adfuerit, in quam agere, illamque diverſimodè formare poteſt ſpiritus. *Cauſa.*

Cura *vv*) maximam partem naturæ committenda, hæc enim quàm optimè ſcit tempus & media ſe liberandi ab ipſis; interim tamen ſi juvanda, fiet id commodisſimè per remedia promoventia partum & ſecundinam, de quibus ſufficienter in præmisſis. *Cura.*

§. 13.

De

Vitiis Circa Lac.

Jubet nunc ordo, ut lactis conſideremus vitia, *x*) quæ ſunt vel in quantitate vel qualitate ejus. In quantitate, ſi abundat vel deficit; in qualitate ſi ratione conſiſtentiæ nimis aqueum vel viſcidum vel caſeoſum; ratione ſaporis ſi non gratæ dulcedinis, ſed ſalſum acre vel amarum; ratione coloris ſi non albi- *Vitia lactis ratione quantitatis & qualitatis.*

lumbæ cum roſtro & ungvibus præ ſe ferentes, quarum cauſa erat imaginatio columbæ in lecti operculo pictæ. Quando verò murium &c. faciem referunt, monſtris annumerari debent, & pervertitur aliquando à caeodæmone conceptus in ejusmodi monſtrum, v. *Licetus de Monſtris. Weinrich de Monſtris. Salmuth.*

u) Alia eſt ſpecies molarum ſed ſpuriarum, quæ iis à mulierculis & Medicis utplur. quidem annumeratur, eſt tamen ſaltim excreſcentia carnoſo-glanduloſa, uteri parietibus adhærens & non niſi manu chirurgi removenda, & hæ propriè Gewächſe dici debent, vid. Juſtinen Hebammen-Buch/ quæ aliquoties ejusmodi excreſcentias per ligaturas removiſſe ſe gloriatur.

vv) Si ſponte non ſequatur mola, manu obſtetricis vel uncis & hamis extrahatur, vel tota vel fruſtulatim, aut quomodocunque fieri queat. Aliàs ſi grandior fuerit, aut ſpuria mola, excreſcentiaque ſcirrhoſa adfuerit, tunc aliquando per totum tempus vitæ cum ſummo fœminarum periculo geſtatur.

x) Vid. *ab Hülden. Tr. de mirandis naturæ fontibus ſive Mammis. Jena 1696.* it. *Diſſ. noſtra de Valetudinario Lactantium.*

albicans, ſed luteſcens aut virideſcens &c. fuerit.

Signa eorundem. Vitia quantitatis cognoſcuntur ex relationibus fœminarum; conſiſtentiæ verò utut in ſenſus non rarò incurrant, felicius tamen deprehenduntur, ſi guttula lactis ungvium dorſo imponatur, attendaturq; num ſponte defluat, numve intra terminos proprios detineatur firmiter, num tandem coaguletur citò & caſeſcat. Saporis tandem depravati judex erit lingva, diſcetur tamen ex aphthis puerulorum, aut ſi ipſi præter conſvetudinem mammas reſpuant, aut non niſi cum ejulatu ſugant.

Cauſa abundantiæ Cauſa abundantiæ lactis exſurgit nunc è corpore euchymo, aut copioſioribus evpeptis aſſumtis; nunc è nimis patulis lactearum glandularum poris ſic dilatatis ex conformationis vitio, vel lactentium frequenti ſuctione.

defectus. Defectus à contrariis cauſis producitur, ſangvinis nempe viſciditate, alimentorum, præprimis potus, modica aſſumtione, ægritudine animi & corporis, tubulorum mammariorum anguſtia, ſuctione denegata, vel inſufficiente.

Cauſæ. Quod cauſas concernit lactis qualitate peccantis, cũ ex ſuperius de ſangvinis vitiis monitis illæ jam conſtare posſint, breviter tantum recenſebo.

Caſeſcentiæ Caſeſcentiam itaque primò gignit frigus incautè mammis admiſſum; ſecundo aciditas aliqua in ſangvinis maſſam delata; tertio animi affectus, terror imprimis, mœror.

Aquoſitatis Aquoſitas *y*) dependet jam à ſeroſitate nimia ſangvinis, jam à tubulorum lacteorum inſufficiente dilatatione: hinc cave ad lactandum inutilem pronuncies nutricem, quæ primis poſt partum diebus lac merè aqueum ſuppeditat.

Viſciditas *z*) abundantiæ butyroſarum, & defectui aquearum partium ſangvinis imputanda eſt: ſicuti acrimonia ſcorbuticis ſalibus, amarities *a*) & diſcoloratio cruditatibus bilioſis. *Viſciditatis acrimoniæ & diſcolorationis.*

Curatio abundantis lactis, quæ utplurimum deſideratur pro omnimoda exſiccatione ejus poſt infantis ablactationem, aut interitum, obtinetur, primò, ſi diæta utantur parca, & præprimis de potu conſueto ſibi detrahant fœminæ; ſecundò, ſi, poſtquam prius lac præſens è mammis per ſuctionem, aut mulctum extrahi paſſæ ſunt, firmiter illas mantili vel aliis faſciis aliquot dierum ſpatio conſtringant. Tertio, ſi ſequentia adhibeant medicamenta, ſc. externè ſem. nigellæ nuchæ appendant, vel fol. jugland. rutam, menth. alſin. cherefol. cum fol. ſolan. in aceto roſac. macerata, ſem. cumini, aqu. puleg. & tenellor. querc. cataplasma ex pane ſiligineo & ſale, decoctum aluminis & ſucc. plantagin. imponant mammis: item ſi decocto fœniculi, apii, eleoſelini, malv. altheæ, folior. lauri, chamom. foveant mammas, & emplaſtro poſtea ex terebinth. lota tegant. Pro uſu verò interno radic. armorac. ex Langii & Grülingii, vel Sacchar. Saturni cum aliis adſtringentibus ex commendatione *Sennerti* conveniunt. Præ omnibus tamen lac in mammis miraculoſe exſiccatur, teſte *Helmontio*, modò aliquot ſaltem guttulæ ejus ſuper prunas emulgeantur candentes. *Cura lactis abundantis*

Lactis defectui obviam itur per evpepta & copioſiorem potum cereviſiæ vel lactis bubuli, aut alius animalis, præ- *deficientis.*

y) Fluidior lactis conſiſtentia primis à partu diebus notatur naturaliter, diciturque coloſtrum, quod quamvis ad fœtum alendum non videatur conveniens, perutile tamen eſt infantibus ad evacuandum meconium. Continet enim particulas ſalinas, hinc ſapor ſalſus & quodammodo amaricans in ipſo notatur, deterguntur tamen hinc inteſtina à ſaburra adhærente: hanc ob cauſam infantibus hoc non denegari debet.

z) Ob ſudorem in balneo prolicitum incapax ad lactandum facta eſt aliquando nutrix, prout obſervavi. item à diarrhœa.

a) *Riedlin. in Lin. Med. Obſ.* habet, de odore lactis abſinthiaco ex uſu eſſentiæ ejus originem ſumente. Lactis odor eſt fœtidiſſimus, ſi fluorem album aut phthiſin patiantur, lympha enim acrior & morboſa per circulationem ad mammas defertur.

præprimis ſi in illo ebullierint flor. ſambuc. tiliæ, hord. excorticatum vel ſilices, item decocti lactuc. cum aqua hordei. Deinde frictiones mammar. cum panno aſpero pariter, ac ſuctiones proventum uberiorem excitant, & tandem pulveres ex ſeminibus aniſi, anethi, marrubii, fœniculi, paſtinac. trifol. pratenſ. carvi, cryſtallo præparata, *b*) marga, lumbric. terreſtr. cancr. fluviat.

coagulati

Circa coagulationem lactis & caſeſcentiam notabis, illam per ſalia volat: aſſumta quàm optimè reſolvi: quibus ſuccedunt alia reſolventia ex terreis, & Antimonial. aut pulveres milleped. coagula lepor. vel hœdi, ſpecula pavon. inciſa juxta *Riverium ac Michaelem.* Attamen citius optata lactis coagulati reſolutio obtinebitur, ſi inſimul ad externa confugeris, ſcil. menth. criſpam, apium hortenſe, lixivium comm. & emplaſtr. de ſpermat. ceti & meliloto cum camphora.

aliisque modis depravati.

Cæterum reliqua lactis vitia aquoſitas, viſciditas, acrimonia, diſcoloratio & ſapor depravatus iisdem remediis, quibus ſangvinis dyſcraſiæ aquoſæ & viſcidæ &c. emendantur.

§. 14.

De

PASSIONE HYSTERICA & SUFFOCATIONE UTERI.

Recentiores negant hos affectus dari.

Noli mirari & has affectiones à me in theatro hoc practico ſiſti, quas tamen tanquam non-entia & mera priſcorum figmenta, modernorum *c*) Practicorum concio hodie explodit. Nondum ſiquidem uſque adeo capior ipſorum autoritate, ut cuncta illorum effata è tripode dicta exiſtimem, veterumque hypotheſibus, experientiæ & rationi magis conformibus impudenter nuncium remittam.

Quò verò innoteſcat felicius, nihil abſurdi aluiſſe antiquorum ſententiam, hyſtericam paſſionem & ſuffocationem admittentem, more conſveto affectuum horum examen aggredior.

Deſcriptio Paſſionis hyſtericæ.

In paſſione itaque hyſterica, germ. Mutter-Beſchwerung ſentiunt fœminæ dolorem in corporis regione hypogaſtrica plus minus atrocem: præterea ſimul pro diverſitate ſubjectorum variis excruciantur Symptomatibus.

Symptomata.

Dum ſcil. nunc rugitus abdominis cum cholera humida experiuntur, (quæ ſpecies noſtratibus Bähr-Mutter audit) donec tandem facies palleſcat cum omnibus ſenſibus, verbo: Syncope ſuperveniat perfecta: Nunc Cardialgiâ, tremulo cordis motu, cephalalgia *d*) inſigni vexantur, nunc epilepticos inſultus totius corporis patiuntur, vel delirant, nunc cachinno *e*) ſolvuntur, nunc ſuffocatio & ſtrangulatio ipſis imminet, ita ut omni reſpiratione quoad ſenſum intercepta ſæpius pro mortuis habeantur, & tunc altera ſalutatur appellatione, nimirum ſuffocatione uteri.

in Suffocationem uteri tranſit.

Signa.

Signa paſſionis hyſtericæ, ſi levis adhuc fuerit, hoc eſt in ſolis torminibus infimi vētris acquieſcat, hauriri poſſunt ex querelis ægrotantium, modo inquiratur locus ſenſationis moleſtæ. Aſt quando augmentum capit, & ſyncope v. g. aut delirium, vel ſuffocatio accedant, major deprehenditur difficultas in cognitione, ob propriæ ſiquidem confeſſionis defectum facilè cum ſyncope cardiaca, delirio febrili, ſuffocationeque alia, confundi poteſt. Tali propterea in caſu debemus expiſcari ab adſtantibus, num ante invaſionem iſtius horrendi affectus ex moleſtia aliqua regio-

---

b) Si bilis ventriculum occupet, tunc laudatur cryſtallus præparata, quæ aliàs in lactis defectu commendatur, prodeſt tamen & illa non niſi ex hac cauſa orto defectu.

c) Vid. *Hygmohrus & Cellarius de paſſione Hyſt.*

d) Caput totum quoque aliquando frigidum ſentitur, als wenn ein Stücke Eiß auf dem Wirbel lieget/ non alia ex cauſa, quàm ex impedito ſpirituum motu, tenſioneque nervorum.

e) Sæpe hyſtericæ in cachinnos ſolvuntur, qui nihil aliud ſunt, quàm motus convulſivi diaphragmatis, ut liberè inſpirare & exſpirare nequeant.

gionis ingvinalis malè ſe ægrotans habuerit: ſi hoc affirmatur, judicabis tuto, uterum verè affectum fomitem eſſe hujus morbi: Confirmabitur tamen magis tua opinio, ſi jubeas, ut adſtans fœmina manu umbilico ægrotantis impoſita exploret, num motum quendam ſub illo loco in cavo abdominis percipiat, nec ne: prius namque ſi retulerit, infallibili tibi ſigno erit, firmo tuam conjecturam inniti talo. Cæterùm & ætas decumbentium juxta, ac vitæ genus ſuſpicionem hyſtericarum affectionum excitabunt. Medicus ſcire enim debet, juvenculas virumque nondum paſſus rarius his exagitari furiis, niſi deſiderio conjugalium deliciarum ardeant, vel menſium vitio laborent; ſecus judicandum de nuptiis, viduisque tam juvenibus quàm annoſis.

Cauſa. Cauſa principalis utriusque affectus eſt convulſivus uteri motus. Dubitas de veritate hujus aſſerti? ſcias ſtructuram ejus fibroſam, ac nerveam posſibilitatem non ſolummodo innuere, ſed motum uteri & erectionem ejus, tempore præprimis coitus fœcundi, tandemque dolores in & poſt partum tuum adhuc animum vacillantem facilè convincent. *Objectio,* Objicis ulterius, ſi principalis eſt cauſa motus talis convulſivus, perpetuo ille percipietur; aſt in ſuffocatione uteri, ſummo ſcil. gradu hyſtericarum affectionum, ne tantillum de motu uteri deprehendi poteſt. *ad eandem reſponſio.* Reſpondeo ad hanc inſtantiam, eandem, utut omnia conceſſerimus, nondum evertere hypotheſin præſentem: Dabo enim in ἀκμῇ ſuffocationis non adeſſe amplius motum uteri in ſenſum tactus incurrentem; ſed quis exinde probaverit, illum antehac non adfuiſſe? Quod verò nunc non amplius ſe manifeſtet, accidit ex ſpasmodica affectione, qua in extremo hoc morbi gradu uterum cum partibus cohærentibus correptum eſſe, certò mihi perſuaſum habeo.

Hæres adhuc, unde diverſisſima ſymptomata comites horum morborum? *Ratio ſymptomatum.* Dependent cuncta ex conſenſu nervorum aliis partibus æque, ac utero implantatorum. Quando igitur nervi inteſtinorum & ventriculi ſimul convelluntur, ſuboritur diarrhœa cum vomitu: ſi ſpaſmo corripitur nervus ſtomachicus, ſyncope ſuperveniet cum ſuis ſymptomatibus, cordis nimirum tremulo motu, pallore faciei, ſudore frigido &c. Ulterius ſi pertingat conſenſus usque ad caput, delirium aderit: ſi ad artus, convulſiones univerſales ſupervenient vel ſpasmodicæ affectiones, præprimis muſculorum colli, & cervicis; ſi diaphragmatis nervus convellitur, ſardonicus excitabitur riſus; ſicuti ſi idem diaphragma cum muſculis intercoſtalibus in ſpaſmum rapitur, ſuffocatio.

Cauſæ remotæ. Cauſæ remotæ quærendæ ſunt vel in ſpiritibus *f*) per excandeſcentiam terrorem, febrilem ideam, orgaſmum venereum, ſuaveolentia aut fœtida, aſſumta acida, frigusque externum &c. ad motus ejusmodi præternaturales præſtandos invitatis. Alio verò tempore in humoribus; ſanguine ſcil. acri, aut ſtagnante intra poros uteri tempore ſuppresſionis menſium, vel ſeminalis liquoris collectione, vel vitiata qualitate, hærent. Tandemque in aliis partibus culpa latet, admittentibus ſcil. dolores & convulſiones, v. g. in ventriculo & inteſtinis poſt vomitoria & purgantia aſſumta, in reſpirationis organis ex tuſſi ferina; in renibus vel veſica calculo, in inteſtino recto teneſmô correptis.

Cura. Curatio horum morborum duplex eſt, una, quæ paroxyſmum præſentem, altera, quæ radicem & occaſiones removet.

Paroxyſmum præſentem removens. Prima ſpecies curationis perquam glorioſos reddit Medicos, quoniam è Charontis cymba videntur eripere miſeras. Præſtatur autem variis modis,

f) Aliquando ſi genere nervoſo delicato gaudeant mulieres, levis irregularis ſpirituum motus paſſ. hyſt. inducit, hinc ſæpe vidi circa invaſ. febris, ſive horrorem lipothymias, inſequente poſtm. æſtu & exagitatis ſpiritibus ſupervenientes convulſiones uterinas, (ſeu febrem hyſtericam) unicè ex irregulari ſpirituum motu.

dis, nunc ſolis vellicationibus crinium in locis ſenſatis, nunc frictionibus & ligaturis doloroſis artuum ac ventris, nunc ſternutatoriis, clyſmatibus, ſuppoſitoriis & peſſariis acribus, ſuffimigiisque fœtidis ex ſulphure accenſo, vel capillis, ſoleis calceorum vetuſtorum, pennarum perdicum, galbani, caſtorei, verrucarum equi, pice, bitumine, ſagapeno, item ſpir. ſal. ammoniaci aut alius ſalis volatil. ardore.

Similiter proficua obſervantur ſuaveolentia, moſch. Zibeth. ambr. oleum jaſmini, balſam. peruv. aut ruta virid. menth. abrotan. imperator. mulieribus applicata.

Ultimo etiam ad catalogum excitantium olea deſtillata, ſuccin. rutæ, corn. cerv. tartar. fœtid. galbanet &c. vel ſola umbilicali regioni inuncta, vel cum gummi galban. ſagapen. aſa fœtida in formam emplaſtri redacta, uterique regioni extenſa, accerſentur.

Externis hiſce ſi interna ſimul aſſociaveris antepileptica & ſpecifica pulv. ex flor. jugland. unicorn. ver. dente hippopotami, antihect. Poterii, liqu. C. C. ſuccinato, ſpir. ſalis ammon. Tinct. tartari, aſæ fœtid. caſtorei, granor. actes, tandemque ſpir. vini *g*) rectificatum, miraberis, quàm cito & pene incantamenti ad inſtar remittat paroxyſmus. Multum inſuper te commendabis ægris & adſtantibus, ſi ſymptomata reliqua, præprimis dolorem ſubito ſuſtuleris, quod fiet, ſi cum judicio opiata *h*) inſimul, vel ſaltem clyſma aliquod ex chamomill. aliisque uterinis plantis cum capitibus papav. decoctum, vel ſolam theriacam externè adhibeas.

[C]auſas remo[t]as reſpici[e]ns. Hæc de prima curationis ſpecie, quoad alteram notandum cauſis remotis medicamenta eſſe opponenda nunc impetum ſpirituum demulcentia, nunc antifebrilia, nunc alia, de quibus videantur, quæ in aliis paragraphis ex profeſſo circa illarum curam ſunt monita.

§. 15.

De

Nimia Salacitate Foeminarum et Furore Uterino.

Deſcriptio. Quemadmodum inter affectus maſculino ſexui proprios deſiderium coëundi inſatiabile ſub titulo priapiſmi deſcripſimus: ita nunc fœminarum immoderatus appetitus Veneris ſiſtitur. Tantus verò in quibusdam ille eſt, ut omnibus pudicitiæ fractis repagulis turpiter ſe nõ modò cuivis ſolicitanti ſupponant, ſed invitis etiam nunc laſcivis geſtibus ac verbis, nunc aliis illecebris ultro ſe offerant, aſt nunquam nec ab innumero virorum compreſſu libidinis extinctas faces ſentiant, adeo, ut jurares has eſſe de Meſſalinæ turpiſſimæ Imperatricis proſapia, quæ juxta Poëtam:

> Reſupina jacens multorum abſorbuit ictus,
> Et laſſata viris nec tum ſatiata receſſit.

Quid, quod, ſi voti compotes haud reddantur, beſtiarum ad inſtar præ Veneris œſtro rabidarum in furorem vertuntur, nihilque aliud cogitant vel loquuntur, niſi laſciva & turpisſima, tandemque, ni probè cuſtodiantur, eò deſperationis veniunt, ut violentam mortem ſibimet ipſis inferant.

Signa diagnoſtica. Signa diagnoſtica ſunt data, neque facilè quis Medicus confuderit hunc furorem cum alia ſpecie delirii, modo

g) Ut acre & irritans mihi hactenus uſualis fuit ſpir. vini ſolus rectific. ad cochl. j. ori infuſus, & feliciter excitatæ fuere.

h) Si ex utero primario affecto, dolores nimium urgeant, ſacra anchora ſunt anodyna & opiata, dolores compeſcendo ſpiritus in irregulari motu ſiſtunt.

modo attendat ad ſermones ægrotantium, non niſi de rebus obſcœnis ac impudicis agentes, & ad geſticulationes laſcivas, quorſum præprimis partium genitalium frictio, quam perpetuo moliuntur, pertinet.

Cauſa. Cauſa *i*) ex aſſe cum priapiſmo virorum (hinc tali ſub rubrica non male antiquus ille Medicus *Moſchio* affectus hos explicat) convenit, ſcil. pruritu vexantur inſigni muliebrium, continuosque ſentiunt Veneris ſtimulos.

Pruritum autem hunc potisſimum ex abſtinentia coitus oriri omnium probatur conſenſu, adeoque indiſcriminatim puellas, nondumque virum expertas æquè, ac impotenti marito nuptas, ac tandem viduas a furiis his Venereis agitari, toties in vita civili non minus, quàm praxi obſervatur. Naſcitur tamen inſuper pruritus iſte ex acrimonia *k*) ſangvinis, vel ſeminalis liquoris, victu ſtimulante, toxico hauſto, ſolarium radiorum æſtu, vermibus intra uterum nidulantibus, qualem obſervationem *M. N. C. Ann. 8. obſ. 75.* habent.

Cura. Curæ turpisſimi hujus morbi in principio ſtatim eſt opera danda: etenim illo tempore ſæpius ſolæ admonitiones, increpationes, & comminationes *l*) item interdictiones otii, lectionum & confabulationum Venerearum, neque minus alimenta, & medicamenta refrigerantia ex lactuca, endivia, ſalice, agno caſto, portulaca, nymphea, cicuta, *m*) camphora, ſacchar. ſaturni, aut balnea aquæ frigidæ, tandemque acrimoniam ſangvinis, lymphæ ſeminalis, philtrique noxam corrigentia & vermes demum enecantia conveniunt.

Coitus tamen conceſſus cunctis remediis præripit palmam, quem etiam propterea in ipſo uterino furore, tanquam ſacram anchoram commendant Practici. conf. *Barthol. c. 2. hiſt. 69.* referens Maniacam de rebus Venenereis ſemper loquentem in Noſocomio detentam, à miniſtris ſæpius compreſſam *n*) convaluiſſe. Quandoquidem verò virginum, viduarumque cœtui hoc remedium nec conceſſum, nec tutum eſt, idcirco iſtis, ſi furore tali corripiantur, à ſolis refrigerantibus, tandemque venæ ſectione ad Hippocratis monitum larga manu celebrata ſperanda ſalus.

CAP.

---

i) Quæ ad ſalacitatem faciunt, deſcribit prolixè *Petrarcha de Remed. utriusque fortunæ L. 2. dial. 21. 23.* Quasdam fœmellarum præ aliis natura libidinoſiores eſſe manifeſtum eſt, imprimis quando parentes laſciviores fuerint, der Apffel fället nicht weit vom Stamme: accedit, ſi in educatione naturalis diſpoſitio non mutetur: huc facit temperamentum & clima calidius, victus lautior, alimenta evchyma, acria & ſtimulantia, potulenta ſpirituoſa &c. *Jonſton. & Sennertus* ex facie, ejusque cute cauſas, & ſigna laſciviæ peti poſſe ſibi perſvadent, quod tamen perpetuum non eſt, poteſt enim diſpoſitio naturalis facile emendari per bonam educationem.

k) Hinc corpora ſcorbutica & melancholica antiquis dicta, data occaſione, laſciviſſima ſæpius deprehenduntur.

l) *Plutarchus* refert, quod aliquando virgines Melitenſes ad unam pene omnes nymphomania laborarint, & ſimul decreverint ob coitus defectum, ſibi ipſis laqueo finire vitam. Hinc Magiſtratus edicto publico tantum effecit, ut reſtituerentur omnes, nam laqueo ſuſpenſas nudas in forum ſuſpendi decreverat.

m) Imprimis laudatur cicuta vid. *Baſil. in Homil.* quod monachi laſciviam cicuta ſorpta refrænent; ligat quidem ſpiritus & ebullitiones ſangvinis conſopit, cautè tamen procedendum, quatenus aliquam virulentiam fovet, imprimis aquatica v. *Wepfer. de cicuta aquat.* conf. *Sennert. de M. M. p. 257.*

n) Et *Platerus* narrat virginem nocturno tempore à VII. robuſtis viris compreſſam, manè ſanam abiiſſe.

CAPUT. XXV.

De

MORBIS INFANTUM.

§. I.

De

TORMINIBUS VENTRIS.

Ægyptii infantum morbos negligunt.

ÆGyptios curam infantilium morborum penitus negligere, nec ipſis Medicos peculiares, quemadmodum aliàs ſolent in ſingulis morbis deſtinare, apud *Herodotum Lib. 2. & Proſp. Alpinum de Medic. Ægypt. Lib. 1. c. 1. p. 3.* legimus, videntes ſiquidem perquàm arduum eſſe cognoſcere illorum morbos, cum nec recenſere nec aliis ſignis declarare mala hæc ſua valeant adſtantibus, & magis adhuc, remedia contra ipſos præſcribere, quorum operationibus ferendis corpuſcula tenellula eſſent apta, quare omnem laborem in Cura illorum adhibitum prorſus inanem ſunt arbitrati. Num verò prægnantes ſatis hæ ſint cauſæ pro tanta excuſanda negligentia, prolixè non diſputabo, ſufficiet à noſtræ regionis Medicis infantum non minus, quàm adultorum curationes expeti, bonoque effectu ſuſcipi.

Autores qui de morbis infantum ſcripſerunt.

Age igitur ſcias, quos recens nati à nativitatis puncto, donec fari inceperint, experiantur morbos, quorumque prolixum ſatis catalogum non modo *Hippocrat. Lib. 3 aph. 24* & qui ex profeſſo de his ſcripſerunt, *Omnibonus Ferrarius de Art. Med. Infant. Joh. Ceckius de pueror. tuend. valetud. Hieronymus Mercurialis de morb. pueror.* ejusque Commentator *Fontanus*, *Bonettus in Mercurio compitalitio de infantum affectibus. Michael Ettmüller in Valetudinar. infant. &c.* recenſent. Verùm enim verò paucos dabo tantùm ex illis, utpote qui jam maximam illorum partem in antecedentibus expoſui, reliquos verò non tam noſtræ, quàm obſtetricum & anicularum curæ committi ſciam. Ne tamen aliquid omiſiſſe videamur de principalioribus, & quidem primò torminibus ventris agamus.

Signa Torminum ventris.

Signa horum jubent Practici deſumere primò è continuo tenellorum ejulatu, aſt nunquam iſte infallibilis erit character torminum, quin potius eò omnes omnino moleſtias interpretentur. Igitur ſecundum ſignum ex fecum facie deſumendum eſt, mutata nempe tum temporis ratione coloris ex naturali vitellino in viridem, ratione conſiſtentiæ liquidâ in caſeoſam ac grumoſam (gehackt.) Tertio ex contorſione præprimis abdominis, ut & vigiliis perpetuis, ac intumeſcentia ventris, flatibus, borborygmis, & rugitibus ſtipata, ſuctioneque mammarum præter conſvetudinem vel avida, vel nulla certi reddimur de torminibus, & quidem ni ſtatim medicamenta in uſum vocentur, brevi in epilepticos inſultus, diarrhœam, vel alium affectum abituris.

Cauſa.

Cauſa dependet modò ex acrimonia latitante in inteſtinis, originemque ſumente ex meconio retento, lactis & denique pultis vitio, modò ex flatibns incuneatis inteſtinorum tubo, modò ex aëre frigido.

Torminum Cura ex meconio retento.

Cura, cum à meconio retento provenerint tormina, lubricantibus inteſtina ac laxativis *o)* obtinetur, nimirum

o) Judæi exhibent butyrum & mel aa. ſibi invicem mixta, pro ſcopo laxativo & ejiciendi Meconium.

rum oleo amygd. dulc. ſyrup. roſar. ſolutiv. ſyr. de ſpina Cervin. vel cichor, cum rhabarb. &c. Sicuti lactis coagulatio terreis, C. C. ebor. ocul. cancr. fecul. rad. aron. & bryon. pulv. marchion. unicorn. ver. chel. cancr. &c. & pulveribus ſalinis tam fixioribus, quàm volatilioribus, oleo tartari per deliqu. liqu. C. C. ſuccinat. & ſpir. ſal. ammon. aniſato.

ex flatibus Pro flatibus pellendis ſimiliter ſalia volatilia ad gt. ij. in vehiculo convenienti, h. e. in lacte aut aliquo ſyrupo ſunt exhibenda. Qui verò illa ob odorem & ſaporem ingratum infantibus præbere metuunt, illi aromaticis ſolis curam poſſunt aggredi, ſcil. pulv. ſem. aniſi. fœnicul. vel rad. Zedoar. in pulte propinatis: Inſimul tamen externè ventrem infantis ol. chamom. rut. aneth. &c. ſpirituque frumenti inungere.

ex dolore Hiſce omnibus remediis ſi dolore nimium vexari infantes deprehendamus, optimo cum ſucceſſu anodyna adduntur, theriaca ſcil. & papaverina *p)* imo opium ipſum in minima tamen doſi.

Conveniunt etiam in torminibus iſtis clyſmata ex plantis vel emollientibus, vel carminativis præparata, magis tamen proficua erunt, ſi pro corrigenda acrimonia humorum oleum Tartari per d. adjeceris, & pro ſcopo anodyno de capitibus papav. cum ſemine unum atque alterum ſimul ebullire ſiveris, vel de theriaca tantillum adjeceris.

Hæc ſunt, quæ immediatè infanti contra tormina exhibentur; Citius tamen adhuc mediante lacte nutricis malo inſidias ſtruentur, quando nimirum illa aliquot ante lactationem horis ſpir. ſal. ammon. aniſat. & alia lactis vitia corrigentia aſſumſerit, de quibus ſufficienter in præmiſſis.

§. 2.

De

CARDIACA ſive INFLATIONE ABDOMINIS SUB COSTIS SPURIIS.

DIxi in præcedenti theſi acrimoniam ac viſciditatē humorum producere in infantibus tormina ventris, nunc de vomitu, epilepſia, ac diarrhoeis ex iisdem radicibus exſurgentibus agendum eſſet, niſi ſuperfluum hoc negotium crederem, utpote idem penitus cum antecedente theſi exhibiturum.

Remitto itaque vos ad paragraphos de illis ex profeſſo agentes, ac Cardiacæ nunc examen aggredior. Eſt verò illa inflatio abdominis, præprimis ſub coſtis ſpuriis, intercipiens reſpirationem, vel ſaltem maximè anxiam illam reddens; germanico nomine appellatur das Hertz-Geſpann. *Deſcriptio.*

Signa ex ſymptomatibus habentur, præ cæteris ex duritie inſolita hypochondriorum ſub coſtis ſpuriis, quæ tanta eſt ſæpius, ut aſſeris in modum rigeſcant. *Signa.*

Cauſa eſt impeditus diaphragmatis motus ex ſpasmodica muſculorum ipſius, ſimilique ac muſculorum abdominis affectione dependens, cujus occaſionales cauſæ ſunt nunc ſolus aër frigidus per reſpirationem aſſumtus, nunc acrimonia vel flatus *q)* in inteſtinis vel ventriculo hærens, nunc levis vertebrarum luxatio, Wehthun. *Cauſa.*

Medicamenta *r)* requiruntur ſola carminativa, abſorbentia & antiſpaſmodica, eaque rurſus vel externa vel interna. *Cura.*

---

p) Imprimis ſyrup. papav. alb. &c.

q) *Stair. Phyſ.* varia alimenta in machina pnevmatica examinavit, & diverſas flatulentias nunc plus nunc minus in iis deprehendit: plus in rapis, raphanis, minus in paſſulis &c. Puls ex farina parata majorem aëris elaſtici partem habet intra porulos ſuos, quatenus facilè fermenteſcit, hinc ex copia pultis ejusmodi flatulen-

na. Externa *s*) ſunt Ol. rutæ, chamom. anethi, ſuccin. axung. caſtor. butyr. rubr. ſaliva jejun. Interna verò Liqu. C.C. ſuccin. ſuccus pentaphyll. decoct. menth. & alia.

Pro repoſitione vertebrarum cucurbitula confert umbilico cum flamma impoſita, niſi per blandam extenſionem corpuſculi infantis illa obtineatur.

§. 3.

De

OMPHALOCELE ET UMBILICI EMINENTIA,

ACtum equidem jam ſupra *cap. 6. §. 9. de herniis*, omiſſa tamen tum tractatio Omphaloceles eſt, tanquàm quæ proprie puerilium affectuum catalogo erat inſerenda. Quo igitur liberem nunc fidem, moneo Omphalocelen eſſe tumorem ipſius umbilici molliorem, ſæpius in notabilem molem auctum. Huic verò affectui ob affinitatem ſocio umbilici eminentiam, quando ſcil. non debito modo excavari ſe locus ille patitur, ſed in protuberantiam quandam extollitur, non tamen adeo magnam, compactiorem nihilominus, ac ſolidiorem quàm omphaloceles.

[D]eſcriptio [u]triusque [a]ffectus.

[Ca]uſa Om[p]haloceles

Cauſa illius affectus eſt diſtenſio nimia umbilici, oriunda à caſu, vociferatione, tuſſi, flatibusq; inteſtinis incuneatis, ab his ſiquidem facilè dilatatur, & tantùm non dilaceratur tenera umbilici ſtructura, adeoque ad ſuſcipienda inteſtina, omentum, flatus aut aquam, apta redditur.

Cauſa eminentiæ Umbilici.

Hujus autem mali cauſa adſcribenda eſt partim incuriæ obſtetricum, (quæ non rite interiora verſus ſangvinem funiculo umbilicali incluſum cogunt, aut debitis faſciis reſiduum extra corpus hærens ſufficienter conſtringunt,) partim verò clamoribus immoderatis pueri, affluxum humorum continuum, & hyperſarcoſin quandam in reſidua portione dicti funiculi cauſantium.

Cura Omphaloceles.

Cura Omphaloceles *t*) inſtituenda ad methodum reliquarum herniarum, repoſitione nimirum extra hærentis corporis, & conſolidatione. Itaque prius flatus, ac aqua ex abdomine pellantur, tusſique ſedata tandem vociferatio prohibeatur, ſic fiet, ut feliciter poſtmodum ad utramque intentionem perveniamus: & ad primam quidem ſolo ſitu ſupra dorſum, levique compresſione tumoris, vel ſi flatus fuerint impacti, fotu vini calidi, aut applicato Vigonis emplaſtro *u*) de ranis cum Mercurio ex obſervatione *Paræi Lib. 17.* ſicuti ad alteram per faſciam & perizomota debita, item vulneraria & conglutinantia.

Promittunt etiam hujus morbi ſympatheticam quandam curam Practici ex ſolo frequenti attactu herniæ cum lap. fulminari, vel ſi tumor intra ceraſi bifurcatæ, ope manuum recens diſruptæ fiſſuram ponatur, leviterque in illa prematur, *w*) coaleſcente namque poſtmodum arbore citisſimam diſparitionem tumoris ſequi.

P 3 In-

tiæ oriuntur, imprimis verò, quando ſimul ſtipticitas alvi notatur, augentur flatus.

r) Si flatibus exeuntibus obicem ponat alvus ſtrictior, clyſmata ex mentha, chamom. & fl. ſambuci conveniunt, non tam quatenus acria ſunt, ſed etiam quatenus ſua caliditate robur fibris addunt inteſtinorum.

s) Spir. Roriſmarini, vel ſpir. vini per ſe.

t) Flatus & feces educuntur laxativis intus datis. *Baricell. Hort. gen.* ſe feliciter curaſſe aſſerit hernioſos puerulos ſolis laxativis, ſyr. roſ. ſol. conſ. *Velſch. Mictomini. pag. 5.*

u) Empl. oxycroc. *Weickard. theſ. Pharm. L. 1. c. 18.* vel diapomphol. v. *Dodon. Obſ. c. 6. pag. 135.* Empl. contra rupturas v. *Joh. Vigenerius L. 1. c. 48. Op. Med. Chir.* Cunctis irritis ad Chirurgiam quidam confugiunt *ab Aquap.* deſcriptam. v. *M. N. C. D. 2. A. 3. o. 128.*

w) Si ſuccedat negotium, cauſa forſan latitat in attactu herniæ, illâ enim contrectata recedit umbilici portio eminens.

Cura prominentiæ umbilici. In prominentia umbilici, ſi hæc adhuc in principio eſt, à faſciis maxima pars curæ ſperanda, imo ad meliorem compreſſionem ejus laminam plumbeam ſupra prominentiam ponere juvat, vel loco ejus emplaſtrum diapompholygos, quod *Deodatus in annot. ad Benivenii de abdit. morb. cauſ. c. 4.* ut ſingulare remedium commendat. Quibus non ſufficientibus videndum, an ſuppurari, eoque ipſo materia peccans evacuari poſſit.

§. 4.

De

APHTHIS.

Deſcriptio ACcidit quandoque, ut ad interiorem concamerationem oris ulcuſcula, ſive, ut rectius loquar, veſiculæ lymphatico liquore quodam turgidæ exſurgant, circa principium eruptionis exiguæ inſtar præterpropter granorum milii, brevi tamen ſummo cum dolore, ac tunicæ interioris eroſione per totum os ſe expandentes.

Etymologia. Aphtharum nomen his ulcuſculis impoſuere Practici græci, quod etiam à Latinis retentum, Germanis verò ſub titulo der Schwämchen veniunt.

Symptomata Symptomata, quæ ſecum habent, ſunt impedita deglutitio, ardor oris & tandem perfecta exulceratio, niſi ſumma illorum habeatur ratio, quibus omnibus & ſingulis invitantur ad vociferationes continuas.

Cauſa. Gignuntur aphthæ ex acrimonia lactis ſucti, erodente ſtatim teneram oris cuticulam; quandoque tamen ſangvinis in lactantium & ſeri ſalivalis dyſcraſia latens proxima reperitur cauſa.

Curandi methodus conſiſtit in lactis & ſalium acrium correctione.

Cura. Corrigitur lactis vitium medicamentis *cap. præcedenti §. 13.* exhibitis. Salia verò ulcera excitantia vel aqueis diluuntur, quorſum voco ſpongias ſambuci in aqu. ſimpl. maceratas, vel aqu. flor. liguſtri, famoſum illud *Gabelchoveri* experimentum, vel glutinoſis inviſcantur, ut ſunt ol. rapar. cum ſacchar. confer. *Act. Haſſn. Vol. 4. p. 49. Miſcell. N C. D. 1. A. 4. Obſ. 83.*

Si inflammatio ſupervenerit, flos lactis cum tantillo nitri infallibile tibi erit remedium, vel loco ejus aqua calc. vivæ.

Poſito vero in ulcera jam abiiſſe perfecta aphthas, antequam accedas, tum detergentibus opus tibi erit, decocto v. g. ficuum, rob. diamoron, vel dianucum, melle roſat. vel ſimpl. vel cum N. M. aut loco ejus cum cineribus rad. fœnic. mixto, decocto ſalv. ſaturej. rad. pentaphyll. aut quæ fortiora magis ſunt melle x) roſat. cum ſpirit. ſalis acuat. vid. M. N. C. D. 1. A. 4. p. 50. vel aqu. ſpermat. ranar. prunell. addito ol. vitrioli ad grat. aciditat. oxymelle, lap. medicamentoſo Crollii, aut alumine ſoluto in aqu. plantaginis.

§. 5.

De

LACTEA CRUSTA.

NUm olim planè non infeſtarit hic morbus puerulos, fruſtra prolixiùs diſputatur. Certum eſt, ſub hoc titulo in priſcorum codicibus nullum veſtigium ejus reperiri, ſed demum illam à *Manardo in Epiſtolis,* & *Gvilielmo de Saliceto* cœpiſſe ſic appellari. Synonyma ejus ſunt lactuceum & lactumen, quod ultimum nomen allegato *Saliceto* frequenter in uſu quoque eſt. *Nominis primi Autores.*

Hiſtoriam ſi cupis, volumus per illam albicantem eſcharam, quæ lactationis tempore in capite pone aures & in facie erumpit; ſæpius tamen etiam alias partes incruſtat, Germanis appellatur Anſprung. *Deſcripti*

Cau-

x) Inter miracula, quæ Hipp. poſt mortem reliquit, hoc eſt, quod examen apum in ejus ſepulchro relictum fuerit, vid. *Soranus Vit. Hipp.* cujus mel ad hunc affectum tanquam ſingulare remedium prædicant. Idem tamen præſtat omne mel.

Cauſa. Cauſa in ſangvinis vitio hæret, corrupto utplurimum à lacte viſcido, ac acri, ſuctione antehac aſſumto.

Cura. In cura, (quæ tamen rariſſime hiſce locis deſideratur, cum perſvaſum ſibi habeant mulieres, omne noxium naturæ bonitate per hanc cruſtam ejici è ſanguine,) reſpici debet unicè lactis *y)* vitium, quo emendato ſponte poſtmodum exſiccabitur & decidet cruſta.

Quodſi nihilominus firmas nimium radices egerit malum, etiam puerulo exhibebis alvum leniter ſubducentia, aliaque ſangvinis vitium emendantia, v. gr. mercur. dulc. antimon. diaph. ſ. & martiale &c.

Exterius *z)* autem inunges cruſtam firmius cuti annexam ungvento albo, vel de ceruſſa, vel ſolo butyro, vel ablues aqu. deſtillatis refrigerantibus, vel vino gallico, quod experimentum eſt *Heydei Obſ. 3. de anatome mytuli.*

Paucis in omnibus geres te ac ſi ſerpigines vel ſcabies eſſent curandæ, de quibus ſupra ſatis eſt actum.

§. 6.

De

DENTITIONE DIFFICILI.

SI quod malum infantibus eſt doloroſum juxta ac periculoſum, eſt ſanè dentitio difficilis, quæ in quibusdam circa ſeptimum, in aliis verò circa undecimum nativitatis menſem, imo longius adhuc accidere ſolet.

Symptomata ſtipantia illam ſunt pruritus gingivarum, notabile ſalivæ ſtillicidium, mox dolor ſummus cum inflammatione, vomitus, diarrhœa, tuſſis, vigiliæ, ac clamores perpetui, febres, raucedo, dyſpnœa & alia. *Symptomata.*

Signa habentur ex ætate ac ſymptomatibus, quibus ſputatio crebrior, & ſi omnia, quæ arripiunt, gingivis ſubjiciant, accenſeri merentur, tandemque tubercula in gingivis erumpentia. *Signa.*

Cauſa hæret in craſſitie gingivarum, quas continuo vellicant dentes, à natura circa illud tempus ex acetabulis ſuis elevati. *Cauſa.*

Quod verò tam varia ſuperveniant ſymptomata, in culpa partim eſt conſenſus per nervos, partim dolor. A dolore ſunt vigiliæ, vomitus & diarrhœa: ex conſenſu epilepſia cum aliis. *Symptomatū ratio.*

Cura dirigenda eſt partim ad cauſam, partim ad ſymptomata. *Cura ad cauſam.*

Craſſities gingivarum extenuatur, ſi crebrius ante tempus eruptionis gingivæ comprimantur digito nutricis, vel rebus compactioribus puerili more maſticatis.

In ipſo autem paroxyſmo, & jam ſæviente dolore, duplici via huic malo obviam eundum, partim per Chirurgiam *a)* quatenus nempe ſcalpello gingivæ ſupra dentem dolentem findun-

---

y) Optimum itaque & certisſimum remed. eſt ablactatio plenaria. Quamdiu enim tale lac infans ſugit, nulla conſtans medela ſperari poteſt; ablactatione verò facta, ſponte curatur.

z) Topica non niſi priùs ſufficienter correctis pravis humoribus conveniunt, aliàs etiam inſontibus remediis facilè produces epilepſias, convulſiones univerſales &c. Impr. cave, ne ſolis topicis externis curam ſuſcipias, prout aniculæ faciunt; poros enim dum illinis, ceſſat quidem eſchara, ſed cum infelici ſæpe ſucceſſu. Acrimonia enim alia petit loca, nervisque adhæreſcit, unde convulſiones &c. Ergo non niſi præmisſis internis, & corrigentibus it. evacuantibus topica adhibeas.

a) Si jam accedat eruptio, ne inſpectionem multò minus contrectationem partium harum admittunt infantes, ergo gingivæ findantur juxta *Borellum.* Quæ methodus eſſet quidem certisſima, modò facilè id admittant pueruli; taceam non ad-

duntur, quæ methodus ut tutiſſima ac certiſſima à *Borello in ſuis obſervationibus b)* miris modis extollitur; partim per anodyna & quodammodo ſtupefacientia gingivis applicata, ut ſunt oleum calid. amygdalin. butyr. non ſalit. medull. crur. vitul. cerebr. lepor. ſangu. è vulnerata criſta galli, tandemque ſuccus ſolani.

& Symptomata dirigatur.

Quoad ſymptomata, ſemper maxime urgentibus ſunt opponenda ſpecifica, nunc ſi dolor urgeat, anodyna c) ſi inflammatio adfuerit, refrigerantia, mucilag. ſem. pſyllii & cydonior. nunc antepileptica, antifebrilia in epilepſia, febri &c. conjuncta.

Sola diarrhœa modo non excesſiva fuerit, negligenda eſt, nam juxta *Hippocratis* effatum & obſervantiam frequentem immunes facit infantes ab epilepticis inſultibus.

Externè etiam præterea dentes apri, ſmaragdus, corall. rubr. de collo geſtata, vel cereviſia ſupra mandibulas leporis atque talpæ infuſa dentitionem mitigare dicuntur: Vereor tamen, ne plus promittatur ab ipſis, quàm præſtare poſſunt.

---

modum feliciter aliquando ſuccedere operationem, imprimis ſi imprudens manus accedat. vid. *Tulp.* qui ex inciſione tali immediate epilepſiam ſecutam fuiſſe notat.

b) *It. Binningeri Cent. IV. o. 25. Paræi. L. 23. c. 67.*

c) Anodyna utramque paginam abſolvunt, quo ſpectat ipſum opium in debita doſi, nempe eſſentiæ opii gtt. i. ij. ad ℥j. aquæ, & poſtmodum cochleatim exhiberi poteſt.

F I N I S.

CHI-

CHIRURGIA
D. Chriſtiani Johannis
Langii.

CHIRURGIA.

PRÆFATIO.

Ut ut Chirurgia noſtro nunc ævo penitus nobis Medicis à balneatoribus ac tonſoribus ſit erepta, cogimur nihilominus, cum hoc genus hominum penè ſolenniter inſigni fundamentorum artis imperitia laboret; etiam & hæc manuaria remedia intimè nobis cognita reddere. Non equidem id volo, ac ſi neceſſum foret; ut Medici manum omni operationi chirurgicæ admoveant ipſi, (infra enim dignitatem medicam hoc non ſolum eſſet, nec ſoſtra his laboribus æqualia offeruntur nobis,) ſed in tantum Chirurgiæ notitiam commendo ſolummodo, ut architecti prudentis ad inſtar miniſtrorum operationes ac labores judicare, corrigere, emendare ac adjuvare in neceſſitatis caſu valeatis. Nolim verò à me impræſentiarum cunctas in univerſum operationes chirurgicas cum enchireſibus circa adminiſtrationem illarum adhibendis, expectetis, operam namque ſumerem inanem ac verè ſuperfluam, utpote à tot Excell. ſcriptoribus, Hildanis puta, Paræis, Aquapendentibus, Horniis, Scultetis, Solingiis, Rhonchuyſiis &c. dudum abſolutam: Potius ea tantum, quæ tanquam futuris Medicis imprimis neceſſaria vobis obſervavero, h. e. præter operationes manuales *a*) ſimul medicamenta in his morbis convenientia tradam, uno verbo: Chiriatriam ſive Chirurgiam Pharmaceuticam, prout illam *Severinus Trimembr. Chirurgia p. 83.* vocat, theſibus his brevioribus comprehenſam, juvante Deo exhibere conſtitui.

CAP.

a) Chirurgia abſolvitur vel operationibus, vel remediorum externorum applicatione; de priore videantur Autores, de poſterioribus in ſequentibus paucis acturus ſum; non tamen prætermittam & interna, quibus ſuccurrere Medicus poſſit.

Caput I.

De

TUMORIBUS.

§. I.

Quid per tumores intelligatur.

INitium facio à tumoribus, ſub quo titulo in generaliori ſenſu intelligitur omnis p. n. aucta magnitudo partium tam in latitudine, quàm profunditate. Specialiùs autem conſiderata hac voce, ſcil. ratione figuræ, qualitatum externarum, loci affecti, cauſæ ac ſymptomatum &c. maximam illorum licet obſervare differentiam, quæ etiam magnitudinibus his auctis propria poſtmodum imponit nomina, ita ut Inflammatio, Eryſipelas, Oedema, Scirrhus, Carcinoma, Meliceris, Atheroma, Steatoma, Teſtudo, Talpa, Natta, Lupia, Scrophula, Bubo, Ganglium, Nodus, Callus, Clavus, Verrucæ, Fungus, Perniones, Polypus, Epulis, Anevriſma, Varices, Ecchymomata &c. ſalutentur, de quibus ſingulis nunc fuſiùs.

Eorum varietas & nomina propria.

§. 2.

De

Inflammatione Et Erysipelate.

DIctum jam tùm in *Praxi cap.8.§.1.* de inflammatione & Eryſipelate ſufficienter eſt, quare impræſentiarum de natura, differentia, ſignis, medicamentisque internis taceo, additurus tantùm aliquid de externis, obiter ſolùm illo in loco propoſitis, medicamentis: Tanquam principaliora verò, circaque morbi principium applicanda uno ore Practici extollunt repellentia, *b*) h. e. quæ adſtringendi vi fervorem & affluxum humorum reprimendo, ac poros partium claudendo humores aliorſum cogunt. Talia ſunt:

Repellentia quomodo operentur.

Rad. Tormentill.
Symphyti maj.
Ireos fl. luteo.
Biſtortæ
Sanguiſorbæ
Cort. Granator.
Fol. Cupresſi
Quercus
Myrti
Salicis
Roſarum
Balauſtior.
Acaciæ
Muſcus
Gallæ
Myrtilli exſiccati
Sumach.
Nux Cupresſi
Fungus betulinus ac quernus
Sanguis Draconis
Bolus tam vulg. quam Armena
Terra ſigill.
Creta
Vitriol.
Alumen
Saccharum Saturni
Ceruſſa
Minium &c.

quæ vel in aceto, vel vino auſtero decocta ſub epithematis, & cataplasmatis forma applicantur. Notetur tamen de his ineptè illa adhiberi.

1) In

b) Repellentium omnium natura in eo conſiſtit, ut vel repellant humores in exterioribus ſtagnantes, vi ſua adſtrictoria, dicunturque apocruſtica: vel repellunt, ut frigida & refrigerantia: vel repellunt, quatenus fibris læſis novum robur conciliant (dum enim atonia laborant, facilè ſtagnant humores) dicunturque hæc nervina. Adſtringentia, affluxum humorum refrænando, porosque partium comprimendo repellunt, non ſecus ac ex ſpongiis compreſſis humores eliciuntur. conſtant ex partibus, quibus vis ineſt uniendi partes ſpongioſas, cujus autem texturæ præciſe ſint, vix determinari poteſt, utplurimum tamen hamoſis partibus gaudent. Remed. ipſa vid. in §. Huc ſpectant epithemata nigricantia Chi-

1) in inflammationibus Criticis *c*) quales utplurimum ſuntEryſipelacei.

2) Quando morbus dependet a venenatis cauſis, *d*) morſu ſcil. viperæ, canis, aut armis venenatis.

3) Quando humoribus *e*) viſcidis ac pituitoſis corpus repletum eſt.

4) Ubi dolor ſummus *f*) ſimul conjunctus obſervatur.

Idem judicium eſto de *Refrigerantibus g*)

Succ. ſemperviv. major.
  Plantaginis
  Acetoſæ
  Lenticular. paluſtr.
Foliis Braſſicæ
  Nympheæ.

tandemque aqua frigida pro hac repellendi intentione adhibitis, niſi enim quæ nunc notata ſunt, probe attenderis, & præterea circa primum ſtatim principium, antequam firmius fibris partium impingatur à violenta externa cauſa extravaſatus cruor, ipſa adhibueris, facile ad ſphacelum & gangrænam diſpones affectam partem. Magis propterea tum approbo, ſi ſimul cum repellentibus ex adſtringentium turma deſumtis reſolventia *h*) & nervina, quandoque etiam anodyna *i*) admiſceantur, imprimis ubi paululum adoleverit morbus & dolor ſimul urgeat. Ex prima claſſe ſunt. *Repellentium uſu ſphacelus poteſt acceſſi.*

Spir.

---

rurgorum, (ſchwartze Erde) nigredo eſt à vitriolo, & aliis adſtringentibus. Adſtringens etiam eſt atramentum ſcriptorium. Huc ſpectant etiam à Chirurgis dicta defenſiva, quæ nihil aliud ſunt, quàm adſtringentia inter ſe mixta.

c) Inflammationes criticæ ſunt, quando cauſa morbifica intùs latens aliisque morbis anſam ſuppeditans beneficio naturæ ad exteriora pellitur. v. g. in febribus malignis, deliriis &c. epilepſia &c. ita tamen, ut morbus internus tunc ceſſet aut remittat, quo caſu inepte repellentia applicantur, contraſtamus enim tunc naturæ motui, potius manum de tabula. Ergo in omni eryſipelate aut inflammationibus eryſipelaceis poſt morbum ortis exulent adſtringentia. Triſtia hinc plura eveniſſe, exempla novi, ita ut convulſiones & mors ſupervenerint.

d) Quando inflammatio à cauſa venenata ab extra, v. g. ictu veſpæ illata, cave, applices repellentia, aliàs introrſum pelles venenum.

e) Ulterius nec adhibenda ſunt, quando corpus cachecticum, ac humoribus viſcidis & pituitoſis ſcateat, inde enim ex inflammatione oritur ſolenniter ſcirrhus, de quo infra.

f) Nec tandem locum habent, ubi dolor ſummus adeſt, partesque extremè ſenſatæ inflammatæ fuerint, aliàs necroſin & gangrænam provocabis. Conveniunt verò, ubi inflammatio in partibus carnoſis exſurgit, v. g. ſi vulneribus ſuperveniat.

g) Refrigerantia ſunt vel actu, vel potentia talia, non tamen conveniunt in inflammationibus criticis, à cauſa externa venenata ortis, non in ſubjectis cachecticis &c. nec ubi jam adoleverit inflammatio, ſed mox à principio, imprimis quando à cauſa violenta externa oriatur, ſanguisque ſtagnans adhuc fluidus ſit, v. g. in caſu ab alto, contuſione &c. aliàs humores per actu frigida magis coagulantur, & gangræna ſphacelusque inducitur. Non conveniunt refrigerantia actu talia in podagra &c.

h) Tutiora ſunt reſolventia & nervina repellentibus mixta, nempe ſpir. vin. ſimpl. camphor. vel theriacalis &c. aliique ſpiritus fragrantes, aqu. Reg. Hungar. &c. Applicantur communiter in epithemate calidè applicando, aut fotibus. Omni tamen tempore remedia actu calida applicata ne tamdiu relinquantur, usque frigefacta fuerint, ſed ſemper calida ſint, hinc ſæpius reiterentur.

i) Si dolor urgeat, anodyna jungantur, quæ ſuis moleculis ſulphureis &c. obicem ponunt tumultuantibus ſpiritibus, eosque ligant, prudenter tamen adhibenda, ſiquidem ex nimio eorum uſu ſtupor partium oritur, unde humorum naturalis motus inducitur, quem non raro gangræna, ſphacelusque ſequitur, tradunt quidem, narcotica externe tutiora eſſe quàm internè, nihilominus externe quoque ſtuporem & narcoſin producere apta ſunt.

Spir. Vini nunc ſolus nunc campho-
ratus.
Rad. Ariſtol. rotund.
Bryoniæ,
Ireos florent.
Herb. Marrub.
Hyſſopi.
Roriſmar.
Agrimon.
Abſinthii.
Flor. Hyperici
Sem. Carvi.
Cumini
Aniſi
Anethi
Fœnu græc.
Hordei
Bacc. juniperi
Lauri.
Ex Anodynis ſeligi poſſunt
Rad. Lil. alb.
Hyoſcyam.
Herb. Malvæ.
Verbenæ.
Paris.
Fl. Sambuci.
Verbaſci
Papav.
Chamomill.
Farinæ ſem. lini & lupinor.
Crocus & ipſum tandem opium.

Cæterum quod oleoſa *k*) & reſinoſa ab aliis pro hac intentione laudata attinet, v.g.

Emplaſtr. ſperm. ranar. atque ceti
Oleum Myrtin.
Nympheæ
Roſar.
Cydonior.
Hyperici
Lil. alb.
Maſtichin. &c.

ne indifferenter uſurpentur ſvadeo, ſua namque oleoſitate non raro obli-nunt poros, ſicque exhalationem in-ſenſilem impediendo variis ſympto-matibus ſatis ſæpe periculoſis dant anſam.

§. 3.

De

OEDEMATE.

ACtum quoque de his tumoribus eſt in *Praxi cap. 7. §. 2.* adeoque rurſum omitto hiſtoriam, cauſas, ac curam ab internis remediis ſperandam, ſolumque propono externum apparatum.

Eò verò primaria Chirurgi intentio eſt dirigenda, *l*) ut reſoluto ac evocato è partibus affectis humore pituitoſo, tanquam morbi cauſa, nova ejus depoſitio *m*) inhibeatur. Aſſumat hic pro primo ſcopo in ſubſidium, quæ in præcedenti theſi ſub reſolventium titulo nominata ſunt, ipſisque admiſceat inſuper.

Fol.

k) Oleorum uſus non ineptus eſt, quando inflammatio ab acrimonia fuerit, involvunt
enim & inviſcant illa e.g. obſervavi non raro in podagra cum inflammatione ol.
hyper. &c. calidè illitum profuiſſe; Imo magis proficua oleoſa ſunt, quando a-
crimonia exteriùs & in aprico hæreat, quando verò interius v.g. in articulis &c.
lateat, irrita ſunt; taceam, quod ſæpe periculoſa ſymptomata hinc producan-
tur, quatenus obſtructis & oblitis per illa poris tumor, dolorque tunc augetur, dum
tranſpirationi obex ponitur.

l) Stagnans hic ſerum vitioſum, ſive nimia viſciditate præditum fluidum reddi debet, &
ad vias ordinarias transferri, hinc 1.) reſolvatur 2.) educatur 3.) cave, ne depo-
natur rurſus. Primo ſcopo ſatisfaciunt reſolventia, quæ humorum viſciditates
removent, vid. in §. not. tamen ſubinde, niſi viæ intus paratæ & diſpoſitæ fuerint,
externis fotibus &c. voti non ſemper compotes reddimur, ſed aliquando fibræ ab
externis magis laxantur, quo caſu potius interiùs agendum. Emplaſtra & ca-
tapl. ſtercoraria propter ſuam acrimoniam optima ſunt ſuo tempore. Emplaſtra in
§. dicta præter reſolutionem humorum etiam id præſtant, ut quædam eorum
partes ſimul roborent, ni malum ſit inveteratum adeo.

m) Depoſitio nova humorum impeditur per ſitum corporis ſupinum aut paulo elatio-
rem, imprimis pedum &c. hinc aliquandiu talis ſitus continuandus, & interea in-
ternis reſolventibus, & evacuantibus humores reſolvendi & educendi.

Fol. Lauri.
Herb. Majoran.
Pulegii.
Origan.
Baſilici
Fl. Lavendul.
Virgæ aureæ
Tanaceti.
Summit Lupuli &c. & cum lixivio decocta calidè adhibeat.

Si ſtercoraria placuerit Medicina, ſtercus gallinaceum, columb. & caprinum cum aceto & ſale maceratum tibi inſervient.

Sicuti, ſi emplaſtra deſiderantur,
Emplaſtr. de cicuta
Oxycroceum
Diaphoret. Mynſ.
Diaſulphuris Ruland.
Hydropicum Auguſtanor. de gummi Ammoniaco.

Officinæ dabunt. In declinatione *n*) morbi, dum jamjam partes detumeſcere incipiunt, roborantia fibras in uſum vocanda ſunt, ſub quo titulo comprehenduntur præter illa nervina ac reſolventia modò exhibita etiam adſtringentia, ſuffitus, de quibus *§. præcedenti.* Satisfaciunt quoque huic intentioni deligationes *o*) arctæ harum partium ope faſciarum, quarum uſum inſignem jam olim *Galenus ad Glauconem cap. 3. & 14.* deprædicat. Verum dum ipſis utimur, probè obſervandum venit, ne ob inflammationis recidivam, ac pejora adhuc ſymptomata metuenda nimium vincula conſtringantur. Sufficiet propterea, ſi ad primam faſciæ injectionem, quæ infernè initium ſumit, quodammodo conſtringas locum, ſed ſurſum cum ſpleniis pergendo, ſenſim iterum remittas. *eligatio- um modus.*

§. 4.

De

SCIRRHO.

Scirrhus tumor eſt indolens, admodum durus, nunc naturalem partis colorem ſervans, nunc lividus, plus minus ac fuſcus, occupans partes glanduloſas, *p*) tendinoſas, ac membranaceas, externas æque ac internas, hepar puta, lienem, uterum, teſtes &c. Misſis jam internis, utpote de quibus *in Praxi*, de externis tantùm impræſentiarum obſervari poteſt, ipſos dividi communiter in legitimos & illegitimos. Legitimi ſunt, quorum deſcriptionem modo dedi; Illegitimi vocantur, quibus adhuc aliquis dolor ineſt, quale quid accidit partibus extremè refrigeratis, aut exſiccatis, it. in ſcirrho cancroſo. *Deſcriptio.* *Diviſio.*

Cauſa olim credebatur melancholicus, ſive atrabilarius ſangvis, quam hodie tamen rectius cum *Platero* exprimimus per ſuccum quendam alimentarium crasſiorem, quàm partibus alendis conveniat. Paucis ſerum *q*) ſangvinis *Cauſa.*

n) In morbi declinatione tandem roborentur fibræ per eadem nervina, item adſtringentia. Sæpe etiam ſola adſtringentia, imprimis ſi ex langvore partium affectus ſit, ſufficiunt. Hinc etiam eſt, quod hyemali tempore ſolenniter levamen tumorum perſentiſcant, qui æſtate illis vexantur.

o) Huc ſpectant deligationes, ne tamen nimium conſtringantur. Faſciæ ſæpe ultimum & optimum ſunt remedium, robur enim fibris relaxatis & langvidis, quæ facilè humorem admittunt, reſtituunt.

p) Subjectum inhæſionis eſt pars corporis noſtri quæcunque glanduloſa, tendinoſa, membranaceaque, potisſimum tamen glandulæ magis aptæ ſunt, unde frequentes ſcirrhi mammarum, glandularum ſublingvalium, & maxillarum item penis &c.

q) Coagulatur autem ſerum vel ab acido, (ſi per ſangvinem atrabilarium intelligamus ſangvinem ab acido coagulatum) omnino admitti poteſt etiam veterum ſententia; Condenſatum enim ſerum omnino ſtagnet neceſſe eſt, nec quicquam refert, ſive accedat ad partes ſerum jamjam coagulatum, ſive in partibus ipſis demum coaguletur, hinc eſt, quod, ut ſupra dictum, ex intempeſtive adhibitis apocruſticis applicatis ſcirrhus naſcatur. Alio tempore frigus coagulans ſerum ſcirrhum gignere poteſt, ut in pernionibus ſcirrhus notatur. Sic etiam ſcirrhus naſci poteſt, quando humiditates p. n. educuntur & evocantur, v. g. à nimis calidis ap-

nis nimis glutinoſum ac viſcidum temporis diuturnitate in ſolidisſimam, & tantùm non lapideam *r*) abiens conſiſtentiam, cauſa eſt proxima. Hincque rarius gignitur ſcirrhus in aliqua parte, niſi prius diuturna ſtagnatio ſeri, aut inflammatio in ipſa præceſſerint.

Cura. Quapropter niſi ſcirrhus mature *s*) curetur, omnia fere reſpuit medicamenta, ſæpiusque paulalum durius tractatus in cancrum *t*) abit. Igitur quantocyus fieri poteſt, admovenda ſunt emollientia, reſolventia ac evacuantia tam interna, quàm externa.

Externa ſunt:

Medulla Cervina
Vitulina,
Adeps Gallinaceus
Anſerinus &
Caprinus,
Butyrum recens non ſalitum
Fl. Chamomill.
Meliloti
Centaur. min.
Lil. alb.
verbaſci.
Sem. Lini
Fœnu græc. &c.
Succedunt his
Rad. bryoniæ
Cucum. aſinin.
Cepæ
Gumm. ammon.
Bdellium
Galbanum
Opoponacum.
& ex compoſitis
Ungvent. Martiatum
Emplaſtr. de Meliloto.
Filii Zaccariæ
de galbano crocatum.
de ranis Vigonis cum Mercurio. *u*)

§. 5. *De*

plicatis remediis ſ. actu, ſ. potentia talibus. Exſiccantur enim h. m. humores, ex ſeri dein ſtagnatione facile naſci poteſt abſceſſus, ſiquidem ulcera nihil aliud ſunt, quàm per putredinem acre factum ſerum erodens fibras &c. Quod autem ſcirrhus ægrè ſuppuretur, in caſu eſt, quod humiditates cunctæ abſumantur. Hinc frequenter ſcirrhi fiunt poſt aliqualem ſeri ſtagnationem & inflammationem, debet enim tunc aut diſcudi aut ſuppurari ſtagnatio, quare ſi incautus Chirurgus accedat, dictæque binæ viæ non obſerventur, facile ſcirrhus inde naſcitur, aut, ampliores tractu temporis factæ fibræ, tubulique crasſius admittunt nutrimentum, unde tumor.

r) Sic quoque ex alluvie continua ſeri membranæ & viſcera ſcirrhoſa fiunt, prout videre eſt in hydrope & aſcite, ita, ut peritonæum in aſciticis non raro p. n. tumens & cartilagineum quaſi deprehendatur, imo tractu temporis arenulæ, tophi &c. in ſcirrhis generantur ex eadem cauſa, quod ſcil. materia, quæ cartilaginibus osſibusque &c. aliàs deſtinata eſt, nunc per tubulos à ſeri alluvie & humectatione ita ampliatos, facile admittatur. Membranæ enim, ſi aliquandiu humectantur, ex alluvie craſſeſcunt, & ſpongioſæ redduntur, prout in lotricum manibus videre eſt.

s) Si verò adoleverit, & membranæ tubulique ſuam naturalem texturam penitus amiſerint, incurabilis ſcirrhus eſt.

t) Ex illegitimo ſcirrho utplurimum fit carcinoma, quatenus ſe manifeſtat nunc per dolorem acrimonia, quæ ante ſub tegmine viſcido latitabat. Nihilominus ſi humorum viſcidorum & crasſiorum infarctus tantùm factus fuerit, & textura fibrarum nondum planè deſtructa, h. e. ſi illæ ob robur ſuum naturale contra ſtent & renitantur, ita, ut affluxos humores non facile remittant, tunc criſpatas fibras emollientibus & lenientibus demulcere allaboremus, quo mucum viſcidum ſtagnantem felicius rejicere queant: illa poſtmodum excipiant reſolventia. rad. bryon. &c. in §. dicta.

u) In lue vener. apparent non raro ſcirrhi ex acrimonia venerea orti, hinc eo caſu feliciter mercurialia v. g. empl. de ran. cum mercurio adhibentur. Magis acribus vix locus datur, aliàs ex legitimo fit illegitimus & carcinoma. Internè vel reſolvendi viſcoſi humores, vel deſtruendum acidum humores coagulans, vel deficientes humiditates reſtituendæ, atoniæ fibrarum & tubulorum per roborantia ſuccurrendum.

§. 5.
De
CARCINOMATE s. CANCRO INCIPIENTE.

ſcriptio. TUmor eſt durus, aſper, inæqualis ac immobilis, cineritii ac lividi coloris, venis circum circa nigricantibus ad inſtar chelarum cancri, (hinc nomen ejus) in principio indolens omnino, ſed ſucceſſu temporis dolore ac calore (citra tamen inflammationem) inſigniter moleſtus. *bjectum ejus.* Subjectum ejus omnes quidem rarioris texturæ partes ſunt, aſt omnium frequentiſſimè glandulæ v. g. mammarum *w*) labiorum, narium, palati, & ad uterum poſitæ infeſtantur.

Signa. Difficile cognitu circa principium eſt hocce malum, utpote vix ciceris aut avellanæ magnitudinem referens, prætereaque vel nullo, aut ſaltim exiguo, prout jam dictum, dolore moleſtum; quando verò pedetentim tumor augetur cum ſymptomatibus ſupra enarratis, facilè cognoſcitur.

Cauſa. Cauſa *x*) cum ſcirrho communis eſt, ideoque etiam ex illo inveterato facile naſcitur, imprimis ſi per nimium acria diſcuſſionem ejus invitâ naturâ temerarius moliatur chirurgus.

Facile hinc colligi poteſt, Curam ejus eſſe perdifficilem, ſi non plane impoſſibilem. *Cura.* Ne tamen tantum ſimus otioſi ſpectatores, ejus ad curam vocati, adverſus incipientem cancrum internè reſolventia, ſalia volàtilia *y*) æque ac fixa, aliaque diluentia, *z*) uti eſt potus herbæ Thee, herniariæ &c. uſurpanda ſunt cum evacuantibus olim melanagogis *a*) dictis, aut ex Mercurio dulci, ſimilibusque lenioribus paratis.

Non inconvenienter etiam diaphoreticis, *b*) item fonticulis revulſionis gratiâ utimur.

Adverſus dolorem, ardorem & puncturas carcinomatis longo uſu experta ſunt Saturnina, *c*) quem in finem alii externe laudant ol. roſar. lil. alb. vel ranar. in mortario plumbeo, quousque conſiſtentiam unguenti acquirat, tritum, vel

Empl.

---

w) Mammæ aliquando adeo intumuère, ut absque faſciis geſtari amplius haud potuerint ad 30. 40. 50. ℔. &c.

x) Cauſa convenit cum ſcirrho, eſtque illa ſuccus nutritius in glandulis collectus nimium viſcoſus, ſubtus acrimoniam aliquam fovens; hinc mirum non eſt, ex ſcirrho naſci carcinoma, impr. ſi ab acribus, & nimium reſolventibus acrimonia ſub viſcido latens evolvatur, ita ut erodere, ac ſævitiam ſuam exercere nunc facilius poſſit.

y) In principio ejus internè reſolventia blanda, & evacuantia adhibeantur, per ſalia enim volatilia & fixa inſidiæ ſtruuntur acido acri ſub tegmine viſcido latenti, illudque emendatur, ne ulterius excedere poſſit.

z) Diluentia calida viſciditatem humorum eleganter reſolvunt, fluoremque ipſis conciliant, ac ratione caliditatis ſuæ inſuper citiùs partes penetrant.

a) Evacuantia, imprimis melanagoga olim dicta conveniunt, non quidem quaſi tantum atram bilem educere debeant, aut aggrediantur, uti antiquitas credebat, ſed quia non omnes hnmores diſpoſiti ſunt ad educendum. Item antacida cum evacuantibus mixta, uti ſunt pilul. laxat. martiales, tinct. martial. hellebor. Wed. it. alia martialia cum purgantibus gummoſis mixta. His antacidis addimus merito mercur. dulc. pariter laxativis combinatum.

b) Diaphoretica prudenter ſeligi debent, tam ratione ſuæ texturæ, quàm ratione modi adhibendi. Non enim univerſa diaph. conveniunt, quia jam ſero deſtituuntur humores, hinc quibusdam magis educitur ſerum, quare potius decocta lign. &c. & quæ ſimul diluunt, ac diaphoreſin movent, adhibenda.

c) Saturnina agunt refrigerando, caloremque temperando juxta antiquos. Recentiores verò rectiùs ſentiunt, dum ſaturnina agere dicunt abſorbendo, dum acidum deſtruunt, aut etiam adſtringendo, dum ſcil. cum acido combinantur, in adſtringens abeunt, prout de ſaccharo ſaturn. notum ex ſaturno & aceto deſtill. parato, ſatis adſtringente. Hinc ſaturnina poros conſtringendo agere aſſerunt.

Empl. Diapomphol.
Saturninum Mynſicht.
Diapalma, & omnia Saturnina præparata.

Laminas etiam Saturninas *d*) cum Mercurio vivo prius illitas, vel amalgama Saturni & Mercurii loco affecto appoſita, extollunt.

Laudantur etiam pro uſu externo
Camphora
Conſolida media
Succus ſolani
Tutia lota cum ol. *e*) cheiri vel roſar. ſubacta.

Item Cataplaſmata ex cochleis ac cancris vivis facta, linimentum ex luto, quod in cote *f*) colligitur, dum culter aut aliud ferreum inſtrumentum acuitur, & denique
Theriaca *g*) &
Opiata cuncta.

Cautela. Ab aliis acrioribus *h*) reſolventibus hinc & inde à Practicis commendatis abſtinere ſvadeo, ne ex carcinomate & non ulcerato cancro, ulceratus, h. e. ex morbo perículoſo ac moleſto penitus, aut ſaltim difficulter curabilis fiat. Semper hinc illius *Hippocratici i*) effati *Lib. 6. aphor. 38.* memores vos eſſe volo, ubi dicit: Cancros occultos melius eſt non curare, nam curati citò pereunt, non curati autem in longum tempus ſine adeo notabili moleſtia perdurant.

§. 6.

De

TUMORIBUS TUNICATIS, MELICERIDE, ATHEROMATE, STEATOMATE, TESTUDINE, TALPA, NATTA AC LUPIA.

Ratio diverſæ appellationis. QUod adeo diverſis nominibus inſigniantur præſentes affectus, ac generali nomine tunicati audiant tumores, ideo factum eſt, quod ſemper intra cyſtim, ſive tunicam nervoſam propriam incluſa reperiatur materia, in meliceridibus mellis, in atheromatibus pultis atheræ i. e. frumentaceæ, in ſteatomatibus, ſevi ſive adipis faciem referens. Quamobrem autem teſtudinis ac talpæ nomen gerant quidam ex his, figuræ externæ tumoris (caput utplurimum occupantis) adſcribi debet, quæ quodammodo vel teſtudinem repræſentat, aut quod hinc inde tumores parvi magnitudine amygdalarum, avellanarum, nucum, juglandium, dactylo-

d) Acidi acrimonia à mercurio vivo egregie corrigitur, quod teſtatur mercurii ſublim. corroſivæ virtutis correctio per additionem mercurii vivi in chymicis. Prudenter tamen procedendum in mercurialibus, quoniam facilè ſalivationem excitant, quamvis hæc cura non ſit adeo inconveniens, nihilominus inſciis & invitis ægris non debet provocari.

e) Oleoſa & viſcoſa diapnoën & ſudorem quia ſupprimunt, cautè debent adhiberi, notabiliter enim tunc increſcit tumor: cataplaſmata mihi videntur ſatis convenientia, imprimis illud ex cochleis & cancris combinatis; primo intuitu quidem contuſæ cochleæ &c. quia non, niſi liquorem viſcoſum præbent, incongruæ videri poſſent, nihilominus experientia felici illæ comprobatæ ſunt. Conveniunt etiam in tumoribus articulorum, Glied-Schwämme.

f) Linimentum ex luto cotis non niſi crocus martis ſubtilisſimus eſt, & hinc egregium eſt.

g) Theriaca & opiata palliativa ſunt remed.

h) Empiricus quidam allium contuſum applicabat cum ſucceſſu, quod facile in principio admitto, ob ſuam acrimoniam reſolventem. Alii fruſtum carnis bubulæ recentes (neu-geſchlachtes) calidæque adhuc applicant, & per aliquot tempus (24. hor.) relinqvunt, hinc carnem removent ac terra obruunt, rurſumque reiterant &c. & feliciter curatum carcinoma incipiens mammarum fuiſſe retulit mihi fœmina nobilis, agit h. m. dum calor intus latens penetrat ad interiora activitate ſua, reſolvit, modò in principio adhuc ſit malum.

i) Effatum Hippocratis aureum eſt, ſi enim repellatur acidum non deſtructum ad partes interiores & nobiliores, facile pereunt hinc ægri, curati licet quoad carcinoma ſive tumorem externum.

ſtylorum, ſub cute ſcrobium talparum in pratis inſtar elati videantur, talpæ audiunt. Simili ex fundamento nattæ (in dorſo frequenter, quandoque etiam in humero excreſcentis) & lupiæ nomen ſumſit originem, ſcil. à natibus, & lupini ſive fabæ Turcicæ ſemine, quorum effigiem quodammodo referunt. Incipiunt cuncti hi tumores à parvo principio, quod ſucceſsivè dein extenditur, ſæpiusque inſigniter augetur cum notabili formoſitatis ac uſus partium læſione, deeſt tamen omnibus dolor, *k*) inflammatio, aut aliud ſymptoma moleſtum aut periculoſum, niſi quod tandem in cancrum quandoque abeant aut ſphacelum. *Symptomata.*

Cauſa. Cauſa *l*) omnium una eſt, nempe gelatinoſa ac pingvis plus minus ſangvinis ſubſtantia. Tunicæ verò, quibus includitur iſta materia, ex fibris membranoſis ac carnoſis, dubio ſine ab injuria externa, vel à cauſa interna, relaxatis tantum circa initium, poſtmodum verò temporis defluxu in capſulam ejusmodi ſatis craſſam abeuntibus, dependent.

Cura. Curam impetramus, ſi circa morbi initium reſolventia aut diſcutientia adhibeamus. Aſt ubi adoleverit tumor, in caſſum laborabis omnino, fortioribus ſiquidem exſiccantibus ſcirrhoſam ſoliditatem, & nimium acribus, facile cancroſam malignitatem conciliabis ipſis.

Reſtant proinde ſolum ſcalpellum & cauſtica potentialia, v.g.

Butyr. Antimonii.
Lap. Infernalis.

quæ externè impoſita cutim erodent cum ſubjacente tunica, eſcharaque remota materiæ peccanti pandent portam.

Erit tamen ſimul opera danda, ut unà cum materia prava tunicæ ſive capſulæ radicitùs tollantur, imò & oſſa quoque, ſi ipſis adhæreſcant, ſtudiosè repurgentur, aliàs brevi recrudeſcet malum, vel in fiſtuloſa abibit ulcera.

Quapropter
Æs viride aut
Terra vitrioli dulc.
Alum. uſt.
Spir. vitrioli cum melle roſato paululum dilutus, aut
Mercurius ſublim.
item Ungvent. Ægyptiac. aut
Fuſcum Felic. Wurzii.

Aliquandiu adhuc ſuper imponenda ſunt, vel ſi tibi nimis id videatur tædioſum, ſectione chirurgica cyſtidis reſiduum radicitùs eſt extirpandum.

§. 7.
De
SCROPHULIS ſive STRUMIS, BUBONIBUS, ET PAROTIDIBUS.

Tumores duri ac ſcirrhoſi glandularum ſunt, quos nunc in ſcenam produco. Scrophulæ in colli & ſublingualibus glandulis, bubones in inguinalibus, parotides in his, quæ prope aures poſitæ ſunt, exſurgunt, reliquarum verò axillarium puta, mammariarum, poplitearum tumores nomine carent proprio. *Deſcriptio.*

Differentia occurrit inſignis inter hos tumores non ratione magnitudinis ſolùm, ſed etiam ſymptomatum, dum alii ex ipſis indolentes, alii dolentes, alii ſine, alii cum exulceratione vel ſimplici, vel canoroſa, aut ſinuoſa contingunt. *Differentia.*

Cauſa materiæ pituitoſæ ac tartareæ glandulis impactæ adſcribenda venit, quamdiu ſcil. tumores iſti indolentes ſunt; Quodſi vero materia acris, aut ſola ſanguinis ſtagnatio in bubonibus venereis, & peſtilentialibus ſimul ſuperveniant *Cauſa.*

k) Nunquam adeſt dolor aut inflammatio &c. ſi excipias, quod tractu temporis & inconvenienter tractati, non minus ac ſcirrhi, ſi ſcilicet durius tractentur, in cancrum abeant. Latet enim in viſcoſa materia acrimonia quædam maximè cauſtica, quæ per reſolventia &c. à ſuis compedibus liberata poſtmodum in corpus ſævit.

l) Quamvis ſubinde materia in cyſtide latens nihil aliud ſit, quàm ſerum diuturna coagulatum ſtagnatione &c. hinc tamen ſæpe tumores tunicati naſcuntur ex abſceſſibus, ſi materia profundiùs hæreat, & non debite educatur.

niant, dolent iſtæ partes inſigniter ac inflammantur. Conferantur hîc, quæ de ſcirrhi, carcinomatis, ac inflammationum ætiologia ſuperius allegata ſunt.

Cauſæ antecedentes ſtrumarum, Quoad cauſas antecedentes non alimenta ſolùm viſcida & glutinoſa largiter devorata, ſed etiam vina & aquæ tartareæ, imprimis montanæ ſymbolum ſuum ad ſtrumarum geneſin contribuunt, & hinc in Styriæ ditione **Pütſkau** dicta, tam hominibus quàm brutis, & paſſim in Helvetia, aliisque montanis locis endemii morbi ſunt ſcrophulæ conf. *Joel. Pr. P. II. p. 229.*

Bubonum ac Parotidum. Bubones verò ac parotides quod concernit, ipſis frequentiſſime terror; item coitus cum lue gallica infecta, aut catarrhi &c. dant occaſionem; Huc & puerilis ille affectus eſt referendus, ubi circa collum tument glandulæ plures, aliàs viſum fugientes ſub titulo germanico **der Haupt-Drüſen.**

Cura ſtrumarum. Cura ſtrumarum, imprimis quando materia morbificam cauſam conſtituens jam extremè indurata eſt, admodum difficulter ſuccedit, ante verò quàm hoc fiat, per Empl. Diaphoret. Mynſichti, aut alia adverſus tumorem œdematoſum data reſolvi adhuc poteſt.

Interea tamen nec in perfectis ac adultis ſtrumis omnis medicina ſpernenda, locum namque hic inveniunt interne *m*) decocta lignorum, aut evacuantia, ſpeciatim cum Mercurialibus juncta, ſicuti externè ſerviunt reſolventia magis acria,

Empl. de G. ammoniaco.
Ol. Lacertar. *n*) vel bufonum, vel Talpæ infus.
Catapl. ex rad. cucum. aſinini, & rad. Bryoniæ.

Si iſta non ſuffecerint etiam Mercurialia ſunt accerſenda.

Empl. Vigonis de ranis cum Mercurio
Amalgama Mercurii & Saturni ad imitationem *Deckeri comment. ad Prax. Barbett.*

Hisque irritis in ſuppurantibus ſpes tantum poſita adhuc erit, hinc

Empl. Diaſulphuris Rulandi
Diachyl. cum Gumm.
de Meliloto.
Magneticum Arſenicale *o*)
de Nicotiana Poterii, conveniunt.

Rupto autem tumore apparatus adhibendus eſt § *de abceſſu* proponendus.

Bubones verò ac parotides aliam paulolum poſtulant methodum, nempe 1) diſcutientia & 2) repellentia *Cura Bubonum ac Parotidum.*

Fl. Sambuc.
Empl. de Melitoto.
Ol. Scorpion &c.

quibus incaſſum adhibitis, brevi ſuppurantur, medicamentisque abſceſſui convenientibus feliciter curantur.

§. 8.

De

GANGLIO & NODO.

Ganglium eſt tumor ſolidus *p*) utplurimùm juncturam manus ſive regionem carpi, ubi cum brachio connectitur, it. tali nervos ac tendines ſine dolore & diſcoloratione cutis occupans, à quo parum, vel nihil omnino, niſi ſola magnitudine differt nodus, prout ex Guidonis aliorumque Medicorum ſive Chirurgorum deſcriptione id apparet. Indolentem autem dixi tumorem hunc, nolim id abſolutè *Deſcripti[o]*

---

m) *Boyle de ſimpl. Med. p. 22.* laudat infuſum paronychiæ folio rutæ,

n) Vid. *Baricell. Hort. gen. p. 228. Borell. Obſ.* It. pingvedo bufonum, quod remedium Regis Angliæ eſſe dicitur.

o) *Blegny* parat cauſticum ex mercurio ſublim. ℥iij. minii ℥ij. ſolvantur in aqua fort. & inſpiſſentur.

p) Ganglion eſt tumor ſolidus plus minus, non raro pene oſſeus, magnitudinem avellanæ, juglandis aut caſtaneæ vix excedens; frequentiſſime in carpo notatur, nihilominus aliquando etiam in tarſo. Nodus non niſi magnitudine differt à ganglio, ſiquidem paulò minor nodus deprehenditur, dum vix lentis aut piſi magnitudinem æquat, hæret utpl. in interſtitiis tendinum, in manibus & plantis pedum, hinc quoque eſt, ut raro indolens ſit, cum è contra ganglion utplurimum indolens obſervetur, niſi violenter comprimatur.

ſolutè intelligatur, compreſſus namque, aut violenter paululum agitatus non raro ſatis acutum ſenſum cum partis ſtupore gignit.

Cauſa. Cauſa *q*) ſerum eſt tendinum ac nervorum integumentis ex violenta agitatione, aut attritione dilatatis infarctum.

Cura. Curatur hinc per ſola reſolventia a roborantia, quale eſt petroleum ex *Binningeri obſervatione Cent. 1. obſ. 11.* Cui tamen æque felici ſucceſſu
Empl. de G. ammon.
Galbano.
Sagapeno &
Sulphure vivo.
ſubſtitui poteſt.
it. Empl. Norimberg.
Camphorat.
de Sapone.
Confert etiam Empl. Vigon. de ranis cum Mercurio, optimumque ſeſe nunquam non ſiſtit remedium.

Aſt citius adhuc & in momento quaſi removeri hic tumor per arctam compreſſionem cum lamina Saturnina ope faſciæ bicipitis violenter tumori applicata poteſt.

Oribaſius ac alii verticillum, ſive orbiculum plumbeum laminæ in locum ſubſtituunt, magisque ipſum utpote ponderoſiorem approbant.

Verum enim verò nihil mihi intereſſe videtur, modo membrana humorem detinens diſrumpatur à comprimente externo, in hoc enim unice curationis cardo verſatur.

Quare ſæpius ſola agitatio Ganglii aut compreſſio, vel ſi inveteratum jam ſit malum, concuſſio impetuoſa cum ferula Saturno incruſtuta, aut ope pugni vel mallei lignei facta ſufficit; imprimis ſi poſt diſſipationem tumoris aliquandiu empl. de Galbano, pro nova collectione ſeri impedienda, ſupra affectum locum geratur.

Aliqui ex Chirurgis extirpationem Ganglii ſuadent, ſi non ſtatim auſcultet externis his remediis. Attamen cum propter tendinum ac nervorum ſimul factam diſſectionem motus partium hac operatione ſtatim lædatur, valde mihi ineptum ſemper id videtur conſilium.

§. 9.
De
Callo Ac Clavo.

Callus eſt tumor durus ac rigidus in manuum vola, ac planta pedum cum ſtupore ac inſenſibilitate illarum partium frequenter excreſcens. Clavus autem vocatur excreſcentia calloſa ſubrotunda in pedū præprimis digitis ſummo non rarò cum dolore, & greſſus impedimento exſurgens. Nomen hoc gerit à ſimilitudine quadam, quam cum capitulo clavi commune habet, ex quo ſimilitudinis fundamento etiam germanica illa nomina Krähen / Aelſter-oder Hühner-Augen / originem ſumſiſſe vero ſimillimum eſt. *Deſcriptio Calli. Clavi.*

Subjectum calli cutis ſola eſt, ſed clavus *r*) profundius penetrat, carni ac tendinibus, imo quandoque perioſtio radice duriore ac ſolida nunc ſimplici, duplici, vel triplici adhæreſcens. *Subjectum*

Cauſa dependet ex attritione violenta harum partium, à qua ob nutrimenti genuini interceptionem, vel extravaſationem facile partis exſiccatio, & indu- *Cauſa.*

q) Cauſa ganglii communiter creditur excreſcentia oſſea, hinc germanicè vocant Uberbein / quaſi prominens pars quædam oſſea, & oſſis aliqua portio addita fuerit; utut verò duritie oſſeam ferè conſiſtentiam habeat, cauſa tamen ſerum potius eſt tendinum fibris & integumentis dilatatis inhærens, hinc eſt, quod vix de loco moveri ganglion poſſit, imprimis quando ſerum peculiari includitur tunica. Serum enim cunctas partes perreptat, imprimis tamen eas, quas olim ſpermaticas vocabant, uti ſunt tendines &c. quare ſi à violentia externa vaſculum ſangviferum & lymphaticum in his partibus laceretur, & extravaſetur ſerum, hinc ſtagnando tumorem talem producit.

r) Clavus ex parte callus & ex parte ganglion minutiſſimum eſt, in callo enim utplurimum corpora duriora perioſtio & tendinibus adhærentia deprehenduntur, quæ nihil aliud ſunt, quàm ganglia.

induratio excitatur, hinc callus manuum ab inſtrumentis durioribus diutius manibus tractatis, & clavus à calceis nimium pedes urgentibus facile fiunt.

Cura. Ut removeantur iſta mala, reſolventibus & erodentibus opus erit medicamentis, v.g.

Empl. Vigonis de ranis cum Mercurio
Succo eſul. & chelidon. major.
Stercoris ovilli cum aceto ſubacti.
Cort. raphani ruſt.
vid. *Pauli Q.B.p.138.450.*
Fecibus vini uſti
Tartaro, qui in matulis colligitur.
Ol. Tartari per.d.
Pulv. calc. viv. & æruginis juxta *Oribaſium.*
Spir. Salis externe illito.
℞. Pice Sutoria
Empl. de Galbano crocat.
Ceræ viridis cum
Cantharidum pulvere aut aliis cauſticis mixtæ.

Sed citius longè finem obtinemus ſectione, dum nimirum ſcalpello clavi caput (per immerſionem in aquam tepidam prius emollitum) & radices, ſi posſibile, reſcindamus & extrahamus, quodque adhuc de ipſis reſtat, pumice abradamus.

Opus tamen erit circa hoc negotium ut 1) radices funditus removeas, ſecus enim brevi renaſcetur malum. Nihilominus caveas ſedulò 2) ne inter operādum nervum, tendinem aut perioſtium lædas, quod ipſum quoque, ubi cauſtica modo laudata adhibueris, notari debet, citisſimè enim aliàs & antequam cogites, poſt inflammationem ac dolores exquiſitisſimos Gangræna ſuperveniet & ſphacelus.

§. 10.
De
VERRUCIS.

Cum pedum clavis arctam habent affinitatem verrucæ, imo non raro à Practicis planè confunduntur.

Denotant autem Verrucæ tumorem illum ſolidum plus minus, & non raro doloroſum in cutis peripheria, inſtar monticuli non ſine deformitate loci affecti exſurgentem **Wartzen.** *Deſcriptio.*

Diverſæ ſunt magnitudinis ac figuræ, idcirco varia quoque gerunt nomina, quædam planæ ſunt & in ſuperficie lævigatæ, quædam ex variis inæqualibus componuntur partibus, quædam ſenſiles ſunt, & de cauda quaſi vel chorda pendent, è quibus poſteriores acrochordines, & priores Myrmeciæ *s*) audiunt. *Diverſitas.*

Pro cauſa agnoſcunt laceratam vel attritam fibram nerveam cutis, è quibus dein nutrimentum ſuperfluum ad exteriora protruſum deforme ejusmodi corpus fabricat. Peſſimæ ex his ſunt, quæ in partibus genitalibus non rarò poſt nimium Veneris conflictum, & in lue gallica in iisdem locis, ſæpius etiam in lingua naſcuntur. *Cauſa.*

Cura interdum ſponte neglectisque omnibus remediis accidit, quod ſi verò rebelles ſint, cauſtica, de quibus §. *præcedens*, adverſus ipſas inſerviunt, cave modò, ne (quod etiam de clavis pedum monui) adſtantes tendinoſæ ac nervoſæ partes ſimul arrodantur. Quare rectisſime *Celſus* arborum foliis, vel linimentis convenientibus aut emplaſtris munire jubet ſanas partes, tempore uſus. *Cura.*

Ne tamen medicamenta ſpecifica hic deeſſe videantur, adſperſum pulverem Sabinæ *Rolfinck. Tract. de part. genital.* vel ſuccum chelidonii majoris cum *Zacuto Luſitano*, aut ſuccū portulacæ cum *Ballonio*, hisque irritis limaturam æris vel vitriol. vener. ex *Binningeri obſervatione Cent. 3. obſ. 23.* vel lavamentum ex aqu. comm. in qua ſal ammon. ſolutum, juxta *Borellum c. 1. obſ. 82.* tandemque uſtionem ipſarum per acum candentem, aut telas aranearum deſuper accenſas cum *Mouffetto*, vel ſi contuſi imponantur ſcarabæi minores, *t*) qui in floribus eryngii ac

s) Myrmecia eſt græca vox, ſignificat **ein Ameiß-Hauffen.** Hinc quæ verrucæ aſperæ ſunt, itidem myrmeciæ vocantur.

t) Alii cantharides cum caſtoreo & terebinthina applicant, juxta *Æginet. v. §. de Clav. ped.*

ac cichorii frequenter morantur, coloriſque talaſſini cum maculis nigris *Boricellus H. G. p. 21.* vel ſi lardo aut pomo immaturo per medium diſſecto fricentur verrucæ aliquandiu, evaneſcunt poſthac, præprimis ſi in terram defoſſa illa concreta putreſcant, conf. *Helmont. Bartholin. C. III. §. 66.* Omniumque ultimo in ſpecie in acrochordinibus ligaturam cum filis ſericeis aut ſetis equinis commendo, cujus beneficio nutritivi humoris acceſſus intercipitur penitus, ſic ut verruca contabefacta brevi, ſponte ſua decidere cogatur.

§. 11.

De

FUNGO Gliedſchwamm Katzenkopff.

Deſcriptio APpellatio hujus tumoris deſumta eſt à ſpongioſa & molli circa ejus initium textura, quæ tamen tractu temporis in ſoliditatem inſignem cum partium adjacentium contabeſcentia ac contractura mutatur.

Cauſa. Sedes ejus frequentiſſimè in articulationibus & cranio læſo deprehenditur, nihilominus per totum corpus erumpentes fungos vidit *Borellus, obſervat. Cent 1. obſ. 34.* Gignitur hic affectus ex ſero extra membranas & vaſa effuſo (vel à flatibus vid. *Fontanus. L. I. Reſpons. pag. 147.*) nimium partes illas membranoſas nutriente, adeo, ut etiam adjacentia loca deficiente nutrimento marcida evadant, ac penitus brevi contabeſcant. Quod verò diuturnitate temporis cartilagineam plane naturam induat tumor hic, illumque contractura loci affecti motuſque impotentia ſequatur, unicè induratis his tumoribus ſeroſis in acceptis eſt ferendum.

Sedes.

Cura. Circa curam inveterati fungi omnes cordati Chirurgi fatentur, rariſſimè perfecte illum tolli poſſe, ſed paululum durius tractatum potius in cancrum abire incurabilem, vid. *Barbette Anat. Pract. L. 5. c. 2.* Vix itaque locus Medicinæ relinquitur, niſi in principio morbi *u*) ubi ad imitationem *Guilielmi Fabricii Cent. 1. obſ. 15.* poſt fomentationes cum vino calido prius digeſto ſupra folia & flores

Betonicæ
Salviæ
Chamomill.
Meliloti.
Roſar.
Roriſmar.
Sem. fœnu græc. &
anisi.
Calam aromat.
Lign. guajac.
Rad. Ariſtoloch. rotund. &c.
Empl. de Betonica cum
Gummi Elemi, Maſtiche vel
de Gummi ammon. ſagapen.

vid. *Konig. Remed. extemp. S. III. C. IV. p. 164.* vel juxta *Borellum C. II. o. 10.* rad. ſigill. Salomon. contuſa, aut cerotum diaſinapi Aquapend. ex commendatione *Sculteti Armament. Chirurg. Par. 2. obſ. 79. & 87.* convenient. Tardius ſi acceſſerit ad curam Medicus, eò allaborabit ſolùm per Mercurialia, tam in-quam externa, num illis adhuc ſuccurrere valeat adeo rebelli malo.

Quodſi & hic conatus irritus fuerit, manum quæſo de tabula, ligaturas ſiquidem arctiores à *Blaſio in Praxi p. 342.* commendatas, ſimiliter ac acria & cauſtica, nullo modo aut rariſſime approbo, cum perquam frequenter peſſimorum ſymptomatum mortiſque fiant cauſæ. Conferatur *Hildanus Cent. 1. obſ. 15. Hieronym. Fabric. Cent. 1. obſ. 14.*

§. 12.

De

PERNIONIBUS. Von erfrohrnen Gliedern/ oder Froſt-Beulen.

DE hyeme tantum tumores præſentes in calcaneis pedum, & manuum digitis, in naribus auribusque cum

u) Huc ſpectat quoque catapl. ex cochleis cum teſtis contuſis, tepideque partibus circumjectum, cujus effectum in fungi initio nuper felicem obſervavi. Abſorbet & invertit acidum coagulans.

cum rubore, pruritu, ſæpe etiam cum dolore ac exulceratione occurrunt.

Ceſſant non raro ſponte ſua, cum frigus remittit, rurſum tamen recrudeſcunt, redeunte nova aëris inclementia.

Cauſa externa. Cauſa externa frigus *vv*) eſt, condenſans his in locis ſanguinem, partemque affectam primo nimium adſtringens, poſtmodumque extremè debilem reddens, ita ut humoribus affluentibus poſtmodum amplius reſiſtere non valeat.

Cura interna. Cura interna Diaphoretica tam volatilia, quàm fixa, alia pro pernionibus non exulceratis, alia pro exulceratis requirit. In priori caſu, jubente *Celſo*, pars læſa celerrime decocto raparum calido immergi, vel juxta *Ætium Sermon.* 14. *cap.* 73. æs quàm maximè calidum admoveri debet; ſed malè, cum calida omnia noceant, partemque ad dolorem, inflammationem ac ſphacelum diſponant facile.

Rectius itaque agunt, qui aquæ frigidæ, aut ſaltim tepidæ læſas partas ſubito immittunt, conſtat enim vulgi experientia, pomum congelatum aquæ frigidæ injectum, evocato ad exteriora ſub cruſtæ glacialis forma omni peregrino frigorifico, reſtitui in integrum ejus dulcedinem naturalem &c. perituram certò, ſi calidam aſſumſeris aquam.

Pariter ſcarificationes partis læſæ, item ſangviſugas applicatas, quæ à quibusdam Practicis extolluntur, rejicio, cum neutiqaam ab ipſis proxima & immediata morbi cauſa removeatur. Magis hinc præ illis approbo.

Petroleum, vel
Oleum pini deſtillatum, vel ſolam reſinam aut terebinthinam impoſitam.
Ol. ceræ.
Cereviſiam ad conſiſtentiam ſyrupi coctam.
loco horum ſpir. C. C. & ſalis ammon.

Aut denique, quod vehementer deprædicat *Muys*, *Prax. Chirurg. ration. decad.* V. *p.* 82. ſperma ceti linteo inunctum.

Non his cedunt cataplaſmata ex rapis ſub cineribus toſtis cum pingvedine anſerina.
Ol. roſar.
baccar.
terebinth. &c.
mixtum, vel ex ſulphure & aceto deſtill. factum calideque appoſitum. Fotus ex ſcord. abſinth. rut. ſem. urtic. naſturt. in vino decoctis cumque vini ſpir. camphorato mixtis.

Quodſi nihilominus ob nimis ſeram adhibitionem in abſceſſum abeant perniones, curatio ejus nihil differet à vulgari methodo curandi ulcera, quam vide ſis in ſubſequentibus.

§. 13.

De

Polypo Narium.

Deſcriptio. Occupat hæc excreſcentia è tenuibus radicibus pendens, jam unam, jam utramque narium cavitatem, ſæpiusque in tantum augetur, ut non ſolùm extra nares ad labia usque, ſed etiam per meatus narium ad fauces propendeat. Singularis plane texturæ polypi *x*) eſt ſubſtantia, quandoque enim carnem æmulatur, alio tempore carunculam, nunc mollıorem, nunc duriorem extremè. Semper tamen colorem rubicundum, aut incarnatum oſtendit.

Differentia. Præterea verò quod ratione texturæ, magnitudinis, coloris inter ſe diſcrepant

---

vv) Quodſi levis fuerit coagulatio, ſaltim conſtringuntur primò tubuli, hinc etiam dolor ſaltem & pruritus in pernionibus tunc notatur, quod utplurimum circa initium hujus affectus accidit, & ubi immediate ab attactu frigoris evenerit. Poſtmodum vero, dum diutius ſtagnant in partibus humores, magis intumeſcunt, dolent & inflammantur; pruritusque accedit, imprimis quando corrumpuntur illi, quando denique fibris & tubulis injuria infertur ab infarctu humorum, magis magisque dolent & penitus tandem exulcerantur.

x) Polypus aliàs dicitur piſcis quædam ſpecies pluribus pedibus prædita, cum quo

pant Polypi, inſuper & iſta intercedit differentia, ut alius mitis ſit, h. e. non exulceratus, alius autem malignus & cancroſus, copioſam plus minus materiam fundens, doloremque inſignem & ſuffocationis metum excitans.

Cauſa proxima. Cauſa communis eſt cum aliis ſuperiùs jam explicatis excreſcentiis, paucis: ſc. humor eſt nutritius nimium viſcidus, ac craſſus, qui præternaturale alimentum ſpongioſis ac mollioribus narium partibus internis dat.

Antecedens. Antecedens cauſa frequentisſime dependet ex ulcere narium non ritè curato, utpote cujus caro luxurians ſucceſſive excreſcit in tam ſtupendam molem. *Drelincurtius* vero, *vid. M. N.C. D. II. a. V. p. 188.* narium polypum excreſcentiam duræ matris eſſe aſſerit, quod ipſum quoque repetit *Blegny Zodiac. Gall. P. II. menſ. Septembr. O. VI. p. 190.* ſeq. ex ipſis cerebri ſinubus oriri illos aſſerens.

Cura. Cura poſtulat interna remedia derivantia humores & evacuantia, è quibus præter fonticulos Mercur. dulc. cum reſin jalapp. aut aliis purgantibus exhibitus præconium meretur.

Succedunt his Topica tam adſtringentia, quàm exſiccantia.

Pulv. roſarum
balauſt.
fol. vitis
equiſeti
Centumnodii
Nuc. Cupreſſ.
gallar.
Rad. Ariſtol. rotund.
Biſtort.
Sumach.
Sangv. Dracon.
Mala granata
Omphacium.
Mercur. ſublim. in aqua ſolut.
Maſtiche.
Myrrha
Pulv. Sabinæ
Heliotrop. ſive ſcorpioidis &c.

Tandem accedant erodentia.

G. Ammoniacum.
Æris ſquama.
Ungvent. Ægyptiacum.
Cauteria ex calc. viv.
Sapone nigro.
Sal Tartari
Ol. Vitrioli.
Arſen. rubr. *Murald. Chirurg. p. 27.* vide tamen, ut ſoli polypo illa admoveas, ne integras partes hiſce ſimul arrodas.

Ultimo verò omnium deveniendum eſt ad Chirurgiam, & extirpationem hujus excreſcentiæ, de qua pasſim autores, quos collectos vid. in *M.N.C.D. II. a. III. o. 138. p. 278. ſeq.*

§. 14.

De

EPULIDE.

Deſcriptio. Epulis carnea *y*) eſt excreſcentia intra dentium interſtitia non raro ad ovi magnitudinem cum inſigni loquelæ læſione exſurgens.

Cauſa. Cauſa cum polypo coincidit, hinc nec circa curam aliquid novi occurrit, niſi quod extirpatio *z*) Epulidis facilius poſſit præſtari vel ſectione, vel quod magis approbatur à quibusdam, ligatura & conſtrictione arctiore radicis. Semper tamen poſt extirpationem neceſſum eſt Ol. Vitrioli, vel lign. Ebeni juxta *Blegny Z. G. P. I. Menſ. April.* vel alio cauſtico tangas locum, ne brevi iterum renaſcatur malum.

§. 15.

De

ANEVRISMATE.

Deſcriptio. Anevriſma tumor vocatur mollis plus minus arteriæ ad inſtar pul-

piſce dum convenit polypus narium non ſolùm ratione extremitatum, ſed & ratione coloris, ita dicitur, eſtque excreſcentia illa interiora narium occupans, & vel ad fauces, vel extra nares ad labia propendens.

y) Aliquando ſimpliciter carnoſa eſt, alio tempore cartilaginoſa & ſolidior, aliquando exulceratur.

z) Aliqui loco cauteriorum potentialium actualia, ſive ferrum candens recipiunt, eodemque radicem abſumunt.

pulſans, ſi ſc. tumor iſte adhuc exiguus fuerit, quo enim magis incrementum capit, eò minus dicta pulſatio obſervari poteſt, *Blegny Zodiac. Gall. P 3.p.74.75.* contra ſi ſangvis in anevriſmate coagu-letur, non pulſat, *Ruyſch.O.38.p.51.* Na-ſcitur à ſangvine intra muſculos ac cu-tem collecto, propter læſam aut ſaltim dilatatam unam, aut plures ſubjacentis arteriæ tunicas. Utplurimum itaque antecedentes cauſæ ſunt, arteriarum eroſiones aut vulnera, quandoque ta-men ſola dilatatio violenta ſufficit, quale quid ex nixu vehementiori parturienti-um fœminarum obſervavit *Paræus Lib. 6.cap.32.* In internis partibus ex voci-feratione vehementi, in externis, bra-chiis puta ac pedibus, ex ſublevatione ponderis & impetu pede facto *Blegny Z.G.P.3.p.82.ſeq.* Periculoſus admodum hic tumor, præprimis ingens eſt, quod ſi enim rupatur, vel compreſſus violen-ter, conf. *Ruyſch.obſ.38.p.52.* aut exulce-ratus, aut per chirurgi inſtrumentum ſectus, hæmorrhagia certò ſupervenit extremè periculoſa, ſæpiusque lethalis. *Cauſa.*

Cura. Quare in cura ejus ſic procedendum: 1) in latere oppoſito aperiatur vena, ſan-gvinisque larga quantitas extrahatur. Interea parti affectæ applicentur ad-ſtringentia ex Aloe, Sangvin. Dracon. cum aceto & album: ovor. firmiterque deligetur locus (ſi partis affectæ condi-tio id admiſerit) ſolis ſpleniis, vel lamina plumbea deſuper poſita, ſubque his vin-culis aliquandiu maneat, ne novus ſan-gvinis affluxus rurſum contingat. Per illud tempus inſuper abſtinere æger ab omnibus, quæ ſangvinis orgaſmum promovere poſſunt; è contra verò glu-tinantia ac vulneraria aſſumere debet. Recentiores Chirurgi breviorem adhuc excogitarunt methodum, quatenus li-gatura aut inſtrumento convenienti, quale *Muys in ſua Praxi Rationali & Ruyſch. obſ.2.p.6.* commemorat, arteriæ truncum ſuper anevriſma comprimunt, apertoque dein tumore primo fruſtu-lum Vitrioli Cyprini aut Mercurii præ-cipitati rubr. crepit. lupi ac poſtmodum pulverem ſarcocollæ, terr. ſigill. &c. cum faſciis debitis applicant: Compen-dioſiori via adhuc curam aggreditur *Blegny Zodiac Med. Gall.P.III.p.85.ſeq.* nempe ſola deligatione artificioſa.

§. 16.

De

VARICIBUS.

Quemadmodum anevrisma arte-riarum, ita varices ſunt dilata-tiones præternaturales nodoſæ, lividæ ac molles venarum. Frequentisſimè in cruribus conſpiciuntur uſque ad in-guina, quandoque tamen etiam appa-rent in mammis ac vaſis teſticulorum. *Deſcriptio*

Nihil incommodi, ſi dolorem tenſi-vum & rodentem conjunctum excipi-ac, accedit ægris ex ipſarum præſentia, quamdiu ſolùm tument, imo ſæpius ob metaſtaſin humorum alii curantur morbi per ipſas, quod olim jam obſer-vaſſe videtur *Hippocr. Sect. 6. Aphor. 21.* Attamen ſi rumpantur, æque ac in anevriſmate propter hæmorrhagiam inſignem, vitæ diſcrimen incurrunt æ-grotantes, conf. *M. N. C. Decur. 1. Ann. 3. obſ. 104.* vel ubi exulcerantur, mul-tum laboris faceſſunt Medico ac Chi-rurgo. *Symptoma*

Cauſa dependet ab impedito ſan-guinis venoſi refluxu intra valvulas *a*) venarum, modò propter fibroſam ni-mis ſive craſſam conſtitutionem, mo-dò propter vaſorum compresſionem ſtagnante. Priorem cauſam in ſub-jectis Melancholicis olim vocatis h. e. ſan- *Cauſa.*

a) Nodoſitates varicum hinc inde obſervabiles, binæ aut ternæ ſemper ſibi adſtantes, certisque diſtantiis à ſe diſtantes nihil aliud ſunt, quàm expanſiones valvularum in venis notabiles (primum ab *Aquapend.* annotatæ & deſcriptæ) quæ in ſtatu na-turali refluxum ſangvinis verſus partes extremas impediunt. Valvulæ eæ non ſim-plices ſunt pelliculæ, ſed adſtant ipſis innumera ſtamina tendinea, & columellæ fi-brilloſæ ad eum ferè modum fabrefactæ, ac quæ in valvulis cordis conſpiciun-tur (uti *Nuck* obſervavit) hinc mirum non eſt, ſi adhæreſcens eo loco ſangvis craſ-ſior ejusmodi ſubſtantiam craſſam excitet.

ſanguinis viſciditate ac crasſitie laborantibus, alteram verò in fœminis *b)* utero gerentibus per totum ingravidationis, imo totum vitæ tempus obſervamus frequenter.

Cura. Cura facillima eſt, quando propter uteri pondus, aut ſolam ſanguinis copiam venarum trunci majores comprimuntur; excluſo ſiquidem fœtu, riteque fluentibus lochiis ceſſant ſponte ſua, ſed ſecus accidit, dum prima cauſa morbum producit, quo in caſu omne auxilium â Medicamentis reſolventibus ac evacuantibus tam ex- quàm internis ſperandum.

Eminent inter externa
Pingvedo humana
muris alpini
Ol. juniperi.
Catapl. ex farina fabar. & ſtercore caprin. cum aceto chalybeato factum.

vel loco horum adſtringentia, & refringerantia, quorſum agricolæ pertinet linimentum ex cochleis nigris per ſalis adſperſionem in liquorem reſolutis, cumque vitrioli phlegmate & oleo roſarum ſubactis, cujus deſcriptionem exhibet *Author in Chirurg. parva Tract. V. p. 645.* It. *Hartmanni*, quod ex ſucco cancri, & butyro majali conſtat, denique ungvent. ex alum. & ex ſucco granatorum acido aut aceto facto.

His irritis conſtringi fortius varices debent, vel ſolis faſciis, vel inſtrumento *Aquapendentis*, aut canali arundinaceo.

Quod ſi tamen nec his morbus cedat, per acus puncturam tumor aperiatur, quo aliquo ſaltem modo, dum perfectè haud licet, ſuccurratur ſtagnationi, & ipſa hæc punctura ultimum eſto remedium: quam enim varicum extirpationem aut uſtionem aliqui chirurgorum ſvadent, tanquam ineptiſſima remedia rejicio penitus. Quæſo enim, ſi truncos venarum exſcindas vel aduras, per quam viam tranſibit è partibus refluens cruor?

§. 17.

De

ECCHYMOMATE.

VOcatur hic affectus etiam ecchymoſis, item ſuffuſio & ſuggillatio, denotatque tumorem ab extravaſatione ſangvinis oriundum, Germanis mit Blut unterlauffen. *Deſcriptio*

Sedes. Nulla pars tuta eſt ab ipſo, quò magis tamen delicatæ ſunt, eò magis quoque in conſpectum venit malum, hinc in oculis, aut circa ipſos facillimè excitatur, quapropter etiam factum eſt, ut à quibusdam Autoribus tantùm oculorum ſuffuſio his titulis ſalutata fuerit.

Color diverſus Aliam autem faciem ſiſtit hic affectus recens, aliam, qui paululum adolevit: ille rubro ac ſubfuſco, iſte livido, viridi, cœruleo, ſæpiusque perfectè nigricante colore apparet.

Cauſa. Cauſa dependet à ſanguine extravaſato ac ſtagnante inter fibras muſculoſas ac tendineas, orta â contuſione, lapſu, ictu, clamore vehementi, vomitu enormi, tuſſi ferina, partu difficili, coitu immoderato &c. quandoque tamen ſola ſanguinis acrimonia, aut alia prava conſtitutio citra ullam aliam cauſam *c)* externam affectum hunc producit.

Cura Curam egregie adjuvant medicamentorum convenientium accelerata applicatio, quemadmodum iſta negligenter protracta anſam facile ſubminiſtrat abſcesſibus ac Gangrænis valde periculoſis. Proinde apparatus omnis circa principium eò eſt dirigendus, ut intra venas cogatur rurſum, antequam in grumos abeat extra vaſa hærens cruor. Conducit propterea egregie pro hac intentione aquæ ſimplicis, vel deſtillatæ, ſalicis, fragorum, plan-

b) Sic quoque à menſium ſuppreſſione aliquando pronaſcuntur varices dum, interiora & exteriora uteri muco quodam viſcido obducta ſangvinem non transmittunt.

c) Notatur quoque in incubo ecchymoma eſt namque incubus interna epilepſia. Ob

plantaginis, roſarum &c. frigida *d*) applicatio, cui (ſi ad manus promte fuerit caſeus recens Qvarck) ſub cataplaſmatis forma, vel graminis recentis manipulus conquaſſatus ſubſtitui poteſt, vel unguenta quævis ſaturnina, uti ſunt de Ceruſſa, minio, diapomphol. &c.

Quod ſi tempus hoc præterlapſum fuerit, & coagulatus jam cruor appareat, ceſſat omnis antecedentiũ uſus propter majoris coagulationis, quam conciliant, metum; potius hinc à diſcutientibus ac reſolventibus auxilium ſperandum. Igitur adhibeas ſal commune linteolo involutum, & aquæ ferventi ante applicationem paululum intinctum, vel vinum *e*) calidum cum majorana, ſalvia, ruta, decoctum, vel ſpir. vini ſimpl. aut camph. aut ſaltim phlegma ejus, aut rad. bryoniæ, ari, ſigilli Salomon. fol hyſſopi & tapſiæ contuſa, denique oleum deſtillatum aniſi. Si urgeat dolor, lac muliebre calidum cum thure, aut foliis verbaſci lutei convenit. Nondum verò ſi his omnibus ſangvis firmius poris impactus auſcultet, ad V. Snem, ſcarificationes ac hirudines confugiendum.

CAPUT II.

De ULCERIBUS.

§. I.

De ABSCESSU.

Accidit ſubinde, ut phlegmone negligenter paululum tractata, nec repellentibus nec diſcutienlibus auſcultet amplius, ſed in abſceſſum ſive apoſtema, aut clarius adhuc loquendo in tumorem pure ac ſangvine turgidum cum dolore, ſæpius etiam cum febricula abeat.

Signa. Cognoſcitur facilè abſceſſus ac diſtingvitur ab inflammatione, modò ad dolorem ex ardente in lancinantem mutatum, item ad tumoris antea indurati ac renitentis mollitiem circa apicem, ac denique ad ejusdem apicis ex rubro transformationem in album attendas.

Cauſa. Cauſa hujus morbi eſt ſerum ſangvinis vappeſcens ac putreſcens in partibus inflammatis propter diuturnam ſtagnationem. Quo diutius itaque intra abſceſſus cavernam hærere cogitur hocce ſerum, eò magis coctum, h. e. inſpiſſatum & vice verſa, quò brevius, eò fluidiorem magisq; dilutam exhibet conſiſtentiam.

Cura. Cura maximam partem in ruptione tumoris, ac evacuatione putridæ hujus lymphæ conſiſtit, quapropter quandoque à natura ſola hoc negotium præſtatur, dum ipſa ſponte integumenta rumpens, materiam peccantem eliminat.

Aſt quoniam ad minimum aliquot die-

crispaturam enim fibrarum & nervorum ſangvis extra vaſa coactus tunc ſtagnat. Hinc utpl. qui epilepſiæ ſuccumbunt, ſangvine ſuffuſi per totum fere deprehenduntur, ex ſpaſmo ſc. & contractione fibrarum p. n.

d) His addantur vulgaria illa, ein Meſſer/Rappier=Knopff &c. modò à frigido cultro aliquamdiu prematur tumor, ſalva res eſt.

e) Alii acetum quodcunque calefactum (quod optimum eſt remedium, ſi cuticula fuerit integra) ecchymomatibus imponunt. Idem facit vinum acidulum calefactum. Cujusmodi fomentum reliquis remediis cunctis præfert in contuſionibus *Ruyſch. o. 60. p. 79.*

dierum tempus requiritur, antequam ſpontanea hæc abſceſſus ruptura contingat, prætereaque imprimis in abſcesſibus majoribus exquiſitos dolores perferre cogatur interea æger, & denique ipſa ruptura inæqualis ſatis ac hians ſæpius tum fiat, de officio noſtro eſt ſuccurrere operanti naturæ, primo per emollientia *f*) Catapl.

ex Rad. Altheæ
Lil. alb.
fol. Malvæ
Branc. urſin.
Violar.
Sem. fœnu græci
Lini.
vel per Ol. lil. alb.
Chamomil.
Scorpion.
Butyrum non ſalitum
Axung. porci.
Ungvent. ex melle & farina fabar.
Empl. Diachylon ſine gummatibus
Empl. de meliloto &c.

Secundò per attrahentia *g*) & abſceſſum rumpentia, uti ſunt
ex Emplaſtris diachylon cum gummat.
de G. ammon.
de baccis lauri.
Magnetic. arſenical.
& ex Ungventis
Baſilicon
de bdellio &c.
quibus, ſi dolor nimium urgeat
Oleum hyoſcyami
hyperici

Crocata item, ac theriacalia convenienter admiſcentur.

Quodſi nondum his obediat abſceſſus, ad cauſtica *h*) deveniendum eſt, quorſum pertinet
Stercus columbin. & gallinaceum.
Pix.
Euphorbium.
Sagapen.
Sal Tartar. uſtum cum calce viva
Cryſtalli Lunares.
Butyr. Antimonii.
quæ cuncta erodendo cutim brevi viam parant ad abceſſus interiora.

Sed longe citius ac jucundius hanc aperturam impetramus per ſcalpelli cuſpidem, tumoris molliori parti immiſſam, utpote cujus ope intra momentum obtinemus perfectè intentionem noſtram.

His itaque factis nihil reſtat amplius, quàm ut expreſſo prius blanda manu pure, ac mundificato paululum ulcere per linteamina carpta ſtilo alligata, digeſtiva & abſtergentia adhibeantur, nempe
Unguent. ex vitell. ovi.
Terebinthina & ol. roſac.
vel mel ſimplex, aut roſatum
Balſam. peruvian. nigr.
Si non ſuffecerint hæc mitiora,
Unguent. apoſtol. vel Fuſcum Felicis Würtzii.
Et ſi admodum rebelle fuerit malum,
Ægyptiacum dictum
cum plumaceolis intra labia vulneris intrudi, ſi ipſum profundum & ſinuoſum fuerit, vel externè ſaltim affricari in levioribus debent.

Cæterum tegatur *i*) locus læſus vel diachylo ſimplici, ſi inflammatio non adeo urgeat, ſecus

Em-

f) Emollientia itaque cutem & attenuantia ſub forma catapl. ut pl. hunc in finem imponuntur. Sunt hæc remedia gelatinoſa & mucaginoſa, ratione cujus texturæ emolliunt: empl. diachyl. ſimp. ex ſuccis (chylos ſuccus) emollientium vegetabilium, cum cera & tereb. in emplaſtrum formatum. Efficiunt emollientia, ut fibræ à ſpaſmo liberentur & ex tumore duro h. m. mollis evadat.

g) Si cutis ſufficienter emollita, adhibentur talia, quæ ſtimulant, & ad excretionem materiæ contentæ partes diſponunt, v. g. Empl. diachyl. c. gumm. magnet. arſenicale. Ex ungventis baſilicum &c. convenit. Dum per attrahentia ex interioribus ad exteriora hæc materia allicitur, dolor novus exſurgit, qui demulcendus, hinc anodyna admiſcenda, crocata, hyoſcyami ol. &c.

h) Si adhibitis etiam his acribus ſive rumpentibus nihilominus non rumpatur tumor, ad cauſtica accedendum, quæ erodunt & diſcerpunt cutem ipſam, & viam parant ad interiora abſceſſus.

i) Imponuntur emplaſtra, ut arceatur aëris acceſſus.

Empl. ſpermat. ranarum, ceti, vel Ungvent. album Camphorat. erit imponendum.

§. 2.

De

Furunculis.

Denominationis ratio. A dolore furioſo ac ſummo, quem ſemper ſocium habet abſceſſuum hocce genus, nomen ſuſcepit ſuum: à figura verò ex latiori baſi in conum quaſi exſurgente *Celſus* tuberculum acutum dixit, Germani vocant ein Blut-Schweer. *Deſcriptio.* Sponte utplurimum citraq; ullam cauſam manifeſtã naſcuntur, diverſæque obſervantur magnitudinis, vix tamen unquam excedunt ovi columbini molem.

Cauſa. Cauſa ab acrimonia ſangvinis *k)* cum viſciditate conjuncta præternaturali etiam in hoc perinde, ac in præcedenti affectu dependet. Sed differt hæc cauſa in eo, quod in furunculis illa immediatè partibus ſubcutaneis, ſi non ipſi cuti, inhæreat, rarò profundius penetret, cujus contrarium tamen apoſtematibus familiarisſimum eſt.

Cura. Cura facillima eſt, modo ea obſerventur, quæ paragrapho præcedenti dicta ſunt. Rumpitur ſiquidem *l)* ſolenniter furunculus ſponte, adeò ut nec cauſtico, nec ſcalpello hicopus habeamus, modo emollientia & attrahentia adhibeantur.

Neque quoad digeſtiva & mundificantia aliquid novi occurrit, auſcultabit ſiquidem morbus facile ordinariis remediis, modo ſtrictiores diætæ regulas paululũ obſervet æger, & imprimis à pingvibus nimiumque ſalitis, & acribus & vino aut Spir. Vini abſtineat, ſi quæ abundantia humorum pravorum adſit, ſudorifera, ſcarificationes, fonticulos & purgantia, imprimis cum Mercur. dulci maritata admittat.

§. 3.

De

Paronychia.

Deſcriptio. Dicitur Latinis Paneritium, deſignatque tumorem & inflammationem exquiſite dolentem, ac non rarò in ulcus abeuntem, cujus ſedes ordinaria circa marginem vel radices unguium deprehenditur. *Diſtinctio.* Laborant in hoc affectu, ſi benignus adhuc fuerit, ſolummodo cutis cum ſuppoſitis tendinibus, quando verò oſſa ſimul carioſa evadunt, tum malignus jure audit.

Cauſa. Iterum communem cauſam proximam agnoſcit cum præcedentibus morbis, nempe ex prægreſſa inflammatione ſtagnantem ſangvinem; Remotam verò cauſam conſtituit utplurimum ruptura, & exinde orta criſpatura membranæ illius tenuis ac nerveæ, quæ ex cute enata, radicibus ungvium ordinarie adhæreſcit. Quodſi autem nimis arctè cum prædicta ungvium parte cohæreat, facile, dum flectitur articulatio digitorum extrema, finditur ipſa, ſub illaque una, aut plures corrugatæ poſtmodum eminent quodammodo, non ſine dolore notabili, ſub ungvibus, vel ad latera ejus, quod malum communiter germanis vocatur ein Neid-Nagel; quod verò adeo enormiter doleant partes dictæ, ſæpiusque Gangræna immineat, nervis ac tendinibus ſimul affectis adſcribendum venit.

Cura. Cura acceleranda eſt, aliàs tendinibus planè eroſis articulationem primam

---

k) Quando ſangvis viſcidior ſtagnat & acrimoniam hinc recipit, rodit & criſpaturas infert, quæ magis poſtmodum inhibent tranſitum ſangvinis. Et cum utpl. ſangvis ob viſciditatem ejus ſtagnet ſolus, ita ut ſerum non ſecedat, & in pus degenerare queat, inde eſt, quod ſolenniter ſangvinem fundat ruptus furunculus. Latet quoque materia utplurimum ſub cute immediate.

l) Rariſſime & emollientia officinalia adhibentur, ſed ſaltim applicant farinam fabarum cum melle ſubactam, ſufficit hæc puls pro ruptione. Si nimium urget dolor, aliquid croci admiſcetur. Rupto abſceſſu ſi modo digitis contrectetur, ſangvis ſæpe largiter profluit, digeſtiva verò vix requiruntur, ſed expreſſo ſangvine non rarò ſponte evaneſcit.

mam digiti aut totum digitum ſæpius reſecare cogimur. Internè igitur propinabis evacuantia modo de furunculis commemorata. Externa *m*) verò dirigantur adverſus dolorem, inflammationem & ſuppurationem, de quibus ſufficienter in præmiſſis, ubi quoque apparatus adverſus ulceris ſorditiem &c. reperitur.

Præſervatio. Præſervationis verò gratiâ, convenit vel acuto cultello, vel acu ſaltim, ad minimũ ſingulis ſeptimanis ſemel membranulam prædictam unguis radici adnatam manu blanda ſeparare, ſic deficiente nimia extenſione ejus ruptura evitabitur ex voto, ſimulque conſequens inflammatio & abſceſſus inde originem trahens.

Præterea optimo quoque cum ſucceſſu digitorum extrema aliquoties ſingulis ſeptimanis lacti *n*) tepido aliquandiu immerguntur, nam emollita ſic cute, non tam facilè criſpari ac rumpi poſſunt fibrillæ iſtæ membraneæ.

§. 4.

De
CANCRO EXULCERATO & DEPASCENTE ſive LUPO.

Deſcriptio Cancri exulcerati De cancro incipiente ac tumente, *Capite 1. §. 4.* dictum eſt, quod durius paululum iſte tumor tractatus in ulcus abeat fœdum ſatis, labris craſſis tumidis ac duris præditum, ſaniemque tenuem ac nigricantem, ſæpius etiam ſangvine tinctum, ſemper tamen cadaveroſum odorem ſpirantem cum in effabili per vices dolore ſundens. Satis verò licet tum morbus fiat atrox ac intractabilis, multum tamen cedere cogitur ulceri cancroſo depaſcenti, utpote cujus malignitas tanta eſt, ut famelici lupi ad inſtar carnem ſanam adjacentem non ſolum depaſcatur ac conſumat, ſed etiam carnem gallinaceam, aut aliam curationis gratia appoſitam exedat quaſi ac devoret: hinc lupus communiter audit. *depaſcentis.*

Cauſa. Cauſa utriusque hujus ulceris acrimonia eſt humorum extremè cauſtica, *o*) in exulcerato cancro ſub tegmine craſſiore ac viſcido, in depaſcente autem ſub magis fluido hærens.

Quoad Curam præſuppoſitis illis, quæ aliquoties jam ſupra tum pro ſcopo corrigendi tumorem cancroſum, quàm mitigandis ſymptomatibus monui; ſolùm de apparatu adverſus hæcce ulcera agam, ubi ſaturnina *p*) conveniunt, modò ſolitariè uſurpata, modò cum cancrorum vivorum & ſolani ſucco opioque, urgente dolore, mixta. Extollit *Overkamp, in ſua Chirurgia* externè ut plane ſingulare remedium ſequentem mixturam.

Rec. aqu. calc. vivæ ℥vj.
Mercur. ſublimati ℈ß.
Elix. vitæ (cujus in locum ſubſtituatur ſimplex Spir. Vin.) ʒij.
Ol. Saſſafr. ʒij.
Quajac. ʒiß Plumbi liquefacti q. v.

adde Mercur. viv. & Mercur. vitæ tantillum. Applicetur calidè aliquoties ſingulis diebus.

Laudatur etiam Arſenicum fixum de

m) Externe in dolore nimio anodyna, hyoſcyamum, crocus &c. ol. ovor. conveniunt. Idem etiam ſtercus præſtat humanum, ſi recens & adhuc calidum loco cataplaſmatis imponatur, anodynum enim præbet ob contentas partes ſulphureas. Laudant ut ſingulare lumbricos (*vid. Baricell. Hort. gen. p. 201.*) vivos digito impoſitos, & repetitis vicibus id peragunt.

n) Quod nuper in nobili fœmina ſcorbuto laborante felici ſucceſſu tentavi, der alle Finger aufgeſprungen.

o) Cauſa eſt acrimonia cauſtica humorum, & quidem in gradu extremo occurrens, adeſt enim al. quoque in ſcorbuto & lue venerea, unde oſſa ſæpe arroduntur, ſed cuncta ſalia cauſtica ſuperat acrimonia in cancro notabilis. Impoſſibile eſt determinare, an acrimonia hæc pertineat ad acida, an ad alcalia, dantur enim & inter hæc maximè cauſtica, v. g. ſal tart. cum calc. viv. paratum, eſt ſal igneum fere.

p) Qui putant, acrimoniam eſſe ex claſſe acidorum, antacida præſcribunt, v. g. abſor-

de quo *Helmontius* videri poteſt, egregiis id ipſum decantans præconiis.

Non ſperni etiam debet carnis animalium juniorum, canum ſcil. felium, columbarum, gallinarum &c. recenter interemtorum frequens applicatio, ſuſcipit ſiquidem iſta caro ſpongiæ ad inſtar acrimoniam *q)* ſicque dolorem ſimul mitigabit.

Reliqua acriora magis ab aliis tradita non facilè commendaverim, verisſimum enim hic illud Naſonianum obſervatur.

Curando fieri quædam pejora videmus
Ulcera, quæ melius non tetigisſe fuit.

Sed quando nullis plane remediis compeſci ſe patitur malum, ad cauteriſationem & extirpationem affectæ partis nos adigit neceſſitas. Prima operatio propter ſummum dolorem & cruciatum raro admittitur, citius longe altera. Chirurgus autem hic

1.) attendat, num pars propter nervos, tendines, vaſa ſanguinea majora ipſam facile admittat.
2.) Sciat, felicius exiguum ulcus, difficilius latum & depaſcens amputari.
5.) Obſervet, ut quicquid corruptum fuerit, radicitus removeatur, nec ſanguis effluens è vulnere ſtatim ſiſtatur, ni velit, ut brevi denuo renaſcatur malum.

Quibus inſtrumentis ac enchireſibus, quave methodo operatio iſta debeat peragi, vide apud *Hildanum, Aquapendent. Paræum, Scultetum, Solingen. &c.*

§. 5.

De

Ulceribus Sinuosis ac Fistulis.

Sinuoſa vocantur ulcera, quæ cuniculos varios ac cavernas ſub cute in carne formant, ſemper verò calloſa circa oſtium ſint. *Deſcriptio.* Præterea tamen plures adhuc differentiæ in his affectibus notandæ veniunt, dum cavernæ iſtæ in aliis breves ſunt, muſculos tantum attingentes, in aliis longius ac profundius ad cartilagines & oſſa, imo ad thoracis & abdominis cavum penetrant. *Differentiæ.* Porro cuniculi iſti ſimplices jamjam multifidi, recti, contorti, unius orificii, pluriumve obſervantur, quorumque fundum nunc doloroſum admodum, nunc indolens deprehenditur. Sanguinem autem, lympham nigricantem, ſerumq; aut pus, aut alium mucum nunc plorant, nunc planè ſicci ſunt, ex ea ratione, quod fiſtula nunc vaſa ſangvifera, eorumque ramum vel majorem vel minorem, modò venoſum, modò arterioſum arrodat, nunc in glandulas, lymphatica vaſa, nervea, membranacea aliasq; partes affectas terminet deſinatque.

Cauſa. Cauſa eſt ſerum corruptum verſus interiora ſerpens, ac partes corrodens, hinc communiter ex ulceribus profundis ac latitantibus, vel vulneribus nimis maturè ante omnimodam puris evacuationem conſolidatis fiunt. Callus autem oſtium circumſtans corrugatis ac exſiccatis vaſculis, nutrimentum cuti advehentibus debetur.

Cura. Multum confert ad optatam remotionem utriusque hujus mali, ſi profunditas ac ſinuum tractus accuratè cognitus fuerit Chirurgo, quod ipſum ope candelæ cereæ minoris, vulgo Schneider-Kertzchen/ immiſſæ promptè addiſcet.

His præmiſſis adhibeantur internè Purgantia Mercurialia cum decoctis lignorum, ac Plantarum vulnerariarum.

Va-

---

bentia inſperſa. Alii ſaturnina v. g. cineres ſaturn. ſive Bley-Aſche/ minium, ceruſſam ſaturn. ad flaved. calcinat. Bley-gelb laudant.

q) Me judice non commode ad acida, nec ad alcalia referri poteſt acrimonia hæc, ſed ad ſalſa; Hinc ex accidenti fit, quod ſordities ulceris removeatur ab acidis applicatis.

Valerianæ
Parietariæ
Betæ rubræ
Rad. Caryophyll.
Tormentill.
Galang.
Zedoariæ

& in diæta evitentur ſtudioſè omnia acida nimiumque ſalita.

Interim Chirurgus ſtudeat ante omnia oſtium ulceris aut fiſtulæ ampliare, nunc turundis dilatantibus aut ſpongia in pyramidem formata, vel cauſtico, forfice aut filo, quo extrahi incluſum pus vel materia tartarea commodè valeat.

Poſtmodum ipſis ſinubus immitti debent ſub forma linimenti, vel liquoris medicamenta mundificantia, & detergentia ſordes.

Aqua ſcil. hordei cum melle roſato
Aqu. calc. viv.
Decoctum & eſſent. Nicotian. Angelicæ.

aut aliarum amaricantium plantarum ac gummatum, vel millepedum ſuccus vid. *Bartholin. Epiſt. Cent. IV. p. 522.*

Ungvent. Baſilic. vel fuſcum Felic. Wurzii. aut Ægyptiacum lixivio dilutum.

Adverſus callum externè inſerviunt
Rad. Hellebori
Cucum. aſinini.
Seſeli Hipp.
Sphondylii.
Diachyl. cum Gummat.
Ungvent. Apoſtol.

hisque non ſufficientibus
Ærugo
Gumm. ammon.
Vitriol. uſt.
Cantharid. pulv.
Sapo niger.
Trochiſci de minio Vigonis.

& tandem
Lapis cauſt. officin.
Mercur. d. aut
Mercur. ſublim. in aqu. ſolutus
Aqua fort.
Ol. Vitrioli &
Butyr. Antimonii.

certo ipſum removebunt, cave modò ne integras ſimul læſeris partes, quod evitabis, ſi fiſtulæ oſtium apertum plumaceolis prius repleas, & externa loca emplaſtris convenientibus tegas.

Quodſi partibus nobilioribus vero, aut nimium ſenſatis *r*) v. g. oculi cantho fiſtula adſtet, tum maxima cum prudentia hæc cura aggredienda, ſæpiusque per ſolam diætam tenuem, ac thermales aquas, ad interim ſuſcipienda eſt.

§. 6.

De Ulcere cum Nigredine et Carie Oſſium Conjuncto.

DEnotat ſatis clarè titulus oſſium corruptionem ex humorum *s*) acrium affluxu diuturno, aut ipſius oſſis contuſione ortam, hinc frequenter luem gallicam inveteratam, ac ulcera antiqua & ſinuoſa præcedente inſigni dolore ſupervenire ſolet.

Species cariei ſunt tres:

1) *Barbetto & Hornio* Tendo audit, & lingua ſua vernacula Batava **der Beenfretter.**

2.) Spina ventoſa ab Arabibus eſt ſalutata.

3.) Pædarthrocace dicitur, de qua Marcus Severinus in recondita ab-

r) V. g. in regione nuchæ circa ſpinam dorſi, & ubi plures nervi ſunt &c. prudentes eſſe debemus in applicandis ejusmodi remediis.

s) Quoad cauſas omnium una generalis eſt, nempe ſumma acrimonia humorum, unitatem ſolidam oſſium diſſolvens. Acrimonia hæc cauſtica eſt, latetque vel in M. S. hinc ex acrimonia ejusmodi in ſubjectis ſcorbuticis ſæpe obſervantur ulcera cum oſſium carie &c. olim affectus hic ſcorbuticus dicebatur ſceletyrbe, & in pedibus utplurimum notatur. Sic quoque à lue venerea idem ſæpe accidit. Incipit tamen caries ab extra ad interiora, hinc ſemper præcedit cariem dolor oſtocopos ſive oſſa penetrans. Idem hoc ipſum contingit frequenter in ulceribus antiquis & ſinuoſis, ſi materia putrida diutius ulceri inhæreat, oſſibusque incumbat, ac perioſtia &c. corrodat.

abſceſſuum natura integrum caput conſcripſit.

In omnibus igitur his oſſium adeſt corroſio, *t*) ſemper tamen aliis aliisq; ſtipata ſymptomatibus. Nam ſi oſſis ſubſtantia pinguiuſcula tantum fuerit, deſignat incipientem cariem, nigreſcens verò & quaſi perforatum os, eam jam perfectam eſſe denotat. In ſpina ventoſa ſimul oſſa intumeſcunt manifeſtò ſine omni tamen dolore. Et in Pædarthrocace *Severini* in pueris præprimis, articulationum oſſa tument, dolentque, cum cutis exulceratione.

Deſcriptio.

Cura.

Curationis ſcopus tendere debet 1) ad acrimoniæ correctionem, adeoque præter antiſcorbutica vulgaria, decocta lignorum, purgantia cum Mercur. dulci maritata, etiam ſalivatio Mercurialis *u*) in ægro adhuc robuſto locum habent.

Externè verò applicantur primò
Pulv. rad. ireos Florent.
ariſtoloch. rotund.
Angelicæ
Pulv. cort. pini
Thus
Aloes
Euphorbium
Myrrha cum terebinthina mixta.
Spir. Sal. ammoniaci caryophyll.
Spir. Tartari.

Mitiora hæc excipiant, ſi contumax fuerit malum.

Unguent. Ægyptiac. vel Fuſcum
Fel. Wurzii cum pulv. colophonii.
Balſam Sulphuris Rulandi & Zvvelfferi mixtus cum caryophyll. *w*)
- Lign. quajac. cum Spir. Vin. Tartariſato.
Ol. Myrrhæ.
Camphoræ.
Spir. Vitrioli, ac omnium ultimo
Butyr. Antimonii.
Oleumque Vitrioli

à quibus extremè cauſticis *x*) carioſæ partes à ſanis facile liberantur.

Secus ſi fiat, raſpatura *y*) loci affecti, cauteriſatio cum ferro ignito, & extirpatio tandem adhuc ſuperſunt, quæ tamen etiam quandoque fruſtra in ſubſidium vocantur, ſi interna cariei cauſa non funditus extirpata, & vitium in M. Sa antea perfectè remotum fuerit.

Licet verò aliquando accidat, ut cariem ex voto removeas cauſticis, vix tamen vulnus unquam perfectè claudes, *z*) quin ſemper callus remaneat, cujus ætiologiam vid. apud *Muys. Chirurg. Rational. Decad. 3. obſ. 2.*

§. 7.

t) Signa imminentis cariei oſſium ſunt, ſi ulcus patulum fuerit, ut oculorum acies penetrare ad oſſa poſſit, obſervatur ſubſtantia oſſis externa lævis mutari, & quaſi pingvedine aliqua oblini, poſt albedo oſſis in nigredinem abit, ſoliditas perit, & plura minora foramina admittit, & ni ſuccurratur tempeſtive, penitus ſæpe conſumitur os, uti in lue venerea contingit. In ſpina ventoſa verò & pædarthrocace non ab extra malum patiuntur oſſa, ſed interius latet vitium, fibræque flexiles adhuc oſſium, in pueris imprimis à coacervatione materiæ extenduntur & intumeſcunt.

u) Ne tamen ſalivatio mercurialis niſi robuſto ægro adhuc adhibeatur, protrahi enim debet illa ad aliquot ſeptimanas. Imo ſalivatio mercurialis non rite & cum debito regimine adhibita cariei oſſium cauſa eſt. Tale exemplum Facultati oblatum nuper eſt, ubi ex ſalivatione per XII. ſeptimanas protracta oſſa oris & maxillæ penitus eroſa fuerunt, ut fruſtulatim extrahi potuerint.

w) Vid. *M. N. C. A. 3. D. 2. o. 131.*

x) Alii cauſtica temperant cum aromaticis. *Tulp. L. 1. Obſ. 36. Miſcell.* mercur. ſublim. prius in cella in liquorem ſolutum cum ol. cinamom. valdopere laudat. Cavendum tamen, ne perioſtia forſan adhuc præſentia tangantur iisdem. Ex cauſtico enim partibus ſenſatis in dorſo applicato febrem ardentiſſimam & periculoſam aliquando ortam obſervavi.

y) Non clauditur ulcus, ſi os fuerit arroſum, quare carioſa pars vel raſpatura removenda ad ſanam usque vel ferrum candens applicandum. Methodus hæc frequens eſt in dentium carie.

z) Quamdiu os perioſtio non tegitur, non ſuccreſcit caro, per conſequens nec claudi poteſt apertura talis. vid. *Muys p. m. 149.*

§. 7.
De

AMBUSTIONE.

[ſcriptio.] AFfectus eſt admodum notus, hinc circa illius hiſtoriam nihil addo, quàm quod ſit per ignem facta læſio, nunc cuticulæ ac cutis tantum, nunc vaſorum ſangviferorum, carnis, tendinum ac nervorum adjacentium ſimul.

[nptomata] Symptomata quæ ſe huic læſioni aſſociant, ſunt dolor ardens plus minus exquiſitus, conjunctus cum inflammatione ac puſtulis cutis, vel una ſaltim ſed ſatis ampla veſica ſero mordaci repleta.

Accedit his, ſi à pulvere tormentario accenſo fiat ambuſtio, nigrities partis affectæ oppidò horrida, quæ vix penitus niſi abraſa cuticula removeri ſe patitur.

[uſa.] Cauſam hujus læſionis dixi ignem: non verò ſemper lucens h.e. flamma ejus aut fulmen vel pulvis ceraunius accenſus requiritur, ſed ferrum etiam candens, oleum & aqua fervida, uno verbô quævis materia *a*) ignita & ebulliens ſufficit, quatenus ſcil. ab ipſa fibræ corroduntur aut ſaltim criſpantur, unde dolor, inflammatio ſerique collectio intra cutim & cuticulam naſcuntur.

[Cura.] Cura nunc facilis, nunc difficillima eſt.

Facilis in levioribus ſaltem cuticulæ læſionibus, ſecus ubi ad tendineas partes ambuſtio penetraverit, aut ſi malum ægro ſcorbutico aut cachectico acciderit, quo tempore gangræna & ſphacelus ſemper imminent.

Nihilominus nunquam animus abjiciendus eſt omnis, ſunt enim nobis ad huc remedia egregia, modò prudenter procedamus.

In primo itaque caſu, quod ſi ſaltim eò allabores, ne veſiculæ aut puſtulæ erumpant, ſatis omnino tuo feciſti officio.

Hoc ipſum autem obtinebis, ſi ſtatim locum affectum ſaliva humectatum igni paululum exponas, aut aqua mediocriter calida locum foveas, aut cepas cum ſale ac ſapone, vel cum oleo Tartari p. d. in mortario contuſas, vel muriam aut butyrum multùm ſalitum, vel urinam cum aceto mixtam applices.

Abſit tamen his quoque utaris in profundiore ambuſtione, & quando veſiculæ jam elevatæ fuerint, caroque ſubjacens aduſta, aliàs namque dolores inflammationemque augebis enormiter.

Igitur illo tempore potius puſtulas diſſecando parabis viam ſero intus ſtagnanti, & ne nova materia in locum evocatæ ſuccedat, convenient adſtringentia aliàs defenſiva communiter dicta.

Famoſum præ reliquis atramentum ſcriptorium eſt, it. bolus armena cum pulvere gallarum, ſanguis Draconis cum ol. roſar. in unguenti formam redactus, argilla fornacum aut lutum in pultem formatum.

Officinalia ſunt ungvent. alabaſtr. omniaque Saturnina, impr. cum ol. lini vel roſarum, aut ovorum albumine ſubacta, item aqu. calc. vivæ *b*) cum oleo nucum, mucilagines ſem. cydonior.

Quod reliquum eſt curæ, ubi ſcil. ambuſta in abceſſum vel gangrænam degenerant, quærendum eſt in §is ſpecialiter hos morbos exponentibus.

Nigredo tandem poſt ambuſtionem ex pulvere pyrio accenſo relicta tollitur inſtrumentis acutis, quorum cuſpide, quantocyus fieri poteſt, effodienda veniunt grana hujus pulveris integra, cuti intimius infixa. Sed quando tardius acceſſerit Chirurgus, cutisque recens tegat nigra hæc grana, per acria & veſicatoria erodere iſtam cogitur, ac poſtmodum iisdem inſtrumentis eruet facilè grana integra ibi relicta.

§. 8.

---

a) Huc ſpectat calx viva, quæ per affuſ. aquam ebullit, hinc pariter amburit non modo veſtimenta ſed etiam cutim.

b) Rec. calc. viv. ℔. I. affund. aquæ ſ. ℔. viij. poſtmodum cum oleo lini vel nucum agitetur, ut ungventum album fiat. Eſt ſpecificum *Boylei de ſpecific. p. 124.*

§. 8.

De

GANGRÆNA ET SPHACELO.

Cum omnis generis tumores, apoſtemata, luxationes, fracturas ac vulnera quandoque ſequatur præſens morborum biga, ideo placuit ultimum locum in hoc capite ipſis asſignare. Significatur autem his ſphaceli *c*) ac gangrænæ nominibus mortificatio partium nunc inchoata, nunc conſummata.

Signa Gangrænæ. Sphaceli. Primus morbus h. e. Gangræna cognoſcitur ex doloris inflammatorii ac tumoris ſummo faſtigio; de altero verò naſcitur ſuſpicio, quandò primo dolor ſponte ceſſat, colorque partium rubicundus ac ſubfuſcus mutatur in pallidum, plumbeum, liveſcentem, nigricantem & obſcuro-cœruleum, calor verò imminuitur, tandemque planè mutatur cum manifeſta frigiditate. Erumpunt interea hinc & inde maculæ ac puſtulæ nigricantes flavo ſero tumentes, pars affecta cutim amittit, ac ſcarificata vix guttulam ſangvinis plorat, brevique omnem motum, pulſum ac ſenſum tam in carne, quàm tendinibus amittit, & denique incipit fœtorem ſpirare.

Cauſa proxima, Cauſa proxima eſt denegata partium nutritio, vel propter vitium partis ipſius, vel propter nutrimenti ineptitudinem, quod nunc nimium viſcidum, nunc nimium acre eſt, hinc ſemper præcedunt morbos iſtos iuflammatio multum protracta, ligaturæ firmiores partibus circumjectæ, luxationes, fracturæ osſium, contuſiones, frigus *d*) externum enorme, ambuſtiones, morſus canis rabidi, viperæ, œdematoſi tumores &c.

Prognoſis. Quoad eventum gangrænæ ac ſphaceli facile quivis hariolari poteſt, ex cauſis externis non adeo violentis facilius, quàm ex interno principio, nervorumque diſſectione aut nimio frigoris morſu, ortam curari.

Cura Semper itaque in Cura antecedentium cauſarum ratio habenda eſt, quod ipſum ex therapevticis & præmisſis chirurgicis theſibus tanquam notisſimum præſuppono, adeoque de internis remediis nihil plane addo. Inter externa igitur (quæ omni tempore actu calida applicari debent) eminent fotus & cataplaſmata ex rad.

Angelicæ
Leviſtici
Helenii.
Summitat. abſinth.
Nicotiana.
Ruta.
Scordio.
Millefolio.
Fl. Centaur. min.
Sambuci.
Baccis lauri
Cort. granator. ac
Cupresſi, gallis
Vitriolo &c.

cum mulſo vel vino, lixivio aut urina veteri coctis, vel ſpir. vin. extractis. Alii laudant fimum equinum cum urina & lixivio ad conſiſtentiam cataplaſmatis coctum, alii farinam fabarum ac lupinorum, item panem bis coctum cum oxymelle ſubactum applicant, aut decoctum calc. vivæ ſolitarie, vel cum Spir. Vini ſimplici aut camphorato maritatum: ab aliis miris præconiis commendatur:

Muria limonum vel brasſicæ
Tartarus Vitriolatus
Sal ammon. ac alia ſalſa.

Inſtar omnium tamen ſolutionem cinerum clavellatorum & tantilli aluminis proficuam novi.

Si

---

c) Gangræna eſt mortificatio partium inchoata, ſphacelus verò conſummata. Gangræna eſt nihil aliud, quam ſummus gradus inflammationis, rubor ad nigredinem vergens der heiſſe Brand. Poſt ſequitur totalis partium necroſis ſive ſphacelus kalte Brand / quo caſu omnis dolor & ſenſatio partium ſubitò ceſſat, color pallidus evadit, vel obſcurè cœruleus &c. dolor ardens mutatur cum frigiditate manifeſta partis, verbo: in parte tali ſphacelata omnis ſenſus, motus, pulſus &c. ceſſat, tractuque temporis odorem cadaveroſum ſpirat.

d) Si à frigore externo humores condenſentur & congelaſcant, hinc à frigore oriuntur perniones, ex his verò ſæpe gangræna & ſphacelus.

Si non ſtatim ab his levamen ſentiat æger, ſcarificetur locus affectus, & circa ipſum ſimul partes, quæ adhuc ſanæ ſunt, poſtmodumque vulnuſcula eluantur ac fricentur.

Spir. Vini camphorato, aut theriacali, vel
Tinctura Myrrh.
Aloës
Aſæ fœtid.
Spir. Sal. ammon. in quibus aliquid de unguent. Ægyptiaco diſſolutum eſt.
aut applicentur:
Pulv. Myrrh.
aloës
Cap. mort. Vitrioli.
Lap. medicamentoſus Crollii.
vel quod magis approbo
Oleum deſtill. Caryophyll.
Cinamomi.
Quajaci.
Juniperi.

Conf. ex recentioribus *Overkamp.* im neuen Chirurgiſchen Gebäu *cap. 2. p. 98.* ubi fuſius de convenienti apparatu diſſerit.

Quandocunque tandem nullum effectum nec ab his obſervemus, ſed nihilominus in ſphacelum abeat gangræna, unica vel partis totius laborantis, vel portionis ſaltim alicujus h. e. digiti unius, aut plurium extirpatio ſolatium aliquod adhuc pollicetur. Quo apparatu autem illam velis perficere operationem, ex tuo & ægrotantium arbitrio circumſtantiarumque diverſitate dependebit. Si enim placuerint cauſtica potentialia, habes butyr. antimonii & lapidem infernalem, ſi actualia, ferrum candens aderit, ſi ſecantia arriſerint, ſerra, culterque inſervient tibi, de quibus omnibus conſulantur *e) Scultetus, Hildanus, Solingius, Botallus* von Schuß-Wunden *cap. 27. p. 297.*

Caput III.

De

LUXATIONIBUS.

[De]ſcriptio Luxatio denotat prolapſum oſſium ex proprio & naturali ſitu, inſequente nunc ſola impotentia motus, doloreque plus minus notabili aut ſimul inflammatione, vulnere vel fractura, è quibus prima ſpecies luxatio ſimplex, altera compoſita Chirurgis dicitur.

[Ca]uſæ exter- Cauſæ externæ ſunt concuſſiones aut diſtorſiones violentæ articulationum, ſicuti internæ *f)* humores ſeroſi, pituitoſi, acres & quandoque tartarei adjuncturas fluentes, & nunc ipſa oſſa è ſuis articulationibus ejicientes, nunc ligamenta ſaltim irritantes & relaxantes.

Ex hac cauſarum differentia multiplex iterum luxationũ varietas oritur, *Varietas luxationum.* quatenus nempe vel ex toto vel quadantenus ſaltim exturbatur è ſede naturali oſſis caput, aut ſimul tendines diſtenduntur, aut disrumpuntur, è quibus olim prima ſpecies exarthrome, ſeu dislocatio; altera pararthrome ſive diſtortura, & tertia diaſtaſis ſive ſubluxatio vocabatur.

Quo

e) *Thomas Bartholinus C. III. anat. 85. Petrus Marchettis Obſ. Chir. 15. Nic. Binningerus Cent. II. Obſ. 19. P. M. Roſſius Conſ. chirurgicarum 13. Henr. Koonhuſen L. 1. Obſ. Chir. 25. M.N.C.D.II. A. III. o. 121. p. 254.*

f) A decubitu humoris ſeroſi ad articulos fit luxatio, dum ab affluxu hoc continuo ligamenta & tendines laxantur. Alio tempore humores acres illuc depoſiti luxationes patrant, quatenus partes ab acrimonia irritatæ p. n. ſe contrahunt, hinc è ſedibus ſuis oſſa deturbant. Aliquando concretio tartareæ materiæ in acetabulis oſſium claudendo & replendo acetabula corrupta è ſede ſua dimovet, qualia exempla licet rara ſint, habentur tamen apud *Schenckium, Foreſtum &c.*

Signa luxationum.

Quo verò accuratè intelligas harum luxationum differentias, cognitæ tibi prius accuratè naturales oſſium juncturæ eſſe debent, tumque facilè obſervabis, num introrſum aut extrorſum, ad ſuperiora aut inferiora propulſum fuerit oſſis caput.

Inſuper tamen motus impotentia & fovea in loco inſveto, tumorque in oppoſita parte apparens, item membri accurtatio, ſitusque reſpectu ſanæ partis immutatio, facillime omnem ſcrupulum tibi forſitan adhuc hæſitanti eximent.

SignaCauſarum.

Cauſas externas dabunt relationes ægrorum, ſicut internas & in ſpecie ſeri vel pituitæ vitium habebis, ſi pedetentim membrum debilitatum tandem naturalem deſerat ſitum, utut perfectè repoſitum iterum iterumque fuerit, intra tamen ſuum domicilium haud permaneat. Porro acrimoniam humorum cognoſces ex dolore ſummo ſimul conjuncto, & tartarum denique ex tophis & nodis illis in locis exſurgentibus.

In ſimplici. Luxatione Cura per repoſitionem.

Facilis equidem primo intuitu videtur cura, cum ſine difficultate reponi oſſis eminentiam poſſe cum plebe ignara, vulgus Chirurgorum ſibi perſvadeat, dummodo ſcil. ſola partis læſæ circumgyratione inepta, aut diſtenſione crudeli negotium aggrediantur.

Verum enim verò ſumma hic peritia connexionis, & ſitus naturalis membrorum ſemper requiritur, aliter g) namque procedendum in dislocationibus non ſolùm reſpectu ipſarum partium affectarum, v. g. ſcapulæ, maxillæ inferioris, vertebrarum &c. conferatur *Paræus*, *Scultetus*, *Overcamp. p. 821. & ſeqq. item Hildanus.* Sed inſuper alia adminiſtratio exigitur in luxatione verſus exteriora aut interiora, aliaque in tendinum extenſione ſeu ſubluxatione.

Variat pro luxatarum partium varietate.

Sed omni tempore eò eſt allaborandum, ut quantocyus fieri poteſt, ad propriam ſedem iterum deveniat os, id quod nunc manibus ſolum, nunc machinis variis inſimul adhibitis impetramus, de quibus jam olim *Hippocr. Lib. de luxatis & fractis partibus*, *Paræus Lib. 14. c. 7. Hildanus cap. 5. Hiſt. 60. Scultet. in Armament. Chirurg. Tab. 22. & Acta Erudit. anno 83. Menſe Januarii*, ut alios taceam Autores, videri poſſunt.

deligatio & firmat

His igitur circa repoſitionem juxta artis præcepta peractis, inſequitur deligatio & firmatio partis affectæ legitima ad impediendum novum articuli egreſſum. Faſciis autem ſolis hoc ipſum negotium, aut ſi opus fuerit, ferulis, ex corio aut charta denſa, vel ferro paratis perficitur commodè, modo paululum prudens fuerit Chirurgus, nec nimium arcte circumjectis ſpleniis conſtringat locum, aliàs non ſolùm inflammationibus, ſed variis præterea ſymptomatibus gravioribus dabit anſam. Interea quieſcat æger, nec faſciæ prius ſolvantur, niſi vires denuò parti redditas eſſe obſervetur, quod in digito præterpropter quatuordecim, in tibia viginti, in humero, ſcapula ac femore 40. dierum ſpatio contingit. Et licet citius vires ſubinde rediiſſe videantur, tamen ob metuendam novam luxationem neceſſum eſt blandiſſimè ſemper cum partibus his agant ægri, nunquam enim tuta ſunt omnia. Sed accelerari nihilominus reconvaleſcentia poteſt eleganter, ſi ſimul cum faſciis adſtringentia applicemus. v. g.

Vinum auſterum tepidum
Empl. & linimenta defenſiva ex
Gumm. Tragacanth.
Maſtiche.
Sanguine Draconis.
Bolo Armen.
Succino.

Flor.

---

g) In ginglimo non opus eſt niſi extenſione & debita repoſitione ob marginem acetabuli cartilagineum, quatenus ab imperita manu facilè confringi per ineptam diſtorſionem & repoſitionem poteſt. In luxatione oſſis femoris ex acetabulo ſuo facile laceratur ligamentum illud rotundum, caput ejus in ſede detinens quo la-

Flor. balauſt.
Nuce cupreſſi.
Rad. biſtortæ.
Tormentill.
Cort. granat.
Baccis myrtill.

Conveniunt etiam Nervina.
Ol. roſar.
Hyperici.
Lumbr. terreſtr.
Balſam. peruv. nigr.
Ol. deſtill. juniperi.
Tartari fœtid.
Empl. diapalma.
de Gumm. Elemi.
Oxycroceum.

Fotus denique & Epithemata ex
Herb. Salviæ
Roremarin.
Majoran.
Pulegio.
Ruta cum vino facta.

Ex his tamen quæ ultimo nominavi loco, omnium ſunt optima, magisque convenire ſolent, quam priora, utpote quæ propter vim adſtringendi vel inviſcandi ſæpius nocent; quamvis & ipſa circumſpecte uſurpata laudem quoque merentur egregiam.

[i]n luxa[tione]s com[posit]æ. Sic procedendum in ſimplici luxatione, ſed aliter paululum in compoſita, ubi tumorem citra inflammationem accidentem externa diſcutientia, & interna diaphoretica tam fixa quàm volatilia, item laxativa: Inflammationem autem aut V. S. aut reſolventia & diſcutientia aliquoties in præmiſſis laudata, decent. Ante omnia autem ligatura parti affectæ applicata nimium arcta haud ſit, cum ſæpius hæc ſola primaria horum ſymptomatum ſit cauſa.

Quod ſi nihilominus dolor ardens aut ſpaſmodicus accedat, adhibebis cataplaſmata ac fotus ex diſcutientibus ac anodynis.

Parietaria
Malva.
Fl. Chamomill.
Sambuci
Verbaſci
Meliloti &c. in vino decocta, quibus

Spir. Vini Camphoratus &
Spir. Salis ammon. mixtus unà cum ſuperius propoſitis nervinis commodè adjunguntur.

Ubi luxationi vulnus aut contuſio aſſociatur, ſummo periculo non vacat malum, imminet ſiquidem gangræna ac ſphacelus, niſi celerrimè fiat repoſitio, & ex oppoſito metuenda eſt convulſio, ſi violenta manu ſuſcipias laborem; Tali igitur in caſu ſatius eſſet, jubente *Hippocrate ac Celſo* mittere penitus ægrum, ne ars in tam ancipitis aleæ affectu proſtituatur, niſi Chriſtiana charitas noſtram qualem qualem opem nihilominus adhuc poſtularet. Hinc utique repoſitio ſuſcipienda eſt, ſed non niſi externè & internè adhibitis antepilepticis, anodynis & refrigerantibus: & licet non ſtatim in ſua ſede firmari poſſit os diffractum, non tamen propterea ab opere deſiſtendum, conferatur *Muys. Prax. Chirurg. ration. Decad. V. obſ. 7.*

Satis periculoſa etiam eſt luxatio fracturæ oſſis juncta ob imminentia ſimilia ſymptomata; negligi tamen nec hic ſubitanea debet repoſitio, quo oſſis fracturæ facilius poſtmodum posſint coaptari.

Ulterius quando callum jamjam contraxit, diutius extra ſedem hærens oſſis luxatæ caput, imposſibilis eſt cura, imprimis callo perfectè indurato. Quando verò texturæ mollioris extiterit, à reſolventibus & diſcutientibus adhuc quodammodo ſalus ſperanda.

Tandem ſi propter tendinis elongationem, ac inſequentem atoniam non commodè firmari in ſua articulatione poſſit os, rurſum roborantia ac nervina ſunt invocanda, fotus nimirum ex vino calido nunc ſimplici, nunc cum floribus hyperici, majorana,

cerato nunquam firmos greſſus facere poterit æger, reſtitutoque licet oſſe non tamen retinetur.

na, Salvia, Roremarino, Chamomilla, fl. ſtœchad. decocto, vel inungatur
Petroleum
Balſamus Peruvianus nigr.
Spir. ac ol. Juniperi, ac ſuperponatur
Emplaſtr. ex cera
reſina
pulv. ſuccini & Elemi.

hisque non ſufficientibus (imprimis ſi humores copioſe ad partes affluant) Evacuantia & Repellentia ſimul adhiberi debent, aut ſi circumſtantiæ id ferant, ſupra laudata adſtringentia & exſiccantia.

Caput. IV.

De

OSSIUM FRACTURA.

NOn eſt, ut multum ſimus operoſi in tradenda hiſtoria fracturæ, ſtatim namque ex titulo habetur, violentam oſſium diviſionem eò ipſo indigitari. *Diverſitas fracturarum.* Verùm enim verò cum non uno modò, ſed nunc juxta oſſis longitudinem, *b*) nunc juxta latitudinem, oblique, perfectè vel imperfectè, nunc in uno aut diverſis locis, cum vulnere, luxatione, inflammatione &c. fractura fiat, probe ſingulæ circumſtantiæ examinari debent à Chirurgo, cum cunctæ uſum habeant in Praxi inſignem, uti mox clarius patebit.

Signa. Fracturæ veræ ac perfectæ cognoſcuntur, ſi pars inæqualitatem, aut cavitatem, vel prominentias inſvetas oſtendat, it. ſi os illud manibus palpatum ſtrepitum aliquem vel ſtridorem edat, & denique ipſi à naturali figura plus minus abeunti haud poſſit inniti, ob dolorem & intumeſcentiam brevi his in locis natam. Quod ſi verò cum vulnere ſociata ſit fractura imprimis obliqua & tranſverſalis, ſtatim vel digito ſolo, vel ſpecillis immiſſis cognoſcetur, ſed longitudinalem fiſſuram artifex non, niſi ex aliquali inæqualitate membri ſecundum longitudinem oſſis, dolore ac tumore ſuperveniente hariolari poteſt.

Cauſæ. Cauſæ olim ſolùm credebantur externæ, nempe omnia, quæ contundendi ac oſſa rumpendi vim habent, uti ſunt caſus ab alto, ictus &c. recentiores tamen præterea à nimia convulſione manuum ac pedum oſſa harum partium fracta referunt, *vid. M. N. C. Decur. 5. Ann. 2. Obſ. 225. Joh. Muraldi Chirurg. Obſ. 158. p. 461. ſeq.*

Cura Cura fracturarum ſuccedit feliciter in juvenibus, & quando oſſa ſecundum longitudinem tantùm ſunt fiſſa, it. quando minora ſpongioſæque texturæ ſunt læſa. Difficultatem verò majorem deprehendimus 1.) in oſſibus magnis 2.) prope articulationem cum læſione aliarum partium ſenſatarum diffractis, 3.) ſimul è ſede naturali dimotis, 4.) gravidis, vel ex alio morbo decumbentibus 5.) ſenibus & hyeme accidentibus, & 6.) quando tardius ad curam vocatus fuerit Chirurgus.

Nihilominus & in his caſibus utut ſatis difficilibus nihil omittendum, ſed quantocyus fieri poteſt, partes oſſis fractæ in proprium & nativum ſitum reponi ac configurari debent, ne tumores ac inflammationes ex mora ſupervenientes impedimento poſthac ſint. Facilè autem vel ſola manu blanda ac artificioſa, palpando ſcil. aut leniter ſupprimendo læſionis locum perficies omnia ex voto, vel inſtrumento accommodato quod Gloſſocomium vocant, Chirurgi vid. *Paræus L. XIV. c. 20. Sculteti*

b) Fractura ſecundum longitudinem dicitur Schlitz-Bruch / Schillerung / ubi tantum finduntur oſſa.

ti Tab. 49. fol. 23. Sed ſecus accidet, ubi oſſa diffracta ſimul de loco mota ſint, unumque ſuperiora, alterum verò inferiora ſpectet, hoc ſiquidem in caſu niſi debita extenſio partis affectæ ſimul fiat, nunquam perfecta coaptatio oſſis ſperanda eſt.

Quodſi vero quædam fruſta penitus ab oſſe fuerint ſeparata, neque per convenientem coaptationem reuniri rurſum ſe patiantur, removenda veniunt iſta citisſime vel circa primam ſtatim deligationem, imo abſente vulnere, aut non ſatis diductis labiis ipſius, nil impedit dilatare paululum viam ſcalpelli beneficio. His peractis deſudandum eſt, ut adunitæ partes tali in ſitu retineantur ad coalitionem usque, hinc requiritur artificioſa deligatio (ubi prius poſt depilationem loci convenientem Empl. contra fracturas uſitatum, aut de pelle arietina, aut barbarum vel oxycroceum circumjectum fuerit, ita tamen, ut non accuratè tegat fracturæ membrum, ſed ſpatium ad minimum pollicis remaneat inter utramque extremitatem; Aliàs facilè anſam dabis, impediendo ſcilicet inſenſilem tranſpirationem, inflammationibus ac gangrænæ) per ferulas Schienen/ quæ utplurimum fiunt nunc ex aſſeribus tenuisſimis, nunc ex charta tenſa, von Pappen/ nunc verò ex corticibus arborum flexibilibus Bürcken-Rinden/ &c. quæ ante uſum aquæ immerguntur, ut emollitæ accommodari ex arte posſint locis læſis, ac faſcias, quas aceto vini tepido ſubinde immerges. Cave tamen ne nimis arcta faſciarum conſtrictione inflammationi aut aliis pejoribus ſymptomatibus des occaſionem. Sed ſolet pene ſolenniter omnem Chirurgorum ſolertiam eludere tumor, ac inflammatio fracturam immediate etiam ante deligationem excipiens.

Igitur priùs fovendus ac inungendus eſt locus læſus medicamentis ſuprà de inflammatione datis Spir. Vin. Tinctur. fl. hyperici cum Spir. Vin. parata

Spir. Lumbr. terreſtr.
Ol. deſtill. Terebint.
Roriſmar.
Aniſi.

vel applicatur Empl. Wurzii ex terebinthina & cera.

Nihilque ſic reſtabit, niſi ut membra deligata in ſitu ſuo naturali immotè, quantum posſibile dies 10. plus minus maneant, quo interea callum generare natura, ipſiusque interventu fractam partem quodammodo redintegrare valeat. Non adeo ſtrictè mandatum hoc de quiete læſæ partis accipiendum eſt, quaſi nempe intereà faſciarum ac ferularum ſolutio non eſſet conceſſa, potiùs jubente Hippocrate de necesſitate eſt, ad minimum ſingulis ternis diebus inſpicere locum læſum, quo ſymptomatibus præſentibus ac imminentibus tempeſtivè occurri posſit. Sicque igitur ſolius naturæ beneficio nutritivus liquor ex oſſium læſis tubulis ſucceſſivè transſudans glutinis ad inſtar cohæreſcere rurſum faciet, quæ diviſa antehac erant.

Quo igitur his naturæ laboribus & Medicus ſimul ſuccurrat, propinabit ægro oſteocollam præparatam cum maſtiche, thure, ſuccino, it. decocta glutinantia. In diæta interdicat vinum ac carnem pingvem, cum ab illis cruditates non ſolùm generentur, ſed inflammationi quoque ſubminiſtretur occaſio. Econtra gelatinoſa (imprimis cum poſt. 10. dierum curſum inflammatio non tam facilè metuenda ſit) & ex frumento cocta pulmenta cum oryza, pedibus vitulorum, carne hœdina ſvadeat, & externè cataplasmata Paracelſi ex rad. conſolid. maj. aut emplaſtra vulneraria de vernice &c. adhibeat. Sicque procedendum quoque erit, ubi alia urgeant ſymptomata. Adverſus ſpaſmum enim conveniunt aqu. reg. Hungariæ, Spir. lumbr. terreſtr. aliaque unguent. ex antiſpasmodicis axungiis ac oleis deſtillatis facta.

Cæterum ſi fractura oſſium cum vehementi contuſione conjungatur, ſcarifi-

rificetur pars læſa, & adhibeantur ſimul alia in contuſionibus convenientia, quæ inter eminet oleum Terebinth. rorismar. aniſi, Empl. de Terebinth. reſina & cera, quod *Felix Wurzius* adeo extollit. Quodſi autem vulnus conjunctum ſit, aut gangræna immineat, petenda ſunt medicamenta *ex §is hos morbos explicantibus.*

CAPUT V.

De

VULNERIBUS.

Diviſio illa ſive ſolutio continui, quæ in osſibus fractura, in *præcedenti §o.* vocabatur, ea nunc in magis mollioribus generali titulo ſemper vulnus audit, utut differentia inſignis inter hæc vulnera rurſum occurrat. Aliud namque vulnus eſt ſimplex, aliud compoſitum, h. e. cum fractura osſium, luxatione aut ſubſtantiæ ablatione conjunctum; porro aliud longum, latum, profundum, breve, anguſtum, rotundum, transverſum, obliquum, æquale, cæſim vel punctim inflictum obſervatur, aliud juxta articulos, muſculos, cutim, glandulas, arterias, venas, nervos, adipem, tendines, membranas, oculos, nares, aures, labia, cerebrum, ſpinalem medullam, œſophagum, aſperam arteriam, thoracem, pulmones, cor, diaphragma, ventriculum, hepar, lienem, inteſtina, renes, veſicam &c. occurrit. *Differentia vulnerum.*

Signa. Signa ſenſuum ope habentur, ſimulque ſymptomata unà concurrentia, qualia ſunt hæmorrhagia, dolor, inflatio, ſpasmus, epilepſia, febris, vomitus, deliria &c. quæ ex circumſtantiarum ac partis læſæ conditione graviora, aut mitiora ſunt.

Cauſæ. Cauſæ communiter ſunt externæ, & à gladio, fuſte, morſu beſtiæ, lapide, globuloque plumbeo è ſclopeto ejecto, dependent.

Interna ubi adfuerint, in membranis utplurimum, quandoque tamen etiam in vaſis ſangviferis contingunt, quod ipſum pasſim alibi ſufficienter eſt oſtenſum.

Prius verò quàm ad vulnerum Curam ſe accingat Chiriater, cogitur ſæpius judicium ſive prognoſin ferre de periculo & eventu læſionis, ne itaque impingat hic, turpiterque ſe cum barbitonſorum & balneatorum ignara concione det aliis eruditis, ante omnia ex anatomicis partium internarum ſitum, connexionem ac uſum perpendat, ſic facilè poſtmodum ex vulnerum magnitudine ac profunditate, partisque læſæ necesſitate ad vitam, & ſymptomatum concurrentium atrocia periculum pronunciabit, imprimis quando ſimul videt præſidia nobilisſima juxta artis leges adhibita, nihil prodeſſe vel plane applicari non poſſe. E contra verò, ſi nullum impedimentum circa applicationem remediorum adſit, ac ſymptomata mitiora abigi ſe patiantur, neque partes læſæ inter principes pertineant, non adeo malum erit prognoſticum. Nunquam tamen ſuaſerim, ut quis in judicando nimium ſit temerarius, hoc eſt, certò & infallibiliter ſententiam vitæ ac necis dicat, fiunt namque hodie miracula in medicina, & verſa vice levisſimæ primo intuitu læſiones à ſymptomatibus horrendis, ſæpiusque morte ipſa præter omnium opinionem excipiuntur. *Prognoſis.*

Juvabunt nihilominus quodammodo, ac ſuccurrent Medicinæ Practico juniori prognoſin dicturo ſequentia. *Periculoſa ſunt vulnera capitis.*

In Capitis vulneribus pesſima quæque accidere poſſunt ſemper, ſæpe enim quæ ne cutim quidem, vel vix penetraſſe videbantur vulnera, poſt ali-

quot

quot dies interemiſſe ægros frequens loquitur obſervatio.

[Tem]porum. Temporum vulnera profunda ac lata nunquam propter pericranium, quod muſculus crotaphites tegit, nervosque dicti muſculi inſignes, periculo caret, quin convulſiones aut ſpaſmi maxillæ inferioris metuendæ ſint ſemper. De levioribus verò mitius judicandum, cum *Berengarius* olim, ac *Borellus* in obſervat. minus perículoſam ejusmodi læſionem annotarint; & ego aliquando ſine ullo ex his ſymptomatibus ſatis profundè ſauciatum temporalem muſculum curaverim ipſe.

[Cere]brum. Cerebrum, Cerebellum & ſpinalis medulla læſa lethalitatem inferunt, imprimis quando diſſectis pluribus vaſis ſanguineis per corticalem & medullarem ſubſtantiam vulnus penetret & ſenſuum internorum, motusque voluntarii exercitium turbetur per ſuperveniens delirium aut convulſiones, paralyſin, oblivionem, ſoporem.

[Cord]is. Cordis vulnera ad ventriculos uſq; penetrantia abſolute lethalibus annumerantur, hinc rectè de ipſis Ovidius:

> Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas
>
> Sanabit nullâ vulnera cordis ope.

Sed mitius paululum pronunciandum de minoribus externas tantùm laminas muſculoſas, aut mucronem lædentibus, ad diem enim ſecundum, item ad quartum & decimum quintum ſic vixiſſe ſauciatos *Tulpius* commemorat *Lib. 2. & M. N. C. Decur. 2. an. 3. obſ. 113.* imo quandoque plane reconvaluerunt, utut maximum periculum propter hæmorrhagiam, cordisque motum turbatum, inflammationemque inſequentem etiam ex his levioribus vulneribus prius ſubierint ægri, meminique me aliquando canem diſſecuiſſe, cujus cordi aliquot globi minores plumbei Schrote à vulneribus olim inflictis relicti, carneisque fibris firmiter ſatis poſt conſolidationem perfectam impacti obſervabantur.

Arteriarum ac venarum majorum. Non aliter ſentiendum de arteriis ac venis majoribus diſſectis, ubi ſemper mors metuenda, ſi in interioribus partibus iſta abſcondita lateant; quæ verò in artubus, aut aliis externis locis vulnerantur, non niſi per accidens mortis fiunt cauſa, quoniam tum medicamentis convenientibus adhuc ſit locus.

Pulmonum. Vulnera pulmonum, quæ ſubſtantiam tantùm veſicularem diſſecant, utplurimum non adeo periculoſa ſunt, niſi quod phthiſis ipſa facile excipiat: Verùm à quibus ſimul trunci majores pulmoniacorum vaſorum, vel bronchiæ læduntur, periculoſis ac lethalibus accenſeri utique debent.

Diaphragmatis. Diaphragmatis vulnera majora ſive parti tendinoſæ, aut carneæ inflicta ſummum periculum inferunt, non æque minora, muſculoſam partem penetrantia. *Conf. Diemerbr. Anatom. p. 422. Glandorpius Speculo Chirurg. obſ. 27.*

Gulæ ac œſophagi. Gulæ ac oeſophagi vulnus ſi tantum ſit, ut deglutitionis negotium impediatur, vel per ſe, vel propter ſymptomata periculoſis merito accenſetur. Aſt cum integrum adhuc eſt illud officium, ſalva adhuc res erit.

Ventriculi & inteſtinorum tenuium. Simile judicium eſt de ventriculo ac inteſtinis tenuibus ſauciatis, ſummè periculoſus eſt ictus, qui alimentorum, vel chyli effuſionem intra abdominis cavitatem producit, minus talis, quem iſte effectus non ſequitur.

craſſorum. De craſſis inteſtinis diſſectis non pauci Medicorum ideo minus triſtem ferunt ſententiam, quoniam non nutritii ſucci, ſed fecum ſolùm ſintreceptacula; hoc tamen non obſtante, cum iſtæ quoque intra abdominis cavum effuſæ brevi putreſcant, maximaque tum damna inferant viſceribus appoſitis,

tis, ideo vulnera hæc æque fiunt periculoſa, taceam hæmorrhagiam aliasque cauſas, à quibus mors naſci poteſt. Non tamen propterea negaverim inteſtini recti vulnera circa podicem inflicta minus quàm reliqua cuncta eſſe metuenda.

Meſenterii. Omenti &c. Meſenterii, Omenti ac Pancreatis Virſungii, hepatis ac lienis, vaſorum lacteorum ac felleorum vulnera, quæ ſanguinea vaſa ampla aut lactea vel fellea deſcindunt, fatalibus accenſentur; à quibus verò ſolùm ſubſtantiam membranoſam aut glandulas quasdam diſſectas vides, iſta levioribus tutò annumera.

Receptaculi lumbaris, aut ductus thoracici. Vulnus receptaculi lumbaris aut ductus thoracici propter chyli tranſitum ad M. S. denegatum evadit maximè periculoſum.

Renum, ureterum, ac veſicæ. Nec aliam ſententiam audiunt vulnera renum ureterum ac veſicæ ampla, quæ ſanguinem & urinam in abdominis cavitatem effundunt; quodſi autem læſio externa magis fuerit, ſic ut excrementitius hic liquor extra corpus fluere poſſit, quandoque conſolidationem iterum & fundus & collum ejus admittit.

de uteri vulneribus ambigitur. Uterus in ſequiori ſexu num vulnerari periculoſe poſſit, diſceptatur apud Autores; ego verò crediderim facile, quod ſic, quando nimirum diſſectis vaſis majoribus hæmorrhagiam inſignem contingere, aut convulſiones cum aliis horrendis ſymptomatibus ſupervenire cernimus.

Reliquæ læſiones, quæ partibus externis ſunt illatæ, ſi non hiulcæ fuerint ac inſignes, rarius abſolutum & per ſe grave periculum inferunt, nihilominus tales ſæpius pro conditione læſi loci, aliarumque circumſtantiarum redduntur, imo non raro ex accidenti evadunt mortiferæ.

Cura. Sed nunc ad curam tendo, cujus intentio primaria diſcontinuationis unionem reſpicit. Rurſum verò & nunc unicè à natura auxilium perinde ac in fracturis ſperandum, utpote quæ ſuggerendo novum nutrimentum ſola conſolidat rurſum diviſam antehac unitatem. Igitur de Medici ac Chirurgi officio tantum eſt, ut cuncta impedimenta removeant, & verſa vice, quæ ſuppetias ferre valeant, laborioſæ naturæ in & externè applicent.

Cautela ſangvine ſiſtendo. Varia hinc auxiliorum genera in uſum vocanda veniunt, & primo quidem omnium hæmorrhagia *i*) compeſci debet per medicamenta in *theſ. pract. cap. IIX.* §. 2. deſcripta, hac unicè obſervata cautela, ne nimium properemus cum his ægro ebrio, aut ira enormiter commoto, utpote quibus in caſibus ſangvinis detractio, quatenus inflammationibus præſcindit occaſionem, inſigni non raro emolumento eſſe ſolet.

Ne verò, utut ſemel inhibitus ille fluxus, denuò ſuperveniens novum periculum producat, ab omni tam corporis quàm animi motu, ſimulque ab alimentis ſpirituoſis ac aromaticis abſtineat æger, vulnusque à Chirurgo non niſi uno aut altero die elapſo, (imprimis ſi arteriæ cujusdam, aut venæ truncum majorem vel minorem diſſectum noveris) religetur, multo minus ſtiptica adhibita importuna manu aufe-

i) Siſti etiam poteſt ſangvis per Tourneket, ſive Torcular vid. *Nuck. Experim. Chir conf. Muys. Podalir. rediv. it. Obſ. ejusd. conf. Meekren. Obſ. Chir. p. 260. ſeqq.* Dein & ἴσχαιμα ſunt, quæ ſangvinem incraſſant, glutinantia ſc. gluten vulgare calefactum inſtillatum, albumen ovorum, ſangvis exſiccatus vulneribus inſperſus. Huc faciunt & ſangvinem coagulantia, qualia acida auſtera & adſtringentia, imo terrea adſtringentia, pulv. gallar. vitriol. alum. &c. huc ſpectant omnes liquores ſtiptici it. ſpir. vini rectificatiſſimus, ol. tereb. externè inſtillatum, de quo vid. *Jon. Anglus Tr. Terebinth. currus triumphalis :* Vaſa comprimi poſ-

auferantur, ſi à carne nova hiatus quodammodo occluſus fuerit.

Hoc igitur facto, labia vulneris combinanda *k*) & combinata in tali ſtatu ſervanda ſunt, nunc ſola blandiori compresſione & deligatione per faſcias, pulvilloſque affabrè complicatos, aut per emplaſtra glutinantia & denique ſuturas.

Equidem impediunt hoc ipſum negotium non raró labia vulneris aëris attactu diuturniore nimium tumefacta, *l*) ſed fotu decocti reſolventis & nervini ex vino, vel lacte calido facile iterum mollitiem debitam acquirunt, labiis itaque ad mutuum contactum adductis ſponte utplurimum paucos intra dies ſuccreſcit rurſum caro; quod ſi verò tardius hoc fiat, vel plane removeantur iſta impedimenta per exſiccantia & glutinantia vulneri immiſſa, ſi ſcil. ſerum luxuriet, qualia ſunt pulveres.

Pulv. ex pompholyge
Ceruſſa
fol. Ariſtol. long.
Sangvine Draconis
Sarcocolla.
rad. Symphyt.
Torment.

nunc mundificantia & balſamica, ſi ſordes forſan purulentæ impedimento ſint. v.g.

Reſina abietina
Terebinthina
cum vitello ovorum &
melle

ſunt, aut obſtipentur per ſpongioſa & obturantia lanuginoſa, ut inhibeatur ad tempus ſaltem effluxus ſangvinis, eſtque lanugo caſtanearum v. *Rondelet. in Prax.* telæ aranearum, muſcus terreſtris, fomes ſive linteamina uſta, lanugo platani & cydoniorum malorum, lanugo raſilis linteaminum lineorum cum alb. ovor. Conveniunt etiam cauteria tam potentialia ſpirit. vitrioli, ol. ejus, aqv. reg. aqv. fort. ſpir. nitr. &c. ignis enim ad inſtar adurunt partes, & ob ſalium copiam conſtringunt, & exedunt quaſi, ut eſchara excitata obicem ponat affluxui humorum it. ſicca, cap. mort. vitrioli, arſenic. ſandaraca &c. quàm actualia, quæ utut certa, non tamen ubique convenientia ſunt.

k) Labia vulnerum combinantur vel ſola compreſſione labiorum per manum Chirurgi, vel faſciis, de quibus vid. *Galenus tr. de laqueis.* it. *Oribaſius de faſciis. Le Marque & Garmelinus in Chirurg.* Quia tamen non omnes partes faſcias admittunt, & combinatio labiorum per eas non ubique procedit, ſuturæ in uſum vocandæ ſunt vel ſiccæ vel humidæ, incarnativa, ſuppreſſiva &c. Emplaſtra ad ſuturas ſiccas adhiberi poſſunt v. g. ſtipt. Crollii, diapalma ad fracturas dicta, aliaque glutinantia.

l) *Cæſar Majatus de vera vulnerum curatione*, qui excluſionem aëris acceſſus ad vulnera maximè ad curationem eorum facere aſſerit, conf. *Ludov. Septal. animadv. & caut. Pract. Sennert. Prax. de vuln.* Hinc ſtudioſe tegi debent vulnera tempore etiam deligationis. Olim applicabant dicta defenſiva humorum affluxum inhibentia, at hodie meritò rejiciuntur, quia ſæpe nocent, impr. ſi nimis adſtrictoria ſint. Tumores illi etiam non raró oriuntur à faſciarum arctiore conſtrictione, quo caſu faſciæ ſolvendæ. Tumores illi ſunt vel œdematoſi, ſive ſeroſi orti ex impeditô motu humorum, quô caſu blande calefacientia circumjiciantur, linteamina calida aut reſolventia de œdemate dicta, it. empl. oxycr. diaph. mynſ. hydropicum Auguſtan. &c. Si hæc non ſufficiant, interna ſerum evocantia, diaphoretica, laxativa & clyſmata laxativa vocari in uſum poſſunt. Dein tumores illi aliquando etiam inflammatorii ſunt, orti ex ſangvinis ſtagnatione, vel ob acrium nimis applicationem, uti ſunt antea dicta; Olim hoc in caſu applicabant adſtringentia & refrigerantia, ſed tutiora ſunt reſolventia de inflamm. dicta. ſpir. vini. ſimpl. camphor. theriacalis compoſitus &c. Internè conveniunt diaphoretica terrea blandiora, quæ impediunt febrem vulnerariam dictam. Inflammationibus aſſociat ſe non raró dolor, ortus potisſimum ex irritatione à rebus pere-

melle roſato.
Myrrha
Aloë &
Cera mixta
Ic. Tacamahaca
Ol. Momordicæ
Hyperici
Balſam. peruv. niger.

Hæc methodus eſt, ſi vulnus ſimplex fuerit, & vaſa ſanguinea cum carne tantùm ſunt diſſecta; quando verò oſſa ſimul obſervantur fracta & comminuta, aut globulus vel aliud inſtrumentum vulnerans, aut veſtium laciniæ adhuc in vulnere detineantur, eò allaborandum eſt, ut fractæ partes, ſi poſſibile, rurſum uniantur, & fragmenta cum reliquis peregrinis *m)* corporibus per volſellas, aut alia inſtrumenta extrahantur celerrime, niſi forſan contrarium ſummus ægrotantium languor, aut aliqualis adhuc fragmentorum oſſis cum perioſtiis connexio, vel hæmorrhagia inſignis, aut aliæ circumſtantiæ id disſvadeant. Poſtmodum in profundioribus læſionibus hoc ſemper attendatur, ne nimis cito conſolidationem ipſarum permiſeris, potius ope immiſſorum penicillorum apertæ ſerventur aliquandiu, quousq; ex profundioribus locis omnis ſanies perfectè fuerit evacuata. Nullo autem hic alio, niſi conſveto apparatu erit opus, excipe, ſi oſſa ſimul ſint læſa, quo tempore nulla oleoſa ac pinguia ob rationes alia occaſione datas adhibenda veniunt.

Cura vulneris diſſecti ſimul nervi aut tendinis &c.

Si nervus ac tendinoſæ, aut membranoſæ partes ſimul cum carnoſis ſunt diſciſſæ, quod ex dolore ſummo, tumore inflammatorio & convulſionibus aut imminentibus, aut immediatè poſt læſionem ſupervenientibus cognoſcitur, applicentur.

Ol. reſinæ vel
terebinth.
Ungventum à *Sculteto in Armam. Chirurg. p. 2. o. 87.* deſcriptum.

nimium tamen ſi urgeat dolor, oleum Ceræ *n)* vel ovorum calidum inſtilletur; acria omnia è contra, nec non frigidioris aëris aditus evitentur ſedulò, quare ſemper, dum deligatur tale vulnus, vas carbonibus ignitis repletum, aut ſaltim linteamina calida admoveri loco affecto debent.

Convenit quoque hiſce jam nominatis oleis, nec non oleo rutaceo, anethino, cum Euphorbio infuſis it. ol. lumbr. terreſtr. integrum membrum læſum, ac ſpinam dorſi inungere pro ſcopo anodyno ac antiſpasmodico. Ju-

---

grinis inhærentibus aut aëris acceſſu. Ergo removenda hæc ſunt. Si verò ex humorum acrimonia aut ſtagnatione is oriatur, conveniunt interna & externa nervina, aqv. Reg. Hung. &c. impr. ſi interna ſimul adduntur anodyna & antiſpaſmodica, nec non externa anodyna & paregorica, emollientia &c. jungantur reliquis.

m) Si quæ in profundioribus partibus lateant, helctica ſive attrahentia uſurpanda, aut epiſpaſtica ſive extrahentia. Interna ſunt ſimpliciter diaphoretica, quæ dum humores protrudunt, cum impetu non raro ſimul ejiciunt infixa. Hinc adeo commendatur dictamnus non niſi ſudorem movens. Externa ſunt dropaces, phœnigmi, veſicatoria, allium, cepæ, naſturtium &c. extrahunt, quatenus vellicant & affluxum humorum excitant empl. de bacc. lauri, diachyl. cum gumm. Apoſtolor. Alia epiſpaſtica agunt dolorem ſpaſmumque ſedando, ut dimittant poſtmodum fibræ ſibi impacta. v. g. ad ſpinas infixas commendatur axungia leporis, lucii piſcis, ſtercus humanum calidum, empl. theriacale &c. quædam porro agunt refrigerando, quatenus ſtringunt fibras, ut citius expellant, v. g. oſtreæ. Alia agunt adſtringendo; fibrasque roborando.

n) Aliud quodcunque oleum fervidum ac bulliens, cujus ope iterum coaleſcere dicitur diſſectus nervus. vid. *Helvvigii Obſ. 149. Paræus L. 9. c. 38.*

Jubent aliàs *Galenus ac Avicenna* pro imminuendo dolore ac convulſione propter nervum læſum, ramum forſan ſemi tantum diſſectum penitus diſcindere *o*) quod ipſum tamen aſſertum non facile imitandum eſt, niſi vitæ periculum certum ex his ſymptomatibus immineat, quo unico in caſu è duobus malis minus eligere cogitur Chirurgus.

Diagnoſtica ſigna in vulnere thoracis profundo. Sed aliæ adhuc Enchireſes circa vulnera, quæ ad cavitatem ac ventres penetrant, obſervari debent à Praxeos tyrone, ſcil. in vulnere thoracis profundo circa ſigna diagnoſtica notetur, aërem certò inter exſpirandum impetuosè plus minus ex vulnere prorumpere, adeoque æque, ſi non magis certum, ex hoc phœnomeno habere poteſt ſignum, ac per ſpecillum vulneri immiſſum.

Exploratio vulneris. Præterquam enim quod facile ob ſitum corporis nunc mutatum, aut inſtrumenti rigiditatem ſæpisſime nihil certi de vulneris conditione haberi posſit, inſuper quoque per contrectationem adeo violentam facile hæmorrhagiæ, inflammationes ac dolores excitantur non ſine periculo inſigni, quare rejectis omnibus ſtilis metallicis, ſi usque adeò ſcrutinium vulneris ſit neceſſarium, locum adhuc invenient candelæ tenuiores cereæ propter flexibilitatem, ſed & tum patiens prius reponi debet accurate in ſitum illum, ſub quo vulnus ſuſceperat. Ubi igitur perſpectam ſatis habet vulneris naturam Medicus, ſtatim de eductione collecti cruoris intra thoracis cavum debet eſſe ſolicitus, quam ob cauſam vulnus per penicillum immiſſum (filoque alligatum, ne inter inſpirandum ad interiora rapiatur) apertum ſervare, ſæpiusque etiam dilatare quodammodo debet, quo via ſatis patula ſit.

Situs ægri commodus. Decubitus dein ſupra læſum latus imperandus eſt, & ſi in ſuperiori thoracis loco occurrat vulnus, declivis corporis ſitus multum ſimul promovebit deſideratam illam evacuationem.

Obſervanda. In vulnerata regione abdominis. De abdominis regione vulnerata pesſima quæque ſemper ſunt metuenda, non ſolùm ſi penetrant vulnera ob viſcerum incluſorum nobilitatem, quod ſuprà de ſingulis fuſius docuimus, ſed præterea, quæ muſculos ſolùm perfodiunt, propter ipſorum perpetuum in reſpiratione motum valde difficulter conſolidationem admittunt, imprimis tamen lineam albam attingentia præ aliis periculoſa, ac doloroſa ſunt.

Apparatus tamen plane idem, ac in aliis vulneribus adhibendus eſt, caveas modò, ne per ſpecilla ac turundas foramen anguſtum, prout de thoracis vulnere ad ſanguinis extravaſati evacuationem promovendam juſſum, ampliare audeas: non enim illam dilatationem omentum & inteſtina facilè aliàs extra corpus prorumpentia permittunt.

Quodſi tamen tale quid acciderit citra tuam culpam, forſan ob vulneris amplitudinem nimiam, tum prima eſto cura, ut propendentia viſcera celeriter reddantur ſedibus ſuis, aliàs ſubitò ab aëris attactu inflantur, coloremque mutant & penitus emoriuntur, quod ultimum omento præprimis accidit. Igitur tum inteſtina decocto

ex fl. chamom.
Melilot.
ex Sem. aniſi
fœniculi
Caryophyll.

cum lacte foveri debent, aut cum Spir. Vini camphorato, aqu. menth. fl. Sambuci, aniſi &c. paululum diluto, addita ſimul Tinctura Myrrhæ, Aloës &c.

Omen-

o) Conf. *M. N. C. D. II. A. VII. o. 155.*

Omenti verò portio corrupta prius filo probe conſtricta penitus reſecetur. Notandum verò, ſi intrudi commodè ſe patiantur inteſtina, cogimur vulneris labia paululum dilatare, quo ex voto conſequamur intentionem. Poſtmodum celerrimè conſuatur vulnus lege artis, ac applicentur unguenta digeſtiva, *p*) deſuper verò ponatur emplaſtr. aliquod glutinans, firmiterque cuti adhærens. Intereà quietus in lecto detineatur æger, abſtineatque ſedulò ab omni violenta inſpiratione, vociferatione ac motu corporis, alvus ſemper ſervetur lubrica per clyſmata injecta aut ſuppoſitoria, ne egeſtionis tempore propter compresſionem muſculorum abdominis violentam, & conatum dejiciendi nimium, anſa iterum detur vulneris rupturæ triſti.

Cognitio ac Prognoſis de epatis, lienis, meſenterii vulneribus.

Sed ubi cuſpis gladii epar, lienem, meſenterium, ventriculum, inteſtina, renes vel veſicam penetravit (cujus accurata cognitio admodum difficulter, & non niſi per conjecturam ex ſitu ipſorum naturali ab affluente copioſo ſangvine, bile, alimento indigeſto, ſtercore ac urina habetur:) periculoſisſima & admodum dubia tum erit cura, vel propter ſolam hæmorrhagiam, quæ vix medicamenta admittit, ut alia taceam pesſima & lethifera ſymptoma.

Vulnera capitis.

Reſtat adhuc examinandum vulneratum caput, quod nunc ſolùm quoad cutim, nunc quoad pericranium & cranium ſimul eſt ſauciatum; & quidem jam ſola contuſio ejus, jam fiſſura aut contrafiſſura, jam compresſio & deſidentia (quam *Paulus* Thalasſiam vocat) jam exciſio ſive ægyopis ſive detollatio (quæ recentioribus effractura dicitur) adeſt, alio tempore altius adhuc penetrans vulnus diſſecat membranas cerebri, nunc duram ſolùm, nunc piam ſive tenuem ſimul cum ſubjacente cerebri corticali & medullari ſubſtantia.

Sola cutis ubi læſa fuerit, imo ſi pericranium ſimul ſit diſſectum, admittit vulgare digeſtivum cum linteis carptis applicatum ac pulverem thuris:

Ariſtol.
Rad. Iridis.

Si ſarcoticorum *q*) uſus neceſſarius videtur, ſuper imponito emplaſtra de betonica aut diapalma, ubi prius locus vulneratus ante omnia novacula ſit raſus, ne crines vulnerum labiis dolores ac aliam moleſtiam creent.

Cranii fiſſura, ruptura aut compresſio.

Quandocunque verò cranium fisſum, ruptum aut compreſſum eſt, Chirurgi attentio major eſſe debet, tàm quoad cognitionem accuratam ipſius vulneris, quàm curam.

Equidem hiante nimium vulnere per autopſiam, ac atramenti applicationem, aut per ſtilum obtuſum ex inæqualitate ſuperficiei ejus, (excipe modò loca ſuturarum) aut ſi ſpiritum paululum detineat æger ex intumeſcentia vulneris, & propullulatione ſanguinis per ejus rimam rupti cranii ſigna prompte habebis.

Fiſſuræ & contrafiſſuræ exploratio.

Sed quando integra fuerit cutis capitis, vel in alio oppoſito loco cranium ſit diſruptum (quam læſionem aliàs contrafiſſuram dicunt) tum certè multò majori asſiduitate in læſionis naturam inquirendum eſt. Jubeas hinc, ut nucem dentibus ſupponat æger, aut chordam ipſis apprehendat, quod ſi frangere putamina avellanæ valet, aut ſonum pulſatæ chordæ perferre, integrum adhuc eſt cranium, ſin minus, certo fiſſuram admiſit.

Aſt quonam præcisè in loco hæc ipſa

p) Ut conſolidatio felicius fiat, novus humorum affluxus promovendus per digeſtiva varia v. g. mell. roſ. ſyr. de roſ. ſicc. &c. aut Rec. vitell. ov. q. v. admiſce ol. tereb. & roſ. usque conſiſtentiam acquirat ungventi fluidi, aut ungvent. digeſtiv. Hild. aureum, Baſilicum, Apoſtolorum &c. applicantur hæc ungventa cum linteaminibus, quibus per aliquot dies applicatis vulnus antea ſiccum nunc humidum redditur & purulentum, reſerantur hinc oſtia ante conſtipata, ut ſeroſitates convenientes huc deponi queant. Adhibentur talia, donec effluat materia glutinoſa, fluida, fœtore omni deſtituta.

q) Quando pus non debite excoquitur, neque caro ex voto ſuccreſcit, ſarcotica adhibentur, non quidem carnem generantia, ſed impedimenta ejus proventum in-

ipſa læſio contigerit, nondum conſtat.

Igitur capiti prius ex toto raſo circumjice maſſam quandam farinaceam, vel ungvent. ex album. ovor. & maſtiche factum, applicatisque linteaminibus calidis, obſervabis accurate ex humida linea relicta in reliqua maſſa perfecte exſiccata, ubi & qualis ſit illa fractura.

Magis certum hoc mihi videtur medium indagandi fiſſuram, quàm ſi ad ſola ſymptomata, ſcotomiam, vertiginem, vomitus bilioſos, deliria, ſpaſmos capitis ac maxillæ, tremores artuum & convulſivos motus, reſolutiones & paralyſes internarum partium attendamus. Non enim pathognomica fiſſurarum ſunt ſigna, ſed etiam depresſionem cranii, aut fracturam læſionemque cerebri inſequuntur.

[Offi]cium Chi[ru]rgi. Hiſce circa ſigna præmisſis accedimus ad officium Chirurgi in hiſce malis. Ubi igitur certò conſtat cranii fiſſuram adeſſe, inquirendum ulterius, num per unam ſaltim cranii laminam, numve profundius penetret ipſa?

[Cu]ra in ru[pt]ura cranii. In primo caſu abraſio osſis fisſi requiritur usque ad partes ſanas, niſi forſan ſuturæ ſint affectæ, ubi propter duram matrem interpoſitam minime radi poteſt os, hincque illa fiſſuræ ſpecies admodum periculoſa ſemper obſervatur.

Trepana[tio]nem Totum verò cranium ſi ruptum fuerit, ad trepanationem accedendum eſt, de qua vid. *Paræus*, *Hildanus*, *Bauhinus*, *Scultetus*, *Berengarius*, *Solingen*, aliique Chirurgi.

Sacra quoque anchora eſt hæc trepanatio in effractura laminæ inferioris cranii, quò fragmenta illa ſeparata unà cum ſanguinis grumis ſupra duram matrem collectis eximi commodè posſint.

[Du]ræ matris [læ]ſionem. Quodſi verò ſub dura matre illæſa extravaſatus cruor hæreat, nil perficies ſola hac perforatione cranii, niſi duram matrem ſcalpello ſimul incidas, quæ ſectio tali in caſu non conceſſa ſolùm, ſed ſummè neceſſaria eſt.

In cranii depresſione intentio primaria Chirurgi reſpicere debet reductionem ſubſidentis portionis in ſtatum naturalem: non unus igitur perficiendi hanc elevationem inventus eſt modus à Doctoribus. Molli ſiquidem cranio, v. g. puerili ſupra depreſſum locum cucurbita applicatur, nunc juxta methodum *Hildani*, ſola forti ſuctione, nunc cum flamma. Coguntur que ægri, ut inter operandum naribus ac ore clauſo valde exſpirare nitantur. Idem *Hildanus* aliâ præterea operatione aggreditur negotium, dum nempe emplaſtrum aliquod (cui funiculi extus additi ſunt) ex glutinantibus & cuti firmiter adhærentibus, nempe ſtipticum Crollii, de ſymphyto ex *Epiphanio* & *Strobelbergero* loco læſo apponit, ipſoque exſiccato, ſurſumque cum violentia quadam tracto reſtituit deſidentiam. Felicius tamen adhuc laborem ſuccedere docet *Solingen*, ſi loco emplaſtri cucurbita manubriis ac loris munita de loco depreſſo validè detrahatur, conf. ejus *manual. operationes Tabul. 1. No. 10.* *Cura in depreſſione cranii.*

Durioribus craniis major debetur apparatus, ſcil. elevatoria ac vectes, de quibus præter *Paræum, Hildanum Scultet. vid. Petrus Paw. Comment. in Hippocrat.* de capitis vulneribus & *M. N. C. Dec. 2. A. 1. Obſ. 91.*

Hæc de cranii læſionibus ſufficiant. In cerebri membranarumque ejus vulnere, ſyrupus vel mel roſatum vulneri inſtilletur, vel balſamus peruvianus ſolus, aut cum myrrha, aloe, camphora &c. mixtus, vel tinctura ſuccini, quam adeo Helmont. laudat. *Vulnera cerebri & membranarum.*

Acriora, ut ſunt aceta ex *Celſi* præſcripto, ut & pingvia *Scultetus* amat, evitentur omnino.

 Cæte-

hibentia, removentia. Hinc ſi ſerum in corpore deficit, humores diluendi, externeque reſolventia adhibenda. Si fœdum ulcus, mundificantia conveniunt balſ. vulner. Paræi, Hildani, Hartmanni, Peruv.

Cæterum dum deligatio horum vulnerum fit, ſemper aëris frigidioris aditus arcendus eſt. Hinc à quibusdam carbones in vaſe aperto accenſi adhibentur, ut ad ignem calefacta ferrea ſpatula ſupra vulnus paululum detineatur, aut ſaltim linteamenta calida ſuperinſternantur; calor enim, ſi credamus, quæ *Septalius Lib. II. de Vulneribus* adducit, ſolus magis emolumento eſt, quàm reliqua remedia cuncta.

Officium Medici in cura vulnerum. Hactenus quæ ad Chirurgum ſpectant ſolùm explicata ſunt, nunc Medici quoque officium deſcribam, cujus ſumma in eo conſiſtit, ut urgentibus ſymptomatibus ante omnia occurrat, ſimulque tamen naturæ ſemper proſpiciat, ne impedita ab aliis cauſis læſioni partium debite haud vacare poſſit.

Methodum his intentionibus omnibus inſervientem darem vobis libentisſime, niſi propter circumſtantiaram varietatem inſignem, illud foret imposſibile, quare applicationem medicamentorum unice veſtro judicio relinquo, apparatum verò deſumere poteſtis ex theſibus practicis, ubi dudum, alia licet occaſione, omne quod neceſſarium hic eſt, tradidi, ne tamen deſeruiſſe in adeo neceſſaria occaſione vos videar, non diſplicet ex antecedentibus repetere materiam medicam.

ſiſtendo hæmorrhagiam. In hæmorrhagia itaque ſeligantur adſtringentia, terrea, terra ſigill. corall. rad. ſymphyt. maj. biſtort. ac tormentill. pyrolæ, ſanicul. alchymill. pimpinell. millefol. tinct. hæmatit. & ſulph. vitrioli, ſpir. vitrioli cum opii eſſentia &c. Pro ſcopo reſolvendi ſangvinis ſtagnationem præter V. S. interne *r*) conducunt ocul. cancr. antimon. diaph. ſimpl. & martiale, antihect. Poterii ac plantæ antiſcorbut. Beccabung. cent. min. card. bened. ſcord. ſcabioſ. veronic. majorana, roſmarin. ariſtoloch. rotund. alchymill. conſ. media, vinca per vinc. rad. & quandoq; etiam ſalia volatilia.

Febrem vulnerariam præcavendo & depellendo. Adverſus febrem *s*) vulnerariam tam præcautionis quam curationis gratia ut experta commendo oc. cancr. vel cancros vivos contuſos cum aceto, antihect. Poterii, ſuccinum, flor. ſulphur. cum nitratis, it. plantaginem, ſemperviv. portulac. tusſilag. Non disſvadeo etiam ſalia volatilia ac alia acriora diaphoretica, ſi febrem ex ſangvinis ac humorum ſtagnatione (quæ cauſa frequentisſima eſt) dependere noveris.

motus convulſivos ſedando. Ubi ſpaſmi & convulſiones adſunt, balſamus peruvianus, ruta, verbena, imperatoria, valeriana, unicorn. verum, raſur. ungulæ alcis, liqv. C. C. ſuccin. eſſ. caſtorei, nunc ſine, nunc cum opiatis data, ſufficiens præbent auxilium.

conſolidando vulnus. Si intentio ſit vulnus claudere, ac ad conſolidationem ducere, imploranda ſunt thus, maſtiche, ſtrobili pini, gelatina C. C. ac alia glutinoſa ac inſipida, reſinâ turgeſcentia.

Diæta. Similiter in diæta pro ægri conditione & ſymptomatum varietate regulæ diverſæ præſcribuntur. Nunc enim ſvaderi debent glutinoſa adſtringentia, acrimoniam & fervorem ſangvinis temperantia, ſemper tamen notetur, omnia acida & hinc etiã vina nunquam non eſſe fugienda, aut ſtatim poſt ipſorum aſſumtionem rurſum abſorbentia & præcipitantia debere adhiberi.

Nocent quoque inſigniter in omnibus vulneribus dyſpepta, & nimium pinguia, ſalita vel aromatiſata. Conveniunt econtra, quæ facilè digeruntur, nec violentam maſticationem (in ſpecie, ſi caput læſum ſit) poſtulant.

Tandem quoad animi pathemata, nocent ira, terror, mœror & præ reliquis venus laſciva.

COL-

r) Internè acrimoniam corrigentia dantur, nempe potiones travmaticæ ex ſtrobil. pin. fol. ſalic. rad. alth. malv. &c. Sic enim à glutinoſis his acrimonia involvitur.

s) Febris vulneribus accedens non rarò à doloribus evenit, hinc opus eſt, illi demulceantur. In ſtagnatione ſangvinis reſolventia interna & externa conveniunt. In ſpaſmo balſ. peruv. eſſ. caſt. zinnabar. opiata, ſuccinat a.

F I N I S.

COLLEGIUM CASUALE
D. Chriſtiani Johannis Langii.

I. N. J.

COLLEGIUM CASUALE.

PROOEMIUM.

IN Reſolutione Caſus ſunt notanda 6. requiſita.

1.) Ut nominetur morbus, aut ſaltem accuratè deſcribatur.

2.) Signa diagnoſtica indicentur, imprimis pathognomica, ſedesque morbi declaretur.

3.) Morbi cauſæ tam externæ quàm internæ, remotæ quàm proximæ, cum ſignis cauſas indicantibus exhibeantur.

4.) Prognoſis morbi formetur, an ſalutaris an felix morbi eventus.

5.) Therapia adjiciatur, ubi indicantia nominentur, hisque ſubnectantur medicamenta evporiſta, ſub commoda formula, & ſignificato ordine, quo tempore illa adhibenda, & quid circa regimen ægri obſervandum ſit.

6.) Diæta præſcribatur ægro, qualis tum quoad curam, tum quoad præcavendam recidivam aut alia ſymptomata ipſi ſit obſervanda.

Casus I.

OMPHALOCELE IN PUELLA.

Hiſtoria morbi. TEnuioris fortunæ puella, annos 13. nata, ſervam agens, dum debitè exornare ſua munera domeſtica annititur, quodam die de terra immediatè à prandio ſublevat grave onus humerisque imponit, ſed per ſcalas aſcenſura cum ipſo, viribus carens neceſſariis delabitur ſupina, capitisque ac dorſi aliqualem contuſionem & ſuggillationem patitur, ab aliis tamen ſymptomatibus libera manet penitus per tres inſequentes ſeptimanas, niſi quod ad regionem umbilici quadam doloroſa punctura ſubinde afficiatur. Manum itaque aliquando dum pro leniendo dolore lecto inſtrata affecto admovet loco, ad latus dextrum umbilici obſervat tumorem indolentem ſub ovi columbini magnitudine, illumque attactu mollem, & à levi impreſſione

ad interiora recedentem, oculos autem dum admovet, citra coloris cutis mutationem prominentiam hanc deprehendit; negligit autem hæc omnia, neſcia, quid ſibi illa velint, & neglexiſſet diutius ſine dubio, niſi ſenſim tumor creviſſet cum ſpirandi difficultate, alvi adſtrictione & dolore inteſtinorum lancinante admodum moleſtis, quæ fateri ſuas has ærumnas, aliorumque opem implorare ad exitum à lapſu ſeptimanæ quartæ demum adegerunt miſeram. Vocatus itaque Medicus, eam reperit æſtuantem, & à tertia nocte vigilem, à quinta verò die contumacisſima alvi ſtipticitate vexatam; Adeſt nauſea & omnium alimentorum ſolidorum averſatio, à potulentis verò avide expetitis & aſſumtis ſemper ructus & vomendi conatus excitantur, cumque & tumoris ad umbilicum nati in morbi recenſitione mentionem faciat ægra, locum detegere jubet, & videt tumorem ad capitis infantilis molem excreviſſe, totumque eſſe coloris lividi & ſubfuſci, duritiemque posſidere notabilem, nec, licet ægra dorſo jaceret impoſita, per contrectationem manuum ad interiora poſſe repelli ipſum.

EXPLICATIO.

Omphalocele eſt affectus præſens, German. ein Nabel-Bruch

Signa Diagnoſtica. Signa Diagnoſtica ſunt: prominentia aliqua ad umbilici latus dextrum, quæ citra ſymptomata conſiderata per ſe mollis, indolens, ſine rubore aut alio peregrino colore apparet. In infantibus in medio umbilico, non ad latera, uti in adultis, contingere ſolet. Quod verò in ægra præſenti facies tumoris contra naturam tumoris hernioſi appareat livida dolensque, diſtingvendum hic inter morbi initium & ſtatum. Antea cum tumor hernioſus ſimplex eſſet, conveniebat cum diagnoſi ſupra data; Verùm dum tumor hic hernioſus ob flatus & excrementa incarcerata male ſe habere inciperet, tandem tumori huic ſimplici ſupervenêre alia dira ſymptomata, ipſi enim herniæ conjunctus eſt tumor inflammatorius.

Cauſa proxima, Cauſa proxima eſt peritonæi laxatio, dum primo omentùm protruſum, brevi poſt etiam portio inteſtinorum tenuium omentum recedens ſecuta, unde tumor ſimplex hernioſus: Et dum canalis inteſtinorum per elabentem portionem è ſitu naturali turbaretur, idcirco flatus & fæces chyloſæ per hunc non commodè tranſire poſſent, ſed remoram paterentur in parte tumente, factum, ut coacervatæ fuerint ſordes ejusmodi, tumorque in immenſum creverit; à diſtenſione poſtmodum ſecutus dolor, à dolore inflammatio, unde dolens tumor & lividus redditus fuit.

Cauſæ antecedentes. Cauſæ antecedentes fuere 1.) oneris elevatio, quæ immediatè poſt prandium facta. 2.) Caſus ab alto. Ab elevatione oneris enim & ſcanſione ſcalæ diaphragma cum vehementia aliqua verſus inferiora protruditur, & abdomen anguſtatur, quodſi ergo inteſtina uti in caſu præſenti, alimentis infarcta tumet abdomen poſthac ad rupturam, dum igitur tenſioni huic accedit caſus ab alto, peritonæum vel rumpi vel laxari cogitur.

Prognoſis. Prognoſis: In vitæ periculo utique verſatur ægra, imminet enim aut jam adeſt, ut inteſtina prolapſa à muſculis abdominis ſpasmodice ſimul affectis ſtrangulentur, ſicque reprimi nequeant, unde vel à fæcibus incuneatis & dolore ſummo inflammatio ſubſecuta, quæ facilè ex æſtu & ſiti doloreque ardente in loco affecto advertitur, horrendi illius ſymptomatis, Ilei ſcil. occaſionem præbet, cujus initium in noſtra ægra jam adeſt, vexatur enim pertinacisſima alvi obſtructione, motus periſtalticus contrarius jam adeſt, quod ex nauſea & vomendi conatu apparet, & quò diutius relinquitur morbus intactus, inflammatio & periculum augetur, cum in principio ſtatim primo tumor levi conatu reprimi potuiſſet.

Cura. Cura duas indicat indicationes.

1. Ut reponatur pars prolapſa,
2. Ut retineatur.

Antequam ſuſcipiatur repoſitio, notetur,

tetur, non ſemper poſſe partem reponi pro lubitu, ſcil. quando tumor infarctus fæcibus & flatibus, inteſtinum autem prorumpens ſtrangulatur, ita, ut impoſsibile ſit, durum dolentemque ejusmodi tumorem reprimere. Antecedant igitur Emollientia vel Cataplaſmata, vel Fotus, vel Clyſmata, e. g. *Barbette Pr. Chir.* Catapl emolliens, quando fæces alvinæ in tumore incuneatæ.

Rec. rad. Alth. ℥ij. Lil. alb. ℥j. Hb. Malv. Violar. Pariet. aa. Mß. Fl. Chamom. Melil. aa. p. ij. furfur. Mß. Coqu. in ſ. q. aqu. comm. colat. adde farin. hord. Fabar. aa ℥iij. Lini Fœnugr. aa. ʒij. ol. roſar. lil. alb. axung. Anatis vel Gallinæ aa. ℥j. M. F. Catapl. d. ſ. **Alle halbe Stunden warm umzuſchlagen.**

Muyſ. Chir. Rat. Dec. 409. commendat Lini fila recenter nendo contorta, lacteque incocta & ſic tumori applicari calidè per horæ quadrantem jubet.

Si flatus incuneati, poſſunt cataplaſmata carminativa applicari, v. g. Rec. Rad. Bryon. ℥jv. Fol. Lauri Salv. aa. Mij. quibus adde oleum Chamom. Aneth. Rut. &c. carminativa.

Fotus & balnea commendantur à *Blegny Zod. Gall. Ann. 1. in Tr. de arte Herniar. p. 217.* ex nunc citatis ingredientibus. *Helmont. tr. de Flatibus §. 75. p. m. 344.* jubet hauſta ex Sem. Aniſ. Carvi, Fœnic, Coriandr. &c. cum vino decocta larga quotidiana quantitate aſſumere. *Velſch. Mictomimetra. p. 15.* Syrupum de Cichorio cum Rhab. pro ſcopo liberam ſervandi alvum commendat. In hujus locum ſubſtitui quoque poteſt clysmatis loco decoctum emolliens officinale. *

Quod ægra non appetat alimenta, bonum eſt, ne fæces plures coacerventur & obſtructio augeatur. De Clysmat. Emoll. vid. *Fabr. Hild. Cent. 6. obſ. 73.*

Cum verò ante repoſitionem inflammatio quoque arcenda, conveniet *Blegny* Epithema *l. c. p. 270.* Mixtura ſcil. ex p. vj. aquæ lactuc. & p. i. aceti roſar. vel loco ejus Ceratum Galeni ex oleo Omphac. cum ſacchar. Saturni factum, nec inconveniens erit venæ ſectio.

Si dolor urgeat, isque ex ſpaſmo oriatur peritonæi, ad imitationem *Muraldi Chir. pag. 166.* tinctur. opii aut aliud anodynum externe æque ac interne exhibendum.

Tendinum ſpaſmus admodum inteſtinorum regreſſum prohibens arceatur anodynis, niſi hæc ſufficiant, tendines ipſos diſſecare jubet *Blegny. p. 921. l. c. Muraldus Coll. Anat. p. 87.*

Remotis ſic obſtaculis emollitoque tumore, facilè reponi poteſt, ſi ægra ſupra dorſum ponatur capite declivi, lumbis paulo elevatis, inteſtinum vel ſponte vel levi contactu recedit, leviter inſpiret ægra, ne diaphragma deorſum moveatur, inteſtinaque verſus inferiora premat.

Inteſtino repoſito decubitus ægræ per aliquot ſeptimanarum ſpatium commendetur, ut inteſtina non protrudantur. Alvus ſemper retineatur aperta & mollis ſyrupo de Cichor. cum Rhab. de ſpina cervi, ſennæ infuſo, Tamarind. pulpa. Externè muniatur locus per remedia adſtringentia & glutinantia. *Jul. Cæſ. Baricellus Hort. Genial. p. 160.* commendat Empl. ex thure & cochleis tritis. *Weickardus l. 1. c. 18.* Empl. Oxycroc. *Foreſt. L. XXVII. obſ. 28.* commendat rotulas ex corio rubro formatas, iisque Empl. Oxycroc. inducit. Commendatur quoque fruſtum pellis anguillæ recentis. Empl. ex Tavrocolla thure, gumm. arab. pice græca *Blegny* in ſua *arte Hern. p. 232.* Empl. tale compoſitum tradit.

Rec. Maſtich. ſuccini aa. p. ii. Gypſi & Vitriol. ad alb. calc. aa. p. j. eaque cum aceto commixta, viſci, Ichthyocollæ æqualibus partibus maritentur.

Plura talia Emplaſtra v. *Mangetti Not. in Barbett. à p. 49-53. Lanzonii Scholia ad Mœnichen obſ. 24. p. 74.* Corpori circumdetur Perizoma ſive cingulum con-

conveniens, quod per annum & ultra geratur.

Internè vulneraria, e. g. decoctum *Barbette p. m. 45.*

Rec. Oſmund. regal. Herniar. a. M. j. Rad. Conſ. maj. Biſtort. aa. ʒiß Fl. Hyper. Mj. Sem. Anis. ʒij. Coqv. in vino rubr. Rec. Colat. ℔iß adde ſyrup. de ſymphyt. Fernel ℥ij. de hoc decocto quotidie ter ʒv. pro una vice bibat.

In locum decocti ſubſtituit pilulas:

Rec. Mum. ʒj. Galban. in aceto ſolut. ʒij. Myrrh. limat. mart. ſterc. lepor. ſicc. aa. ʒß. pulv. Lumbr. terreſtr. ℈ij. M. F. Pilulæ Magnit. piſi maj. de quibus æger mane & veſperi 5. vel 6. aſſumere poteſt.

Huc pertinet famoſum remedium Chabrieres Regis Galliæ juſſu publicatum, An. 1686. ſub tit. *Remede du Prieur de Chabrieres* pour le deſcentes, quod nihil aliud eſt, quàm Spir. Sal. rectificatus cum vino rubro per tres ſeptimanas datus. Quandoquidem verò ſua aciditate exceſſiva non ab omnibus tolerari poteſt. ℈j. ℈ij. ad ʒj. qualem doſin Autor præſcribit; in locum ejus non malè ſubſtituitur ſpir. ſalis dulcis, de cujus efficacia videri poſſunt les Instructions des deſcentes per *Monſ. de Laukay* biennio abhinc Pariſiis publicatæ.

Diæta. Quoad diætam ægra evitet aërem frigidum, quo fibræ muſculorum & tendinum corrugentur, & inteſtina fortè usquam prolapſa denuo ſtrangulentur, unde morbus de novo recrudeſcit priſtinus. Evitet adſtringentia, flatulenta, quæ ſpiritus debilitant, ubi cibi non digeruntur, unde materia flatulenta generatur. Evitetur motus corporis nimius, ſaltatio, vociferatio, geſtatio onerum.

Casus II.

SUPPRESSIO MENSIUM PRIMA.

Hiſtoria Morbi. IPſa hæc puella præterpropter per ſpatium ſemeſtre à morbo priori liberata rurſum ſe male habere incipit, conqueriturque de totius corporis langvore, dolore dorſi, lumborum & capitis, ſimulque per intervalla brevia ſpatio 4. aut 5. dierum calorem præternaturalem, & phlogoſes per univerſum corpus experitur, cum vomitu modo pituitoſo, modo blioſo, reſpirationeque difficili. Præterea ad umbilicum illo præciſè in loco, ubi tumor antea apparuerat, ſentit pruritum inſignem, quem poſt levem frictionem ſtillicidium ſangvinis excipit, ſponte quidem intra horam ceſſans, ſed iterum altero & inſequenti die in certis temporibus rediens, cujus cauſam ponit in ſubligaculum pro arcendo inteſtinorum novo exitu tunc adhuc ventri circumjectum. Nulla adverſus hæc mala adhibentur remedia, ſed cerebroſa ejus hera urget adigitque miſellam, ut cum aliis ancillis immundas ſubuculas, lodices ac alia ſordida linteamina ſmegmate obliniat & lavet: Inter quos labores aliquoties lipothymias paſſa eſt, quas tamen increpationes Dominæ mox recedere fecerunt. Ab hoc tempore ſenſim reconvaluit, remanente tamen lasſitudine pedum, appetitu proſtrato, reſpiratione anheloſa, ſi per ſcalas adſcendat, donec tribus elapſis hebdomadis rurſus implicatur cunctis prioribus ſymptomatibus, quibus inſuper nunc accedit coxarum dolor exquiſitisſimus, ſingultus frequens, artuum motus, tremulus & convulſivus cum aliquali delirio, & licet inter has ſummas moleſtias 5. diebus elapſis remisſio horum ſymptomatum ſecuta rurſus ſit, ægraque relicto lecto quædam alimenta aſſumſerit, tamen faciei color antea elegans & florens cum pallore fœdo cernitur nunc mutatus, corpusque ſenſim intumeſcit & inflatur.

Explicatio.

EST hic affectus *Suppreſſio menſium prima*, circa tempus pubertatis con-

contingere nonnunquam ſolita, hujus ſymptoma demum eſt chloroſis.

Subjectum principale eſt uterus.

gna diagnoſtica. Signa diagnoſtica ſunt ſymptomata citata, dum enim natura intendit ſarcinam ſuperfluam, quæ aliis uſibus deſtinata, excernere, turgent vaſa ſangvifera, imprimis uterina ab orgaſmo; tùm uterus ſe quaſi contrahit pro expurganda ſanguinis mole ibi hærente, à quali contractione patiuntur quoque per conſenſum partes vicinæ, caput, ventriculus, unde dolor capitis & vomitus.

tio eorunm.

tio ſtillicii. Stillicidium in regione umbilicali contingit, quoniam oſtia excretoria tunc impervia, igitur natura tùm humoribus alium exitum molitur, prout ſatis frequenter docent obſervationes Medicæ à *Moronio in Direct. Med.* & *Schenckio in Obſerv.* conſignatæ. Adhæc partes illæ in umbilico nondum debitè conglutinatæ, & quoniam venæ hypogaſtricæ ab utero illuc tendunt, inde ſanguis exitum molitur in hac umbilicali regione.

tio Hæmorrhagiæ alttern. Alternæ hæmorrhagiæ exin provenere, quod fluxus menſtruus non in omnibus uno impetu excernatur, ſed aliquot vicibus.

othymiæ de? Lipothymiæ ab externa refrigeratione, dum linteis lavandis incumberet, ortæ, ratione cujus ſanguis ad interiora magis ſenſatiora loca, cerebrum & cor repulſus.

loris Coxarum ra- Coxarum dolor exquiſitiſſimus à diſtenſione nimia vaſorum ſanguiferorum, quoniam illis in locis ſanguis exitum urgebat.

uſa generalis ticularis. Cauſa vel in qualitate vel quantitate vitiata ſanguinis conſiſtit.

In hoc caſu etiam partes transmittentes non rectè ſe habent, venæ hypogaſtricæ profundius jacent, & premuntur à ſubligaculo, hinc circulationi injicitur remora. Sanguinis craſſities ex evacuationibus crebris animique pathematibus, triſtitia fortè & mœrore, ob increpationes à cerebroſa hera paſſas.

Prognoſis. Prognoſis non adeo triſtis formanda, licet periculoſa hic adſint ſymptomata, raro tamen hic morbus lethalis; metuendum tamen, ne fiat morbus chronicus, chloroſis.

Cura. In cura indicans primarium eſt, ut exitus promoveatur ſanguini per loca ordinaria, rectè igitur internè propinantur reſolventia, decocta lign. & aliorum reſolventium; Salina e. g. arc. dupl. it. ol. ſabinæ haud inconvenientia ſunt hoc in caſu, melius tamen auxilium à decoctis ſperandum. Imprimis obſervetur tempore ſanguinis turgeſcentis, ut vena ſaphæna in pede tundatur, hac enim mediante ſanguis in partibus genitalibus cumulatus retrahitur, & derivatur ad inferiora. Quidam commendant, ut ſecetur vena ſuper malleolum excurrens, vulgo die Roſen-Ader / quia ſanguinem quaſi roſeum fundit, pro eodem ſcopo, ut ſcil. ſanguis circa uterum incuneatus, inſtante ſaltem orgaſmo (quod bene notandum, alias V.S. vix proficua) revellatur ad inferiora: Et ni ex una vena ſufficiens ſanguinis quantitas excernatur, tundatur & vena in altero pede. Vomitus hic ſymptomaticus poterit eſſe remedii loco, nam quid frequentius, quàm quod vomitus menſes moverit; Sicuti in nephritide à vomitu calculus promovetur ſæpe ex voto, ita ſæpe à ſolo vomitus diurni motu inſequenti nocte vidi ſtillicidium menſium exoptatum. Pro dolore exquiſitisſimo & motu artuum tremulo tanquam ſpirituum motu irregulari, anodyna conveniunt, in ſp. tinctur. fl. pap. rhœad. quæ ob vim anodynam & blandam aciditatem turgeſcentiam ſanguinis ex voto compeſcit.

Diæta. Loco diætæ notetur, cum ſubligaculum impediat affluxum ſanguinis, tunc temporis paulo laxetur, & ſi illud fiat, evitetur motus corporis totius concusſivus v. g. tusſis, ſternutatio &c. ne diaphragma deorſum protrudatur, herniamque recidivam efficiat. Præterea fugiat ægra acida, pinguia ani-

Casus IV.

OPHTHALMIA.

Hiſtoria morbi.

PUer octennis verno tempore cœlo quodammodo pluvio cum commilitionibus totam meridiem curſu ac ludo aperto capite ducens, in cœna aſſumit copiam acetarii & carnis fumo induratæ fruſtum, dormitque poſthac in utramque aurem per totam noctem, donec ſol altero die rediit, ubi expergefactus firmiter ſibi palpebras conglutinatas obſervat, ſeſeque cœcum factum ratus, magna vociferatione & ejulatu à matre & domeſticis auxilium poſtulat, qui etiam manuum ope ſuccurrere miſero, ſed fruſtra ſtatim allaborant, tamen linteo aqv. roſar. imbuto valvas has occluſas ex voto relaxant; ſed vident eo ipſo bulbum oculi utrumque ſangvine ſuffuſum, & lacrymarum rivum perpetuo curſu invito ægro emanare: Cùm igitur ſtatim ab hoc momento nec per diem, nec noctu candelæ ſplendorem filium ſuum ferre poſſe advertit mater, latebras quærere & umbraculo ſe munire per triduum docet ipſum. Intra quod tamen ſemper vigilanti oculorum venulæ admodum tumidæ, dormenti palpebræ coalitæ tandemque excoriatæ penitus cum dolore notabili obſervantur. Interea clinica mulier & ancilla, quæ puero à ſervitio hucusque fuerant, ſimilia patiuntur ſymptomata, conquerentes ex inſpectione oculorum frequenti lippi hujus unicè morbum hunc ipſis eſſe natum, de quo an fieri poſſit, hera dubitans, certa à Medico ad curam vocato reddi cupit.

Explicatio.

OPhthalmia eſt præſens affectus, eaque humida, ob continuum lacrymarum fluxum, non confundi tamen debet cum continuo lacrymarum fluxu ſive lippitudine, quippe quæ ſaltem ſymptoma eſt. Exprimitur aliàs Ophthalmia per inflammationem, ardorem, ruborem & dolorem oculorum.

Signum diagnoſticum. Signum diagnoſticum hic eſt rubedo oculi bulbi.

Subjectum tunica adnata.

Cauſa proxima. Cauſa proxima eſt ſtagnatio ſangvinis. Hanc producunt.

Cauſæ antecedentes. Cauſæ vel externæ vel internæ.

Externæ. Externæ ſunt 1) commotio corporis, unde ſangvis commotus & ad turgeſcentiam p. n. diſpoſitus. 2) Inclementia aëris, cœlo pluvio temporeque verno ſolennis, & dum capite aperto obambularet puer, ſangvis per motum corporis rarefactus facilè coagulari potuit, vaſaque, in quibus movetur, conſtringi, ſicque prima occaſio ſtagnationi data fuit. 3) Cœna, ubi fruſtum carnis fumo induratæ aſſumebat puer, quod chylum admodum crudum exhibet, præterea acetario fruebatur, quo ſangvis interdiu à motu rarefactus coagulatus, indeque ſequenti die ſecuta Ophthalmia. *Internæ.* Ex cauſis internis eſt 1) ætas, ob ætatem enim puerilem partium nondum ſufficiens adeſt robur, ſed magis flexiles ſunt fibræ facileque ab humoribus extenduntur, quia eosdem ob deficiens adæquatum robur reprimere nequeunt. 2) Seroſitas nimia ob alimentorum copiam, quam ætas illa aſſumere ſolet. Hinc ſequebantur ſymptomata, conglutinatio palpebrarum, ob criſpaturam enim fibrillarum in oculo lacrymæ coguntur prodire, quæ noctu ab aëris vi humiditatum deprædatoria inſpiſſantur, ſicque tanquam à glutine palpebræ occluduntur. *Ratio Rubedinis.* Rubedo oculorum ex mora ſagvinis, qui intertexta vaſcula capillaria aliàs vix ſenſibilia intumeſcere facit, ſicque in apricum ponit. *Doloris.* Dolor oculorum partim à ſtagnante ſanguine, ubi partes ſenſatisſimæ oculorum, ob diſtenſionem, dolent. Magis tamen ab acrimonia ſanguinis dolor provenit, quam ex acetariis & carne ſalita ipſum contraxiſſe facilè conjiciendum.

Tumoris palpebrarum. Palpebræ vicinæ ex conſenſu ſpas-

modi-

modicè affectæ intumeſcunt, ob criſpaturam fibrarum, indeque impeditam humorum circulationem. Splendorem oculi ferre nequeunt, pariter ob ſpaſmum, rigent enim tunicæ, hinc ſi tunc lux irradians in illis reflectitur, non niſi dolor ſubſequi poteſt, non ſecus ac in ſpaſmo tympani aurium leviſſimus ſonus dolores, & in ſpaſmo cutis apud Podagricos levis pluma dolores ſævisſimos excitat. Palpebræ enim eroduntur, quoniam à lacrymarum continuo fluxu nimium humectatæ, indeque cum coaleſcunt de nocte, poſteaque divelluntur, facilè fieri poteſt læſio.

[C]ur ſplendor [fe]rri nequeat.

Prognoſis. Prognoſis. Initium ophthalmiæ non adeo timendum, ſed ſi ſtagnatio diutius perdurat, ſequitur ſuppuratio, cicatrix, pannus aut læſio tunicæ corneæ & ipſius viſus. Metus pariter eſt, ne nervus opticus afficiatur.

Cura. In cura requiritur, ut ſangvis ſtagnans ſolvatur. In noſtro ægro, cum ætas & temperamentum indicet humorum abundantiam, inde laxantia v. g. pil. lucis maj. olim dictæ, cochiæ, Ffurtenſes, & aloë cum agarico &c. it. diaphoretica locum habent, eaque tam fixa quàm volatilia, Thermantica, ubi ſtagnatio à frigore externo, ſolus vini potus, it. ſpir. ſal. ammon. aliaque volatilia, adeo, ut vix tertia vice uſurpatus ſolvat ſtagnationem. Externè adſtringentia. v. g. pulvis nihili albi ſubtilisſimus, aliàs Sief. dictus, tutia, lap. calam. fl. zinci, & hujus generis varia ſaturnina. Vulgare & domeſticum eſt albumen ovi cum fruſto aluminis agitatum, ut fiat exin ungventum, quod ad ſtuporem usque prodeſt in ophthalmia *Barbette p. m. 63.* collyrium parat ex fl. zinci ℈ij. aqv. roſ. q. ſ. cujus guttulam unam alteramve inſtillare jubet. Camphora, ſpir. vini camphoratus, aliaque acria immediatè oculis applicanda vix conveniunt, neque ad infuſum croci metall. vitrioli vener. &c. deveniendum. Interne pro ſcopo anodyno conveniunt pilulæ de cynogloſſa, aliaque anodyna; Externe mucilag. pſyllii ſeminis & cydon. lac muliebre inſtillatum, quibus dolor demulcetur. Si dolor nimis urgeat, addatur tantillum croci: tanquam ſpecificum commendatur gelatinoſitas ex pennis volatilium juniorum, quæ non ſecus ac mucilagines aut lac agunt. Maximè quoque eroſionis palpebrarum habeatur ratio; optimum tunc obſervavi remedium eſſe laxantia, humores acres abundantes in illis locis divertentia v. g. ex rhab. &c. Palpebrarum coalitio impeditur, ſi interna tunica ex ovo gallinaceo ſuperimponatur palpebræ, vel folia auri bracteata, quibus tanquam intermediis inter palpebras poſitis ex voto impeditur, ne palpebræ invicem ſe immediate attingant & coaleſcant. Conveniunt quoque pro hoc ſcopo pulveres ſubtilisſimi inſperſi, quibus humiditates abſorbentur & exſiccantur.

Casus V.
ARTHRITIS VAGA SCORBUTICA.

Hiſtoria morbi. Mercator Weſtphalus, vir robuſtus & vegetus, noſtras autumnales nundinas frequentaturus, tempore pluvio & flante borea per 5. dies & noctes iter faciens, totus madidus hoſpitium ingreditur, dolorem ſentiens pedum ſatis lancinantem, qui deſcenſuro de curru, ut ipſis inniteretur, vix permittebat, ſtatim hinc ſe tradit lecto, aſt, licet oculi conniveant, ſoporque ipſum egregie laſſum urgeat, vacuæ tamen omnes noctis partes à ſomno ſunt, ceſſat interim pedum dolor, noſterque primo diluculo ſurgit, facturus mercaturam; verùm 4. horis elapſis percipit totius corporis horrorem, cum tenſione manus dextræ, quam mox inſequitur dolor ſatis

tis

tis exquiſitus ad alterum uſque diem ſine remisſione ipſum vexans, unde lectum iterum petere cogitur; Tertia die accedit calor totius corporis, moderatus tamen & vaporoſus cum ſiti aucta, manusque doloroſa rubet & tumet. Ad Medicum itur, qui accedens pulſum magnum ac celerem, urinam verò flammeam primò, mox admodum turbidam & ſedimento rubro arenoſo refertam vidit. Præſcribit hinc pulveres præcipitantes cum Anodyno, & una doſis ad crepuſculum, altera ſomni tempore ſumatur. Nox nihilominus admodum inquieta ſequitur, & digitus index manus ſiniſtræ poſtmodumque reliqui omnes dolent, tument atque rubent. Ad veſperam autem dolor ceſſat in manu dextra, ſed paulo poſt in pede ſiniſtro novus exſurgit, qui exinde genu ejusdem lateris & os iſchii occupat, unde animo aliquoties deficit æger, & hæc migratio doloris ex una parte ad alteram uſque ad decimum extenditur diem, ſemperque æger ad ſolis occaſum pejus ſe habet, calorem ac laſſitudinem experitur.

EXPLICATIO.

EST *Affectus* præſens *Arthritis vaga ſcorbutica*, quoniam dolor non fixus hæret in articulis, ſed nunc hic nunc alibi in interſtitiis muſculorum tendinibusque ſævitiam ſuam èxſerit.

Subjectum morbi. Subjectum ſunt partes ſenſatæ, membranæ, tendines, ligamenta & perioſtia.

Cauſa proxima. Cauſa immediata ſive proxima, inter quam & effectum nihil interjacet, non roſio eſt, quoniam ea ipſe dolor ſive morbus eſt, quare recte dicitur acrimonia ſalſa ſcorbutica.

Cauſæ mediatæ externæ. Cauſæ mediatæ, eæque externæ ſunt inclementia aëris tempore autumnali ſolennis, unde à frigore conſtipantur pori, impeditur tranſpiratio inſenſilis, ab humiditate laxantur partes, deperditurque tonus, unde humores acres facile ſtagnant in partibus illis, excitantque dolores. Hanc cauſam Antiqui vocarunt delapſum catarrhorum à capite, es iſt ein Fluß in den Arm oder Bein gefallen. Cauſa mediata interna eſt prædiſpoſitio ſcorbutica, quæ ab accedente cauſa externa facilè excitari poterat. *Cauſa mediata interna.*

Ratio doloris mox ceſſaturi. Ratio, quod poſt tumorem & ruborem ſpes ceſſaturi doloris ſuperveniat, eſt, quod ab affluente ſero ſalia vellicantia magis magisque diluantur, fiantque impotentia ad roſionem priorem præſtandam. *Febris ſymptomaticæ origo.* Febris ſymptomatica à frigore externo & interna ſeroſitate abundanti, quemadmodum in catarrhis ſolenne, provenit. *Calor vaporoſus unde.* Calor vaporoſus, poſtquam æger ſtragulis impoſitus, contingit, cum tranſpiratio inſenſilis à frigore externo hactenus ſuppreſſa per calorem circum ambientem excitatur: *Urinæ ſedimentum unde?* urina præcipitans ſe in ſedimentum arenoſum fit à particulis terreſtribus, quæ cum ſulphureis & ſalinis in M. S. unitæ erant; excretâ verò urinâ, & ceſſante humorum motu inteſtino, ſubſident.

Prognoſis. Prognoſis triſtis haud ferenda, utut dolor & vigiliæ adſint, ſæpeque fiat affectus chronicus per ſpatium ſemeſtre, imprimis ubi ægri immorigeri fuerint in aſſumendis medicamentis & ſervanda diæta, prout Medicus imperat.

Cura. Cura duo poſtulat 1.) ut cauſa morbifica, 2.) ſymptomata removeantur.

Urgens ſymptoma dolor eſt, ideoque illius ratio prius habenda per opiata, ſolum enim opium curat arthritidem: Notetur ſaltem, quod doſis opiatorum paululum augenda; Mirè enim in hoc affectu excitant diaphoreſin, ita ut ſudor effluat viſcidus & quandoque luteſcens cum euphoria, in quo medela totalis arthritidis conſiſtit. Huic ægro quoque tinctur. opii ad ℈ß. propinavi mane, meridie, & veſperi, ubi dolor ſequenti nocte mirè quidem intendebatur, ſed ſudor profluebat viſcidus cum levamine brevi poſt inſequenti. Poſtmodum & aliis tincturam opii ad gtt. 30. in ſimili caſu præſcripſi cum effectu exoptato.

In ſpecie iſt ein Schlöſſer hier geweſen/ dem ich dieſe Tinctur gegeben/

& bre-

& brevi poſt inſecutus eſt ſudor viſcidus & flavus dolorque ceſſavit. Pro cauſa morbifica removenda, cum ea duplex ſit, ad duo quoque reſpiciendum, quia enim, prout antiqui loquuntur, catarrhus eſt tenuis, adeſt hic ſeroſitas abundans eliminanda & ſalia reſoluta invisſcanda, quantum posſibile. Pro prima intentione non inconveniens eſt evacuatio, quæ tamen ob dolores artuum præſentes non adeo commodè ſuſcipienda. Notetur nihilominus, ne purgantia ſint draſtica, ſed ſaltem laxantia, dum enim humores antea jam in motu ſunt, inſimulque acres inteſtina arrodentes, facile hinc ſequi poteſt hypercatharſis, imprimis cum adeſt frigus expellens humores ad exteriora. Commendatur pro hoc ſcopo tanquam ſingulare pulv. hermodactyl. & confect. eorum, nunquam tamen iis uſus ſum, utpote præferens fol. ſennæ cum prunis decocta. In ægro præſenti laxativa adhibere non opus habui, cum potu tenui, Breyhahn/ æger fuerit uſus, à quo potulento, mane ad menſ.1. aſſumto, alvus ſemper reddita eſt lubrica. Vomitoria quandoque mirè conducunt, quoniam per ea ſaburra ex primis viis exhauritur, inſimulque concusſiones totius corporis fiunt. Quidam externè applicant veſicatoria, ſed ſi humores antea jam acres ſunt, ſolo hoc evacuante medela non obtinetur. Si acrimonia acida, terrea in larga doſi ſufficiunt; Sin ſalſa fuerint, inviſcantia, v. g. lac cum vitello ovorum vel tantillo ſacchari addito, qualis potus non tantùm obtundit ſalia, ſed & alvum laxat. Conveniunt etiam pro hoc ſcopo gummata minus acria; imprimis ſi iis addantur pilulæ de cynogloſſa, quæ in catarrhis apprimè conveniunt, ſedant enim ebullitiones & dolores.

Casus VI.
GONORRHOEA SIMPLEX.

VIr 36. annorum à 5. annis ſecundo conjux factus, ægre fert ſui culpa non augeri familiam, ſicuti in priori matrimonio, ubi intra triennium ter quoque patrem ſe factum gloriabatur. Rogatus, unde ſe colligat Autorem hujus culpæ, non uxorem eſſe, cum vegetus & robuſtus & laudabilis ad primum conſpectum appareat; faſſus eſt, ſtatim ab initio luſus venerei, & dum congreſſus vix fuerit initium, ſe profundere ſemen, finemque ſic gaudiis his antè imponere, quàm conjux jucunditatibus ſatiata ſit, quæ etiam hinc ſæpius magno cum pudore ſuo præcociam iſtam ſoleat deteſtari & deplorare. Accuratius igitur inquirenti Medico in conſtitutionem hujus ægri, innoteſcit 1.) ipſum frequenter catarrhis tenuibus, coryza, tusſi & ſputatione laborare per 4. annorum ſpatium, a quo priſtinum domicilium ſuum cum ædibus recenter extructis & ad littus fluvii poſitis commutaſſet. 2.) Regulis diætæ ſtrictioribus alligari haud quaquam, nam potu delectatur copioſiori, & noctu etiam bibendi eſt appetens: Vitam agit ſedentariam, & ſæpe lucubrationibus ad auroram usque vacat, de die verò vel prolixis ſermonibus ac declamationibus ſubinde debilitatur, tandemque refert, etiam extra amplexus venereos, & in ſpecie dum ſcybala alvina acida deponere conatur, & penis radicem manu comprimit, aliquot guttulas vel limpidi cujusdam, vel faciem ebutyrati præ ſe ferentis fluidi ex urethra exſtillare.

Explicatio.

PRæſens æger *gonorrhœa ſimplici* laborat, quæ fluxus ſeminis eſt tum intempeſtivus in coitu, tum alibi extra eũ. Diſtingvitur 1.) à gonorrhœa virulenta, quod in ea ſemen non ſub facie naturali, ſed viridicantis coloris, ſangvineisque guttulis interſperſis, & tumente membro virili excernatur. 2.) A pollutione nocturna, ubi ſemen tem-

tempore nocturno & in ſomno cum voluptate profluit.

Subjectum affectus. Subjectum hujus affectûs non ſunt ipſi teſtes, juxta aliquorum opinionem, quia & in gonorrhœa virulenta, ubi imprimis teſtes affecti eſſe deberent, teſtes maximè ſani reperti fuerunt. Rectius igitur pro ſubjecto glandulæ proſtatæ cum poris ſeminalibus habentur.

Cauſa proxima. Cauſa proxima eſt laxatio pororum excretoriorum ſeminis & lymphæ in proſtatis & ſpaſmus in muſculis erectoribus penis, unde ab attactu ſubitanea erectio ſubſequensque excretio ſeminis. *Cauſæ remotæ interna,* Cauſæ remotæ ſunt vel internæ vel externæ; Ex internis primaria eſt abundantia humorum tenuium, acriumque, unde & meritò Rhevmatiſmus dici poſſet: *externa.* Externæ ſunt: Potus copioſior imprimis nocturnus, ubi functiones naturales læduntur, præſertim in primis viis, it. lucubrationes & declamationes diurnæ, ubi debilitatur principium vitale, ſequiturque Cacochymia. Præ cæteris autem huc facit habitatio in loco humido, exhalationes enim humidæ tum ab adſito fluvio, tum à muro recenter exſtructo continuo deportantur cum inſpiratione ad pulmones, ibique cum M. S. commiſcentur.

Prognoſis. Prognoſis: timenda eſt Cacochymia, languor partium genitalium, imprimis muſculorum erectorum penis, unde impotentia virilis.

Cura. Cura requirit, ut ſeroſitates abundantes removeantur, parteſque langvidæ roborentur. Imprimis autem curatio incipienda eſt à diæta neceſſaria, ſcil. ut intermittatur potus nocturnus & copioſus, lucubrationes, declamationesque diurnæ, imprimis verò mutetur habitaculum vel ſuffimigiis exſiccantibus & incraſſantibus corrigatur illa Atmoſphæra humida, e.g. ex thure, Maſtiche, ſuccino &c. Alimentis utatur æger craſſioribus & pinguibus. Medicamenta huc facientia ſunt vel evacuantia nota cum Mercur. dulci, vel incraſſantia humores tenues & ſalſos, e.g. Maſtich. Terebinth. cocta ſive Colophonia, Balſ. Copayv. de Tolu, Amygd. dulc. caſtan. pineæ, oryza, *Blegny Part. 1, Menſ. Majo obſ. 5 Zod. Gall.* Commendat liquorem aliquem deſtillatum, tanquam evporiſton in Gonorrhœa, ſed ingredientia quædam e. g. Sacchar. cantum, alumen rupeum, plane inepta ſunt ad deſtillationem, tantumque gallaceæ deſtillentur. Malim igitur talia ſine deſtillatione adhibere, vel albumina ovorum ad radios ſolis exſiccata pulveriſataque egregium dant pulverem incraſſantem. Adſtringentia intus aſſumpta fruſtra exhibentur, niſi per longum tempus illorum uſus continuetur, nunquam enim ad partes illas deveniunt, proderunt potius incraſſantia. Aut fiant injectiones ab extra in urethram, e. g. aqv. extinct. fabrorum, in qua ℥ß. trochiſc. alb. Rhaſ. ſoluta fuerit; *Blancardus* aqv. roſar. cum prædictis trochiſcis jubet injicere. Alii aquam fontanam, in qua tantillum camphoræ ſolutum injiciunt. *Waldſchmidt* infuſum Thee cum tantillo camphoræ commendat. *In collect. Leydenſ.* pro ſimili ſcopo laudatur vinum rubrum & decoct. Symphyt.

CASUS VII.
LUXATIO VERTEBRARUM.

Hiſtoria morbi. Convenit anicula admodum anxia & lacrymabunda Medicum, poſcens conſilium pro juvene quodam ſponſo, ex præcoci ac immodico venereo luſu cum vidua ſibi deſponſata adeo debilitato, ut, cum antea obeſus ſatis ac vegetus eſſet, nunc ipſi oculi intra cavernas penitus receſſerint, genæ collapſæ, pedes denique ac manus adeo ſint imbecilles, ut de loco ſe movere haud poſſit: imo per omnia ſacra jurat, miſerum proximum eſſe mortis candidatum, ni ex tempore ipſi ſuppetiæ ferantur. Interrogata igitur de morbi hiſtoria, reſpondet altera ab ipſis gaudiis die tam exquiſitos dolo-

res

res tenſivos hypochondiorum & capitis eum ſenſiſſe, ut lectum derelinquere haud potuerit, ad ſextam autem nunc nycthemeram ſtatim ac claudantur oculi, ſummis anxiis & turbulentis vexari inſomniis & pavoribus, donec rurſum brevi poſt expergeſiat: Refert porro, appetitum eſſe proſtratum, cibumque aſſumptum paulo poſt per vomitum rejici, omnemque reſpirationem difficulter, & non niſi cum ſuſpiriis & gemitu ſuccedere, tandemque vertigine & lipothymiis corripi, ſi caput eriga, lectumque ad modicum illud tempus, dum ſternitur, relinquere velit.

EXPLICATIO.

PRæſens affectus *Dislocatio Vertebrarum* eſt, & quidem lumbarium, ubi, dum nervi ex foraminibus vertebrarum prodeuntes premuntur & hinc ſpaſmo afficiuntur, continuatur ille ſpaſmus ad omnes partes, quibus nervi intercoſtales inſeruntur, quia ibi locorum, ubi ſcil. nervi ſpinales ex foraminibus vertebrarum egrediuntur, cum intercoſtalibus connectuntur; unde evenit tenſio illa in hypochondriis & cervice, haud ſecus ac in crapula fieri ſolet, ita hic quoque caput à conſenſu doluit; ſpaſmus continuus arcet ſomnum, unde inſomnia turbulenta, pavoresque: Appetitus proſtratus pariter à conſenſu eſt, nec non vomitus: Reſpiratio difficilis non minus ex ſpaſmodica affectione diaphragmatis oritur; hinc quando æger ſe erigit, ob dolorem ſummum lipothymia corripitur. *Sym-[...]atum.*

[...]uſa. Cauſa patet ex relatione, eſtque luſus venereus, amplexus durior amaſiæ.

[...]noſis Prognoſis utique triſtis ferenda, inter illud enim ſpatium facile æger interire poterat; Auxit periculum ſeminis dilapidatio, unde virium proſtratio major contigit.

[...]ra. In cura attendendus eſt luxationis modus, an ſcil. vertebræ vel ad interiora vel ad exteriora protruſæ. Ubi luxatio ad interiora facta, curatio longè difficilior, e.g. Wenn einem das Rad über den Rücken gegangen/ vel percutitur dorſum baculo adeo, ut vertebræ inde ad interiora protrudantur, quale exemplum funeſtum novi, ubi in pago herus quidam ancillam baculi jactu petiit, & quidem ejus dorſum, unde ſubitanea morte correpta ad terram decidit. *Luxatio verſus interiora.*

Subluxatio ad exteriora ſæpe fit in infantibus, occaſioque tunc datur ad gibboſitatem, qualem tamen luxationem feliciter reſtitutam ipſe Hippocrates memorat. *verſus exteriora.*

In cura exhibui antiſpasmodica, juſſique vulgari modò luxationem reponere, ſicque intra biduum æger reſtitutus fuit. Methodum repoſitionis vertebrarum tradunt *M. N. C. D. 1. A. 4. 5. o. 77.* Sed aliquantulum difficilem; Difficiliorem adhuc tradit *Guil. Fabricius*, *Sennertus* aliique.

Dislocatio ad latera facile ex tumore & loco dolente cognoſcitur, & poteſt tunc pars luxata ſola impreſſione pollicis reponi; Variæ præterea method. ſunt partium reponendarum, vel extenſione vel incurvatione dorſi ſuper alterius genua &c. in vulgus etiam notæ. In infantibus vulgare remedium eſt fermentum piſtorium cum Spir. Vini mixtum & umbilico applicatum, quod egregie attrahit it. Cucurbitula umbilicis appoſita, qualem proficuam vidi in puerulis & adultis; & tunc bonum ſignum eſt, ſi cucurbitula attrahat probe. Internè in ejusmodi caſibus antiſpasmodica, v. g. Liqu. CC. Succin. Spir. Rhinocer. &c. quibus commodiſſimè anodyna adduntur, ut ſcil. dolores & ſpasmi tollantur, exhiberi poſſunt. Externè conveniunt ſimplicia emollientia, ſacculi, fotus, & cataplaſmata loco dolenti applicata. Poſt repoſitionem partes languidæ & externæ roborentur nervinis vino incoctis, axungiis, oleo ſpicæ, lavend. &c. *verſus latera.* *Remedia interna* *externa.*

Casus IIX.

HYDROPHOBIA.

Hiſtoria Morbi.

DOminus N. N. natione Gallus, morbo, ut nuncius ferebat, triſtisſimo correptus, ad mediam noctem Medicum poſcit, qui ſubito advolans, hominem quadragenario majorem lecto impoſitum & acceſſum ſuum vehementer, totoque corpore cum murmure ac ejulatu anxio trementem obſervat, quas artuum vibrationes & contractiones poſthac quoque ex omnium adſtantium approximatione & acceſſu ad lectum, imprimis verò ſi medicamentum quis apportet, pati conſpicit ægrum: Aliqua temporis interpoſita morula permittit tamen Medico admovere manum pulſui, admodum tunc concitato & duro, cumque tendinum prope poſitorum ſubſultatione conjuncto; calor autem deprehenditur nullus, nec aliud ſymptoma, quod febrem adeſſe denotet: Nihilominus ſudor per faciem depluit largiter, oriſque cavum ſaliva indeſinenter repletur, quod utrumque æger non niſi cum notabili averſatione fert, ſemper ſcil. contremiſcens & horrens tam ſudorem, quàm ſalivam ſecretam, hinc eam magno cum niſu ſputando rejicere annititur. Interea adſtantium unus vino medicamentis imprægnato immergit linteum, viſurus, num hac methodo medicamenti tantillum propinari miſero poſſit, quod manu etiam cupide arripit, firmiterque tenet, ſed ori admovere non poteſt, utut alta voce ſemetipſum ad deguſtandum illud invitet, admoneatque aliquoties his verbis; Courage, courage. Aſt tandem ventri impoſitus illud ipſum aliquot vicibus celerrima quamvis manu labiis admovet, ſicque exiguam portionem medicamenti in hoc ſitu admittit. Hæc dum fiunt, ſciſcitatur Medicus, quamdiu diris his ſymptomatibus implicitus hæreat, æger reſpondit: quartam nunc eſſe diem, cum ad auroram ex conjugis dilectisſimæ repentino morbo vehementer territus, indeque ſtatim altera die de pedis dextri dolore & ſtupore, poſtmodumque de mingendi difficultate conqueri cœpiſſet, & cum calculum ſubeſſe putaſſet, famoſum Volckammeri remedium ſe aſſumſiſſe, circa veſperam autem diei, hanc noctem præcedentis, noluiſſe amplius aſſumere medicamenta, ſed ad illorum deguſtationem primò, nunc etiam ad intuitum, artuum hanc irregularem agitationem paſſum eſſe.

Explicatio.

PRæſens affectus eſt *Hydrophobia.* Refertur hic morbus inter contagioſos, quia cum ſaliva canum rabidorum communicatur hoc malum.

Subjectum. Subjectum eſt ſyſtema nervorum & ſpiritus, unde vomitus & artuum tremor, â nervis ſcil. irritatis. Spiritus autem primario affici in hoc morbo, patet ex eo, quod ægri mores caninos imitentur, tum latrando, tum in aſſumendis alimentis, inſtar canum quoque obvios morſu adoriuntur, corpore incurvato lecto incumbunt, & juxta *Borelli* obſervationem amicos quoque propinquos olfactu ſentiunt. In urina dicitur vulgo reperiri progeniem vermium, quæ figura externa canes mentiuntur. In præſenti ægro obſervavi fluidorum metum, murmur ob acceſſum amicorum, quod latratum ferè æquabat; Calor nullus adeo irregularis obſervabatur, licet ſpirituum motus intenſus adeſſet, quia & in aliis convulſivis morbis, e. g. Colica, paſſione hyſterica, ubi ſpiritus motus intenſior adeſt manifeſtus, nihilominus calor non adeo exæſtuans deprehenditur. Adfuiſſe autem in præſenti ægro motus convulſivos, patet ex ſubſultationibus tendinum, artuumque tremore; Quod verò æger præſens ſeipſum ad fluida aſſumenda adhortatus fuerit, id jam antiqui Medici obſervarunt.

Cau-

Cauſa proxima. Cauſa proxima vel in nervis ipſis, vel in ſpiritibus deliteſcit. Dum enim paulò accuratiùs inquirerem apud adſtantes, an æger cum cane rem habuerit; tunc percepi, ante 9. ſeptimanas canis rabidi morſum in pede perpeſſum fuiſſe, & tunc etiam communicatam cauſam hydrophobiæ, non ſecus, ac per morſum animalium venenatorum talis malignitas communicatur, e. g. per morſum viperarum, tarantulæ &c. Non autem hic affectus ex morſu cujuslibet canis, niſi rabioſus fuerit, ſubſequi ſolet, prout illud ex antiquis Medicis *Aurelianus* jam deſcripſit. Igitur probe attendendum ad canem, an ille rabidus fuerit, ut evitemus tum illius morſum, tum etiam affrictionem ſaltem, quæ ejusdem canis. Sunt autem ſigna canis rabidi hæc: incedunt canes ejusmodi cauda demiſſa, oculi ipſorum ſunt inflammati & rubent, ſaliva continua & ſpuma ante os cernitur, vultus ipſorum torvus & triſtis, invadunt omnes, etiam amicos, ſomnolenti & ſiticuloſi ſunt. Furibundi autem redduntur canes, non tantùm æſtu ſolis canicularibus diebus, ſed etiam frigore hyberno. Notarunt quidam vermes ſub ejusmodi canum lingva eſſe, quæ continuo vellicarent partes in lingva ſenſatas, hinc canes ad talem furorem diſponi, ſiquidem ab opilione percepi, canem quendam hoc morbo peremtum habuiſſe palatum inflammatum, & ſub papilla fuiſſe progeniem vermiſam.

Quæſtio, cur aquam averſentur Hydrophobi? Unde autem illa averſio aquæ in Hydrophobia eveniat, ſilent omnes, nihilominus rem exponit optimè *Liſterus tr. de morb. chron.* dicens; in ſaliva tantam eſſe virulentiam & acrimoniam ſummam; hinc obſervavit, quoties æger tantillum ſalivæ deglutiverit, ſtatim inſecutos fuiſſe vomitus, unde concludit, potum per ſe non averſari ægros, ſed ſaltem ob ſalivam venenoſam ſtomacho adverſam, ne forſan unà cum potu deglutiatur; à veneno autem acri moveri ſalivationem, unde ſpuma ante os & largus ſalivæ effluxus, it. à ſaliva tali acri moveri quoque nervos, unde convulſiones. Quidam tradunt ſponte, & ſine morſu produci hunc morbum, ſed Autores iſti ſaltem ob diuturnitatem morſus prægresſi decepti fuerunt. Diu enim venenum hoc latuit in corpore, donec commoda cauſa excitaretur. Præſens æger ante invaſionem hujus affectus non ferre poterat aërem frigidum, & licet calidisſimum, tamen putabat eſſe frigidiuſculum. Urinam quoque incipiebat ſupprimere, potumque averſari aliquantiſper, antequam mens ſive ſenſus quicquam turbati viderentur.

Prognoſis. Prognoſis utique triſtis eſt formanda, raró enim convaleſcunt ægri rabie affecti, ita & præſens æger brevi poſt, dum accerſitus fuiſſet Medicus, fatis ceſſit.

Cura. Optimum conſilium ſupereſt in præſervatione ſtatim & immediatè poſt morſum, ne rabies ſubſequatur. Igitur tali in caſu vulnus morſu illatum amplietur turundis immisſis, diutiusque ſervetur apertum, oleo quodam applicato, quod conſolidationem impedit; id autem ideo fiat, ne venenum ad interiora cedat, ſed per lympham aut potius effluens evacuetur: pro quo ſcopo etiam commendantur diaphoretica: ſcorzonera &c. Externe ſcarificationes & ſinapiſmi ex eadem ratione locum habent it. frictiones corporis, ut omni niſu virus ad exteriora derivetur. Quidam commendant, ut panis fruſtum applicetur, poſteaque gallinæ aut alii animali projiciatur comedendum, it. triticum contuſum, crines canis rabidi, ubi quidem in crinibus peculiaris virtus non eſt, ſed ipſi dum pungunt & vellicant, faciunt ut ſpiritus unà cum humoribus ad locum copioſiùs affluant, ſicque impediunt, ut virus ad interiora penetrare posſit, feliciusque ſic ad exteriora rurſus eliminetur. *Plinius* pro evporiſto commendat nuces juglandes; agunt autem, quatenus oleoſitate ſua ſalivam acrem obtundunt. Cineres crancri uſti, ut egregium alexipharmacum & diaphoreticum in peſte quoque obſervavi, habent

bent enim vim abſorbendi acrimoniam acidam. Pulvis hippocampi marini. A *Plinio* laudatur tuberculum roſæ ſylveſtris ſive ſpongia cynosbati, it. rad. rhodia, oleum roſatum. Tentandum an pro ſiti fallenda posſint exhiberi fruſtra glaciei ſicca, aut nix, aut alia conglaciata, quippe quæ aliam faciem, quam fluida, referunt. Commendant aliqui, ut æger è vaſe clauſo calamo ſtramineo immiſſo ſugat fluida, ne ſcil. videat illa, abhorreatque, vel è poculo peculiari, vulgò Zitz-Kannen/ ex quibus infantes potum haurire ſolent; ſed fruſtra id tentatum fuit in ægro præſenti: Melius adhuc aſſumit æger fluida, ſi ventri impoſitus canis ad inſtar lambat illa, fortè ex hac ratione, ne ſaliva acris, quam ſemper reformidat ventriculus, illabatur ſtomacho. Deſperatum auxilium eſt dejectio ægri in piſcinam, aut ligatis artubus, ut ſuper infundatur aqua. *Helmontius* ex ſuperſtitione papiſtica ſtolam S. Huberti commendat, ut æger eadem ligetur.

CASUS IX.

BULIMIA.

Hiſtoria morbi.

VIr 32. annorum hyeme per 13. dierum ſpatium iter continuum faciens, à nive primum largiter cadente, deinde ob aëris clementiam pedetentim ſoluta, moleſtiis afficitur magnis, indeque ultimis itineris diebus malè ſe habere incipit, de obtuſo dolore ad ſtomachi orificium ſuperius, anxietate, capitis dolore, & vertigine, levi ſcotomia ac frequenti ſputatione querelas dans, quibus tamen cunctis hauſtu ſpir. vini, quem comitum unus ſecum habuit, ſtatim ex voto ivit obviam; In diverſorio prandet largiter, binisque vicibus ſymptomata modo commemorata ante cœnæ tempus frequentiusque adhuc in ſequentibus diebus binis, expertus eſt. Quarta die acceſſerunt Lipothymiæ aliquoties, illisque fugatis appetitus ſemper urſit ipſum ad alimentorum aſſumtionem copioſam, à quibus verò ſtatim anxietates, cardialgiam & ſpirandi difficultatem ſentit, donec cuncta vomitu rejecta fuerint, ſed nihilominus mox nova eſitatione latranti ſtomacho ſatisfacere fuit coactus pro avertendis Lipothymiis, adverſus quæ tamen rebellis ſtomachus paulo poſt inſurgit eaque exturbat, & ab ipſo tempore nil aliud pene agere obſervatur æger, quàm quod Lipothymiâ laboret, vel edat, vel vomitu vexetur.

EXPLICATIO.

BUllimus eſt præſens affectus à priſcis & recentioribus deſcriptus. Eraſmus in colloquiis deducit à βȣς bos & λιμὸς fames.

Differt à fame caninâ, quod cum appetentia nimia conjuncta ſit Lipothymia, ex qua etiam diagnoſis ſumenda. *Diagnoſis.*

Cauſa proxima eſt affluxus ſpirituum copioſior in parietes ſtomachi. Occaſionalis cauſa eſt frigus. Concipi tamen poteſt frigus tanquam cauſa hoc modò, quatenus frigoriferæ particulæ acres vim habent ſtimulandi, ſic enim frigus translatum ad pulmones tusſim ferinam movet. Satis autem commode particulæ frigoriferæ cum ſaliva tum ad pulmones tum ad ventriculum transferuntur, ut ſæpe obſervavi, quod tusſientibus in aëre frigido ſupervenerit eructatio, quia ſcil. inter tusſiendum particulæ frigidæ ad ventriculum usq; depulſæ ſunt. Cephalalgia ob ſpasmos nervorum contingit, unde & Scotomia (haud infrequens in Podagricis quoque) ortum ſuum habet. Lipothymia provenit à frigore externo, tubuli enim nervei quando conſtringuntur, principium vitale non amplius affluere poteſt, hinc à tali retrocesſione Spirituum pallor quoque faciei & ſudor *Cauſa proxima. Occaſionalis.* *Ratio Symptomatum.*

dor frigidus ſuboriuntur. Quod autem poſt alimenta aſſumta nova ſymptomata ſenſerit æger, ratio hæc eſt, impatiens ventriculus ob tunicam nerveam ad motum contractivum in hoc affectu nimium diſpoſitus eſt, unde ſpirandi difficultas à ſpasmodicè affectis nervis phrenicis.

Prognoſis. Prognoſis triſtis haud ferenda, licet Lipothymiæ periculum minentur, verumtamen modò conſopiatur motus ventriculi contractivus auctus, facilè omnis periculi metus diſcutitur.

Cura. Curatio poſcit remotionem particularum frigoriferarum, per calefacientia vel actu vel potentia talia, & ut conſopiatur motus ventriculi auctus. *Amatus Luſitanus* venam ſecare jubet, imprimis in ſubjecto plethorico, ſed non apparet, unde frigoriferæ particulæ ſic removeri queant, forte ut debilitentur ſpiritus & remittat motus ventriculi contractivus auctus. Laudant alii vomitoria, ſed nec hæc videntur proficua. *Frommondus* ex *Sennerto* citat, ut tuſſis ferina excitetur, & beneficio hujus excutiantur partes frigoriferæ. Optimè hic conveniunt calefacientia actualia, ſive externè, ſive internè. Commendant igitur Practici, ut in conclave calidum æger ſe conferat, ſed non admittere continuas exin provenientes lipothymias notavi. Melius conveniunt alimenta actu calida aut potulenta talia, vel etiam potentia, vinum generoſum, Spir. Vini ab aromatibus abſtractus, Elixiria &c. his enim pungitur ventriculus, & motus contrarius fibris ante hac irritatis inducitur, unde ceſſat ille contractivus motus auctus vel ſpaſmodicus, it. vinum generoſum Hippocraticum, i. e. calefactum cum aromatibus. Externè conveniunt Balſama ex ol. deſtillatis, item lateres calefacti; Alii ſpiritibus ipſis ſuccurrere ſvadent, ubi commendant ambrata & moſchata. Palliativa medicamenta ut exhibeantur, urgent Lipothymiæ, igitur tunc alimenta dyſpepta & duriora aſſumantur, quæ diſtendunt parietes ventriculi, ne cum impetu coarctari queant. Pro tali ſcopo *Vegetius L. 3. c. 28. art. veterinar.* jubet, ut jumentis in aëre frigido obambulantibus intrudatur argilla vel arena in os; Pingvia exin hoc in caſu quoque conveniunt, quod tonum ventriculi aliquantisper laxent, quo minus ſe cum tali impetu contrahere queat, ſimulque obtundit particulas frigoriferas, diſponitque partes illas, quo minus ab illis ſcindentibus & vellicantibus tam cito affici queat.

CASUS X.
GONORRHOEA VIRULENTA.

Hiſtoria morbi. VIr 30. circiter annorum, martis alumnus & centurio vagis & ſpurciſſimis libidinibus deditus incidit in quandam Veneris lacunam aut cloacam, paucisque diebus interpoſitis ſequentibus vexatur ſymptomatibus 1.) Pruriginem & tenſionem inſvetam in membro virili cum tumore aliquali & rubedine ſociatam, & paulo poſt ſtillicidium liquoris cujusdam ad initium cinericei coloris, poſt viridicantis & quodammodo ſangvinei ſentit, potiſſimum verò illud ipſum ægre fert, quod ipſe de loco ſe movere nequeat, quin in virga prætumida ab induſii & caligarum attactu etiam blandiſſimo non minus, quàm ab urina emiſſa exquiſitisſimus dolor ſequatur. Inde igitur commotus conſilium Medici implorat, verendaque loca oſtendit, membrum virile caballi æquantia, & reflexa quodammodo ac incurvata inſtar plectri muſici, egregièque inflammata; in media ejus inferiore parte puſtula quædam adeſt, ſerum acre indeſinenter fundens, & in balano eſcharæ aliquot exiguæ, cum ſummè doloroſa præputii corrugatione viſuntur: Porro

ro ad penis radicem juxta ac inguinalem regionem tumor rubens dolensq; occurit, & ultimò appetitus deprehenditur proſtratus, cum febre lenta, aliisque pluribus, ſed levioribus ſymptomatibus, à quibus tamen cunctis brevi ſpatio liberari non ſolum noſter, verum quoque immunis ab illis eſſe temporibus venturis cupit, poſtulat, urget.

EXPLICATIO.

Est præſens affectus *Gonorrhœa virulenta.*

Ratio Symptomatum Symptomata ab initio occurrentia prurigo ſc. & tenſio, non ingrata erant ægro, ſed eum invitabant ad venerem ulteriorem; Verùm paucis diebus ſubſequentia ſymptomata, incurvatio nempe & intumeſcentia corporum nervoſorum, aliter ægrum affligebant. Provenit autem incurvatio membri ex intumeſcentia corporum nervoſorum, diciturque Gallis Chordee, Latinis Chorda. Inferiores penis partes non æque corrugari poſſunt. Contingit autem corrugatio præputii, vulgò der Spaniſche Kragen / denn cutis ad intumeſcentiam corporum nervoſorum non æque extendi poteſt, unde cute extenſa retrahitur præputium. Glandulæ ingvinales intumeſcunt per conſenſum à ſpaſmodica affectione corporum nervoſorum.

Cauſa. Cauſam quod ſpectat, impuris fœmellis utplurimum intra vaginam uteri ſunt ulcuſcula, ſerum acre fundentia, quali ſero quando afficitur primum glans penis, prurigo glandis ſtatim exoritur, eſt enim glans ex obſervatione *Ruyſchii* merè nervoſa & tendinoſa ſubſtantia, uti corpora nervoſa, unde ob ſummam ſenſationem & pruriginem ſatyriaſis illa continua. Omnium autem primo ab impuro coitu afficiuntur glandulæ in collo glandis ſub præputio ſitæ, quæ intumeſcunt, faciuntque, ut præputium retrahatur. Febris ſymptomatica hic occurrit, ut in pleuritide, eryſipelate & podagra.

Prognoſis. Prognoſis mitior paulo ferenda eſt, quia ſymptomata levia adhuc & recentia ætas juvenilis & robuſta curationem leviorem promittunt; Aliàs ſi M. S. permittatur tota affici, lues venerea ſequitur.

Cura. Cura duabus innititur indicationibus 1.) ut acrimonia temperetur. 2.) Producta ſymptomata removeantur. In accurata autem methodo medendi hoc in caſu primum ad ſymptomata urgentia reſpiciendum, & quidem inflammationis primò ratio habeatur; hìc verò quia ſubjectum eſt ſucculentum, commodè prius unum alterumve evacuans remedium proficuum erit, ubi imprimis mercur. dulc. & panchymag. croll. aa. gr. xv. cum troch. alhand. gr. j. vel ij. in uſum vocanda ante corrigentia remedia, terrea imprimis & quæ ex marcaſita commendantur, ſed non ſufficiunt pro cicuranda acrimonia. Potius obtundentia acrimoniam conveniunt, ſimulque diaphoretica, qualia ſunt balſ. copayv. gtt. v. ad xxx. vel ſub forma emulſ. cum aqu. burſ. paſt. petroſel. &c. Ab his equidem ſub initium augetur ſtillicidium, quod malè ferunt ægrotantes, ſed bonum hoc eſt ſignum, nam liberantur ab hac ſarcina. Locum quoque hic habent terebinthinata, tereb. lota ſub forma pilul. vel ſub forma balſ. ſulph. imprimis juniperin. ſed his omnibus merito præferendus eſt balſ. copayv. etiam ſvavioribus balſamis de Tolu & peruviano nigro. Alii mercur. dulc. cum balſ. copayv. miſcent, exhibentque ægris. Alii mercur. præcipitat. viridem, qui ultimus equidem ſatis copioſè protrudit materiam in locis illis hærentem, ſed ſymptomata deteriora fiunt. Præ cæteris, uti ante dictum, inflammatio penis attendenda, pro quo ſcopo commendant aliqui urinam calidam peni circumjectam, ſed illud ſaltem in principio fiat, ubi dolores non adeo diri; in ſtatu enim exaſperantur inde dolores, ſed potius tunc lac in uſum vocetur, ita ut membrum totum eidem immergatur; Lacti incoqui poſſunt alchymilla, agrimon.

mom. fl. verbaſc. chamom. &c. Non male quoque infuſum Thee pro hac intentione uſurpatur. Convenit quoque ungventum ex bolo arm. & camphora humectatis cum ſpir. vin. non rectificato, quod calidè, neutiquam frigide, loco affecto crebrius applicatur, & quidem ut ſingulis horis aliquoties uſus ejus reiteretur. In corrugatione præputii itidem lacte utor: puſtulas & eſcharas eluere decet decoct. Petroſel. cum tantillo lap. medicamentoſi Croll. imprægnato, & ni hoc ſufficiat, Mercur. ſublim. gr. jv. in ℥iv. aqu. vel vini aſſumantur; Sed id fiat demum poſt inflammationem ſedatam. Intus diaphoretica continuo aſſumantur e. g. Decoct. Lignor. Rad. Sarſaparill. Chin. &c. Quando Symptomata hæc dira cohibita, tunc æger dicendus à periculo liber, & licet ſtillicidium ſuperſit, illud tamen quàm optimè ſedatur externis injectionibus in Urethram ex aqu. roſar. ℥ij. cum Troch alb. Rhaſ. ℈ß, bisq; de die fiat injectio hujus liquoris. Evacuantia probè continuentur, ut humores ſuperflui evacuentur, eorumque affluxus avertatur; Præſervationis gratia ab hoc malo commendanda eſt ablutio ſtudioſa membri, ſtatim poſt coitum impurum, imprimis portionis illius, quæ ſub præputio deliteſcit; fiat autem ablutio vel cum vino, vel urina recens micta. Craanius aquam theriacalem commendat. Alius præſervationis gratia immediatè poſt coitum utebatur mali punici ſucco, quo abluebat fortè partes affectas, adſtringit enim ſuccus hic auſterus, impeditque ne materia acris communicata per poros ad interiora migret, ulteriusque proſerpat.

Casus XI.
PASSIO HYSTERICA.

[Hi]ſtoria [Mor]bi.

DEmſelben berichte mit höchſt betrübtem Gemüthe das groſſe Unglück / welches mich mit meiner Frau betroffen/ denn ich kan wol mit Grund der Wahrheit ſagen / daß / nachdem ſie nunmehro vor 3. Wochen das Kind-Bette verlaſſen/ ſie ſeithero lauter ungeſunde Stunden gehabt: Am meiſten betrübt mich/ daß unſer Herr Apothecker/ welchen ich zu ihr fordern laſſen/ nachdem er ihr die Ader gelaſſen/ und zu unterſchiedenen malen Purganzen und andere Artzneyen gebrauchet / an ihrer Auffkunfft gäntzlich zu zweifeln anfänget/ und ſtehet in Meynung/ als ob ihr dieſes von böſen Leuten ſey zugefüget worden. Ihre Kranckheit beruhet darinnen/ daß/ ehe ich oder iemand von den Meinigen ſichs verſiehet/ ſie ohne allen Verſtand zur Erden fället / iſt eißkalt/ und wie ein Scheidt Holtz ſtarr/ und da hilfft kein rütteln und zuſchreyen/ ja auch kein Anſtreichen/ ſondern vielmehr / ie mehr ich mit Schlagwaſſer ſie anſtreiche/ ie kräncker wird ſie/ endlich kommt ſie wieder zu ſich / und

TRiſtis admodum tibi ſignifico affectum illum, quem in uxore mea hactenus mihi experiri contigit. Verè enim affirmare poſſum, illam tribus inde à relicto puerperii lecto ſeptimanis continuo ægrotaſſe. Maxime autem doleo, pharmacopœum noſtrum, quem accerſendum curavi, poſt venam ſectam, purgatamque aliquoties alvum, aliaque exhibita medicamenta de ipſius reconvaleſcentia prorſus dubitare, in eaque eſſe opinione, ac ſi ex veneficio malum hoc ortum ſit. Morbus ejus in hoc conſiſtit, quod præter omnem meam aut meorum expectationem in totum attonita humi proſternatur, frigida prorſus, ac ligni inſtar rigeſcens: Tum verò nec ulla voce aut agitatione excitetur, imo ne analepticis quidem, ſed potius, quo plus aquæ antapoplecticæ illinatur, eo pejus ægrotet. Paulatim ad ſe deinde rediens quærenti mihi: quidnam ipſi mali acciderit? omnium ignara ſibi verò benè fuiſſe reſpondet, & hæc

wenn ich frage/ wie ihr geweſen/ weiß ſie nichts/ und ſpricht: Es wäre ihr gantz leicht und wohl geweſen/ und ſo treibet ſies nicht allein des Tages/ ſondern auch des Nachts etliche male. Geſtern kam zu dieſen Zufällen öffters Brechen und Stühle/ und dachte nicht/ daß ſie über einen Tag leben würde.

Sie gehet zwar wieder herum/ doch wird ſie täglich mätter/ und murret ihr auch offt ſo ſehr im Leibe / daß man es gantz eigen hören kan. Sie beklaget auch/ ehe ihr der Zufall ankömmet/ wäre es nicht anders/ als wie eine Mauß aus dem Unterleib über ſich kröche/ und alsdenn iſt ſie gantz dahin.

quidem non interdiu ſolùm, ſed noctu etiam aliquoties patitur. Heri ad dicta ſymptomata vomitus quoque & alvi profluvium accedebant, neque ulli adhuc diei illam ſuperfuturam eſſe credebam. Deambulat quidem iterum, viribus tamen indies magis decreſcentibus, tantumque ſæpe murmur intra ventrem illius oboritur, ut ab aliis etiam accuratè poſſit percipi. Conqueritur præterea, quod ante paroxyſmum veluti muſculum ex abdomine aſcendentem præſentiat, quo facto tota animo linqvitur.

EXPLICATIO.

Cautio maximè neceſſaria.

Paſſio equidem *Hyſterica* eſt præſens affectus; Verùm cum controverſia inter Medicos ſit, an detur paſſio hyſterica, (uti à parte negantium ſtant *Ettmüller & Sylvius*, item *Cellarius* in Tract. vermeynte Mutterbeſchwerung) igitur eâ occaſione prudenter agat Medicus, ne, dum affectum nominat, illum expreſſe per titulum paſſionis hyſtericæ exprimat, aliàs, quod facile fieri poteſt, ſi unus alterve ægræ adſtat, qui forte ex recentioribus de nullitate paſſionis hyſtericæ aliquid audivit, ab illo Medicus judicetur ignarus, ægraque talia audiens diffidentiam capiat in Medicum, ideoque tectis potius verbis morbum exprimat Medicus, e. g. ſi utatur tali loquendi modo: Wie derſelbe mit Aufblehung des Unterleibes und der vermeynten Mutterbeſchwehrung behafftet; Non enim paſſio hæc ex utero ſemper, ſed ex nervoſo genere in abdomine & inteſtinis affecto etiam exoritur.

Cauſa.

Cauſa hujus morbi non ſupernaturalis eſt, & à Dæmone naſcitur, juxta pharmacopœi traditionem, ſed ex relictis purgamentis in utero, ex coacervata materia prava.

Cura.

In cura pro ſcopo excitandi ægram in paroxyſmo conſtitutam, conveniunt loco aquæ apoplecticæ fragrantis, aceta apoplectica, e. g. acetum lil. conv. vall. aliaque Bezoardica aceta, non autem quæ ſpirant odorem dulcem, it. præter ſpir. ſal. ammon. qui optimus, Fl. ſal. ammon. cum aliquo liquido ſoluti, ſulphur accenſum, item pennæ accenſæ, caſtorina &c. fœtida acria, naribus admota. Ex tali ratione nec conveniunt vehicula medicamentorum fragrantia, e.g. aqu. Menthæ &c. licet in ſe optima aliàs ſit uterina, & præſcribendæ potius aquæ inſipidæ, e. g. aqua verbenæ &c. Rectè antiſpaſmodicis & reſolventibus junguntur Anodyna. Fotus & clyſmata optimè adhiberi poſſunt pro ſcopo evacuandi & dolores leniendi ex Rad. Angel. Pœon. Rut. Capit. papav. vel Requ. Nicol. Trypher. perſic.

Diæta.

In diæta evitetur frigus, levi enim ſtimulo exacerbatur Paroxyſmus; acida evitentur omnia it. vina aromatiſata; die Weinſuppen / quæ vulgo pro ſcopo confortandi ægris parari ſolent, haud ſuaderi poſſunt, quoniam ad juſcula talia recipitur vinum acidum & auſterum, der ſchlechteſte Wein / dum igitur antehac jam acrimonia tum in inteſtinis tum in utero eſt, augeretur illa hoc modo. Potius locum habent juſcula cum Cumino parata, vulgo Kümmel-Suppen.

Casus XII.
VARIOLÆ INSTANTES.

...oria.

VOr 2. Tagen/ als meines Bruders Tochter friſch und geſund in die Veſper-Predigt gegangen/ hat ſie unter währenden Gottesdienſt etliche mal eine fliegende Hitze empfunden/ ſo/ daß ihre Nachbarin ihr ſolches angeſehen/ und ſie gefraget/ ob ſie einen Anſtoß fühlete; Nach der Kirchen klagte ſie Haupt-Schmertzen/ und Schwindel/ wie auch kurtzen Odem/ und muſte ſich ungegeſſen zu Bette legen: Die Nacht durch hat ſie gantz unruhig geſchlafen/ iſt offt in einander gefahren/ erſchrocken/ und ſich wol hundert mal im Bette herum geworffen/ des Morgens klagte ſie noch immer Kopffwehe/ und als ſie auffſtehen wolte/ ſtieß ihr eine kleine Ohnmacht zu/ erholte ſich aber bald wieder/ und hierauff hat ſie auffs neue groſſe Hitze bekommen/ fieng auch an etwas zu phantaſiren/ beſann ſich aber doch bald wieder/ als man ihr zuredete. Nach dieſen hat ſie zwar geſchlafen/ aber mit continuirlichen zuckenden Gliedern und reden im Schlafe/ und ſo iſt auch dieſe Nacht zugebracht worden/ bis gegen 6. Uhr Morgens/ da die Mägde auffgeſtanden/ bey welchen ſie ſich über groſſe Hertzens-Angſt und Schmertzen des Ruckens/ auch daß ſie das in die Kammer ſcheinende Licht nicht leyden könnte/ und unter ſolchen Weſen hat ſie das böſe Weſen ſchrecklich über eine viertel Stunde überfallen/ da ich denn gleich dieſen Bothen abgefertiget. Bitte um dienliche Medicamenta und geſchwinde Abfertigung deſſelben.

Biduo hinc, cum mea ex fratre neptis ſana ac vegeta concionem veſpertinam viſitaret, durante adhuc cultu divino aliquoties æſtu tentata fuit volatico, ita ut vicina hoc ſentiens rogaverit eam: numquid malè ſe haberet? Finita concione querebatur de capitis doloribus, vertigine & reſpiratione difficili, nec expectata cœna in lectum ſe conferre cogebatur. Nocte illa, quæ inſequebatur, maximè inquieta fuit, ſæpius contremiſcens, ac centies fere in lecto circumvoluta. Exorta luce de capitis doloribus adhuc querebatur, cumque exſurgere vellet, deficere incipiebat, mox tn. ſe recolligebat, ingentique deinceps æſtu correpta fuit cum aliquali delirio, quod tamen ad noſtras cohortationes mox evanuit. Poſt hæc dormivit quidem, ſed cum continuo membrorum tremore, ac colloquiis in ſomno inſtitutis, atque in hunc modum hæc quoque nox transacta fuit uſque ad horam ſextam matutinam, quo tempore ancillæ ſurrexerunt, apud quas de ingenti cardialgia & dolore dorſi conqueſta fuit, ut &, quod lumen intra cubiculum admiſſum minimè poſſet perferre, & dum hæc ipſa aguntur, ultra horæ quadrantem miſerè epilepſia correpta fuit, quo facto hunc ſtatim ablegavi nuncium, quem cum ſalutaribus medicamentis cito remitti peto.

Explicatio.

...tio Me... adhi... ...ta.

SYmptomata hujus affectus citata licet haud improbabiliter videantur præſagire *Variolas* inſtantes, tamen, quia & in ſcorbuticis ſubjectis, & in febribus ardentibus talia haud infrequenter occurrunt, Medicus non temerariè Variolas pronunciet, niſi appareant maculæ, inſtantes eaſdem certò indicantes, aliàs enim Medicus ſe proſtituit, ſi facta Prognoſis non omni ex parte eveniat; Deinde non dicendus hic affectus eine Gifft-Kranckheit/ quoniam vulgus admodum abhorret ab illa voce.

Cura.

In curatione penitus evitentur laxativa, & per conſequens etiam Syrupi in decoctis, nam ab hiſce ſaccharatis movetur alvus, & tunc ſolenniter, etiam poſt unicam ſaltem alvi exonerationem im-

impeditur naturæ conatus in ejicienda malignitate per poros cutis. A nonnullis in principio morbi laudantur purgantia cum Mercur. dulci, verùm probè notetur, an adſint ſymptomata maligna, vel ſignum efflorescentiarum ſupervenientium, tunc purgantia etiam mitisſima non ſine magno periculo dantur. Volatilia hic planè non conveniunt, niſi conatus naturæ fuerit imbecillior, ſufficiunt diaphoretica blanda fixiora, v.g. Antimon. Diaphor. aliaque terrea. In præſcribendis pulveribus vel aliis medicamentis in hoc morbo convenientibus evitentur tituli ampli & jactantia pleni, ſufficit ſi ſignetur **Ruhe-Pulver / Hertz-Pulver / oder Pulver wider die Hertzens-Angſt.** Infuſum Thee optimè locum habet. Infuſum verò fl. Acaciæ noſtr. cum ſaccharo ex cujusdam commendatione non convenit, purgat etiam draſtice & cum torminibus. Anodyna ex quibus præ cæteris tinctura fl. papav. errat. ob menſtruum acidulum, blande ſangvinem rarefactum coagulans, ſicque ebullitiones ſiſtens commendanda venit; Si vero deſumpta fuerint ex opio ipſo, melius eſt, ut illa æger nocte, quàm de die aſſumat. *Sydenham.* diſſvadet, ne æger lecto detineatur, ſed potius veſtimentis probè munitus extra lectum in conclavi moderatè tepido relinquatur: Sed diſtingvendum eſt inter ejusmodi morbos malignos, ſive ubi acrimonia humorum ſumma, & benignos. Utique enim, ſi acrimonia humorum ſumma æſtusque corporis intolerabilis, non prodeſt, ſi æger adhuc aëre ambiente calidisſimo torreatur. Potus tepidus ſemper eſto, acceſſus aëris frigidi extra conclave plane arcendus.

CASUS XIII.

EST CONTINUATIO PRÆCEDENTIS MORBI.

Nachdem geſtern den Bothen abgeſandt/ hat das Mägdlein noch einmal die böſe Staupe gehabt / dazwiſchen auch bey einer halben Stunde lang die Naſe geblutet/ worauff ſich die Hitze geleget / und dazumahl kam der Bothe wieder an/ da ich denn ſo wol die wider die Hitze als ſchweere Noth vorgeſchriebene Medicamenta vorgeſchriebener maſſen gebrauchet/ auch Gott ſey danck! keinen weitern Anſtoß von böſen Weſen gehabt; die Hitze iſt/ wie oben gemeldt/ nach der Zeit viel leidlicher / und haben wir/ nachdem dieſe Nacht etwas zu ſchwitzen angefangen/ heute Morgens hin und wieder viel rothe Flecken über den gantzen Leib und Geſichte wahrgenommen/ davon etliche ſich in kleine weiſſe Bläßchen erhoben/ und wil man uns überreden/ als ſolten es die Pocken ſeyn / da doch keine ſonſt herum gehen/ iedoch weil der Herr Doct. in ſeinem Schreiben ſolche auch vermuthen wil/ muß man erwarten / was erfolget.

Ablegato heri nuncio puella adhuc ſemel epilepſiam, & inter hæc narium quoque hæmorrhagiam ad horæ dimidium paſſa eſt, quo facto æſtus mitigari cœpit, & tunc revertebatur nuncius, ubi medicamenta non minùs contra æſtum, quàm epilepſiam ordinata ex præſcripto adhibui, neque, Deo ſit gratia! ullum præterea paroxyſmum animadverti epilepticum. Æſtus ex hoc, ut ſupra dixi, tempore multò eſt tolerabilior, multasque poſt lenem hujus noctis ſudorem maculas rubras per totum corpus ac faciem ſparſas hoc mane ſenſi erumpere, quarum aliquæ in albas puſtulas attolluntur, nobisque has variolas eſſe nonnulli perſvadere conantur, cum tamen nullæ heic loci graſſentur. Quoniam vero Excellentia Veſtra in literis ad me datis easdem inſtare ſuſpicatur, expectabimus rei eventum; Interea quid ulterius agendum ſit, transſcribi peto.

Bitte

Bitte indeſſen um weitern Rath. P. S. Wie der Brief albereit geſchloſſen / referiret mir meine Frau / daß ſie das Kind ein wenig am Leibe angeſehen/ und den gantzen Rücken voller Blaſen bey ihr obſerviret/ daß alſo an Pocken nicht zu zweifeln mehr iſt; und weil das Mägdgen ſchon auff den 4ten Tag verſtopffet/ wolle der Herr D. wider dieſen Zufall ſorgen/ ingleichen daß die Augen und Halß præſerviret werden/ und ferner bey/ was wird zu brauchen ſeyn/ mit melden.

P. S. Signata jam epiſtola mihi refert uxor mea, ſe puellæ corpus paulo accuratiùs inſpexiſſe, totumque dorſum puſtulis obſervaſſe repletum, ita ut de variolis ampliùs dubitandum non ſit, cumque puella ad quartum jam diem obſtructione alvi laboret, de avertendo hoc ſymptomate, præſervandisque oculis ac collo ut ſolicitus eſſe velis, & quæ amplius obſervanda ſint, ſignificare, eſt quod obnixè rogaris.

EXPLICATIO.

[Cu]ræ continuatio.

CUm in priori caſu jam expellentia rectè cum antiſpaſmodicis, antepilepticis & anodynis præſcripta fuerint, continuanda ſunt remedia expellentia, donec omnis ſaburra eliminata, aliàs ſequitur purpura, ulcera, aliaque ſymptomata, tumores it. pædarthrocace, uti nonnunquam obſervavi. Ex omnibus remediis terrea hic optimè agunt, quibus tanquam arcanum jungenda anodyna, quo reprimitur æſtus & ebullitiones nimiæ, humores magis disponuntur ad ſecretionem impuritatum, porique ſpaſmo conſtricti dum relaxantur, optimè pravi humores in cute ſecreti, eliminari poſſunt; Accedit quod ab anodynis concilietur ſomnus, unde vires recolligi poſſunt. Continuanda ſunt expellentia, usque ad caſum eſchararum. Pro ſcopo præſervandi faciem Sylvius commendat pediluvia calida ex lacte parata, quibus dum pedes immerguntur, tanquam calidis, variolæ copioſè in pedibus prorumpunt, facie neglectâ, pedes deinde linteo abſtergere jubet lectoque calido imponere. Verùm haud tutum eſt hoc remedium, nam dum linteo fortaſſe frigido pedes abſterguntur, repelluntur exanthemata illis in locis proruptura, fitque ut vel in aliis locis, vel in facie quidem ipſa copioſius tunc erumpant, uti *Diemerbroeck* à tali remediorum genere exemplum ſubſecutum notavit. obſ. 15. Alii commendant, ut puſtulæ maturè aperiantur, ne pus nimis arrodat cutem; ſed nec hoc ſemper tutum eſt; ubi enim humorum abundantia adeſt, ibi notavi, quod puſtulæ ſtatim nova materia repletæ fuerint, inque ulcuſcula nonnunquam cacoëthea degenerarint; Da zuvor die Pocken nur einmal geſchworen hätten/ ſchwären ſie allda zweymal. Alii commẽdant ut facies illinatur oleo vel adipe vel cera etiã; ſed nec hoc remedium adeo tutum, pori enim obſtruuntur, impediturq; tranſpiratio inſenſibilis, malaq; pejora oriuntur, Uti in *M.N.C.D.2.A 9.o.37. Joh. Petrus Albrecht* à fruſto lardi faciei applicato vidit equidem retropulſas variolas, ſed ſuper venerunt febris acuta & deliria.

[Pr]æſervatio [fac]iei.

Potius ex commendatione cujusdam Autoris mihi arridet, ſi lamina ferrea ignita pauliſper prope faciem detineatur, cujus beneficio exſiccantur ulcuſcula citò, cum humiditatibus in illis hærentibus, citoque fiunt eſcharæ, quæ citra faciei labem paulo poſt decidunt. Oculi & fauces præſervantur h.m. quando nimirum palpebræ intumeſcunt, bulbus acrimonia humorum afficitur, tunc equidem in poteſtate Medici haud ſemper eſt, ut impediat occluſionem palpebrarum, igitur cogitandum ſaltem, ne ulcuſcula in tunica cornea ſive adnata fiant, quod efficiet felicisſime ſolis repellentibus. Helmont: pro ſimili ſcopo ſapphirum commendat, qui lævitate & frigore, quod lapidibus metalliſque ſolidis ſemper ineſt, agit repellendo, jubet autem ille autor, ut ſaphirus crebriùs circulariter circa oculum ducatur. Magis approbo pro repellen-

Fauces & oculi quomodo præſervandi?

di ſcopo infuſum cort. granat. cum aqv. roſ. & tantillo croci: Quando per aliquot dies palpebræ diduci nequeunt, ſemper repellentia externa continuanda, nam periculum eſt, quod oculus clauſis palpebris interea afficiatur, ideoque per externa repellentia tempeſtive proſpicitur, ne quicquam noxii contingat bulbo. *Colli &* Collum præſervatur, ne molles faucium partes ab acribus humoribus erodantur per inviſcantia e. g. crem. ptiſanæ, lac ipſum, quod pariter per aliquot dies continuandum. *Narium præſervatio.* Pro præſervatione narium, ne forte à repletis naribus ſequatur reſpiratio difficilis aut ſuffocationis metus, ſufficit ſolus vapor aceti lateri candenti affuſi. De obſtructione alvi notandum, eam licet per plures dies durantem eſſe innoxiam, nam quicquid æger intra corpus aſſumit, ſunt fluida magis, quæ per diaphoreſin rurſus abeunt, & parum vel nihil fæcum relinquunt, unde etiam nil accedit, quod urgeat alvi ſolutionem. Si verò obſtructio duret per 7. dies, diraque ſymptomata ſequantur, balano ſive ſuppoſitorio ano intruſo molienda eſt qvædam exoneratio alvi; internè verò humectantia ſunt proficua. Dum æger mera potulenta aſſumit, alvusque nihilominus obſtructa eſt, ſequuntur inflationes & tormina, quo caſu ſolum clyſma ex crem. ptiſanæ ſive ex juſculo gallinaceo paratum injiciatur.

CASUS XIV.

LOCHIORUM SUPPRESSIO.

Hiſtoria morbi.

OBgleich der höchſte GOtt meine Frau ehegeſtern Abends ihrer bishero mit groſſer Leibes Beſchweerung getragenen Weiblichen Bürden nach Verfließung 2. Stunden gnädig entbunden / ſo werde dennoch gezwungen / wegen ſeit dieſen der armen Sechswöchnerin zugeſtoßnen Unpäßlichkeit den Herrn D. anzugehen. Denn nachdem ſie das Kind geneſen / iſt ſie ſtracks in eine ſtarcke Mattigkeit verfallen / ſo / daß ſie die gantze Nacht und die folgende darauff kein Auge zugethan / oder etwas ruhen können; hierbey hat ſich Hitze nebſt ziemlicher Unruhe eingefunden / und redet ſie iederzeit über Gewohnheit ſtarck und viel / fordert auch immer zu trincken / und kan dennoch den Durſt nicht löſchen. Die Wehmutter macht mir deßwegen ſehr Angſt / beſonders weil die gewöhnliche Reinigung / wie ſie ſagt / nicht von ſtatten gehet. Das arme Kind findet auch an ihr keine Nahrung / ob ſie gleich ſolches an die Bruſt zu legen ſich öffters unterſtehet. Bitte um guten Rath / weil ich mir ſonſt in dieſem Elende nicht zu helffen weiß.

Licet Deus ter opt. max. uxorem meam pridie circa veſperam muliebri pondere, quod hactenus non ſine ingenti moleſtia geſtavit, clementiſſimè poſt bihorium levaverit; veſtram tamen Excellentiam propter obortam dehinc miſeræ puerperæ ægritudinem adire cogor. Poſtquam enim infantem enixa erat, in ſummam illico virium proſtrationem incidit, ita ut per totam illam noctem alteramque deinde ne oculum quidem claudere, aut quieſcere aliquantulum potuerit. Ad hæc acceſſit æſtus cum magna inquietudine, ſemperque multa & contentiùs quidem loquitur, præterquam aliàs conſvevit, ac ſubinde potum poſtulat, neque ſitim tamen ſedare valet. Obſtetrix ideo multam mihi excitat ſolicitudinem, præcipue vero, quod conſveta purgatio, uti vocat, non proceſſerit. Miſellus infans nullum quoque nutrimentum reperit, licet illum ſæpiùs applicare mammis conetur. Tuum, Vir experientiſſime, conſilium expoſcimus, quoniam in hoc miſerrimo ſtatu, quid agam, prorſus ignoro.

EXPLICATIO.

EST præſens affectus *Lochiorum Suppreſſio.* Probè autem notetur, lochiorum ſuppreſſionem non ſemper talia ſymptomata ſecum habere, cum enim tempore partus, vel ante ipſum ſangvis nimium evacuatus fuerit, clarum eſt lochiorum fluxum eſſe parciorem.

Prognoſis. Prognoſis anceps dicenda, quia talia ſymptomata nihil boni portendunt.

Cauſa. Cauſa vel ex refrigeratione genitalium, vel dilaceratione in partu: dum enim à manu obſtetricis partes durius tractantur, ad ſuffuſiones diſponuntur. In noſtra ægra ſola refrigeratio ſuſpicanda, dum partus difficilis nulla mentio fit; A frigore enim æque fibræ criſpantur, & circulatio impeditur eodem modo, ac dilaceratione præcedanea.

Cura. In cura malè ſingula ſymptomata reſpiciuntur, modo primarium ſymptoma ſc. ſtagnatio ſcil. tollatur, ceſſant & cætera. Primum igitur remedium eſto V.S. larga in copia adminiſtrata, hæc non contraindicatur à debilitate virium, urget enim ſangvis exitum, & ſupprimit ſpiritus, unde virium defectus; Si ergo ſangvis evacuatur, renaſcentur vires à ſpiritibus in liberum motum reſtitutis; dein ſangvis reſolvendus & antiſpaſmodicis viæ conſtipatæ aperiendæ. Primum remedium eſto Elix. PP. Crocus enim habet vim anodynam & antiſpaſmodicam, Myrrha verò & Aloë reſolvunt, ſimulque ſangvinem in motum cient, Eſſ. Myrrh. Theriaca ſimplex Liqv. C.C. Succin. &c. Hæc acui poſſunt Spir. Sal. Ammon. oleoſo, lavendulato & ſuccinato. Locum quoque habent Antiſpasmodica, terra pulv. ſpecif. Cephal Mich. pulv. Marchion. Antepilept. Bezoard. Mich. & Sennerti, qui ex Diaphoreticis compoſiti ſudorem movendo ſangvinem in motum cient. Acui poſſunt terrea hæc ſale volatili Cornu Cervi, Myrrha, troch. de Myrrha. Quædam fœminæ decoctis delectantur, quibus præſcribatur decoctum ex plantis uterinis, e. g. Rad. Galangæ. Ariſtol. Gentian. Bryon. Artemiſ. alb. & Opiata non ſpernenda, licet ex anxietatibus dolor non advertatur, pari ratione, uti in inflammationibus conveniunt Antiſpasmodica cum Anodynis. Eſt Theriac. anodyna, Laud. cydoniat &c. non tamen hic doſi excedendum eſt, fœmina namque antehac debilitata ad ſummum intra diei & noctis ſpatium gr. ijß. concedenda. In diæta omnis potus frigidus cavendus, Juſcula pingvia, vulgò Krafft-Suppen/ quæ puerperis ſolenniter exhiberi ſolent, non nimia in quantitate hauriantur, pingvia enim atoniam ventriculi & apepſiam conciliant. Melius convenit domeſticus potus puerperarum, pro juſculis pingvibus hoc in caſu ſcil. decoct. Rad. petroſelin. & Cicerum rubr. Cereviſia craſſior evitanda, ſitis enim magis augetur, ut, licet Menſura una hauſta fuerit, nihilominus ſitis ſuperſtes exiſtat, accedentibus anxietatibus aliisque diris ſymptomatibus. Si inflammatio uteri aut partium internarum adſit, Appetitus proſternitur: Si infans lac è mammis ſugere nequit, eligatur ipſi ad monitum Pechlini nutrix quoad omnia cum matre conveniens, ſi enim lacte gaudeat craſſiori, quàm matris lac fuerit, infantibus contingit obſtructio. Ex defectu nutricis poteſt infanti aliud lac admodum cum aqua dilutum, ut materno reſpondeat, ex vaſe convenienti (Schnaups-Kanne) exhiberi; vel noduli (Stoppel) cum cremore ptiſanæ aut pulte infantibus ſugendi traduntur, quo ipſo ſalivam eliciunt, ut victus craſſior attenuetur, infansque optimè nutriatur.

CASUS XV.
CALCULUS RENUM.

Hiſtoria Morbi. Ein Mann von 36. Jahren hat dann und wann über Schmertzen im Leibe und Rücken geklaget/ dabey den

VIr annorum triginta ſex per intervalla de doloribus dorſi & abdominis conqueſtus proſtra-

Appetit verlohren / und öffters deßwegen zu Bette liegen müſſen / da denn nach äuſſerlicher applicirter Wärme und Gebrauch gelinder Haus-Mittel/ inſonderheit eines glüenden Weines oder Kümmel-Bieres/ der Schmertzen bald verlohren. Vor 2. Tagen iſt er faſt gleiche Art wieder überfallen worden / doch ſind die Schmertzen an Rücken/ beſonders an der rechten Seiten ungemein ſtärcker geweſen/ ſo/ daß er allezeit über laut ſchreyen müſſen. Er hat ſich auch zum öfftern hefftig erbrochen/ und iſt nicht auszuſprechen/ was der arme Mann vor Schmertzen ausſtehen muß/ dahero er auch vielfältig in ſtarcke Ohnmacht fället/ welches beſonders geſchicht/ bevor ihm das Brechen ankömmet; Der Leib iſt bey ihm verſtopfft/ hingegen treibt es ihn continuirlich den Urin/ den er doch ehegeſtern in gantz kleiner quantität / und zwar mit ſtarcken brennen laſſen können/ und ſiehet derſelbe faſt braun und ſchwartz; heute aber/ welches uns nicht wenig erſchrecket/ iſt das klare Blut mit dem Urin ausgelauffen / darüber er wieder eine Ohnmacht erlitten. Keinen Schlaf hat er nicht/ und leydet groſſen Durſt/ weil er ſich vor den Brechen / ſo iederzeit drauff erfolget/ ſehr fürchtet. Auch ſchwitzet er die gantze Nacht kalten Schweiß. Iſt noch einiger Rath / ſo communicire uns ſolchen der Herr D. ſo geſchwind als möglich.

to inſuper appetitu ſæpius hanc ob cauſam in lecto decumbere coactus fuit, ubi poſt applicita externè actu calida, uſumque lenientium remediorum, prout domus iſta ſuppeditavit, præcipue vini candentis, aut cereviſiæ, in qua cuminum incoctum erat, dolores ilicò ceſſarunt. Ante biduum ſimili fere modo laborare cœpit, niſi quod dolores dorſi præcipue in latere dextro præter ſolitum fortiores fuerunt, ita ut ſemper alta voce exclamaverit. Sæpius quoque vomuit vehementisſimè, nec dici poteſt, quantos dolores vir ille miſerrimus tolerare cogatur, quam etiam ob cauſam multoties fortisſimis lipothymiis corripitur, quod inprimis fieri ſolet, antequam vomitus immineat. Alvus obſtructa eſt, contra ea ad reddendam urinam continuo impellitur, quam pridie parcam omnino & cum inſigni quidem dolore ardenti vix potuit excernere, eaque fuſca ferè ac nigricans apparet; hodie autem, quod nos non parum conterruit, floridus ſangvis cum urina effluxit, illo interim denuo lipothymia correpto. Somno omnino nullo fruitur, ingentemque ſitim patitur, quia vomitum potui ſemper ſuccedentem maximè timet. Per totam etiam noctem frigidum ſudat ſudorem. Si quid conſilii, auxiliique ſupereſt, nobiscum communica quàm fieri poteſt celerrimè.

EXPLICATIO.

Symptomatũ ſeductio.

PRæſens affectus Calculus renum eſt, prout id patet ex ſymptomatibus ultimis. Prima enim ſymptomata, ſcil. appetitus proſtatus, dorſi dolores, iique ceſſantes poſt applicationem externorum calidorum , & uſum vini Hippocratici, ſuſpicionem colicæ moverunt. Id enim natura calculi renalis eſt, ut colica ſatis periodica falſò ſuſpicata ſæpe pet annum duraverit, donec clarius pateſceret, inſultus hoſce provenire à calculo.

Cur inſultus primus omnium exquiſitiſſimus?

Primus calculi inſultus omnium exquiſitisſimus eſt præ ſubſequentibus, ratio, quod ægrotantes ante hac talibus non aſſveti, nec viæ ſatis dilatatæ pro transmittendo calculo, ſimulque ſenſatisſimæ ſint. Si verò una vice tranſiit calculus per ureteres, inſultus non adeo atroces ſunt, viæ enim tunc magis dilatatæ, & interior tunica nervea plane diſrupta, adeo ut viæ ſatis patulæ nec ita ſenſatæ exiſtant.

Symptom[…] ratio.

Vomitus per conſenſum contingit, dum calculus in motu eſt; Alvi conſtipatio à ſpaſmo continuato ad inteſtinum rectum; Urinæ ſuppresſio ab ureteribus ſpaſmo conſtrictis; licet enim calculus unum ſaltem ureterem afficiat, nihilo-

mi-

minus tamen & alter ureter per conſenſum ſpaſmo afficitur. Urina albicans excernitur, quia tubuli renales ſpaſmo conſtricti non niſi tenuisſimam ſeri partem transmittunt. Urina nigricans à ſangvine intermixto eſt. Sitis à dolore, nondum enim vidi exquiſitos dolores, ubi ſitis non comes fuerit; Ex pari fonte quoque Agrypnia naſcitur. Sudor frigidus à retrocesſione ſpirituum ad interiora, & ob ſpaſmum partium nervoſarum circa renes aliasque partes ſæpe ſubſequuntur inſultus Epileptici.

Cauſa. *culi de-* *tio.* Cauſa hujus affectus calculus eſt in uretere lateris affecti hærens. Eſt autem calculus concretum ex particulis terreis, gelatinoſis & ſalinis, diverſæ magnitudinis, figuræ & molis; alii enim leves, alii ponderoſiores, alii fisſiles, ſive qui in lamellas findi poſſunt, alii cryſtallini, alii tophacei & inæquales, de quibus vid. *Lyſter. Tr. de calculis, annexo Tractatui de Conchyliis bivalvibus.* *eratio,* In generatione autem calculi ſolum ſal non ſufficit, niſi adfuerint partes terreſtres. Notabile eſt, ſalia quædam diverſas quaſdam terras poſtulare, e. g. quando Vitriol. Alumen, ſal marinum in aqua repleto vaſe una ſolvuntur, non coëunt ſalia, ſed ſingularem ſibi quodlibet ſal eligit terram appropriatam, cum qua cryſtalliſatur: ita in terræ cryptis ſpiritus aluminoſus peculiarem arrodit terram, cum qua in cryſtallum Aluminis abit. Eandem fere generationem calculi eſſe, demonſtrat ſatis ingenioſè citatus *Lyſterus l. c.* Materia pro calculo fiendo ſatis apta eſt Gypſum & lapis calcarius facile lapideſcens, quæ ſæpe ſub forma fluida cum alimentis deglutiuntur, & dum conveniunt cum gelatinoſis particulis, abeunt in calculum. Communiter talis materia inhæret vino, unde frequentius ditiores, rariùs autem ruſtici calculo afficiuntur.

ognoſis. Prognoſis, utut ſymptomata gravia, nihilominus periculum non adeo manifeſtum præ foribus exiſtit, nihil enim adeſt, quàm ſpaſmus; Verùm ſi per dies 4. durarent hæc ſymptomata, utique metuenda eſſet inflammatio, abſceſſus & ſphacelus. Ætas tamen adhuc robuſta ſpem majorem valetudinis recuperandæ promittit. Præterea major ſpes affulget, quod calculus ex renibus jam ad ureteres tranſierit; Mirus obſervatu eſt dolor periodicus, naſcitur autem hic ex ſingulari ureterum ſtructura, ſiquidem ureteres, interrupto ſpatio nunc anguſti, nunc ampliores exiſtunt. Hinc quando calculus per iſthmum tranſire debet, enaſcitur dolor exquiſitus & periodicus, ceſſat autem idem, quando calculus ad amplius ſpatium pervenit. Bonum ſignum eſt, quando ſangvis cum urina prodit, & melius eſt, quàm urina tenuis. Inter mala ſigna refertur urina viſcida cum bullis ſupernatantibus.

In cura primum indicans eſt, impedimenta removere, quæ calculo tranſituro remoram ponunt, ea verò conſiſtunt ſolitariè in ſpaſmo à vellicatione & dolore exorto, quo major ergo dolor eſt, eo minus calculus cedit. Optimè itaque hic conveniunt Opium & Opiata, quibus dum ſpaſmus conſopitur facilè ſuccedit alterũ indicans, ſcil. lithontripticis pellere calculum. Externè pro ſcopo anodyno conveniunt Ol. lil. alb. Scorp. Cheiri &c. it. Inſeſſus & balnea, unde nimium corrugatæ partes laxantur. Internè remedia antiſpaſmodica cum opiatis. e. g. terrea, raſ. dentis Hippopot. Unic. foſſile, lap. Manati &c. pondusque anodynorum tunc augendum. it. Eſſentia urinaria Mich. anodyna, quæ præparatur ex vegetabilibus, diureticis & opiatis. Spaſmis quoque obviam eunt internè laxantia, e. g. Casſia, Manna cum tantillo Jalappæ, ita ut aliqui Practicorum firmiter aſſerant, nunquam curam eſſe auſpicandam, niſi per lenitiva talia, quibus dum commoventur inteſtina, etiam calculus movetur. Clyſmata ex emollientibus ſimulque anodynis additis miro effectu probatisſima vidi; Diuretica blandiora ſint, minime fortiora, quicquid alii ſuadent, præſente ſcil. calculo; ſtimulat enim jam tum calculus renes ad diureſin, incertaque eſt magnitudo calculi: Non itaque tunc convenit Tinctura Nephr. Ammelung. niſi prægresſis Anodynis viæ probè paratæ pro transmittendo calculo fuerint. Melius adhuc arrident de- *Cura.*

decocta Vegetabilium Diureticorum, quibus viæ ſimul lubricantur, ſimulque mediante aqua calculus propellitur. Oleoſa lenitiva optimè quoque hic conveniunt, v. g. ol. Amygd. exp. &c. Specialius commendantur Conchilia eorumque teſtæ, it. ovorum teſtæ, pulv. mille ped. Apum, Spong. Cynosbati, aliaque acria Antiſcorbutica Vegetabilia, Naſturtium, Cochlear. &c. De ſpongiis cynosbati notetur, illas non ſolùm agere propter vim anodynam, unde Schlaffkunzen dicuntur, ſed etiam propter vim diureticam, inhabitant enim iis inſectula cantharidibus minoribus non abſimilia, quorum ſalia blandiora diureſin movent, ſemper tamen iis jungenda ſunt anodyna, impr. ſi partes ad inflammationem inclinent.

Casus XVI.
MICTIO INVOLUNTARIA.

Hiſtoria Morbi.

JCh muß wieder den Herrn D. aufs neue angehen / und ſeine Hülffe vor meine mittlere Tochter / ſo ein Mädgen von 8. Jahren iſt / ausbitten. Es iſt dieſelbe von gantz magerer und ſchwacher Conſtitution, doch im übrigen völlig geſund / und hat nur bloß dieſen Mangel an ſich / daß / wenn ſie etwan mit den Kindern ſpielet / oder ſonſt von andern Urſachen zu ſtarcken Lachen beweget wird (worinnen ſie ſich ohnmöglich mäßigen kan) ihr / ſalva venia, das Waſſer alſobald wider ihren Willen entgehet / auſſer ſolcher occaſion hat ſie gar keine Beſchwerung davon / kan auch die Nacht durch / ohne ſich unrein zu halten / ſicher ſchlafen. Jch und meine Frau haben ſolches vitium mit Bedrohung Schimpffs und Schläge / weil wir es vor eine Unachtſamkeit bey ihr halten / zwar bishero zu emendiren geſucht / aber umſonſt / indem / ſo bald ſie nur ſtarck lacht / ihr unmöglich iſt / den Urin zu halten. Bitte dannenhero / weil das Mädgen heran wächſet / mir zu berichten / was dagegen zu gebrauchen ſeye.

DEnuo Te adire, Celeberrime Doctor, tuumque auxilium pro filia natu ſecunda octo circiter annorum implorare cogor. Habitu eſt imbecillo admodum ac tenero, cæterùm tamen ſic ſatis ſana, niſi quod forte cum aliis puellis ludendo, aut quocunque modo in liberiorem riſum effuſa, (à quo ſibi minimè temperare poteſt,) urinam, ſit venia dicto, præter voluntatem ſuam excernit; Extra has vero occaſiones datas ab iſto malo non infeſtatur, per integras quoque noctes ſecura dormit absque ſtragularum permictione. Ego quidem & uxor mea, quia illius negligentiam potiſſimum in cauſa eſſe putamus, vitium hoc per infamiã & plagarum interminationem emendare quæſivimus, ſed fruſtra, dum ſimul ac paulo effuſiùs ridet, urinam ampliùs continere nequit. A Te igitur, quoniam puella fit adultior, ut, quidnam remedii adverſus hoc malum adhibendum ſit, ſignificare velis, obnixiſſimè peto.

EXPLICATIO.

Diviſio Mictionis involuntariæ ratione temporis.

EſT præſens affectus *Involuntaria Mictio*, quæ dividitur in diurnam & nocturnam. Diurna, quando de die illa contingit ægris. Nocturna quæ dormientibus accidit.

Diurnæ ſola cauſa eſt relaxatio Sphincteris; Nocturnæ equidem etiam cauſa eſt laxus ſphincter, ſed contribuit maximè huc error in phantaſia. Noſtra diurna eſt, quæ ſenibus & gravidis ultimis geſtationis menſibus admodum familiaris eſt.

Diagnoſis.

Diagnoſis per ſe patet ex relatione ægrotantis.

Cau-

ſa proxima.

Cauſa proxima latet in veſica ejusque partibus adnatis. Conſtat autem veſica fibris tam rectis quàm transverſalibus, quibus mediante ſe conſtringere poteſt. Oſtio adnatus eſt Sphincter pro retinenda Urina. Clauditur veſica à ſphinctere tam diu, usque dum robur majus fibrarum veſicæ exercetur, quo tempore ſphincter cedit, permittitque egreſſum urinæ. Diaphragma, Muſculi abdominis, imprimis recti, ſub quibus hæret veſica in hominibus, admodum juvant excretionem Urinæ. Muſculis pyramidalibus antiqui imprimis officium premendi veſicam aſſignarunt. ſed recentiores obſervarunt ſæpe abeſſe hos muſculos ſine tamen noxâ urinæ excernendæ. Dum refertur, ægrum eſſe tenuioris conſtitutionis, patet & ſphincterem eſſe juſto debiliorem & incapacem pro reſiſtendo robori muſculorum abdominis & diaphragmatis. Accedit, quod in puella adſit incuria, ætati infantili admodum familiaris, quæ dum ſentit ſtimulum mingendi, ſtatim mittit.

colligen. & excernendæ ratio. — *iquorum io.*

diviſio ſis de- a.

Alias hæc incontinentia eſt vel Sympathetica vel Idiopathetica; Sympathetica contingit in febribus malignis vel à motu irregulari ſpirituum in deliriis, vel à defectu ſpirituum, it. in læſo oſſe ſacro à caſu ſupra dorſum, hincque læſis nervis ex eo ad veſicam abeuntibus, it. à conſenſu, dolente nimirum parte vicina e. g. in hæmorrhoidibus &c. In noſtra ægra ſaltem langvor in cauſa eſt, pariter motus convulſivus diaphragmatis & muſculorum rectorum abdominis, refert enim parens, puellam ſibi temperare non poſſe in riſu; accedit, quod in puella conſtitutio tenera, nervique teneri facilè convelli posſint.

icatio eſentem n.

noſis.

Dum refertur puellam jam didiciſſe urinam paulo retinere & matulam expoſcere, urgente ſtimulo, ſpes reconvaleſcentiæ adeſt. Cauſa itaque conſiſtit in debili ſphinctere & in muſculis abdominis ac diaphragmatis convulſis.

luſio uſa ex miſſis col-

ura.

Cura igitur poſcit ut 1) motus nimius diaphragmatis & muſculorum abdominis conſopiatur. 2) Ut partes langvidæ roborentur. Quoad prius optandum eſſet, ut moderari ſibi poſſet ægra à riſu, ſed obſtat ætas infantilis; Interim tamen admonenda eſt puella, ut intermittat riſum, & detrahenda eſt ipſi occaſio, qua ad riſum commoveri poteſt, aut ſi fortè immoderatus riſus contingat, Antiſpasmodicis occurrendum: Muſculis abdominis convenit firma ligatio abdominis cum fasciis, vulgò die Holländiſche Geſundheit / qua conſtrictione muſculi à convulſione impediuntur, inteſtina quoq; ſurſum premuntur, ne veſicæ adeo incumbant, aut per thoracis conſtrictionem deorſum nimis deprimantur. Nam puella manu comprimens abdomen ſtatim prohibuit, ne adeo impetuoſus urinæ profluxus accideret. Dein etiam potus largior evitandus, aut ſi fortè aſſumtus fuerit, urina crebrius mittenda eſt, id quod etiam exoptatiſſimo effectu in hac puella fiebat. Quoad alterum conveniunt roborantia tum interna tum externa. Ex roborantibus ſunt nervina, quæ ſub forma potus, externè ſub fotus, Cataplaſm. &c. forma, conveniunt, it. adſtringentia, aqua chalybeata, medulla ſaxorum &c. vel ſub forma fotus aut balnei; Melius tamē conveniunt balnea præ injectionibus. Continuanda ſunt remedia interna & externa, expectandaque ætas magis adultior. Commendatur etiam ſpongia ab extra genitalibus immiſſa, vel aliud inſtrumentum ſub forma veſicæ bubulæ v. *Henr. ab Heer. in obſ.16.* ſpongia tamen hanc ſecum habet incommoditatem, quod, dum impleta eſt urinâ, erodat pudenda. Commendatur quoque globulus cereus, ut comprimatur ſphincter, ſed convenit id ſaltem adultioribus, neutiquam junioribus, quibus genitalia dilatare indecorū eſt. Sufficiant ſolùm hic Balnea & Inſeſſus; *Grulingius* piſces à Lucio piſce deglutitos, eosque pulveriſatos ægris exhibere jubet. *Henr. ab Heer in obſ.* commendat cineres bufonis vivi uſtos & appenſos, cum quo & *Boyle atque Ettmüller* conſentiunt, ſed infauſtum ſucceſſum expertus ſum. Alii pudendum ſuillum commendant in *M. N. C.* ad horum imitationem farcimen parandum ex pudendo ſuillo juſſi, quod comedit

hæc puella effectu felici. Muſculos domeſticos nudos adhuc alii vel adurunt vel elixant, effectu felici *v. M. N. C.* & olim *Plinius* jam talia commendavit.

CASUS XVII.
EFFLORESCENTIA SCORBUTICA.

Hiſtoria morbi.

ES iſt geſtern mein älteſter Sohn von 12. Jahren/ und heute meiner Mutter Tochter von 8. Jahren faſt mit gleicher maladie überfallen worden/ welches mich ſehr erſchrecket/ und des Herrn D. Hülffe anzuflehen antreibet. Erſtlich haben ſie alle beyde/ nachdem ſie 2. Tage zuvor über Mangel des Appetits und Mattigkeit der Glieder geklaget/ eine ſehr groſſe Hitze empfunden/ deßwegen ſie wider Willen das Bette zu hüten gezwungen worden/ hierauff iſt über das gantze Geſicht und gantzen Leib eine ungemeine Röthe ausgebrochen/ und dabey hin und wieder groſſe Flecke/ ſo ſich in ziemliche Puckel erhoben/ nicht anders / als hätte man ſie mit Nöſſeln gehauen/ ausgefahren / dadurch denen armen Patienten ein ſolch Jucken zugewachſen/ daß ohngeachtet alles Einredens/ ſie ſich kaum moderiren können/ nicht Haut und Fell auf und abzukratzen. Ich habe ſie alle beyde alſobald aus der kalten Kammer in die warme Stube legen laſſen/ in Hoffnung/ es würden die Flecken mehr heraus kommen/ aber es iſt nach Verflieſſung zwey Stunden alles wieder verſchwunden/ und ob gleich ſie ietzo nicht viel beklagen/ iſt mir doch gantz bange bey der Sache/ und fürchte es möchte ein Fleck-Fieber/ oder ſonſt irgend etwas darunter verborgen ſeyn/ das mir unwiſſend wäre. Bitte um Nachricht ſo wol der Kranckheit ſelbſt/ als auch was hierinnen zu rathen.

HEri filius meus natu major duodecim, hodieq; matris meæ filia octo circiter annorũ eodem ferè affectu corripi cœperunt, quæ res me non parum terruit, tuumq; auxiliũ implorare coegit. Primo uterque poſtquam duobus retro diebus de appetitus viriumque proſtratione conqueſti erant, ingentem calorem ſenſit, ex quo inviti etiam in lecto detenti ſunt. Poſthæc per totam faciem totumque corpus inſolitus rubor apparuit, majores præterea maculæ paſſim eruperunt, quæ in puſtulas ſic ſatis evidentes attolluntur, non aliter ac ſi corpora virgis fuiſſent cæſa. Qua ex cauſa tantus ægrotis pruritus ſupervenit, ut multa nobis fruſtra monentibus a totali cutis laceratione vix ſibi temperare queant. Utrumque ſtatim ex cubiculo frigidiori in conclave calefactum transferendum curavi, ſperans maculas copioſiùs erupturas. Verùm elapſis duabus horis omnia rurſus diſparuerunt, & licet in præſenti parum conquerantur, me tamen admodum ſolicitum tenent, planeque vereor, ne febris petechialis, aut aliud quidpiam deliteſcat, quod mihi adhuc ſit incognitum. Informationem tuam expeto tùm de morbo ipſo, tùm de modo etiam curationis.

EXPLICATIO.

E*Ffloreſcentia* aliqua *Scorbutica* eſt, ubi ſangvis intra cutim ſtagnat, ſiſtitque puſtulas ſub vario ſchemate vel Variolarum vel Phlyctænarum &c. Alio tempore eruptio contingit ſine puſtulis, e.g. in petechiis, contingitque aliquan-

do inflammatio cuticulæ, quo caſu febris Scarlatina audit. In noſtro affectu dum recenſitum eſt, inſtar pulicum morſus ſe habere maculas, quæ ab Arabibus Eſſeræ, Sora, Saira, Bullæ, Ampullæ, Germ. Neſſel-Kranckheit. v. *Avicenn. L. 4. Serapion. L. 5. Brev. c. 8.* definiuntur quod ſint tubercula parva ad ruborem vergentia duriuſcula, cum inſigni pruritu ſubito univerſum corpus occupantia, non ſecus ac ab apibus, veſpis &c. homo demorſus vel urticis eſſet cæſus, non ita tamen poſt longum tempus evaneſcunt, nulloque ichore vel humiditate effluente cutis priſtinam lævitatem recipit, quo ultimo differunt ab Epinyctide. Hanc definitionem tradit *Blancardus in Lexico ſub tit. Eſſeræ.* Morbilli non ſunt, quoniam horum maculæ aliam plane faciem ſiſtunt; Neque Phlyctænæ, vulgo, das wilde Feuer oder S. Antonii Feuer/oder Wind-Böcke/licet pauliſper inter ſe conveniant cum noſtro, nam evaneſcunt quoque Phlyctænæ, & ſi de die id fiat, Phlyctænæ, ſin de nocte, Pſydracia audiunt.

[Defin]itio Eſſ[erarum]

[Diffe]rentia [Eſſer]is Ex[anth]emati[bus]

[C]auſa.

Cauſa eſt acrimonia ſeri acidoſalſa ſub tegmine viſcido latitans, & potiſſimum verno tempore, aliquando tamen & hyemali ac autumnali epidemice graſſatur. Memini ante 12. annos hunc morbum eſſe graſſatum, ſubito homines invadentem, paucisq; diebus poſt leves ſudores diſparuiſſe, & tunc dictus fuit die Allmode Kranckheit. Hæc acrimonia potiſſimum ab atmoſphæra aëris dependet.

[Sym]ptomata

Symptomata recenſita non ſemper ſingula notantur in Eſſeris, imprimis verò calor. Eruptio potiſſimum contingit, ſi ex loco calido æger transferatur in locum frigidum, uti nunc puero accidit, cui, dum corpus aëri liberiori exponit, rurſus novæ eruptiones contingunt, aër frigidus poros conſtringit & exhalationem acrem impedit. Novi per longum tempus duraſſe hunc affectum, ita ut maculæ nunc eruperint, nunc iterum diſparuerint. Pruritus eſt inſignis, & licet frictiones enormes fiant, ne guttula tamen ſanguinis effluit ob ſpasmos pororum, unde ſanguinis guttulæ ſtagnare coguntur intra cutem. Obſervavi autem hunc affectum imprimis provenire ab acetariis aliisque acidis ſæpe aſſumtis.

Prognoſis

Prognoſis non triſtis eſt, licet ſymptomata prima invaſione ſatis maligna videantur.

Cura.

Remedia expellentia.

Cura expoſcit medicamenta antiſcorbutica & expellentia, & quidem expellentia blandiora. Præſcripſi in hoc caſu ſolam Tincturam Corall. Mich. antiſcorb. ℥ij. cum Eſſ. Myrrh. ℈j. unde multoties hunc affectum curavi. Si altiores egit radices, expoſcuntur medicamenta, quæ ſudores blandos movent, uti ſunt Decoct. Lign. Saſſafr. Sarſapar. rad. & tantill. de ligno ſancto. Saltem blandis diaphoreticis res tentanda prius, deinde ad volatilia accedendum. Infuſa vegetabilium, Tinct. Bezoar. M. Mixt. ſimpl. Liqu. CC. ſuccin. Spir. Bez. Buſſii. Salia volatilia &c. Pruritus nimius expoſcit Anodyna, ideoque addidi Eſſ. theriacal. anodyn. aut Croci Eſſ. ubi ſpasmus conſopitus fuit. Externè cum acrimonia intra cutem & cuticulam hæreat, balneum aqu. ſimpl. proficuum vidi, ſic enim materia corpore eſt evocata & externe intra poros delata. Sic lac corpori externè admotum, egregie conducit. Ex internis remediis ſpecifica ſunt aliqua, radix Fumariæ bulboſæ, non cava minor, ſ. Ariſtolochia fabacea, aut Capnos fabacea Lobelii dicta vid. Pinac. Bauhin. p. 144. n. 3. Tabernæmont. p. 94. n. 10. (quia radix piſi majoris ſive fabæ majoris & lupini faciem præ ſe fert) intus in ſe continens pulv. fabaceum facilè friabilem, ubi, ſi ejus ℈j. vel pro adultioribus ʒß. in aqu. Card. Ben. aſſumatur, mirè expellit maculas. Eſſentiam fl. lil. convall. aliquando in adulto profuiſſe novi, dum iſte vir per aliquot dies continuaſſet hujus uſum, & poſtea corpus ad ſudorem diſpoſuiſſet, & ita radicitus curatus fuit.

Pruritum mitigantia.

CASUS

Casus XIIX.

FLUOR ALBUS.

Hiſtoria morbi.

DEmſelben wird nicht unbekandt ſeyn/ wie ich vor 6. Monathen mich zum andern mal mit einer Jungfrau von 26. Jahren verheurathet/ und weil ich in ſolchem Ehſtande/ wegen eines ſehr ſchlimmen Accidentis meiner Frauen mich höchſt unglücklich befinde/ bitte mir mit Rath und That an die Hand zu gehen. Ihre Beſchweerung iſt folgende: So offt ich mit ihr eheliche Liebe gepflogen/ welches doch die gantze Zeit nicht über 4. mal geſchehen/ gehet aus ihren genitalibus eine groſſe menge garſtige glutinoſa gelbe und grünlichte Materie/ welche nicht alleine das Bette häßlich zurichtet/ ſondern auch an meinem membro und ſcroto bald darauff eine ſchmertzhaffte Röthe und Geſchwulſt/ anbey auch/ daß ich den Urin nicht ohne groſſe moleſt und faſt dergleichen Materie mit Blut vermiſchet/ weglaſſen muß/ verurſachet/ welches mir doch nach einigen Tagen wieder von ſich ſelbſt vergehet. Ob nun auch auſſer dieſer Zeit dergleichen garſtiges Weſen von ihr meiner Frauen gehe/ weiß ich nicht/ weil ſie alles ſorgfältig vor mir verbirget/ doch vermuthe es/ weil ſie zu gewiſſen Zeiten ſehr ängſtlich thut/ in einander fähret/ und mit den Gliedern hefftig zucket. Ihrer Sage nach wil ſie bey dem erſten Congreſſu aus verurſachten groſſen Schmertzen ſolchen Zufall bekommen haben/ welches doch nicht glaube/ ſintemal ſtracks/ als ich ihr das erſte mal beygewohnet/ ſolche garſtige Materiam an mir und an dem Bette obſerviret/ welches ich bey meinem erſten Weibe nie wahrgenommen; Iſt demnach ein Mittel in der Welt/ vor dieſen Zufall/ ſo bitte den Herrn D. darum/ weiln bey ſolchen Umſtänden auch um aller Welt Guth nicht möglichen mit ihr eheliche Liebe zu pflegen.

TE non latere arbitror, quod ſex abhinc retrò menſibus ad ſecunda vota tranſierim cum virgine ſex & viginti annorum, & quia in hoc matrimonio ob deteſtabilem uxoris meæ affectum malè admodum mecum agitur, tuum mihi conſilium auxiliumque expoſco. Malum, quo laborat, tale eſt: quoties cum illa congredior, quod tamen vix quater omninò factum eſt, magna copia materiæ putridæ, glutinoſæ, & ex luteo vireſcentis ex illius genitalibus profluit, quæ ſtragulas non ſolùm turpiter commaculat; Sed membro etiam ac ſcroto meo doloroſum ruborem ac tumorem, moleſtam prætereà urinæ & cum ſimili ferè purulenta materia permiſtæ excretionem procreat, quæ omnia tamen in me poſt paucos iterum dies ſponte evaneſcunt. Utrum verò extra hoc tempus quoque ſimilis materia fœtens ex conjuge mea prodeat, ignoro, quoniam omnia à me abſcondit, quàm maxima fieri poteſt ſolicitudine ac cura. Tale quid tamen ſuſpicor, quia certis temporibus admodum dolere videtur, cohorreſcit, & in membris vehementer convellitur. Ipſa quidem ex inſigni primi congreſſus dolore hunc ſibi morbum eveniſſe perhibet, quod tamen minime credo, ſiquidem in primo ſtatim concubitu putridam ejusmodi materiam in me ac ſtragulis obſervavi, quale quid in priori mea conjuge nunquam deprehendi. Si quod igitur remedium ſupereſt, quod huic malo mederi poſſit, mecum ut impertiaris rogo, quoniam his quidem poſitis circumſtantiis totius etiam orbis terrarum divitias nolim accipere pro exercendo cum illa concubitu.

Explicatio.

ESt fluor albus muliebris præſens affectus, dicitur quoque fluxus menſtruus albus, ſed falſò.

Diagn. & Differentia

Ordinarie materia excreta colorem album præ ſe fert. Multos & varios morbos cognatos habet, unde ſæpe confun-

funditur cum iis. 1) Enim contingit, ut menſtrua diſcolorata ſint, carnis loturam præ ſe ferentia, & hic affectus menſium diſcoloratio audit; ſed notetur, dum ceſſat ordinarius fluxus menſtruus, ultimò ſangvis profluens loturam carnis exhibet, hinc ne confundatur cum menſiū diſcoloratione. 2) Alio tempore effluit materia alba tenuis ſine morſu; alio tempore ſpiſſior, nunc peregrinis coloribus, viridi flavoque conſpicua, nunc cum, nunc ſine fœtore, modo cum, modo ſine dolore &c. Si effluit materia tenuis, ſineque morſu, dicitur rhevmatiſmus uteri à *Primeroſio*, *Charletono*, it. gonorrhœa ſimplex; Et licet materia paulo ſpiſſior & mucoſa, modò ſit alba, & profluat ſine dolore, adhuc fluxus talis pertinet ad rheumatiſmum. Quando verò acrimonia adeſt, peregrinus color & dolor non minus inter excernendum, quàm in regione dorſi ſentiatur, audit gonorhœa virulenta. *Heurnius* hunc ultimum affectum profluvium muliebre, prioris verò generis profluvium uterinum minus accurata diviſione appellat.

Noſter affectus eſt fluor malignus; ſerum enim eſt corruptum & ſanioſum, arroſitque partes vaginæ uterinæ.

Differt à diſcoloratione menſium, quod fluxus hic non ſervet menſtruum tempus, ſed illo tempore, quo coitus celebratur, effluit.

Differt à rhevmatiſmo ratione materiæ excretæ, hîc enim viſcida & acris eſt. Differt etiam loco affecto, hîc enim uteri interiora affecta ſunt, cum in menſium fluxu & rhevmatiſmo ſaltem in vaginæ uterinæ exteriori paululum parte tale quid notetur; In gonorrhœa virulenta non univerſæ glandulæ vaginæ uterinæ, ſed potisſimum lacunæ proſtatarum afficiuntur, hæ enim tempore coitus ſerum ordinarie effundunt. Ulcera verò uteri circa cervicem uteri hærent, nec ob dolorem fœminæ ejusmodi coitum ferre poſſunt, & effluit poſtea materia purulenta ſangvine intermixta.

Cauſa eſt acrimonia & viſciditas humorum, ubi tunc, ſi non ſtatim excernatur, peregrinum colorem aſſumunt, quemadmodum in muco narium, ſi ſerum diutius in coryza intra nares hæſerit, obſervare licet.

remota. Cauſa mediata; ſi ſubjecta fuerint ſucculenta, habitent in locis frigidis vel humidis, ubi pori conſtipantur, impediturque tranſpiratio inſenſibilis, ut ita colligantur humores, & ſi inhabitent loca calidiora, ubi ſerum exhauritur, remanentque partes ſpiſſæ, quemadmodum id de mulieribus Hiſpanicis notatum eſt in *M. N. C. D. 1. A. 8. c. 28.* & *Schenck.* de puellis annotavit, quod nec tenera hæc ætas ab hoc affectu excluſa ſit. Nam & ego in puellis 4. annorum fluorem album ſatis moleſtum notavi. Ex dictis jam cauſis glandulæ diſponuntur ad ejusmodi catarrhos, adeo, ut affectus hic tandem fiat chronicus, vel ſaltem frequenter redeat.

Symptomata Symptomata ſunt inflammatio & ſuppuratio in genitalibus. Frequentisſima & pesſima cauſa eſt contagium.

Cura proponens In Curatione attendendum, ut humores corrigantur, abundantesque evacuentur. Primæ ante omnia viæ expurgentur & corrigantur, aliàs nunquàm ceſſabit gonorrhœa, ubi reſolventia, e.g. roſmarinus, lamium, menth. viſc. quernus, melilot. alb. decoct. lignor. &c. per aliquod tempus continuentur, donec humores viſcidi abſorbeantur. Poſtea conveniunt abſorbentia, quibus adjungenda Martialia, imprimis electuarium in *Act. Haffn. Vol. 5. p. 123.* commendatum. Huc ſpectat decoct. rad. Chinæ, quod acrimoniam involvit. Deinde ſubjungantur evacuantia, eaque ſæpiùs continuentur. In eroſione balſamica, e. g. balſ. copayv. ſimpl. ſub gutt. forma vel emulſ. *Remedia interna.*

Externa. Externè conveniunt peſſaria, quæ partes à ſordibus repurgant, v.g. ex melle cum aliis. Balnea ſive artificialia v.g. ex alumine, ſulph. & gypſo; vel baln. aqu. ſimpl. ſive naturalia, ut thermæ, quæ tamen parum conveniunt. Si affluxus nimius, ad illas partes, deveniendum eſt ad adſtringentia, quæ tamen non niſi ultimo

ad-

adhibenda. Suffimigia, quæ acrimoniam inviſcant ſimulque adſtringunt & exſiccant, ne negligantur, ex gummatibus ſcil. notis, it. fotus aceti; Injectiones ex balſ. copayv. emulſ. tereb. &c. fiant.

Casus XIX.

PLEURITIS.

Hiſtoria morbi.

AN vergangener Mittwoche haben etliche leichtfertige Vögel des Nachts in meinen Pferde-Stall eingebrochen/ in willens/ weil die Knechte dazumal im Brauhauſe bey dem Biermiſchen ſich befunden/ ſolche unterdeſſen zu ſtehlen; Alldieweil aber die Ketten-Hunde ſolche Gäſte verſpühret und hefftig zu bellen angefangen/ iſt mein Volck/ um zu ſehen was verhanden/ zuſammen gelauffen/ und hat dadurch nicht allein die Diebe verſtöret/ ſondern auch einen von ihnen ertappet/ welchen ich bald mit einer Wagen-Kette feſt an den Leibe ſchlieſſen/ und in das Gefängniß bringen laſſen; des Tages drauff klaget der Dieb über ſtechen der Bruſt und kurtzen Athem/ und bittet hefftig die Kette loß zu machen/ welches ich dennoch nicht habe thun wollen/ damit er nicht durchwiſche/ und alſo iſt er noch 4. Tage mit ſolchen Banden blieben/ bis geſtern Abends/ da er noch immer noch mehr über Bruſtſtechen lamentirte und Hitze darzu bekommen/ auch viel geronnen Blut/ wie er ſaget/ mit groſſen Schmertz auszuhuſten angefangen/ da ich ihn dann von der Kette loß machen/ und durch die Gerichte bewachen laſſen. Der Dieb wird immer kräncker über den Blutausſpeyen und Huſten/ und befürchte/ er möchte mir ſterben/ welches ich deßwegen nicht gerne ſehe/ weil ich meine Gerichte durch ihn zu beſtätigen geſonnen. Bitte demnach ſo wol wegen der Kranckheit als dero Urſachen/ und was ich mit den Kerl anfangen ſol/ zu berichten.

PRæterito die Mercurii noctu fures aliquot ſceleſti in equile meum irruperunt, equos meos interea, dum equiſones cereviſiæ coquendæ intererant, abducendi cauſa. Quoniam vero canes loris revincti animadverſis illis ingentem in modum latrare cœperunt, domeſtici mei accurrerunt, ut, quidnam ageretur, viderent, & hoc pacto non ſolum fures abegerunt, ſed unum quoque ex iſtis apprehenderunt, quem ilico majori catena firmiter circa pectus ligari & in cuſtodiam deduci juſſi. Poſtero die fur de punctura pectoris & reſpirandi difficultate conqueritur, oratque majorem in modum, ut catena ipſum liberare velim, quod tamen, ne aufugere queat, facere nolui, & ſic per quatuor adhuc dies in vinculis illis remanſit, usque ad heſternam veſperam, quâ magis atque magis de pectoris punctura queri, æſtuque infeſtari, ac congrumatum ſanguinem, cum exquiſito, ut ajebat, dolore rejicere cœpit, quo facto illum catena liberandum, & à certis hominibus cuſtodiendum curavi. Fur autem periculoſius ſubinde decumbit ex hoc cruento ſanguinis ſputo ac tuſſi, mortemque illius timeo, quæ certè minùs commoda mihi accideret, ſi quidem jura mea illius ſupplicio confirmare conſtitui. Proinde peto, ut non minùs de morbo, quàm cauſis ejus, quidve cum illo incipiendum ſit, me velis pleniùs informare.

Explicatio.

STagnatio ſangvinis & inflammatio eſt muſculorum pectoris externorum & internorum, una cum pleura. Non accuratè juxta Galenum pleuritis eſt, illa enim dicitur, quando pleura internam pectoris concamerationem obtegens ſolitariè afficitur. Verùm levis & nulla diſtinctio hic adeſt *Galeni*, dum certum eſt, & pleuram una cum pulmonibus hic eſſe affectam.

Si-

a. Signa: Dolor punctorius & lancinans inter reſpirandum exquiſitiſſimus, febris nonnunquam ſymptomatica & ſangvinis ſputum. Hæc omnia in noſtro ægro adſunt, certiſſimum ergo eſt, adeſſe quoque pleuritidem.

ſa ante-ns. Cauſa antecedens commotio ſangvinis eſt im Einbrechen / & à terrore, cum caperetur, ubi & fuſtibus ſine dubio exceptus fuit. Acceſſit injuria externa, ſcil. injectio catenæ, ubi ab omnibus his cauſis ſangvinis circulatio ſufflaminata eſt.

ptomata. Dum partes adjacentes & pleura ſenſatiſſimæ eſſent, acceſſit primo dolor, unde ſuperveniente ſtagnatione ſangvinis, neceſſario inſecuta eſt inflammatio. Febris ſymptomatica ſicut in omnibus inflammationibus, ita & in præſenti caſu adeſt.

rognoſis Prognoſis: non equidem per ſe conſiderata pleuritis triſtis eſt, ſed accedentes aliæ circumſtantiæ illam utique periculoſā reddunt. In noſtro ægro diu jam ſtagnavit ſangvis, adfuitq; inflammatio, inde prope eſt Gangræna & ſphacelus, qui & poſt tertium diem in hoc ægro ſupervenit lethalis. Periculum in noſtro ægro majus fuit, quoniam per catenam fibræ violenter conſtrictæ & laceratæ, unde ſangvinis refluxus difficilior.

ura. Cura: primò ſangvis ſtagnans diſcutiendus, pro quo ſcopo ante omnia convenit venæ ſectio. De loco, ubi vena tundi debeat, diſputatur inter Autores,

o late-na ſe-a ſit? quidam eligunt latus morboſum, quidam oppoſitum. *Foreſtus L. 16. O. 32. & Hildan. C 5. O. 3.* omnino pro illa ſententia militant, debere venam tundi in latere oppoſito, neutiquam in affecto, quoniam ſangvis magis ad latus affectum traheretur. Sed recte *Williſ. ex Harveo* rejicit hanc ſubtilitatem & in quocunque latere Venæſectionem admittit. In noſtro ægro nullus ſelectus faciendus, nam inflammati ſunt omnes muſculi in utroque latere, igitur quodcunque latus ſeligatur nihil obſtat. De quantitate ſangvinis emittenda quidem diſputant, quidam ad pallorem ægri illam ſvadent, ſed ſaltem vires reſpiciendæ ægri, ac potius reiteranda Venæſectio, ne una vice ſangvis & vires exhauriantur. *Quouſque ſangvis mittendus?* Per Venæſectionem ſangvis iterum in motum agitur, ſed cavendum, quemadmodum in hoc ægro factum, ne ſangvis magis per Venæſectionem moveatur ad locum affectum.

Interna remedia. Alvus quoque ſervanda eſt libera, ne diaphragma à fecibus incuneatis prematur, igitur clyſmata emollientia injicienda. His factis conveniunt, quæ ſangvinem reſolvunt, ubi oc. cancr. antimon. diaph. Mandib. luc. piſcis, ſangv. hirci, rad. rub. tinct. ſtercus capr. & ovill. alcalia, Spir. Bez. Busſii, Tinct. Bez. Mich. Spir. C. C. & quicquid vim habet ſangvinem reſolvendi. Et cum dolor ſimul urgeat, inſufficientia ſunt reſolventia, ut anodyna ſimul jungantur. Sylvius terrea cum acidis hoc in caſu pro ſcopo reſolvendi commendat.

Externa. Externa quoque remedia hic admodum conveniunt; eô enim elaborandum ut ſangvis congrumatus reſolvatur. Conveniunt ergo ungv. Mart. oleum anethi, cumin. laterum, catapl. ex cepis toſtis, ex eupat. menth. abſinth. & Nervinis, quæ virtutem ſimul habent reſolvendi; it. vinum calidum. *Foreſt.* laudat oleum deſtill. Aniſi, tanquam evporiſton. Conveniunt etiam actu calida, cataplaſmata & fotus, niſi verò his ceſſerit ſtagnatio, ſcarificatio loci affecti non inconſulta eſt, ut ſangvis ſtagnans educatur. Hæc omnia præ ungvento refrigerante & cataplasmate emolliente locum habent.

Casus XX.

ULCUS RENUM.

oria i. ES iſt allbereit eine geraume Zeit/ nemlich faſt 6. Jahr/ daß ich mein Leben immer mit einer anhaltenden

Multum jam temporis ſex nimirum anni ferè effluxerunt, ex quo vitam meam inter conti-

Schwachheit/ beſonders aber continuirlicher Hitze und gäntzlicher contabeſcenz zu bringe/ daran mir/ leyder! noch kein Medicus Rath ſchaffen kan/ ja viele/ ſo ich deßwegen conſuliret/ wiſſen ſich gar nicht in die Kranckheit zu ſchicken/ oder ſind doch mit den andern Medicis nicht gleichſinnig über die Beſchaffenheit meiner Maladie. Habe dannenhero auch in dieſem Elende zu dem Hn. Doct. meine Zuflucht nehmen wollen/ deſſen guten Raths mich zu bedienen. Es ſind viele/ welche mich vor ſchwindſüchtig halten/ weil ich ſo gar abgenommen/ daß die auffs äuſſerſte zuſammen geſchrumpelte Haut kaum die Knochen bedecket; Andere haben die Schuld in Magen geſuchet / und bald anfangs mich ſo wol vomiren als per inferiora ſ. v. purgiren laſſen/ auch andere mehr Magenſtärckungen verordnet/ und alles ſolches darum / weil ich gantz keinen oder gantz miſerablen Appetit zum Eſſen faſt continuirlich verſpühret; Andere widerſprechen beyden/ weil kein Huſten oder Auswurff aus der Lungen bey mir ſich ereignet und die ſtomachica & evacuantia mir mehr Schaden als Nutzen zugezogen / und dieſe ſuchen die Kranckheit bald in Verſtopffung der Miltz/ Leber/ Pancreatis, oder in der Nieren/ und alſo faſt in einen iedweden viſcere abdominis: Unter allen aber haben/ ſo viel ich verſtehe/ noch die meiſte probabilität vor ſich / welche pro ſede mali die Nieren auff der lincken Seite achten/ weil von 36. Jahren bis ins 40ſte/ da ich nach und nach in dieſen elenden Zuſtand gerathen / immer zu hefftigen Ungemach von Stein gelitten / ſeit ſolcher üblen Zeit aber gantz frey von ſolcher Steinbeſchwehrung und nicht das geringſte mehr durch den Urin gegangen; Sie wollen ſolches ſo wol aus den faſt unabläßlichen Schmertzen/ Stechē und Drücken / welches ich an beſagten Orte fühle / und nechſt dieſen auch aus dem Urin ſchlieſſen/ welcher zwar wenig oder nicht an der natürlichen Farbe geändert/ dennoch iederzeit faſt bis auff die helffte ein dickes und faſichtes weißgraulichtes ſedimentum ſetzet/ doch kan ich

nuas ægritudines præcipue vero æſtus indeſinentes totalemque contabeſcentiam traxi, quibus extirpandis proh dolor! nullus hactenus Medicorum ſuffecit, quin potius multi, quos hac de cauſa conſului, quidnam de morbi hujus genio dicendum ſit, ignorant, aut certè cum reliquis Medicis de conditione affectus mei non conſentiunt. Quapropter in hac quoque miſeria ad Te, Vir Celeberrime, confugere, Tuoq; conſilio uti volui. Multi ſunt, qui me pro phthiſico habent, quoniam adeò contabui, ut contracta & corrugata ad ſummum cutis vix oſſa tegat. Alii cauſam in ventriculo quæſiverunt, & ſtatim ab initio tùm vomitoria, tùm purgantia propinarunt, aliaque ordinarunt, quæ ventriculum corroborarent, & hæc omnia ideo, quia perpetuo nullum prorſus, aut certè debilem admodum ſenſi cibi potusque appetitum. Alii verò utrisque contradicunt, quoniam nec tusſim aut rejectionem materiæ ex pulmonibus fuerim expertus, illaque ſtomachica & evacuantia plus mihi nocuiſſe, quàm profuiſſe aſſerunt, & hi morbi fomitem nunc in lienis, hepatis, pancreatis, aut renum etiam, & ſic in ſingulorum fere viſcerum abdominis obſtructione quærunt. Inter omnes tamen, quantum ego quidem intelligo, hi ad veritatem quàm proximè accedere videntur, qui pro ſede mali renem ſiniſtri lateris venditant, quoniam ab anno inde trigeſimo ſexto usque ad quadrageſimum, ex quo tempore ſenſim in hunc miſerrimum ſtatum decidi, vehementibus ſubinde calculi doloribus laboravi. Ab illo calamitoſo autem tempore liber omnino fui ab hiſce calculi doloribus, neque vel minimum per urinam excrevi. Fundamentum ſuæ hujus opinionis ſtatuunt tum in continuis doloribus, puncturis, & preſſuris, quas dicto loco percipio, tum in urina, quæ quidem pauca nec à naturali colore recedens craſſum tamen continuò, fibroſum & ex albo nigreſcens ſedimentum ad mediam ferè

ſol-

ſolchen Urin allemal nach Belieben verhalten und ohne Beſchwehrung weglaſſen. Ich bitte um geneigte Antwort wegen des morbi, ingleichen auff was Maaße ſolchen zu helffen.

partem continet. Hanc tamen ego ſemper urinam pro lubitu & retinere, & absque difficultate reddere poſſum. Benevolam tuam reſponſionem tàm de morbi conditione, quàm remediis ejusdem mihi expoſco.

EXPLICATIO.

ÆGer præſens ulcere renum per aliquot annos laboravit; cum verò vitium in interioribus lateat, neceſſe eſt, ut adſpiciamus ſigna, id enim contingit in morbis chronicis, quando diverſa ſymptomata ſuperveniunt, ita ut cauſa morbifica non ſtatim innoteſcat.

[Dia]gnoſis. In Diagn. ergo notandus eſt 1) accuratus renum ſitus, quo ex doloris ſede posſimus illos vitiatos cognoſcere; 2) Clarius redditur ſignum renis vitiati ex urina excreta copioſo ſedimento referta. Sed nondum conſtat certitudo ex ſedimento, quia & pituita tale ſedimentum ſæpius colore & conſiſtentia præbet, uti in cachecticis contingere ſolet, it. ſemen in Gonorrhoea virulenta. Igitur notetur, materiam hanc 1) eſſe pus, 2) pus ex renibus proventum; non enim ulcus veſicæ eſt, aliàs dolor in ingvine & mictus doloroſus eſſet; Deinde cadit etiam ſuſpicio Gonorrhœæ, ex eo, quod mictus doloroſus abſit; tandem etiam contra ſtat copia excretæ materiæ; Ut itaque certitudo puris eluceſcat, *Horatius Augenius* hæc ſigna tradit, ſemen innatare urinæ, pituitam fundum petere, purulentam verò materiam ita eſſe urinæ mixtam, ut non fundum petat, ſed per totam urinam fluctuet. Sed incertum ſignum eſt, nam pituita non ſemper ſubſidet, verùm aliquando in medio quoque fluctuat, formatque nubeculas; Semen etiam non ſemper ſupernatat; Major pro in ex inſpectione habetur, ſi ſcil. ſedimentum eſt lacteum & virideſcens ac reſolutum, puris ſuſpicio adeſt. Pituita enim conſiſtentiam habet magis tenaciorem & ſibi cohærentem. Alii ex odore ſigna hauriunt, quia nimirum pus fœtorem cadaveroſum ſpiret; Sed perpetuæ veritatis non eſt, ſi ulcus enim fuerit chronicum, nullum aut exiguum fœtorem ſpirat. Clarius adhuc patet res, ſi urina per linteum tranſcoletur, relictaque materia purulenta injiciatur carbonibus, fœtorem inſignem ſpirat. Item ſi vas urinale aquæ tepidæ immittatur, ſedimentum, ſi pituitoſum eſt, ſtatim ſolvitur & urina clara redditur, ſin pus, remanet ſedimentum priori conſiſtentia.

Cauſa antecedens & primaria eſt conſtitutio ægri calculoſa, refert enim ille, ſe per plures annos calculo laboraſſe, à calculo enim læſi fuere renes & hinc exulcerati. Ac quoniam conjunctus eſt dolor compresſivus, lancinans & punctorius, admodum probabile eſt, adeſſe calculum majoris magnitudinis, quemadmodum & in illo ipſo cadavere poſt obitum diſſecto vidi calculum molis ſatis notabilis, renem dextrum planè abſumptum præter membranam craſſam relictam, ita ut ren inſtar ſacci appareret: alter verò ren cum pauliſper ſaltem illo afficeretur, exin æger quoque mortuus fuit. *Cauſa antecedens.*

Prognoſis non niſi triſtis. 1) enim morbus inveteratus eſt. 2.) Suſpicio eſt, renem illum affectum maximam partem eſſe conſumptum, quemadmodum diſſectio id monſtravit, ſubſtantia enim fibroſa plane erat conſumpta. 3.) Adeſt hic contabeſcentia, appetitus proſtratus, febris ſymptomatica, quæ ſatis periculoſa ſunt ſymptomata. *Prognoſis.*

Cura ſi recens ulcus eſſet, ſufficerent abſtergentia lenia, e. g. Rad. Sarſapartill. Chin. Lign. Lentiſc. Nephrit. Saſſafr. fruct. Jujubar. & Sebeſten, quæ decocta per aliquod tempus exhibita egregie purgant. Sic radicem Cyperi & Schœnanth. commendat *Sim. Pauli* Q. *Cura.*

B.p. 283. Sic Muſſum, Syr. de Jujubis, de portulaca, Mellita & ſaccharata, quæ vim abſtergendi habent, ipſaque lacticinia conveniunt; Notetur ſaltem, quod primò lac aſininum tanquam tenue & ſale turgidum præ omnibus conducat, dein ubi pus ulcerat, lac caprinum tanquam ipſiſius ſubſtituatur, tandem verò ubi illud fluere deſinit, lac bubulum & ovillum convenit. In noſtro ægro convenit lac caprinum, modo ne in nimia quantitate hauriatur, ne ventriculi tonus jam debilis magis perdatur, ſufficit de die ℔j. cum addito ſaccharo canarienſi, ne coaguletur, vel cum vitello ovorum tempore coctionis commiſceatur. Pro ſcopo conſolidandi conveniunt vulneraria adſtringentia, pauloque viſcida, hinc bolus Armena à *Foreſto* commendatur, item Gummi Tragac. Arab. &c. quæ ſingulis diebus cum lacte aſſumenda. Convenit quoque Hypericum & optime decoctum Petroſelini, quod tanquam anodynum ſimul ob gelatinoſitatem laudandum, balſamaque ipſa nativa, Copayva, Terebinth. &c. in minori tamen doſi exhibeantur, diureſin enim movent, & cum partes illæ ſint læſæ, facile mictum cruentum excitarent. Anodyna quoque conveniunt, externè ſub cataplasmatum forma ex emollientibus. Febris arcetur antifebrilibus, Lap. cancr. Antih. poter. &c.

Casus XXI.

DENTITIO DIFFICILIS.

Hiſtoria morbi.

ES ſind nunmehro ſchon 4. Tage und Nächte/ da mein kleiner Sohn von 23. Wochen weder Tag noch Nacht Ruhe hat/ ſondern faſt an einen Stück ſchreyet/ und ſich im Bett herum wendet/ daß es uns Eltern im Hertzen jammert. Es hilfft kein Wiegen oder ander Mittel/ damit man die Kinder zu ſchweigen pfleget/ ja auch die Bruſt der Ammen/ die ihn vor allen ſtillen kan/ nimmet er entweder gar nicht / oder nicht anders als mit weinen/ und hin und herfaſeln; ſo bald er etwas genoſſen/ bricht er ſolches entweder wieder weg/ oder es gehet durch den Stuhl/ iedennoch nur wie Schleim und faſt wie Brunnen-Waſſer; Geſtern hat er Hitze darzu bekommen/ und iſt gantz heiſch und engbrüſtig worden/ er geiffert dabey ſehr/ und wil durchaus nicht leyden / daß man ihme ſeine angehenckte Cryſtalle oder die Finger in den Mund ſtecke; hingegen beſchweret ſich die Amme/ daß er ſie unter den Stillen offt ſo ſcharff mit den Zahn-Fleiſch an die Wartze quetzſche/ daß ſie es kaum zu ertragen wiſſe. Der Herr Doct. berichte doch/ was er von des armen Kindes Kranckheit hält/ und was wir ſo wol in gegenwärtigen als zukünfftigen Zufällen brauchen können / inſon-

QVatuor jam dies noctesque præterierunt, ex quo filiolus meus trium & viginti hebdomadum continuo inquietus plorat, jactaturque in lecto, quæ res nos parentes maximo dolore discruciat. Nulla cunarum agitatio, aut aliud quidpiam ad ſedandos infantum ploratus excogitatum heic prodeſt, quin etiam mammmas nutricis, quæ illum faciliimo aliàs negotio tranquillum reddere poteſt, vel prorſus non recipit, vel tamen non niſi cum ejulatu, & volutationibus continuis. Quamprimum aliquid aſſumſit, aut per vomitum illud rejicit, aut per alvum inſtar mucoſæ tamen, & ad aquæ fontanæ liquorem fere accedentis materiæ deponit. Heri æſtus acceſſit, raucedo & pectoris anguſtia; præterea multum ore ſpumeſcit, nec ferre poteſt, ut quis cryſtallos ejus appenſas aut digitos ori immittat. Contra nutrix conqueritur, quod inter lactandum gingiva ſua adeo arcte papillam ipſius comprimat, ut vix queat perferre. Nobis, quid de morbo miſelli infantis ſentias, indices velim, & quid tum in præſentibus, tum futuris ſymptomatibus, præſertim vero, ne epilepſia accedat,

der-

derheit aber/ und welches wir am meiſten fürchten/ daß nicht die ſchweere Noth darzu ſchlage.

quàm maximè veremur, adhibendum cenſeas.

EXPLICATIO.

PRæſens affectus *Dentitio* difficilis eſt, dum ætate citata dentes infantibus ſolenniter prorumpere ſolent, in aliis tamen citius, in aliis verò tardius pro conditione nutrimenti; Si enim nutrimentum ſive lac maternum terreſtreitatibus abundat, citius illa eruptio contingit, quàm ſi lac tenuius fuerit, hinc infantes, qui veſcuntur pulmentis, citius etiam dentes accipiunt. Sub nativitate ſiquidem dentes ſub gingivis delitéſcunt, ſub facie ſimplicis membranæ, contortæ in meandros, ac continentis gelatinoſam ſubſtantiam, quæ accedentibus particulis terreis in oſſeam degenerat. Sic memini quod puella aliqua matre defuncta cremore ptiſanæ nutrita ſtatim II. ſeptimana ætatis omnes dentes acceperit.

…tio, cur …tes nunc …ius nunc …dius e…mpant. …ura den…m in re…s natis.

…mplum …maturæ …titionis.

…na.

Non ſufficientia diagnoſtica conſtituunt reſpuitio mammarum, vel quod ſpatio interrupto ſaltem mammas arripiant, niſi alia adfuerint ſymptomata, vomitus ſcil. raucedo, anguſtia pectoris, quæ ſymptomata equidem in catarrhis quoque advertuntur, verùm hæc ſi concomitetur ſputatio continua & dolor gingivarum, qui cognoſcitur, quando infantes non permittunt digitos ſibi ori intrudi, aut cryſtallo gingivas teri reſpuunt; tunc certisſimum criterion adeſt dentitionis difficilis.

…le ſputa…ontinua?

Contingit autem ſputatio continua, quando vicinæ partes per conſenſum afficiuntur, ſicque à ſpasmo illarum partium contractio & ſubſequens ſalivæ excretio contingit.

…auſa.

Cauſa hujus affectus eſt gingivarum crasſities & inæqualitas dentium, ratione cujus non fieri poteſt perforatio. Gingivæ dum intertextos habent ramulos nervoſos, ſi talis attingatur, ſequitur dolor & ex conſenſu vomitus, diarrhoea, raucedo & pectoris anguſtia, pariter ex ſpasmodica affectione. A ſpasmo etiam æſtus, dum ſcil. ſangvis à corde propulſus per partes ſpasmo correptas transire nequit, incaleſcit & gignit ejusmodi phlogoſes æſtusque.

…oris & …quorum …ptoma…ratio.

Prognoſis. Prognoſis. Nunquam non periculoſa eſt dentitio difficilis, cum facile ſymptomata hæc degenerare posſint in diros motus convulſivos.

Cura. Cura requirit ut craſſities gingivarum tollatur & dolor mitigetur. Craſſities in ipſo paroxyſmo non tollenda, ſed antequam dentitio immineat. *Præſervativa.* Non diſplicet ut omnibus infantibus ſtatim à nativitate fricentur gingivæ, nam & ex hac ratione appenditur ipſis cryſtallus, dens lupi &c. vel concreta molliora, v.g. rad. glycyrrh. candela cerea, rapa paſſa &c. quibus ſenſim ſenſimque gingivæ extenuantur. In ſpecie & nutrices gingivas in anteriore maxillæ parte ſedulò fricent, quippe ubi primum inciſores erumpunt; quo præſervativo adhibito, nunquam dentitionem difficilem in illis infantibus ſubſecutam vidi. *Diarrhœa heic ſalutaris.* Diarrhœa non attendenda, quia materia viſcida per alvum educitur, & ab epilepſia infans præſervatur. Conveniunt nihilominus antiſpaſmodica, quibus tuſſis, raucedo, & anguſtia pectoris tollitur, iisque terreis antiſpaſmodicis addenda papaverina, ſyrup. pap. rhœad. pap. alb. & cap. & ſem. *Cautela in præſcribendis opiatis.* Occultanda ſunt opiata, ne adſtantes ſciant, talia ineſſe medicamentis. Ego nunquam Pharmacopœis præſcribo inſtillare Eſſ. Opii, ſed ipſe ad potiunculam ex ℥j. conſtante guttulam unam vel alteram inſtillo, it. ad 12. vel 15. pulveres addo gr. j. laudani; it. theriacæ ſive mithridatii einer Linſen groß/ egregie convenit, optimeque dormiunt pueruli.

Casus XXII.
SCABIES HUMIDA.

Hiſtoria morbi.

Ich muß wieder den Herrn Doctor mit meiner Kinder zugeſtoſſenen Kranckheit beſchwerlich fallen / und mich Raths bey ihm erhohlen; Denn nachdem mein älteſter Sohn von 12. Jahren die fette Krätze mit aus der Schulen nach Hauſe gebracht; hat er die andern Kinder / ja auch letzlich die Mutter und Kinder-Mutter angeſtecket / daß es gantz erbärmlich anzuſehen wie die armen Kinder zugerichtet / und können kaum die Hände zum Maul bringen / ſo ſehr ſind ſie geſchwollen und auffgelauffen / und weil ſie immer zu groß Jucken empfinden / reiben ſie alles am Leibe auff / daß wir ſie gantz mit alten Lappen umwinden und einkleiden müſſen / welche ſo wir ſie abnehmen wollen / nicht alleine groſſe Schmertzen verurſachen / ſondern auch die Haut und alles was anklebet / mit wegreiſſet. Jetzo krieget der älteſte einen böſen Kopff und die Hauptdrüſe darbey; Wir haben wider die Krätze eine Salbe aus Aland / Hollwurtzel / Schweffelbl. und Schweinenſchmaltz / und ſchmieren des Tages ſie 2. mal damit; wenn es gut gethan / berichte er es / wo nicht / ſo ſchicke er was anders / ich bezahle alles mit Danck.

Morbi liberorum me denuo Tibi moleſtum, tuique conſilii cupidum reddunt, Vir Experientisſime. Poſtquam enim filius meus natu major XII. annorum ſcabiem humidam in ſchola contraxit, reliquos ſimul liberos, imo matrem tandem & nutricem quoque infecit, ut miſerum ſpectaculum præbeant turpiter defœdata corpora. Vix manus ori admovere poſſunt, adeo ulceribus intumuerunt, & quoniam continuo exagitantur pruritu, totum corpus dilacerant, totosque hinc illos pannis circumvolvere & inveſtire neceſſe habuimus, quos ſi removere volumus, novos non ſolùm dolores excitari, ſed cutem quoque & quævis adhærentia ſimul detrahi videmus. Nunc maximus natu tinea quoque laborare incipit, & glandularum in capite tumoribus. Contra ſcabiem utimur unguento ex radice enularum, ariſtolochiæ, floribus ſulphuris, & pinguedine porcina, quo bis ſingulis diebus ulcera inungimus. Quod ſi hoc conducere arbitreris, nobis ſignifica; ſin minùs, aliud quid transmitte. Omnia cum fide perſolvo.

Explicatio.

Scabies eſt præſens affectus, per totius corporis peripheriam conſpiſpicua, nunc ſub forma puſtularum, nunc ulcuſculorum pus fundentium cum pruritu inſigni. Puſtulæ ſunt vel ſiccæ vel humidæ, unde ſcabies dicitur vel humida vel ſicca. Præſens humida eſt, quod ex ſymptomatibus patet.

Cauſa proxima.

Cauſa, quæ primaria & principalis, eſt in poris cutis, qui primo obſtruuntur, poſteaque a materia acri intus collecta eroduntur. In præſenti ſcabie ſunt humores viſcidi & acres, unde non multum differt ab eryſipelate & ſerpigine, hinc eryſipelacei ſæpe experiuntur ſcabiem ſubſequentem.

Unde pruritus?

Materia dum intra poros ſtagnat, primo pruritum movet, poſteaque ſcalpendi deſiderium impr. in junioribus, ſubſequitur, hinc corrugatio cutis fit, & puſtulæ enaſcuntur, quæ exulceratæ præbent ſcabiem humidam, ſerpitque ſemper ab una parte ad alteram, donec totum corpus infectum.

Cauſa remota.

Cauſas remotas quidam in aëre, & quidẽ auſtrali vel autumnali ponunt, à quo humores coagulantur; alii in errores diætæ rejiciunt cauſam, & omnino ex his & ſimilibus rebus ſcabiei

biei

biei anſa præbetur; Aqua in quibusdam locis in culpa, cum qua manus lavantur: Frequentisſima tamen cauſa eſt contagium.

gnoſis. Prognoſis: ex tali ſanguinis conſtitutione ſymptomata admodum rebellia timenda, omni tamen periculo vacat, quoniam in partibus cutaneis hæret; Sed ſi repellatur, ſummum utique periculum infert, ſiquidem ad principia nervorum feratur, ſequitur apoplexia, epilepſia, paralyſis &c. ſic ipſe ex retropulſione ſcabiei aliquem cœcum factum notavi. Nunquam tamen aëris injuria retropulſionem promovet, uti v. g. in petechiis fit, ſed ea potius, quæ ſanguinem viſcidum externè in poris reſolvunt faciuntque fluxilem.

...tas ex ...ie retro-...i. ...nam po-...num re-...nt?

Cura. Cura. Si ex irregulari diæta, acidis, ſalſis &c. M. S. tota alteranda eſt, temperando, incidendo & evacuando. Igitur in ſcabiei humidæ cura conveniunt omnis generis evacuantia, tum cathartica, tum diaphoretica, tum diuretica, ſemper tamen illis hæc addenda, quæ mucum viſcidum reſolvunt, quale quid ſemper efficit mercurius dulcis; acidum ſimul temperando; &ſi una evacuatio non ſufficit, tentanda eſt altera & tertia, ſed notetur & hic, ne quid nimis, minimè enim probari poteſt purgans poſt ſingulos tres dies reiteranda. In ſpecie hoc in ægro, & ubi à ſolo contagio ſcabies orta, non adeo neceſſaria ſunt purgantia, ne humores acres hactenus ſaltem in peripheria exiſtentes ad interiora vocitentur. Si à vitio primarum viarum malum, conveniunt ſola terrea & alcalia, fixa & volatilia, hæc *Helmont.* illa verò *Sylvius* in hoc affectu admodum deprædicant. Inſerviunt quoque hic decocta vegetabilium diaphoreticorum, e. g. vincetoxici, lignorum &c. quibus M. S. viſcida reſolvitur. Tandem & ubi à contagio ſcabies provenit magis noxia eſſe cathartica in praxi obſervavi, ac potius profuiſſe diaphoretica & externa abſtergentia. Mercur. crudus cito quidem ſcabiem tollit, ſed humores vitiati ex partibus externis ad interiora pelluntur, & à pinguibus tranſpiratio inſenſilis impeditur. Conveniunt potius abſterſiva ſalina, & quidem balneum, à quo cutis emollitur & acrimonia obtunditur. Item ſi ſapone corpus crebrius abluatur, non parum juvabit, à vi enim alcalina humores viſcidi reſolvuntur. Mercurius ſublimatus egregiè hic convenit, dilutus in aqua, ſiquidem ejus cauſticitas in aqua ſimpl. admodum temperatur. Primus hunc commendavit *Zapatha Italus* quidam, priori ſeculo, & fatetur, ſe aqv. hac abſtergente omnes efflorescentias curaſſe, e. g. ſi mercur. ſublim. ℨj. ſolvatur in aqua ſimpl. ℔j. ubi primis diebus copioſisſimæ ſubſeqvuntur efflorescentiæ cum pruritu, ſed nihilominus cum euphoria. In unguento vix mercur. ſublim. ℈ß. convenit ad ℥jv. aut ℥vj. unguenti alicujus. Igitur ſola illa aqua abſtergens convenit præ unguentis, quippe quæ poros magis inviſcant. Inter externa laudandus quoque eſt lap. medicamentoſus Crollii, cujus ℥ß. cum aqua vel cereviſia ſecundaria incoquere ægros juſſi, & cum hoc remedio manus abluere.

Cathartica in ſcabie ex contagio noxia.

☿us crudus minus in ſcabie tuto adhibetur.

Inventum Zapathæ Itali.

Casus XXIII.

MALUM HYPOCHONDRIACUM INVETERATUM.

Uber beygeſchickte Hiſtoriam morbi wird des Herrn Doct. Conſilium erbethen. Eine verehelichte Manns-Perſohn von 39. Jahren ſchwacherer

...ria ...i.

De transmiſſa ſimul hiſtoria morbi Tuum, Vir Celeberrime, conſilium expetitur. Vir uxoratus annorum triginta novem textu-

und magerer Leibes Conſtitution, findet ſich nunmehro über 20. Jahr mit vielen Zufällen beſchwehret/ die ſich folgender Art nach und nach angeſponnen und geendet. Erſtlich hat er über Verſtopffung des Leibes angefangen zu klagen/ welche ihme öffters ſo harte zugeſetzet/ daß er über 4. oder 6. Tage nicht zu Stuhle gehen/ oder doch iedesmal mit höchſten Zwange nichts als ausgetrocknete fæces ejiciren können/ und dazumal hat er ſehr unordentliche diæt gehalten/ viel harte/ geräucherte/ ſaure/ geſaltzene und andere unverdauliche Speiſen genoſſen; Nach dieſem iſt er zu einem officio publico promoviret worden/ allwo er immerzu ſitzen müſſen/ wodurch die Maladie immer mehr und mehr angewachſen/ beſonders durch Auffblöhung des Magens und Gedärme/ kurtzen Odems/ Schmertzen des Haupts/ Melancholie und dergleichen; bey ſolchen allen aber iſt der Appetit niemals gemindert/ wol aber zu vielen Zeiten vermehret worden; Und weil dazumal die Peſt an beſagten Ort graſſiret/ hat er zur præſervation ſich täglich eines gewiſſen Peſt-Eßigs/ und zur Cur/ ſo bald er etwas geſpühret/ Oleum peſtilentiale Heinſii, ſich bedienet und ſtarck darauff geſchwitzet/ wordurch er binnen Jahres-Friſt gantz Krafftloß zu werden angefangen/ und nach dieſen bald ſtarckes Reiſſen im Leibe/ bald Auffſtoſſen des Magens/ ietzt mit einen bittern/ ſauren und gemiſchten Geſchmack empfunden. Ob er aber gleich zuweilen viel Medicos conſuliret/ und allerhand Artzneyen in ziemlicher Menge dargegen gebrauchet/ hat zwar dann und wann auff einige Zeit ſich eine kleine Beſſerung ereignet/ niemals aber eine gäntzliche reſtitution erfolgen wollen. Im vorigen Jahre hat er auffs neue Mattigkeit und Schmertzen der Beine/ hernach ſtarck Brennen im Leibe/ ſchwehre Träume/ ſtarck Nachtſchwitzen/ doch ohne merckliche Hitze/ wechſelsweiſe empfunden. Einsmals iſt auch eine groſſe menge Blut durch den Stuhl von ihm gegangen/ dennoch hat er iederzeit noch frey herum gehen und ſeinem Amt vorſtehen kön-

ræ tenerioris ac macilentæ ultra viginti nunc annos multis affectibus laborat, qui ſequenti modo inceperunt ſucceſsive ac deſierunt. Primùm de obſtructione alvi conqueſtus eſt, quæ ipſum ſæpe adeo vehemens invaſit, ut intra quatuor aut ſex dierum ſpatium retrimenta ciborum vix dejicere, aut ſemper tamen cum ſumma difficultate nil niſi fæces induratas exprimere potuerit, & tum quidem vitam egit maximè inordinatam, multum durioribus, fumo induratis, acidis, ſalſis, aliisque cibis concoctu difficilibus uſus eſt. Poſt hæc officio publico admotus multum ſedere neceſſe habuit, quare imbecillitas magis magisque aucta præcipue propter ventriculi & inteſtinorum inflationem, reſpirationem anhelam, dolores capitis, melancholiam, & id genus alia. His tamen omnibus tantum abfuit, ut appetitus imminutus fuerit, ut potius nonnunquam creverit, & quia tunc temporis peſtis dicto loco graſſabatur, loco præſervativi quotidie aceto antipeſtilentiali, & medelæ loco, ſi quid præſenſit, oleo antipeſtilentiali Heinſii uſus eſt, fortiterque poſtea ſudavit, quo facto intra tempus annuum totus debilitari, & poſt hæc mox dolore abdominis vehementi, mox ructibus ventriculi, nunc ſapore amaro, acido, & mixto infeſtari cœpit. Licet verò multos ſubinde Medicos conſuluerit, variaque medicamenta ſic ſatis copioſè adhibuerit, ad tempus quidem aliquando levari paulisper, nunquam tamen planè reſtitui potuit. Anno ſuperiori denuo imbecillitate ac dolore pedum, deinde ingenti abdominis ardore, inſomniis turbulentis, ſudoribus nocturnis exquiſitis absque notabili tamen æſtu alternatim correptus eſt. Aliquando etiam ingentem ſanguinis copiam per alvum rejecit, ſemper tamen liberè obambulare, ſuoque munere fungi potuit, niſi quando vinum potavit, aut cibis acidis, uſus eſt, aut alio modo in ira, terrore ſimilibus-

nen/

nen/ ohne etwan/ wenn er Wein trincket/ und ſaures Eſſen gebrauchet/ oder ſonſt im Zorn und Schrecken und dergleichen einen Exceſſ begehen muß / als wodurch er wol ehe/ wegen daraus erfolgter Mattigkeit 2. bis 3. Tage das Bette zu hüten gezwungen worden.

que excedere neceſſe habuit, utpote ex quibus jam ſæpius ob inſequentem debilitatem per biduum aut triduum lecto affixus hæſit.

EXPLICATIO.

PRæſens æger *Malo hypochondriaco* ſatis inveterato correptus eſt. Symptomata enim præſentia non niſi vitium primarum viarum indicant. In quanam parte ſedeat hypochondriacum malum, diſputatur inter Autores; Quidam ex antiquis receptaculum fingunt inter diaphragma & regionem ſtomachicam, in quo mucus viſcidus flatusque infarcti eſſent, ſed repugnat id avtopſiæ anatomicæ. Antiqui malum hypochondriacum dupliciter explicabant, aliud per eſſentiam, aliud per conſenſum vid. *Matthæus Martini* in *Morb. Meſenterii*, quorum 8. ſpecies memorat. Antiqui potisſimum cum recentioribus quibusdam tradebant, obſtructionem meſenterii Verſtopffung des kleinen Geäders/ & quia credebant chylum à venis meſenterii ſuctione attrahi, ideoque ſi obſtructæ forent venæ, turgeſcerent nimium quantum, producerentque talia ſymptomata, inflammationem &c. Et recentiores malè rejiciunt affectionem hypochondriacam, ſpleneticam, hyſtericam ab obſtructione menſium, hepaticam, melancholicam &c. ubi ab inepta idea concepta coctio alimentorum non bene ſuccedit, unde meræ poſtmodum cruditates ſuboriuntur.

[...]s Hypo[...]driaci [...]qua[...]?

[...]noſis. Prognoſis. Curatio utique difficillima ſperanda: Stipticitas alvi vix curari poteſt, quia inteſtina à flatibus & excrementis nimis extenſa, ita, ut amplius ſe contrahere nequeant & excrementa debite exprimere.

[...]auſa [...]ſionalis Cauſæ occaſionales ſunt diæta prava, caro fumo indurata, braſſica muriatica, vita ſedentaria, ubi cruditates corrigi non potuerunt; Acceſſerunt inepta medicamenta aut prophylacticum, ut acidum in primis viis auctum, M. S. coagulata, dum enim ex primis viis acres illæ particulæ ad M. S. migrant, ſequitur ſcorbutus, qui ordinariè filius mali hypochondriaci, unde etiam lasſitudines illæ frequentes.

Cura. Cura. Quando malum adhuc in primis viis hæret, ſpes valetudinis facienda; ſi verò tranſierit ad uterum, ſplenem &c. difficulter curatio perficitur. Humores nihilominus quantitate peccantes evacuandi, qualitate verò peccantes alterandi. In noſtro ægro cum laſſus & debilis ſit, aliaque ſymptomata ſe offerant, dubia equidem videntur purgantia, ſed quia nullum ſymptoma niſi lasſitudo illa contraindicet, utique tentanda ſunt, ſiquidem adſunt pravi humores ſenſum aliquem triſtem efficientes; ſed cum in cruditate acida fruſtra propinentur purgantia, niſi præceſſerint alterantia, igitur conveniunt antacida terrea, nunquam tamen ex bolis mineralibus, quæ accedente acido nimis adſtringunt augentque alvi ſtipticitatem, ſed potius ocul. cancr. & quæ per calcinationem obtinentur, e. g. CC. & ebur uſtum &c. quæ ultima tamen terrea, dum ordinarie ſudorem movent, vix hic propinanda, cum æger antehac nocturnis ſudoribus continuo vexetur. Igitur ſuperſunt alcalia & Martialia, quorum ultima cæteris præferenda, & quidem ſola lim. Mart. convenit præ aliis Martialibus præparatis, quippe in quibus virtus antacida admodum caſtrata. Pharmacopœi pro lævigandá limatura Mart. affundunt acetum vel Spir. Vitrioli, ubi tamen limatura plane perditur, nec in præſenti

Diſcrimen abſorbentium probe attendendum.

caſu

caſu in uſum vocanda eſt. Locum quoque habent alcalia, ſed fixa ſaltem; Volatilia enim admodum contraindicantur, quia ſudorem movent, quo æger jam tum vexatur. Alcalia verò non, niſi ſtomacho repleto exhibenda, quia aliàs ebullitiones, anxietates præcordii & lipothymias enormes movent, ſi jejuno ſtamacho exhiberentur, uti Sylvius jam monuit. Conveniunt quoque diluentia ultimo adhibenda, quæcunque illa fuerint infuſa. Tandem & evacuantia conducunt, & præ cæteris, ſi vires concedunt, Vomitoria, poſt hæc cathartica per inferiora, præ aliis Emulſ. reſ. Jalapp.

Casus XXIV.

INSOMNIA TURBULENTA CUM VERTIGINE.

Hiſtoria morbi.

Ein Mann von 42. Jahren / etwas fetter Leibes Conſtitution, verlanget über nachfolgende Zufälle / daran er zum öfftern hefftig laboriret / des Herrn D. Conſilium. Erſtlich iſt er gar vielfältigen die meiſte Schlafenszeit über mit vielen inſomniis turbulentis und den ſo genannten Alpe geplaget / ſo daß er des Morgens / wenn er auffwachet / ſich weit ſchwächer / als des Abends befindet / weil er des Nachts viel Angſt und Verdrißlichkeit ausſtehen muß / 2) und dannenhero geſchiehet alsdenn / daß des Tages über / inſonderheit aber früh Morgens / er öffters mit dem Schwindel ſo ſtarck überfallen wird / daß er ſich unmöglich wird auffrecht halten können / wo er nicht das nechſte das liebſte arripirete / und ſich dran ſteurete. Ad meliorem informationem iſt noch hierbey zu mercken / 1) daß er Amts wegen wenig oder keine Bewegung / wol aber täglich groſſe Arbeit und Sorge mit dem Kopffe haben muß 2) mag er ſeine Mahlzeit noch zimlich gut / trincken aber kan er nicht wohl vertragen / beſonders den Wein 3) iſt er öffters hartleibicht / und hat Beſchwehrung von Blöhung u. Hauptſchmertzen / 4) befindet er ſich allemal mehr mit dieſen Zufällen beſchweret / wenn er mit ſeiner Frauen eheliche Liebe pfleget / darzu er doch ſehr incliniret.

Vir quidam duorum & quadraginta annorum, pinguioris habitus de ſequentibus ſymptomatibus, quibus ſæpiſſime vehementer laborat, Tuum, Vir Celeberrime conſilium rogitat. Primò per plurimam noctem variis admodum & turbulentis inſomniis, & incubo ſic dicto exagitatur, ut experrectus manè multo magis delaſſatum ſe deprehendat, quàm præterito fuerat veſperi, quia per noctem multas ipſum moleſtias & anxietates exantlare oportuit. Et hinc deinde fieri ſecundo ſolet, ut interdiu, præcipue vero mane adeo forti ſæpius vertigine corripiatur, ut nequaquam arrectus conſiſtere queat, niſi proximum quodque arripiat, quo nitatur, ac fulciatur. Ad meliorem informationem hoc quoque præterea notandum eſt, 1.) quod propter officium ſuum nihil, aut parum omnino moveatur, bene tamen [illegible] quotidie labores curasque ſuſcipere ingenio neceſſe habeat; 2.) Cibo ſic ſatis nutriatur, potulenta tamen, & vinum præcipue minùs commode perferat; 3.) Alvi ſit adſtrictioris, & ab inflatione hypochondriorum & capitis doloribus infeſtetur. 4.) Magis ſanè ex his ſymptomatibus laboret, poſtquam uxori ſuæ maritale præſtitit officium, ad quod tamen maximè proclivis eſt.

Explicatio.

Præſens morbus duplex eſt ſive complicatus. 1) Inſomnia 2) Vertigo, quæ duo ex una cauſa proveniunt.

In

…tomata In inſomniis jectigationes, anxietates, hinc circa auroram majorem laſſitudinem & debilitatem experitur æger, Spiritus enim turbulenti per ſomnum neutiquam reſtaurari potuerunt.

…uſa. Cauſa utriusque morbi ex ſtomachi vitio provenit, alimenta enim indigeſta in ventriculo manent, unde cruditates & inflationes; dum igitur æger alimenta ſubinde copioſa aſſumit, parum autem potus, non mirum, ſi non recte digeri queant illa, maſſa enim colliqueſcere & ad M. Seam transfundi hoc modo neſcit, unde alimenta ferè ſicca manent in ſtomacho; hinc ſi decumbat æger, imprimis ſuper dorſum, reſpiratio impeditur. Accedit quod cruditas, & quidem acida adſit, ex appetitu deſumenda, & quod æger vinum ferre nequeat, id enim proprium eſt hypochondriacorum, quatenus à ſpirituoſo acor volatiliſatur; ab acido illo roditur ventriculus, unde ſenſus triſtis & ad inſomnia occaſio ſuppeditatur. Vertigo non minus ex adſtrictione alvi & cruditate acida naſcitur.

…noſis. Prognoſis non equidem triſtis, ſed æger ni auſcultet Medico & abuſum 6. rerum non naturalium evitet, graviora ſymptomata ſubſequentur, & affectus curatu difficillimus fiet. Timendum etiam ne ex vertigine Apoplexia aut Epilepſia oriatur, hinc æger admonendus, ut diligenter attendat præcepta Medici.

Cura. Cura. Cruditas acida imprimis hic attendenda, terrea tamen mineralia, licet alias ſint optima, nunc omittenda, ob adſtrictionem alvi præſentem; imo quamvis oc. cancr. exhibeantur, quia cum acido in ſalſum remedium abeunt, quod diaphoreticum eſt, neutiquam verò inteſtina ſtimulat, hinc potius ſi propinantur, addere convenit Martialia, quæ accedente acido degenerant in Vitrioli naturam, egregieque alvum aperiunt, ut dein æger vinum optimè ferre poſſit, deſtructo ſcil. prius acido, quemadmodum ſæpe obſervavi. Ex Martialibus ni arrideant pulveres, exhibeantur Liqv. Mart. Solar. Tinct. Mart. aperit, & ex infuſo Tamarindorum cum aqv. Mart. parata, Tinct. Martis egregiè aperient, vel cum menſtruis ſalſis tinct. Martis cum tartaro, terr. fol. tartar. &c. & quia acida coagulant chylum, ordinarie cruditatis acidæ comes eſt cruditas pituitoſa, hinc in cura quoque præſcribenda, quæ reſolvunt, ubi alcalia fixa, nonnunquam & volatilia conveniunt; Addenda tamen ſemper diluentia, quibus lympha fluida redditur. Neceſſe etiam tunc eſt, ut Evacuantia, & quidem Vomitoria exhibeantur, quibus exhibitis ordinarie ceſſabit vertigo. Æger de abuſu rerum 6. non naturalium admonendus, motus aliquis corporis ſuadendus, potum largiorem aſſumat & quidem tempore veſpertino ſvadendus potus calidus, licet ex calidis plerumquè ſuperveniat Agrypnia, hic tamen non metuenda illa, ſæpe enim ex his in tali caſu ſomnum obſervavi exoptatum. Diluentibus quoque admiſcenda laxantia, Manna aut fol. Sennæ, quo alvus libera retineatur. Coitus intermittendus, ne Spir. debilitentur & functiones naturales turbentur.

Casus XXV.

DE SCORBUTO CUM EROSIONE COLLI.

…oria …bi. Auff an mich ergangenes Anſuchen habe dem Herrn Doct. vorſtellen ſollen/ welcher Geſtalt Frau N. N. ihres Alters 39. Jahr/ Conſtit. cachecticæ, nunmehro 2. Jahre nach einander im Frühlinge/ nach vorhergegangenen Haupt-

Ex poſtulato Tibi, Vir Celeberrime, ſignificare debui, quod Domina N.N. ætatis ſuæ 39. annorum conſtitutionis cachecticæ per biennium jam verno quoque tempore poſt prægreſſos capitis dolores in ſini-

Hauptſchmertzen an der lincken Seiten des Halſes eine kleine Geſchwulſt bekommen/ davon denn die inwendigen Theile inflammiret worden / und an beyden Seiten der Mandeln weiſſe Bläßgen auffgefahren/ nach deren Eröffnung das darunter gelegene Fleiſch ſchwärtzlich cum aliquali deperditione ſubſtantiæ & puris effluxione erſchienen. Dagegen nun hat der Medicus alle dienliche Medicamenta, und der Chirurgus gehörige Cataplasmata und gargarismata gebrauchet/ wodurch denn beydemal/ ob zwar etwas langſam und erſt nach Verflieſſung 4. bis 6. Wochen die erwüntſchte Geneſung erfolget/ ſo daß die Fr. Patientin die übrige Jahres Zeit gantz nicht zu klagen gehabt/ vielweniger einiges Symptoma cujuscunque morbi, empfunden. Alldieweiln aber nach Abſterben des Medici der Chirurgus wegen ſolches böſen Halſes beſagte Frau diffamiret/ und beſchuldigt / als wenn ſie ſalv. ven. mit den Frantzoſen behafft geweſen/ hätte auch noch ſolche bey ſich verborgen / welches ſich auff künfftigen Frühling gewiß durch einen neuen Auffbruch des Halſes weiſen würde; Als träget ſie nach einen gewiſſen Unterricht höchſtes Verlangen 1) ob obige erzehlte Zufälle des Halſes ſonder einiges Symptoma gnug ſeyn/ daß man daraus die Frantzoſen ſchlieſſen könne. 2) Ob nicht vielmehr aus anderer Unreinigkeit ſolcher böſer Halß möchte entſtanden ſeyn? Zu nechſt bittet ſie durch mich den Herrn Doct. ob er belieben wolte/ vor ſolche etwas zu ordnen / damit vorſtehenden Frühling nicht wie vorige 2. Jahre geſchehen / der böſe Halß ſich wieder einfinden/ und des Calumnianten Prognoſticon alſo möchte zu ſchanden gemacht werden. Sie promittirt ſo wol in der Diæt, ſo ſie vorſchreiben werden/ ſich ſtrenge zu halten/ als auch das verordnete mit aller Sorgfalt zu gebrauchen.

ſtro colli latere parvum tumorem paſſa ſit, ex quo internæ partes inflammatæ, & ex utroque tonſillarum latere albæ puſtulæ apparuerunt, quibus apertis ſubjecta caro cum aliquali deperditione ſubſtantiæ & puris effluxione nigreſcere viſa eſt. Adverſus hæc ſymptomata Medicus omnia remedia huc facientia, & Chirurgus debita cataplaſmata & gargariſmata adhibuerunt, quibus utraque vice quanquam paulo tardiùs & poſt quatuor, & ſex ſeptimanarum decurſum tandem exoptata valetudo reſtituta eſt, ita, ut ægra per reliqvum anni tempus de quo conquereretur non habuerit, multo minus aliquod ſymptomata cujuscunque morbi ſenſerit. Quoniam vero poſt obitum Medici Chirurgus ob collum exulceratum diffamavit dictam fœminam, eamque morbi gallici (ſit venia dicto) inſimulavit, qui adhuc deliteſceret, cum veris autem adventu per novam colli exulcerationem certò erupturus ſit, maxime cupit ſufficienter hac in re erudiri: 1.) Utrum enarrata ſuperiùs ſymptomata præter omne aliud ſymptoma ſufficiant, ex quibus certò quis de morbo gallico concludere poſſit. 2.) Utrum non potius ex alia impuritate talis colli exulceratio oriri potuerit? Præterea per me rogat Te, Vir Celeberrime, velis remedia quædam illi præſcribere, ne imminenti hoc vere, ſicut ſuperiore biennio exulceratio colli denuo ſequatur, & maledici hominis prognoſticon hoc pacto irritum reddatur. Illa tum diætam, quam præſcripturus ſis, accuratè obſervare, tum etiam remedia ſolicitè adhibere promittit.

EXPLICATIO.

EROſio interna oris annuo ſpatio recurrens eſt præſens affectus; contingit autem hæc à motu humorum tempore verno aucto, dum affluxus humo-

morum acrium ad illa loca contingit. An verò iſta Symptomata à Lue Venerea hic proveniant, quæritur? Ubi eſt attendendum ad ſingula ſymptomata Luis venereæ. Lues ven. equidem diu deliteſcit levibus ſymptomatibus ſaltem ſubinde ſe prodens, de quibus in praxi; quod ſi hæc ſymptomata adſpiciantur, præſens affectus quodammodo cum ea convenit, adeſt ſiquidem Cephalalgia, tumor colli, inflammatio & puſtulæ cum deperditione ſubſtantiæ, convenit enim cum Lue Vener. in eo, quod illa ſit morbus chronicus, qualis etiam noſter affectus eſt; Verum quod pro fundamento luem Ven. non habeat, nunc diſpiciendum. Cephalalgia ſolenniter etiam in Scorbuto adeſt, nec adeo fixus dolor in regione nuchæ in noſtro affectu, qualis in Lue Ven. Porrò evincit non fuiſſe Luem Vener. quod hæc quibusdam gargarismatibus non auſcultet, uti in noſtro affectu. In Lue Vener. continuo vexatur æger, nunc hoc, nunc illo ſymptomate, quando unum ceſſat, alterum redit, quale quid tamen in ægra noſtra non notatur. Reſponderi igitur debet 1) ex uno ſymptomate non conjici poſſe luem Vener. 2) Ex alia cauſa oriri eroſionem hanc, fit enim à ſcorbutico malo, quod indicat conſtitutio corporis cachectica, dein affectus præſens verno quoque tempore redit, ubi cœli intemperies eſt & ſcorbutus excitatur, à frigore conſtringuntur tubuli, ita ut humores iſtos non adeo libere pertranſire poſſint; dum igitur à motu humores ad illa loca feruntur, ex cauſis citatis non debite humores circulari valent, unde ſtagnant, & quia acres ſunt, erodunt producuntque hæc ſymptomata.

[margin:] ...hæc ...mata indi- ...am? / ...s af- ...li ac ...i. / quæ-

Cura. In Cura duo attendenda, 1) ut humores viſcidi incidantur & reſolvantur, ſaliaque intus contenta temperentur, deinde tanquam inutiles evacuentur. Igitur pro ſcopo reſolvendi humores craſſos coveniunt decocta lignor. lign. ſanct. ſaſſafras. Juniper. Buxi, Ebeni & vegetabilium reſolventium. Sufficit quoque unum ingrediens, v.g. Juniperi baccæ tuſæ infundantur, infuſumque calide ad ſudorem potetur. De die exhibeantur reſolventia ſalina, alcalia, volatilia oleoſa vel ſalſa, liqu. terr. fol. tartar. &c. item terrea & Martialia, quæ larga manu propinanda. His uſurpandis deveniendum ad Cathartica robuſtiora, ne humorum affluxus ulterior ad collum fiat; Nec inconveniens eſt Emeticum item Fonticuli, quibus materia ſeroſa pedetentim, evacuatur. In diæta talia negligenda, quæ infarctũ humorum novum perficiunt, vitanda acida & gelatinoſa, Vinum aduſtum & aromata. Evitanda etiam eſt aëris intemperies, ut ægra illo tempore, verno ſcil. maneat in conclavi calefacto, collum bene tegatur, diluentia calida crebrius aſſumantur; In ſpecie autem præſervationis loco collum ſemper duplicatis linteis bene cuſtodiat.

Casus XXVI.
SONITUS AURIUM.

ES dringet mich die unumgängliche Noth den Herrn Doct. wegen meines höchſtbeſchwerlichen Zufalles an Ohren anzugehen / weil ich dadurch/ ob gleich in meinen beſten Jahren/ zu allen Verrichtungen und Converſation mit den Leuteu gantz untüchtig gemachet werde/ denn indem ich ſo wol des Tages als auch bey Nacht ein continuirlich Brauſen und Klingen der Ohren empfinde/ wil mir faſt ſchwehr fallen / zu-

INevitabilis neceſſitas me Tuam Excellentiam hiſce adire cogit ob moleſtiſſimum aurium affectum; quia in flore licet ætatis conſtitutus illo ad omnes actiones & converſationes cum aliis plane reddor inhabilis. Dum enim noctu non minus, quàm interdiu ſonitum & tinnitum in auribus continuum percipio, mihi ferme grave accidit, præſertim cœlo humido, intelligere alterum mecum loquen-

mal bey feuchten Wetter/ iemanden/ der mit mir redet/ es wäre denn daß er ſehr ſtarck ruffete/ recht zu verſtehen: Zwar leget ſich bey klaren und truckenen Wetter ie zuweilen ſolche Beſchwehr einen Tag oder etliche/ oder daß ich recht ſage/ vermindert ſichs etwas/ dennoch aber ſo bald das Wetter im geringſten ſich nur ändert/ oder auch nur/ daß ich etwas ſtarckes trincke oder eſſe/ gehet die Beſchwehrung wieder an / und beſonders plaget ſie mich den meiſten Theil des Herbſts/ Winters und des Frühlings/ die Urſache gebe nichts anders Schuld/ als dem vielen Baden und Schwitzen/ damit ich mich/ als ich vor 4. Jahren in Schweden lebte/ gar ſehr verderbet habe. Denn ſeit dieſen hab ich ſtets die Verdrießlichkeit fühlen müſſen. Ja was noch mehr iſt/ ſo hab ich nach dieſer Zeit keine warme Stube wohl leyden können/ ſowol wegen Angſt und Bangigkeit/ als auch des beſagten Ohrenbrauſens/ ſo ich alſobald davon empfinde. Ubrigens dienet annoch zur Nachricht/ daß ich ziemlich flüßiger Conſtitution bin/ doch kan ich noch iederzeit eine gute Mahlzeit thun und ſo viel das Brauſen in Ohren zuläſſet/ ſchlafe ich noch ziemlich/ der Leib iſt etwas ſchwehr offen / an Bewegung fehlets mir faſt gäntzlich.

tem, niſi forte altiùs vocem intendat. Interdum quidem cœlo ſereno & ſicco hic affectus ad unum alterumve diem ceſſat, aut, ut rectiùs dicam, aliquatenus imminuitur; quamprimùm verò tempeſtas ad minimum alteratur, aut ego ſpirituoſum quoddam aut bibo aut comedo, affectus hic ſtatim redit, & maxima ex parte autumno, hieme & vere me inprimis affligit. Culpam in nihil aliud conjicio, quàm frequentes lotiones & ſudores, quibus, cum ante quadriennium in Svecia degerem, me valdopere corrupi. Ex illo enim tempore perpetuo hanc moleſtiam ſenſi, imò quod majus eſt, exinde neque triclinium calefactum perferre potui commodè, tum propter anxietates & anguſtias, tùm etiam ob dictum in auribus ſonitum, quem ſtatim hinc perſentiſco. Cæterum tibi quoque non inutile arbitror cognitu, quod conſtitutionis ſim admodum humoroſæ, adhuc tamen ſic ſatis largiter prandere poſſum, & quantum per aurium ſonitus licet, ſomno quoque fruor ſatis quieto. Alvus paulò adſtrictior eſt, motus corporis planè deficit.

EXPLICATIO.

PRæſens affectus aurium ſonitus audit, clariſſime enim ex hiſtoria patet, quod noctu diuque ſonitus talis in auribus percipiatur. Quidam cum *Platero* quatuor ſpecies hujus ſonitus conſtituunt 1) Tinnitum 2) Sibilum 3) Pulſum, 4) Fluctuationem, **das Brauſen und Rauſchen vor den Ohren**/ quæ diviſio licet optima, nullum tamen uſum in praxi habet.

Diviſio ſubtilis, aſt nullius in praxi uſus.

Cauſa Sonitus.

Dum autem ad naturalem auditum requiritur externa aeris commotio, in hoc præſenti ægro tamen auditur ſonitus, licet aër externus admodum quietus exiſtat. Cauſam ſi quæramus, reſpondent antiqui, ex commotione aëris in aure concluſi id fieri. *Du Verney v. Tr. de Auditu* aſſerit, eſſe ſaltem repetitionem idearum auditarum, quemadmodum ideæ rerum viſivarum noctu repræſentantur; Verùm ex parte Antiquis ſubſcribendum, dum utique cauſa movens partim intra tympani cavitatem (ſc. in Mæandris) hæret, quatenus aër in his vel à catarrhis eò depoſitis, vel à quocunque motu, vel à ſpirituoſis asſumtis &c. dum movetur atque ita turbatur, non poteſt advertere radium externum phonicum, unde auditus redditur gravis. Oritur quoque hic affectus ex ceruminibus nimis fluidis ob tempeſtatem externam nebuloſam & humidam, vel ſi cerumina nimis indureſcant & in gypſeam materiam muten-

ex Antiquorum opinione

Du ... ſent

Cer... pe in... eſt.

tentur, quemadmodum tale quid etiam in noſtro ægro obſervatum fuit, cum enim poſt medicamenta varia fruſtra adhibita aliquando inſtrumento peteret interiora aurium, accidit ut craſſam materiam membrana quadam obductam protraheret cum euphoria, qualia exempla plura citatus du Verney l. c. allegat. Oritur quoque Tinnitus à commotione ſyſtematis nervoſi in Compotationibus, animi pathematibus gravioribus, ictu capitis &c. Item contingit quoque à remotiore cauſa in febribus mal. ubi præcedente cardialgia frequentiſſime talis Tinnitus ſubſequitur, & tunc ſignum non adeo bonum eſt, indicat enim partes membranaceas & nervoſas nimium eſſe extenſas, ſpasmoq; correptas, ita ut extenſo tympano minimus etiam ſonus externus advertatur. Idem contingit in inflammationibus internis à retentis ſecundinis lochiisque, ubi ſi ſuperveniat tinnitus, certiſſimum indicium eſt ſpasmi & motuum convulſivorum. In noſtro ægro dum cellis Caldariis delectatus fuit, ſine dubio viſcoſitatem humorum contraxit, imprimis cum jam tum catarrhoſum ſubjectum fuerit; primo enim à ſudoribus inſpiſſati humores dum in loca frigidiora ſeceſſit, poſtmodum magis condenſati ſunt.

[Com]potatio- [&]c. ob [...]os con- [...]ſos tale [...]d produ- [...]t.

[T]initus in [...].mal.

[In]flamma- [tion]ibus in- [...]is.

[C]ura.

Cura. Cum ex ceruminibus partim inſpiſſatis, partim affluentibus catarrhis malum oriatur, requiritur, ut ſeroſitas ſubducatur, quod in talibus morbis chronicis optimè fit per fonticulos quamvis & laus maneat Apophlegmatizantibus & Errhinis, ex quibus commendari poteſt ſuctus fumi Tabaci blandior, vel ſternutatoria ex Vegetabilibus Errhinis, quibus admixti fl. lil. convall. &c. Fonticulum verò præ cæteris probatum expertus ſum in alio ſubjecto, ubi cranium externa injuria læſum fuerat, tunc irritis omnibus medicamentis juſſi in regione nuchæ fonticulum excitare cum euphoria, quem ubi per quadrantem anni eo loco geſtaſſet æger, poſtmodum ex hoc loco ad brachium tranſtulit, exoptato effectu. Sed cum fonticulus in nucha tanquam loco periculoſo excitandus ſit, ſumma requiritur Chirurgi prudentia. Conveniunt quoque fotus externi, quibus humores repelluntur, poſtquam ſcil. partes novum robur accepere, & affluxum humorum largiorem amplius non admittunt. Hinc proficuam novi in ſurditate aquam thermalem ſpongia exceptam capitique applicatam cum euphoria. Conveniunt quoque pro eodem ſcopo externè ſalia volatilia, notetur ſaltem, quod à ſalibus volatilibus fluidis erodantur auris interiora, igitur potius ſicca ſalia volatilia, ſi v. g. ſal volatile cornu cervi piſi magnitudinis bombaci involvatur ſicque auribus immittatur. Præterea cerumina emollienda fluidis quibusdam ſcil. ſucco ſemperviv. maj. ex commendat. *Binninger.* Oleo amygd. dulc. vel fotibus ex Vegetabil. aromaticis paratis, ſi vapor excipiatur tritorio, & ad auditorium meatum mittatur, it. ſi vapor ex pane recens cocto calidoque adhuc auribus applicato penetret, optimè & tunc reſolvuntur cerumina. Si his non cedat malum, forcipe extrahenda concreta ſpiſſiora, dum æger ponitur, ut radii ſolis aures irradiare poſſint, ne forcipe tympanum forte lædatur, uti Acta *Haffn.* tale factum memorant.

CASUS XXVII.

CATARRHUS CUM METU APOPLEXIÆ.

[Hist]oria [mor]bi.

VIr ſexagenario major, poſtquam haud ita pridem coryza & tuſſi laboraverat, ad hiemis initium iter facere, inque illo multas devorare moleſtias, vento t. t. valide flante cogitur, hinc redux factus ſentit cum laſſitudine totius corporis dolores lancinantes exquiſitos per totum dextrum latus, utpote quod potiſſimum impetum tempeſtatis ſuſtinuerat, impr. tamen

men in facie dolor eſt ſummus, non aliter ac ſi fuſtibus locus iſte eſſet percuſſus, ex quo ſimul linguæ motus quodammodo ſufflaminatur & viſus obfuſcatur cum vertigine per intervalla, ſic ut vix de lecto ſurgere aut greſſus facere audeat homo aliàs ſatis robuſtus & vegetus. Metuens igitur ſibi de apoplexia, Medici conſilium petit.

Explicatio.

Diſtinctio Catarrhi in

DEſcribitur nobis *Catarrhus* cum metu apoplexiæ, Schlag-Fluß. Catarrhus famoſus eſt morbus, quoad etymon ſignificat defluxionem, eſt vel tenuis ſive humidus, vel ſpiſſus & ſiccus. Tenuis, ubi materia quædam ad partes fluit v. g. coryza, quando ad nares & fauces ſerum fluit, ibi lippitudo; ptyaliſmus ſive ſputatio larga, tuſſis humida &c. Spiſſus ſive ſiccus catarrhus eſt, ubi materia potius in parte ſtagnando moleſtiam efficit. Siccus catarrhus olim vel calidus erat, qui hodie acris, vel frigidus, qui hodie pituitoſus appellatur.

Tenuem & Spiſſum.

Applicatio ad præſentem ægrum.

Præſens catarrhus eſt ſiccus, ante invaſionem quidem coryza & tusſis aderat, ſed nunc in ſiccum mutatus eſt, quia verò ſiccus catarrhus vel acris vel mucoſus eſt, patet ex relatione, & quidem ex eo, quod dolores lancinantes lateris dextri notantur, non eſſe acrem, ſed catarrhum pituitoſum, dolor enim nunc oritur ex ſpaſmodica affectione, à qua pariter talis triſtis ſenſus excitari poteſt, ac aliàs à præſente acrimonia. Quod autem non acrem, ſed pituitoſum catarrhum ſtatuam, me movet præcedens coryza, quatenus accedente hieme ſerum facile abripi & coagulari potuit, accedente imprimis rapido auſtro, exſiccante & humiditates abſumente, ita ut nunc materia ſtagnare cogatur in latere dextro, ex qua ſtagnatione poſtmodum ſpaſmus oritur. Linguæ motus ſufflaminatur, obfuſcatur viſus cum vertigine per intervalla, id quod ſatis teſtatur, impediri ſpirituum fluxum per nervos tam linguæ motorios, quam viſorios. Hinc rectè ſibi metuit æger de apoplexia, & per conſequens non ſimplex morbus catarrhus eſt, quia partes nervoſæ cerebro proximiores nunc patiuntur, cum in ſimplici catarrho potius remotiores, unde tunc etiam ſola notatur lasſitudo. Eſt enim apoplexia nihil aliud, quàm obſtructio nervorum.

Dolor unde.

Symptomatum indicatio.

Cauſa proxima.

Cauſa proxima eſt humorum, potiſſimum ſeri ſtagnatio. Ordinarie & ſecundum naturam ſerum movetur per ſua vaſa & circulatur. Nunc verò ſtagnat non tantùm in vaſis lymphaticis, ſed etiam extra vaſa poſitum, & quod inſervit inungendis fibris muſcularibus, tendineis, nervoſis &c. Pugnat autem frigiditate aëris, quatenus ab hyemali inclementia craſſefactum eſt, it. ob auſtrum, habet enim aër in ſe vim deprædatoriam, ob rapidisſimum motum exſiccantem omnes humiditates. Remota itaque fluiditate, reliqua materia gelatinoſa inſpiſſatur; Ergo cauſa proxima eſt ſeri crasſities & ſumma viſciditas. Cauſa remota mediata in corpore deliteſcens eſt dicta crasſities ſeri inſpiſſati ab aëre, evidens verò procatarctica eſt inſpiſſatio fluidi ſeri, & cum impetu aliàs defluentis in coryza & tusſi, tempore enim autumnali majores humiditates in aëre notantur. Ex his ſymptomata facile deduci poſſunt, ſi enim humores non liberè moventur, ſed glutinis ad inſtar adhærent, motus partium impeditur, unde eſt lasſitudo, linguæ impeditus motus, accedente ſimul ſpirituum inhibito motu ab obſtructione nervorum ex crasſitie hac humorum orriunda. Si ſtagnet lympha, & ſua fluiditate depauperetur, comprimit nervos & obſtruit, hinc omnino res periculoſæ aleæ. Nervi enim ex cerebro oriundi nunc patiuntur, & reliquis nervis ex hoc principio emergentibus imminet periculum. Indicationes cauſis conformes ſint. Cum adſit crasſities & ſpiſſitudo ſeri, reſolventia, discontinuantia, & motum reſtituentia imploranda, vel ex diætetico vel pharma-

Cauſæ remotæ.

Sympto- tum or-

Cura

cev-

Pharmaceu-tica. ceutico vel chirurgico fonte. Quæ ex diætetico deſumuntur, non adeo conveniunt, quia tardius agunt, potius ex pharmaceutico lympham discontinuantia fluida potisſimum adhibeantur. Diluentia ſint infuſa & potus calidi; Infuſ. Thee &c. poſſunt & alia inſervire huic uſui diluentia. Si deficit ſerum, nunquam aliis reſolventibus niſi his poteſt reſtitui. Et cum cauſa complicata ſit, & ſimul à frigiditate coagulatum ſerum, aromatica & ſpirituoſa conducunt, ſalia volatilia macra & oleoſa, aromatica ſal ammon. aniſ. lavend. ſuccinat. caryophyllat. &c. Eſſ. ſuccini ſaſſafrata huic intentioni inſerviet, reſolvit ob ſaſſafras. Hæc ſi aliquandiu fuerint continuata, alia inſuper medicamenta addenda, quia ſcil. materia non tantùm qualitate, ſed etiam quantitate peccat; Ergo laxativa continuanda, & vel mox infuſis laxativa addantur v. g. fol. ſenn. R. Rhab. ſic una fidelia plures parietes dealbamus. Et quia ſtagnant ſpiritus, alias ſimul partes ſtimulemus, ut ii excitentur, per clyſmata acria, frictiones cum pannis aſperioribus, ſcarificationes &c. Circa diætam opus eſt, abſtineat ab omni frigido æger, non tam aëre quàm potu, aliàs denuò concreſcunt humores. Hinc eſt, quod difficiles ſint ejusmodi morbi, tamdiu, quamdiu ſcil. in aëre externo cauſa latet, non enim facile corrigi poteſt, niſi in conclavi ſe detineat æger, deinde motus exerceatur, quiete enim magis coagulantur humores. Animi pathemata vitentur, ſomno equidem vires deperditæ reſtituuntur, nihilominus quo longior is eſt, eò torpidiores reddit ſpiritus. *Diætetica.*

CASUS XXVIII.

VARIOLÆ MALIGNÆ.

[Histo]ria [mor]bi. PUer IX. annorum, *ἰσχναρὸς*, ex improviſo perquam de aliquali anguſtia præcordiorum eſt conqueſtus, noctem inquietam planeq; inſomnem duxit. Subſequente die totus laſſus, ad veſperam inſignem æſtum experitur cum dolore oculorum ardente & lingvæ ariditate junctum, unde & iſta nox cum gemitu & jectigatione enormi ſine ſomno terit. Ad auroram maculæ rubicundæ ſparſim in facie apparent, æſtus moderatus eſt, ſed inquietudo augetur, adeo ut nec ſtragula vel integumenta per tantillum temporis nec hac die, nec impoſterum corpori & pedibus imponi patiatur. Tertia die plures rubicundæ maculæ erumpunt etiam in aliis partibus, heſternæ verò in puſtulas mutantur ſero limpido turgidas. Maximè anxius & hodie, ſimulque enormiter ſitibundus obſervatur, nox rurſum inſolenter inquieta eſt. Hodie ſymptomata priora obtinent antiquum per omnia, inſuper tamen æger delirat, & hinc inde in pedibus maculas quasdam amplas ſuggillationem referentes, & alias minores ſubfuſcas & nigricantes ſub magnitudine lentis & piſi, puſtulis prædictis ſero turgidis interpoſitas oſtendit.

EXPLICATIO.

MOrbus *Variolæ malignæ* ſunt, Variolæ olim quoad nomen hoc plane ignorabantur, dubium tamen non eſt, & olim illas notas fuiſſe, utut hunc titulum neſciverint, Græci enim accurate deſcripſerunt ſub nomine exanthematum. Conſiſtunt potisſimum in eruptione cutanea, ubi papillulæ ſero turgidæ poſtmodum pure repletæ in peripheria cutis ſe offerunt. Diverſæ ſunt indolis nempe vel Benignæ, vel Malignæ; Illæ, ubi efflorescentiæ dictæ cum ſymptomatibus non adeo gravibus affligunt: Malignæ, quæ gravia ſymptomata habent juncta. Alii *Variolarum nomen antiquis ignotum.* *Illarum proprietas.* *Differentia inter Benignas & Malignas.*

inter diſtinctas & confluentes. Alii diſtingvunt non ratione moris, ſed efflorefcentiarum, ita, ut quæ ſparſim apparent, vocent discretas, diſtinctas, ſed quando plures ejusmodi eruptiones adſint, & non adeo notabilia ſpatia inter eas deprehendantur, & inſuper efflorefcentiæ ſint magnæ, dicantur confluentes. Uti autem diſcretæ plurimum benignæ ſunt, ita confluentes malignæ exiſtunt.

Applicatio. In hiſtoria noſtra offerunt ſe ſymptomata atrocia ſatis docentia variolis laborare malignis puerum. *Symptomata ac ſigna Benignarum.* In benignis equidem ſolenniter moleſta adſunt ſymptomata, febris ſcil. & calor inſignis, timores, pavores in ſomno, cardialgiæ, ſpirandi difficultates non rarò cum tuſſi, poſtmodum puncturas experiuntur per univerſum corpus, ſentiunt invitum lacrymarum ſtillicidium cum morſicatione illarum partium, ut lucem ferre nequeant, vexantur ptyaliſmo &c. Et hæc ſymptomata per aliquot dies affligunt, quibus in infantibus motus quoque Epileptici non rarò junguntur; Poſt tertium diem ſubinde in corpore, & utplurimum in facie & manibus primùm ſe offerunt maculæ rub. in puſtulas ſero turgidas abeuntes, tractuque temporis ſuppurascentes ac in eſcharas abeuntes. Poſtmodum decidunt eſcharæ & foveas relinquunt in cute. Sic benignæ ex benignis ſymptomatibus judicantur, imprimis quando poſt tertium diem ceſſet & remittat febris &c.

Signa Malignarum, & Confluentium. Signa verò malignarum, & potiſſimum confluentium alia ſunt, febris enim, utut 2. vel 3. dies accedant, non remittitur, ſed potius jectigationes & inquietudines augentur cum Agrypnia &c. potius papillulæ manent in ſtatu priſtino ſecundo ac tertiò diè; nec elevantur aut circulo rubicundo gaudent, & licet eleventur, mox tamen ſubſident (pfletſchen ſich) imo ſæpe penitus coaleſcunt. Ulterius, dum non debitè elevantur, ſubſident ſecunda & tertia etiam die, & ſupprimuntur rurſum, und fallen rechte Gruben nein/ in benignis quidem etiam decidunt & deprimuntur, ſed demum die ſeptimo, octavo & nono &c. Imo adhuc maligniores Variolæ ſunt, ſi ſerum intus nigreſcat, kriegen ſchwartze Tüpelchen/ item quando quaſi ſangvine affuſæ appareant, it. quando nigræ aut ſubfuſcæ, indicia extremæ malignitatis (nennen ſie Todten-Flecke:) & imminentis certæ mortis. Si maxima ſolùm in copia ſe ſiſtunt Variolæ, & confluant, equidem malæ etiam ſunt, ſed paulo meliores reliquis, ubi maculæ nigræ ſe aſſociant.

Prognoſis triſtisſima formanda, qui Variolis his vel ſimilibus correptus evadit, albinæ gallinæ filius dicendus, naturalem ac ſuam craſin penitus amiſit ſangvinis maſſa, & extremè corrupta eſt, vixque ejusmodi ægri evadunt, quemadmodum & æger præſens 4to die obiit. *Prognoſis.*

Cauſa duplex eſt, immediata & mediata quæ ſatis occulta deprehenditur. *Cauſa.* Quærebant olim in peculiari ſangvinis diſpoſitione cauſam internam, occaſionalem verò in ſangvinis menſtrui venenoſitate. At quia falſo fundamento ſuperſtructa eſt ſententia hæc, mittimus illam. Fernelius in peculiari cœli diſpoſitione, Sennert. in ſingulari ſangvinis corruptione latere ſtatuunt, ſed rem non exhauriunt. Verbo; ſangvinis acrimonia ſummè cauſtica incuſari debet, quæ ad cutem delata ſtagnando eroſiones & puſtulas producit. Unde illa ſit, ambigendum, certum quidem eſt, ab aëre ſeroſis particulis turgente, ubi inſveto tempore calorem ſecum habet, utplurimum Variolas produci, e.g. tempore Vernali & Autumnali; Wenn der Sommer feucht und kühle iſt/ tempeſtatesque exiſtunt auſtrales, folgen Bocken. Idem ſentio de hyeme ita conſtituta. Cujus autem præcisè generis ſit acrimonia, vix dici poteſt.

Cura duplex utplurimum poſtulatur, præſervatoria & curatoria. *Cura.* Quia utplurimum epidemice graſſantur, Præſervatio exigitur non raro, olim quidem illam non tradiderunt. Præſervatoria cura optima eſt aëris & loci mutatio. *Præſervativa.* Si fruatur quis aëre ſereno & depurato, immunis erit ab his. Quia acri-

acrimonia cauſtica &c. utplurimum ad ebullitiones ſanguinem diſponit, non inepte Laxantia cum Mercur. dulc. inſtituta adhibemus pro hoc ſcopo. Aliqui variolas à progenie verminoſa deducunt, ut *Kircherus & Chr. Langius* aliique, an id verum ſit, non jam diſputabo, quia tamen Mercurialia adeo proſunt, ſtabiliri poſſet ſententia At acrimonia cauſtica, cauſa primaria variolarum corrigitur optime etiam à Mercuriali ejusmodi remedio. Non disſvaſerim etiam, ut in plethoricis V.S. inſtituatur, & ſi febris fuerit conſopita, omnia ſymptomata mitiora erunt. Mittamus nunc curam diſcretarum, modò enim tunc promoveatur ſudor blandus per diaph. blanda, res acta eſt, fortiora enim damno ſunt. Hinc *Sydenham* ſvadet, ut in variolis benignis & diſcretis ne quidem lecto ſe affigat æger, ne ſcil. à calore lecti augeatur & ſuſcitetur malum, id imprimis tempore æſtivo locum habet, reliquis anni temporibus moderate conclave calefactum inhabitet æger. In noſtro ægro & variolis malignis blanda diaphoretica, decocta temperata calida ut ſunt, hordei cum cc. vel Scorzonera vel ebore facta, it. lentium, ficuum &c. locum habent. His aſſociari queunt terreſtria & antimonialia fixa, terr. ſigill. CC. ebur, antimon. diaph. bez. jovial. magis hæc ſvadeo, quàm volatilia, ſi enim jam febris adſit & acrimonia, nocent cuncta acria. Obſervavi, ſolùm hypocauſti calorem auctum diſpoſuiſſe ægros ad deliria &c. Ergo nec ſvaſerim, ut quis ad acria vegetabilia aut etiam myrrham adeo quidem decantatam accedat, & hæc in minima doſi, pro una vice gr. iij. IV. vel V. & potius in pulvere, quàm in eſſ. quia cum ſpir. vini paratur. Commendatur vulgo vinum rubellum pro ſcopo expulſivo, non tamen hic convenit, quia auget æſtum. Non conveniunt talia volatilia, quicquid alii contradicant. Quo magis temperata ſunt, eò meliora remedia. *Waldſchmidi.* ſpecif. antivarioloſum eſt tinctura rubra ex ſucco betulæ infuſo cum cocchinilia, quæ vi expulſiva gaudet, circumſpectè tamen dari debet, & convenit potius in benignis, quàm malignis. Cum adeo urgeat ebullitio ſanguinis, Autores commendant anodyna: Tinctur. opii commendat Sydenham egregius & optimus in hac materia Autor, Ettmüller. theriac. gr. j. ſed circumſpectione eſt opus, ligant enim ſpiritus & conveniunt ſaltem in ebullitione ſanguinis & æſtu, ubi verò jam torpent ſpiritus, ægrique conqueruntur de inquietudinibus, anxietatibus &c. ſi delirent &c. Opium optimum eſt remedium, ſi modo ipſi narcoſis dematur, ut ſolam diaphoreſin moveat. Si verò ebullitio adſit, rectè datur, nec inepte in acidulis eo in caſu, modo tempeſtivè ejiciantur variolæ: alioque res minus proſpere ſuccedit.

Casus XXIX.
EPILEPSIA.

Foemina annos XXVI. nata, optimi habitus, quadam die ſana exactè & vegeta egreditur extra ædes emptura modo conſveto eſculenta in foro venum poſita. Subito verò percellitur terrore ſummo, cum burſam nummis infarctam manum quandam rapacem abſtuliſſe animadvertit. Domum hinc tota tremens præ ira & mœrore regreditur, vixque hypocauſtum ingreſſa, dum adhuc jacturam hanc domeſticis refert querula, corripitur Scotomia, ſentitque tormina ventris graviſſima, hinc grabato adſtanti incumbit, lateresque calefactos poſcit. Sed antequam illos affert officioſa ancillarum concio, ingemiſcit: Ach GOtt! wie wird mir! & in ipſo hoc momento uni-

niverſa facies pallet, oculi & os clauduntur firmiter, rigent artus refrigerati, nullusque ſenſus amplius adeſt, nullaq; reſpiratio. Clamant domeſtici uno ore, concutiunt ipſam, affundunt frigidam aquam, faſciis conſtringunt pedes & brachia, verbo: operoſisſimi ſunt omnes, donec ſenſim reſpiratio reſtituatur in ægra & levis ſpuma ante os appareat, cum brachiorum & imprimis pedis ſiniſtri tremore notabili, quem ex ſpuriis partus doloribus olim læſum adſtantes referunt. Tandem & hæc ſymptomata cedunt, iterumque fari incipit ægra, omnium horum ſymptomatum neſcia, redeunt tamen mox cuncta hæc aliquoties paucas intra horas.

EXPLICATIO.

Utrum Syncope ſit?

Quia Affectus præſens, quis ſit? in diverſas nos abripuit ſententias, pauca præmittam. Adſunt quidem ſigna demonſtrantia, eum eſſe Syncopen, quia præcedit Scotomia, artuum rigiditas & refrigeratio &c. attamen deſunt, quæ in Syncope requiruntur, deficit namque ſudor frigidus ordinarie in Syncopizantibus in fronte, facie & tandem per univerſum corpus notabilis, dein in iis plane deeſt pulſus, hujus enim ſymptomatis non facta eſt mentio in caſu, ergo pro ſyncope haberi non poteſt, licet alia ſigna adſint, deſunt enim pathognomica.

An Suffocatio hyſterica.

Qui pro hyſter: ſuffocatione habent, non ſine cauſa id agunt, quia præcedunt tormina ventris cum inſequenti reſpirationis ceſſatione, attamen reſiſtunt alia ſymptomata, dolor abdominis præcedens non eſt ſignum certum ſuffoc. hyſtericæ, præcedit enim ſimul cardialgiam, aſt in hyſterica affectione regio ingvinalis afficitur, in Cardialgia Epigaſtrica, quæ loca non notantur in hiſtoria, multo minus eſt ſuffocatio hyſterica, quia id deficit ſymptoma, quod ægræ referunt ſemper, fune quaſi ſibi conſtringi collum.

An Apoplexia.

Nec Apoplexia eſt, ibi enim non pallent & frigent partes, ſed potius facies rubeſcit & artus flaccidi & penduli ſunt, ut potius reſolutio, quam ſpaſmodica affectio ſit.

Aut Epilepſia.

Iis ſubſcribo, qui putant eſſe Epilepſiam, adeſt enim ſpuma ante os collecta, quæ nunquam in Syncope & Suffocatione notatur tanquam ſignum pathognomicum eſſe certisſimum. Accedit bracchiorum & pedis dextri motus tremulus, ſine quo nunquam adeſt Epilepſia. Communiter quidem definitur Epilepſia, quod conſiſtat in actionum animalium & principum ceſſatione cum tremore & convulſione totius corporis. Aſt non ſemper Epilepſiam concomitantur totius corporis convulſivi motus, ſed datur etiam Epilepſia, ſomno altisſimo ſimilis, ita ut ægri laborent ceſſatione ſenſuum cum ſtertore & ſomno, qui gradus eſt levisſimus, alter modus, ubi conſtrictio pollicum, ronchiſmus & ſtertor, deliria aliaque gravia ſymptomata adſunt & eſt gradus gravisſimus. Ergo præſens affectus eſt Epilepſia levis non gravis, ita ut leviter etiam vibrentur partes.

Epilepſi[...] plex eſt[...]

Cauſa [...] ma.

Cauſa proxima eſt ſpaſmus nervorum, & circa finem paroxyſmi leves motus convulſivi.

Sympt[...] antece[...] tium r[...]

A ſpaſmo enim eſt Scotomia, dum tenduntur nervi vagi ſive par octavum, in ſuperioribus partibus ſimul nervis ad oculos abeuntibus injuria infertur; à ſpaſmo eſt dolor abdominis, à ſpaſmo eſt pallor faciei, oculorum conſtrictio oriſque refrigeratio &c. dum enim tenduntur nervi, influere ſpiritus nequeunt, hinc vigent partes.

Sympt[...] conſeq[...] tium r[...]

Subſequentia ſymptomata ab exagitatione nervorum eveniunt, v. g. ſpuma circa os & tremor partium, dum ex glandulis oris ſaliva huc usque ſtagnans cum impetu ab exagitatione humorum effluens ſpumeſcat neceſſe eſt, dum cum impetu propelluntur Spiritus, neceſſe eſt tremant artus.

Cauſa [...] ta exte[...]

Cauſa remota externa animi ſunt pathemata gravia immediatè antecedentia, terror ſcil. gravis, ira & excandeſcentia cum indignatione conjuncta, mœror &c. turbantur enim Spiritus, motusque eorum intercipitur, rurſusque exagitatur.

Cauſa [...] ta int[...]

Cauſa remota interna eſt dictus irregularis ſpirituum motus, dum à terrore retardantur ſpiritus in ſuo fluxu,

xu, nunc ex ſubſequentibus paſſionibus animi, ira & mœrore magis turbantur & exagitantur, hinc nunc nimium dilatantur fibræ nerveæ, nunc nimis conſtringuntur, unde ex prioribus ſpaſmus, ex poſterioribus convulſiones. Quia præceſſit ſcotomia, putare quis poſſet, eſſe affectum hunc idiopathicũ, at quia dolor ſimul adeſt abdominis, non improbabiliter creditur ſympathica ſive per conſenſum, ut hinc etiam afficiantur cerebrum & nervi, à dolore enim affectis nervis paris vagi, afficiuntur ſimul reliqui nervi. A cujus autem præciſè loci in abdomine affectione conſenſus naſcatur, inquirendum nunc. Si enim ex ſtomachi dolore ſive cardialgia, vomitus ſimul adſunt, aut affectiones aliæ ventriculi, ſi lien afficitur, prout *Tulpius* notavit, dolet ſiniſtrum hypochondr. adeo exquiſitè, ut nec tactum ferat. Culpa non poteſt cadere in uterum, quia epilepſia ab utero non provenit, niſi menſes vitio laborent aut Veneres libidinoſæ ſint. Ergo potius ex torminibus ventris enata eſt, novi enim ex terrore ſolo tempeſtatis tempore tormina ventris orta in fœmina quadam teneriore. Tremebat autem potisſimum pes & brachium, quod antea partes hæ à partus doloribus ſpuriis labefactatæ fuerint. Adſtantes inexperti malè putabant in ſummo periculo verſari ægram, reſtituuntur enim ſæpe in momento, quando ceſſat ſpaſmus. Modo obviam eatur convenienti apparatu, facile & cito reſtituetur.

Cura. Cura duplex, vel in paroxyſmo, vel extra eundem. Sive ſit epilepſia ſive ſyncope &c. laborandum, ut motus ſpirituum inordinatus ſedetur, deinde ut reſtituatur priſtinus ſpirituum & humorum. Ex formulis commendo potisſimum, quæ ſub forma ſalis volatilis naribus offeruntur, ita ut optimè hinc excitentur ægri. Commendo enim ſolùm ſpir. vini rect. ori infuſum. Suffimigia fœtida non improbo, ſed adhibenda nihilominus cum cautione, imprimis fumus ſulphuris, magis enim ſæpe inde ſtringuntur nervi, malumque augetur. Acrimonia ſiquidem illa maximè vellicat partes, ut vix ſopiri poſſit. Novi autem ſternutatorio tantas ſternutationes excitatas fuiſſe, quæ ſopiri non poterant. *Suffimigia cum cautione adhibenda.* Extra paroxyſmum in noſtra ægra alia cura exigitur, reſtituatur ſcil. motus ſpirituum humorumque. Ergo non male venæ ſectio ſvadetur, ut motus ſanguinis reſtituatur, cum fructu in præſenti ægra plethorica adhibita fuit. Lateres calefacti & interne ſudorifera, ſalia volatilia blanda, caſtorina &c. exagitare ſanguineam maſſam poſſunt. Et his ſolis remediis reſtituta ægra fuit. Not. in ſubjectis tenerioris texturæ linimenta ex oleis deſtillatis acribus illita, ruborem & veſiculas excitant.

CASUS XXX.
INCUBUS.

VIr literatus annorum 6. ſupra 30. habitus obeſi, ſed ſimul cachectici, per plures annos cum Themidem in Academia adhuc coleret, ſolenni habuit in conſvetudine, lucubrationi impendere noctem, ita ut rarius ſe daret lecto, quàm domeſtici excuſſo ſomno muniis iterum ſe accingerent conſvetis. Poſtea ad Batavos & Anglos excurrens per biennium pancratice iſtis in oris vixit, nunquam tamen ſomnum nocte integra capere potuit, ſed ſatis fuit ipſi, modo tres vel quatuor horæ inter inſomnia admodum turbulenta eſſent elapſæ. Redditus patriæ officio præeſſe juſſus eſt, quod per maximam diei partem exigit, ut ſedeat, et ab iſto tempore miſerrima ejus conditio eſt facta, nam ſtatim ac obdormiſcit, difficile & cum ſummo anhelitu, ſtertore & Rhonchiſmo incipit reſpirare, & artus inſtar luctantis vibrare, tumque facies ſolen-

ſolenniter rubore, & tantum non nigredine ſuffunditur. Licet verò clamare voceſque edere maximè laboret, omnis tamen conatus prorſus irritus eſt talique in ſtatu ſemper manet, donec uxor & domeſtici in ſubſidium vocati ſumma corporis commotione clamoribusque ipſum excitent. Conqueritur tum de viribus proſtratis, refertq; monſtrum horrendum, utplurimum æthiopis ſub facie corpori incubuiſſe, & jugulum ejus petiiſſe, imo in pectore, collo & brachiis maculas ſangvine ſuffuſas oſtendit ſubinde, quas pro relictis veſtigiis digitorum dicti monſtri venditat. Hoc ipſum verò malum frequentisſime & pene ad ſingulas noctes illum divexat, imprimis tamen ſupine decumbentem. Quare ſi placido frui ſomno velit, ſedere & pronum in faciem ſitum corporis obſervare cogitur. Cæterum nullum ſentit defectum in appetendò & aſſumendo cibo, cerevíſiam verò craſſam & lupulatam, juxta ac vini generoſi potum, tanquam ſummè noxium fugit pertinaciter, alvus ſolenniter ipſi eſt pigra & levi de cauſa iraſcitur, tandemque ad venerem admodum ſe eſſe proclivem fatetur.

EXPLICATIO.

An ſit Plethora ſpuria

Accuratè ſiſtitur Incubus. Aliquis pro Plethora ſpuria habet, quia non adſit inflatio hypochondriorum doloroſa, nec ab alimentis flatulentis aſſumptis eveniat, uti ſolenniter fit in Incubo, at non ſufficiunt hæ rationes, quatenus hypochondriacum malum utique ſufficiens eſt pro hoc malo excitando. Incubus eſt imminutio motus organorum reſpirationis cum prava imaginatione corporis incumbentis 1) Læſa eſt reſpiratio & vox. 2) Læditur Phantaſia.

Definitio Incubi.

Ratio Symptomatum ſtertoris, Rhonchiſmi.

Ex imminutione motus reſpirationis organorum oritur ſtertor, rhonchismus, non enim aër hinc libere in-& exſpirari poteſt, ſed exigua copia aëris ſuſcipitur & exploditur. Ex imminuta reſpiratione eſt vocis læſio, & conatus loquendi irritus.

Læſæ vocis.

Livoris &

Ex eadem cauſa dependet ſtagnatio ſangvinis manifeſta; facie ad ruborem & nigredinem vertente. Ex hoc principio proveniunt ſuffuſiones partium. Si enim ſubjecta teneriora fuerint, ſangvis ſtagnans ſtatim ejuſmodi ſuffuſiones excitat. Non rarò coitu ſuffunduntur ſangine oculi, it. à vomitu impetuoſo, imprimis quoniam tunc ſpasmus nervorum accedit. Imaginatio læſa in Ephialticis manifeſta eſt, & inde oritur iſta artuum vibratio, dum removere audent pondus incumbens &c. Non tamen iſta prava imaginatione inter dormiendum vexatur, ſed interdiu nil niſi monſtra ejuſmodi loquuntur. Hinc jure morbum incubum dicimus. Cauſa proxima à pluribus ſtatuitur vel perturbatio vel influxus inhibitus ſpirituum, at non tam cauſa eſt motus ſpirituum inhibitus, quam productum, morbus enim non naſcitur, quod non influat ſpiritus, ſed quod impediantur ab alia cauſa. Ego potius cauſam proximam dixerim organorum reſpiratoriorum nervorum ſpasmodicam affectionem Spirituum influxum inhibentem, imprimis autem afficiuntur nervi phrenici. Dum tenditur & ſpaſmo laborat thorax & diaphragma, non poteſt aer thoraci incluſus à pulmonibus recedere, eorumque expanſio hinc ſuccedere, unde ceſſat, ſi non in totum, maximam tamen partem reſpiratio. A ſpaſmo harum partium oritur reſpiratio difficilis, ſtertor, loquelæque defectus, hinc etiam imaginatio læditur, unde ſpiritus ſibi formant inſomnia triſtia, quatenus percipiunt, ſed ob ſpasmum partium non accuratè. Unde eſt, quod quidam Incubum ad inſomnia turbulenta referant, eorumque ſummum gradum ſtatuant. Aſt diſtinctum quid eſt ſpaſmodica harum partium affectio & imaginatio læſa. Quia verò Incubus etiam vigilantes afficit, de quo vid. *Smetius Miſcell. Rhodius Cent. 1. obſ.* ſequitur, non poſſe eſſe ſpeciem inſomnii. Et ex hoc ſpaſmo turbantur Spiritus, & ad imaginationem falſam diſponuntur. Cauſa remota interna à quibusdam abundatia ſangvinis vera, nunc ſpuria ſive orgaſmus aſſeritur,

Suffuſio in part[...] *unde a[...] um vi[...] tio.* *Cauſa [...] xima [...] orum o[...] ne.* *Autori[...] tentia.* *Ratio Reſpir[...] nis.* *Inſom[...] rum tr[...]* *An In[...] ad Inſ[...] turbu[...] poſſit r[...]* *Cauſa re[...] ta inte[...]*

ritur, nulla tamen harum cauſarum ex hiſtoria colligi poteſt. Abundantia enim particularum laudabilium cum cachexia ſtare nequit; In Plethora vero ſpuria adeſt Scorbutica diſpoſitio & acrimonia. Mihi videtur potius prava humorum conſtitutio in primis viis & M.S. cauſa interna, id enim ex appetitu vegeto concludi poteſt: adeſſe cruditates primarum viarum, potisſimum acidas, unde coagulatur chylus, vel in colliquamentum pituitoſum, ſerum poſtm. & Maſſ. ſangvin. coagulans arguit Cachexia. Cum autem in habitu corporis maſſa craſſa & viſcida facile ſtagnet, mirum non eſt, ſi oriantur maculæ. Cauſa externa ſunt lucubrationes præcedentes, unde turbata eſt chyloſis ſomnusque, ita, ut ex mala conſvetudine fuerit facta altera natura. Nunc accedit vita ſedentaria ad cruditates primarum viarum & corruptionem ſangvinis multum faciens, hinc impeditur motus inteſtinorum periſtalticus, colliguntur flatus, alvus redditur pigra: ut cauſa externa etiam decubitus ſupra dorſum tanquam cauſa primaria omnium ſymptomatum incuſanda eſt. Ex infarctu enim à cœna ſufflaminatur motus diaphragmatis, unde tandem ſpaſmus evenit nervorum phrenicorum. Accedit etiam ut cauſa externa Veneris abuſus, quatenus tenduntur inde nervi, ita ut ſpaſmo affecti in conſenſum reliquos facile trahere poſſint.

[Ext]erna.

[Pro]gnoſis.

Prognoſis. Plurimi morbum non adeo periculoſum pronunciant; Verum quidem eſt, ſponte eum cedere, at periculo non penitus caret, quatenus aliquando ſuffocantur hinc ægri, ſi non excitentur. Curatu tamen difficilis eſt in hoc ægro, quia lucubrationes præceſſere, quia adeſt vita ſedentaria vix mutabilis, item quia abhorret omnem potum & Veneris exercitium amat.

Cura in Paroxyſmo.

Cura duplex. In paroxyſmo vel concuſſione, clamoribus vel ſola erectione corporis excitetur æger, vel frequentiore nominis proprii compellatione. Hæc ſæpe non ſufficiunt, hinc opus, ut Spir. Volatilis naribus admoveatur, aut ori infundatur Spir. Vini rectific. aqua apoplect. Imo ſvaſu *Foreſti*, ne ſine ſocio dormiat æger.

Extra Paroxyſmum.

Extra paroxyſmum corrigantur vitia primarum viarum per antacida, Salia fixa & Martialia, imprimis quæ non tam abſorbent acidum, ſed unita cum acido in ſalſum abeunt, hinc feliciter ſeceſſum movent. Huc etiam faciunt Infuſa calida, quatenus ſimul diſcontinuant viſcoſitates. His factis Evacuantia jungi poſſunt, non autem præmitti; nec etiam conveniunt vomitoria, quia jam irritata ſunt organa reſpiratoria, hinc ſuffocatio augetur, nec conveniunt ab initio purgantia, quia ab acido caſtrantur, ſed potius acore inverſo in uſum vocentur ſvadeo. Venæ ſectio hic etiam locum habet, ut ſangvini motus liberior reſtituatur.

Diæta.

In diæta vitetur decubitus ſupinus, hinc dorſo corpus aliquod aculeatum alligandum, ne inſcii dorſo incumbant. Imo ſi fieri poteſt, decubitus potius prono corpore fiat, auf die Seite oder Bauch / removetur ita ſtomachus à diaphragmate, dein cœna non ſit larga, nec immediate à cœna ſomnum capiat, ſed poſt tres ad minimum horas. Ne capite declivi adeo decumbat, Venerem ne circa Veſperam exerceat æger, & de cætero ſtrictiori diætæ ſe mancipet, quæ ſi obſerventur ſtudioſè, facilè ſuccedet & felix erit cura.

CASUS XXXI.
PHLEGMONE.

[Hi]ſtoria [mo]rbi.

FOemina juvenis, tertiâ à puerperio ſeptimana ad crepuſculum graviter perterrita noctem ſentit inquietam cum multis inſomniis turbulentis; altera die mirum in modum laſſa & langvida ad primam ſtatim auroram potum ſumere cogitur, à quo horrore corripitur frequenti

ti cum æſtu inſequente, hisque ſymptomatibus per intervalla brevia recurrentibus vexatur tota iſta die, cum appetitus proſtratione omnimoda. Ad veſperam calor augetur, unde illa nox ſine ſomno trahitur ab ægra, quæ ſubinde blande delirare obſervatur. Mane cum ardore mammam ſiniſtram dolere ſentit, & dum ea inſpicitur, tota rubens cum ſplendore & nodis variis obſita apparet; nec lac ulterius fundit, utut admotus puer eam ſtrenue ſugat.

EXPLICATIO.

Diverſæ opiniones.

ALiqui morbum hunc habent pro febre ardente intermittente, aliqui pro lactea, aliqui pro eryſipelate, aliqui pro inflammatione. Qui pro febre habent decipiuntur ex æſtu & ſymptomatibus febrilibus, quibus vexatur ægra. Adeſt quidem febris ſed ſymptomatica, hinc ab ea morbus non ſalutari debet, ſupervenit enim morbum alium jam præſentem. Febris lactea non eſt, nec provenit lactea febris à ſuppreſſione lactis, ſed à dolore ex lactis acceſſu ad mammas provenit. Qui eryſipelas afferunt, propius quidem accedunt ad ſcopum, adſunt enim cuncta ſymptomata ſolennia, & ſi etymologiam vocis ſpectes, utique eryſipelas adeſt ab ἐϱὸς ruber & πελάω appropinquo, h. e. tumor rubens. At quia aliam paulo faciem eryſipelas habet, quàm in hiſtoria deſcribitur, cum iis facio, qui inflammationem ſive phlegmonem putant. Equidem inflammatio genus eſt, ejusque quædam ſpecies eryſipelas, & hac ratione excuſari poſſent, qui pro eryſipelate habent; Veruntamen cum eryſipelate propriè dicto ſolùm cuticula afficiatur, præterea color magis ſplendidus & miniaceus ſit, quàm in inflammatione, tumor item æqualis in eryſipelate, contra in inflammatione tenſivus, item dolor in eryſipelate magis punctorius, inflammationem eſſe merito credimus. Adſunt ſymptomata in hiſtoria tradita 1.) inquietudo &c. ſitis &c.

Oſtenditur non eſſe Febrem ardentem,

nec Lacteam

nec Eryſipelas.

ſed Phlegmonem.

Symptomata

altera die tumor & rubor calorque mammæ ſe exſerit. Hæc ſunt ſymptomata inſeparabilia inflammationis. Et quia mamma parte ſenſata afficitur, ſupervenit febris ſymptomatica. Subjectum primario affectum mamma ſiniſtra eſt, quatenus rubet cum ſplendore, & ſymptomata inflammationis patitur. Imprimis autem mamma inflammationi eſt obnoxia, quia humorum affluxus lactantibus huc major eſt, quàm verſus alias partes. Inflammationes aliàs ſunt vel partium internarum vel externarum, pro textura verò partium plura paucioraque oſtendunt ſe ſymptomata, aliquando abeſt febris, delirium &c. quod ſi autem occupetur pars membranoſa, nervoſa &c. ſequitur motus inordinatus ſpirituum ex dolore iſto, & exin febris &c. Cauſa proxima inflammationum eſt ſtagnatio ſanguinis vel humorum, aut potius motus impeditus humorum & ſanguinis. Non quidem facio cum iis, qui ſtatuunt ſanguinem ſolum ſtagnare in inflammatione, dantur enim & inflammationes à ſtagnatione ſeri. Imo eryſipelas nihil aliud eſt, quàm ſtagnatio ſeri in vaſis lymphat. capillaribus. Adeoque omnes humores, lac, lympha, ſerum, ſanguis, &c. ſtagnantes poſſunt producere inflammationem. Per ſtagnationem tamen non omnimoda motus interceptio intelligi debet, aliàs gangræna vel ſphacelus adeſſet, ſed ſufficit ſolus impeditus motus; Remota cauſa interna in ægra noſtra eſt coagulatio lactis, inde obſtruebantur tubulorum lacteorum oſtia, inde ſtimulabantur ad dolores & criſpaturas. In ipſo enim momento, quo lac coagulabatur, ſentiebantur procul dubio dolores pulſatorii &c. Cauſa externa coagulationis terror eſt præcedens. Terror namque principium vitale in motu ſuo turbat, & ab exterioribus ad interiora pellitur, hinc facies pallet, cor tremit, pulſus intercipitur &c. ſi humores itaque deferantur à ſpiritibus, neceſſe eſt, ut ad coagulationem abeant. Mirum igi-

Subjectum affectum.

Dolor ex diverſitate ſubj. affe[cti] nunc maj[or] nunc min[or]

Cauſa proxima.

Quid ſit eryſipelas?

Cauſa remota interna

externa

Terroris a[...] mna.

igitur non eſt, ægram coagulationem lactis à terrore eſſe paſſam.

Sym- ptom. Ex coagulatione eveniebant nox inquieta, inſomnia turbulenta, idea enim terrifica affecti erant Spiritus; Exinde etiam laſſitudo erat, quia Spiritus nullo ſomno & quiete ſentiebant vires reſtitutas. Imo cum exagitarentur Spiritus ab inquietudine & inſomniis turbulentis, hinc æſtus procul dubio inerat ægræ, unde ſitim mane percipiebat, potumque ideo ſumſit frigidum, à quo horror æſtusque &c. exoriebantur, usque tandem exagitatio humorum & ſpirituum æſtum produceret. Imo cum non poſſit non adeſſe tumor, dolor &c. altera die notatus, non mirum ſi criſpentur tubuli, adeoque lac è mamma ulterius non fundatur.

...oſis. Prognoſis: Inflammationes in ſe quidem vix periculoſæ, niſi quod ſtagnationem humorum inſequatur ſuppuratio, tamen ſi ineptè tractetur per refrigerantia, repellentia &c. ac in cancrum ſcirrhumve abeat; nihilominus aliquando ſi ad alia loca transferatur, aut repellatur incongrue, mortem inferre poteſt.

...ra. Cura. Stagnat lac & ſuo modo etiam ſangvis in mammis: tumor hic dolorem in mamma producit. Hinc primarium indicans eſt reſtituere humorum motum impeditum. Ad *...ena ſe- ...ondu-* hanc intentionem Venæ ſectionem primò commendant, at in noſtro caſu locum non habet, non enim tantùm reſpiciendum ad ſangvinis ſtagnationem, ſed potius ſtatus & conditio humorum in partibus ſubtus poſitis h. e. glandulis reſpici debet, hinc à vena licet ſecta, nihilominus remanebit omnino mamma lacte coagulato turgida, & neutiquam ceſſabit inflammatio. Ergo potius conveniunt, quæ liberant partem ab humore in motu impedito; quare aliqui commendare volunt ſuctiones ſtrenuas per mulieres ſuctrices aut inſtrumenta; quod quidem verum eſt & ſuccedit, ſi tempeſtivè id fiat, quo enim diutius lac ſtagnat, eò minus conveniens eſt hic conatus. *An ſuctio fortior?*

Quamobrem coagulatos humores reſolventia & diſcontinuantia remedia tunc conveniunt, diaphoretica & diluentia ſimul, potus calefactus, Thee, Coffee aliorumque vegetabilium, quæ ratione caloris reſolvunt ſimulque diluunt. Addi poſſunt ſalia volatilia & fixa, imprimis quia ſtimulant partes, & ad motum diſponunt, imo quia ſimul antacida ſunt. Nec ſpernenda fixa terrea, Antimonialia. Cumque promoveatur egregiè ſudor, ſi ceſſent criſpaturæ partium ex infarctu oriundæ, hinc non male diaphoreticis anodyna junguntur. Sic quoque externis ſimilibus ſuccurri poteſt, ſacculis calefactis ex nervinis & aromaticis; Aliqui pulveres adſpergunt v. g. farin. cret. bol. ceruſſ. min. ſacchar. Saturn. latet enim in iis vis antacida. Succedit ſæpe negotium in Eryſipelate, ſed ſi profundior ſit inflammatio, irritus eſt hic conatus, cum ſæpe magis corrugentur hinc tubuli & oſtia excretoria. Emplaſtra item ſubſtitui poſſunt, imprimis de ſperm. Cet. cum camphor. de melil. Confugiendum eſt ad Fotus.

Nota tamen in Eryſipelate non ſemper tuto commendari ejusmodi humectantia, quia facile poſtmodum refrigerantur partes. Hinc etiam omnis generis linimenta poros oblinentia, frigida actu, acida &c. evitari debent. Sæpe tamen fruſtra labor omnis adhibetur, aliaque ſuperveniunt ſymptomata, nunc tradenda. *Eryſipelas humectantibus cautè tractandum.*

CASUS XXXII.

CONTINUATIO PRIORIS.

...ria ...i. QVanquam verò nihil ejus prætermiſerit Medicus, quod poterat facere ad reſolutionem humorum in mamma hac ſtagnantium, ipſaque ægra ad

ad dicta ejus diligentisſimè obſervans deprehenſa fuerit, tamen tumor prædictus mammæ nullo modo imminui, nec rubedo nec dolor abigi potuit; potius cuncta hæc indies creſcere ſunt viſa, & imprimis dolor antea ardens nunc in lancinantem & pungentem abiit, ſpatiumque ſub magnitudine imperialis ad latus dextrum papillæ poſitum pedetentim emolliri & magis protuberare, apicemque albicantis plane coloris oſtendere ad octavum à decubitu diem obſervatum eſt.

Explicatio.

In præcedente lectione ſtiti Inflammationem mammarum, ſequitur ejus continuatio. Sæpè enim accidit, ut, intempeſtivè remediis inconvenientibus obviam eatur, ſuppuretur, aut ab imprudenti medicamentorum applicatione in ſcirrhum abeat. Omnis enim Inflammatio aut diſcutitur, & tunc voti compos redditur Medicus & æger, vel mutatur in abſceſſum, ſi ſcilic. diutius ſtagnet & ſuppureſcat materia, vel abit in ſcirrhum. Præſens inflammatio in Abſceſſum degenerat, qui eſt collectio puris in parte aliqua. Id ipſum ſigna in hiſtoria data manifeſtant. Sunt ſigna vel abſceſſus in fieri, ſcil. juxta Hipp. ſ. 2. a. 47. ſi inflammatio non cedat nec externis neç internis medicamentis, ſed potius augeantur Symptomata, dolor ardens evadat pulſans & lancinans; Vel abſceſſus in facto, ſcil. ſymptomata in excellentisſimo gradu præſentia, ſi paulo remittat, it. ſi rubedo quodammodo remittat. In abſceſſu enim præſenti non tanta adeſt rubedo, quàm in antecedente inflammatione, tunc enim ſplendebat: it. ſi in locis diverſis prematur inflammatio, illo potisſimum in loco, ubi materia colligitur, magis intumeſcit & fluctuatio ſæpe humoris contenti deprehendi poteſt; hoc in inflammatione non contingit, ſed ibi æqualis renitentia & tumor eſt; it. ſi tumor in eminentiam abeat & ad latera paulo ſubſiſtat, quia tunc humores ad ſinum quaſi abeunt, hinc latera ſubſident, it. ſi in eminentia faſtigiata apex albicans notetur, & imprimis quando ſub ea parte fluctuatio quædam notatur.

Inflammatio in Abſceſſum abiens.

Signa Abſceſſuum diverſa.

Inflammationis & abſceſſuum nota diſcretoria.

Cauſa Abceſſus connexa eſt cum cauſis de Inflammatione traditis.

Cauſa ſceſſus.

Symptomata ſpecialia abſceſſus ſunt potisſimum collectio puris in parte quadam &c. doloris mutatio &c.

Sympto

Cauſa proxima abſceſſus eſt coacervatio corrupti ſeri in parte inflammata. Ex motu enim humorum impedito infarciuntur vaſa ut tumeant & turgeant, per quæ effluit poſtmodùm ſerum limpidum, hinc humor antea in ſuis cancellis ſervatus nunc ex parte extra vaſa ponitur. Sic hydrops artificialis parari poteſt, injecto vinculo venæ cuidam corporis, ſeroſa enim ſubſtantia tunc per vaſorum poros & fibrarum carnearum tranſudat & tumorem hydropicum excitat. Idem contingit in Inflammatione; dum enim nimium diſtenduntur tubuli ab infarctu humorum extra vaſa fertur ſerum, hinc illud putreſcere poſtmodum incipit: quare materia proxima eſt ſeri in pus converſio extra ſua vaſa ſcil. poſiti. Cauſa remota interna eſt criſpatura fibrarum & coagulatio humorum, obicem ponens circulationi ſangvinis. Cauſæ externæ variæ in noſtro caſu ſunt, v. g. frigus aëris accedens, aut medicamenta actu frigida pro repellendi ſcopo adhibita, aut applicata acida, huc ſpectant tranſpirationem impedientia, imprimis Ungventa viſcoſa & emplaſtra, his enim remediis, quibus molimur diſcusſionem, ſæpè occaſionem damus ſuppurationi, oblinendo ſcil. poros. Quod dolor ardens nunc pulſatorius fiat, in cauſa eſt acrimonia ſeri, qvæ vellicando ad criſpaturas diſponit partes, es reiſt / ſticht und ſicht brinnen / aut diſcerpuntur & dilacerantur iſtæ. Subſidet tumor in una parte, in altera inflatus, quia materia facilè premi huc & illuc poteſt.

Cauſa xima.

Hydrop tificiali

Cauſa ta inte

Cauſæ na.

Dolor torius

Pro-

Prognoſis diverſa in genere de abſceſſu formatur pro cauſæ &c. diverſitate. Quoad mammæ abſceſſum quidem ſenſata pars dolet, non tamen adeo periculoſum eſt malum, nihilominus quo diutius protrahitur abſceſſus, eò graviora ſymptomata excitat, erodit enim ſerum cauſticum tubulos, & non raro fiſtuloſas, & ſinuoſas cavitates format, imo cicatrices non rarò poſt conſolidationem relinquuntur ſatis fœdæ.

Cura poſtulat materiæ collectæ evacuationem, qua evacuata ſufficienter hiatus nova carne claudatur. Ante omnia opus eſt, ut exitus materiæ promoveatur. Si eo res devenerit, ut turgeat tumor ob copiam materiæ, ſi eminentia faſtigiata & color albicans in apice adſit, ſæpe ſponte rumpitur; ſed antequam illud contingit, adhibenda ſunt remedia, quæ cutim emolliant & humores ſub ea ſtagnantes ad exteriora vocant. Id ipſum quidem ſolenniter ab ipſa natura fit, ſed antequam illud contingit, aliquot dies elabuntur & graviter vexantur ægræ, quare externis malo occurrendum, Emollientibus, quæ viſcoſitatem habent criſpaturas emolliendi & demulcendi, Rad. Alth. decoquuntur vel in lacte vel aqua & per ſetaceum transmiſſa ſub forma Catapl. imponuntur. Huc ſpectant farinacea omnis generis. Imo panis ſimilagineus, bis coctus, in pultem converſus idem præſtat; affunditur autem lac turgens particulis oleoſis & butyraceis, ſimili modò emollientibus. Quare & olea emollientia, axungiæ eadem efficiunt. Not. tamen, ut ſemper calida applicentur; Qui cataplaſmata abhorrent, Fotus adhibere poſſunt, ſed opus eſt, ut frequentius adhuc mutentur, citius enim refrigeſcunt. Emplaſtra commendantur Diachyl. (ex ſucc. de alth. de melil. branc. urſ. viol. cum cera & tereb. in Empl. red.) ob unctuoſitatem demulcet dolores in Inflammatione, idem ungventum populeum præſtat, Empl. de Melil. Emollito tumore materia ſubtus latens ad exteriora vocatur, ab autoribus dicuntur attrahentia, ſunt irritantia & ſtimulantia partes ad contractionem, v. g. Empl. Diachyl. cum Gumm. Empl. de Gumm. Ammon. de Bacc. Laur. Magnet. arſenical. Ungvt. Baſil. de Bdellio &c. Dolor ſi nimius ſit ab acribus his, demulcendus is eſt, per combinata anodyna cum acribus v. g. Oxycroc. Empl. (ex croco & aceto) Empl. de Galb. crocat. Non male oleum hyper. verbaſc. lil. alb. papav. hyoſcyam. imo ipſa opiata admiſcentur, imò ipſa Theriaca in ſubſtantia applicata egregie præſtat. Accedendum poſt ad Rumpentia cauſtica Euphorb. Salia Acria, acida cauſtica &c. quæ erodendo cutim materiæ viam parant. Non tamen niſi intra aliquot dies cutis eroditur, hinc citius per ſcalpellum Chir. aperitur tumor. Ruptione facta intus latens materia repurgetur & carne nova ulcus claudatur. Poſt apertionem non debet tumor durius premi, aliàs nova Symptomata oriuntur, febricula v. g. vulneraria. Sed imponi debet ungventum digeſtivum, reſolvens humores viſcoſos & ad evacuationem diſponens. In abſceſſu mammarum ulcus non ſtatim conſolidandum, ne pus ſtagnans in ſacculis adipoſis relinquatur, nec ſuccedit adeo cito conſolidatio, ob copioſum humorum affluxum in lactantibus ſolennem.

Monitum de tumore lenius tractando.

de ulcere mammarum tardius conſolidando.

Casus XXXIII.

TUMOR CYSTICUS IN SCROBICULO CORDIS.

VIr annorum XXXV. à longo jam tempore variis ſcorbuticis affectibus & imprimis ſcabie vexatus ad regionem ſcrobiculi cordis quadam die obſervat protuberationem mollem ſub magnitudine fabæ, ſine

ne tamen dolore aut alio moleſtô ſymptomate, hinc etiam negligit eam, imo ne quidem de illa ulterius cogitat, donec aliquot ſeptimanis elapſis forte fortuna iterum manum admovens loco huic ad nucis juglandis magnitudinem excreviſſe tumorem animadvertit. Sed cum & nunc abſit dolor, aliaq; negotia noſtrum diſtrahant, nondum de remediis eſt ſollicitus, ſpontaneum ejus tumoris abitum expectans. Aſt ubi poſt menſem pugni magnitudinem jamjam auctum, & indies incrementum majus adhuc ſumentem obſervat, utut nondum dolorem nec inflammationem aut aliud importunum ſymptoma ſentiat, tamen Medici & Chirurgi opem implorare incipit; Quæſitus igitur de cauſis antecedentibus, nullas recenſere poteſt, præterquam contuſionem ejus loci ex lapſu cum equo ante tres jam annos paſſo, & quod in conſvetudine habeat ſolenni inter ſcribendum regionem gaſtricam firmiter menſæ, cui aſſidet, applicare.

EXPLICATIO.

Hiſtoria tradita primo intuitu non ſatis clare morbum deſcripſiſſe videtur, dum ſolummodo tumor indicatur, hinc quia variis cauſis ejusmodi tumor oriri poteſt, in varias ſententias vos abiiſſe video. Qui pro tumore aquoſo habent male agunt, quia ſeroſi tumores ſive œdematoſi non concordant cum data hiſtoria, quatenus illi extenduntur rarius, ſed anguſtum ſpatium occupant, præterea materia contenta non fluxilis, & mobilis deprehenditur, uti ſolenniter in aquoſis tumoribus contingit, taceam illos tumores ſæpe pellucidos eſſe. Ganglion non eſſe poteſt, quia 1) non adeſt durities plane oſſea, ipſi aliàs ſolennis. 2) Nec locus adeſt, ubi ordinariè excreſcit, naſcitur enim circa articulos carpi & metacarpi, tarſi & metatarſi, quamvis aliqui Fungum (Gliedſchwamm) etiam Ganglion appellent; taceam 3) ipſum nomen germanicum plane non concordare, ein Uberbein/ quia ſupra oſſa creſcit, quod hic neutiquam obſervatur. 4) Ganglion mobile eſt, hic tumor ſecus. Nec eſt tumor flatulentus ſive Emphyſema, quia renitentia & elater in fluido ſtagnante obſervabilis deeſt. Potius eſt tumor cyſticus, quia certa capſula concluſam habet materiam. Suſpicio in hunc tumorem cadit multa de cauſa 1.) ex generationis modo, principium enim habent exiguum, ſenſimque accreſcunt ejusmodi tumores. 2.) Adſunt cauſæ antecedentes (ordinariè enim humores craſſi acres &c. cauſa antecedens ſunt) 3.) Adſunt cauſæ internæ, injuria parti illata, caſus ab equo, compresſio inter ſcribendum. 4.) Adſunt ſymptomata ſolennia, ſcil. indolentia &c. Quis verò aut qualis ille tumor, vix à priori determinari poteſt, ſed tunc demum, quando ſtagnans humor in lucem ponitur. Species ejus ſunt Atheroma, quando materia concluſa pultacea eſt, Steatoma, quando materia ſebacea ſpiſſa & craſſa eſt; Meliceris, quando materia faciem mellis & conſiſtentiam refert. Curioſum hic eſt, quod ſemper materia incluſa ſit peculiari & p. naturali capſula, mirum hinc eſt, unde illa ſit? it. unde humor ille concluſus proveniat? Tunica eſt productum morboſum, extra enim controverſiam ſedes primariò affecta eſt membrana fibroſa ſive vaſculum lymphaticum, quod tractu temporis in capſulam talem ſatis ſæpe craſſam, mutatur. Sciendum autem eſt, primo infarciri ejusmodi fibrillam vel vaſculum humore aliquo præternaturali, ſi ſcil. irritetur à cauſa externa, ut ſtagnare humor cogatur, unde diſtenditur, & novus humorum affluxus contingit; Contingit poſtmodum, ut humor ille fluidior adhuc per tunicas tranſſudet & ita extra vaſa conſtitutum ſerum emollit & macerat membranas, ut poſſit inter eas humor infarciri illasque hinc tumefacere & ſpongioſas reddere. Imo tandem contingit, e. g. in fungis, ut ejusmodi membranæ ſpongioſæ redditæ immutatis ſuis poris in cartilaginem abeant. Hinc ratio etiam reddi po-

Male pro tumore aquoſo habetur.

Neque Ganglion eſt.

Neque tumor flatulentus. ſed tumor eſt cyſticus.

Species tumoris c[...]

Unde t[...] & hum[...] inibi co[...]ſus?

Unde a[...]ſus cyſti[...] liquor?

poteſt, cur alius aliusque ſeparetur in cyſtide liquor pro pororum ſcil. varietate & conſtitutione p. n. inducta. Favet præterea multum conſtitutio humorum ægri. Hinc temperamenta pituitoſa magis favent geneſi tumorum horum, quàm ſeroſa, quia ibi faciliùs ſeceſſus fieri poteſt. Ipſa enim ſtagnatio & incarceratio humoris multum facit ad immutationem ejus, quatenus aquoſæ particulæ exhalant, relictis crasſioribus. Materiam diverſam intus concludi ex ipſa pingvedine oritur, quia materia ipſi deſtinata nunc ad cyſtidem deponatur. Adeo, ut facile ratio humoris hinc deduci poſſit.

Cauſa proxima eſt vas aliquod lymphaticum ſive fibra membranacea pedetentim dilatata, quæ temporis tractu à depoſito humore in cavernam mutatur.

Cauſa remota interna eſt diſpoſitio ſcorbutica & ſcabioſa: Cauſa externa eſt injuria partibus illata, quatenus facile à contuſione & compresſione ſeceſſus membranarum à ſe invicem fit: item compreſſio regionis gaſtricæ inter ſcribendum humoribus ſtagnantibus novam occaſionem ſuppeditans. Creſcit indies tumor, quia organon adeſt ſecretionis & collectionis humoris, ita enim ſæpe capillaria vaſa augentur, ut ampla ſatis fiant, ex alluvie humorum. Abundans, viſcoſa & glutinoſa ſubſtantia involvit aculeos ſalium, ut agere & dolorem excitare nequeant, imò ciſtis nunc penitus ſuam texturam ſenſumque amiſit. Hinc etiam eſt, quod nulla inflammatio adſit, quia organa advehentia & revehentia bene ſunt conſtituta.

Prognoſis. Plus minus curatu difficilis eſt, vixque alia mala hinc eveniunt, quàm quod, dum enormiter augetur, motum turbet aut deformitatem afferat.

Cura. Cum jam materia fuit p.n. deprehenſa, cum cyſtis jam formata ſit, vix ullis reſolventibus &c. quicquam obtinebimus. 1.) Emollientia enim hic locum non habent, ſed potius magis nocent, quo magis enim humectatur cyſtis, eò magis augetur tumor. 2.) Nec acria & rumpentia conveniunt, quia humores (ob eorum viſcoſitatem & glutinoſitatem) ad motum & turgeſcentiam diſponere nequeunt &c. quæ tamen ad rupturam requiritur. Quare nec locum habet in hoc caſu ullum emplaſtrum, Ungventum, cataplasma &c. Imo Empl. de ran. cum Mercurio vix locum amplius hic habet, ſed ruptio tumoris ſuſcipienda. Aliqui commendant cauſtica potentialia, monendum tamen, quod aliquod tempus ad eroſionem requiratur. Potius commendatur inciſio tumoris, aut ejus totalis remotio per inſtrumenta Chirurgica, ſi imprimis in loco convenienti ſit. Quanquam tamen & in noſtro caſu totalis extirpatio non convenit, quia hic in regione gaſtrica hæret, quare potius incidendus tumor. Sectione facta materia effluet, & determinabit nomen tumoris. Poſt aperturam per inciſionem evacuari pedetentim debet incluſa materia, vel per ſe vel per digeſtiva, ungvent. fuſc. W. Ægypt. &c. quatenus mundificant ulcus. Licet verò educta fuerit ſaburra, perfecta tamen cura non expectatur, niſi cyſtis penitus removeatur, vel volſellis vel forficibus vel cauſticis acidis, but. Antim. &c. ungventis admixtis vel attactu per penicillum. Hac pro intentione Spir. vel ol. Vitriol melli roſato admiſceatur, & ita vix ſentiunt eroſiones ægroti, niſi partes adſtantes attingantur ſanæ.

Quamdiu vero aliquid cyſtidis reliquum eſt, non conſolidatur ulcus. Melius erit ſucceſſivè procedere, quàm importunè in extirpatione cyſtidis feſtinare cum ægroti damno.

Casus XXXIV.
PLEUROPNEVMONIA.

Foemina XL. ann. conſtitutionis ſiccæ, ad æquinoctium hyemale, ob negotia quædam domeſtica, negligenter ab ancilla tractata, gravisſime iraſcitur, indeque ſtatim difficulter & cum ſtertore reſpirare in-

cipit cum totali appetitus proſtratione, & ſumma inſequentis noctis inquietudine. Altera die vocatur Medicus, qui ſummum infarctum pectoris & primarum viarum deprehendens emetico exhibito copiam largam pravorum humorum ἄνω καὶ κάτω eduxit adeo, ut per ſubſequens biduum ſymptomata cuncta mitiora fuerint deprehenſa, Quarta tamen die ad veſperam horrore enormi corripitur, inſequenti æſtu & dolore punctorio ad ſcapulas primum, mox verò ad hypochondrium dextrum deſcendente, unde denuo admodum inquietam duxit hanc non ſolùm, ſed aliquot etiam inſequentes noctes. Hodie per tusſim materiam viſcidisſimam, colore luteo & ſubinde etiam rutilo tinctam rejicit in copia, æſtus ſubinde remittitur, mox verò rurſum exaſperatur, ad veſperam ſine urgente cauſa multa cum quodam impetu loquitur, ad noctem mediam blande delirat.

Explicatio.

Diſtingvunt Autores inter peripnevmoniam & pleuropnevmoniam; Peripnevmoniam autem aſſerunt utriusque pulmonum lobi inflammationem. Pleuropnevmoniam verò, ubi unius lateris pleura & pulmo &c. In præſenti caſu pleuropnevmonia eſt, ſi ſcil. proprie vox accipiatur, ſi tamen non adeo rigoroſi eſſe velimus, pleuritidem dicere licet, quia à potiori fit denominatio. Sive enim pleura tantum, ſive pulmones tantum efficiantur, ex uno tamen harum partium affectu altera in conſenſum trahitur. Hinc non eſt, ut adeo anxii ſimus circa nomen hujus affectus. Sive enim primario afficiatur pleura, ſive pulmo, nihil refert. Pleuritis germ. dicitur Seiten-Stechen/ hinc ſi non in latere eſt dolor, ut in præſenti caſu, objiciunt nomen morbi vel ægri non conveniens. Quare appellatio germanica in latiori ſenſu accipienda eſt, non tamen pro latere, ſed etiam pro aliis partibus lateralibus, anteriore ſcil. & poſteriore. Hinc recte dicitur præſens affectus pleuritis, adeſt enim 1.) dolor lateris punctorius ſatis exquiſitus, nihilque refert, an circa ſcapulam ad hypochondria usque obſervetur, an præciſe in latere. 2.) Adeſt tusſis ſpumoſa & aliquando etiam ſanguinolenta. Ut plur. ad diem 4. 5. &c. ſupervenit ſputatio. 3.) Adeſt febris acuta. Equidem aliquando ſine febre pleuritis affligit, ſæpisſime tamen adeſt, imo non raro febris præcedit & demum ſupervenit dolor punctorius. In noſtra ægra prius affecti fuere pulmones & reſpirationis partes, febrisque demum poſt aliquot dies ſupervenit ſymptomatica. Febris pertinet ad continuas & acutas, quamvis per intervalla exaſperetur.

Appellatio Pleuritidis Germanica. *Signa Pleuritidis*

Cauſas quod attinet, cum ſe febris & pleuritis offerant morbi complicati, pleuritidis natura conſiſtit in inflammatione pleuræ conjuncta cum dolore lateris, tusſi & febre: Inflammationis illius cauſa proxima eſt motus ſanguinis & ſeri impeditus, hinc ſtagnare cogitur. Cauſa remota, quæ motum ſanguinis impedit, interna, in ægra noſtra eſt temperamentum ſiccum, humorum viſciditatem & ſpisſitudinem indicans, hinc ad ſtagnationem maximè diſponens. Diſpoſiti ita humores citius ſtagnare posſunt, imprimis quando non influunt leniter, ſed cum impetu ob excandeſcentiam in ira commoti; Ab ira non tantum ſpiritus ad motum rapidisſimũ diſponuntur, ſed etiam humores, itaque factum eſt, ut depoſitio ejusmodi humorum viſcoſorum facta ſit circa organa reſpir. Ut externa cauſa huc facit aëris conſtitutio hyemalis, frigida, humores enim viſcoſi jam ab aëris attactu magis congelantur, ut libere redire nequeant. Febris producitur nunc à motu irregulari ſpirituum ex ira concitato, hinc mirum non eſt, grave tale ſymptoma excitari à vehemente hoc animi pathemate, imprimis quando pars ſenſata pleura ſc. nunc à ſanguine ſtagnante patitur.

Cauſ. *Cauſa Inflammationis prox.* *remota interna.* *externa* *Febris*

Prognoſis: Si pleuritis ſine febre fue-

Prog.

fuerit, aut notha extiterit, non adeo triſtis eventus prædicendus, ſed aliter de ea inflammatione, quæ febrem acutam comitem habet. Si enim ſpaſmo laborat thorax, non ritè aſſumi & explodi poteſt aër, & reſpiratio turbatur, ceſſatque ideo ejus uſus, taceam partes has ſenſatas citius poſſe ad ſphacelum diſponi & gangrænam.

tomata. Peſſima ſymptomata ſunt, quod illa, poſt aliquot dierum decurſum & accedente licet expectoratione non cedant, quin potius exaſperentur, & cum impetu ſine cauſa loqui incipiat ægra, (quod certiſſimum ſignum eſt imminentis delirii.)

ura. In Cura uno oculo ad ſtagnationem ſangvinis, altero ad urgentia ſymptomata reſpiciendum, ſæpe enim opus eſt, ut neglecto per tempus morbo ſymptomatibus, imprimis dolori proſpiciamus. Stagnatio ſangvinis præcaveatur per Venæ Sectionem largiorem, hinc fit, ut motus impeditus ſangvinis removeatur & ſtagnatio, ceſſetque Orgaſmus ſangvinis, hoc ſi obtentum eſt, remittit etiam dolor. Nota tamen in plethoricis major copia ſangvinis eſt educenda, quàm in minus plethoricis, quo caſu ſufficit quidem pro ſangvine ventilando ſecare venam, ſed ne in majori copia is educatur. Not. etiam, ubi ex ira langvet corpus, cautè etiam ſecanda vena eſt, quia jam ad maſſam ſangvin. delata eſt bilis, & jam immineat febris. In febribus ex ſolenni animi commotione, ira puta, ortis utplurimum quidem Vomitorium pro removenda bile præſcribunt; at cum jam jam nimium laborent Spiritus, magis debilitantur ab ejusmodi motu violento; In noſtra ægra cum jam infarctæ ſint partes humore, magis infarciuntur nunc ipſæ à Vomitorio. Hinc vix ſvaſerim ad imitationem Fabri omnibus pleuritidis vomitorium dare, utut etiam aliquando ſaburra billioſa evacuata videatur, nam hinc Symptomata magis aucta fuere. Potius conveniunt in noſtro caſu reſolventia, & quæ ſimul humectant, infuſa, decocta; non ſola Salia Volatilia aut alia diaphoretica conducunt, quia ſæpè magis anxios reddunt ægros: Licet enim ex iis ſequatur ſudor, non aliter id ſuccedit, quàm quod exagitata fuerit M. S. Ergo potulenta calida largiùs aſſumpta cum reliquis diaphoreticis decocta magis convenientia ſunt. Imprimis ad dolorem attendendum, ne is augeatur, quare Anodyna cum aëreis & diaphoreticis miſcenda, quia, quamdiu pars dolet, tamdiu ſpaſmus adeſt, & vix impactus humor expellitur & dimittitur. Externè calida potius humectantia cataplaſmata, aut veſica aqua calida plena &c. applicentur, quia potu frigido aſſumpto, univerſa Symptomata exacerbantur. His factis ad expectorationem deveniendum, & eo caſu magis laudo Decocta & Infuſa Vegetabilium Expectorantium & humectantium, ficuum, paſſul. Continuentur ſaltim per aliquod tempus.

Vectio- otan-

Vomitoria an heic conducant?

Casus XXXV.

TYMPANITES.

ia

VIr quinquagenario proximus, homo agreſtis, ex curru quadrigis gubernando victum quærens, Medicum accerſit, ipſique refert Ventriculi dolorem gravativum, & appetitus defectum rebellem, utp. cui piperis grana groſſo modo tuſa, radicemque ari & vinum aduſtum fruſtra jamjam ipſe per octiduum oppoſuerat. Imprimis verò ægre fert abdominis tumorem, ad breves adeo dies mirum in modum auctum cum ſpirandi difficultate, torminibus ventris, borborygmis & ſtipticitate alvi. Præſcribitur uic clyſma emolliens & Carminativum, à quo tribus vicibus alvus ſolvitur, ſimulque 3. ova in aceto frixa integra ante 20. dies in diverſorio deglutita, penitus

ſub ea, qua aſſumpta erant facie, egeruntur, unde quidem dolores & borborygmi quadantenus, minime tamen inflatio abdominis tollitur, quippe quæ potius de die in diem aucta, totum inferiorem ventrem enormiter extendit, ita, ut digito pulſatus ſonum obtuſum nunc edat.

EXPLICATIO.

Synonymia.

CAuſa ſiſtit hiſtoriam morbi, qui dicitur *tympanites*, vel *tympania*, quæ dicitur etiam hydrops ſiccus, flatulentus. Titulum hydropis ſicci Hippocrates adhibuit. Lindanus verò hydropem ſiccum illam ſpeciem hydropis dicit, quando aſcites adeſt, non tamen ſcrotum ſimul intumeſcat, ſed hæc vocis acceptio nullibi præter apud dictum Autorem reperitur. Morbus præſens eſt flatuloſa abdominis expanſio, pulſata reſonans. Symptomata præcedentia ſunt ſolenniter dolores gravativi ventriculi & inteſtinorum lancinantes, ex quibus poſtmodum tormina ventris oriuntur, it. alvi ſtipticitas, quæ ſi per aliquot dies continuetur, intumeſcit venter, tandemque tumor pulſatus reſonat Ratio denominationis unice ab ultimo ſymptomate deſumta eſt. Quanquam verò abdomen etiam in aliis affectibus cernitur inflatum, v. g. in inflammatione ventris ſimplici, ubi borborygmi, tormina, rugitus flatusque adſunt; Alio tempore, ubi in aſcite ſerum ſimul extravaſatum deprehenditur; Sciendum tamen, quod in priori caſu nunquam ſonus obſervatur, ſi pulſetur tumor; Si verò accedunt dolores lancinantes & tumor tantus, ut ad cantelæ admotionem lucem transmittat, pulſatusque ſonum edat, tympanitis eſt. Tumor obſervatur in hydrope aſcite inconſtans, inæqualis, non renitens ſed mollis &c. è contra in tympanite tumor eſt conſtans & fixus, quocunque etiam modo locetur corpus, æqualis magis, undique renitens, & paulo durior, ut hoc modo facilè diſtingvi posſint. Subjectum generale tympanitis eſt totum abdomen, incipiens ſub diaphragmate, terminans in ingvinibus & à lateribus hypochondriis circumſcriptum. Speciale verò magis, quod nunc potiſſimum afficitur, varium traditur ab Autoribus: aliqui ſtomachum, alii inteſtina primario affici ſtatuunt, alii ſpatium intra has partes. Ego primariò affici credo inteſtina, quæ nunc adeo diſtenduntur, nihilominus in morbo diutius protracto ſpatium quoque extra hæc occupatur à flatibus.

Symptomata præcedentia. *Tympanitis à reliquis inflationibus differentia.* *Subjectum generale.* *Speciale.* *Ex aliorum* *Autoris o-nione.*

Signa ex ſymptomat. haberi debent. In principio morbus difficillime cognoſcitur, ut *Sennertus* ingenuè fateatur, ſe hoc malum â principio vix accurate dignoſcere potuiſſe, ſed neſciviſſe an colicam flatulentam, ſive aſcitis initium &c. præ ſe habuerit. Impr. cum ægri utpl. ſaltim gravitatem ventriculi referant. Si verò ad ἀκμὴν pervenit morbus, facile cognoſcitur ex ſymptomatibus enarratis. Quodſi tamen quædam ſigna adſint, quæ ſuſpicionem hujus morbi dare poſſint, ea ſæpe obſervavi, quod cum in aſcite ægri vix ferant decubitum ſupra dorſum absque difficultate ſpirandi, nunc qui tympanitem incurrunt, bene ferant ejusmodi decubitum. Aliqui cum *Aëtio* dicunt, poſſe ex tympanite reliquarum partium tumores flatulentos oriri, ſed hoc nunquam vidi nec audivi. Aliquando quidem obſervavi in vulnerato, ubi ad cavitatem thoracis acies penetrarat, quod brevi poſt intumeſcerent, quaſi â flatibus eſſet, facies, brachia &c. at brevi ſubſidebat tumor, ac ex alia cauſa, quam ex flatibus ortus videbatur.

Signa. *In princip. tympanit. difficilis co-gnitu.*

Cauſa proxima eſt Inflatio abdominis, utpote quod, dum enormiter inflatum, tumet. Cauſa remota interna non flatuum collectio ſola & eorum elaſtica virtus eſt, ſed ſimul attendendum ad inteſtina ſive ſubjectum, quæ verè aliquid p. n. tunc patiuntur. *Williſ. pathol.* dicit, tunc affici inteſtina non aliter ac in ſpasmo & tetano, ita, ut inteſtina tetano nunc corripiantur & expandantur & hinc rigeſcant, quod ipſum

Cauſa p-ma *remota tern.* *Williſii tenti*

pſum derivat à ſucco nutritio nervoſo. Contemni theoria hæc non debet, ſæpe autem ſpasmus non contractivus, ſed expanſivus & rigeſcens notatur in partibus, e. g. in Tetano, priapismo &c. Dum enim rigeſcunt fibræ, expanditur & extenditur, unde materiæ contentæ elaſticæ ſpatium datur ſe expandendi, eodem modo ac in Machina pnevmatica videre eſt. Rigiditas enim hæc evenit à ſpirituum impetuoſo influxu Latet tamen intus in viſceribus, inteſtinis puta, etiam aër cum alimentis aſſumptus, qui ſi non prematur, haud propellitur â tunicis inteſtinorum, ſed potius, ſi illa cedant, non mirum eſt, ſi hinc magis expandantur. Inde etiam eſt, quod Inteſtina flatibus adeo diſtenta non amplius carnoſam ſubſtantiam, ſed tantum membranaceam tenuem exhibuerint. Imo ſi vaſa Lymphatica ſimul rumpantur Tympanitem in ἀκμῇ conſtitutum utpl. Aſcitis ſupervenit.

Cauſa rem: externa ſunt vel cruditates inteſtinorum, vel quod per conſenſum afficiantur hæ partes, ſæpisſime ex malo hypochondr. vel ex Colica flatul. Tympanitis oritur, ita ut Tetanus hinc inteſtinalis ejusmodi producatur, it. contingit frequenter ex Aſthmate ſicco, ubi ſpasmo laborant partes reſpiratoriæ, ut eveniat Tympanitis. Porro ab ipſo aëre retento & concluſo Tympanitis quoque oritur, hinc ſi alimenta aëre turgida aſſumantur, neceſſario colliguntur flatus. Talia alimenta ſunt fructus impr. horæi immaturi & nondum elixati. vid. *Stair. Phyſiol. L. 19. ſ. 16. p. 577.* qui quantitatem aëris in variis alimentis accuratè obſervavit variis experimentis, hinc anſam ſæpe dant ejusmodi alimenta, ut superveniat tympanitis. In noſtro ægro ova acida aſſumta integraque deglutita ratione acoris ſtimularunt, contraxerunt inteſtina, accedunt acria pro ſcopo appetitum excitandi, ſub tegmine viſcido latentem flatulentiam expedientia & pariter ſtimulantia.

Prognoſis. Prognoſis: Potuit per ruptionem vaſorum lymphaticorum oriri aſcites & tympanites, morbus incurabilis.

Cura reſpiciens Cura dirigenda 1.) partim ad fibrarum motricum rigeſcentiam & intumeſcentiam, 2.) partim ad flatus, 3.) partim ad ſymptomata. *1.) Rigeſcentiam fibrarum.* Ad rigeſcentiam 1.) fibrarum reſpiciendum utique eſt, conveniunt his ſpaſmis optimè ſalia volatilia antiſpasmodica, ſpir. ſal. ammon. ſuccin. liqv. CC. ſpir. tartar. fulig. caſtorina & ſuccinata &c. Imprimis laudantur diuretica, quæ magis conveniunt, quàm purgantia, quatenus hæc magis irritant fibras, quamvis blandè laxantia non rejicienda, v. g. aur. fulm. cum ſaburram collectam educant & ad officium ſuum revocent, blande ſtimulando fibras. Externa antiſpaſmodica oleoſa, ungventa, emplaſtr. de bacc. laur. Fotus ex calidis & ſalinis: imo balnea ex ſalinis ejusmodi, quatenus ſpaſmo ſunt contraria. *Will.* commendat Fotum ex floribus ſalis ammoniaci ℥j. & cryſtallo minerali ℥ij. in ſpir. vin. phlegm. ſolut. Opiata aliàs in doloribus commendata vix locum hic habent, ſi tamen cum antiſpaſmodicis modicè dentur, utique convenient. *2.) Flatus.* 2.) Flatus carminativis ejiciuntur per carminativa clyſmata. *Notanda cautio.* Not. tamen, cum ſpaſmo laborent inteſtina, utplurimum ſphincter ani eodem correptus eſt admodum moleſto, quo caſu inſtrumentum ſub forma fiſtulæ intrudi debet, ne adeo contrahatur. Impr. ſi robur ſufficiens muſculis abdominis diſtentis non adſit. Faſciæ ventri circumjectæ flatus educere juvant.

CASUS XXXVI.
SYNCOPE STOMACHICA.

Juvenis robuſtus, perfecte ſanus fabri ferrarii ſervus quandam die æſtuans à laboribus cellam ingreditur, largamque copiam cereviſiæ ſecundariæ pro compeſcendo fervore & fallenda ſiti, domeſticis neſcientibus ingur-

ingurgitat. Reverſus ruit in terram omni ſenſu & motu deſtitutus; Vocatur igitur Medicus, qui celerrime advolans hominem quoad faciem cadaveris ad inſtar pallentem, quoad artus rigidum & gelidum deprehendit. Pulſus in carpo nullus obſervatur. Reſpiratio intercepta eſt pene ex toto, nam non niſi pluma ori admota eam adhuc adeſſe intelligi poteſt. Tandem cum pro explorando pulſu in cordis regione nudo corpori admovetur manus, ad regionem gaſtricam Inflatio notabilis, ſtomachi figuram exacte referens, ſe videndam ac palpandam ſiſtit.

EXPLICATIO.

Syncopes notæ diſcretoriæ. Hiſtoria deſcribit hominem ſyncope ſtomachica affectum. Syncope dignoſcitur ex ſymptomatibus, ruit in terram ſenſu & motu privatus, riget & friget, pulſus deficit. Syncopizantes primo ſentiunt ſubitaneum & præcipitem virium lapſum, ſucceſsiva enim virium defectio ſyncope non eſt, utut ſenſus & motus ceſſent, aut frigiditas etiam & rigor artuum contingat. Ceſſant in ægro noſtro ſubito ſenſus omnes, interni & externi, ſimulque motus artuum tollitur, imo pulſus ceſſat, rigent artus inſtar ligni, & ſi tangantur frigiditatem oſtendunt. Syncope ideo dicitur, quia in aucto & excellentiori gradu ſymptomata adſunt. *Ratio denominationis.* *1. Species dicitur eclyſis.* 1) Species Eclyſis dicitur, eſtque leve animi deliquium, ubi quidem ceſſant ſenſus & motus, ſponte tamen mox redeunt. *2. Lipothymia.* 2) Dicitur Lipothymia & Lipopſychia, ubi graviora ſymptomata adſunt, & adhuc recordantur ægri excitati, quod cum ipſis actum eſt, brevi enim ceſſat. *3. Syncope.* 3.) Dicitur ſyncope, eſtque gravior gradus. *4. Aſphyxia.* 4.) Summus gradus dicitur Aſphyxia, tunc enim pulſus ſimul deficit. Cum verò in noſtro ægro neque pulſus notetur, poſſet etiam Aſphyxia dici. *Cur ſtomachica vocetur.* Syncope tamen ſtomachica eſt, quod epitheton à loco primario affecto, ubi ſedes cauſæ eſt, petitur. Eſt enim ſyncope vel per eſſentiam, ubi genus nervoſum ejusque principia primario afficiuntur, ſive ab irritatione, ſive à ſpirituum vel defectu vel aliorſum avocatione; vel per conſenſum ſyncope dicitur, quando in alia parte cauſa morbifica latet, genus nervoſum poſtmodum in conſenſum rapiens. *Syncope per conſenſum.* Aliqui aliam ſyncopen dicunt cardiacam, ubi in ſtomacho &c. Confunditur vulgo ſyncope cardiaca cum ſtomachica, quia orificiũ ſiniſtrum ventriculi, quod cardia etiam dicitur, aliquo affectu laborat, qui cardialgia vel cardiaca paſſio dicitur; *Syncope cardiaca cum ſtomachica confunditur.* At quia aliquando vitium in corde verè latet, cardiacaque ſyncope etiam propriè ita dicatur, melius ſtomachicam dicimus & ab ea diſtingvimus.

Cauſa. Quoad cauſas, ſi per eſſentiam ſyncope evenit, aliæ quidem cauſæ ſunt, quàm præſentis ſtomachicæ, ubi cauſa proxima eſt denegatus ſpirituum influxus ad organa ſenſuum & tactus, reſpirationis it. & artus &c. ut hinc in univerſi corporis partibus appareat denegatus ſpirituum influxus. *Cauſa proxima.* Facies enim pallet, artus rigent, ſpiratoria organa officio ſuo non præſunt, hinc vix levis reſpiratio percipi poteſt. Cauſa remota interna eſt nervorum contractio ſive ſpaſmus, qui initium ſumit ab orificio ſuperioris ventriculi, hinc per conſenſum afficit nervos intercoſtales, cardiacos, & tandem univerſum genus nervoſum, tam quoad ſuperiores, quàm quoad inferiores poſitos nervos, quod ſubinde contingit. *Remota interna.* Mirum hinc non eſt, ſi ex dolore nervoſi & ſenſati ſuperioris orificii ventriculi oriantur hæc mala. Habet enim nervos plures ex vago & intercoſtali, mittitque per vagum nervos ad cor, ad pulmones &c. Hinc ſi nimium irritentur nervi in centro quaſi, omnes ſuperiores & inferiores nervi per conſenſum afficiuntur, & parili ſpaſmo corripiuntur, quare tunc quoque circa ſenſoria ſuis muniis præeſſe neqveunt.

externa. Cauſa remota externa poſita eſt in potu frigido aſſumpto, æſtuante corpore, frigidum enim ſemper infeſtum eſt *Frigus poris n...*

eſt generi nervoſo, eoque magis, quo magis æſtuat corpus. Hinc à frigore externo ſaltem ad cutim admiſſo, ſæpe totum corpus concutitur tremitque, quare non mirum, ſi orificium ventriculi adeo eſt ſenſatum, quod ejusmodi infuſus potus gelidus talem ſpasmum produxerit. Circa ſcrobiculum cordis etiam dolorem ventriculi ineffabilem ægri ſentiunt, ut hinc mox ſenſus ceſſent &c. Nocet etiam frigidus potus coagulando ſanguinem, nam hyeme, ſi corporis partes injuriis aëris hyemalis expoſitæ fuerint, aliquandiu condenſantur humores, quod in pernionibus evidens eſt. Hinc non raro ſyncope à frigido potu, imo & ſubita mors aliquando contingit, aut ſaltem hydropem incurrunt ejusmodi homines. Frigidus enim potus coagulans ſanguinem humoresque ſtagnationem eorum inducere poteſt. Ex frigido etiam afficiuntur nervi, ut conſtringantur, hinc motus ſpirituum turbatur, unde Aſphyxia.

Pr... Prognoſis. Equidem atrocia cuncta apparent, & ni celeriter ſuccurratur, omnino pereunt ita non raro ægri. Si enim ſanguis diutius ſtagnet in pulmonibus, corde & arteria magna, (quod inde eluceſcit, quatenus gula connectitur cum partibus his, hinc ab infuſo potu frigido facile ſanguis ibidem coagulatur) actum eſt de vita. Nihilominus ſi adhuc pulſus quodammodo obſervetur, quamvis non in carpo, ſaltim ſi in corde leves contractiones notentur, ſpes omnis abjici non debet, quod in noſtro ægro notandum, quamdiu enim cor palpitat, tamdiu ſperandum.

Cura eò dirigatur, ut quantocyus excitentur ſpiritus ad influxum priſtinum per externa varia ab Autoribus tradita, quæ naribus admota acrimonia ſua & fragrantia genus nervoſum vellicare valeant, v. g. ſalia volatilia quæ dum inſpirationis tempore ad nares feruntur, ſtimulant tubulos olfactarios, hinc & alii nervi afficiuntur, ut ceſſent à ſpasmo. Si verò reſpiratio penitus deficiat, nec irritare hæc acria poſſunt, quamvis volatiliſſima ſint, quare adhibenda ſunt, quæ vel ſponte abeunt ad ea loca, hinc vitrum pro ſalibus volatilibus continendis ſit capacioris orificii & majoris quantitatis (**wol das gantze Glaß aus der Apotheck**) Dein & aliæ partes irritandæ per dicta ſalia Volatilia lingvæ impoſita, vel Spir. Vini ſimpl. rectif. aut aromatis. &c. nil intereſt, licet hinc ſæpe cutis removeatur, modo excitentur Spiritus. Sic alia loca quoque fricari poſſunt vel loca crinita vellicari, v. g. capilli myſtacis juxta *Henr. ab Heer* evellantur, quod ſenſatisſimum dolorem efficit, quia ſola ſæpè vellicatione ægri excitantur. Hinc omnis generis aquæ Apoplect. & Epilept. Balſ. Apopl. & Epil. naribus & temporibus it. ori admoventur. Internè ori infundi poſſunt jam dictæ aquæ Apopl. & Epil. &c. Imo ſolus Spir. Vini rectificatus ſæpe ſufficit. Poſtmodum ad cauſam remotam dirigi debent medicamenta; Externe actu calida imponantur, contraria enim contrariis curantur. Lateres calef. lintea, Catapl. ex acribus & Spirituoſis parata, Spir. Vini commixtus cum mica pan. vel fermento piſtorio & aromatibus &c. Imo tali in caſu, ubi à frigido coagulationem ſangvinis ortam eſſe ſuſpicamur, non raro Venæ ſectio conducit, quod in hoc quoque ægro peregi cum ſucceſſu, qua aperta effluxit ſangvis nigricans & pene ex toto coagulatus, ægreq; effluebat, & hinc in momento reſtitutus fuit æger, hinc enim ceſſabant ſpaſmi poſt Venæſectionem, Thermantica actualia & potentialia adhibui, & poſt breve tempus perfecte reſtituebatur. Juſſi ſalia volatilia aromatiſata aliquandiu in uſum vocare.

Vo- mo- ran-

Si reſpiratio penitus deficiat, quid faciendum ſit.

CASUS XXXVII.

VULNUS CAPITIS COMPOSITUM.

Hiſtoria Morbi.

Juvenis annorum XXVI. ex compotatione ſtrenua præter conſvetudinem animoſus factus, contentionis ſerram cum combibonibus trahere non deſinit, donec à verbis ad verbera devenitur, unusque ex adverſariis gladii ictu ita vulnerat eum in dextro capitis latere, ut inde proſtratus ſine ſenſu per ſemihor. ſpatium jaceat. Excitatus tamen ab adſtantibus ad ædes ſuas, cœlo pluvioſo, cruentatus egregiè ſe confert, capitique lintea circumjicit, aſt lecto incumbens noctem penitus inquietam agit. Ad auroram ſequitur vomitus aliquoties, & totus vertiginoſus eſt, quare Chirurgum advocant domeſtici, qui abraſis capillis ſpecillo obtuſo explorat locum læſum, ac obſervat, per integumenta externa & cranii laminam utrumque vulnus ad longitudinem duorum transverſorum digitorum tranſiiſſe illæſo tamen cerebro cum ſuis involucris, adeoque ſolus curam ſuſcipere non audet, ſed ut Medicus ſibi adjungatur petit.

EXPLICATIO.

Vulnus quodnam ſimplex, quodnam compoſitum vocetur.

Capitis vulnus traditur, & quidem compoſitum ſummeque periculoſum. Nam vulnus incidit in ſenſus, ſatisque patulum eſt, ac inſuper cruorem emittit, ut hinc non opus prolixa hujus indagatione. Sed hoc difficile dictu eſt, num vulnus præſens ſit ſimplex an compoſitum. Vulnus capitis compoſitum dicitur, ubi calvaria ſimul fracta vel læſa, aut muſculi temporales, aut etiam meninges, imo & ipſum cerebrum: Hinc præſens vulnus compoſitum dicimus, quia craniũ ſimul fuit læſum. Priusquam vero Chirurgus ſententiam dicat de conſtitutione ejus, requiritur ut accurate in ipſum vulnus inquirat (quod etiam factum hic eſt per inſtrumentum exploratorium) an adſit fractura an contrafiſſura an ſimplex fiſſura? Ad harum verò cognitionem ſymptomata multum faciunt, v. g. ſi vomitu vexatur æger, delirio &c. concluditur utique ad læſum cranium. Difficilius verò id dignoſcitur in noſtro, quia inflictum fuit vulnus per inſtrumentum acutum, hinc non adeo amplum eſt, accedit, quod cruor effluens impediat dignotionem ejus accuratam, oculorum aciem impediendo, quare poſt hæmorrhagias demum ſedatas ſententia de vulneris conditione certa dari poteſt. Quoad cauſas non opus eſt multa de iis dicere, quia illa eſt ſolutio partium continuarum, facta à violentia externa. Ex hac cauſa etiam ſymptomata oriuntur, ſc. ut æger proſtratus jaceat absque ſenſu per $\frac{1}{2}$. hor. quod ipſum tamen non ex læſis partibus ortum fuit, ſed potius à commotione cerebri generali illatum eſt, ex hoc enim & medulla ſpinali ramificationes nervoſæ ad cunctas corporis partes procedunt, hinc ſi cerebrum fuerit commotum, commoventur ſimul reliqui nervi, ut non tantum per horam interdum absque ſenſu ægri jaceant, ſed aliquando penitus pereant. Vomitus & vertigo ſive circumgyratio ſpirituum oritur ex ſtagnatione ſangvinis in vulnere & læſione pericranii, dum fibræ criſpantur, & quia vulnus hoc organa ſpirituum affecit citius, hinc irregularis ſpirituum motus excitatur in pari nervorum vago, quod potiſſimum hoc in caſu ſive in vertigine afficitur, per conſenſum vero & nervi ſtomachici afficiuntur, unde emergit vomitus.

Cognit[io] vulner[is] ſympto[mata] adjuva[nt]. *Ca[uſa].* *Symp[tomata].* *Vert[igo]. Vomi[tus].*

Prognoſin quod attinet; Judicium hic poſtulatur à Medico de vulnere, ubi cautus ſit in danda prognoſi, quia de corio

Prog[noſis].

...rates ...enus ...ccipi.

corio humano hic luditur. In genere de capitis vulneribus notetur, *Hippocratem & Galenum* ea pronunciare lethalia, aſt verba eorum non adeo ſtrictè ſumenda ſunt, ſiquidem idem volunt, ac ſi dixiſſes, vulnera capitis eſſe periculoſiſſima. In ſpecie verò de vulnere calvariam penetrante notetur, quod apoplexia, ſyncope &c. vulneratos frequentiſſime afficiant, etiam ſæpe poſt 12. vel 15. dies, quanquam reliqua ſymptomata cūcta fuerint propulſa, hinc ex hoc puncto de omnibus capitis vulneribus judicium periculoſum dari debet.

...itis ...bus ...ſis.

Et noſtrum præprimis periculoſum vulnus eſt, quod profundius penetravit gladius, hinc in Wund-Zettul aſſerendum, hoc vulnus ſey höchſt-gefährlich.

...pto-

Sic ſymptomata in noſtro ægro periculoſitatem etiam demonſtrant, dum ex iis colligimus, forte à fruſtulis cranii illapſis aut ſangvine ſtagnante intra calvariam & meningem has eſſe affectas, unde læſio tam periculoſa creditur, & tam horrenda ſymptomata inducta fuere.

...ſæpe ...mo-

Dein quoque aliquando locus incommodus, in quo æger verſatur, cauſa eſt, ut vulnus fiat lethale, hinc in caſtris inflicta vulnera, etiam levisſima ſæpe mortem militibus inferunt, quod ſcil. aër frigidus tunc præſens, quique evitari vix poteſt, peſſimè afficiat nervos. Quæ cauſa & nunc in noſtro ægro deprehenditur, qui tempore pluvioſo domum delatus fuit, hinc etiam ſymptomata illa communisſima, vomitus & vertigo, altera die ſuperveniunt, quoniam aër frigidus ad partes vulneratas accesſit, unde nervorum ſpasmi exorti ſunt &c.

...ra.

Curam ſuſcipiat 1.) Medicus, ut ſymptomatibus proſpiciat, atque conſolidationem promoveat. Hinc ne ſangvis ſtagnatione infenſus ſit, ſtatim inſtituatur V. S. ut detracto ſangvine etiam febris Vulneraria præcaveatur, ne ſuperveniat.

...vul- ...ia V.S. ...vetur ...ſma-

It. Clyſma ob eandem rationem injicitur, & quidem blandum tantum. Sed Purgantia non conducunt, ob nimium motum, quem ea excitant.

...igo ...odo ...da.

Vertigo non evitabitur, niſi aër frigidus, tanquam ejus cauſa abſit, & criſpatura jamjam facta relaxetur, hinc emollientia & nervina atque cephalica decocta fiant, & capiti applicentur ex herbis nervinis & cephalicis, Flor. Lavend. Spic. Bacc. Laur. Juniper. Sem. Cumin. &c. quæ coquantur in vino albo ſive aqua, & herbæ ſimul applicentur ſacculis ſcil. incluſæ, his ipſis enim fomentis pellitur Vertigo.

Vomitus quomodo ſiſtendus.

Sic à *Diemerbrockio* contra Vomitum in capitis vulneribus commendatur Syrupus granat. acidus, tanquam remedium optimum. Dein ſecundo neceſſe eſt, ut etiam Chirurgus in vulneribus ſuam opem afferat, nempe primum Symptoma removeat, Hæmorrhagiam puta, per Rem. Iſchæma, v. g. pulv. ſangv. Drac. &c. aliaque, quæ vi gaudent exſiccante & adſtringente; acria tamen hic non conveniunt, quia ſpaſmum augent, nihilominus ut ſingularisſimum commendo oleum Thereb. de quo quamvis aliquot guttulæ ad meninges forte depluant, ejus tamen acrimonia non adeo nocet.

Cur capilli abradendi.

Poſthæc deradatur locus affectus, aliàs ſi crines vulneribus illabuntur, irritationem excitant, & impediunt conſolidationem.

Exploratio vulneris

Poſtmodum in conditionem vulneris inquirat, & imprimis quænam partes ſint affectæ, exploret, & quidem per ſpecillum obtuſum (das Prophetchen) aut, quod mallem, per candelam ceream tenuem, quibus obſervatur, num interna ſuperficies vulneris ſit lævis, an aſpera &c. Et niſi apertum in noſtro ægro foret vulnus, requiretur apertio ejus ſive inciſio longior, ut per ampliatum h. m. vulnus ad ejus interiora perſpici poſſit. Si fragmenta adſunt, extrahenda illa veniunt, ac poſt extractionem vulnus deligetur; Altera die iterum ſolvenda vincula, ubi ordinariè quidem tantum digeſtivum vulgare imponitur, aſt cum nimium ſenſatæ ſint affectæ hæ partes, ſaltem immittatur vel mel roſ. & quidem ſolutum & calefactum, aut loco ejus ex Thereb. Maſtich. Olibano &c. ſit confectum.

Acetum Scultetus commendat in vulneribus.

Scultetus acetum commendat, aſt ab hujus applicatione gravia excitantur ſymptomata. Poſtea pulveres ſiccantes ex Aloë &c. inſpergan-

gantur, ut ſcil. vulnus ſiccum reddatur, & ſuperponatur aliquod Empl. v. g. Empl. Vigonis, aut de Betonica, aut de Mulcilag. aut de Matriſylva. His Emplaſtris ſuperimponantur ſacculi ex Reſolventibus & Emollientibus &c. tandemque convenicns faſcia. Quæ ſingulis diebus ita repetenda ſunt, donec nulla fragmenta aut alia adhuc ſymptomata deprehendantur. Poſtmodum Balſamica adhibeantur ac tandem Sarcotica, quibus per aliquot dies applicatis in principio rubicunda portio inſtar novæ carnis in vulnere creſcit, quæ degenerat ſucceſſivè in Cartilaginem, ac tandem oſſeam penitus ſubſtantiam admittit. Medicus interim non niſi quæ ſangvinis ſtagnationem expediunt, remedia dabit, uti ſunt decocta vulneraria.

CASUS XXXVIII.
APOPLEXIA.

Hiſtoria morbi.

Fœmina annum agens XLVI. corporis obeſi, præter conſvetudinem ſexus, nullam per plures annos diætam ſervans, nec in cibo nec in potu, nec animi pathematibus, tandem circa veris initium ad noctem, poſt ſolennes vini aduſti deguſtationes contentionesque cum ancillis, aliquoties impetuoſe ſternutare obſervatur, & in illo momento ejus vox & reſpiratio intercipitur, cum motu & ſenſu abolito. Itur igitur ad Medicum, qui accedens ægram (nam retulerat nuncius) ſine ſenſu & motu reperit, attamen præterea artuum reſolutionem notabilem, pectoris rhonchum & ſtertorem, faciei ruborem, pulſum denique magnum adhuc adeſſe deprehendit.

EXPLICATIO.

Traditur Hiſtoria *Apoplexiæ*, quia omnia congruunt ſymptomata, ut clare ex ſingulis ſimul ſumptis patet. Affectus Apoplexiæ eſt repentina abolitio ſenſus & motus, reſtitante, licet afflicte, reſpiratione & pulſu cum faciei rubore artuumque flacciditate. Ad cuncta diligenter attendendum, & ne confundatur cum aliis, cum quibus communia ſigna habet, ſigna potiſſimum Pathognomica attendantur. Equidem abolitio ſenſus & motus offert ſe in moribundis ſolenniter, hinc ne agonizans pro Apoplectico habeatur, requiritur ad Apoplexiæ conſtitutionem repentina abolitio ſenſuum & motus, econtra ſenſim id fit in moribundis. Equidem in Apoplecticis quibusdam non repentina fit proſtratio, ſed præcedit aliquando Cephalalgia ſive dolor capitis acutus poſtmodumque reliqui affectus Apoplecticorum demum patiuntur, præcedit in aliis vertigo, oculorum caligo, tremor, torpor &c. artuum refrigeratio, aliqui aliquandiu prius Incubum ſentiunt, alii catarrhis vexantur, doloribus dorſi &c. Sed ſymptomata Apoplexiam præcedentia diſtinguenda ab ipſa Apoplexia, hæc quidem præcedunt, tamen repente poſtmodum & ex improviſo ſenſuum ac motus abolitio contingit. Sic ſenſus & motus repente aboletur, etiam in Epilepticis, qui ſubito in terram ruunt & hæc ſymptomata experiuntur, hinc notetur in Epilepſia ſenſuum ceſſationem comitari non motus ablationem ſed potius augmentationem, ut ſubſultent, dein nec reſolutio partium in Epilepſia habetur, æque ac in Apoplexia.

Differentia ab aliis affectibus.

ab Epil...

A Syncope diſtingvitur, ubi pariter ſenſus & motus abolentur, aſt in ſyncopizantibus & hyſtericis quidem ceſſant ſenſus & motus, ſed facies pallet, reſpiratio penitus intercipitur, pulſus aboletur &c. Econtra in Apoplexia facies rubet, pulſus adeſt, & aliqualis reſpiratio.

a Synco...

A catalepſi diſtingvitur, quod, etiamſi ibi etiam motus & ſenſus cedant, ni-

a Catal...

nihilominus ibidem rigeſcentia partium notetur, ita, ut in eo ſitu maneant ægri, quo affliguntur.

Secus id fit in Apoplexia.

A Caro diſtingvitur, quod Apoplexia ſubito eveniat, ille lente.

A Lethargo, per abſentiam febris in Apoplexia diſtingvitur. Certum ſignum Apoplexiæ eſt, ſi poſt repentinam ſenſus & motus abolitionem, etiam integra quodammodo ſit reſpiratio, pulſusque non ceſſet, ſed magnus & durus ſit, facies non palleat, ſed rubeat & tumeat, artus non rigeſcant, ſed flacceſcant & non frigeant, ſed potius caleant.

Diſtingvitur Apoplexia in Levem & Fortem. Hæc ægra tamen non levi vexatur, utut non in momento proſternat ægram, mortique tradat, ſed potius fortis eſt, quia ægra reſpirationem ſentit cum rhoncho & ſtertore, Schnarchen und Rächeln/ rarius evadunt Apoplexia correpti, qui rhonchum & ſtertorem patiuntur, imminet ipſis brevi ceſſatio pulſus.

Cauſæ variæ ſunt Apoplexiæ, imprimis remotæ, proxima tamen una eſt, ſpirituum influxus ad partes denegatus: ordinariè moventur & inflantur à Spiribus fibræ, uti corporis totius, ita & cordis, ut propellere queat ſangvinem ad partes univerſas; eo ipſo verô, dum Spirituum intercipitur motus ad partes, actum eſt de ægro. Organa quidem ipſa non læduntur, ſed activum & ſenſationis principium Spirituum. Remotæ cauſæ variæ etiam ſunt. Noſtra ægra cauſas cognoſcit nempe internam, principii generis nervoſi compreſſionem, cum ad initia ſint mollioris texturæ, hinc facilè comprimi queunt, aut aliquando etiam ob mollitiem lacerari penitus. Comprimitur genus nervoſum circa ſua principia ab ebulliente & turgeſcente ſangvine in cerebro, & circa principia nervorum; Symbolam addidere ut cauſæ externæ potus Spir. Vini frequens, ex ejusmodi potu inebriativo rareſcit & turgeſcit M.S. hinc ex ſola ſæpe hac turgeſcentia & rareſcentia Hœmorrhagiæ oriuntur: ſymbolam addidit excandeſcentia ſpirituum, unde etiam ſangvis in motum impetuoſiorem raptus fuit. Symbolam attulit ſternutatio præcedens frequens, concutitur enim hinc totum corpus, & irritantur nervi, hinc in conſenſum rapiuntur reliqui nervi; Imo ſæpe ab iterata ſternutatione violenta plane de loco moventur principia nervorum & lacerantur, imo ſangvis ipſa extra vaſa non rarò in cerebro ponitur. Symptomata facile nunc habentur. Senſus & motus ceſſant, à ſpirituum interceptione ad ſenſus & motus organa; quod ſi autem tanta interceptio Spirituum in nervis ſit, mirum, unde adhuc ſuperſtes pulſus magnus & durus, cur reſpirationis aliqualis remanentia, cur artus flacceſcant, cur facies rubeat, cum aliàs motus ceſſet ex ſpirituum interceptione in partibus, & partes potius rigeſcant. Læditur tamen reſpiratio non ex toto, ſed ex parte, quod ex rhoncho habetur: nervi enim ad aſperam arteriam & laryngem abeuntes, patiuntur; quod tamen adhuc ſuperſit aliqualis reſpiratio & pulſus cordisque motus, id à poris amplioribus horum nervorum eſt, qui à primo vitæ principio diu noctuque Spirituum motum admittunt hinc probabile eſt, illos tractu temporis magis ampliari. Facies rubet & tumet ob affluxum copioſiorem ſangvinis ad has partes, ob cordis motum integrum, hinc ibidem ſtagnando intumeſcere facit fibras, & quia facile redire ſangvis nequit, hinc calent partes ex eadem cauſa.

Sternutatio violenta nervis inimica.

Symptomatũ ratio.

Dubium movetur.

Prognoſis in omni apoplexia ſumme periculoſa datur, hinc recte manus Dei à quibusdam dicitur: In forti funeſta eſt prognoſis. Peſſimum eſt, ſi reſpiratio & pulſus penitus ceſſent: magis periculoſus, ſi ſudor ſupervenit partium, & ſolenniter mors hinc inſtat. Porro peſſimum eſt, ſi poſt largam venæſectionem nullum levamen ſentiant ægri, h. e. ſine ſenſu & motu tunc jaceant. Ulterius periculoſus eſt ſtertor & rhonchiſmus. Imo quamvis ſubinde excitentur, tamen triſtis eſt Prognoſis, ſolenniter enim in Paralyſin

Prognoſis.

Sudor in Apoplecticis mortis nuncius.

ſin incurrunt, werden lahm; Imo in Apoplexia leviſſima paralyſis levis notatur, quia membrorum debilitas notatur, bleiben ſchwach an Armen &c. behalten ein ſchlimm Maul/ &c. Involuntariè aliquando fluunt lacrymæ, aut alio tempore rident ſine cauſa, quia reſolutæ partes; In cantu vocem modulari nequeunt.

Cura. Cura acceleranda, & ante omnia intentio primaria eò dirigenda, ut motus Spirituum ad partes reſtituatur, hinc moveatur corpus, werde aufgehoben/ geſchlept/ artus debent elevari & moveri, non ſtatim lecto tradendus æger, ſed ſedili imponendus aut ſi admodum debilis, in lecto ſedens ferè detineatur, aut prono corpore, auf den Bauch locetur. Interea tundatur vena, quod in omni Apoplexia neceſſarium, nullumque contraindicans ex ſenio &c. haberi poteſt. Larga ſit Venæſectio, notetur tamen, ſi una non ſufficit, reiteretur 2.3. vel 4. vice. Unicè in Venæſect. Angli hodie curam Apoplexiæ ponunt, & ℔j. ij. vel iij. ſangvinis educunt. Quod ipſum quidem apud nos Paradoxon; ſed cum ſucceſſu hanc reiterationem Venæſectionis (poſt 2. vel 3. ſcil. horas ſi non ſuſcitetur æger) adhibui. Poſt V.S. opus eſt alia exſuſcitantia adhibere, naribus ſalia volatilia admovenda, ut perpetuus ſervetur affluxus Spirituum ex perpetuo dolore. Artus aſperis rebus fricentur, Cucurbitæ, Veſicatoria, Dropaces, Phœnigmi applicentur, Clyſmata & ſuppoſitoria acria adhibeantur. Sunt qui Vomitoria & Sternutatoria adhibent. Si ſcil. à Coryza & abundantia pituitæ Apoplexia fuerit, optima quidem Vomitoria & ſternutatoria ſunt, non tamen in Orgaſmo & turgeſcentia ſangvinis. Celeriter talia adhibeantur. Interna laxativa conveni-re non facile dixerim, quia non poſſunt deglutiri, deficit enim motus in inteſtinis. Purgantia nec conveniunt. Vomitoria Antimonialia in Apoplecticis nullius ſunt uſus, quia tardius movent, potius Vitriol. vomit. tanquam nauſeoſiſſimum & cito operans convenit. Spirituoſa & Volatilia, Spir. Salis Ammon. Liqu. C.C. ſuccin. &c. infundantur. Blandiora nullius ſunt uſus. Si æger ſuſcitatus, conveniunt, quæ cauſam removeant: ſvaſi ut abſtineat ab erroribus diætæ & animi pathematibus, imprimis à potu Spirituoſorum frequenti, ne in turgeſcentiam denuo rapiatur ſangvis, ac interne, quæ ſangvinem reſolutum nimis paulo condenſare ſolent, adhibui.

Angli unicè per Venæ ſectionem curant Apoplexiam.

Vitriol. vomit. commendat.

Casus XXXIX.
FUNGUS CEREBRI.

Hiſtoria morbi.

TAmetſi verò omnibus indicantibus juxta artis præcepta in vulneris hujus cura ſatisfecerint & Medicus & Chirurgus, vomitusque & vertigo penitus ceſſarint, inſuperque fragmenta aliquot minora cranii extracta jam ſint inſtrumentis aptis, quarta tamen die ex vulneris fundo incipit exſurgere mollis & ſpongioſa quædam ſubſtantia, coloris ex carneo palleſcentis, quæ in horas incrementum ſumens, inſequenti die ad nucis juglandis magnitudinem aucta, ut ipſius vulneris labia ſuperaſſe videatur. Nullum ſpirat fœtorem, indolensque præterea obſervatur, quod ſi tamen durius tangatur, ſeroſum fundit cruorem.

Explicatio.

HIſtoria ſiſtit *Fungum cerebri*. Appellatio ab antiquis Medicis jam impoſita eſt, vid. *Hipp. Galen.* Obtinet nomen à natura & textura ſua, qua cum fungis terræ convenit. Ordinarie enim ſpongioſus eſt, ac mollior tumor, talis textura in fungis vegetabilium notatur. Univerſi tumores mollioris texturæ in quacunque corporis parte dicuntur Fungi, v. g. in Maxilla

Ratio nominati.

Bar-

Barthol. hiſt. 53. Cent. 3. in palpebra *Id. C. 6. Hiſt. 10.* Fungum per totum corpus obſervavit *Borell. C. 1. o. 34.* Alios Autores ut taceam. Non tantum ex mollitie & textura nomen habent; verùm etiam, uti mihi videtur, ex augmento adeo celeri horum tumorum, uti enim fungi terreſtres intra nyctheмeron ſæpe accreſcunt, ſic & fungi corporis. Fungus cerebri eſt excreſcentia carnea mollioris texturæ & laxa, coloris utplur. ex carneo pallidi, ſubinde etiam nigricantis & ſubfuſci, excreſcens ex membranis cerebri ſauciatis, dolore verò & fœtore deſtituitur, aliisque ſymptomatibus. Cuncta hæc ſe offerunt in noſtro ægro. Notetur tamen fungum cerebri non ſemper ſub tali deſcripta facie obſervari; Nam diſtingvi debent juxta *Hildanum* Fungi cerebri in ſimplices & compoſitos, vel juxta alios in Benignos & Malignos. Simplicem fungum vocat talem, qualem nos deſcripſimus; Compoſitus & Malignus eſt, qui varia ſymptomata habet, ac utplurimum ſuperveniunt contuſiones calvariæ vehementiores & inflammationes harum partium, aut ubi major affluxus eſt. Differunt enim ratione ſubjecti inhæſionis. Simplex adhæreſcit membranæ cerebri duræ, compoſitus verò annaſcitur piæ matri, imo ipſi corticali ſubſtantiæ cerebri. Ita utplur. ſe res habet in fungis malignis, quod dura mater lacerata portam nunc pandat ſubtus poſito cerebro molliori, quod continuo agitatum in inſpiratione & exſpiratione, nunc tranſit per vulnus duræ matri inflictum. Et cum anfractuoſa ſit ſuperficies cerebri, mirum non eſt, ſi & fundus tunc tuberoſus ſit. Imo fungus cerebri malignus juxta *Pigræum* ſæpe nihil aliud eſt, quàm cerebrum per vulnus duræ matris prominens. Malignitas augetur magis, ſi ſerum, quod nutritioni harum partium inſervit, corrumpatur & putreſcat, & tunc etiam fœtet fungus, hinc ſummum tunc quoque imminet periculum ejusmodi ægris. Cuncta hæc ſymptomata neſcit fungus ſimplex, qualis noſter eſt. Signa diagnoſtica in genere haberi poſſunt ex præternaturali excreſcentia ejusmodi ſubſtantiæ ſpongioſæ. Ordinarie quidem in cunctis vulneribus excreſcit caro elegans, poſtmodum in callum abiens, uti *in Expl. Caſ. XXXVII.* dixi, hinc quo fungus in fieri diſtingvatur ab ipſo callo, notetur callum eleganter rubicundum colorem & carneum in principio habere & ſenſim accreſcere, econtra fungus ſi excreſcat, pallet caro, & ſubito accreſcit. Simplex diſtingvitur fungus à compoſito per ſymptomata, ſiquidem ibi nullum ſymptoma notatur, nullus fœtor, nullus dolor &c. bene tamen in maligno, qui & nigricat.

[margin: ...itio. / ...ctio. / ...us ſim- & Com- ...us quo- ... diffe- ... / ...us cere- ...alignus ...ententia ...ai.]

[margin: Signa diagnoſtica / Fungi à Callo differentia.]

Cauſa proxima & primaria eſt p. n. nutritio membranarum inveſtientium cerebrum. Ex phyſiol. conſtat, diverſos poros reperiri in partibus ſingulis, & quod pro pororum diverſitate diverſum nutrimentum requiratur & admittatur. Hinc ſi tubuli magis pateant, craſſius & peregrinum admittunt nutrimentum, hinc ita intumeſcunt membranæ & ejusmodi tumorem conſtituunt. Cauſa remota interna eſt 1.) Alluvies humorum ad ea loca & ſtagnatio. Emollitæ enim & humectatæ nimis fibræ ſpongioſæ redduntur, quod in lotricum manibus videre eſt, ut texturam ſuam penitus amittant. 2.) Acrimonia & mordacitas humorum, quæ ſæpe ſua ſponte dilacerat tubulos unde profunditur nutrimentum, hinc fungi naſcuntur ſæpe ſolùm à contuſionibus majoribus cranii, juxta *Hild.* intra 28. horas poſt trepanationem fungus per calvariam excrevit, quatenus ab acrimonia eroſæ fuere ſub calvaria fibræ. Ut cauſa magis remota accuſatur ab Autoribus alvi ſtipticitas, dum enim cum violentia excernere conatur æger fæces ſiccas, ab inſpiratione cohibitas violentiam etiam patitur cerebrum. Animi pathemata itidem nocent, ſic temperamentum quoque v. g. ſeroſum ſymbolam addit. Cauſæ rem.

[margin: Cauſa proxima. / remota interna. / 1.) alluvies humorum. / 2.) acrimonia eorundem. / Huc referuntur alvi ſtipticitas / animi pathemata. / Cauſæ remotæ externæ.]

rem. externæ diverſæ ſunt, ſubinde levis læſio membranarum à gladio facta in culpa eſt, quod ſuſpicari poſſumus in noſtro ægro, poſtmodum ex tranſudantibus humoribus, præditis qualitate peregrina, ad ejusmodi excretionem occaſio datur, alio tempore peregrinæ res vellicantes & ſtimulantes partes membranaceas talem lacerationem perficere queunt. Sic quoque aër frigidus, quem admiſit æger accuſatur. Nec non oleoſa & pingvia illita, quæ poros tubulorum oblinendo ſtagnationem humorum efficiunt.

Prognoſis. Prognoſis, quia noſter fungus ſimplex, ſatis adhuc bona eſt, econtra malignus utplurimum lethalis eſt: ſimplex quamvis ſummè periculoſus ſit, attamen quamdiu duræ matri adhuc adhæret & medicamenta applicari queunt, tamdiu adhuc ſperare licet. Equidem tarda cura eſt. *Cornarius ad Dioſcoridem* refert de quodam, cui ſex fungi enati, per 40. annos remanentes. *Schenckius* fungum caſtaneæ magnitudine ad pubertatem circumgeſtum refert. Magis adhuc difficile eſt, ſi baſis fungi non libera ſit, ſed ſub cranio ſe expandat.

Cura. Cura alia in compoſito habetur, ibi enim purificantia & putredini reſiſtentia adhibenda &c. In ſimplici remedia exſiccantia & blande adſtringentia conveniunt, hinc externe fungo adſperguntur pulveres ſubtilisſimi ex Angel. rad. Fumar. rot. Calam. ar. fol. Salv. Major. Sabin. pulv. Caryoph. arom. &c. ſubtilisſimè pulveriſata cum goſſypio applicentur, ut humiditas exſiccetur, & affluxus ulterior impediatur. Alii loco pulverum magis fluida commendant, v. g. Tinctur. Succin. Croc. cum linteaminibus carptis indita. Pigræus ſolo Spir. Vini curatos fungos teſtatur. Poſtm. opus eſt, imponantur pulvilli, ut à corpore hoc blandius incumbente deprimatur materia, ut felicius agat. Felicius hoc perficitur, ſi calida circumjiciantur. Hinc ſacculi ex Cephalicis Thym. Salv. Cham. Roſm. Aniſ. Fœnic. Major. Lavendul. in vino decoct. applicantur. Notetur, nimium humectantia magis ſæpe nocere, nihilominus hæc acria vix nocent. Alii Chirurgorum v. g. *Scult. O. 19.* commendant ſectionem, qui ſcalpello plus una vice abſumſiſſe aſſerunt. *Blaſius* Ligamenta circumjicit. Utrumque remedium non adeo tutum, & non niſi cum maxima circumſpectione locum habet, quia pars ſummè ſenſata affecta eſt. Multo minus hæc conveniunt in Malignis fungis, ubi immediate cerebrum affectum; Notetur etiam acria & cauſtica ab aliis commendata non eſſe tuta, v.g. alum.uſt. ſacchar.&c. ſenſatisſimi cerebri & integumentorum ſubſtantia hæc non fert. Si verò ſub calvaria baſis fungi deliteſcat, Infuſiones, ne tamen cum impetu fiant, commendantur. *Hildanus* ſaltim guttatim inſtillare jubet & tepida. Alvus ſemper ſit aperta, Clyſmata conducunt, educunt enim ſerum; Conveniunt etiam blanda Laxantia, aër frigidus ſtudioſe arceatur.

CASUS XL.

MULIER INGRAVIDATIONIS SUSPECTA EX SUPPRESSIONE MENSIUM CUM VENTRIS INTUMESCENTIA.

Hiſtoria morbi. FOemina nondùm maritali vinculo ligata, annorum circiter XX. alacris in expediundis negotiis domeſticis, & ſubinde ſatis petulans, ſentit menſtruam ſangvinis evacuationem, alias ordinariam, nunc una alterave vice ſiſti cum laſſitudine corporis, appetitus proſtratione, frequenti vomitu, lumborum dolore, & quodammodo difficili reſpiratione. Defert igitur has

has ſuas ærumnas frigido potu olim cum menſes fluerent, ut refert, aſſumpto natas ad heram, quæ domeſtica commendans quædam remedia, ea bono eſſe animo jubet, ſed tertium rediens menſis nondum ſolvit hanc ſuppresſionem, ſed potius abdomen ad Ilia intumeſcere incipit quodammodo, priora tamen, antea admodum moleſta ſymptomata mitigantur, & faciei color floridus, huc usque cum pallido mutatus, iterum redit, ita ut rurſum concredita ornare officia œconomica valeat. Efflagitatur tamen à Medico Cura ſuppresſionis hujus menſium, & inde oriundæ ventris intumeſcentiæ.

EXPLICATIO.

Hiſtoria exhibita ſiſtit fœminam de variis ſymptomatibus conquerentem, aſt tali in caſu nullo videtur laborare morbo, quatenus ex principio exſurgunt ſymptomata illa non morboſo ſed naturali. Sed expresſis verbis notari nequit affectus, quamvis probabiliter gravida dicitur. In illis enim quæ furtivæ veneris præmium ſuſcepere, non audacter prægnantia afferenda, imprimis quando ex familia nobili fuerit ſuſpecta, hinc famam incurrit, Medicus, tale faciens. Potius ſuſpendendum Judicium, man könnte es nicht ſo gleich ſagen / man müſſe die Zeit erwarten etc. aliaque refugia quærenda.

Signa namque eſſentialia & Diagnoſtica conceptionis, communia ſunt aliis etiam affectibus. In gravidatione alteratur corpus, ut hinc faciei color floridus pereat, aliaque ſymptomata primæ & ſecundæ imo tertiæ coctionis ſe manifeſtant. Imo diverſa ſunt ſigna, diverſæque indolis & naturæ, quædam enim mox à conceptu, quædam ad medium geſtationis, quædam ad finem notantur. A principio conceptus ſi modo attendantur, utique quædam ſunt, quæ indicant adſperſum ſemen virile. Hæc tamen ſigna in iis, quæ Venerem guſtatam negant, locum non habent. Imo quædam, quæ nihilominus legitimo ligantur thoro, ſæpe tacent, & eorum ſignorum primum eſt retentio 1.) ſeminis virilis utero inſperſi. Videtur quidem ſapere antiquitatem, aſt ſi effluat ſub eadem forma, qua injectum fuit ſemen, h. e. ſpiſſa & craſſa, vix imprægnatæ dimittuntur, econtra quando tamdiu retinetur, usque in colliquamentum abeat & tunc refluat, utique conceptum factum eſſe teſtatur. Secundum ſignum eſt, quod immediate poſt congreſſum & in eodem, dum inſpergitur ſemen virile, dolores lumborum jucundos ſentiant fœminæ, id quod à tubis Fallop. ad ovaria ſeſe applicantibus emergit. Compresſio illa lumborum non eſt moleſta, ſed cum titillatione & jucunditate conjuncta. Tertium ſignum eſt, quod mox febricula ſentiatur, horrores & horripilationes, quas inſequitur levis æſtus. Quartò in quibusdam ſubjectis ſtatim à conceptu circa primam auroram vomitiones oſtendunt, hinc novi quosdam certum hinc habere ſignum conceptionis. Quintò addunt, ſi venereus ardor antea concupiſcibilis nunc plane deleatur & reſpuatur, quod ipſum tamen pariter ſaltim quibusdam ſolenne eſt.

Accedit Sextò juxta *Panarollum, pent. 5. o. 89.* itidem ſignum particulare, venæ ſc. ad genu ſiniſtrum alicujus poſt coitum intumeſcentia. Ceſſant hæc ſigna in ſcortis, quæ cuncta negant. Imo in maritatis licet, tamen hæc non cuncta notantur, dum vix attendunt ad retentionem ſeminis, lumborum compresſionem &c. hinc ad alia quoque attendenda ſigna, quæ dividunt Autores in Communia & propria 1.) Ordinarie ſtatim ac uterus fœcundatus fuit, ſupprimuntur Menſes, id inculcavit. *Hipp.* jam *Aph. 61. ſect. 5.* Hoc pene ſolenniter contingit, ut rarisſimum ſit, fluere menſes in gravidis, hinc ſolo hoc ſigno ſufficienter graviditas haberi nequit, quia ex alia quoque cauſa ſupprimi poſſunt. *Signa Ingravidationis Menſium ſuppreſſio.* Hinc 2.) Appetitus proſtratus conjunctus cum nauſea, quæ antea cum maxima aviditate aſſumpſerant. Sic novi *Appetitus proſtratus.*

Termina. ex abominatione vini quandam habere graviditatem. 3.) Tormina ſubinde & utplur. in Cachecticis ſuperveniunt, uti & in noſtra, non tamen in omnibus ſubjectis, ſed tantùm in ſcorbuticis, quibus graviſſimi dolores hi ſunt, ut hinc ſæpe decipiamur. Ceſſant tamen hæc ſymptomata pòſt aliquot menſes ſolenniter & per ſe. Accedit 4.) Ventris intumeſcentia, non tamen omnis ventris intumeſcentia hoc indicat, tumet enim à flatibus & ſero extravaſato. In gravidis vero pedetentim & circa umbilicum ſaltē & ad lineam albam intumeſcit, inferius verò & ad latera nihil notatur tumoris, imo umbilicus eminet, reliquumque ventris deprimitur, (wird der Bauch wie glatt und breit/) v. *Mauricean.* Et ex hoc depreſſo & deplanato ventre circa primos menſes unicum ſignum eſt Gallis, idq; eſt ob nutritionem corporis tunc à congreſſu maxime turbatam. Ad tertium enim menſem wird der Bauch mehr ſpißig. 5.) Accedit infantis motus, qui diſtingui debet à flatibus, ubi cum murmure, it. cum convulſivis motibus, qui cum doloribus fiunt; talis motus à fœtu non excitatur, ſed uno impetu fit, dum fœtus artus movere incipit, & mox deſinit, cum convulſivi & ſpaſmodici motus diutius durent. Adſunt præterea & alia ſigna, quæ ſi cum aliis conjungantur, multum lucis addunt, v.g. Conatus vomendi, appetitus proſtratus, animi mutationes, (da ſie zuvor luſtig waren/) nunc triſtes ſunt, inquietæ ſunt in ſomno &c. 6.) Intumeſcunt mammæ ad ultimos menſes geſtationis, non raró etiam compreſſæ lac fundunt 7.) Papillæ ante depreſſæ elevanrur, rigeſcunt. Areolæ 8.) colorem antea rubicundum nunc cum livido mutant 9.) varices item notantur in quibusdam in pedibus, (Kinder-Adern/) quia ex pondere uteri naſcuntur. 10.) In facie apparent ephelides ſive maculæ liveſcentes. Alii Autores 11.) ex urina criterion ſumunt, etiam Medici id faciunt, ſcil. t.t. floſculis quibusdam farinaceis refertam eſſe urinam, quod quidem ſubinde contingit, non tamen certum ſignum eſt cum ex viſciditatibus etiam oriri queant. Obſervavi aliquando immediatè à coitu ſedimentum quaſi purulentum, ſed certum & perpetuum non eſt. Imo ſi quid ex urina hauriendum, attendendum eſt, quod ſit tunc urina ſanæ ſimillima, & nihilominus de tot ſymptomatibus conqueratur fœmina. 12.) Ultimo ut ſignum certiſſimum ſuppeditant etiam *Sanctorius* & *Panarollus*, nempe oſtii interioris clauſura firma. Ordinariè enim & in non prægnatis hiat, ut digitum admittat. Clauſura tamen hæc inepte digito inquiritur vel alio modo, ſiquidem remotum admodum eſt, ut vix digito attingi queat. Potius olim ſvadebant ut 13.) ſuffitum ex gagate, myrrha &c. admitterent, & credebant, ſi amaricantem hinc ſaporem fœmina perciperet, eſſe uterum apertum, falſum tamen & hoc eſt. Alii jubent per ſyringē infundere vinum tenue vel aliud liquidum non acre, & ſi hinc dolorem in utero ſentiant, aperturam ejus aſſerebant, ſecus contra. At fallax & hoc eſt, ſiquidem raro debite injici poteſt, & vix à prudenti etiam manu. Quia itaque ſigna hæc dubia, mirum non eſt ſi dubiam relationem demus. Hinc obſervanda ætas habilis, conſtitutio ſanæ &c. ægræve, vitæ genus & mores, an petulans, liberalis &c. Imo ſi cuncta recte perpendantur ſymptomata, quæ in ſuppresſis p.n. menſibus contingunt, dum mitigantur, probabilitatem afferunt. Quia itaque collective ſumpta ſymptomata in noſtra ægra, ſuſpicionem quidem dant de graviditate, nulla tamen Prognoſis dari poteſt, ſed aſſerendum, man muß noch einen Monath &c. warten/ da wird ſichs weiſen &c. Hinc hoc caſu nullum remedium menſes pellens detur. *Wedelius* ſvadet, ne ad alia quâm Martialia & abſorbentia accedamus. Imo ſi ſuſpicemur, ipſam fœmellam ſibi ſuccur-

Tumor ventris. *Motus infantis* *Mammarum intumeſcentia &c.*

currere pellentibus, potius quæ confortant fœtum danda, ne inde Abortum producat, v. g. Antiſpaſmodica & Spirituoſa.

Casus XLI. CONTINUATIO.

INterea, dum præſcriptis à Medico remediis non ſtatim cedere malum obſervat ægra, ad conſilium lotricis cujusdam aniculæ contuſas baccas lauri no. 5. & croci quantitatem, quantum pro 3. ß. myropolæ vendunt, in vino decoctas aſſumit ſingulis auroris per V. dies, & ad ſextæ initium ſentit obſtructionem hanc uteri quodammodo relaxari. Repetit igitur remedium hoc, & grumos ſangvinis aliquot diverſæ magnitudinis, unumque fruſtum anſerinum adæquans ovum cum dolore lumborum ſummo expellit, quas ſordes tamen omnes ſtatim ex verecundia, uti refert, fimo obruit, exceptis aliquot, mole ſua juglandis nucem referentibus, quæ aquæ injectæ carnis faciem ob fibras infinitas ex quibus conſtant, referunt. Rurſum igitur Medicus poſtulatur, non tamen ut valetudini fœminæ hujus curam gerat, ſed quoque ut Magiſtratui Politico dicat, cum rationibus dubitandi & decidendi, quid de illa hæmorrhagia uteri ſentiat.

Explicatio.

QUia in præcedenti caſu quædam Symptomata impraegnationis ſuſpicionem arguentia, plura ſigna Ingravidationis, dubia tamen pleraque, t. t. dedi. Eo etiam tempore monui, minimè movendos eſſe menſes, ne Abortus excitetur. Dum igitur alia ſymptomata adhuc, eaque magis certa, ad ſequentes menſes expectat dubius adhuc Medicus, temeraria quædam anicula propinat menſes moventia, unde uteri fluxus excitatus cum fruſtis quibusdam ſangvinis grumoſi &c. dubium tamen adhuc eſt, an id, quod excernitur nunc, ſolum ſit ſanguis menſtruus hactenus ſuppreſſus, aut an potius ſimul fœtus minor adhuc abortu excluſus fuerit. Hinc duo poſtulantur à Medico, 1.) ut cum rationibus dubitandi & decidendi dicat, quid ipſe ſentiat de hæmorrhagia uteri? Hoc caſu ſe Medicus nullus ſubducere poteſt, ubi ſcil. à Magiſtratu poſtulatur, ut ſententiam de aliqua re proponat, hinc omnia colligere debet, ut quæ antea ipſi probabiliter videbantur, & quæ dubiam ſententiam reddere poſſint. Pro confirmanda ſua ſententia confert. 1.) Hæmorrhagia uteri cum ſummo lumborum dolore, aliàs ubi menſes fluunt, nulli lumborum dolores ſentiuntur & contractivus motus uteri, ſed hi habendi ſunt dolores parturientis & magis in abortientibus. Alterum argumentum eſt quod ſub forma grumorum uno impetu ejiciatur ſangvis, aliàs pedetentim & potius ſub fluida forma excernitur fluxus menſtruus; Tertium & robuſtisſimum argumentum eſt, quod ea fruſta aquæ injecta non diſſolvantur, quod ordinarie in ſangvine grumato fieri ſolet, ſed potius carnis faciem exhibeant, & fibras infinitas, non ſecus, ac in placenta uterina ſolenniter conſpicuas præbeat. Accedunt alia ſigna, ſiquidem ſuſpicio eſt graviditatis, quia clanculum ab anicula referare paſſa fuit ſuppreſſum fluxum menſium, cum antea Medico uſa fuit; Accedit quod ea, quæ utero fuere rejecta, mox fimo obruta fuerint, ſuſpicio enim eſt, ideo factum fuiſſe, ne ſub grumis ſangvinis deliteſcens embryo ab aliquo forſan conſpiciatur. Hæ decidendi rationes. Nunc ſequuntur rationes dubitandi. Equidem aliquoties in Praxi obſervavi, quod per ſuppresſionem menſium VI. vel VII. menſium illa ſoluta fuerit inſigni cum dolore & inſigni hæmorrhagia, hinc dolores non perpetuum ſignum ſunt parturientium. Deinde nec grumi ſangvinis univerſale nec perpetuum ſignum abortus præbent,

Rationes affirmativæ.

Rationes negativæ.

bent, cum aliquando obſervaverim in aliqua, quæ à caſu perpeſſa fuit menſium ſuppresſionem, poſtmodum per ejectionem plurium grumorum fuiſſe ſolutam. Tandem ſignum quod certisſimum aliàs haberi ſolet, nempe grumorum illorum textura carnoſa & fibroſa, quidem maximam ſuſpicionem dare poteſt, at quia polypi etiam ex ſolo ſangvine, fibroſo nimirum & glutinoſo naſcuntur, qui tamen fibras pariter carneas oſtendunt, pariter non univerſale & certum adeo eſt. Ulterius quod remedium clanculum aſſumſerit ab anicula commendata, id in vulgum fieri ſolet, ubi ſcil. aliquandiu medicamenta à Methodico & rationali Medico accepta non ſtatim profuerint; Imo quia etiam Majores viri idem faciunt, neutiquam & hoc adeo firmam rationem præbet. Accedit & illam ſuſpicionem, quæ ex obrutis grumis à fimo deſumitur, non tantam eſſe, cum id ſolenne ſit ſequiori ſexui; Tandem ſi Medicamenta Emmenagoga ipſa conſideremus, quæ aſſumta fuerunt, non adeo draſtica ſunt, & tali in caſu, ubi ſcil. fœtus tertio menſe tam firmiter uteri parietibus adhæret, vix talia blanda ſufficiunt, pro exturbando fœtu. Ergo & iterum nunc manet anceps judicium Medici, hinc unicum ſaltem ſupereſt remedium, ad quod deſcendendum pro veritate inquirenda, nempe Inſpectio ventris. Ordinarie enim remanet à partu genitalium tumor, ſtillantque ſangvinem, rugas exhibet venter antea tumidus, mammæ plorant lac ſeroſius &c. At ſigna hæc, quæ aliàs in partu apparent, nec hic applicari queunt, quia fœtus adeo exilis adhuc eſt, hinc nullus tumor genitalium ſe manifeſtabit, quia facile pertranſire poteſt loca hæc fœtus. Imo ſubinde à menſium fluxu doloroſo & hactenus ſuppreſſo utplurimum intumeſcunt genitalia; Venter item ex alia cauſa quoque tumere poteſt, mammæ tertio Menſe nondum lac oſtendunt. Hinc unica ocularis Inſpectio excretæ materiæ reſtat, includitur enim utplurimum grumoſo ſangvini bulla quædam aquoſa, quæ placentam uteri & ſecundinas præbet, & fœtum nucis avellanæ magnitudine utpl. tertio menſe continet, at deficit & nunc hoc ſignum, hinc ſuſpendendum judicium, & potius ad Facultates Medicas publicas collegialiter concludendam & decidendam quæſtionem remittat Medicus privatus etiam doctisſimus. Quod autem 2.) Methodum medendi attinet, quam adſtantes poſtulant, pariter dubius redditur Medicus; ſi enim abortus eſſet factus, ut puerpera eſſet tractanda, quia tamen dubia adhuc & pro ſuppresſis menſibus venditur res, non urgeamus Emmenagogis ſanguinem, niſi forte Martialia illa ſint &c.

Inſpectio ventris inſtituenda.

Casus XLII.

CACHEXIA CUM TUMORE PEDUM OEDEMATOSO.

Hiſtoria morbi.

Es iſt ſchon zum wenigſten 7. Jahr / daß / da ich noch dem Kriege nachgezogen / ſo wol durch üble Diæt in Eſſen und Trincken / als ſtarcke Travaillen, Zorn und andere Gemüths Bewegung mich dazumal ſo ſehr geſchwächet / daß darüber erſtlich in eine hefftige Haupt-Kranckheit / und kaum ein viertel Jahr darauff / noch ehe / als ich gantz reconvaleſciret / in ein Quartan-Fieber gefallen / welches mich damals faſt ins andere Jahr

SEptem ad minimum anni ſunt, ex quo cum caſtra adhuc ſequerer, tàm inordinato cibi potusque uſu, quàm multis fatigationibus, ira, aliisque affectibus adeo debilitari mea cœpit valetudo, ut exinde primùm in acutam febrim, & elapſo vix anni quadrante nondum planè reſtitutus in quartanam inciderim, quæ tum usque ad biennium ferme miſerum in modũ me exercuit, & quia reconvale-

Jahr geplaget/ und weil ich nicht konte geſund werden/ mich endlich gezwungen abzudancken. Nach dieſen hab ich mich erſt verheyrathet / niemals aber recht zu meiner vorigen Geſundheit kommen können/ weil zwar wol ziemlich Appetit/doch ohne rechte Verdauung iederzeit empfunden/ von welcher Magen-Beſchwehrung mir bis dato noch kein Medicus zu helffen vermögend geweſen: Jetzund kommt über die vorige Beſchwehrung/ gleich bey Antritt meines 60ten Jahres noch hinzu/ daß mir die Beine ſtarck ſchwellen/ auch des Nachts ſich nicht wieder ſetzen wollen/ welches Anfangs geſchahe. Es moleſtiret mich auch der Huſten mit vielen Auswerffen / zumal des Morgens / wenn ich auffwache/ gar ſehr/ und ſehe in Geſichte ziemlich übel aus / bitte um guten Rath und Mittel darvor.

ſcere non poteram, militiæ valedicere coëgit. Poſt hoc primò tempus matrimonium contraxi, nunquam tamen priſtinam valetudinem recuperare potui, quoniam appetitum quidem ſic ſatis fortem, debilem vero ſemper concoctionem in me deprehendi, à quo ventriculi affectu nullus hactenus Medicorum me liberare valuit. Nunc verò ad ſuperiorem affectum ſub ipſum ſexageſimi anni ætatis meæ auſpicium ingens tumor accedit pedum, qui neque noctu amplius recedit, quod tamen ab initio factum eſt: Tuſſis quoque cum ſcreatu mane præſertim expergefactum me vehementer infeſtat colore faciei admodum tetrico. Hac in re conſilio auxilioque mihi peto ſubveniri.

EXPLICATIO.

CAſus ſiſtit ægrum Cachexia cum tumore pedum oedematoſo & incipiente Hydrope laborantem. Non quidem exacta tradita eſt hiſtoria, rem tamen accuratius deteget, ſi antecedentia probe attendantur. Judicio equidem juxta *Celſum* majori opus eſt in Caſibus ejusm. per literas communicatis & imperfectis. Plura ad reſolutiones veſtras monenda ſunt, ſi enim germanice ad nos transſcriptum fuerit, germanice reſpondendum eſt. Nec, uti ante jam monui, multum ſolliciti eſſe debemus de nominando morbo &c. aliisque minutiis explicandis. Sed ſufficit, ita reſponſum dediſſe, ut ſatisfiat ægro. Hinc ſufficit noſtro in caſu indicaſſe ſaltem binis verbis laborare eum cachexia, maxime radicata cum tumore pedum oedematoſo & imminente Hydrope. Non tamen negligendæ, ſed in mente revolvendæ cauſæ, utut non transſcribantur. *...nda ...onſis.*

Cauſa hujus proxima eſt pituitæ abundantia in corpore, pituita nihil aliud eſt, quàm chylus laudabilis ab acido coagulatus & inviſcatus. Quamdiu verò in primis viis pituita hæret, tamdiu appetitus & chylificatio abolita eſt; quod in noſtro ægro autem appetitus præternaturalis ſit, ab aciditate primarum viarum id evenit, quodque chylificatio non debite ſuccedat, in culpa eſt ſtomachi liquor digeſtivus læſus, unde in debitum colliquamentum ſive chylum alimenta converti nequeunt. Transmisſus poſtmodum ad Maſſ. ſanguineam humor ille crudus extravaſare incipit, quod ex tumore pedum innoteſcit, vel enim per anaſtomoſin, vel per diæreſin extravaſatur, ſi ſcil. per dilatatos poros transſudet, vel per diapedeſin, quando per vaſa eroſa excedit, hic in noſtro per anaſtomoſin extravaſatio facta eſt, ubi oſtia patula ſunt. *...roxi- ...pi-*

Cauſa rem. interna coacervationis pituitæ eſt dyſpepſia ſive quando alimenta in cruditatem convertuntur, quali diutius jam laboravit æger. *Cauſa remota interna.*

Cauſæ rem. externæ petendæ vel ex prægreſſis morbis, febre caſtrenſi, inſequenteque quartana: univerſa machina ſæpe deſtruitur à morbis ejusmodi gravibus, unde Spiritus & corpus poſtmodum langvent. *externa.*

Illud etiam de Quartana notandum, quod maximè vexat *Quartana contumacia.*

ægrum

ægrum, diuturno tempore affligens, viſcera obſtruens eorumque tonum perdens. Unde non raro poſt Quartanam Scirrhi,&c. Accedit poſtmodum læſio chylificationis & errores rerum 6. non naturalium in literis adducti, ipſi enim viſcera langveſcentia turbant. Accedit ætas ſenilis, potisſimum quia juventus laborioſior fuit.

Ita nunc langvent fibræ motrices,ut ſangvinem humoresque non repellant, hinc etiam nocturno tempore non detumeſcunt pedes. Accedit, Tusſim in Cachexia Hydropis eſſe initium juxta *Hipp.* indicat enim ſtagnationem ſeri circa pulmones. Quare

Prognoſis. Prognoſis triſtis formanda,quia ſenium adeſt & morbus inveteratus. Nam probanda Prognoſis *Aetii*, qui Cachexiam in ſenibus frequentem quidem,non tamen facile medicabilem pronunciat.

Cura. Cura formanda pro cauſarum diverſitate. Hic infarctus pituitæ incidendus,reſolvendusque eſt; Vomitorium in inveterato morbo non prodeſt, & imprimis quando jam in partibus extremis ſtagnant humores, taceam ſæpius ob acidum præſens in casſum adhiberi talia. Potius reſolventia & pituitam incidentia danda, talia, quæ, cum cauſa mixta ſit, cunctis ſatisfaciant,adeſt enim acidum coagulans. Hinc incidentia ſimul antacida eſſe debent, e. g. ſalia fixa & Martialia; terrea antacida non ſufficiunt, aggrediuntur quidem acidum, ſed viſcidum relinquunt. e. g. Oleum Tartar. per.del. infuſum cum lignis &c. (Ligna aliquid quidem contribuunt, maxime tamen proſunt Alcalia,) vel Nuc. Moſch. Mac.Caryophyll. Cinnam. &c. cum ipſo infundi poſſunt.Martialia maximè laudanda, ſi enim reſolvunt acidum,in ſalſum mutantur. Sæpe ipſa Lim. Martis prodeſt, vel Liqu. Martis Solaris, vel Eſſ. Mart. Helleborat. vel cum ſucco pom. &c. Huc refer Salia Volatilia, quæ acidum abſorbent, & mucum incidunt, imprimis oleoſa. Huc ſpectant infuſa calida Salv. Bacc. Junip. Veron. acidum & viſcidum diluentia. Imo cuncta laudantur Incidentia. Commendatur à *Stiſſero Lab. Chym.* ſi remedia Emetica Antimonialia in minima doſi dentur, v. g. ſi vix doſeos ordinariæ pars octava detur, deoppilant enim viſcera &c. tamen in minutisſima doſi danda, v. g. Tinct. Emet. ex croco vel vitro Antimon. facta in minima doſi, & magni hinc curantur morbi. Laudatur etiam ab Autoribus Tinct. Tartar. ſ. vel Antimon. Tartariſata, eſt egregium remed. in Cachexia, ejusdem indolis Tinct. metallorum eſt, quæ nihil aliud, quam nitri fixi Tinctura eſt. Commemorari quoque debent ſpirituoſa non adeo in larga doſi. Cura hujus morbi non violenta poſtulat remedia, ſenſim enim increſcit, hinc ſenſim tollendus. Perinde eſt, ſive ſint aquæ ardentes aromat.&c. ſive aliud quoddam vinum generoſum, non probo, ob præſentem Tartarum, dulcia tamen adhuc vina permitto, modo ne in ſtomacho aceſcant. Et ſic ſuccurri poteſt etiam ſpiritibus langventibus. His præmisſis ad Evacuantia, non tantum laxantia, ſed etiam purgantia accedendum, non tamen niſi præmisſis reſolventibus. Pro pedum tumore Externa remedia ſine internis noxia ſunt, repellunt enim ad interiora. Sed ſi inciſa pituita & evacuata fuerit,ut robur partibus accedat, ſpirituoſa externa & potisſimum faſciæ adhiberi queunt.

CASUS XLIII.

TUSSIS FERINA ET PEDUM SPASMUS IN GRAVIDA.

Hiſtoria Nachdem meine höchſtſchwangere Liebſte noch ohngefehr 4. oder 5. Wochen bis zu ihrer herannahenden Ge-

Poſtquam uxor mea gravida, cui ad partum quatuor aut quinque circiter ſeptimanæ reſtant, ſic

Geburths-Zeit zu warten/ auch anhero ſich noch ziemlich päßlich wehrenden ſchwanger ſeyns/ befunden/ ſo wollen dennoch folgende Zufälle ihr beſchwerlich ſeyn. Erſtlich ein ungemein importuner trockener Huſten/ welcher ſo gar hefftig/ beſonders/ wenn ſie ſich zu Bette leget/ daß ſie fürchtet/ es werde die Frucht dadurch Noth leyden/ und ſie eine ſchwere Geburth ausſtehen müſſen. Hiernechſt befindet ſie auch einen beſchwerlichen Krampf in Beinen/ daß es ihr öffters ohnmöglich iſt im Bette zu bleiben/ ſondern muß/ ſo bald er anfänget/ heraus ſpringen/ da er zwar bald darauff vergehet/ aber auch eben ſo geſchwinde wieder zu kommen pfleget/ vor beyde bittet ſie Rath und Hülffe.

ſatis commodè hactenus ſe habuit, ſequentes tamen affectus nunc illi moleſti eſſe incipiunt. Primùm tuſſis ſicca præter conſvetudinem importuna adeo vehementer illam præſertim cubitum ituram invadit, ut embryoni metuat, ſibique à difficili partu. Præterea moleſtum in cruribus ſpaſmum ſentit, ut ipſi ſæpius impoſſibile ſit in lecto remanere; ſed ſimul ac corripitur, ſtatim exſurgere cogitur, quo facto mox quidem ceſſat ſpaſmus, verùm non minùs celeriter etiam redire ſolet. Ab utroque ſe levari petit.

EXPLICATIO.

BIna exprimuntur Symptomata, quibus gravida ad ultimum vexatur, nempe Tuſſis ferina & ſpaſmus pedum ſive Gramphus. Tuſſis ferina ſiccaque continuo ſtimulat organa ſpiratoria; ut aër intempeſtivè & continuò ejiciatur, non tamen cum ſola reſpirationis organorum moleſtia, ſed quia ſimul in inſpiratione & exſpiratione abdominis muſculi afficiuntur, inſimul uterus lædi poteſt, ut non incongrue immaturum & laborioſum partum metuant adſtantes.

Non poteſt enim non uterus affici ab affectis muſculis abdominis, unde & ipſe contrahitur. Spaſmodicus affectus in pedibus muſculorum contractio eſt, potisſimum quando in lecto ſe continet. Clara quia ſunt & innoteſcunt Symptomata, potius de cauſa ſolliciti ſumus. Morbi utut diverſa occupent organa, nihilominus tamen connexa ſunt & ex uno principio hic exſurgere videntur. In noſtro ſubjecto probabile eſt, cauſam proximam eſſe irritationem nervorum, irritatis ſcil. intercoſtalibus nervis & diaphragmatis aliisque reſpiratoriis, non poteſt non exagitari nervorum reliquus contextus connexus. Dupliciter tamen afficiuntur. Nempe in tuſſi convulſivis motibus vexantur, unde organa hæc vehementisſime moventur, cum concusſione corporis totius, in Grampho verò ſpasmodica affectio nervorum adeſt; Crurales enim nervi irritati ad tremulum motum non ad convulſivum diſponuntur, hinc muſculorum pedum unus vel alter potisſimum contrahitur, ejusque fibræ hinc accurtatæ dolorem pariunt & motus impotentiam, ita, ut vix ferri amplius queant, hinc lectum relinquere cogitur ægra. Cauſæ remotiores internæ equidem in hiſtoria non commemorantur, facile tamen hariolari eas poſſumus, in cauſa enim eſt uteri extenſio nimia partium vicinarum irritationem excitans. Novum hoc non eſt in gravidis, hinc ex hac irritatione uteri moleſtisſima ſæpe oriuntur ſymptomata, non tantùm circa initium ingravidationis, ſed etiam, ſi augeatur & accreſcat fœtus, nauſea, vomitus, ſtagnationes humorum in varicibus &c. pedum tumore &c. poſſunt tamen ſimul peccare humores, ut non penitus abſolvendi ſint illi cum ſæpe ab iisdem vel viſcidis nimium ſymptomata dicta excitentur. Dum enim adeo firmiter viſcidum inhæret cellulis pulmonum ſenſatis, ut toties, ac inſpiramus, vellicent & irritent, alio tempore acri-

Cauſæ remotæ internæ.

acrimonia humorum irritat. Sed quia nullum aliud toto geſtationis tempore ſymptoma paſſa ægra fuit, ad humorum hoc vitium vix referri poteſt. *Externæ.* Externæ cauſæ ſilentur. Medico ex eo, quod à decubitu in lecto magis exaſperetur tuſſis & ſpasmus, quatenus hinc organa & partes magis ad ſpasmos & convulſivos motus disponuntur, ita quia non raro à frigore admiſſo ſpasmus pedum naſcitur, hinc ratio habenda conſtitutionis aëris, vitæ generis, aliarumque circumſtantiarum. Si hyberno tempore autumnali aut verno tuſſi corripiantur gravidæ, ad cauſam hanc externam reflecti poteſt. Ad ipſum verò frigus reſpici poteſt in ſpasmo, quod & poſtmodum ab ægra ipſa tranſcriptum fuit, cum de circumſtantia hac interrogaretur; Ex frigore enim magis criſpantur fibræ.

Prognoſis. Prognoſis. Tuſſis & ſpasmus in ſe conſiderata non adeo triſtem prognoſin dant, ſi tamen in hypotheſi & in individuo hoc conſiderentur, cum gravida ſit ægra ad ultimum menſem, dubia prognoſis omnino danda eſt, metuendũ enim eſt, ne à tusſi ferina & concusſione corporis item à ſpasmo in conſenſum rapiatur uterus, fœtusque hinc ante diem excludatur. Gramphus in ſeſe conſideratus, utut moleſtus ſit, in gravida tamen, quia cum dolore acerbo & exquiſito ſemper affligit, per ſympathiam uterus irritari & ad ſpasmos ſimiles disponi poteſt.

Cura. Cura. Si ſupra tradita theoria ſumatur, h. e. ex uteri expanſione nimia partim irritari partes ſuperiores tuſſimque excitari, partim inferiores & ſpasmum produci. Imo licet à frigore aut humoribus acribus vel viſcidis exortos affectus credamus, non tamen erramus, ſi ad nervorum ſpaſmos reſpiciamus, & medicamenta eò dirigamus. Antiſpaſmodica utpl. dantur in pulvere, e.g. Ungv. Alc. dens. equ. mar. &c. Pulveris Marchionum ingredientia jam dicta ſunt, hinc ille pulvis in affectibus gravidarum ut evporiſton commendatur, impr. quia viſcus corylinus & quernus, ſem. pœon. & rad. adſunt. Hinc pulvis unice hic ſufficit. Nihilominus aliis etiam alia Volatilia ſalia cum oleis combinata conveniunt, v. g. Liqv. CC. ſuccin. Spir. Salis Ammon. ſuccin. &c. cum cautela tamen, quia irritant admodum, aliàs à nimia nervorum irritatione per uſum Volatilium abortus ſequitur. *Vol gra tea* Hinc Antiſpaſmodicis commode junguntur Anodyna, in commoda tamen doſi, ſaltim ne excedamus. Laud. Hyſtericum ad gr. j. vel ij. dari poteſt pro doſi una. Sique Symptomata urgeant, bis vel ter de die repeti poteſt. Hæc ipſa igitur Antiſpaſmodica noſtræ commendanda, quia ſymptomatibus non tantum obvia eunt, verùm etiam roborant fœtum. Experimentis enim comprobatum eſt, pulverem Marchionum eſſe roborantem fœtum. Si ſuſpicemur humorum acrimoniam ſimul adeſſe, non ſpernenda ſunt temperantia, v. g. Eſſ. Mellis: Liquirit. cum pauxillo Spir. Salis Ammon. & ab his moleſta tuſſis in gravidis ſæpe ſopita fuit. Potus commendandus calidus, impr. ſi frigus cauſa. Contra ſpaſmum externe thermantica imprimis laudanda, quia à frigore eſt, v. g. frictiones cum panno aſpero vel Spir. Vini vel aqu. reg. Hung. &c. imo quæ Diaphoretica ſunt commodè ſimul intus dantur, quatenus felicius ejiciunt materiam frigorificam. Cum itaque pedes aëri frigidiori ſolenniter exponantur, ſvadenda ſunt tibialia, ne partes irritentur & lædantur à frigore. Ad res ſex nonnatur: ſtudioſe attendendum, ut aërem nebuloſum, pluvioſum & frigidum, ne admittat, potius in conclavi calefacto die nocteque moretur, hæc mutatio aëris utpl. cauſa eſt, cur tusſim ejusm. ferinam tunc potisſimum experiantur, & quamvis lectum calefaciant, aër tamen ambiens ad ea excitanda ſufficit. Potus calidus eſto. Cibi non acidi, acres &c. Somnus equidem admitti poteſt pro lubitu, decubitus tamen ne ſit adeo declivis, aliàs ſuperiora magis reſpicit uterus, & diaphragma comprimit, hinc capite erecto magis locetur. Alvus ſit libera, ne tamen ſtimulantibus acribus ſollicitetur, ſi ſegnior ſit, aliàs ſuperveniens infarctus & coacervatio fæcum magis irritat uterum.

CA-

Casus XLIV.
HEBETUDO OCULORUM.

Mit gegenwärtigen den Herrn D. zu beläſtigen / treibt mich meine von Tag zu Tag zunehmende Beſchwerung/ welche vornehmlich darinnen beruhet / daß mir das Geſichte nur faſt Jahres Friſt her immerzu ſchwächer wird / ſo/ daß ich ietzo kaum noch grobe Schrifft leſen kan/ da doch vorhin auch die allerkleineſte mir unſchwer fiel. Und weil ich meiner Profeſſion nach ein Goldſchmiedt bin/ wäre mirs das gröſte Unglück von der Welt/ wenn ich gar erblinden ſolte / zumal ich noch nicht das 20ſte Jahr überſchritten. Die Urſache ſolcher Blödigkeit halte ich davor / ſey der ſtarcke Gebrauch des Geſichtes/ ſintemal ich in meinen letzten Jungen-Jahren die meiſten Nächte durch habe arbeiten müſſen / das meiſte aber was mich wundert/ iſt/ daß man an den Augen äuſſerlich nicht das geringſte von einer Röthe/ ſcharffen Thränen oder ſonſt etwas wahr nimmt/ ſondern ſie ſehen in allen Stücken friſch und geſund aus.

Præſentibus hiſce Tibi moleſtum eſſe, augeſcens indies affectus jubet, qui in hoc potiſſimum conſiſtit, quod viſus ab annuo ferè ſpatio ſubinde magis hebetatur, ita ut majuſculas jam literas vix queam cognoſcere, cum tamen antea nullo negotio vel minimas perſpicerem. Quia igitur me profiteor aurifabrum, maximum ſanè paterer damnum, ſi oculorum omninò uſu privarer, præſertim impleto nondum anno vigeſimo. Cauſam hebetudinis hujus arbitror nimiam aciei oculorum intenſionem, ſiquidem poſtremo tyrocinii mei tempore per plurimas noctes ſolitis laboribus invigilare neceſſe habui. Maximè autem miror, quod externè in oculis ne minimum quidem rûboris, lacrymarum erodentium, aut aliud quidquam appareat, ſed per omnia ſani & ſinceri videantur.

Explicatio.

Hebetudo oculorum ſive amblyopia ſiſtitur, accidit enim, ut viſus notabiliter lædatur, caligoque oculorum superveniat viſum antea acutum. Quoad cauſas, proxima conſiſtit in denegata oblatione objectorum, aut etiam denegata judicatione, ut quæ ab extra poſita ſunt, nec transferantur ad retinam, nec à ſpiritibus debitè dijudicentur. Conſideranda etiam ſunt media, per quæ radii viſorii ad oculum deferuntur; Illud eſt cornea tunica; Hæc jam læſa videtur, hinc ut cauſa remota interna conſideranda. Læditur autem, vel quod nimium vexata ab objectis excellentibus tandem admittat particulas umbroſas ſive pituitoſas in poros ſuos, quæ impediunt tranſitum objectorum. Non enim ſimplex tunica cornea eſt, ſed ex pluribus lamellis conſtat, inſtar lapidis ſpecularis, conſtat nunc ex 3. 6. 9. lamellis, prout manus artificioſa ſeparationem inſtituit. Quia ſubinde mucus aliquis tranſit ad hæc interſtitia, unde pelluciditas turbatur: Nimium enim in viſu extenſa facile poſtmodum admittit receſſum particularum mucoſarum. Dein ut cauſa remota conſiderari etiam debet vitium in tunicis reliquis oculi, ac ſpeciatim in retina occurrens, eſt enim retina nervi optici ſubſtantia ſubtiliſſima ex fibris tenuiſſimis contexta. Textura hæc vix demonſtrari poteſt in ſubjectis mactatis, ibi enim mucoſa videtur, at verè fibroſa eſt, quod extractio, oculi ex vivente ejuſque inſpectio

Vitium reliquarum tunicarum oculi.

Retina quid ſit?

ctio ſubitanea ac in aquam immiſſio demonſtrat. Tum itaque ſpiritus viſorii in debita proportione non influunt per tubulos hujus tunicæ vitiatos.

Cauſa remota externa. Cauſæ externæ remotæ diverſæ ſuppeditantur in literis, nempe exercitium continuum oculorum ad lucem candelæ; ſi enim ulla cauſa externa potens eſt, texturam in oculis mutandi, ea ſane eſt exercitium ad ſplendorem alicujus rei, lædit enim non raro etiam externam compagem oculi, ut v. g. bulbus doleat ex diuturno aſpectu ignis, non turbantur tantum ſpiritus & textura retinæ, ſed etiam corneæ ipſius textura, dum criſpatur & dolor inde producitur.

Prognoſis. Prognoſis non niſi ambigua dari poteſt. Experientia conſtat, quod textura oculorum læſa vix corrigi queat, impr. ubi interna tunica retina ſcil. læſa. Equidem per medicamenta impeditur, ne augeatur malum, præſens tamen difficillime removetur. Hinc ſi mucus viſcoſus hæreat in cornea tunica, ſpes adhuc eſt per remedia aliquid poſſe impetrari, criſpaturas tolli & mucum reſolvi. Hinc ægro talis prognoſis danda, quod ſi evitet evitanda, cum nondum adoleverit debilitas, adhuc ſpem affulgere; Si id non fiat, tandem in guttam ſerenam abit. Aliquando per metaſtaſin ad radices nervi optici deponitur materia acris &c. influxum ſpirituum inhibens ad tempus. Talem amavroſin obſervavi à tinea retropulſa: Id etiam hac ſeptimana contigit, quod cuidam pleuritide ſpuria laboranti poſt data reſolventia talis amavroſis in uno oculo notetur, ut nec lucis candelam videre poſſit.

Amavroſis ex Tinea, it. Pleuritide ſpuria retropulſa.

Cura. In cura acceſſus objectorum impeditus ſive impedimenta removeantur. Humor muſcoſus inhærens & infarctus corneæ, reſolventia exigit, hinc non male tantùm evacuantia blanda invocantur, quæ per inferius guttur educendo, materiam avocant. Huc ſpectant infuſa blanda, fol. ſennæ it. pil. Ffurt. ſimpl. & acuat. cum agar. &c. Huc ſpectant maſticatoria & apophlegmatizantia, dum enim ad has glandulas allicitur ſerum, deficere debet in aliis partibus. Sternutatoria quidam commendant; at cum circumſpectione ſunt adhibenda, quia ſæpe firmius incuneantur mucoſæ moleculæ. Potius commendo collyria vel alia reſolventia. Collyria ſunt, quæ turgent particulis reſolventibus, à quibus viſcidæ partes incidi & laxæ roborari valeant, imo ſi obſtructæ fuerint, reſerari poſſint. Sint tamen cuncta blanda, alias magis criſpantur partes. Hinc non facilè ſvaſerim, ut ſpirit. ſalis ammon. etiam ad minimam partem cum aqua plurima dilutus oculo inſtilletur. Adſtringentia hic damnoſa ſunt, v. g. ex Vitriol. alb. Infuſ. Croc. metall. vitr. antimon. &c. vellicant quidem, ſed magis nocent. Locum tamen adhuc habent in inflammatione oculorum. Putarim potius convenire, vel quæ aliquali volatilitate gaudent, v. g. Collyrium illud *Angeli Salæ*, qui in vino Malvat. per noctem lamellas Venereas infundit. Et Remedio hoc Amblyopias pertinaces ſe reſtituiſſe ejus aliquot gutt. inſtill. refert. Huc ſpectant alia, v. g. Fœnic. Sem. vel Caryoph. Cinanom. &c. aliave aromata maſticentur, earumque halitus oculis inſletur, adeo ut exhalationes aromaticæ blandiſſimæ reſolvant infarctos humores fibriſque langvidis robur concilient. Huc ſpectat fumus fol. Tabaci &c. Fumus in genere quidem noxius eſt, at diſtingvi debent exhalationes fumoſæ, non omnem fumum v. g. acidis particulis lignorum turgentem, commendamus. Econtra magis oleoſis turget fumus tabaci, ſi immittatur oculis, turget ſimul particulis alcalicis ſalino volatilibus. Hinc aliæ exhalationes ſalino Volatiles commendari queunt, v. g. Salis Volatilis viperarum &c. Ipſe præſenti ægro Spir. Salis Ammon. vinoſum cum Calc. viva addita Camphora, præſcripſi & oculis admovere juſſi: Amiſſis poſtm. exhalationibus volatilibus in Spiritu hoc, æger iſte poſtquam liquorem reliquum ex parte oculis illinivit, feliciter reſtitu-

Fumu[s Ta]baci [com]mend[atus].

Reme[dium] experi[mentum].

tus

tus fuit, vid. de remedio hoc Batavum aliquem. Si tamen nimium irritari velis ægros per frequentes tales exhalationes, inflammationes excitabis, hinc vix bis vel ter de die adhiberi queunt.

Si hæc remedia non ſufficiunt, ad perſpicilla deveniendum. Die Goldſchmiede haben Brillen von grünen Glaſe/ oder Gläſer mit grün-tingirten Scheidewaſſer/ſetzen ſich an die Seite.

Casus XLV.

OTALGIA.

Des Patientens Zuſtand iſt folgender: Nach dem er vor 2. Tagen die Nacht über mit den bloſſen Haupte gelegen / hat er ſtracks einen Fluß am rechten Ohre bekommen/ daß er frühe nicht wohl damit hören können/ und weil er ſchon vielmal ein Sauſſen in beyden Ohren geſpühret/ hat es ihm nicht fremde geteuchtet/ als ſolcher Zufall anietzo ſich mit eingeſtellet. Nach dem aber auch über dieſes ſich heute gegen Morgen ein hefftiger Schmertz in Ohren/ nebſt einer mercklichen Röthe und Hitze in denſelben ſich eingefunden/ alſo/ daß er darüber hefftig ſchreyet/ und gleich einem närriſchen Menſchen ſich anſtellet/ als bitten wir um Rath und Hülffe.

P.S. Der Patient iſt ſeines Alters 22. Jahr/ hitziger und ziemlich ſtarcker Natur/ hat noch niemahln zur Ader gelaſſen/ dahero verlangen wir zu wiſſen/ ob/ da ſonſt die erſte Ader vom Tode retten kan/ nöthig/ daß wir eine/ und welche wir laſſen.

Status ægri ſequentem in modum ſe habet. Poſtquam abhinc biduo per noctem nudo quievit capite, defluxionem paſſus eſt ad aurem dextram, ita ut experrectus mane difficulter audierit, & quoniam jam ſæpiùs in utraque aure ſonitum quendam ſenſerat, non ipſi adeo inſolens fuit viſum, cùm dictus ſimul affectus accederet. Poſteaquam verò hoc mane vehemens inſuper aurium dolor cum notabili rubore & æſtu illi obvenit, ita ut multum præ cruciatu exclamet, & inſtar delirantis ſeſe gerat, Tum hac in re conſilium ac opem imploramus.

P.S. Patiens duorum & viginti annorum eſt, calidæ firmæque ſatis conſtitutionis: nunquam hactenus venam ſibi ſecari paſſus eſt, quamobrem ſcire deſideramus, utrum, cùm aliàs ſecta primùm vena à morte poſſit liberare, neceſſe ſit, ut venam, & quamnam, pertundamus.

Explicatio.

[...o deno-] [...tionis.] Nuper exhibitus affectus dicitur Otalgia, Ohren-Zwang. Eſt verò Otalgia, dolor auris, nunc cum, nunc ſine inflammatione. Dolor pro ætatis morbo diverſus eſt, in principio gravativus, & tenſivus, unde dicitur Ohrenzwang / quaſi auris ſtringatur & ſpaſmo corripiatur. *[...r ubi-] [..., & un-] [...nc ma-] [...unc mi-] [...ercipia-]* Dolor non extra ſed intra aurem notatur, ille dolor eſt diverſus, magis exquiſitus, ſi partes eæ inflammentur, minus exquiſitus verò, ſi ſolummodo tumor ex affluxu & coacervatione humorum ortus ibi notetur. Hæc de hiſtoria morbi.

Cauſæ examinandæ ſunt; Proxima noſtri mali eſt partium tendinoſarum membranearum & nervearum intra aures ſpaſmodica contractio, hinc non mirum, ſi eam excipiat dolor adeo exquiſitus. *Cauſa proxima.* Nervus acuſticus dum per os petroſum ad aurem tranſit, dividitur in ramum duriorem & molliorem, *Fabrica nervi acuſtici.* quorum hic perreptat labyrinthum, circumvolvitur trochleæ ſive cochleæ, tandem per feneſtras delatus ex nervo in membranam abit inveſtientem aurem. Alter durior ramus nervus manet, & extra aurem fertur ad faciem,

quoque. Hinc non mirum ſi criſpatura inducatur nervo, quod doleat.

Unde Tinnitus? Imo tinnitus ex hoc fundamento oritur. Aliqui Autores tinnitum potius à relaxatione harum partium deducunt, probantque quod ex affluxu laxatio fiat; at omnino partes hæ ſpasmo affectæ tinnitum unicè pariunt. Hinc ſæpe videmus in aliis remotioribus partibus latentem cauſam hunc morbum parere v.g. in febrib. malign. utut aures immediate non afficiantur, quia tamen nervoſum genus, in ſpecie autem Cardiaci ſpasmo afficiuntur, inde ſæpe Cardialgia & tinnitus moleſtus evenit.

Cauſa remota interna. Cauſa remota interna eſt inflammatio obſtagnantes humores his in locis, ut enim aliæ partes ex ſtagnatione harum facile inflammantur, ita & membranaceæ partes aurium. Idem patitur in Pleuritide inflammata Pleura à ſtagnatione ſangvinis in eo loco.

Inflammatio ex ſymptomatibus noſcitur. Adeſſe hanc inflammationem ex ſymptomatibus patet, primo enim ſaltem adſunt affluxus & depoſitio humorum (Fluß) ad hæc loca, poſtmodum vero obſervatus eſt dolor inſignis, imo rubedo & æſtus inſignis ibi occurrens. Ubi enim rubedo & æſtus, ibi inflammatio; quia itaque jam in ſtatu morbi ſtagnatio ſeri, in principio ſaltim facta nunc etiam inducit ſtagnationem ſangvinis, unde inflammatio. Cauſa etiam eſt debilitatio partis, ob præcedentes ſæpius depoſitiones humorum. Si enim partes ſemel debilitatæ fuerint, omnium primo ſentiunt moleſtias. Sangvis enim extravaſatus & à frigore coagulatus in partibus his debilitatis nunc citius ſtagnat.

Cauſa remota externa. Cauſa remota externa eſt decubitus capite aperto in aëre frigido, nil enim magis nervis nervoſisque partibus infenſum eſt, quàm aër frigidus. Hinc Otalgia hyeme & Auſtro flante frequentior, impr. ſi calidius antea fuerit corpus, aut ſudor præceſſerit, vel Thermantica adhibita, vel etiam animi pathemata expertus quis fuerit.

Symptomatũ ætiologia. Facile nunc patet omnium ſymptomatum ætiologia, dolor partim ex crispatura & ſpasmo eſt, partim ex ſtagnatione humorum, hac enim ſtagnatione humores acres redduntur, hinc quia hic maxime nervoſæ partes ſunt, dolor major quoque excitatur. Imo quia ipſi nervi circa ſua principia afficiuntur, ad delirium usque dolet pars.

Progn. Prognoſis non alia niſi triſtis formanda eſt. Dolor enim non tantum periculum in ſe inducit, ob loci tamen hic ineptitudinem ſummum periculum eſt, metuendum enim, ne brevi ſtupiditates aut univerſales Epileptici inſultus superveniant. Aliquando obſervavi in viro generoſisſimo, qui die præcedenti Otalgia laborarat, & cum vinum generoſum copioſius ingurgitaſſet, nocteque frigido aëri expoſuerat corpus, altero die totus ſtupidus decumbebat, aurisque externe rubebat, hinc cum miniſter ejus digitum immitteret, totus Epilepticus factus eſt, ac poſt obiit.

Cur. Cura. Indicatio eſt, ut ſpasmodica affectio tollatur, & humores ſtagnantes ad circulum naturalem reducantur. Pro ultimo ſcopo, & cum V. Sectionem urgeat æger, hæc commendanda maxime, & larga quantitas educenda. Si in loco vicino, e. g. brachio fiat optimum eſt. Imo reiterari poteſt V.S. ſi una non ſuffecerit, in altero ſcil. brachio, imo tertia quoque vice in vena prope aurem, aut raninis, ut è vicinis, locis educatur ſanguis; Dein interne, quæ ſtagnationes diſſipant, conveniunt, nempe Diaphoretica, ea tamen ſint talia, quæ citius operantur, hinc ſi terrea dare velis, vel cum acidis dentur. Aut Infuſa actu calida exhibeantur ſimul, aliàs vix ſupervenit ſudor. Quia ſimul ſpasmus adeſt; Antiſpasmodica conveniunt, vel volatilia vel fixa v. g. Liqu. CC. ſuccin. ſal fix. ſuccin. dentis hippopot. unicorn. marini, Rhinocerotis &c. hæc citius operantur. Dein etiam unicorn. raſp. Dens Hippopot. Ung. alc. ſuccin. aliaque hujus generis in uſum vocanda. Hæc Antiſpasmodica raro ſolitariè ſufficiunt, augetur tamen earum vis ab additis opiatis, hinc quia à dolore indicantur, augeri etiam poſſunt, urgente adeo eodem, &

tam-

tamdiu uſurpari debent, quamdiu ſpasmus & dolor adeſt. Externe etiam partim Antiſpasmodica, partim reſolventia conducunt, urgent enim dolor & inflammatio, ante omnia commendo Spir. Vin. Camph. Sp. Ther. Camphor. aqu. reg. Hung. &c. hæc citius penetrant, ne tamen nimia in quantitate partibus jam extreme inflammatis & dolore affectis adhibeas, aliàs pejus redditur malum, hinc ſaltem procul adhiberi debent, ne acrimonia magis lædas, aut ſaltem miaſmata de iis excipienda, v. g. ex Spir. Salis ammon. Camph. it. Reſolventia vegetabilia in ſacculis, quibus non malè Camphora in ſubſtantia additur. Imo externe Cataplaſmata conveniunt, ne tamen unquam frigeſcant, frigus ſiquidem maximè nocet. Hinc ſi olea immittenda ſunt, non niſi tepefacta admittuntur. Subinde ipſa opiata conveniunt, prudentiſſime tamen in ſubſtantia, ne ſtuporem inducas: Si nihilominus Eſſ. opii cum Spir. Vini parata adhibeatur, non facile tale quid metuendum, quia Spir. Vini vellicat. Hinc ſuffitus quoque v. g. ex Aromatibus & reſolventibus prunis ſubjectis ad aures admittuntur. Aliqui ſal volatile in forma ſicca goſſypio involutum auri indunt. Alii Eſſ. Caſtorei, qua ego feliciter ſæpe uſus ſum. Si non tempeſtive & cum imprudentia adhibeantur, Abſceſſus oritur aut alia mala.

Casus XLVI.

CASUS AB ALTO.

Hiſtoria

Jn höſter Eyl berichte/ daß mein Knecht geſtern früh / als er den Pferden von dem Boden Heu langen wollen / unvermuthet durch denſelben herunter und auff einen groſſen Kloß gar ſehr gefallen / davon er länger als eine halbe Stunde vor todt gelegen. Nach dem wir ihn aber wiederum durch Anſtreichen auffgemuntert/ iſt ietzo ſeine meiſte Klage über den Rücken/da er auff geſchlagen/ und ſich beſchunden / darneben auch braun und blau ſiehet / und iſt der Schmertz zwiſchen den Schulter-Blättern an bis nunter ſo groß / daß er erbärmlich ſchreyet/ wenn er ſich nur reget oder huſtet/ oder auch nur ſtarck Athem hohlet; Heute zu Nacht hat er Froſt/ und darauff Hitze bekommen/ und ſolche Zufälle wechſeln noch immer ab/ ſo hat er auch angefangen ſtücken Blut auszuhuſten / ſo daß unfehlbahr er ſich was im Leibe muß zerriſſen haben.

FEſtinanter Tibi ſignifico, ſervum meum heſterno mane cum equis fœnum ex edito fœnili depromere vellet, inopinato lapſu in truncum ex illo decidiſſe, indeque ultra ſemihoram mortuo jacuiſſe ſimillimum. Poſtquam verò remediis illum rurſus excitavimus, maximè nunc de dorſo conqueritur, in quod proſterni cœpit, quodque præter cutem laceratam lividum quoque apparet, dolorque ab inſtertitio ſcapularum usque ad extremitatem dorſi adeo vehemens eſt, ut miſerrimè exclamet, ſi vel leviter moveatur, tuſſiat, aut fortiùs etiam reſpiret. Hac nocte frigore ac deinde æſtu tentatus eſt, & hæc ſymptomata adhuc alternant, cœpitque ſangvinem congrumatum inter tuſſiendum rejicere, ita ut ſine omni dubio viſcus aliquod læſum eſſe credi posſit.

Explicatio.

AFfectus dicitur *Caſus ab alto*, & clare ſatis ex titulo intelligitur, quid ægris acciderit. Si accuratiùs adſpiciamus rem, magis cauſa, quam ejus formalitas explicatur nomine iſto. Diverſa enim ex caſu accidunt Symptomata varianria, pro partium læſarum varietate, & pro ipſius lapſus con-

ditione, qui vel gravis vel ſimplex, vel compoſitus eſt. In noſtro ægro, decidens à prima contignatione ſtabuli incidit in truncum ibique allidit, unde variæ partes lædi potuerunt. Si quis in caput decidat, frangi poteſt Calvaria, cerebrumque lædi, dum ejus vaſa, membranæ &c. rumpuntur, unde extravaſatio ſangvinis. Si artus impetum caſus perferunt, oſſa &c. frangi poſſunt. In abdomine ex alliſione non tantum externa lædi poſſunt, ſed viſcera etiam interna, hepar, lien &c. Noſter æger cecidit ab alto & paſſus eſt alliſionem partium in regione dorſi ad ſcapulas, unde expertus eſt primo Lipothymiam, omni enim ſenſu & motu privatus jacuit, excitatus tamen conqueritur de dolore ineffabili dorſi, ubi facta erat alliſio, ibi locorum enim ulterius ſuffuſio ſangvinis ſe ſiſtit. Porro difficilem patitur reſpirationem, dolor augetur, motus in ipſo deperditus & læſus eſt, ut vix leviter ſe movere valeat. Accedit, quod ad noctem ſenſerit horripilationem, & inſequentem æſtum per intervalla. Tandem nunc ſangvinem congrumatum ſputo rejicit, unde in relatione de læſione interna ſuſpicio. Non mirum, quod, ſi partes immediatè ad reſpirationem & vitam facientes lædantur, tam gravia Symptomata accidant. Hinc alliſio dorſi facta ad truncum ſcapularum læſionem adduxit, quæ quamvis vix periculoſa ſit, ſi tamen attendamus, ſcapulas ad motum brachiorum facere, utique maximi momenti læſio exinde emergit. Dein dolor iſtius loci ſummus de Epiphyſeon ſcapularum aut muſculorum ſub ſcapularum contuſione ſuſpicionem movet. Hinc non mirum ex læſis vertebris dorſi, dolorem tantum fuiſſe excitatum, ut Lipothymiam incideret æger, ex ſpinali enim medulla per vertebras ſpinæ feruntur paria nervorum, hinc ex vertebrarum læſione etiam injuria facta videtur ipſis nervis. Reſpiratio turbata eſt, quia coſtæ in proceſſibus vertebrarum lateralibus articulantur, hinc à læſione ipſarum & has ſimul loco motas ſuſpicamur. Hæmoptyſis accidit, non tantùm ex violentia læſionis, ſed etiam ob criſpaturam nervorum potiſſimum intercoſtalium, ſtagnationem humorum producentem. Febris accidit ex ſtagnatione ſangvinis à contuſione. Cauſa proxima hujus Affectus & immediata eſt vehemens partium concuſſio ex alliſione violenta, unde dolor & ſpaſmi nati ſunt. Accedit, quod & ſolidis partibus, coſtisque imprimis tali in caſu injuria afferatur, h.e. aut frangantur eæ, aut luxentur, unde ſpaſmi & inflammationes oriuntur.

Symptomata

Unde Lipothymia?

Reſpirationis turbatæ cauſa.

Unde Hæmoptyſis?

Febris a[...] ceſſio.

Cauſa [...]xima.

Cauſæ remotæ ſunt occaſio ad caſum. Nil interne, quicquid anſam dederit huic malo, ſufficit Medico ſcire, ex caſu læſas eſſe partes.

Cauſæ r[...]ta.

Prognoſis: Ex his læſionibus periculum maximum imminet ob reſpirationem turbatam. Dubia hinc prognoſis danda. Non ſemper læſio & laceratio ſangvinis ſputum producit, ſed uti dictum, aliquando ſola criſpatura partium ſtagnationes humorum producit.

Progno[...]

Cura dirigenda eſt ad omnes læſiones dictas. Multæ enim hic cauſæ præſentes ſunt; Ut ſymptoma præſens reſpiratio difficilis, dolor, febris & ipſa dorſi læſio potiſſimum attendi debent. Læſio dorſi ſupponit etiam alliſionem violentam & læſionem ſpinalis medullæ. Quare ſtagnatio ſangvinis ſolvenda, quo pro ſcopo vena ſecetur, quocunque in latere fiat, modo detrahatur quantitas ſangvinis viribus ægri reſpondens. Neceſſaria maxime eſt venæſectio. Poſtmodum externa ſuffuſionem diſcutientia reqviruntur. Si tamen ſub cute appareat, & cuticula non ſeparata fuerit, ſicca ſufficiunt, v. g. ſacculi ſicci aut in vino cocti ex aromaticis, rut. maj. ſalv. hyſſop. roſm. tanacet. agrimon. marub. alb. ſem. aniſ. hyoſcyam. rut. roſ. rub. flor. Coqvuntur in vino auſtero, frequenter reiterari debent, ne frigeſcant: rad. bryon. recens, ſigill. Salom. fol. thapſ. contuſa in catapl. redacta conducunt, ol. deſtill. aniſi in ecchymoſi laudatur à *Foreſto*. Si cuticula enim abraſa ſit, loca ea his acribus

Cu[...]

bus & mordacibus non tangenda, ſed potius ungvent. alb. nervin. camph. aut de ceruſſa, ſuperimponi poteſt, empl. diaph. mynſ. aut ex gummatibus paratum. Sæpe à contuſione ſauciantur partes carnoſæ, ſangvisque profundioribus in locis hæret, tunc adeo impactus eſt ſangvis, & pericu- loſiſſima res eſt, imminet namque gangræna & ſphacelus, quo caſu ſcarificatio requiritur, & aliquando ſpir. vini ſimpl. camph. eſſ. Aloë myrrh. &c. aqv. in qua ſal ſolutum, affricatur, ut affluxus humorum excitetur. Continuari debent hæc remedia. Reliqua ſymptom. diffic. reſp. ſangvinis ſputum, dolor &c. ex una cauſa ſive criſpatura oriuntur, hinc ſtatim ſpaſmodica & reſolventia interna ac diaphoretica conveniunt, v. g. pulv. contra caſ. it. ſangvis hirci, cervi, pulv. rad. rub. tinct. Krapp. fuligo, lap. cancr. percarum, antim. diaph. mart. joviale, ſ. antih. pot. cum aceto propinantur, aut ſuperbibitur acetum. Non malè etiam ſalia volatilia & ſalſa, tinctur. bez. mich. liqv. CC. ſuccin. ſpir. aper. Penot. &c. adhibentur it. ſalia volatilia oleoſa. Solis tamen diaphoreticis non univerſa ſymptomata tolluntur, jungenda hinc anti-ſpaſmodica terrea & anodyna, antim. nat. ſuccin. caſtor. dent. hipp. &c. feliciter tollunt ſpaſmos cum opiatis maritata, quæ omnem paginam abſolvunt, ubi adeo inſignis dolor eſt, ut omnia hinc ſymptomata ceſſent. Inter remedia contra ſangvinem congrumatum ipſe crocus refertur: ſolus crocus cum vino cal. infuſus in caſu ab alto unicè prodeſt. ſpasmos demulcet, Expectorationem promovet. Alvus ſervari debet aperta, (utpl. autem ob ſpasmos conſtipatur) Clysmata adhibenda & ſaburra eliminanda. Si facta læſio interiorum fuerit, ad illa quoque remedia diriguntur, hinc congruæ potiones travmaticæ, it. balſama naturalia.

Casus XLVII.

CALCULUS RENUM.

Es geſtern Abend der Herr Vater friſch und geſund zu Bette gegangen / auch zu Nacht nach Wunſch geſpeiſſet / iſt er gegen Morgen 2. Uhr in einen Augenblick mit hefftigen Schmertzen des Unterleibes überfallen worden / und hat darbey ſich bald brechen müſſen. Er nahm alſobald mein Hauß Clyſtier zu ſich / und empfand endlich gegen 4. Uhr einige Ruhe; Nach dieſen aber kam das Brechen u. hefftiger Schmertz wieder / mit noch weit gröſſerer Vehemenz, und dieſer hält nun in 3ten Tag an / binnen welcher Zeit er ſich mehr denn 60. mal gebrochen / und iſt nicht zu ſagen / wie jämmerlich er ſich wegen der continuirlichen Schmertzen anſtellet. Wir haben einen Hn. Medicum aus der Nachbahrſchafft conſuliret / welcher unterſchiedenes gebraucht / doch bis dato

Cum heſterno veſperi Parens meus ſanus ac vegetus cubitum iviſſet, cœnaſſetque ex voto, ſub horam ſecundam matutinam ſubito vehementi abdominis dolore correptus eſt, inſequente mox vomitu. Statim clyſtere meo domeſtico uſus aliquod tandem horam circiter quartam levamen ſenſit. Poſtea verò vomitus dolorque vehemens rediit multo majori impetu, duratque jam in tertium usque diem, intra quod ſpatium ultra ſexagies vomuit, nec dici poteſt, quàm miſerandos geſtus edat inter cruciatus hos continuos. Medicum quendam ex vicinia conſuluimus, qui varia propinavit, ſed absque ſucceſſu hactenus optato. Ille calculi dolores ſubeſſe arbitratur; Quoniam vero Parens meus nun-

noch

noch ohne Effect. Er hält es vor Stein-ſchmertzen. Weil aber der Herr Vater niemals etwas darvon geſpühret/ wol aber dergleichen Colicam öffters empfunden/ wird des Hn. D. Judicium und Rath darüber verlanget;

P. S. Es kommet der Urin hierbey mit/ welcher ſeit geſtern ſchon ſo ſchwartz geſehen hat/ als dieſer; auch klaget der Patient ſehr über Schmertzen bey deſſen Laſſung/ gehet auch ſehr wenig von ihm/ wie denn dieſes wenige/ ſo mit kommet/ auf mehr als 5. mal gelaſſen iſt.

quam ab illis ne minimum quidem tentatus fuit, ſæpiùs autem colica ejusmodi paſſione correptus eſt, Tuum hac de re judicium ac conſilium expectatur.

P. S. Urina heic ſimul transmittitur, quæ ab heſterno jam die æquè nigricans apparuit, atque hæc, multumque æger de doloribus inter mejendum conqueritur, parciſſimum omnino lotium excernens, ſicut & pauculum hoc, quod affertur, pluribus, quàm quinque vicibus miſſum fuit.

EXPLICATIO.

INdicat hiſtoria, ægrum laborare Calculo. Teſtantur etiam obſervationes Autorum, talem gypſeam & tartaream materiam ſive calculum ſat magnæ molis ſine dolore ſæpe hæſiſſe in renibus, quamdiu enim intra terminos proprios manet, tamdiu non adeo urget, verum quamprimum calculus pelvim egreditur, ac per ureteres exitum molitur, tunc varia ſymptomata graviſſima excitantur, ut inflationes abdominis, vomitus, quæ omnia in noſtra hiſtoria referuntur; Ergo tuto concluditur, laborare ægrum noſtrum Calculo renali. Signa Calculi adhuc in renibus hærentis non adeo obſervabilia ſunt, prout modo dixi, verum dum egreditur, ex caterva ſymptomatum illa, quamvis admodum difficulter, deſumuntur. Cum enim multa, imo pleraque ſymptomata non ſoli calculo propria ſint, ſed in aliis quoque morbis, Cholera, Colica &c. obſerventur, ubi vaſa urinarica tantum per conſenſum afficiuntur. Choleram itaque præſentem affectum non eſſe, probat abſentia dejectionum frequentiorum & variegatarum per alvum, quæ tamen ſemper iſti affectui aſſociatæ ſunt. Quod Colicam ſpectat, hæc magis ad naturam calculi accedit, ita ut in initio ſæpe prudentiſſimi Medici fallantur, adhæret enim Colon reni dextro. Hinc quia Colica ſæpe oritur ex Calculo renum, nonnulli Autorum peculiarem conſtituunt Colicam Nephriticam, prout Dravviz. tr. de ſcorb. At, quamvis id ſæpe accidat, magis tamen ad ſigna diſtinctiva reſpiciendum, Colica enim pedetentim accidit, præcedunt tormina, flatus, borborygmi &c. Econtra in noſtro affectu & Calculo ſubito oboritur dolor atrociſſimus, ut hinc ſubitanea invaſio ſit primum ſignum Nephritidis ex Calculo. Alterum dat locus, ubi dolor percipitur, in noſtro nempe ægro is fuit in utroque dorſi latere ſub coſtis ſpuriis inferioribus ſive in lumbis ac regione renum; qui locus bene advertendus, ut diſtingvatur dolor à calculo ab iſtis doloribus ſcorbuticis, qui ſæpe ibidem etiam affligunt. In Colica econtra magis in ambitu abdominis ſentitur dolor, quamvis & hoc aliquando in Nephritide obſervetur. Tertium ſignum eſt vomitus, qui tamen non ſolus ſufficit, cum & in Colica obſervetur vomitus, ſed confirmat ſententiam id, quod quartum ſignum ſuggerit, nempe non mitigari inde dolorem, ac imprimis quintò Urinæ color & quantitas indicant calculum, talis enim urina ſubfuſca & nigricans, pauca iterum & cum dolore ac ſtillicidio emiſſa nunquam in Colica animadvertitur, ſed certiſſimum calculi ſignum ſuppeditat. Hinc clare patet morbus.

Symptomata inter egreſſum calculi graviora.

Nota diſcretiva à Cholera.

à Colica.

Cauſa proxima eſt irritatio importuna partium nervoſarum & tendinoſarum,

Cauſa proxima.

rum, ſunt enim pelves & ureteres ex toto partes nervoſæ, hinc cum ſtimulum ob ſummam ſenſationem impune perferre nequeant, nec mirum quod dolor talis ineffabilis oboriatur. Cauſa remota interna eſt Calculus ipſe, qui non tantũ magnitudine & mole ſed etiam inæqualitate ſua triſtem hunc ſenſum excitare aptus eſt; Subinde quidem calculus obſervatur friabilis, ut in pollinem facile redigi queat, alio tempore verò eſt adamantinæ duritiei ac ſoliditatis, ut nulla etiam vi comminui valeat. Aliquando æqualis aut inæqualis; Aliquando minor inſtar arenæ; Aliquando major, ut ipſi nulla via pateat, deprehenditur. Id equidem determinari poteſt, adeſſe Calculum, cujus autem naturæ & indolis ſit ille, hariolari ſaltem ex Symptomatibus debemus.

…ta in- …te…

…ſa remo- …terna. Cauſæ remotæ externæ variæ ab Auctoribus recenſentur. Ex Recentiſſimis *Liſter* ſtatuit, ab extra communicari materiam lapideſcentem, uti dantur aquæ lapideſcentes; imprimis putat, à pane multum contribui, cum grana frumenti ſuper molares trita multum de hujus ſubſtantia aſſumant, hinc asſumta talia in corpore & renibus potisſimum lapideſcere & concreſcere. Et certè vero ſimilis videtur hæc ſententia.

…ſa dolo- …nterru- Cauſa doloris interrupti hæc eſt, quod ureteres mox ſint ampli, mox verò anguſtentur; Quod tandem ſubito obortus fuerit dolor, in cauſa ſunt commotiones antecedentes, unde de loco turbatus eſt calculus.

Cura. Cura non tam cauſæ continenti accommodari debet, quam ſymptomatibus. Sunt quidem, qui crepant Lithontriptica, ſed res ardua eſt, ſi non omnino impoſſibilis. Id equidem non negandum, quod ab uſu acidorum, Alcalicorum volatilium interdum excernantur arenulæ, ut calculus fractus videatur, at illud non ob vim remediorum lithontripticam evenit, ſed per accidens tantum, quatenus ab illorum uſu fibræ jam tum criſpatæ, magis ad criſpaturam irritantur & ſtimulantur, unde facile poſtmodum comminui poteſt, calculus imprimis ſi friabilis fuerit. Nihilominus rectius adhibentur potius Antiſpaſmodica, ut corrigatur criſpatura, quo calculus commodius poſtmodum tranſire vias queat, dum enim per Antiſpaſmodica ſpaſmus tollitur, dilatantur rurſus fibræ & relaxantur. Pro hoc ſcopo non ineptè commendantur terrea, v. g. Ungv. alc. Unic. Rhinoc. &c. his tamen ſolis non fidendum, ſed maritanda ſunt cum Opiatis, utp. à quibus juxta *Helm.* unice auxilium ſperari poteſt; tamdiu opiata continuanda, usque dolor remittat. Dein commendanda etiam ſunt aquea copioſè & calidè hauſta, ita tamen moderari debet aſſumptus potus calidus, ut non tam ſudorem, quàm diureſin moveat, qua de cauſa in aëre frigidiore hauriatur. Externè Balnea ex aqua dulci & vegetabilibus Antiſpaſmodicis atque Anodynis parata, nec non Ungventa ejusmodi divina ſunt remedia, ut ſcil. fibræ relaxentur. Nihilominus impoſſibile eſt, quin ſubinde augeatur etiam dolor, quando calculus propellitur, quare patientia opus eſt in ægris.

Casus XLVIII.

IMBECILLITAS MEMORIÆ.

…oria, …rbi.

Ein Mann/ ſo von Studieren Profeſſion machet / ſeines Alters 45. Jahr/ befindet ſich mit nachfolgenden Zufällen in die 3. Jahr beſchweeret. 1) Iſt er nicht mehr ſo alart wie zu vor bey den Meditationibus, ſondern ſo bald er ſich was ſtarck muß angreiffen/ iſt er

Vir quidam literatus annorum quadraginta quinque ſequentibus affectibus in tertium jam annum laborat. 1.) Minùs ad meditandum alacris eſt, atque antea; ſed quamprimum intendere vires ingenii neceſſe habet, obſtupeſcit, omni-

tumm/

tumm/ und vergehen ihm die Gedancken. 2) Laboriret er öffters am Schwindel/ und kömmt ihm vor/ gleich ob ſich das Gehirn umdrehe/ worauf er denn bald Kopff-Schmertzen empfindet. 3) Kan er nicht mehr ſo wohl memoriren/ als vor dieſem/ ja es ſcheinet das Gedächtniß auch in gemeinen Sachen geſchwächt/ dannenhero er öfftermals heſterna die acta entweder gar nicht mehr weiß/ oder doch mit den vorhergegangenen confundirt. 4) Der Appetit iſt zwar noch gut / wie ingleichen der Schlaf/ doch ſcheinet der Magen mehr Schleim zu machen als guten Speiſen-Safft/ dannenhero gegen Morgen allezeit viel ausſchnarchen und per ſcreatum cum tuſſi ſæpe & cum vomitu auswerffen muß. 5) Friget penitus Venus bey ihm. 6) Hat er den erſten Anfang ſeiner Beſchweerung ſich durch eine groſſe Traurigkeit zugezogen / denn von der Zeit an haben nach und nach alle dieſe beſagten Zufälle ſich eingefunden.

umque obliviſcitur. 2.) Sæpiùs vertigine corripitur, ipſique cerebrum quaſi circumagi videtur. 3.) Difficiliùs memoria apprehendit oblata, atque antea, quin imo in vulgaribus quoque debilitata videtur, quam ob cauſam ſæpius heſternæ diei acta aut prorſus ignorat, aut cum antecedentibus confundit. 4. Appetitus quidem ſalvus eſt, ſicut & ſomnus; ventriculus tamen cibos magis in liquamen muciſum, quàm laudabilem chylum convertere videtur, qua de cauſa ſub auroram multa ſemper expectorare, ac per ſcreatum & tuſſim ſæpe etiam vomitum rejicere cogitur. 5.) Friget penitus in illo venus. 6.) Initium horum affectuum ingenti mœrore ſibi contraxit. Ab illo enim tempore hi affectus ſucceſſive eruperunt.

EXPLICATIO.

CAſus exhibitus ſiſtit virum memoriæ debilitate laborantem. Hiſtoria clara eſt, nullumque dubium amplius ſupereſt. Quæ enim ante prompte memoriæ imprimebat & ſervabat, nunc neutiquam apprehendi queunt, adeſt ſtupiditas, ſentit vertiginem &c. In tantum memoria læſa eſt, ut in vilioribus etiam oblivionem ſentiat. Equidem notandum, memoriæ debilitatem tripliciter dici 1.) quando ſpiritus difficulter ſuſcipiunt oblatas ideas, retinent tamen cum eas arripuerint poſtmodum firmiſſime. 2.) Quando prompte cuncta arripiuntur, nihilominus mox iterum dimittuntur 3.) quando ideæ etiamſi magno labore apprehenſæ fuerunt, tamen facile iterum elabuntur. Noſter æger gaudet ſpiritibus non adeo activis. Ipſius memoriæ munus vix accurate deſcribi poteſt, & quid accidat in memoria ſpiritibus, nihilominus certum eſt, imagines & objecta externa per quæcunque ſenſoria communicata tandem tam firmiter inhærere ſpiritibus, ut poſtmodum vix dimitti queant. Comparant memoriam vulgo cum cera liquefacta, cui facile quæcunq; imprimi queant at non omni ex parte memoriæ hæc applicare licet, cum ſaltim illuſtrationis gratia adducantur. Non enim corporalis & craſſus contactus objectivus in ſpiritibus concipi poteſt, ſed tantum irradiativus, dum ſpiritus gaudent natura maximè ſenſitiva.

Debilitas Memoriæ diverſa.

Cauſa proxima eſt prava conſtitutio ſpirituum. Naturaliter enim ſunt prompti, ut ſuſcipiant facile objecta per ſenſoria communicata & retineant. Hic verò obſtat aliquid. Sunt namque ſpir. ſegnes, non adeo activi & mobiles in noſtro ægro, non ſunt attenti ad res oblatas, nec adeo activi ſunt in repetendis ideis, quæ repetitio tamen ad memoriam requiritur.

Cauſa prima.

Cauſæ potius remotæ nobis curæ eſſe

Cauſa remota.

eſſe debent. Eſſentiam ſpirituum ſine corporis inſigni detrimento mutari mihi vix perſvadeo, licet id aſſerat **Würdig** Torpidiores nihilominus & ſegniores fiunt, non quidem ratione eſſentiæ, quæ eadem ſemper manet, ſed ratione vaſorum & tubulorum humorumque, quos permeare ſolent. Dein etiam ſegnes fiunt ob plura objecta & ſimul ſemper oblata, ut verum tunc fiat vulgatum illud: Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus. Hinc non mirum, ortum in noſtro ægro debilitatem memoriæ à mœrore nimio & triſtitia, dum enim tunc ſemper ſpiritus ob malum objectum ipſis inhærens, unicè circa illud verſantur, hinc ſpiritus negligendo digeſtionem aliasque functiones naturales, amittunt materiam unde reſtitui queant, quatenus cruditates per mœrores &c. colliguntur. Cruditates illæ utplurimum ſunt viſcoſæ, quod & in caſu refertur. Occupat hæc ſaburra vaſa, nervisque adhæreſcit. Naturaliter fluido, limpido & roſcido irrorantur tubuli nervei, nunc verò anguſtantur & comprimuntur ab adhærente ſaburra viſcida; ut adeo irradiatio partium illarum fieri nequeat, ob interceptum ſpirituum fluxum. In cauſa etiam eſt in noſtro ægro ſtudium nimium, quod hic reticetur: cum enim jam annum XLV. attigit quis, talem vigorem, qualem in juventute habuit, vix poſſidebit. Quod ſubinde inter meditandum mens ſtupeat, ac ſpiritus in tanta alacritate opus non aggrediantur, id torpori ſpirituum accenſendum. Hæc quoque cauſa gignit vertiginem, hinc extra ſtudia vertiginoſus eſt. Illud mirum, quod ſentiat quaſi contorſionem cerebri, verè tum etiam principiis nervorum injuria accedit. Si enim adeo urgeantur ſpiritus in ſtudiis, commotio talis in organis ſpirituum fieri poteſt, quam ſpaſmus in meningibus aut aliis prope poſitis excipit partibus, vel hinc etiam eſt, quod cephalalgia ſequatur. Appetitus viget & ſomnus profundus, quia cruditas acida & pituitoſa adeſt, hæc ipſa coagulat chylum. Venus langvet, quia debilitati ſunt ſpiritus & influxus eorum ad hæc loca ceſſat, nam ordinarie circa XLIX. annum ceſſat venus.

Cura dirigenda vel ad ſpir. immediate, vel ad impedimenta torporem inducentia. Optanda forent medicamenta ſpiritibus immediate ſatisfacientia. Adſunt enim non alia, quam ſpirituoſa & aquæ ardentes &c. Conferunt nihilominus vinoſa, ambrata & moſchata, modo ne idioſyncraſia obſtet. Quamvis talia ambrata, vinoſa &c. ob abuſum & vim inebrietativam ſæpius etiam noceant. Hinc potius intentio medendi ad primas vias dirigatur, nam primæ viæ ſunt laxandæ, imo vomitoria conducunt. Poſtmodum ſeroſam materiam evacuantia & caput purgantia imploranda, errhina apophlegmatiſmi maſticat. ſternut. gargariſmata &c. modo ex capitis locis educatur ſerum, liberantur tubuli nervoſi à cauſa remota. Pro ſcopo confort. memoriam ex gr. maſtich. & thur. à Crato ne p. 13. conſil. maſticatoria commendantur. item ſem. ſtaphiſagr. it. rad. pyrethri. Zac. Luſit. prax. hiſt. L. I. commendat remedium expertiſſimum & divinum: Eſt autem gargariſma ex anth. lavend. meliſſ. maj. ſalv. puleg. til. lil. convall. &c. ſingulis auroris adhibendum. Alia ſimilia pro lubitu in uſum vocari queunt. Huc ſpectant etiam fonticuli. Poſtmodum roborantia partes illas in uſum vocanda, dum tonus mutatur à ſeroſa alluvie, ita ut langveant hinc; conveniunt ergo aromata, ſalia volatilia quævis, ut ſtimulentur partes & contractiones. Externè conveniunt capitis lotiones, balſam. ungv. cervici, nuchæ &c. applicata, ex ol. coſti, roriſm. rut. major. jaſmini, N. M. lavend. cinnam. Huc ſpectant cucuphæ ex rad. cal. arom. cyper. Nuc. M. fl. anth. ſtoechad. arab. lavend. pulv. caryoph. lign. al. mac. ol. deſtill. aromatici, quæ linteis involvuntur, & capiti imponuntur, & ſæpe brevi reſtituitur tonus langvidus partium. *Cura.*

CASUS XLIX.

ANGINA, aut rectius TUMOR TONSILLARUM ET UVULÆ IN ABSCESSUM DEGENERANS.

Hiſtor a

EIn Mann ſonſt friſcher Conſtitution, hat nun etliche Jahr/ ſo wol im Winter als Sommer groſſe Noth und Beſchweerung an einen böſen Halſe erlitten/ indem hinter den Mandeln ſich etwas erſtlich angeſetzet und Schmertzen verurſachet/ wodurch inwendig hernach der Halß geſchwollen und alſo angelauffen/ daß der Patient offtmals binnen 8. Tage weder ſchlucken noch ſchlafen können/ bis allezeit zu letzt mit ziemlichen Geſtanck die Schwulſt inwendig aufgegangen/ darauf denn nach und nach ſich die Zufälle geleget/ ſo daß er nichts mehr gefühlet; weil aber wie gedacht / nun ſchon zum 6. oder 7. mal ſolcher böſer Halß/ und zwar immer mit ſchlimmern Zufällen wieder gekommen / träget er Verlangen/ durch gute Mittel ſich in Zukunfft darvor zu præſerviren/ bittet dahero ein Conſilium.

VIr quidem ſatis aliàs robuſtus per aliquot annos tàm hiemali quàm æſtivo tempore multa ex collo affecto perpeſſus eſt, dum pone tonſillas aliquid materiæ primò adhæſit, & dolores excitavit, quo facto internè poſtea collum intumuit, adeoque rubere cœpit, ut æger ſæpius intra octiduum neque deglutire, neque dormire potuerit, donec ad extremum ſemper tumor cum multo fœtore aperiri cœpit, ex quo ſymptomata ſenſim remiſerunt, ita ut nihil ſenſerit amplius. Quoniam verò, uti dixi, exulceratio iſta colli jam ſexies aut ſepties, & quidem cum pejoribus ſemper ſymptomatibus recruduit, maximè ſufficientibus remediis impoſterum ab iſto malo præſervari deſiderat, Tuum proinde conſilium expoſcit.

EXPLICATIO.

AFfectus dicitur böſer Hals/ ſatisque prolixè deſcribitur in literis, ut nullum de nomine dubium ſit, quomodo verò vel Latinè vel Græcè dici debeat, non adeo in aprico eſt, poteſt nomine Tumoris tonſillarum & uvulæ exhiberi, at Symptoma tantùm hic tumor eſt, præceſſit verò magis profundius ſitum malum. Hinc fortè Angina vocari poſſet. Cujus Species 1.) dicitur Synanche, ubi in faucibus & collo tumor eſt, cum nihil in externis partibus conſpiciatur. 2.) Cynanche, ubi nec in faucibus, nec in collo aliquid conſpicitur, nihilominus dolor ſummus ſentitur in inſpiratione, talis noſter affectus pariter non eſt. 3.) Paracynanche, ubi muſculi laryngis inflammantur, difficiliſque reſpiratio adeſt; Nec hæc noſtrum affectum exprimit. 4.) Paraſynanche pariter non eſt. Hinc potius Tumor Uvulæ & Tonſillarum in abſceſſum degenerans ſalutetur. Latet tamen vitium non in his partibus, ſed in ipſis faucibus & expanſione œſophagi. Ad faucium enim interiora ponitur Larynx, in parte poſteriori verò pharynx; Afficitur in ægro noſtro pharynx ſive ſubſtantia illa glanduloſo carnoſa &c. Tunc ſi magno cum conatu deglutitio urgeatur, vel aſperam arteriam illabuntur alimenta cum tuſſi periculoſa, aut per nares rejiciuntur, adeo enim concluſus eſt ſphincter œſophagi, ut vix quicquam transmittat.

Species Anginæ.

Sub-

ectum ... ario af- ... em. Subjectum itaque primario affectum Pharynx eſt, per conſenſum verò afficitur Uvula & Tonſillæ.

... a pro- ... s. Cauſa proxima eſt ſtagnatio humorum illis in partibus, tractu temporis in ulcus & abſceſſum degenerans. Hic non tam ſangvis, quàm ſerum ſtagnat, hinc diſtingvitur Angina, ubi ſemper inflammatio adeſt, hic verò in principio nunquam, quia pedetentim fit, cum inflammatio ſubitò oboriatur cum dolore ſummo & punctorio conjuncta. *... ſa remo- ... terna.* Cauſæ rem. internæ & externæ ſilentur quidem, probabile tamen eſt, ut cauſam remotam internam conſiderandam eſſe ſpisſitudinem ſeri, unde facile ejus ſtagnatio contingere poteſt. *... na.* Hoc ipſum citius pateſceret, ni & externæ cauſæ fuerint in relatione ſuppreſſæ, conſtat mihi tamen de ipſo ægro ex admiſſione aëris frigidi & hyemalis in itinere celeri curſu (auf der geſchwinden Poſt) diurno & nocturno tempore facta, morbum hunc fuiſſe contractum, facilè enim aër frigidus coagulat ſerum & humores. An Symbolum contribuerit fumus tabaci copioſe hauſtus dubitari vix poteſt, exſiccatur enim hinc & detrahitur humiditas & partes ſeroſæ, ut hinc citius coagulatio ſupervenerit. Hoc & inſuper de ægro conſtat, eum abuſum fuiſſe pulvere ſternutatorio hodie admodum uſuali, ſed maximè noxio. Ab his cauſis dubio ſine primum nata eſt intumeſcentia uvulæ & tonſillarum, indeque demum nata ſuppuratio & in ulcus degeneratio. Rediit morbus aliquoties, ut intra aliquod temporis ſpatium multoties affligeret, cujus recidiva cauſa hæc eſt, quod partes eæ poſt exulcerationes non debite fuerint conſolidatæ, hinc levi dato errore & potiſſimum acceſſu frigoris recrudeſcit malum.

... ognoſis. Prognoſis. Moleſtisſimus eſt affectus, quia per tantum tempus tantumque ſymptomatis deglutitio impedita eſt, ex quo ſolo fundamento periculoſus affectus eſt, metuendum nihilominus, ne ex diuturniore ſtagnatione & ulceratione penitus erodantur & abſumantur illæ partes cum raucedine.

Cura. Curam cum æger non aliam niſi præſervationem petat, non opus eſt, de alia quàm hac methodo medendi ſimus ſolliciti, hinc ſaltim ſtagnatio ſeri in faucibus impedienda; Oritur autem ſtagnatio partim ex coagulatione, partim ex abundantia &c. Allicitur etiam ſerum per ſternutatoria nimis frequenter adhibita (geförneter Schnupff-Toback ſive per Tragac. involut. non adeo nocet, bene tamen, quem pulverem ſternutatorium Nicotiana ſubtilisſime trita ingreditur, uti ſunt der Portugieſiſche und Spaniſche Schnupf-Toback) pulveres enim ejusm. ſubtiles altius penetrant, & aliàs etiam partes irritant. *Differentia Sternutatorii pulveris.* Neceſſe nunc eſt interdicatur pulvis ſternutatorius, pedetentim tamen, aut horum loco alii pulveres ſternutatorii groſſiores adhibeantur. Dein alíorſum duci debent humores huc fluentes, hinc remedia blanda alvum ſubducentia adhibenda, v. g. pil. Aloet. Infuſ. laxat. cum fol. Senn. Nec nocent ſudorifera, quæ pariter ſuperfluam ſeroſitatem educunt. Imo fonticuli in brachiis ſuadendi, ut quotidie ſenſimque materia imminuatur, & natura aſſveſcat educere per hæc loca abundans. Imo Reſolventia ſalia volatilia inter cœnandum & prandendum aſſumi poſſunt. Ulterius rectum diætæ regimen ſvadendum, nocent frigida, aër frigidus potusque, non tamen æque nocet aër frigidus inſpiratione aſſumptus, quomodo ab extra ad collum admiſſus, hinc collum præmuniendum à frigore per linteamina aut lectulos minores. Tale ipſe expertus ſum. Nocent etiam acida coagulando lympham & ſtimulando partes, ad criſpaturas diſponunt fibras. Hinc antacida conveniunt: Terrea, Martialia.

Casus L.

HAEMORRHOIDES FURENTES.

Hiſtoria

EJn Mann von 51. Jahren/vormals von ſchöner und lebhaffter Geſtalt/ befindet ſich nun bey 5. Jahren her in ſeinen Wittben Stande mit ziemlichen Zufällen beladen/ und beſonders ſiehet er faſt immerzu in Geſichte greulich/ und recht zu beſchreiben / bleyfarbig und ſchwartzgrünlicht aus. Der Appetit hat zwar keinen groſſen Mangel / doch ſchlägt das Eſſen ihm zu keiner Nahrung/ vielmehr muß über Contabeſcentiam aliqualem klagen / beſonders aber beſchweeret ihn alvus pigra, welcher Zufall alsdenn um ein merckliches zunimt/ wenn er ſtarck reuten oder fahren muß/ ſo doch ſeine Profeſsion zum öfftern erfordert; denn da gehet es nicht ohne ungemeine Schmertzen ab/ wenn er ſalva venia zu Stuhle gehen muß / und ſeynd alsdenn die fæces recht aridæ, ja manchmal muß er ſo ſcharf drucken/ daß zugleich mit etliche Bluts-Tropffen flieſſen/ und anbey der Maſtdarm ein wenig austritt; Dannenhero dieſe Zufälle zu vermeiden / gehet er öffters 2. bis 4. Tage mit verſtopfften Leibe/ und wenn nicht die groſſe Noth und beſonders der Schmertz beym Urin laſſen ihn antriebe/ würde er gewiß länger ſo bleiben; Gegen ſolche Zufälle nun muß er ſich zum Stuhl forciren / und ſo denn geſchicht zu weilen / daß nach dem erſten harten Stuhle/ er etliche mal mit den gröſten Schmertzen dejiciren muß/ und gleichſam einen Durchfall bekömmt/ worauf insgemein ein wenig Beſſerung folget.

VIr unum & quinquaginta annos natus coloris antea eleganter vividi, per quinquennium ferè ſuæ viduitatis multis affectibus laborat, & præcipue facies illius tantum non continuo pallet, & ut clariùs depingam, lurida & ex nigro virideſcens apparet. Cibum quidem ſatis appetit, minùs tamen illo nutritur, quin potius ipſi de contabeſcentia aliquali querendum eſt. Præcipue alvus pigrior ipſi moleſta eſt, qui affectus tunc notabiliter augetur, ſi equo aut curru vehatur concitatiùs, quod tamen ipſius vitæ genus ſæpe expoſtulat. Tum enim non ſine dolore fieri ſolet, quando alvum, ſit honos auribus, exonerare cogitur, fæcesque tunc maximè aridæ ſunt; imò nonnunquam cum tanto niſu illas deponit, ut aliquot ſimul ſangvinis guttulæ affluant, anusque prolabatur pauculum. Ad hæc igitur ſymptomata evitanda nonnunquam per duos aut tres quatuorve dies alvum levare differt, & niſi maxima neceſsitas, & concurrens præcipue inter mingendum dolor illum impelleret, diutiùs ſanè alvum contineret. Ab his igitur ſymptomatibus ad alvum deponendam cogitur, & tunc fieri interdum ſolet, ut poſt primam doloroſam fæcum excretionem aliquoties illam reiterare neceſſe habeat, & aliquod ventris quaſi profluvium patiatur, quo facto plerumque levamen aliquantulum inſequitur.

Explicatio.

Diviſio Hæmorrhoidum

HIſtoria ſiſtit Hæmorrhoides. Dividuntur aliàs ratione ſitus in externas & internas. Externæ ſunt, quando in parte ani externa, potisſimum circa ejus limbum tumores varii generis apparent, nunc criſtarum, mariſcarum, ficu-

ficuum &c. nomine venientes. Internæ in partibus interioribus inteſtini recti latent viſumque fugiunt. Ulterius dividuntur in Cœcas & Furentes, ubi tumor & dolor enormis adeſt, ut parum abſit, quin in furorem rapiantur ægri, ſi per aliquot dies ſæviat, cœcæ dicuntur, quia nullum hiatum & aperturam habent; His opponuntur Fluentes Benignæ, quæ dolorem non adeo exquiſitum comitem habent, ſed is tantùm per intervalla affligit, fluentes dicuntur, quia materia ex his tumoribus fluit, utpl. ſangvis nigri & picei coloris, nunc rutilans, alio tempore mucus excernitur viſcidisſimus, pituitæ nomine veniens. Aliquando tantùm ſiſtuntur rupturæ vaſorum, alio tempore in ulcera fiſtulasque abeunt. In noſtro ægro occurrunt Hæmorrhoides primò cœcæ & furentes, mox quodammodo fluentes. Signa clare traduntur. Furentis ſigna eſſentialia ſunt dolor inter deponendum ſcybala, non enim poteſt fieri, quin tubercula in interioribus inteſtini poſita vehementius à fæcibus aridis tractata doleant, impr. quia partes eæ maximè ſunt ſenſatæ, tendinoſæ & membranoſæ. Magis certi reddimur de affectu ex ipſo ſtillicidio ſangvinis nato, quando alvus deponitur, facile enim diſtingvi poſſunt hæmorrhoides à Dyſenteria & fluxu hepatico: in Dyſenteria enim adſunt tormina ventris, quia in inteſtinis tenuibus vel craſſis eroſiones tunc fiunt, quæ hic deſunt. His addi poſſunt alia ſigna in facie ſe offerentia, facies enim antea florida & vivida nunc à triennio, dum in viduitate vivit, diſcoloratur, pallet & plumbeum colorem, ac ex nigro virideſcentem aſſumit, quod ultimum ſignum certisſimum affectus præſentis eſt, *v. Wedel. M. N. C.* qui hoc ſignum unicum certum pronunciat; ille peculiaris color in aliis cachexiæ ſpeciebus non animadvertitur, quamvis ibi pallor, plumbeus color quoque appareat. Patet hinc ex ſignis his morbus. Hæmorrhoid. tumentes ſunt repletiones vaſorum, imprimis tamen venarum hæmorrhoidalium, ſangvis ordinariè per minimas ramificationes venarum refluit, uti affluit, hic verò ſtagnat, unde partes dolent, inflammantur, & ſi diuturnum ſit malum, cuncta in hiſtoria dicta ſymptomata ſuperveniunt.

...entia à ...teria ...xu He-... [left margin note, cut off]

Quænam venarum pars doleat?

Quænam venarum pars doleat, dubitatur inter Autores. Aliqui tantùm valvulas in venis aliàs occurrentes hic laborare aſſerunt, hinc hæmorrhoides nihil aliud eſſe, quàm varices, credunt. Alii extremitates venarum affici & moram concedere ſangvini ſtagnanti putant. At utut ingenioſa ſit *ſententia* eorum, qui pro varicibus habent, mihi tamen non arridet, quia in ramificationibus vaſorum minoribus nullæ occurrunt valvulæ, hinc nec intumeſcere illæ valvulæ queant. Nec conſtrictio inteſtini aliquid huc facere poteſt. Potius in ipſis vaſis ſangvineis & ramificationibus majoribus & minoribus ſtagnat ſangvis, & ſacculos quaſi format.

Cauſa primaria.

Cauſa primaria eſt retrogradus ſangvinis motus impeditus in his partibus.

Remotæ internæ.

Cauſæ remotæ internæ hujus ſtagnationis aliàs incuſatur Plethora, quæ nunc quoque quodammodo locum habere videtur, potisſimùm cum extra conjugium nunc vivat æger, ordinariè enim per congreſſus venereos reiteratos ex his locis detrahitur ſangvis, hinc ſæpe obſervavi in maritis, poſt obitum uxorum, ex hac cauſa ſubortas fuiſſe Hæmorrhoides.

Viduis Hæmorrhoides familiares.

Porro ut cauſa interna referenda cruditas humorum, teſtatur enim æger, ſe in appetitu nullum defectum ſentire, bene tamen in digerendo. Ergo procul dubio in primis viis acidum latet, appetitum augens, poſtmodumque corrumpens chylum laudabilem, inque pituitam convertens. Hoc acidum translatum ad M.S. gignit ſangvinem atrabiliarium ſive ab acido admixto coagulatum, qui coagulatus citus ſtagnat. Acidum hoc

cum terreis particulis junctis abit in auſterum & adſtringens, unde alvus ſemper pigra eſt, ut nunquam niſi ſummo cum dolore aridæ fæces excludi queant; Imo licet maximo conatu ejiciantur, ariditate ſua tamen maximè nocent, pungunt & vellicant partes.

Cauſæ remotæ externæ. Cauſæ remotæ externæ, ex parte eſt defectus coitus, dein exaſperatur etiam ex motu corporis, equitatione & vectione; dici non poteſt, qvantum hinc vexetur anus. *Symptomatũ ratio.* Symptomata concomitantia quod concernit, quod magno cum conato & niſu fæces dejicere æger cogatur, & quod poſtmodum aliqualis diarrhœa ſequatur, mirum fortè eſſet, nulla tamen alia ratio eſt, quam quod à maximo hoc conatu & irritatione poſtmodum convulſio inteſtinorum ſuperveniat, unde præter naturam ſecernitur ſerum aut ejicitur mucus pituitoſus. Dein doloroſæ etiam ſunt dejectiones, unde ſolenniter in viris Stranguria & doloroſa ſive ſpaſmodica veſicæ affectio enaſcitur, collum enim veſcicæ maxime connexum eſt cum ano.

Cura. In Cura allaborandum, ut evacuatio ſangvinis ſuſcipiatur, ſingulis annis bis, verno & autumnali tempore, impr. Verno, autumnale vero tempus convenit, quia tunc abundant fructus horæi, acidum ſuccum ſanguini communicantes. Poſtmodum in externis applicari poſſent Hirudines, aut ſcalpello ipſæ aperiri à chirurgo, quod ſæpe cum ſucceſſu ſvaſi. Hinc ad corrigendum acidum conveniunt antacida, ea tamen, quæ non in auſterum abeunt cum acido, qualia nociva ſunt terrea ex Minerali regno deſumta, Creta, Bolus, terr. ſigill. &c. Econtra terrea ex calcinatis animalium partibus facta citius ſatisfaciunt intentioni noſtræ, uti ſunt CC. uſt. quatenus in ſalſum abeunt. Imprimis conveniunt Martialia. Imo Raſ. Dent. Hippopot. euporiſton eſt. Martialia in Vitriolica abeunt, hinc Laxativa fiunt, tunc enim pigritiei alvi ſimul ſuccurritur. Not. tamen, Aloëtica hic non adeo convenire, quia peculiari acrimonia hæmorrhoidibus maximè infenſa gaudent. *Aloëtica hæmorrh. produc.* Imo novi ex Aloëticis ortas Hæmorrhoides, Infuſ. Fol. Senn. &c. convenit, & Manna, Clyſmata Emollientia & laxativa conveniunt; Quamvis ſæpe circa applicationem difficultas notetur, dum non facilè ob dolorem admittitur inſtrumentum. Hinc ſuperne Laxantia & Salina conveniunt Crem. tartar. it. oleoſa & lacticinia, ol. Amygd. dulc. &c. Cum jam malum ſit inveteratum, non uno medicamento penitus removebitur, ſed continuentur neceſſe eſt. *Diæta.* In diæta abſtinendum ab acidis, quæ malum augent. Abſtinendum à vellicantibus aliis, v.g. osſiculis minoribus animalium, avium (Lerchen) cum carne deglutitis, olim ipſe ſingulis Autumni temporibus ex hac cauſa Hæmorrhoidibus vexatus fui, quod cum evitaſſem, ſalvus nunc ſum. Equitatio & vectio in curru, quia hic vix poteſt evitari, aliud conſilium dandum, nempe culcitræ cum elatere ferreo affabre contorto adhibeantur, ut æger ipſis inſideat, ipſe elater enim comprimi quidem poteſt, ſed ſponte reſilit.

CASUS LI.
VERTIGO STOMACHICA.

Hiſtoria morbi. Ein vornehmer von Adel / ſo ietzo gleich das 60. Jahr erreichet/nachdem er in ſeiner Jugend in Kriegs-Dienſten / und in männlichen Jahren am Hofe leben müſſen/ findet ſich nun bey ſeinen ruhigen Land-Leben faſt ein

Vir quidam ſexagenarius præcipuæ nobilitatis, poſtquam juvenilem ætatem in caſtris, virilem verò ætatem in aulis Principum conſumere neceſſe habuit, nunc in ruſticationis ſuæ otio per annum fer-

Jahr

Jahr her Abwechslungs Weiſe / bald mit dieſen bald mit jenen beſchweeret/ unter welchen allen doch ihn am allermeiſten der Schwindel moleſtiret / als welcher zu Zeiten gantz unvermuthet ſich einfindet/daß er unmöglich aufrecht bleiben kan/ wie er denn kürtzlich zwey mal in publico gefallen / und dadurch ſehr am Haupt beſchädigt worden; Uber diß findet er groſſe Ubelkeit des Magens/ beſonders den vor-Mittag über/da denn das Waſſer ihm Hauffen weiß aus dem Munde läufft/ und eructationes acidas verurſachet. Der Herr Patient iſt ſolcher Zufälle halber ſehr beſorget/ wegen des Schlags/dañenhero er fleißig des Mäyen Blümchen Eßigs ſich zum anſtreichen und riechen bedienet/ auch darvon auf Zurathen eines guten Freundes manchmal einen Schluck einimmet/ es wil aber nichts helffen. Dannenhero wird ſehr gebethen/ vor dieſen Herrn zu ſorgen/ und was eigendlich vor eine Beſchaffenheit mit dieſen Zufällen allen habe/ und wie ſolchen abzuhelffen / zu berichten.

mè modò hoc modò illo affectu alternatim corripitur, quorum omnium tamen maximè vertigo ipſi moleſta eſt, quippe quæ nonnunquam ex improviſo illum adoritur ita, ut nequaquam arrectus conſiſtere valeat, & intra breve ſpatium bis in publico prociderit, multùm afflicto capite. Præterea moleſtam ex ſtomacho nauſeam patitur, præcipue tempore antemeridano, quo lympha illi copioſe ex ore effluit, acidasque eructationes progignit. Æger autem ob dictos affectus valde ſibi ab apoplexia metuit, quamobrem diligenter aceto liliorum convall. utitur tùm externè naribus ac temporibus illud allinendo, tùm internè quoque nonnunquam ex conſilio amici illud aſſumendo absque ullo tamen ſucceſſu. Quamobrem ut ægri hujus rationem habeas, quæque omnium horum affectuum ſit conditio, & quo pacto illis occurrendum transſcribas enixè rogaris.

EXPLICATIO.

Siſtitur Vir Vertiginoſus, omnia adſunt Symptomata morbi hunc conſtituentia. Conſiſtit ejus formalitas in circumgyratorio motu Spirituum non tantùm in oculo, prout recentiores quidam, ſed in toto etiam corpore, ut titubent, inque terram ruant ægri. Dividitur in Idiopathicam & Sympathicam, quando aut circumgyratio Spirituum à cauſa in Encephalo poſita dependet, aut quando in aliis locis hæret cauſa. Ex relatione tradita videtur, vertiginem per ſympathiam ex primarum viarum vitio oriri, adeoque ſtomachica dici poſſet vertigo, dum extra morbum etiam nauſea (Eckelkeit des Magens &c. adeſt) & potiſſimum jejuno ſtomacho ſentitur, ex nauſea eſt ſalivæ influxus, Univerſa mala ex male conſtituto ſtomacho orta ſunt, repleto cruditatibus acidis.

Vertiginis cauſa proxima eſt irregularis Spirituum per nervos motus. *Cauſa proxima.* Ordinariè enim & naturaliter ordinatus Spirituum motus per nervos ad omnes partes contingit, quem motum non alio modo, quàm ſub ſpecie irradiationis, quæ recto motu fit, deſcribere & nobis concipere poſſumus. Si nimius motus Spirituum fuerit, in convulſivos motus rapiuntur partes, ipſaque ſenſoria malè ſe hinc habent, unde ſcintillæ apparent in furibundis ante oculos ob Spirituum primum motum. *Quæ mala ex motu nimio.* In auribus ex eadem cauſa ſtrepitus & tinnitus percipitur.

Econtra ſi deficiat motus ſpirituum langvent partes organaque ſenſuum motusque. *deficiente*

Imo ſi modo turbentur in ſuo motu Spiritus, aut uti in noſtro affectu, irregulariter moveantur, neceſſe eſt, alia *turbato oriantur.*

quo-

quoque oriri mala. Unde viſus in vertiginoſis perit. *Faber* Spiritus viſorios primario affectos in vertigine notat, & quidem in oculis tantum, huic ſubſcribunt plures Recentiorum. Ego tamen hoc aſſertum perpetuæ veritatis eſſe vix credo, ex eo, quia clauſis oculis ſæpe vertiginoſi reddimur, quo tempore vix afficitur Spiritus viſorius. Id experiuntur ebrii tempore nocturno, imo qui à nativitate cœci fuerunt, aliquando vertiginoſi fiunt. vid. *Wed. M. N. G.* quaſi verò dixerit, in cœco hoc Spiritus viſoris affici? Ergo potius credo, univerſos Spiritus non tantùm in capite & reliquis ſenſoriis, ſed etiam in motus organis turbari & circumgyrari, es ſauſt und brauſt ihm vor den Ohren / vergehet ihm hören und ſehen &c. ruunt in terram. Spiritus in Vertigine per Eſſentiam circa principia nervorum afficiuntur, v.g. in caſu ab alto &c. At in noſtro vertiginoſo per conſenſum primùm nervis ſtomachicis ex pari vago & intercoſtali oriundis aliqua injuria affertur.

An vertigo ex Spiritibus viſoriis tantum proveniat?

Cauſa remota interna.

Cauſa remota interna eſt cruditas primarum viarum acida, quod pateſcit ex antecedentibus erroribus olim in diæta commiſſo, dum vexilla æger in juventute ſecutus eſt, ac poſtmodum in aula vixit, ſi itaque per longum adeo tempus tonus ſtomachi læſus & cruditates congeſtæ ſunt, non mirum, quod nunc id experiatur, ubi vitam tranquillam & quietam nunc agit. Imprimis cum externe & interne ſimul adhibeat præſenti tempore acetum Lil. convall. Dein nauſea jejuno ſtomacho percepta acidum manifeſtat, & clarius adhuc id indigitant eructationes acidæ. Quoniam autem conſenſus maximus inter ſtomachum & alias partes eſt, mirũ non eſt naſci exin ipſum triſtem ſenſum ſtomachi (Ubelkeit) ſed etiam quod jejuno ſtomacho copia ſalivæ in ore deprehendatur, connectitur enim membrana faucium cum tunica ventriculi, qua contracta, contrahitur & hæc.

Cauſæ externæ.

Cauſæ externæ partim jam dicti ſunt errores in caſtris & aula commiſſi. Imprimis quia nunc agit vitam ſedentariam, cum antea laborioſam & in motu perpetuo conſtitutam, omnino cruditates augeri poſſunt.

Prognoſ.

Prognoſis. Utplurimum quidem Vertigo prodromus eſt Apoplexiæ, quia tamen per conſenſum ſaltim affligit, talis triſtis Prognoſis non eſt danda, ſed bono animo eſſe jubendus æger, modo dictis Medici auſcultet.

Cur.

In cura aciditas primarum viarum apparatu convenienti deſtruatur, per terrea, alcalia fixa & volatilia poſſunt hæc mutari & alternari, terrea enim ſæpe non ſufficiunt, impr. terræ minerales, quia hinc ſtipticitas alvi naſcitur & paſſiones hypochondriacæ, ergo terrea eliguntur animalium, impr. lap. cancr. qui ſubſtantia quadam gelatinoſa ſimul gaudent. Hæc cum martialibus combinata magis laudem merentur, v.g. lim. martis, croc. mart. &c. continuari tamen debent. Limat. mart. in pilulas formari poteſt, & quotidie deglutienda dari, aut eſſentia martis helleborata Wedel. aut alia eſſentia martis aut lim. cum gumm. ammon. aut aloë &c. egregiè enim conferunt. Acida namque copioſe in primis viis latentia caſtrant aliâs purgantia, aut ſi majori in doſi dentur, tormina ventris excitant, hinc convenienter ſibi maritantur martialia & laxantia. Subſtitui poſſunt ſalia fixa, & imprimis per del. ſoluta, ol. tart. per del. ſi occultare hoc placet, infundi poteſt cum lign. ſaſſafr. aut aromaticis &c. fixa volatilibus præfero, hæc enim ob volatilitatem ſuam in tanta copia aſſumi nequeunt, quin noceant & cephalalgias &c. anxietates, inducant imo acidum facile ad maſſam ſangvineam ſimul rapiunt, hinc nec convenit ſpir. vini tartariſatus mane hauſtus, quia volatilis admodum eſt. Hæc per tempus continuari debent. Ut tamen habeat æger, unde imminente paroxyſmo vertiginis ſibi proſpicere queat, loco aceti lil. convall. ſalia vo-

volatilia naribus objecta commendanda ſunt. In diæta commendandus ægro motus corporis, ne ſpiritus torpeſcant à quiete, & ut ſibi proſpiciat, accedente vertigine, ſemper ſecum gerat vel aquam apopl. aut acetum volatile, aut balſ. apopl. &c. circa auroram ſemper juſculum aut jentaculum aſſumendum, ut habeat, in quod agat ventriculus, nec diu jejunus maneat. Abſtineat ab acidis, vino acido, rhenan. &c. Abſtineat à commotione enormi animi. Alvus ſemper ſit libera, aut clyſmata vel blanda laxativa conveniunt. Aloëtica imprimis in cruditate acida conveniunt. Continuari debent aliquandiu.

Casus LII.
ICTERUS.

Ein Mann von 32. Jahren / nachdem er unumgänglich ſich einige mal hefftig erzürnen müſſen und darauf gegeſſen / hat nach kurtzer Zeit erſtlich über Mattigkeit der Glieder in die 14. Tage zu klagen angefangen / nach dieſem iſt ihm der Appetit vergangen / und der Leib etliche Tage wider Gewohnheit verſtopfft geweſen / darbey empfindet er in der rechten Seiten unter den kurtzen Rippen stetig anhaltenden groſſen Schmertz / ſo daß er auch des Nachts nicht wohl darvor ſchlafen kan. Binnen 2. Tagen ſiehet der Urin gantz dunckel und ſchwartzbraun / und findet ſich eine garſtige Farbe im Geſichte / die Augen werden gantz gelblicht / und alles was er iſſet / ſchmecket bitter. Weil er nun gerne wegen dieſer Beſchweerung gewiß / und wenn möglich davon bald befreyet ſeyn wil / bittet er ein Conſilium.

P. S. In dem hat der Patient mit groſſer Bemühung Oeffnung des Leibes gehabt / und was ihn ſehr wundert / ſiehet ſalv. ven. der Stuhlgang nicht nicht anders als Thon aus.

Vir duorum & triginta annorum, poſtquam inevitabili ira vehementer aliquoties excanduit, ciboq; deinde uſus eſt, brevi tempore poſt primùm de artuum laſſitudine per quatuordecim dies cœpit queri, deinde appetitus imminutus, alvusque per aliquot dies præter ſolitum obſtructa fuit. Ad hæc in hypochondrio dextro ſub coſtis ſpuriis continuum dolorem ſentit, adeo ut minus exinde ſomno frui queat. Biduo abhinc urina tota nigreſcere, & fuſco colore imbui cœpit: vultus luridus, oculi lutei apparent, & omnia, quæ comedit, amarum quid ſapiunt. Quoniam igitur de hoc affectu certior eſſe, & ſi fieri poſſit, brevi liberari cupit, conſilium Tuum implorat.

P. S. Dum hæc ſcribo æger magno cum molimine alvum depoſuit, & quod maximè ipſi mirum videtur, fæces totæ albeſcunt in modum argillæ.

Explicatio.

Caſus ſiſtit virum Ictero laborantem. Morbus is quis ſit, diſceptatur inter Medicos. Sunt enim Recentiores, qui omnem coloris cutis mutationem in flavum Icterum ſalutant. Antiqui verò Icterum tantùm dicebant, ubi ex vitio bilis ejusque motu impedito cutis vitiatus color oriatur. Derivatur juxta quosdam à Græco ἰκτὶν Milvus, vel ἰκτὶς, viverra, muſtela, quod ſcil. *Etymologia.*

dicta animalia in oculis & pedibus flaveſcant, hinc omnem flaveſcentem colorem cutis Icterum ex convenientia hac dicunt. Si ergo à nomine rem ſalutare velimus, utique omnis cutis diſcoloratio flava Icterus dicitur. Rectius nihilominus ſaltim ita vocantur, quando à bile oritur. Aliquando enim à viperæ morſu, Arſenico, Mercurii exhalatione aut aliis venenis hauſtis talem icteritiam diſcolorationem natam fuiſſe Autores teſtantur. Icterum ex bilis vitio cognoſcimus ex oculorum flavedine, lotii flavedine ſæpe ſaturata, & ad nigricantem ſive ſubfuſcum colorem ſpectante; Equidem hic color flaveſcens ſubinde in febribus ardentibus & intermittentibus tempore paroxyſmi in urina inviſitur, hinc ſi immittas chartam albam & linteamina alba, & extracta crocea tincta appareant, Icterum oſtendunt. Dein etiam ſcybala ante facilè fluentia nunc tarde & difficulter excernuntur, imo tandem albent aut cinereum colorem exhibent. Nihilominus juxta *Schenck. River.* &c. aliquando facies fæcum fluida admodum, & egregie flaveſcens, ac quaſi crocea obſervata fuit. Hinc ſi ex Maſſa ſangvinea, non quidem à bile, vitiata diſcoloratio cutis ſit, neque in urina neque in fæcibus tale ſignum habetur. Ex ſignis in caſu datis concluditur morbum eſſe Icterum.

Signa.

Cauſa proxima.

Quoad cauſam, illi qui Icterum generaliter deſcribunt, hanc quærunt in maſſa ſangvinea vitiata & mutata, ac ſubjectum primario affectum diſcoloratum flavoque colore tinctum credunt ſangvinem. Equidem in proprie dicto Ictero M. S. tandem afficitur, qua affecta in oculis etiam & univerſo habitu ejus transparentia naſcitur.

Cauſæ remotæ internæ.

Cauſæ remotæ internæ in noſtro ægro in bilis ſecretorio ſunt querendæ, verbo bilis motus ad duodenum intercipitur, cujus interceptionis diverſa cauſa ab Autoribus notatur. Utplurimum coagulatur bilis, hinc ſtagnare intra ductum choledochum eumque obſtruere cœpit. Inſpiſſatur bilis à cauſis magis remotis frequentiſſime ſc. ex acido, quod bili admixtum ejus fluiditatem in coagulum cogit. Oleoſa enim & ſulphurea addito acido facilè coagulantur, e. g. ſi ſpir. vitrioli aut aliud acidum affundas oleo deſtillato, coagulabitur, idem etiam in bile accidere probabile eſt, quod experimenta varia comprobant. Alio tempore frigida coagulant bilem. Sic Icterus ex improviſa totius corporis refrigeratione natus refertur à *Bonetto*, ſcil. ex balneo frigido in infanti. Sic quoque potus frigidus Icterum gignere poteſt, dum partes frigoriferæ inſpiſſant bilem. Sic quoque ſubjecta cachectica & pituitoſa frequentius Ictero vexantur ob abundantiam particularum gelatinoſarum; quæ diſpoſitæ ſunt ad coagulum, modo levis accedat cauſa. Alio tempore in calculum & ſubſtantiam calculoſam bilis mutatur, unde pariter obſtructio ductus choledochi oritur. Una eademq; cauſa eſt calculi & coagulationis bilis cum arena, ac aliàs coagulationis ejus ſimplicis eſt, ſcil. acidum aliquod. Facta hac obſtructione nec elaborari bilis, nec ad duodenum deſcendere poteſt, ſed ad maſſam ſangvin. regurgitat, ſangvinemque inquinat. Hinc non mirum, ſi primo laſſitudines oriantur, aliaque graviora ſymptomata. In ſpecie tractu temporis dolor in regione hypochondriaca dextra, ubi ſita veſicula bilis eſt, naſcitur, infarcitur enim bilis adeo, ut dilatetur ductus, unde dolor. Magis vexat dolor Ictericos, ſi calculoſa materia adſit, vix dici poteſt, quàm ineffabilis dolor ille ſit. Obſervavi id nuper in ægra diu icterica, quæ ingruente paroxyſmo & ubi deſcenderet aliquis calculus & obſtrueret ductum, tormina ejus loci, vomitus &c. graves experiebatur, aliaque ſymptomata, quæ in calculoſis notantur, qui renum calculo vexantur. Quod ſi bilis ad M. S. tranſierit, inundatur univerſum corpus & ſpeciatim in cute medium ejus ſtratum, glanduloſum & retiforme à *Malpig.* dictum, tingitur, cuticula enim detracta nunquam

Icterus frigeri...

Rat... din...

quam flavet, bene tamen ſubjacens ſtratum. In oculis ideo flavedo notatur, quia albedo etiam minimam portionem flavedinis prodit, quæ occultatur in cute ac cuticula hactenus. Hinc mirum non eſt, quod lotium adeo flaveſcat. Si enim univerſa maſſa ſangvinea inquinata, urina etiam tale quid redolere debet, imo per univerſa ſecretoria non raro flavus humor ſecernitur; Ego in tribus ſubjectis ſub axillis, inque univerſa peripheria ſudorem flavum notavi, ſaliva flaveſcit, ſaporemque amaricantem exhibet &c. Hæc dum in corporis habitu & ſecretoriis accidunt, interranea ſimul & in ſpecie ventriculus afficiuntur, dum digeſtio turbatur, cruditatesque colliguntur ob defectum acceſſus

alvi eſſæ. bilis. Hæc etiam cauſa eſt alvi ſuppreſſæ, quamvis non credam bilem ratione puncturæ aut acrimoniæ ad excretionem facere, nihilominus certum eſt, quod ſaltim lubricando inteſtina faciat ad fæcum excluſionem, hinc ſi deſit, ſtagnare fæces utique debent, imo ſi acceſſus denegetur, nec faciem flaveſcentem exhibebunt.

noſis. Quoad prognoſin: Icterum à bile non adeo eſſe periculoſum notandum, modo enim obſtructiones removeantur, omnia ex voto cedent, ipſaque maſſa ſangvinea ſi purgetur & diaphoreticis aſſumtis expellatur, brevi ceſſabit. Periculoſus nihilominus Icterus, qui ex veneno ſumto aut maſſa ſangvinea corrupta oritur.

ura. Cura. Cum noſter æger ex incandeſcentia indeque nata coagulatione ob aſſumpta mox alimenta, eò reſpiciendum, ut reſeretur obſtructio &c. Multi Autores Vomitoria & Evacuantia alia præmittunt, at utut irritando vaſa prope poſita obſtructionem reſerare poſſint, nihilominus ad curam nihil faciunt. Et cum ſolùm infarcta ſit materia viſcoſa, protruditur ſæpe materia intus hærens. Hinc ſæpe in calculo renum Vomitus ſalutaris eſt, dum calculum propellit. Cathartica quoque non aliter agunt, niſi irritando, evacuando verò nihil agunt. Igitur alii Aperientia potius commendant, h. e. quibus obturamenta removentur. Galenici decantant 5. Rad. Aper. it. Chel. Maj. decoctum, Fumariam, Vincetox. &c. aliaque Aperientia Vegetabilia, it. Marrub. alb. Rad. Rub. tinct. Urticam, R. Curcum. Raphani ſuccum, decoct. fol. Buxi juxta *Foreſt.* Jacobææ decoctum juxta *Sibald.* Muſc. Quernum in vino infuſ. v. *M.N.C.D.1.A.3.O.290.* Verbo, quicquid habet in ſe vim ſalinam, acrem, amaricantem, commendatur ut aperiens. Chymici ſubſtituunt alia. In ſpecie laudatur Lap. fellis bovis, fulminaris &c. agunt ille ratione amaroris, hic ratione ſuæ volatilitatis & ſulphureæ fragrantiæ. His tamen præfero ſalia volatilia, quæ me nunquam deſeruêre, utpote quæ integris viribus ad ductum Choledochum feruntur, Spir. Sal. Ammon. ſimpl. & comp. liqv. CC. Eſſent. Succin. &c. Reliqua remedia, quorum effectus ambiguus eſt, non adeo laudo. Aliqui pediculos 5. vivos commendant, exque his operationem in Sale Vitrioli quærunt, cum tamen potius ab irritatione ſola & titillatione deducenda veniat, ſi quid præſtent. In equis ſi lotium obſtruatur, unum vel alterum pediculum vivum in urethram Mulomedici indunt, hincque ſequitur lotium, agit ibi eadem irritatione & titillatione. Reſerata obſtructione alvus lubrica redditur & fæces naturali colore tinguntur, nihilque reſtat, quàm ut ſudorifero dato aut balneo aquæ dulcis flavedinem eluamus & removeamus. Deobſtruunt & ſudorem movent ſola ſalia volatilia.

Casus LIII.

PARALYSIS EX APOPLEXIA.

Hiſtoria morbi.

Nach dem ich zu Anfang des Februarii in dieſem Jahre kurtz vor der gewöhnlichen Schlafens-Zeit uhrplötzlich mit einen ſtarcken Schwindel befallen wurde / worbey mir alle Sinnen und Kräffte vergiengen / ſo daß ich auch wie ein Klotz auf die Erde gefallen / darauf haben meine Leute alſobald nach einem Medico geſchicket / welcher weil er mich vom Schlag getroffen geſehen / mir ſtracks Ader gelaſſen / und ſo wol durch äuſſerliche als innerliche Mittel mich wiederum / GOtt ſey Danck / dahin gebracht / daß gegen Morgen die Sinnen und Verſtand wieder kommen. Doch iſt leyder ſeyd dieſer Zeit mir die gantze rechte Seite Krafftloß geblieben / ſo daß nicht allein der rechten Hand / ſondern auch des Fuſſes nicht mehr mächtig bin. Ich habe ſchon vielerley gegen dieſe Hemiplegiam gebraucht / auch ein wenig dadurch die geſchwächten Theile geſtärckt / doch fehlet noch viel an der gäntzlichen Geneſung. Bitte dannenhero auch um ſeinen guten Rath / und beſonders / ob mir ein warm Bad / und welches zuträglich ſeyn ſolte / anbey mit zu vermelden.

Poſtquam hoc anno ſub initium Februarii paulo ante noctem concubiam repentina fortique vertigine correptus fui, proſtratis omnibus ſimul viribus ac ſenſibus, ita ut inſtar trunci in terram prociderim, domeſtici quidem mei accerſerunt Medicum, qui cum me apoplexia laborare videret, ſtatim venam ſecari juſſit, & tùm internis tùm externis remediis in tantum me reſtituit, Deo ſit gratia! ut cum diluculo ſenſus & intellectus redierint; ab illo tamen tempore proh dolor! totum dextrum latus manſit emortuum, ita ut non ſolùm dextra manu, ſed etiam pede ampliùs nequeam uti. Multa quidem adverſus hanc hemiplegiam adhibui, quibus parumper etiam debilitatas partes refocillavi, multum tamen plenariæ reſtitutioni deeſt. Quamobrem etiam Tuum mihi conſilium expeto; præcipue ſcribas velim, utrum thermas, & quasnam potiſſimum conducturas mihi fore arbitreris.

Explicatio.

Definitio. Hiſtoria tradita indicat virum ex Apoplexia Paralyticum ſive Hemiplegia affectum. Nil aliud eſt Paralyſis, quàm motus voluntarii ablatio vel in toto corpore, vel in parte, nunc cum ſenſuum ablatione, nunc cum eorundem remanentia. *Diſtinctio.* Diverſa itaque eſt Paralyſis, hinc diſtingvitur ratione Subjecti affecti in Univerſalem & Particularem; Illa dicitur, quando univerſæ corporis partes motus ablationem experiuntur, vocaturque Paraplegia; Particularis dicitur, ſi una vel altera pars eam motus ablationem patitur, v. g. manus, pes, os, penis, lingva &c. quorſum ſpectat, ſi latus dextrum vel ſiniſtrum afficitur, qui morbus Hemiplegia audit. Secundo dividitur in Fortiorem, quando motus penitus ablatus eſt, unà cum ſenſu partis affectæ, ut acus puncturam &c. non amplius ſentiat; & Mitiorem, ubi non ex toto, maxima tamen ex parte motus ablatus fuerit, nicht recht gebrauchen können; uti in noſtro ægro; Sic Mitior etiam dicitur, ſi ſenſus tactusque adhuc remanſerit. Aliàs peculiaribus nominibus ſpecies has dirimunt, Paralyſin enim cum motus & ſen-

ſenſuum ceſſatione hoc titulo propriè ornant, ſed ubi motus quidem remanſit, quamvis ſenſus ceſſarit, adeoque mitior ſpecies fuerit, Pareſin dicunt, quamvis hoc ipſum non adeo congruè fiat. Potius in Paralyſin veram & Notham dividitur. Notham Scorbutici utplurimum experiuntur. Æger noſter Paralyſi mitiori laborat. In Paralyſi afficiuntur motus voluntarii organa, nempe muſculi cum ſuis fibris motricibus ac tendinibus, nec non nervis. Olim quidem tendines, membranas & ligamenta nervos in genere vocabant, cum quibus & h. l. facio, per nervos omnes illas partes intelligens. Quomodo autem lædantur nervi, diſputatur inter Doctores; Aliqui enim reſolvi nervoſas eas partes credunt, probantes id ipſum ex laxitate partium, non minus quàm ex vocis etymologia, dum παραλύω reſolvere ſignificat. Olim enim motum muſculorum per tractionem eorum à nervis tanquam funiculis factam fieri credebant. Qamvis itaque hæc motus ratio rejecta dudum fuerit, tamen retineri adhuc poteſt Paralyſeos ſive reſolutionis vox, dum tubuli relaxati flaccidique collabentes Spiritibus tranſitum denegant. Alio tamen tempore nervoſæ hæ partes non æque flaccidæ, quàm obſtructæ & arctatæ ſunt, ut pariter ſpiritibus tranſire tunc nequeat. Nervi equidem adeo anguſta vaſcula & tubulos habent, ut omnem ſenſum fugiant & vix demonſtrari queant, nihilominus in machina pnevmatica dum per nervum humor cogi poteſt, ejus poroſitas ſatis innuitur. Nervos autem obſtrui probat & hoc, quod ſemper ab extra humore roſcido irrorentur partes, hinc non ſemper opus eſt, ut ab intra obſtruantur nervi, ſed ab extra à viſcoſo iſto nimium humore aut copioſiore comprimi poſſunt nervi, ut ſpiritibus via intercludatur h. m. Tandem aliqui nervos criſpatos, exſiccatos &c. credunt in Paralyſi, allegantes Pareſin ex Scorbuto, frequenter enim ex acrimonia ſalium Colica, Arthritis, Iſchiadicum malum &c. cum inſequente Paralyſi naſcitur, hinc ab acrimonia vellicati nervi contrahuntur: Huc facit Paralyſis ſenum ex defectu ſeri, adeoque exſiccatione nervorum oriunda.

Cauſa proxima. Cauſa morbi hujus varia eſt, proxima tamen una eſt, nempe inſufficiens & denegatus influxus ſpirituum, hinc actuari & inflari nequeunt ab ipſis partes.

Cauſæ remota interna. Cauſæ rem. internæ latent in diverſa conſtitutione nervoſarum partium, quæ vel nimis laxæ, vel ſtrictæ & anguſtatæ ſunt, aut à dilatationibus & extenſionibus violentis v. g. poſt Luxationes, aut à compreſſione per mucum viſcidum, aut coagulato ex refrigeratione ſero &c. aut ex turgeſcentia & abundantia ſangvinis; Utut cauſæ antecedentes omiſſæ in Hiſtoria, ex Inſpectione tamen poſtmodum patuit, ſubjectum fuiſſe pituitoſum, partim ex ſtudio nimio partim abuſu Veneris. *Spirituum diverſa interceptio diverſos habet effectus.* Intercipiuntur ſpiritus in influxu ad partes vel circa principia nervorum in Apoplexia, vel in artibus & ramis nervoſis extra cerebrum, ut in Paralyſi. In noſtro ægro ex obſtructione principiorum generis nervoſi nata fuit Apoplexia, poſtmodum ubi generoſiora adhibita fuere remedia, influxus quidem aliqualis reſtitutus fuit, tamen non omnimodo. *Prognoſis.* Prognoſis triſtis ferenda. Paralyſis enim poſt Apoplexiam curatur difficillime, notha tamen curari adhuc poteſt, remotis cauſis. At in vera rariſſime reſtituuntur ægri, aut ſaltim periculum recidivæ remanet, imprimis ſi error diætæ committatur. Hinc per longum tempus, reſtituti licet ab Apoplexia vel paralyſi ægri, adhuc ſentiunt leviſſimas etiam aëris mutationes, quale quid in viro novi. Dein Paralyſis quoque in Senio triſtis eſt, in juventute quidem, ubi adhuc vigent partes, & ſpes eſt convaleſcentiæ.

Cura. Cura cauſis accommodanda. In noſtro

ſtro ægro, ubi coacervata eſt pituita, quæ ab aëre frigido coagulata & coacta fuit, alloborandum, ut vitium hoc emendetur, non tantum per ea, quæ via primas levant, & digeſtionem reſtituunt. Ipſum ægrum Vomitorium adhibere juſſi, quod tamen non aſſumſit, cum jam in procinctu eſſet ad Thermas abire. Probe notandum, Vomitoria eſſe danda, quia ſaburram ventriculi eliminant, & ſtimulo ſuo nervos irritant, ita ut poſtmodum influxus Spirituum ſuccedat, id quod obſervationes Autorum teſtantur. His actis Exſiccantia & Reſolventia; Decocta Lign. &c. adhibenda cum Diaphoreticis. Cum autem æger noſter imprimis ſcire aveat, an aquæ Thermales conducant, ſciendum, plures ejusmodi Thermas ab Autoribus celebrari, apud nos celebres ſunt Tœplizenſes, Carolinæ & adhuc debiliores Wolckenſteinenſes & Wisbadenſes prope Svvalbach, quæ tamen non niſi tepidæ ſunt, hinc vix niſi ad calorem foci adhibendæ, cum tamen in calore vis maxima ponatur. Roborant tamen non tantùm thermæ calidæ ſed etiam laxant, dum ob humorum exagitationem debilitant. Hinc debilibus Carolinæ non conveniunt, imprimis cum hodie ipſæ non tantùm externè, ſed etiam internè adhibeantur, laxatur enim inde alvus, & evacuantur potæ thermæ, ſimulque primæ viæ deterguntur. Dein movent ipſæ etiam ſudores & urinam. Verum enim verò, ſi ægri debiles ſint, violentas ejusmodi evacuationes non ferunt, hinc gravia ſymptomata experiuntur, imprimis ſi langveat ſtomachus, aut aliud viſcus &c. Uſus externus Carolinarum, quia egregius eſt, maximè tamen debilitat, hinc præſenti ægro debili admodum non Carolinas, ſed Tœplicenſes ſvaſi, potiſſimum, quia 3. diſtincta balnea gradu differentia ibi occurrunt; imo ſi immerſio nimis debilitaret, ſolam linteaminum immerſionem atque impoſitionem earundem, dehinc parti affectæ commendavi: Es iſt die Natur aber nicht zu ſehr zu forciren.

Casus LIV.

TORMINA VENTRIS.

Hiſtoria

Zur dienſtlichen Nachricht melde/ daß mein klein Kind / ſo nunmehr 3. Wochen alt/ unpäßlich ſey / indem es nicht recht ſchläft/ ſondern immerzu / ſo bald es nur ein wenig die Augen zuthut/ in einander fähret/ oder doch das Maul/ gleich ob es lachte/ ziehet/ bald aber darauf heftig auffähret und ſchreyet. Es kan es weder die Bruſt noch das Herumtragen oder Wiegen noch etwas anders ſtillen / und währet nun ſolcher Jammer in 8ten Tag / die Kinder-Frau berichtet/ daß es gantz grüne Stühle / und ſolche des Tages etliche mal / auch darbey ein groß Rumpeln im Leibe und den-

Brevibus Tibi officioſe ſignifico, infantem meum trium hebdomadum ægrotare, dum ſomno minus quieto fruitur, ſed quamprimum oculos pauliſper clauſit, cohorreſcere, aut os tanquam riſurus contrahere, mox vero deinde cum vehementia expergiſci & ejulare incipit. Nec mammæ, nec circumgeſtatio, aut agitatio cunarum, vel aliud quidpiam illi tranquillando ſufficit, trahiturque hæc miſeria jam in octavum diem. Nutrix refert ſe feces infantuli viridicantes idque per diem aliquoties obſervaſſe cum ingenti ventris rugitu & ſel-

ſelben ſehr aufgeblähet habe. Ob bey ſo zarten Alter nun etwas wird dürffen gebraucht werden / ingleichen wie die Amme ſich wird zu verhalten haben / bitte reiflich zu überlegen und bey dieſer Gelegenheit zu melden.

inflatione. Utrum ætate adeo tenera adhiberi aliquid liceat, ſimiliter quid nutricem agere oporteat, accuratiùs perpendas velim, nobisque hac occaſione reſcribas.

EXPLICATIO.

MOrbus deſcriptus dicitur titulo Torminum Ventris. Deficiunt equidem hic ſigna, tormina in adultis indicantia, nempe relatio propria; Hinc ex ſymptomatibus illa haurienda. Primum eſt pavor in ſomno, conjunctus cum reliquis in caſu nominatis ſymptomatibus. Sæpe enim inter vigilandum quidem adhuc pueruli ſani videntur, quod ſi tamen ſomni tempore ex improviſo excitentur cum impetu & concusſione corporis (zuſammen fahren) expergefactique clament notabiliter, tormina ſolenniter indicant; imprimis ſi facies inſveta ſimul notetur in fæcibus, h. e. viridicans, denotat enim bilem ex adveniente acido alteratam eſſe, ſi enim bili acidum inſtilletur, flavedo ejus mutatur in nigredinem &c. Alio tempore fæces alvinæ non tam viridicant, quam in grumos coactæ excernuntur, quæ pariter de aciditate teſtantur, uti enim aliàs lac in grumos coagulatur ab acido, (hacket und labet ſich) ita etiam hic factum eſſe indicabunt fæces hoc modo conſtitutæ. Favet ætas pueruli, tertia enim ſeptimana vix præterlapſa eſt, ubi nullum aliud ſymptoma occurrit utplurimum, quam quod ex vitio nutrimenti accedat.

[...] color [...]ans [...]le?

[...] pro-[...]na.

[...]na.

Cauſa unice quærenda in aciditate viarum primarũ, quæ non tantùm vellicat inteſtina, torminaque producit, ſed fæces etiam virides reddit. Cauſa externa hujus aciditatis eſt frigus externum incaute admiſſum, aëris enim injuriam vix impune pueruli ferunt delicatuli, quin dolores exſurgant. Æſtivo quidem tempore de refrigeratione corporis ſuſpicio non eſt, bene tamen reliquo tempore. Frequentius in cauſa eſt lac maternum vitioſum, aliudque nutrimentum. Naturaliter lac matris reſpondet viſceribus delicatulis, ut dilui debite inque nutrimentum cedere queat, ſed ſi craſſius fuerit & acre, mox ſi ad ſtomachum translatum fuerit, ſævitiam exſerit. Aceſcit lac vel in mammis vel in primis viis corporis pueruli, ſi v. g. mater ſcorbutica &c. ſit. Ut cauſæ antecedentes torminum conſiderari etiam debent, ſi mammæ denudatæ nimium frigori exponantur, hinc enim coagulatur lac. Dein acidum etiam transfertur vitio reliquorum alimentorum, v. g. ſi aceſcens illud fuerit, hinc in ſtomacho ſi latet aliquandiu, acorem exerit. Huc referenda pulmenta, utplurimum ex farina & lacte vel aqua parata, farina enim habet in ſe partes ad fermentationem aptas, fermentativus hic humor mox abſoluta fermentatione aceſcit, hinc ſi tale pulmentum larga manu ingeratur, neceſſe eſt aceſcat, moram trahendo in ventriculo. Magis peccatur in nutrimento, ſi non recens fuerit puls, ſed per aliquod tempus in aëre libero ſteterit, inde enim corrumpitur. Ulterius acidum communicatur etiam infanti h. m. dum alimenta in ore nutricis prius circumvolvuntur, ac demum ſaliva conſperſa ipſi ingeruntur.

Cauſæ antecedentes.

Prognoſis: Si ætas adeo tenera reſpiciatur, & acor fortè copioſior, quod ex continuatis doloribus eluceſcit, am-

Prognoſis.

ambigua dari omnino debet, à ſalibus enim his peregrinis valde afficiuntur corpora, unde motus convulſivi univerſales, imo mors non raro oritur. *Cura.* Non tamen ideo animus abjiciendus omnis, ſed medicamenta convenientia adhibeantur. Ubi tamen non fortiora & chymica exhibenda facile ſunt, ſed corpori tenero accomodata. Remedia ſint antacida, & ante omnia occaſiones evitandæ, unde aciditas oritur. Nutrici terrea, martialia, ſalia fixa & volatilia exhibenda, prout vel primæ tantùm viæ vel M. ſangvinea infecta eſt. Infantibus terrea ſubtiliſſima & alia exhiberi debent. Ex terreis pulvis chelarum cancr. optimum eſt remedium in alcohol. converſus, aliàs pulvis terreus craſſior lædit delicatula corpora, aut integer cum fæcibus rurſum excluditur. Huc potiſſimum referendæ fæculæ rad. ari, bryoniæ &c. quæ optimæ hoc in caſu & pro puerulis ſunt, hinc non planè rejiciendæ. Adhibenda etiam ſunt alcalia fixa in minori doſi, ol. tartar. per del. ſi aliquot guttulæ in potiunculis exhibeantur. Cum autem dolores nimium urgeant, ſymptomati huic urgenti occurrendum, pro quo ſcopo opiata quidem optima ſunt, tamen in minima doſi, facillimè enim læduntur aliàs. Cum facile opiatis aberrari poſſit potius blandiora & papaverina recipiantur, proſtat hinc ſyrup. papap. albi, ad ʒj. in potu dabilis. Clyſmata parentur vel ex demulcentibus acorem, aut ex anodynis tantum, v. g. lac cum papav. capit. decoctum aut ſtimuli loco ol. tartar. per del. vel cineres vulg. addi queunt. Monendum ſimul, ſemper calorem externum eſſe conciliandum, cum leviſſimum frigus noceat, quæ ſi advertantur, ſæpe feliciter graves morbi in pueris curantur.

PARTIS SECUNDÆ FINIS.

PARS III.
OPERUM
D. Chriſtiani Johannis Langii.

CONTENTA PARTIS IIItiæ.

Diſput. I. Homo Aerometrum.
II. de Animi Commotionum vi Medica.
III. - Mortuis ex animi commotionibus.
IV. - Apoplexia.
V. - Morbo Caduco.
VI. - Cephalalgia.
VII. - Remediis Antodontalgicis.
VIII. - Odoratu ejusque læſionibus præcipuis.
IX. - Sternutatoriorum uſu & abuſu.
X. - Guſtu.
XI. - Loquela.
XII. - Loquela Hominis læſa.
XIII. - Reſpiratione læſa.
XIV. - Pectoris Affectibus atque Remediis.
XV. - Cordis Palpitatione.
XVI. - Circulatione Sangvinis.
XVII. - Hæmorrhagia.
XIIX. - Remediis Sangv. ſiſtentibus.
XIX. - Sangvinem purificantibus.
XX. - Anorexia.
XXI. - Atrophia.
XXII. - Anthelminticis.

Diſput. XXIII. de Remediis Stomachicis.
XXIV. - Pituita p. n. ejusque Cura.
XXV. - Hydrope.
XXVI. - Ictero ex Paſſione Hyſterica.
XXVII. - Febre Petechiali.
XXVIII. - Febre Petechiali Epidemica.
XXIX. - Chinæ Chinæ Virtute febrifuga.
XXX. - Phlegmone.
XXXI. - Pleuritide.
XXXII. Valetudinarium Peregrinantium.
XXXIII. de Lapide Manati.
XXXIV. - Cochinilla.
XXXV. - Natura & Differentiis Antacidorum.
XXXVI. - Remediis Vulnerariis.
XXXVII. - Herniis Inteſtinal. & Omental.
XXXVIII. - Sterilitate.
XXXIX. - Menſium Suppreſſione.
XL. Virginum Valetudinarium.
XLI. Valetudinarium Gravidarum.
XLII. de Manuali operatione Obſtetricantium in partu difficili.
XLIII. - Officio Medici in Partu difficili.
XLIV. Valetudinarium Puerperarum.
XLV. de Recens natorum Regimine.
XLVI. - Requiſitis Bonæ Nutricis.
XLVII. Valetudinarium Lactantium.

DISPU-

DISPUTATIONUM LANGIANARUM

Prima:

HOMO AEROMETRUM.

L. B.

PLurima qvanqvam pectora futili alantur perſvaſione, per qvam vix commode amplius ſentiant, qvam ut ejus farinæ molimen, qvod firmiori jam nexu tero, vani exiſtiment finis, cum Diſſertationes fere nullum aut ſane parvum uſum fundere Sinubus, imo iisdem prolixum tempus conteri dicant. Aſt confuſum illorum judicium hic loci annihilare, mearum non eſt partium, firment ſuas opiniones (qvibus tamen plerumqve fallimur Mortales) qvocunqve velint fundamento, ſufficiet mihi ſtudiorum meorum magis perpenſa ratio, ut illi nunc temporis incumbam labori, qvem dudum à me debita exegit obligatio. Licet vulgaria me ſcribere alii reputent, aut minus congrua delicato qvorundam exponere palato judicent, illis meam exinde reſolvo fidem, Neminem reperiri in terrarum orbe, qvi omnibus ſatisfacere valeat, hinc neqve id mihi peritura mortalitas ſuperaddidit, excellentiori ut me explicem Spiritu. Hodiernum Seculi Genium non ad qvamvis normam æmulandū cenſeo, qvamvis plurimos hodie vincat animos, niſi in hoc, ut aliorum veſtigia, qvos usqve optimæ mentis æqvus condecoravit character, premere, & politiorum Ingeniorum accenſas faces ſubſeqvi, qvamvis titubante greſſu. Hominem igitur me reputans, i. e. labentem, Hominem Aerometrum etiam aptisſimo pro themate ſeligere duxi, ſed forſan fallor, qvod ſi contigerit, errorem excuſabit ipſa erroribus obnoxia Humanitas, qvæ ſe exactam minime novit, qvousqve terreno fruitur aëre. Non vereor Hominem in præſentiarum Aerometro adæqvare perfecto, imperfectus qvanqvam ipſe ſim molimini. Præeuntem hoc in paſſu conſecutus ſum Celeberrimum *Foucher in Tr. ſuo gallico des Hygrometres ou Machines pour meſurer la Secherejſe & l'Humidite de l'Air p. 4.* hominem Conclavi Hygrometris, Barometris & Thermometris repleto aſſimilantē, eam ob cauſam, qvod per differentem aeris diſpoſitionem ſuas patiatur affectiones. Hiſce perpenſis non retardavi ſtylum, qvin corpus mortale, qvod eſt caducum, fragilioribus comparem Machinis, dictis nempe Thermometris, Hygrometris atqve Barometris, in qvibus tam efficaci valore operatur aer, qvi noſtris oculis alias minime conſpicuus. Cœleſtis interim divini Numinis Aura imperfectis noſtris viribus perfectisſimum ſuum afflet Spiritum!

§. I.

CUm usqve laudabile ſit Mores Majorum probatiores æqvis æmulari ritibus, haud inconſideratè hîc loci me agere duxi, ſi maturioris cognitionis ergo in principio ſtatim hujus Diſſertationis, qvid Aërometrum dicatur, in propatulum ſiſtam, illudqve per datam Etymologiam, Definitionem ac Deſcriptionem accuratius explicare contendam.

Etymologia.

§. II. Nucleum aſt ut cernimus proſilientem, rupturâ dum cortex ſolvitur, ita cum Aërometrum vocabulum græcum eſſe percipimus, compoſitum ex ἀὴρ äër & μέτρεω metior, ſtatim pateſcit, Inſtrumentum hâc indigitari voce, qvod aëris qvalitates metiatur demonſtretqve.

Deſcriptio.

§. III. Clarius ut loqvar, Aërometrum eſt Machina, qvæ nobis Calorem & Frigus, Humiditatem & Siccitatem, Gravitatem & Levitatem Aëris indicat. Imo breviori ut penicillo, qvod Res ſit, detegam, Machina eſt compoſita ex Thermometro, Hygrometro & Barometro, prout ſub hoc nomine Excellentiſſim. Sturmius talem nobis ſiſtit *in Colleg. experim. ſeu curioſo P. II. Tentam. XIII. P. 224.* Et licet hoc ipſius inſtrumentum ex binis tantum tubis vitreis, altero, mercurio vivo, altero, alio qvodam liqvido repletis, aſſeribusqve duobus aridis ac poroſis componatur, & ex hinc omnino ſit inanimatum, nihilominus nullus dubito, Hominem his qvoqve accenſere Machinis, illumqve Aërometrum conſtituere, qvin tenaciter adſtruam.

§. IV. Superfluum vero opus ducere calamus opinatur, prolixioribus exponere monumentis, qvid ſit homo, cum neminem mortalium lateat, humanâ niſi qvi caret mentis trutina, animal illud rationis plenum ſubintelligi: Nihilominus cum omnium Philoſophorum conſenſu ex partibus duabus eſſentialibus dictum hoc componatur animal, ex anima puta immateriali & materiali ſubſtantia, ſubito innoteſcit, qva principium immateriale Hominem non poſſe dici Aërometrum, ſed tantùm qvà principium materiale, qvod uno dicitur verbo, Corpus, & præeunte Hippocrate rurſum diſpeſcitur in partes tres, continentes, contentas & impetum facientes, qvæ Galeno ſolidæ, fluidæ, ac ſpiritus audiunt.

Ex qvot partibus homo componatur.

§. V. Haud tamen eſt animus de ſingulis hiſce partibus ex profeſſo in præſentiarum diſſerere, mihi ſatis erit dicere curioſam illarum conformationem & nexum eſſe talem, ut Corpus Machinæ ſit qvam perſimile, imo exacta Machina dici mereatur. Dudum id comprobavit illuſtri Schemate Illuſtrior *Des Cartes in tractat. de Homine & paſſim*, corpus noſtrum terreæ comparans ſtatuæ, qvâ extrinſecus figura & colores Membrorum, intus vero Oſſa, Nervi, Muſculi, Arteriæ, Stomachus, Jecur, Cor, Cerebrum, partesqve omnes ita obſervantur poſitæ, ut ex illarum organicâ fabricâ greſſus agere opportunos, Spiritum ducere vitalem, reliqvisqve muniis præeſſe valeat. Non abludit ab hac opinione clariſſimus *Theodorus Craanen*, ad mentem laudatiſſimi des Cartes, *tract. ſuo Medico-Phyſico de Homine, p. 4. & 5.* corpus ejus Horologio, ut Artificum vox ſonat, rotato adæqvans, qvod ex variis rotulis varie conſtructis & certâ ratione inter ſe ordinatis conſtet. Qvod enim in iſtis Organa Rotulæqve juxta ordinem diſpoſitæ, id in animalibus oſſa, muſculos, nervos, ſangvinem & ſpiritus præſtare dicit, ad elegantes illos in corpore excitandos motus.

Secundum qvam par[...] homo ſit M[...] china ex C[...] teſii & Cra[...] ſententi[...]

§. VI. Aſt cùm inter Αυτόματα ſeu horologia hæcce rotata & animalia occurrant diverſa, inſignem diſparitatem oſtendentia, imprimis vero abſit in his Motor ille rotarum, in Machinis, qvibus ſolicita Ars admiranda dedit incunabula, dependens, nunc à lamellâ chalybeâ in Spiram qvaſi circumflexa, parvoqve incluſa tympano, nunc à pondere appenſo graviori, *vid. Franc. Eſchinardus tr. de impetu p. 119.* qvi uterqve impetus, ut Artifices loqvuntur, temperaturam reiteratam eamque ut plurimum poſtulat qvotidianam, in dubium haud inane ab aliis hæc animalium & Horologiorum vocata eſt æmulatio.

In qvo di[...] rant Hom[...] Machin[...]

§. VII. Auſus eqvidem eſt illum impetum in Machinis animatis adeo ne-

...nii opi- ...motu ...alium ...ario.

neceſſarium qvoqve exactius, ſi valuiſſet, demonſtrare *citatus Craanius*, alimentum, qvod aſſumtum & fermenti ope in chylum, Sangvinem & Spiritus, tandemqve nutritivam materiam fuit converſum, ſubſtituens. Hoc ipſum enim, *loc. cit.* inqvit, ſeſe habet ut pondus horologio appenſum; *niſi enim* „*novum alimentum ſubſtituatur in* „*concocti locum, nec novus chylus ad* „*Sangvinem pellitur, nec novi generan-* „*tur Spiritus, nec nutriuntur partes,* „*nec moventur Muſculi, ſed corpus im-* „*motum cadaveris inſtar potius jace-* „*bit, eodem modo ac horologium non* „*monſtrat horas, ſi pondus ad planum* „*deſcenderit ſolum.* His tamen non obſtantibus qvomodo cum motore illo ſeu impetu horologiorum alimenta noſtra conveniant, dubio adhuc intueor vultu. Non enim dixiſſe ſufficit, Chylum, Sangvinem & Spiritus tenere locum ponderis, aut Spiræ chalybeæ contortæ ſubire vices, debuit & qvoqve concordans cum ipſis Mechaniſmus, ſi non exactè, tamen qvodammodo reſpondens demonſtrari.

...s no- Machi- ...draulico ...natica.

§. VIII. Propius igitur ad veritatis metam allapſi mihi videntur illi, qvi Corporis noſtri Machinam hydraulico-Pnevmaticam ſtatuunt, impetumqve ſic omnem vel ab humoribus continuo motu circumpulſis, vel ab aëre tam circumambiente, qvam intra corpus hærente, juxta ac à Spiritibus animalibus, derivare nituntur.

...inarum ...ulico- ...natica- ...eſcriptio.

§. IX. Clarius qvo pateat aſſertum, examinare paululum liceat Machinarum Hydraulico-pnevmaticarum conſtructiones, motionumqve illarum cauſas: de qvibus ex profeſſo agunt *Hero Alexandrinus, qvi græco idiomate edidit libellum de Spiritualibus*, à Federico Commandini latinitate donatum, *Athanaſius Kircherus in arte magnetica, de lumine & Umbra, de Conſono & Diſſono, & Oedipo ægyptiaco, Schvvenderus & Harsdörfferus in Deliciis mathematicis, Joh. Bapt. Porta tractat. de Spiritualibus, Caſparus Schottus*, qvi ex his aliisqve pluribus ſuum congeſſit tractatum elegantiſſimum, cui titulus *Mechanica hydraulico-pnevmatica*, & deniqve *P. Franc. Tertius de Lanis Tom. II. Magiſterii Naturæ & Artis &c.* Teſtantur autem illi omnes ore communi Fabricam ſeu Mechaniſmum harum machinarum unice in diverſis qværendam eſſe tubis, intra qvos Aqva vel à propria ponderoſitate, vel ab Aëre ſimul concurrente protruditur atqve urgetur.

§. X. Tubi vero hi uti diverſi ſunt, h. e. nunc recti, nunc inflexi, rurſumqve erecti aut inverſi, æqvalium aut inæqvalium crurum, capacitatis ejusd. aut diverſæ, &c. ita proprietatibus gaudent peculiaribus, motum Aqvæ alium aliumqve admittentibus. Hinc fit in Tubis erectis, qvod Aqva in qvantum deſcendit per unum Siphonis crus, tantum iterum aſcendat per alterum, & in inverſis per Siphonis crus longius celeriori prolapſu fluat Aqva, qvam per breviores, utut eodem ſive æqvali gaudeant orificio. Vis autem impellens illa ſeu movens eſt, uti dictum, vel Aqva ſolum vel Aër incumbens aut admixtus, utpote è qvorum principiorum, vel gravitate naturali, vel elaſticitate omnis hic unice dependet effectus.

§. XI. Luculentius ut pateant hæc omnia, qvid Gravitatis & Elaſticitatis veniat titulis, poſtmodumqve an conditiones illas in dictis deprehendamus principiis, æqviſſime debet exponi. Qvoad prius, intelligitur Gravitatis nomine, ſi eam, qvatenus ſubjectis inhæret, conſideramus, Preſſura ſeu Conatus tendendi verſus Terraqvei Globi Centrum, & per Elaſticitatem intendo vim illam, qvâ corpus aliqvod compreſſum, adqve dimenſionem minorem redactum ſe explicare nititur, imò verè explicat, remiſſo paululum prementis impetu. *Qvid Gravitas ſit & Elaſticitas?*

§. XII. Qvod alterum autem concernit Aqvæ gravitatem ineſſe, haud opus videtur probatione: ſi enim fluidi hujus copia in Vaſe aliqvo congeratur, non ſolum premi Vaſis fundum, & ſi tenuioris fuerit materiæ, plane diſrumpi, verum qvoqve ſi onus hoc capiti vel humeris imponatur, Tendentia ejus deorſum ſive gravitatio ſenſibiliter notari poteſt. Nec difficilius Gravitas Aëris demonſtranda, ſi ad ſtateram examinetur Veſica vel Vitrum aëre plenum, utpote in qvibus *An aqva & aëri inſit gravitas?*

pondus eſſe auctum, lanx ad oculum ſiſtit præponderans. Preſſionem vero exinde oriundam confirmant cohæſiones Hæmiſphæriorum Magdeburgicorum, duorumqve marmorum politorum, Ruptura Lagenæ vitreæ qvadrangularis epiſtomio Machinæ pnevmaticæ impoſitæ, Antliæqve ſuctu aëre privatæ, ut alia nunc egregia taceam experimenta *ab Othone Gvericke, Boyleo, aliisqve* adducta.

Elaſticitas aëris probatur.

§. XIII. Sed Elaſticitas qvoqve Aëris nunc comprobari poteſt. Coarctari igitur poſſe Aërem, evincere valet *Campana urinatoria à Georgio Sinclaro Arte magna & nova Gravitatis ac Levitatis lib. 2. dialog. 5. deſcripta*, qvæ undis perpendiculariter immerſa, Virum intra ipſam collocatum, ab aqva irruente ita tuetur, ut ad notabile ſatis temporis ſpatium in fundo Maris reſpirare qveat, de qva curioſitate adeat qvis *Clariſſimum Sturmium in Coll. experim. part. I. & II. Tentam. I.* qvi, qvo clarius Orbi demonſtraret dubitanti, in qvantum Aqva intra campanam aſcendens comprimat Aërem, plumbeæ campanæ loco ſubſtituit vitream, ſicqve judicio eleganti hæc omnia qvæ viſum antea difficulter credulum fugiebant, exponit. Idem probatione firmiori oſtendunt Sclopeta illa pnevmatica vulgari parata methodo, aliæqve plures Machinæ cunctis notiſſimæ.

Atmoſphæra noſtra jam inſigniter compreſſa eſt.

§. XIV. Nullum igitur ſupereſt dubium, expanſum Aërem in minus cogi ſpatium poſſe. Sed abſurdum videbitur, ſi ulterius Aërem Atmoſphæram noſtram conſtituentem jamjam inſigniter compreſſum eſſe dixero. Nihilominus ſi Veſicam urinariam qvodammodo inflatam, vel ad imitationem Boylei vitrum aſſumamus capacitatis exiguæ, cujus collo arctè eſt alligata Veſica exactè complicata, eamqve ſuſpendamus in pnevmatica Machina Antliæ ſuctu evacuandâ, tum ita ſe expandere tantillum illud Aëris comparebit, ut rupturæ veſicarum præcoces imminere videantur, certò ſubſecuturæ, niſi Aërem ulterius evacuare deſiſtas.

§. XV. Patet nunc ſufficienter, qvomodo ab Aqvæ ac Aëris Gravitate non minus ac elaſticitate, inſolens iſte in Machinis promoveri poſſit Aqvæ ſaltus. Ne verò, utut ſatis rectè omnia ſeſe in iſtis habeant, qvis periclitetur dubius, num qvæ de illarum conſtructione tubuloſa graviqve ac elaſtico motus principio dicta ſunt, ad hominem etiam aliaqve animalia applicari poſſint, è re erit, apparatum hunc omnem in animalibus tam rationalibus qvam mente deſtitutis nunc qvoqve planius ad reqviſitam deducere normam.

Conſtruct. Machinæ ... draulico. Pnevma. animant. ... plicat.

§. XVI. Compagem Solidam Corporis animati maximam partem eſſe tubuloſam, olim jam *Hippocrates* cognoviſſe videtur, ideoqve permeabile & perſpirabile illam aſſerens. Aſt & *Recentiores* ſententiam hanc venerandi noſtri Senis firmiſſimis præterea rationibus non minus qvam experimentis comprobarunt. Cum enim ad qvascunqve partes ſingulis diebus nutrimentum deveniat ſpecificum, neceſſariò vias adeſſe peculiares videtur ſeqvi ad iſta loca ducentes. Et qvamvis nudos fugiat oculos in plerisqve partibus hæc tubulorum anguſtia, hoc tamen non obſtante, ſi microſcopiis armentur affabrè elaboratis, uti ſunt *Notiſſimi Levvenhockii* (qvibus tamen uti non niſi albæ Gallinæ filiis licet) aut *Muſſenbrockii*, aut deniqve *Jonæ Mallings Artificis ingenioſiſſimi Londinenſis*, non in Angvillâ ſolùm & Lacertis aliisqve piſcibus pluribus ſqvamis deſtitutis rapidiſſimus ſangvinis per caudæ fibrillas motus peridromus, verum in pediculis qvoqve exiguiſſimis, qvomodo in illorum pedibus pellucidis intra vaſa circulentur humores, obſervari conceſſum eſt. Qvodſi verò patentiores paululum tubuli illi fuerint, qvales in Vaſis ſangvineis, lymphaticis, canaliculis renalibus, inqve fibris occurrunt carnoſis, longè minoris ad demonſtrandos illos erit laboris opus. Nam vel ceræ coloratæ aut Mercurii vivi, aut Tincturarum qvarundam injectiones per Syringas accommodatas ſatis detegunt ipſos, prout *Schvvammerdam in Miraculo naturæ, Nuckius in Adenographia, Malpighius de renum ſtructura, Blancard in Appen-*

...ſtration... pagis tu... ſa.

Microſc... humorum... xum in... la caud... pedibus... culi eſſe... tia.

Appendic. ad Anatomiam ſuam practicam docuere dudum.

[...]tione [...]ris. §. XVII. Demonſtrato tubuloſo Apparatu Machinis hydraulico-pnevmaticis reſpondente, contemplemur nunc, num etiam Motor ſeu impellens ejusmodi occurrat. Sane Aquæ loco non ſolum ſe ſiſtit Sangvis à cordis machina in circulum, quam diu Spiritum ducit animal, propulſus, verum etiam in ſuis vaſculis ſeorſim fluctuans occurrit Lympha; neque deficit Aër, nam quaquà verſum te vertas, ſemper externum hoc fluidum corpus tuum cingere illique incumbere notabis. Non dicam quod aſſiduâ ſine reſpiratione, in qua nunquam non aëris copia Sangvini per pulmones fluenti additur, ne per tantillam temporis intercapedinem vivere valeamus. Hac etenim via Spiritus quoque corporis noſtri in exercitio functionum debilitatus, & per excretiones tam ſenſiles quam inſenſiles conſumptus, auxiliares obtinere copias, Sangvinemque effœtum è toto corpore per Cordis ventriculum dextrum Pulmonibus allatum, denuo vivificari, mihi firmiter habeo perſvaſum; minime tamen exinde alteram illam activi hujus principii reſtitutionem, ex alimentorum ſubtilioribus dependentem particulis, excludens.

§. XVIII. Sic ratiocinantibus nobis ſatis abunde eluceſcit, Corpus noſtrum Machinam eſſe hydraulico-pnevmaticam, quam aſſertionem lubenter deduximus fuſius, quam par videbatur ac æquum, dum ſupra illam, tanquam firmius jactum fundamentum, ſtructuram Diſſertationis noſtræ erigere, Hominemque eſſe Aërometrum, h.e. Machinam ex Thermometro, Hygrometro & Barometro compoſitam, firmare decrevit animus.

§. XIX. Ad examen vocabimus primo *Thermometrum*, aliis ſub titulo *Thermoſcopii* datum, *hoc eſt inſtrumentum illud, quo majores minoresve caloris aerei diſtingvuntur gradus.* Hujus autem ut plures ſunt formæ, ita quoque diverſi in illis notari queunt effectus. *Tres ejus communiter traduntur ſpecies*, è quibus duas tantum adducere mens eſt. *Primum* appellant *Belgicum*, quod conſtat ex tubo vitreo gradibus notato, ſphærulaque cava in parte ſuperiori ornato, qui liquore quodam colorato ad extremum usque repletur, inverſusque vaſi aperto æqualem aſſervanti liquorem immergitur, ita ut ad mediam pene tubi partem infuſus antea liquor rurſum effluat. Hoc in tubo liquor ad calorem externum decidit auctum, ad frigus ſe contra gradatim verſus ſphærulam elevans. *Alterum Florentinum* audit, conficiturque ex globulo vitreo tenui inſtructo collo, quod pro lubitu in gradus diſtinguitur diverſos. Phiolam hanc ad ignis flammam probe calefactam quoad orificium Spiritui vini rectificatiſſimo immittunt, coloreque rubro vel flavo tincto, atque hâc arte ſphærula refrigeſcente, liquoris aſcenſus, globulique totius ac tubi quoad maximam partem impetratur repletio, quo viſo, externum oſculum hermetice clauditur. Effectus Thermometri hujus priori plane contrariatur; nam ſi collocetur ita, ut globulus petat fundum, ſemper ad calorem externum excedentem aſcendit ſpiritus vini, & per gradus deprimitur ad frigus. Plura ſi quis de Machinis hiſce cognoſcere ambit, adeat *Excell. Sturmium in Coll. experim. part. I. & II.* Ingenioſum *Mariottum in tract. gallico, du Chaud & du Froid.* expertiſſimum illum Conſiliarium regium *Petit Diſſertations Academiques ſur la Nature du froids & du Chaud. p. 108. ſeqq. & Tractatum, qui ſine autore Moguntiis germanica prodiit in lingua, ſub titulo:* Abhandlung dreyer ſo nöthig/ als nützlichen Inſtrumenten/ nemlich des *Barometri, Thermometri, & Hygrometri.*

Thermometra Belgicum

§. XX. Stupendi aſcendentis deſcendentisque liquoris gradus, Mortalium animos, in ancipiti qui utplurimum hærent gradu, in id deduxere admirationis genus, ut anxie quærant, quæ Cauſa hujus effectus adeo ſit curioſi? quibus facile tamen ex antea de gravitate & elaſticitate dictis enucleabitur dilucidatio. In priori

Cauſa effectus hujus curioſi.

ri ſcil. Thermometro vis aëris externi incumbens ſuperficiei vaſis aperti, pro ſua gravitate, quæ augetur in frigore & in calore deficit, nunc premendo dictum liquorem in tubo hærentem, ut altiora petat, adigit, & ſic contrarium quoque effectum calor ſua efficit rarefactione, dum recedit à liquore dicto. In Florentino autem effectus plane priori contrarius aliud agnoſcit fundamentum, cum enim accurate ſit clauſus vitreus tubus ſpiritum vini detinens, rareſcit hic à calore, vincitque elaterem aëris interni exiguum, adeoque ad altiora vergit, & verſa vice condenſato à frigore Vini ſpiritu Aër incarceratus potentiam ſuam majori exercet niſu, hinc cadit deſcenditque liquor.

Convenientia Thermometri cum corpore ratione ſtructuræ.

§. XXI. Non vero prolixe detegam, quibus hoc utrumque Thermoſcopium inuſtum ſit nævis, & quamobrem in menſurandis gradibus calidi juxta ac frigidi non ſemper reſpondeant accurate. Convenientiam potius Thermometri cum corpore oſtendam humano, ubi ex præmiſſis iterum repeti duco, (1) Tubulos in corpore noſtro infinito numero collocatos, humoribus ſemper plus minus tamen activis ac mobilibus eſſe infarctos. (2.) Aërem non ſolum undiquaque iſtos circumambire tubulos, ſed ſangvini quoque tempore reſpirationis admiſceri ſufficienter. Adſunt itaque in homine tubi continentes liquorem, liquor replens tubos, & aër tam admixtus liquori, quam ipſum premens, unde igitur hæream hominem appellare thermometrum?

ratione effectus & (I) quidem ratione Caloris.

§. XXII. Sed ut eundem adeſſe quoque effectum, nec ſola meum hoc effatum inniti ſpeculatione demonſtrem, ad calorem provoco ſive naturalem, qualis ſolenniter in noſtro climate æſtate & diebus deprehenditur canicularibus, vel magis arte factum, qualem fornaces ex lignis in illis accenſis hyemali de ſe mittunt tempore, à quibus ad turgeſcentiam plus minus manifeſtam cunctos diſponi humores nemo facile ignorabit. Notanter dixi ad turgeſcentiam plus minus manifeſtam, ita enim quædam ſubjecta ſunt comparata, ut vehementem impune perpatiantur æſtum. Loquor hic potiſſimum Indos, Arabes, Mauros, & qui in illis locis calidisſimis paſſim poſuere ſedes, Hiſpanos, Luſitanos, Batavos, Anglos, ac Gallos, quibus annumerari queunt ruricolæ noſtrates, qui æſtus ſolaris his in oris ſæpe extremi, à jubaris hujus calentis ortu usque ad ejus occaſum, ſunt patientisſimi.

Cura a... nullis... impun... ſit to...

§. XXIII. In Phænomeni hujus rationes ſi inquiramus, putarem primario in ſangvine latitare illas. Prout enim liquor intra thermometri tubum hærens craſſioris aut tenuioris eſt texturæ, ſic quoque motus ejus tardus aut velox deprehenditur, & hinc etiam talia caloris frigoriſque habentur indicia. Simili modo ſangvinis intemperiem in his ſubjectis ob tranſpirationes immoderatas nimis ſpisſam, tardius difficiliusque ad expanſionem & Symptomata illa producenda diſponi poſſe ſuſpicor, inprimis pluribus cum artificiis ſemper nominatæ gentes fervori Aëris immoderato obviam ire ſoleant. Qui enim ſub dio ambulant, umbracula ſoli opponunt tutiora. Dormientibus Dominis ſervi adſtant flabellis exagitantes ventum, pluresque de die abditis ſe abdunt ſpeluncis, & in hypogæis frigidæ aquæ mentotenus immerſi hærentes blandum capiunt ſomnum, aut mitiori indulgent otio, nocte vero ſurgentes negotiis ſuis præſunt debitis, & mercaturæ vacant conducibili. Meſſores vero noſtri & fœniſecæ ſudore perfuſi circa meridiem fervorem ſolis fugientes in umbroſis deſident collibus, frigidumque aquæ potum ad ſatietatem hauriunt. Hæc ſi negligant remedia, præſentaneum ſæpe vitæ incurrunt periculum, inprimis Indi. Referunt enim hiſtoriæ prope Ormuziam totum exercitum auræ talis fervidisſimæ ab arenoſis deſertis afflatu miſere ſuffocatum periiſſe, nec non peregrinantes in ipſo itinere à vehementi ſolis æſtu concidere & exſtingvi frequenter.

§. XXIV.

is au-tum in rema-tabile. §. XXIV. Sed redeamus è latiori diverticulo iterum ſtratam in viam, ulterius comprobaturi homines æmulari thermometra. Fateor vero ultro, quæ nunc ſum allaturus, caloris aucti teſtimonia in vulgaribus haud notari inſtrumentis, verum tantum in machinis noſtris, utpote ex tubulis tenuioris longe texturæ compoſitis ſimulque ſentiente principio inſtructis. Unumquodque igitur ſubjectum felicius in ſemetipſo calorem externum percipiet auctum, quam oculis illum attingimus in vitreis tubulis. *anxie- inde ndam* Primo autem Anxietas aliqua oritur corporis, dum turgeſcentes per univerſam ejus compagem humores cunctos extendunt tubulos, ſæpiusque diſrumpunt illos, unde ſenſus iſte oritur triſtis, aut hæmorrhagia excitatur *udores* moleſta. Augetur deinde tranſpiratio & ex inviſibili emergit ſatis viſibilis, corpus ſub ſudoris forma largiter irrigans, quatenus nim. ad glandulas miliares evocatus Sangvis ſuas in illis ſuperfluas deponit ſeroſitates. Magis tamen prorumpere ex his organis ſemper notamus ſerum, quo major antea ingurgitata eſt potus copia, vel ipſe ſangvis aquoſitate turget, vel glandularum pori patentioris ſunt aditus.

itim. §. XXV. Aſt leves hæ ſunt moleſtiæ, vix ideo a nobis, impr. cum aliis rebus implicita mens eſt, obſervantur. Graviora tamen ſunt ſitis, tam ex profuſione ſeri, quam anxietate protracta ſumens ortum. Non equidem diffiteor illis, quibus ſtatim ad manum eſt potus, haud adeo moleſtum eſſe hoc ſymptoma, leniunt enim dolorem illum, priusquam ſævire acriter & omnino moleſtus eſſe incipit. Aſt quæſo interrogato illos, calente qui cœlo iter facere, aut hypocauſto extreme calefacto incluſi ſine potu tenentur exoptato, indicabunt ſanè miſeri hi, ſitim paſſionem eſſe longe diriſſimam & cruciatum, qui omnes alios ipſasque unde proficiſcitur cauſas vincat. *Conf. omnino Clar. Nicol. Joh. Pechlin. in obſ. l. 3. obſ. 39.* ubi pluribus ponderoſioribus verbis miſerrimam deſcribit conditionem, qui ſiti diutius vexantur, aut ex illo Symptomate mortem oppetere coguntur diram.

§. XXVI. Comitantur Sitim moleſtiæ auctæ in dolores ſæpius ſatis exquiſitos nunc vagos nunc fixos abeuntes. *4) ob ſymptomata Sitis aucta & caloris.* Ceu enim modo monitum, ob nimiam humorum tumeſcentiam à calore rarefactorum tenues expanduntur canales, inque illorum fibris hærentes Spiritus ad motum aliquem diſponuntur præternaturalem, qui doloris dicti non ſolum, aſt quoque mox ſupervenientis æſtus ſive incaleſcentiæ primaria exiſtit cauſa. Hæc autem Symptomata inprimis in ſubjectis ſe ſiſtunt ſcorbuticis, ubi Salium copia in Sangvine præſens tam ad faciliorem & majorem expanſionem hunc diſponit humorem, reſolvendo ejus partem fibroſam, unde frequentes ac moleſtæ illæ Phlogoſes, quam *α) Phlogoſes ſc.* textura ſua inæquali ac aculeata fodicando ac vellicando partes dolorem adauget magisque intendit.

§. XXVII. Quodſi ſalina hæc Sangvinis acrimonia texturam ſuam amiſerit ordinariam, aliam magis cauſticam aſſumens, rurſum quoque à calore aëris excedente alia longeque pejora notare licet Symptomata, nimirum eruptiones & exanthemata diverſa ſæpiſſime ſatis periculoſa. *β) Exanthemata.* In vulgus eſt notum ab Atmoſphæræ calore, verno tempore aucto, ſcabioſas puſtulas, Serpigines, Tineamque capitis prorumpere copioſores longe, magisque pruriginoſas ac ſerpentes deprehendi, quo tempore utplurimum variolarum & morbillorum epidemice ſtatis temporibus graſſantium invaſiones, quamvis non adeo atrocioribus ſtipatæ notantur Symptomatibus. Quodſi vero anno creſcente calor quoque creſcat, quæſo, quam deteſtabiles ſe non aſſociant his morbis comites? adeoque peſſime omnino ægris adſtantes conſulunt juxta & Medici, qui morbis his decumbentes hypocauſtis ad modum Caldariæ cellæ calefactis includunt, & ſtragulis inſuper æſtuantibus penitus obruunt, ea intentione, ut morbifica cauſa tempeſtive ad exteriora vocata, viſcera nobiliora intacta relinquat deſeratq;. *Male ægrotantes hi in lectulos & calefacta conclavia includuntur.* Rectius ſane agerent, ſi media ingreſſi via *ad imitat. Sydenhamii de morbis acutis*

tis plane non lecto detinerent illos, externumque calorem ita temperarent providi, ut frigoris tantum avertatur impetus. Sufficit namque vitalis Calor morbificam excoquendo cauſã, ipſam ſolis medicamentis internis adjutus vincere qui capax. Id quod etiam notari poteſt de Purpura, Petechiis aliisque pluribus malignis efflorefcentiis,nim. ægros ipſis correptos in hypocauſti aut lectulorum undiquaque circumjectorum calore minime eſſe torrendos,ne ex intempeſtiva rarefactione, fluida illa corporis, malignitate imbuta, vitale obruant principium,illudq; miſere ſuffocent.

γ) Laſſitudinem

§. XXVIII. Sic in vivis his Thermometris vi caloris externi auctâ incluſi humores acres per tradita ſe produnt ſigna, quæ in ſangvinis ſpiſſitudine tam ex ſeri defectu, quam gelatinoſarum partium copia, alia rurſum ſunt penitus a dictis diſtincta. Audies enim tali humorum vitio laborantes de laſſitudine artuum totiusque corporis inſigni inſtituere querelas, quo enim magis ad rareſcentiam dicti diſponuntur liquores, eo minus per tubulos anguſtiſſimos vaſorum ipſarumque partium circulari poſſunt, unde poſtmodum ex defectu fluidi nutritivi æque ac vitalis deficere ac langveſcere incipiunt partes. Sed quoniam ex aliis in uſu ſex non naturalium rerum commiſſis erroribus hujusmodi laſſitudines frequenti contingunt numero, ne dubius propterea calidioris aëris effectus in corporibus, dicta ſangvinis dyſcraſia laborantibus maneat, percipi ulterius ille poteſt in aliis ex ſtagnatione ſangvinis oriundis morbis. Notamus enim in illis nunc palpitationem cordis, nunc difficilem reſpirationem, vertigines & Scotomias, nunc aurium tinnitum, nunc capitis dolorem &c. adeo,ut hujusmodi ſubjecta non niſi ægerrime moderatum ſolis aut hypocauſti, lecti vero calorem plane non ferant, inprimis ab illa volucris arcticæ lanugine, Eyderdhon/ excitatum, utpoteà quo ex tali cachexia dyſpnoeicos maxime offendi & vitiatam jam reſpirationem magis exaſperari *Pechlinus annotavit obſerv.p. 495.*

§.XXIX. Commemorari etiam hoc in capite debent inflammationes, quas frequenter vitio hoc ſangvinis concreti ex aëris calidioris contrahunt attactu, etenim cum nimis jam conſiſtentiæ craſſioris ſit ſangvinis Maſſa, circumambiente calore aucto inſpiſſatur non ſolummodo magis magisque,verum, ut patet ex antecedentibus, nimium accelerato ejus motu obſtruuntur vaſa, ex quibus tandem cauſis non ſolum hæc reſultat affectio, ſed febres non raro etiam generantur ſymptomaticæ.

δ) Inflammationes & febres ſymptomaticæ

§. XXX. Alio tempore etiamſi ſangvinis ſtagnatio atrocioribus his ſtipata ſymptomatibus minime ſubſequatur, nunc tamen præſto ſunt raucedines moleſtæ, nunc pertinaciſſimæ alvi adſtrictiones, nunc lactis in Nutricibus defectus. Novi egomet verbi divini Præconem, qui ſingulis annis æſtate media per aliquot ſeptimanarum ſpatium adeo clangoſa laborat voce, ut tunc temporis ipſi ad populum verba facienti non fluant ſolito more, ſed maximo cum niſu protruſa demum egrediantur. Nec infrequens in praxi occurrit obſervatio, multis, quam diu Syrius ardet, alvum officii penitus eſſe immemorem,adeo ut niſi Tamarindorum infuſo,Manna, prunorum decocto, paſſulis, clyſmatibusque demum ipſis ſuccurratur, etſi indies bibant edantque, quinque tamen dierum intercapedinem, imo latiorem quoque ſine alvi tranſigant dejectione. Quoad lactis defectum & ille ſolenniter promovetur ſudore, non ſolum in iis Puerperis, quæ natos ſuos fæminis aliis lactandos tradere ſunt aſſvetæ, verum quoque in nutricibus, quæ ſufficienter jamjam lacte educatos ab hoc depellere alimento ſibi ſumſere; ratio vero omnium una eſt, humorum nempe ab aëre calidiore conſumtorum nocuus defectus.

ε) Raucedinem

ζ) Adſtrictionem

η) Lactis Nutricum ac Puerperarum defectum

§. XXXI. Phænomena plura annectere valerem à calore progenita; chartarum aſt ratio hic eſt habenda, quibus concentrari ejusmodi cenſentur Diſputationes. Progredior itaque ad actiones aëris frigidioris in corpus noſtrum, illarum

cum

[…]nientia […]nometri […]orpore […]ne frigor[…] […]lum hu[…] […]s repellit

cum Thermometris convenientiam pariter demonſtraturus. Deprimitur etenim in Florentino Thermometro à frigore liquor incluſus, ſimile quod cernere eſt in noſtris corporibus, ſi frigus admittere cogantur intenſum. Venæ namque antea prominentes diſparent ſenſibiliter, nec qui intra tubulos carnoſos antea infarctus hærebat cruor reſiſtere potis eſt, hinc cum fœdo pallore rubicundus ille præſens antea partium color immutatur. Vacant autem periculo effectus illi, ſi debitè ſe & naturaliter habeant humores, nullumque aliud exin naſcitur incommodum, excepto, quod in interioribus locis coacervati motum illarum partium magis promoveant, unde in ſtomacho Orexis ac Bulimus & quandoque Lienteria, in inteſtinis ventris tormina & Diarrhœæ, in renibus & veſica mictiones naſcuntur frequentiores.

§. XXXII. Quodſi verò acrium humorum vitia ſub puſtularum aliarumque efflorefcentiarum forma in ſuperficie hæſerint corporis, majus nobis imminet periculum ex retropulſis ipſis, adeo ut ſolo aëre frigido in variolis, morbillis, Petechiis, Purpura &c. Apoplexiæ, convulſivi motus, ſexcentaque triſtia mala progerminent ſæpè extremo cum vitæ periculo conjuncta. Quapropter ſumma cum curâ peſſimam hanc malorum cauſam vitare cogimur, ac ſtudioſa defendere vigilantia ægrotantium horum anxia corpora immani ab ejus acceſſu. Hinc nec toralia, nec induſia ſecurè cum recenter lotis permutari queunt, quin ſæpius experientiâ confirmemur in praxi amiculum ægrorum corporibus addi ferale, ſolâ hâc lodicis ac interulæ algidioris intempeſtiva variatione.

§. XXXIII. Sic repulſione Humorum noſtrorum ad interiora, Thermometra nos eſſe, oſtendit frigus ex-

[…]lat par[…] coagulat,

ternum, evidentius tamen adhuc hoc ipſum comprobat coagulando fluidas noſtras partes. Equidem qui præcepta tradunt artificiales componendi has machinas, ad præcavendum hoc damnum imminens liquores tales immittere jubent vitreis tubis, qui frigoris morſus non ſentiunt, nec coagulari ſe patiuntur. Quæ cautelæ cum in Machinis vita præditis neutiquam obſervari poſſint, accidit crebrius, ut coagulationes humorum, obſtructiones tubulorum & rupturas brumali tempeſtate incurrant. Experitur hanc condenſationem omnium primo corporis noſtri ſerum, ſive tenuis Lympha rutilante nunc in ſangvine, nunc intra propria vaſa, nunc in glandulis vaſiſque excretoriis hærens, unde poſtmodum catharri generantur moleſti, qui pro loci, quem occupant, aliarumque circumſtantiarum diverſitate, Lippitudo, Ophthalmia, Tinnitus aurium, Coryza, Angina, Branchus, Tuſſis, Peripnevmonia &c. appellantur, de qvibus videri poteſt *Conradi Victoris Schneideri tract. famoſus de Catharris.*

& maximo lympham, unde morbi varii.

§. XXXIV. Manifeſta etiam frigoris efficacia in Pernionibus obſervatur, qvæ in partibus externis a ſangvine gelu tacto contingunt, hac namqve ratione ad circulationem ulteriorem ineptus factus cruor, intra vaſorum capillares extremitates ipſosque tubulos partium ſtagnans, tumores, moleſtos pruritus, fiſſuras &c. generat. His graviores adhuc ſunt phlyctenæ ſ. puſtulæ illæ, qvæ ideo hoc nomine inſigniuntur a Medicis, quod Phlyctenis ex ambuſtione excitatis haud ſunt diſſimiles. Naſcuntur illæ ex eodem cauſæ fundamine hyeme ſummâ, in iſtis potiſſimum ſubjectis, quæ per glaciem nivesqve coguntur ingredi, multoqve gravioribus ſtipantur doloribus, ac prioribus magis deprehenduntur rebelles. Ultimus intenſiſſimi frigoris impetus partium eſt mortificatio, utpote cujus morſu perinde ac à cauterio actuali aut medicamento alio cauſtico brevi temporis mora vitalitate privantur omni, imo quandoque plane reſecantur, & auferuntur. Ejus farinæ malum commemorat *Xenophon,* ſcilic. nonnullos è Perſide in Thraciam ſæviente aëris frigore iter facientes, poſt reditum naribus auribusque deſtitutos comparuiſſe. Simile quid *Cornel. Tacitus* de milite recenſet Romano, qui cum a lignatione rediiſſet ad diverſorium utrasqve manus à gelu ita conſtipatas habuit, ut oneri adhærentes ipſi fue-

ſangvinem itaque corrumpit

fuerint avulſæ. Et licet his noſtris regionibus rarius aut nunquam ejusmodi Tyrannidem & atrociam hyemalis frigoris perferre cogamur, nihilominus non infrequenter Gangræna & Sphacelus, Symptomata illa in extremitatibus excitantur peſſima, unde vel mutilantur ægri vel ſæpius interficiuntur miſerrimè, niſi celerrima medicamentorum applicatio proficuo adhuc fuerit ſolatio.

Dum partes externas corrugat, & dolore ac ſtupore afficit.

§. XXXV. Tertius Aëris frigidi effectus adhuc reſtare videtur, qvatenus nimirum partes organicæ ejus experiuntur ſævitiam, & nunc corrugantur, nunc ſenſu moleſto h. e. dolore & ſtupore ſimul afficiuntur exquiſito.

(1) Corrugatio

Corrugatio partium externarum eſt manifeſtiſſima, hinc cutem anſerinæ æmulam reddit non ſolum, ſed manus, pedes, digitos, totumqve ita coarctat corpus, ut chirothecæ, calcei, annuli, tunicæ, aliaqve veſtimenta aliâs has partes urgentia, cœlo rigente ſine moleſtia induantur ac geſtentur ex voto.

unde ratio cutis anſerinæ,

Nec alia cauſa enaſcitur, cur frigus effuſiſſimos ex tempore ſupprimat ſudores, & ſangvinis ſtillicidium per nares aut alia loca è veſtigio cohibeat; id quod fœminæ menſtruatæ & puerperæ recentes non rarò cum ſuo irreparabili experiuntur damno.

ſuppreſſa Hæmorrhagia,

Ex hoc principio qvoqve ætiologia eſt deſumenda, cur hyemalis algor lacrymas nobis invitis juxta ac ſerum è naribus eliciat humidis, alvumqve non minus quam veſicam ſolvat onuſtam, utut ſolum extremitates attigerit.

illacrymatio invita ſpontanea.

Nota eſt *obſervatio ex Braſſavola cap. 9. tract. de Purgantibus:* Triduana nempe alvi ſtipticitate laboranti Duci Ferrariæ ſvaſiſſe Michaelem Savanarolum, ut nudis pedibus ſupra pavimentum alabaſtrinum aqva frigida prius conſperſum incederet, tanto felici effectu, ut nondum qvinqvaginta paſſus progreſſo Principi alvus ſit ſoluta. Nec alia ratio eſt, qvod ſtragula qvis dormiens commingat inſcius, ſi ejus manus frigida ſubmergatur aqva.

Alvi ſoluta &c.

(2) Dolor.

§. XXXVI. Quodſi hæc fibrarum contractio nimia aut ſaltim in longum producta fuerit dolorem ſæpius perpeſſu difficilem gignere, res eſt in vulgus nota. Non proferam probationis loco ſummam illam frigoris impatientiam, qvalem *de Ludovico Saladino* refert *Theophilus Bonetus in ſepulchreto*, qui ad primum hyemis appulſum non domo ſolum, ſed & cubiculo omninò qvaſi carcere incluſus hærere cogebatur, adeo metuens frigidi aeris invaſiones, ut omnes hypocauſti rimas (quanquam tenſa aulæa parietes circumveſtirent) papyro glutine inducta obſtrui adhuc curaret, reditum veris & hirundinum ultimarum adventum exſpectans ſemper, priuſquam liberiori ſe committeret rurſum aeri.

Ludovicus [Sa]ladinus f[rigo]ris maxi[me] impatiens

Neqve illum commemorabo affectum, qvem *Willis pharmac. rational. part. 1. Sect. V. cap. 3.* ad frigus aptitudinem allegat, cujus hiſtoria à modò dicta frigoris impatientia parum vel nihil diſcrepat, niſi qvod depravata imaginatione & mentis aliqvali alienatione videatur ſimul laboraſſe adductus æger. Satis itaque mihi erit doloroſum illum pruritum adduxiſſe, qvem in manibus pueri ſæpe ſibi accerſunt ſub vulgi nomine **des kalten unter den Nägeln**: nivem dum molliorem duras cogunt in pilas. Nondum ſi ſuffecerit iſte, ad colicam provoco, cephalalgiam, dolores arthriticos aliosque lancinantes ex importuno refrigerio freqventer oriundos, qvæ tibi adhuc incredulo omnem ulterius dubitandi anſam facile eripient.

(3) Horr[or &] ſtupo[r]

§. XXXVII. Supereſt adhuc, ut de horrore & ſtupore tanquam frigoris ultima progenie faciam verba, qvæ eqvidem ſymptomata non minus antecedenter à cutis ac ſubjacentium Tubulorum contractione dependent, principaliter tamen afficiunt principium ſenſus & motus corporis noſtri, nam omnis Horror ſui generis h. e. perturbatus eſt motus, & ſtupor ſenſus Tactus læſionem aut abſentiam dat conquerendam. Quodſi enim nominata partium contractio ita eſt adaucta, ut non ſolum remora injiciatur humoribus & Spiritibus, verùm qvoqve, ut ſupra demonſtratum, retrocedentes gradus ſumere hæc fluida cogantur, accidit, ut ex ſpirituum vegeta ac elaſtica vi compreſſioni tali ſemper reſiſtente, veſtigia eqvidem

priora

priora motu repetantur integro, ſed frigore adhuc urgente rurſum qvoqve (…do pro- …ntur?) ejiciantur. Et qvoniam toties pari conatu & molimine remeant iterumqve reſiliunt, ex hiſce motuum reciprocationibus innumeriſqve ſpirituum fluxibus & refluxibus tandem tremula partium naſcitur concuſſio, qvam uno verbo nuncupamus horrorem. Aſt qvando hæc nervorũ contractio magis adhuc intenditur, penitus tandem excluduntur ſpiritus, & hinc illa inſenſibilitas, qvæ ſtupor dicitur.

§. XXXVIII. Aſt ſatis nunc de Caloris & Frigoris effectibus, qvorum ratione cum Thermometris convenire corpora noſtra dicere auſus ſim; neceſſarium eſt igitur nunc, ut qvoqve indagemus, qvo induſtrio jure Homo æqviparetur Hygrometro. Opus verò poſtulat ſtatim vocem Hygrometri accuratâ prius illuminare explicatione. (…metri …iptio.) Vocatur alias *Notiometrum, Hydroſ. Hygroſcopium*, denotatqve ejusmodi inſtrumenti genus, qvod variantes humiditatis & ſiccitatis in atmoſphæra emetitur gradus, ſive qvod aëris humidam temperiem & ſiccam detegit accurate. *Multiplex iterum hujus machinæ eſt fabrica*, adeoqve ne videar nimius, præcipuas ſaltim intentioni meæ faventes adducam ex Auctoribus, ſuprà, ubi de Thermometris, maximam partem productis. Incunabula ſumſere hæc inſtrumenta in Anglia, ut *Acta Philoſophica Anni 1675 referunt*. (…ores …gli.) Sed formâ, uti monitum, hodie exornantur diverſiſſima, ac apparatum non minus differentem & ex multifaria materia conſiſtentem nanciſcuntur. (…a fabri- …) Parantur enim ex fune qvodam ſimpliciore lineo, vel ex nervis fidium ſeu chordis, vel ex charta ſeu membranâ, ex pelle cervina, hircina aliusqve animalis, vel ex grani avenacei inprimis nigri ſylveſtris glumâ, tandemqve ex aſſeribus aridis poroſisqve, qvibus nunc orbiculus aut pondus appenditur, vel index adaptatur aptus acutiſſime conſtitutiones has aëris, qvamvis contrario paululum oſtendens modo. Etenim ſi funis (…itatis …a ope- …n fuxe …ibus, …ſtis a- …aceis.) aſſumatur lineus recenter contortus ab humiditatis inſinuatione corrugatur, & à ſiccitate elongatur. E contrario in fidium nervis pariter ac in aſſeribus ab humiditate relaxatio & elongatio, & verſa vice à ſiccitate conſpicua abbreviatio; ab ariſtis vero avenaceis chordiſqve contortis explicatio Spiralis contorturæ ab humido, & complicatio à ſicco aëris notatur ſtatu.

§. XXXIX. Tranſilirem limites mihi ipſi poſitos, pluribus ſi exponerem mea dicta, cunctaſqve variationes inſtrumentorum ac operandi rationes explanarem ſingulatim. (*Comparatio corporis cum Hygrometro*) Potius è re mea erit debita Hygrometri reqviſita & actionem aeris humidioris ac ſiccioris in corporibus noſtris demonſtrare potentem. Chordas adeſſe infinitas in corpore noſtro expanſas, nemo niſi peregrinus in anatomicis vel omnino Hoſpes neſcit; (*I.) ratione chordarum.*) hoc enim nomine comprehendi poſſunt non ſolum in nervis, tendinibus, membraniſve conſpicua in longitudinem extenſa filamenta, verum etiam qvi in muſculis, viſceribus ac vaſis occurrunt villi, licet in ultimo nominatis partibus aliam paululum aſſumſiſſe videantur faciem. In his itaq; fibris cunctis occurrere poroſitatem ſimilemqve ſæpius contorſionem, qvalem chordæ noſtro obtutui referunt, αὐτοψία docet. Inprimis ſi excellentioribus microſcopiis illuſtria viſus armentur organa, (*II.) effectus ab Humiditate producti.*) probat tamen & hoc aſſertum illarum extenſibilitas, qvæ niſi manifeſti adeſſent pori, fluido qvodam repleti, non inveniret locum. Laxatos hos proinde poros repens ſubintrare poteſt humiditas, ſive illa fluiditatis ſpecies, qvæ ratione ſuarum particularum nunc altius ingreditur texturam hanc, nunc obiter ſaltim adhæreſcit ſuperficiei, eamq; magis minusve humectat, fidiumq; ſeu chordarũ in modum relaxat.

§. XL. Hoc etenim in noſtri corporis fibris contingere adeoq; juxta illas cũ Hygrometris inprimis nos convenire palam eſt. (*Probatur lotricum experimento.*) Qvis enim neſcit cutim emolliri flaccidam manifeſteq; laxari, ſi aliqvandiu madidis ſubmergatur undis. Patentioribus experimur oculis hoc in lotricum aliorumqve opificum manibus laborioſis, qvi humida tractare coguntur linteamina, qvomodo ſc. integumenta illis in locis ſpongioſiſſima facta una cum calore naturali naturalẽ conſiſtentiam ſatis antea compactam brevi deponant momento. Lipis,

Clavorum

pis, ut in proverbio eſt, & Tonſoribus innotuit dudum moleſtos pedum clavos, aſperiores callos, verrucasqve ſæpe plus qvam cornea ſoliditate præditas intra ſemihoræ ſpatium ab aqvâ tepidiore poſſe emolliri, ita ut ungvibus abradi ſolis aut novaculâ facilè ſe patiantur removeri. Ex hoc fundamento Chirurgi etiam Embrocationes, fotus & cataplasmata Tumoribus adhibent emolliendis, non ſine ratione, ut plurimum vegetabilia mucilaginoſa ſubſtantiâ prædita ſeligentes, in qvorum catalogo occurrit Radix Lil. alb. Malvæ, Glycyrhizæ, Herbæ Altheæ, Mercurialis, Brancæ urſinæ, Atriplicis, ſemen fœnu græci & lini, farina fabarum, mica panis ſimilaginei & biscocti, qvo ab harum compedibus diutius ſupra partes ægras detineri valeat emolliens Humiditas.

ac Tumorum emollitione.

§. XLI. Qvodſi artus vel à luxatione aut alio nervorum morbo Atrophia & Aridura laborare incipiunt, ut ſingulare extollitur remedii genus à qvibusdam Practicis, ſi pecorum recens mactatorum abdomini vel ipſorum ſangvini adhuc fumanti illæ immergantur partes, inibiqve detineantur, donec refrigeſcant animalis demortui interanea, ſangvisqve coaguletur ater. Et qvamvis reſtitutionem è vitali illo blandulo noſtroqve ideò tàm amico deducant calore, felicius tamen mihi operandi rationem ex corrugatarum ac exſiccatarum partium vaporatione, & exin oriunda nervoſarum aliarumqve partium relaxatione derivari poſſe, perſvaſum habeo.

Nervorum ex luxatione contractorum relaxatione.

§. XLII. Nec flexiles illæ cutaneæ aliæqve nerveæ ac membraneæ partes tantū ab hujusmodi humidis emolliri ſe patiuntur, verum etiam ligamentoſarum ipſarumqve cartilaginearum textura apta eſt admittere humiditates, & molleſcere per illas. Adſtant loco documenti, ſola maceratione aut levi ebullitione ita ſæpe cartilagines præparantes coqvi, ut facili manducari negotio, intraqve debiles qvandoqve ſtomachi parietes haud difficulter reſolvi valeant. Aſt ne forſan ad ignis potentiam tantum hanc flexibilitatem his communicari partibus exiſtimes, in vivis etiam corporibus eam ſolis conciliari humectantibus poſſe,

Cartilaginum emollitione

per decoctionem,

Practici docent, ſcil. difficilis ubi partus in gravidis paululum adultis propter nimiam indurationem & cohæſionem oſſium pubis ac coccygis imminere augurantur, jubent ut inſtante partu balneo aqvæ dulcis immittantur, aut cum cupas ingredi commode neqveant, fomentationes ſaltim Decocti Altheæ, Meliloti, Sem. Fœnu græc. &c. *ex Sylvii Praxeos lib. 3. c. 7. commendatione* adhibeantur, aut Sacculus herbis, ſeminibus emollientibus infarctus, & per ferventem aqvam tractus ultimis ante partū menſibus, bis de die locis illis ſub decenti applicetur calore. Aſt non ſolum in externas & immediate ſub cute poſitas partes agunt hæc humida, transeunt etiam ad ipſa interanea, qvod docent excellentes illæ thermarum ac balneorum artificialium operationes, de qvibus infinita, ſi opus foret, experimenta poſſem adducere.

per inunnem ac bin partutibus.

§. XLIII. His præmiſſis comprobare non erit grave molimen, illam qvam humectantia recenſita nominatis partibus inferunt relaxationem, de aëre humidiore corpus noſtrum ambiente & penetrante etiam adſtruere. Laſſitudines ſane defluxiones & catharri ſupra jam in ſcenam producti, fidem tam luculenter faciunt dictis, ut nemo amplius de clarioris aſſerti veritate obſcuro premi poſſit dubio. Qvis enim qvæſo tam integræ eſt ſanitatis, qvi imbribus aſſiduè humum verberantibus dictis non vexetur Symptomatibus aliisqve pluribus ex illis enatis. Qvi ſolum uliginoſum ſeu paludoſum inhabitant, aut domiciliis ſubterraneis aut recenter muris cinctis, aut ſaltim hypocauſtis utuntur noviter calce inductis, qvas qvæſo non coguntur devorare moleſtias, qvibus febribus infinitisqve aliis affectionibus non tentantur ſolenniter.

Laſſitucatarrhinde poſſdedu

§. XLIV. Si ergò ex ſolo Humidi aërei attactu tantus naſcitur moleſtiarum exercitus, qvid non ſperandum à vitio hoc intra corpus ac viſcera adeo nobilia ſummeqve ſenſata admiſſo? Admitti vero aërem ad interiora patulos per cutis poros, doctrina eſt à maxima jam Medicorum parte conceſſa, attamen pororum ſi conformationem & qvomodo, obſervante *Malpigho Tr. de*

An aërac aqvporis inora poſneti

de Tactus organo, pelliculæ qvædã ſive valvulæ ad introitum pororum cutaneorũ ſint poſitæ, ſecum quis perpendat, hancaëris ad viſcera viam eſſe incultam ultro agnoſcet. Nec valet argumentum, ſi aquea aliaq; humectantia per hanc ad interiora feruntur viam, ac relaxare ſpaſmos aliasq; tenſivas tollere queunt moleſtias, uti modò dictum, ergo illuc etiam abire poteſt aër. Cernimus enim ad veſicæ ſuillæ aut ex alio animali deſumtæ cavum penetrare aquam, & per deliquium ſolvere intus concluſa Salia fixa, ſi undis ſubmergatur, quorſum tamen aër, licet humidiſſimus fuerit, nunquam penetrabit.

…dus Aer pulmones …oribus …unicatur.

§. XLV. Sunt alii, qvibus inprimis annumerari debet aliqvoties cum debito honoris præfamine *citatus Pechlinus obſerv. part. I. obſerv. 52.* qui ſuſpicantur, fluorem aqueum, quo vaſtus abundat aër in ſpongioſam pulmonum ſubſtantiam indeqve in cribra venoſa & ad univerſum deferri corpus. Probatur hæc opinio *Poterii obſervat. quæ eſt in ordine 62. Cent. II.* ubi narrat, virum qvendam portentoſa adeò correptum fuiſſe Diarrhœa, ut per diem ſupra 40 libras materiæ feroſæ dejecerit. Nec infreqventer in praxi occurrunt ægri, ſpatio aliqvot dierum per alvum exonerantes ſeroſa aliaqve excrementa plus qvam centies, vix cum interea tantillum de cibo & minime reſpondentem quantitatem aſſumant potus. Huc qvoqve collineat curioſa *Joh. Baptiſtæ Scaramucci Obſervatio in Miſc. N. C. Anno IX. Dec. 2. Obſerv. 204. p. 371. ſeqq.* de Diabete exhibita, in qvâ cum *Cardano aliisque graviſſimis Auctoribus* copiam illam lotii inſignem qvotidie ſtillantem unicè ab aëre reſultare docet, ſimul conjecturam adducens ſuam de modo mechanicæ converſionis aërei fluidi in aquam.

§. XLVI. Adderem his Aëris humidioris effectibus plura mala, inpr. qvæ ex ſeri copiâ relaxante diverſas internas partes proveniunt, niſi eleganter juxta & accuratè *Carolum Piſonem Tract. de Morbis & affectibus præternaturaliter ab aqua ſive ſeroſâ colluvie & diluvie ortis*, ea expoſuiſſe ſcirem, quare ne operam ludere diutius illis inhærens videar, unicum tantum monuiſſe adhuc in genere de hac humiditatis actione in fibras corporis noſtri debitum erit opus. Scilicet phœnomena adducta in corpore noſtro felicius ſuccedere, ſi humiditas cum calore fuerit ſociata, ſecus ſi cum frigiditate, aut qvando ſalinas aliasqve acres moleculas ſibi habet adjunctas, qvibus in caſibus ſi loco relaxationis conſtrictio & corrugatio fibrarũ contingat, hæc ad accidentia referri debet ratio cauſæ, adeoqve ut uno ſemper oculo in horum effectuum luſtratione attendamus ad has conditiones aëris, neceſſarium omninò eſt.

Comparatio ratione effectus a ſiccitate producti.

§. XLVII. Miſſa itaque Humiditatis actione absqve ulteriori mora, nunc potentiam ſiccitatis in easdem corporis noſtri fibras, examinis incudi ſubjicere placet. Intelligo autem hac ſiccitatis voce illam in Aëre conformationem, cujus beneficio Humiditates, qvæ inſunt corporibus, nunc diſſipat vel condenſat, vel ex ipſo eliminat, abſorbet, exprimit, unde qvæ flexiles antea extricatæqve erant concretorum partes, nunc aridæ factæ antiqvũ rurſum obtinent, h. e. contorquent ſeſe.

Aëris Siccitas in montibus editis major.

§. XLVIII. Summam adeoque exitioſam omnino talem aëris ſiccitatem ſolenniter in montium jugis offendi, communis eſt traditio. Illuc enim Atmoſphæræ humidiores exhalationes, tampropter loci diſtantiam, qvam aqvæ ponderoſitatem aſcendere haud poſſe concludunt. Ita enim verò nec in excelſiſſimis montium cacuminibus adeò exſiccatum tenuemqve mihi concipere poſſum aërem, ut partibus ad vitam ſuſtentandam dicatis prorſus careat. Refert eqvidem *Ariſtoteles* Olympum aſcendentes, ſpongiis madidis naribus admotis aëris nimis tenuis defectum ſupplere cogi, qvale qvid de montis *Tenariffæ* apicibus alii qvoqve affirmant. Aſt referente Joſepho à Coſta ſumma *Tenariffæ* juga ſuperare ſine ſpongiis madidis licet, imò ne qvidem opus illis idem habuit Auctor, dum Pericacæ Montis Peruviani totius orbis editiſſimi forſan apicem tranſiret, nauſeam tamen ingratam, vomitiones graviſſimas à ſubtilitate illa aëris inſigni cum ſociis ſe paſſum teſtatur.

Tempore æſtivo itidem mutabilis.

§. XLIX Minimè igitur eſt opus, ut vertices altiſſimorum montium conſcen-

ſcendamus, pro demonſtranda noſtra hypotheſi de aeris ſicci effectibus: cum in planiori ſolo tempore æſtivo, ſatis notabilem exinde ſentiant non pauci moleſtiam. Non jam loqvar turgeſcentiam humorum ac fugam, quam ex rarefactione ac caliditate aëris deduxi in antecedentibus, tantum adducturus in præſentiarum ſingularem conformationem fluidi hujus, qvam tandem ex rarefactione nimia acqvirit. Scilicet ut verbis utar *Illuſtr. Baconis de Verulamio, tract. de vita & morte, deprædatoria vis*, h.e. ea plane textura communicatur aeri, cujus ope quaſvis humidiores atomos ſibi occurrentes arripere ſecumque trahere potis eſt. Liqvet illa æſtate unicuique, dum areſcere terram, fluvios amittere aquam & ſiccari denique omnem humiditatem videt, ſed in quonam ponatur iſtius virtutis ratio, difficile admodum eſt determinatu. Qvodſi tamen conjecturæ locus, per calorem liberari non ſolum hamoſas aëris partes ab aqueis antea ipſis adhærentibus, verum qvoqve hâc extenſione ac rarefactione ipsâ, uncos illos, ut ſic loqvar, magis acui, & ad prædam arripiendam aptiores reddi, ſuſpicor. Salubris enim ſummeqve proficuus aër hicce ſubjectis ſeroſorum humorum infarctu laborantibus ſemper deprehenditur, qvod Romanis qvondam incognitum haud fuit, qvos Phthiſicos ſuos ac aſthmaticos ad *Tabias*, locum ſiccioris magisque ſereni aeris in Campania prope Veſuvium, curationis gratiâ ablegaſſe legimus, aliosqve qvorum vires magis erant integræ, Ægyptum ire juſſiſſe, quo illa ſerenioris ac ſiccioris aeris fruitione, ab humorum abundantia inſenſibiliter liberarent ipſos.

Aeris ſiccitas quibus utilis?

Romani Phthiſicos ſuos Tabias miſerunt.

§. L. Quodſi autem deficiat laudabile in quibusdam ſubjectis ſerum, aut nimis diu ſicciori hujusmodi uti cogantur aere, ſaniſſima etiam corpora, imprimis minimè aſſveta, malè ſe habent. Exſiccatur namqve ipſis tenera cutis, aridique facti ejus tubuli, tranſitum humorum non amplius admittunt liberum, unde rurſus mala innumera, inflammationes imprimis ac febres æſtuantes ſuas trahunt origines. Triſti id comprobant exemplo *Inſulam St. Thomæ* inhabitantes Luſitani, raro qvos ætas qvinqvaginta annorum reddit fortunatos, indigenas Seculo toto cum beet frequentiori fato.

Morbi ex ſiccitate aeris oriundi.

§. LI. Eliminat vero hic aer ſiccus humiditates maximam partem per diaphoreſin, inſuper tamen per aſperam arteriam quantitas ejus inſignis exſpirationis emittitur tempore, quod æqualis non ſolùm capacitas arteriæ & venæ demonſtrat pulmonalis, ſed clarius adhuc copia aqvoſæ humiditatis ſæpè ſatis abundantis hyeme ad orbes feneſtrarum vitreos collecta per halitus è pulmonibus exſpirationis actu qui fuerunt exploſi.

§. LII. Sic ergo ſiccus aer caliditate præditus confert nocetqve nobis mortalibus, idem qvod judicandum eſt, ſi frigidus alio exſtiterit tempore, qvamvis differenti paululum modo ejus operatio videatur accidere. Paucis: ſiccitas, qvæ antea per poros cutis pulmonesqve educendo humores potiſſimum agebat, nunc conſtringendo & repellendo humiditatibus privat antea infarctos tubulos. Notamus hunc effectum in œdematoſis pedum tumoribus, aliisqve extumeſcentiis aut ulceribus manantibus, qvæ ad hujusmodi aerem non raro celeri detumeſcunt modo, partesqve antea diluvio qvaſi inundatas, graciles ſiccasqve relinqvunt. Aſt ſpuria hæc tantum exſiccatio eſt, minimè vera; retropulſi namqve hi humores ad alia ſæpè loca nobiliora per metaſtaſin cum ſummo deponuntur vitæ diſcrimine.

Tumores [illegible] matoſi & [illegible] ra man[illegible] aëre ſicc[illegible] ſiccant[illegible]

§. LIII. Satis verò hæc ſunto pro comprobando corporis noſtri cum Hygrometris inconſtantibus convenientiâ. Reſtat nunc tantum ut illud Barometro ſimili æquiparem calculo. Eſt autem *Barometrum ſeu Baroſcopium* Inſtrumentum, qvod aeris pondus & gravitatem exqviſitiſſima indicat bilance. Varia ipſius ſunt genera Inventorum nominibus æqvè ac ſtructuræ figuris diſtincta *Primum Toricellianum* audit, ab *Evangeliſta Toricellio* inſigni Magni Ducis Hetruriæ qvondam Mathematico, inopinato inventum caſu. Aſſumitur Tubus vitreus, altera extremitate hermeticè, ut vocant, vel alio modo firmiſſimè clauſus, longitudine ad minimum 30. pollices excedens. Hic argento vi-

Compara[illegible] corporis [illegible] mani, cu[illegible] rometris [illegible] vari[illegible]

Toricelli[illegible] ventor T[illegible] lius.

vo exactè repletus poſtmodum inverſus vaſi hianti Mercurio repleto immittitur, ita tamen, ut non prius ab orificio removeatur digitus, niſi jamjam in dicto vaſe fuerit ſubmerſus. Deſcendet ſic mercurius certam ad altitudinem externæ ſcil. aëris columnæ reſpondentem, à qvo tamen rurſum dimovetur loco, & qvidem, ad altiora ab impellente aëris gravitate, ſicuti ad decliviora ab ejus levitate. *Alterum* compellatur *Boylianum* & ex tubo anguſtiori vitreo cum phialâ arctè connexo paratur, per qvam aqva infunditur, usqve donec ab aëre intus contra nitente teneatur ſuſpenſa, adeo ut licet invertatur, nihil tamen de liqvore hoc infuſo rurſum exeat. Cum igitur externus aër graviori imbuitur pondere, pendulam aqvam pellit ſurſum & ubi levior, propria pendulæ aqvæ gravitas contra aërem inferiorem majori prævalet niſu, ac aliqvantulum deſcendit. *Tertium Robber-vallianum: Qvartũ Hugenianum tàm ſimplex qvàm compoſitum*, aliaqve plura non attingam, cum jam ſatis ſint expoſita ab illis, qvi ex profeſſo hanc materiam curioſiori tractarunt ſtylo, è qvibus præter citatum nobilem *Sinclarum Sturmiumqve* nominari debet, *Pater Franciſcus Tertius de Lanis, Magiſterii Naturæ & Artis Tom. II. l. 5. propoſ. 16. 18. 19. John Smith Tr. of. the nature, uſe and Right managings of that Wunderful inſtrument the Baraſcope; Stephanus Chauvin in Lexico naturali Tit. Barometron; & Tract. ille germanicus de Barometris, Thermometris &c.*

...iani de- ...iptio.

...rvallia- & Huge- ...num.

§. LIV. Summis hodie in deliciis à non paucis Naturæ Scrutatoribus æſtimanda tenentur hæc inſtrumenta, non tam pro trutinanda aeris levitate & gravitate, qvam tempeſtatum aeris inprimis procellarum ſtrepentium, pluviarum prægrandium, horriſonorum fulgurum ac tonitruum imminentium juxta ac cœli grati aut ſudi certioribus auguriis, qvæ ex inſveto liqvorum aſcenſu & deſcenſu colliguntur hauriunturqve. Nullus hinc æqve dubito, qvin ex hoc capite Hominem qvoqve *Barometron* dicam, cum verè ſæpiſſime nullum tale inſtrumentum futuros ejusmodi conflictus nubium ac tempeſtates turbulentas adverſasqve, non minus qvam gratas ac ſerenas, tam exqviſito ac accurato oſtendat indice, qvam qvædam ſubjecta humana, qvæ nunc anxietate planè inſveta, lypothymiis, cephalalgiis, vomitionibus, diarrhœis, ſternutationibus, dolore ac pruritu artuum aliisqve ſexcentis ſymptomatibus vexantur arduis, donec aëris illa adverſa qvalitas rurſum feliciori fuerit permutata cœlo.

...eſta ...atum ...ones ...cant.

Homines qvoqve ſymtomatibus variis idem prædicunt.

§. LV. Sed unde hæ exqviſitæ moleſtiæ? & cur non à cunctis mortalibus aëris illæ prænoſcuntur viciſſitudines? *Stephanus Chauvin in Lexico rational. Tit. ſenſatio externa*, ſuam adducit opinionem, qvâ explanare annititur, animalia tempeſtatum augurio prædita, uti ſunt Anſeres, Anates, Gallinæ, Hirundines, Ranæ, qvæ inſveta voce, & ex inſectis Crabrones, Apes, Muſcæ, culices, cimices & pulices, qvæ haud tolerabili circumvolitatione, ſuſurris ſtrepentibus ac importuna morſicatione hominibus tum creant moleſtias, peculiari ab humano diſtincto ſenſu eſſe prædita, h. e. pro his moleſtiis judicandis peculiaria ſervare ſenſoria. Cui tamen opinioni minime poſſum ſubſcribere, niſi tubulos, in qvibus circulantur humores, alio paululum modo conſtitutos, vel humorum conditiones diverſas, aut ipſum ſentiens principium magis ad leves has moleſtias excitatum aut commotum ſenſoria peculiaria, qvod tamen intentioni auctoris contrariatur, dicere velis.

Chauvini opinio de animalium circa tempeſtates augurio.

§. LVI. Adeoqve pro hoc decidendo phænomeno, reſpiciendum potius eſſe exiſtimo ad tubulorum humores non minus qvam activum corporis noſtri principium transmittentium capacitatem, qvæ eqvidem ſibi relicta, fluidis his moderatè agitatis, omnino ſufficit, aſt à gravitate aëris incumbente plus minus anguſtata, affluxus irriti, ſtagnationis & moleſti ſenſus fit cauſa. Inprimis vero pondus hoc aëris vaſis dictis infenſum eſt, ſi frigoriferas aliasqve conſtringentes atomos habeat ſibi ſociatas, qvales ſolenniter Eurus & Aqvilo ferre ſecum ſolent. Sed longè clariori ſenſatione hoc vaſorum vitium in ſauciatis, utut lege artis vulnus iterum conſolidatum fuerit, of-

Ab aëre dolores patiuntur, qvi vulnera aut contuſiones paſſi ſunt.

fendere licet, utpote qvos Calendaria imminentes tempeſtates accuratè indicantia perpetuò ſecum circumferre, res eſt in vulgus nota. Qvodſi tamen dubitas, en teſtem omni exceptione majorem, *Illuſtrem Boylium experim. 18. de vi elaſtic. aëris*, his confirmantem verbis aſſertū: „*Qvi vulnera aliqvando cruenta ac contuſiones* „*ſunt paſſi dolorificas, ſæpe immanes la*„*mentantur cruciatus, unde certo qvaſi* „*portento maximas in Aëre mutationes* „*affecti præſagiunt, ſanis interim ac* „*robuſtis corporibus nihil ejusmodi de*„*trimenti inter ſe perſentientibus.*

Ratio illius phænomeni prima.

§. LVII. Ætiologiam ejus avidus ſi poſtulat animus, in conſolidatione latitare culpam omnem eſto perſvaſus. Cum enim nullâ in læſione, multò minus in contuſione aut vulnere cæſim inflicto, ita accuratè diſruptarum fibrarum adaptari poſſunt extremitates ſibi invicem, qvin ſemper cicatricibus inductis canaliculi illi fiant anguſtiores, ſæpiusqve plane conſtipentur, dubium eſt nullum, humoribus ut antea capiendis vix illos ſufficere amplius, ulterius verò compreſſos ab aëre gravi plane evadere ad circulationem admittendam ineptos. Ex qvo fundamento etiam dolores & pruritus poſſumus deducere, qvos moleſtiſſimos ſentiunt ex ingruente tempeſtate hujusmodi adverſa, qvi olim frigoris injuriis multum expoſuerunt pedes & in illis inprimis calcaneos: *confer. Miſcell. N. C. Anno 6. Dec. II. obſerv. 4.*

Eadem pruritus cauſa in frigore olim tentatis.

Secunda ratio deſumitur ab æſtu præcedente.

§. LVIII. *Prior hæc erat Ratio*, nunc *alteram* ſupperaddam ex humorum aucto motu petendam. Dum enim peculiaris ille æſtus præcedens perturbationes ejusmodi cæli (qvi gemebundos anhelitus nos dare freqventer cogit, qverelasqve anxias, es iſt ſehr geſchwülig) ad ebullitionem diſponit ſangvinem, ceu abundanter de *Thermometris* monitum eſt, ſpatiumqve illud in tubulis cum aliqvali occalleſcentia conſolidatis, aut alia ex cauſa nimium arctis, incapax eſt pro turgeſcente hac materia ſuſtinenda ac capienda, ab appulſu ejus inſolito motuqve inhibito iſte pruritus ac dolor plus minus moleſtus ſumit originem. Imò ſæpiſſime qvod in pernionibus eſt ſolenne intumeſcunt partes, cum ſubfuſco & pene nigricante alioqve fœdo colore, ſi locus affectus foco admoveatur calenti, aut ſtragulis aliisqve calefacientibus nimium tegatur.

Tertia rati à princip ſentiendi a ſumitur ac modum de cato.

§. LIX. Si non diſplicet, *Tertiam* qvoqve adjiciam *rationem* in ipſo ſentiendi principio latitantem. In qvacunqve enim ſubſtantia illud qværas, ſive in anima immateriali, qvæ opinio *Nobiliſſ. des Cartes* habet defenſorem pluresqve qvi veſtigia ejus terunt; Sive in anima Ariſtotelicorum ſenſitiva, aliis ſpirituum nomine inſignita, ſemper plus minus activum deprehendes illud aut ſtupidum. Videmus hinc homines, qvi ad qvaſvis locutiones impudicas aut leves reprehenſiones inſigni ſuffunduntur rubore, à qvibus alii nec leviſſime afficiuntur. Dantur qvi ex unico verbulo ambiguo qvodqve in ſenſum detorqveri poteſt injurioſum maxime excandeſcunt, ac toti in fervido ſunt fermento, aliis ne qvidem attendentibus futilibus his verbis, imo majores illatas injurias pacato concoqventibus ſtomacho. Igitur qvibus tempeſtates præſcire datum eſt, exiſtimo, ſive ex naturali diſpoſitione, ſive ex educationis vitio, ſive alia ex cauſa qvandoqve adeo delicatum ac exqviſite ſentiens eſſe conceſſum principiū, ut ſi pondus aëreum leviter ſaltim corpori incumbens, organa tactus premat, è momento illud ſtatim in motū præternaturalem raptum, minanti ſe ſubducat oneri, fugaqve ſibi conſulat prompta, aut ſaltim peſſime ab exigua illa ſe habeat moleſtia. Hinc non raro, qvi gravioribus tam acutis qvam chronicis implicantur morbis, vates hujusmodi exiſtere expeditos deprehendimus, qvod profectò haud aliud agnoſcit fundamentum, niſi dictam ſenſationis principalem cauſam, qvæ ex morbi conflictu mollior in dolore aut moleſtia ferenda facta, facile leviſſimum aëris attactum pro juſta offenſionis recipit ratione.

§. LX. Tantum in præſens pro facultate ingenii exiguâ de Materiâ hacce alias ſatis prolixâ, nec usqve adeo expeditâ, diſſerere viſum eſt. Tu *Lector æſtumatiſſime*, ſi errorē tædioſum aut humani judicii lapſum irrepſiſſe expeditiori videas oculo, veniæ qvæſo da locum, memor, neminem tam felicē eſſe

eſſe ac fortunatum, ut totam mentis caliginem pura diſcutiat lampade, & ſine fumo ingenii accendat flammulam. Sanctiſſimæ interim Trinitati, cujus favorabili nutu & ductu hæc conſcribere licuit, pro præſtito auxilio in ſempiterna laude nunqvam debet eſſe. Finis.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM Secunda: De ANIMI COMMOTIONUM VI MEDICA.

PRÆFATIO.

Mutuam adeo neceſſitudinem non animæ ſolum & corporis eſſe, ut incommoda ex æqvo invicem partiantur; verum qvoqve ſingulas corporis integrantes partes, qvas ſolidarum, fluidarum & ſpirituum titulo communiter inſigniunt Doctores, miram plane inter ſe colere amicitiam, atqve ab una ex illis læſa ſtatim ad reliqva damnum migrare, tam freqventer obſervatur in Praxi Medica, ut vix elabatur dies, qvin novis experimentis ejus rei veritas confirmetur. Nec aliud commercii vinculum in cunctis his deprehenditur, ſi verſa vice in illis perpendere velimus alterius cujuscunqve in reliqvas, ſæpe adeo notabili ac ſumme celeri curſu, redundantia commoda, ut, etiamſi omnes ſimul videantur morbo implicitæ, una tamen ex his reſtituta, reliqvis ſponte & ſubito redeat etiam ſalus. Non vacat in præſentiarum per exempla ire, ac fuſius veritatem aſſerti in ſingulis comprobare, nimis enim prolixum id foret, & chartarum anguſtiam, qva ſolenniter diſputationes includuntur, multum ſuperans; Præterea ſi verum fateri velim, omnem humanum captum tranſcendere puto, explicare, qvomodo anima immaterialis, hinc certa ratione ἀπαθής, à re qvadam extenſa & materiali, qvale corpus noſtrum cum omnibus ſingulisqve ſuis partibus eſt, affici poſſit, aut qvis qvalisqve ejus ſit impetus in corpus: Hinc fruſtraneum penitus credidi laborem in re tali, qvam nullo modo aſſeqvi mortalibus licet, ac potius animum applicare cœpi corporearum partium harmoniæ oppido inſigni, & inprimis, neſcio qvo fato incidi in Vim medicam, qvæ ex animi commotionibus in Cura morborum plurium oritur, inqve illa perſcrutanda mei qvid humeri valeant, qvid ferre recuſent, tentavi. Et ſic præſens nata eſt Diſſertatio, qvam Tuæ Cenſuræ B. L. nunc ſubjicio, ſimul ea qva decet animi ſubmiſſione rogitans, ut oculo benigno eam

adſpi-

adſpicere non grave feras, mihiqve favorem concedas, Athenienſium Dictatorum Autoritate qvondam latæ Legis, qva cautum erat, ut primitus exhibita nulla exploderetur fabula, ideo, qvod Artifices uſu demum & exercitio freqventi fiant, nec ſtatim, ut de Poëtis dicitur, naſcantur.

§. I.

UT igitur viam mihi præparem ad debite explicandam VIM medicam animi commorionum, opus erit, præmittere doctrinam de nomenclatura & acceptione terminorum, qvos rubrica tenet. Facile autem erit, ut ordine

Explicatio vocum.

procedam, explicatu, qvid per vim intelligam. Etenim Vis, ſ. qvod idem eſt, Virtus in generali ſenſu ſumpta, ſignificat potentiam ſive facultatem rei alicujus, ex qva iſta res effectum qvendam præſtat actu vel potentia. Celebratur hinc apud Philoſophos varia vis, v. g. ſupranaturalis de DEO, naturalis de Creaturis corporeis, animata de homine & brutis, inanimata de metallis & lapidibus, inſita de rebus naturalibus, acceſſoria de artefactis. Translatus poſtmodum eſt hic terminus ad medicorum qvoqve Scholas, in qvibus ſolenniter medicam ſeu medicamentoſam vim dicimus poteſtatem medendi ſive morbos ſanandi, qvæ in diverſis rebus, remediorum nomine inſignitis, obſervatur.

§. II. Vellem nunc, ut mihi etiam liceret eadem brevitate exponere ſignificatum animi commotionum, ſed fruſtra id opto. Nam cum pariter varia ſit acceptio vocum harum, neceſſe eſt, ut prius eas ab ambiguitate liberem. Sumitur vero animus qvandoqve pro indole nativa, v. g. dum *Virg. l. 2. Georg.* de arboribus ſcribit, qvod cultura exuant animum ſylveſtrem: Deinde pro audaciæ & deſperationis Synonymo habetur ap. *Juvenal. Satyr. 6.*, ubi invehitur in illos, qvi iram & animum ex crimine ſumunt: porro qvibusdam animus idem plane eſt, ac anima immaterialis, rationalis ſive mens, hinc ponitur pro cogitatione, & dicitur, qvod per illum ſapiamus: tandem accipitur pro ſpiritibus ſive materiali vitæ ac ſenſuum principio, vel, ut Ariſtotelici loqvuntur, pro forma ſubſtantiali ſive anima vegetativa & ſenſitiva, & hoc ſub ſenſu etiam mihi in præſenti non minus venit, ac Medicis alias Syncope animi vocatur Deliqvium.

§. III. Reſtat adhuc ſubjicienda incudi examinis vox commotionis, ubi motu, eam ſubinde accipi pro ſimplici motu locali, qvando nimirum aliqvid è ſpatio in ſpatium transfertur v. g. oculus aut manus; alio tempore commovere denotat idẽ ac excitare, v.g. bellum, tumultum &c. Veruntamen hæ acceptiones non ſatis exhauriunt vim termini noſtri, ſi prædicetur de animo; tunc enim non iram tantum aut inſaniam uti vult *Cicero*, ſed omnia in univerſum pathemata & ſenſationes, jucundas non minus, qvam triſtes ſive dolores, principio vitæ & ſenſus impreſſos, indigitat ex *Peripateticorum Williſiiqve* ſententia, qvam ipſam nunc qvoq; meam facio.

§. IV. Patet igitur ex his ſtatim, qvodnam ſubjectum inhæſionis commotionum animi ſtatuam, ſc. materiale illud principium vitæ & ſenſuum, qvod cum Philoſopho ejus ſectatores animam ſenſitivam, alii vero ſpiritum hominis vitalem, uti modo monitum, dicunt. Hæ enim moleculæ, ob texturam ſumme ſubtilem, & plus qvam ætheream, præ cunctis reliqvis corporis noſtri partibus ſunt aptæ, ad impreſſiones objectorum ſenſibilium ſuſcipiendas & transvehendas, imo cum inſuper conceſſam à prima creationis origine ſentiendi facultatem habeant, etiam illas ad cognitionem objecti determinari, & vere percipere ac ſentire, firmiter mihi eſt perſvaſum.

Spiritu… ctum ſu… motion…

§. V. Ad aſſerendum vero hoc adigor, qvod animi commotiones non in hominem ſolum, ſed bruta qvoqve cadant, in qvibus nullum aliud, præter hoc activum principium ineſſe obſervatur, à qvo effectus hic poſſit ſperari. Soli-

Commo… in brut… iam cad…

Solidæ namqve partes non minus qvam fluidæ, qvascunqve etiam in ipſis nobis concipiamus configurationes & mechaniſmos, propter nimiam materiæ craſſitiem ineptiſſimæ manent manebuntqve, qvicqvid etiam de illarum ſingulari plane conformatione quidam e recentioribus ſomnient: qvamdiu enim corporeitas ac craſſities in ſenſus incurrens in ipſis deprehenditur, nulla figura, ſeu ſit ſphærica, ſeu cylindrica, elliptica, triangularis, cubica, hexagona, heptagona, polyedrica, & neſcio quæ non alia, in ſe aut ſola, ad ſenſum perficiendum erit apta.

...idæ & partes ...dunt.

§. VI. Audio hic eqvidem Dn. Renatum des Cartes cum ſuis aſſeclis mihi occlamantem: falſam eſſe plane ſententiam de brutorum animi commotionibus, qvæ enim, inqviunt, carent ſenſibus, carent qvoqve animi commotionibus; Verum, ut libere qvid ſentiam eloqvar, nulla opinio mihi videtur magis veritati obloqvi, qvam hæc: nam cur natura ſenſoria adeo exacte noſtris conformia finxit in beſtiis, ſi uſus eorum nullus eſt, & bruta machinas ſiſtunt nudas, ſenſuqve deſtituuntur omni? cur qvæſo venaticus canis odore ſolo diſcit veſtigia fugientis cervi, capreoli aut leporis? cur canis herum ſuum caudæ motitatione aliisqve blandimentis, ignotum vero latratu morſibusqve excipit? cur eſuriens, heri ſui manum aut pedem blande vellicat, aut aliis geſtibus latrantis ſui ſtomachi ſigna dat? Alias ut taceam ſingulares plane actiones brutorum, qvales ſunt Elephantum ac Simiarum, de qvibus Orientalem Indiam peragrantes, ſtupenda penitus literarum monumentis conſignarunt in ſuis Diariis. Qvibus additur merito elegantiſſima obſervatio, qvam habent *Ephem. Germ. D. 2. A. 9. O. 71. p. 115.* de Lupo, qui cicur, catenæ affixus, de nocte pro lubitu nullo liberabat collum, & vicinorum cohortes anſerum & gallinarum invadebat, ad auroram vero domum rediens neqvam, collo rurſum affabre nectebat vincula, donec tandem domeſtici, ejus vafritiem ſubolfacientes, in flagranti delicto eum deprehenderent. Videantur qvoqve, qvæ pro hac ſententia defendenda *Joh. Rajus Synopſ. method. Anim. Qvadrup. p. 5. ſqq.* affert. Proinde jure invehi in negantes videtur *Cardanus*, optans, ut cogantur mordacis canis crura premere, aut in via inculta ac ſalebroſa eqvo vehi oculis orbo, damno enim ſuo ipſos tunc eſſe experturos, num ſentiant bruta necne.

...us falſo ...enſus & ...s dene... ...ur.

§. VII. Nondum ſi hæc ſufficiant, provoco inſuper ad S. S. teſtimonia, non ſimplicem ſenſationem tantum, ſed cognitionem, prudentiam & ſinceritatem de brutis animantibus paſſim adſtruentia, qvibus tam clare loqventibus fidem adhibere nolle, impium ac nefas omnino eſt. Et qvid multa? adeo evidens eſt, brutis ineſſe animi commotiones, ut neminem, niſi præconcepta opinione penitus occœcatum, id fugere poſſit. Nonne enim læſa dolorem ſentiunt, & eapropter vociferantur, aut iraſcuntur, oculisqve, rictu oris, latratu, ac aliis ſignis indignationem ſuam ſufficienter indicant, & beneficiis affecta, redhoſtire illa blandimentis laborant? ut taceam illorum inſtinctum naturæ, ſive illas actiones, qvæ unicuilibet brutorum ſpeciei a primis qvod dicitur incunabulis conveniunt, & naturaliter connaſcuntur, ſeſeqve potiſſimum exſerunt, dum inſito qvodam impulſu ea oderunt & averſantur qvæ ipſis nocere, & ſectantur aut amant, qvæ conferre poſſunt, aut in ſui deniqve propagationem abeunt, qvæ tota die notare in ipſis poſſumus.

§. VIII. Ruit igitur pene ſponte hypotheſis, quæ ſolùm animæ rationali facultatem ſentiendi, & hinc commotiones vel paſſiones concedit; argumenta enim, qvæ pro iſta confirmanda adducunt, ſolvi ni fallor facile poſſunt. Eſt autem primum ex illis, qvod nulla fiat ſenſatio ſine cogitatione, qvæ unice menti propria ſit, & quidem, uti Philoſophi loqvuntur, in qvarto modo. Reſpondeo enim negando minorem; proprium ſiqvidem in qvarto modo, uti notum, omni, ſoli & ſemper competere debet: Sed cogitatio de omni anima rationali dici non poteſt, nam mihi concipere haud poſſum, quod infantum in utero adhuc hæren-

Refutatio Argumenti I. Carteſ.

hærentium, aut etiam recenter natorum, mens conſcia fiat perceptionum, & ſuper illas reflectatur; nec ſoli competit, cum & DEo & Angelis illa adſcribatur in S. Literis, & bruta ſæpe ſuo modo cogitare obſerventur, qvod *Rorarius* pluribus Exemplis demonſtravit in peculiari *Tract.* cujus Tit. eſt, *Quod bruta magis utantur ratione, quam homines;* qvibus merito annumerantur effectus imaginationis brutorum, oppido ſimiles illis, qvales à gravidis fœmellis in fœtum derivantur ſubinde: Sic notum eſt in ovi putamine depictam fuiſſe Cometæ faciem, & ex alio gallinæ ovo prodiiſſe pullum milvino capite præditum, cujus teſtis eſt *Joh. Marc. Marci à Kronland Phil. Vet. Reſtit. P. III. S. 1. Subſ. II. p. 281.* Tandem nec ſemper cogitat, hinc plura incogitanter fiunt, non ſolum nobis vigilantibus, ſed inprimis tempore ſomni, qvem ideo non male *Ariſtoteles Ethic. I. c. 13.* animæ otium dixit.

Argumenti II. §. IX. Secundum illorum argumentum eſt, qvod corporea anima, qvalis ſenſitiva obſervatur, vi ſuæ eſſentiæ, utpote in ſola extenſione conſiſtentis, omnino inepta ſit ad ſentiendum & cogitandum. Si ad hanc objectionem licitum mihi eſt dicere qvid ſentiam, puto, extenſionem animæ corporeæ non reddere eam penitus incapacem ad ſenſationem, aliàs ipſe *des Cartes Epiſt. 6. P. 1. p. m. 108. Ep. 67. p. 188* non expreſſis docuiſſet verbis, brutorum ſenſus tantum ex mechanica conformatione dependere, & *Ep. 54. p. 67. & 69.* paſſiones in illis natas vehementiores longe eſſe, quam hominum. Sed ne monſtri qvid alere hoc meum aſſertum forſan videatur, clarius ut me explicem neceſſum eſt. Dico igitur, me ambabus concedere, talem cogitationem de materiali anima non poſſe dici, qvalis obſervatur in mente juxta Carteſianos, nihilominus primam & alteram ejus operationem, h. e. perceptionem & judicium, ſuo modo adeſſe in brutis, ex antea adductis clarè liqvet, utut tertia & qvarta, Ratiocinatio puta ac methodus, vel plane non illi competant, vel non adeo in excellenti gradu, uti animæ rationali.

§. X. Manet itaqve inconcuſſa opinio noſtra de primario animi commotionum ſubjecto, abſolutè ſpectato; nihilominus ſi in homine ea conſiderentur, negandum non eſt, plerumqve concurrere mentis cooperationem, veluti qva motus ejusmodi animæ ſenſitivæ ſive ſpirituum ſolenniter determinantur, corriguntur, ac compeſcuntur, idqve ſi acciderit, vix unqvam extra orbitas egreditur impetus illorum. Accidit tamen qvandoqve, ut dictamini rectæ rationis repugnet anima hæc materalis, & frænum à ratione injectum non modo mordeat, ſed etiam calcitrando contra has habenas, easdem rumpat, & hinc equi effrænis ad inſtar qvaqva verſum feratur; hoc igitur ſi contingat, non ſolum omnes functiones, à ſpirituum motu dependentes, turbantur, ſed ſangvinis rivus reliqvorumq; humorum curſus qvoqve in ἀταξίας adigitur, ac ipſi animæ rationali ſimul alterationes notabiles inducuntur; imò ſi tandem illa plane ſuperior facta, hanc captivam ducat, miſerrima omnino fit hominis conditio, qvia eo ipſo beſtiis non tantum ſimillimum redditur animal rationale, ſed etiam deterius longe evadit, ratio namqve brutalis facta, ad omnem exceſſum ducit, ſunt verba *Williſii de Anima brut. c. 7. p. 64.* *Mentis r... cooperati... rumqno ... curri...*

§. XI. Præmiſſis his nunc animi commotionum formalitatem, ſeu, ut clarius loquar, notionem, qva mihi illas concipio, tradam: qvod vix commodius fiet, quam oſtendendo, univerſa pathemata, qvocunqve etiam nomine veniant, commode in duas claſſes diſpeſci poſſe. Aut enim in illis ſpiritus circa objectum aliqvod verſantur bonum, aut circa malum: bonum ſi fuerit, delectantur illo, hinc ſemper ex interioribus feruntur ad exteriora, ſeu, ut ſtylo recentiorum id efferam, ab intuitu objecti grati in elatere nimis expanduntur: malum vero reformidant, adeoqve dum iſtud fugiunt, ſeſe ex partibus exterioribus recipiunt ad interiora, vel ſi mavis, eorum elater comprimitur ac qvaſi figitur. *Affect... 2. claſſ... ne obj...*

§. XII. Effectus igitur animi commotionum occurrit in ſpiritibus, hoc vel

…ectus in- diverſus ſpiritibus. vel illo motu agitatis; ſemper tamen ille diverſus, h. e. plus vel minus talis exiſtit, non ſolum pro objectorum malitia & bonitate diverſa, verum qvoqve prout hæc mala vel bona aut ſunt præſentia, aut futura, aut præterita. Præſentia ſiqvidem omnium vehementiſſimum motum in illis concitant, qvalis etiam non raro eſt, qvi à futuris excitatur, ſi nimirum prope immineant; Qvod ſi vero è longinqvo ſaltem appareant, notabiliter etiam infringitur impetus: magisqve adhuc in præteritis, utpote qvæ motum impertiunt omnino mitiſſimum, imò haud raro penitus contrarium.

…deis, §. XIII. Alter effectus notatur in ſenſatione ac reflexione ſuper objecta, unde poſthac reſultant ideæ variæ, qvæ ſubinde diutiſſime & per longa ſatis ſpatia impreſſæ manent, ac iterum iterumqve repræſentantur, adeo ut talia ſubjecta nil aliud cogitent aut loqvantur, niſi animo infixam hanc ideam, maximaqve ſæpius cum pertinacia ac moroſitate adverſus omnes, qvi contrarium defendunt, pugnent. Alio tempore minus infixæ hærent impreſſiones, ſed brevi interpoſita mora cunctæ rurſus dimittuntur, ſic ut ne tantillum reſtitet, qvod memoria ſuo tempore reddere poſſit. Sicuti vero in priori caſu vix aliter fieri poteſt, qvin ſumma inferatur injuria functionibus cunctis, ex commotione iſta ſpirituum ſumma: ita in altero aut penitus nihil ſeqvitur ſiniſtri, aut tam celeriter omne diſſipatur iterum, ut non mereatur conſiderari.

…uidis, §. XIV. Tertius effectus in fluidis corporis partibus ſe manifeſtat, qvæ qvandoqve exagitantur & ſummo cum impetu per univerſum illud moventur, ſic ut inde vel tumeant ſolùm notabiliter vaſa, vel ab ebulliente nimium ſangvine, æſtus & hæmorrhagiæ graviſſimæ naſcantur; Ab aliis plane contrarium accidit, nempe ſiſtitur humorum motus, imo textura & fluiditas nativa ab ipſis ſimul tollitur, unde facies palleſcere, & motus organon contremiſcere, corporiqve univerſo extremum non raro periculum imminere ſolet.

§. XV. Qvartus effectus in ſolidis conſpicitur partibus, inprimis nervis & fibris motricibus, qvæ diſtenduntur, moventur, ac concutiuntur ſæpe graviſſime, ab huc vel illuc fluentibus ſpiritibus. Hinc oriuntur, nobis inſciis & ſæpe invitis, miræ iſtæ, ſolennes tamen, oris, manuum, pedum, pluriumve internarum partium commotiones, e. g. ut indignabundi, cum impetu pedes allidamus terræ; gaudentes, cum jubilo ſubſultemus, erectisqve ſupra caput brachiis cachinno ſolvamur; mœrentes, frontem corrugemus & ſuſpiria ducamus freqventia; timentes fugiamus, cum tremore artuum; irati, furiis agitemur; rem deſpicientes, labia & nares contorqveamus; & inprimis oculos ad qvasvis perturbationes ita pene ſolenniter conformemus, ut ex illis noſtri animi ſenſa legi, & qvaſi in ſpeculo cerni ab adſtantibus prudentioribus facile valeant. Qvid, qvod inſuper facto hoc ſpirituum impetu, indeqve orta fibrarum commotione, circumfluentes humores nunc urgentur ac truduntur qvaqvaverſum, nunc verſa vice, à contrario ſpirituum fluxu & retroceſſione à peripheria ad interiora, conſtrictis fibris & tubulis, in ſuo motu impediuntur, imo penitus ſiſtuntur. *in ſolidis.*

§. XVI. Sed ne qvis forſan pro figmentis & mero ingenii luſu habeat, qvæ modo de animi commotionum formalitate diſſerui, experimentis qvoqve rem declarabo, prius tamen nomina præcipuorum horum affectuum erunt recenſenda. Sc. affectus animi, qvi circa objectum gratum, illudqve præſens, verſantur, ſunt inprimis Ira, Gaudium, Voluptas, Amor cum fruitione conjunctus; qvi bonum objectum, futurum tamen, habent, nominantur Spes, & Deſiderium &c. Ingrata præſens idea in Terrore, Dolore, Odio, Triſtitia, Invidia, Deſperatione; & futura in Metu & Audacia deprehenditur: Præterita deniqve objecta mala itidem Voluptatem ac Gaudium, Exultantiam &c., bona vero Dolorem & Triſtitiam concitant &c. Cuncta igitur, qvæ in præcedentibus *Affectus recenſentur.*

bus de duplici motu ſpirituum, aliisqve effectibus exinde oriundis monui, facile de ſingulis his pathematibus comprobari poſſent, niſi nimis prolixum id eſſet, ſufficiet proinde demonſtratio in Ira & Terrore, tanqvam commotionibus omnium impetuoſiſſimis.

Symptomata Iræ. §. XVII. Prodeat hinc homo ira ſuffuſus; ſive enim in illo ſpectes ruborem faciei ſubito excitatum, ſive oculorum micationem, ſive Vultum horridum, ſive muſculos per totum corpus ſubſultantes, ſive pulſum magnum & vehementem in arteriis concitatum, ſive ſangvinis profuſionem non raro ſatis enormem, ex vaſis ruptis natam, ſive alia plura Symptomata, ubiqve ſanè reperies, qvæ, niſi præconceptæ opinionis peplo penitus fueris occœcatus, clare ac diſtincte, prædicti ſpirituum ex interioribus ad exteriora motus, ideæ furioſæ ipſis impreſſæ, agitationis ſangvinis impetuoſæ, commotionis & conſtrictionis fibrarum ſigna, ſuggerunt evidentisſima.

Symptomata timoris. §. XVIII. Nec aliud qvid, niſi retroceſſionem & fugam ſpirituum ex peripheria, ideam maxime timidam ac deſperabundam, ſangvinis motum inhibitum, ejusqve coagulationem factam, tandemqve fibrarum vel rigeſcentiam, vel tremulam vibrationem, deprehendes in homine terrore perculſo, utpote cujus genæ cadaveris in modum palleſcunt, manus, pedes, motusqve organa reliqva rigent aut tremunt, ſangvis tardius aut plane non circulatur, diaphragma uno ſed lento tenore ſubinde deprimitur, (unde ſuſpiria formantur & gemitus) reſpiratio gravior fit, lingva torpeſcit, ſaliva inviſcatur, vox faucibus hæret, ut reliqva taceam concomitantia aut conſeqventia ſymptomata.

§. XIX. Patet ſic mea de commotionibus animi ſententia, qvam ideo tam prolixis verbis præmittere ſum coactus, ut impoſterum ſine offendiculo in explicanda earum Vi Medica mihi liceat progredi, qvam nunc absqve ulteriori ambage explicandam mihi ſumo. Cum autem, uti jam ex parte monitum eſt, Vim hanc Medicam animi commotiones in omnes corporis partes exſerant, adeoqve ex morbis Humorum non ſolum, ſed ſolidarum qvoqve partium ac ſpirituum plures poteſtatem ejus agnoſcant, ſeſeqve faſcibus his lubenter ſubmittant, de ſiugnlis his neceſſum eſt diſſeram fuſius ac ſpecialius.

§. XX. Incipiam ab humoribus, & qvidem primo illorum motu deficiente. Qvid notius eſt, qvam à Gaudio, Lætitia, Jubilo, Verecundia, ſimilibusqve affectibus, pallidum faciei colorem cum roſeo ac vivido penè in momento mutari? qvod non ex alia cauſa mihi provenire videtur, qvam qvod torpeſcens ſangvis ad rapidiorem diſponatur motum, per agitatos ab his pathematibus & animi commotionibus ſpiritus. Aſt ſemper magis conſpicuus fit effectus hic, pro majori vehementia commotionum prædictarum, adeo ut non mirum, ſi ſangvis in articulationibus ſtagnans, Athritidemqve aut Podagram in illis producens, Iræ beneficio fuerit excuſſus qvandoqve, & inde oriundus dolor conſopitus, cujus exemplum habet *Horſt. l. 3. P. 2. O. 8.* de viro ſumme podagrico, ipſo paroxyſmo injurioſis verbis à milite in contentionem vocato, qvi, utut iſto tempore vix pedes de loco movere poterat, tamen exinde ira incendebatur tanta, ut de lecto ſubito ſurgere ac in crines jurgioſi antagoniſtæ involare habilis redditus fuerit. Simile qvid refert *Pechlinus Obſ. Phyſ. Med. p. 464.* de podagrico tubicine, ex vehementi partis affectæ ad lecti poſtes alliſione, à Medicaſtro neqvam facta, in iram & furorem rapto, ejusqve ope ex tempore ſanato. Omittam alia exempla, qvalia idem Autor *l. c.* refert de diverſis belli ducibus, podagrico paroxyſmo liberatis, eo momento, cum in aciem cum hoſtibus eſſet

Pathe… tum e… Medic… Humo… fluxu p… ven…

Exe…la Pod…

eſſet deſcendendum; illis namqve non eſt opus, cum ex his ſatis appareat, pravos humores, firmiter licet impactos, effreno iſto ſpirituum motu è ſedibus ſuis fuiſſe deturbatos.

§. XXI. Nec aliud qvid de ſero annotatur in motu ſuo impedito, nam & illud per vehementes animi paſſiones ex voto qvandoqve ad motum diſponitur, Veternusqve illi inhærens, hac animi pathematum aſperitate excutitur. Dudum id cognoverunt Medicorum Principes *Hippocrates* & *Galenus*, dum in frigidis morbis iram remedii loco laudant; qvorſum etiam ſpectat conſilium *Cratonis L. 6. Conſil.* Illuſtri cuidam Principi paralytico datum, cui inter alia levis exandeſcentia commendatur. Et ne ſola ſpeculatione inniti aſſertum hoc appareat, en experimenta: *Horſtius l. 3. Conſ. Ep. ſ. 12.* ab Hildano ſibi communicatum refert, qvendam virum à tribus annis paralyticum, cum nocte qvadam urbem, qvam inhabitabat, ab hoſtibus captam intelligeret, è veſtigio in tantum furorem actum eſſe, ut cum civibus ſuis pugnaturus è lecto proſilierit, & ſtrenue ſteterit in acie, ab omni morbo liberatus. Concordat cum hôc *Valeriolæ hiſtoria l. 2. O. 4.* exhibita, de viro multis annis pedum uſu ex hoc morbo deſtituto, qvi vehementer excandeſcens, cum incenſis ædibus nullus famulorum ſuccurreret ipſi, duriſſimo namqve hoc neceſſitatis telo adactus, præcipitem ſe per feneſtram dedit, indeqve perfecte convaluit. Et tali excandeſcentia Titi Veſpaſiani filium qvoqve à partium reſolutione liberatum refert *Crato l. c.*

ex- leſcen- n morbis dis com- datur.

nplum lytico- um.

§. XXII. Qvod de ira nunc adſtruxi, id à Gaudio & Riſu itidem eſt obſervatum. Gaudio namqve podagricos dolores eſſe conſopitos, autor eſt inter plures alios *Nic. Pechlin. C. 3. O. 26. p. 467.* adducens virum, cui oblati Conſulatus nuncium, qvod officium Vir hic dudum anhelaverat, podagricos dolores, per aliqvot ſeptimanas jamjam tyrannidem ſuam exercentes, auferebat, pedibusqve potentiam priſtinam reddebat in inſtanti. Huc referri qvoqve meretur cura Podagræ per Muſicam, cujus teſtimonium reperitur apud eundem Autorem *p. 472.* Qvis enim dubitat in binis his ægris ideam gratam vel ex læto illo nuntio vel ſoni eutonia ac dulcedine in ſpiritibus excitatam effeciſſe, ut ipſi jucundo hoc ſenſu afflati, cauſam morbificam, h. e. ſtagnantes humores æqvali ſuo placidoqve motu diſſipaverint? Imo alios præterea morbos doloroſos Muſica ſola deliniri poſſe, exemplo ſuo Carolum IX. Galliarum Regem ſolenniter comprobaſſe, referunt Gallicæ Hiſtoriæ Scriptores.

agra dio cu- atur.

§. XXIII. Riſus qvid valeat in his affectibus, planum facit *Laurentius de Medices*, de qvo *Chronicon Spirenſe* refert, eum ex recitata ſibi hiſtoria qvadam lepida ad riſum fuiſſe invitatum adeo ſalubrem, ut lethalium dolorum & ſymptomatum omnium fuerit oblitus. Egregia qvoqve eſt obſervatio relata in *Eph. Germ. D. 2. A. 1. O. 1.* de qvodam Muſico melancholia graviſſima correpto, cui, pharmaca cuncta reſpuenti & nihilominus ea anxie poſcenti, Medicus cantici illius eccleſiaſtici: Vom Himmel kam der Engel Schaar etc. clauſulam, qvæ ſic ſonat: Gedultig/ frölich allezeit/ una cum ejus uſitata melodia in charta remedii loco notabat; qva formula inſpecta in tantum ſolvebatur cachinnum æger iſte, ut perfecte reſtitutus, iſta ſtatim hora grabatum reliqverit. Deſino igitur mirari, cur Hypathenſes in Theſſalia una cum Spartanis & Romanis riſum pro Deo coluerint olim, & Tibareni ſummum bonum in hoc affectu conſtituerint, cum dolores non minus, qvam Melancholiam adeo feliciter pellat.

Riſus mira efficacia.

§. XXIV. Seqvitur nunc vis Medica commotionum animi, in nimio humorum motu ſufflaminando ac compeſcendo. Nota eſt in vulgus Terroris potentia in Hæmorrhagiis narium ſiſtendis, dum adſtantes nuchæ ægri frigidam affundunt ex improviſo, aut alio ſtrepitu excitato, v. g. bombardæ exploſione aut voce ſtentorea terro-

Vis Pathematum medica in motu humorum nimio compeſcendo.

terrorem iſtis incutiunt. Ipſe id aliqvando notavi, cum virgini ſponſæ tuſa eſſet vena in talo, ſangvisqve cum ſaltu prorumperet deſiderato, ex ſponſi inexpectato ingreſſu omnem iſtum fluxum incantamenti ad inſtar cohibitum eſſe, ſic ut ne guttula, qvicqvid etiam ageret Chirurgus ſollicitus, ulterius potuerit elici. Freqventiſſimæ hinc audiuntur fœminarum querelæ de menſibus per terrorem ſuppreſſis, poſſemqve, ſi opus foret, plura exempla mihi nota referre, ſed ſatis puto tantùm adduxiſſe *Eph. Germ. D. 2. A. 8. p. 385. Rolſinck. Epit. Affect. Partic. l. 14. Pechlin. l. 3. O. 24.* Cauſam phœnomeni hujus ſi cupias, dico, qvod ſpiritibus per terrorem ad cerebrum retropulſis, iſti non ulterius debite influant ad cor, à cujus tamen vigore & activitate localis ſangvinis motus dependet potiſſimum.

§. XXV. Inſuper tamen terrore aut ſimilis indolis pathemate mutatur tota ſpirituum craſis, qvo ipſo etiam ſangvini novam induci texturam neceſſe eſt, vel ut clarius loqvar, coagulatur ſtatim hic, ſi ipſum deſerat elater vitalis, terrore compreſſus; niſi enim temperamentum ægri & juſta fluidorum mixtio in illis adſit, (qvam tamen à priori vix clare & diſtincte judicare poſſumus) ſæpe loco remedii terror fit cauſa mortis, *confer. obſ. Dn. D. Hoyeri*, qvæ legitur in *Eph. Germ. D. III. A. III. O. 47. p. 54.* aut ſaltem peſſimis & lethiferis ſymptomatibus dat anſam, prout *Excellentiſſ. Rivinus in Tr. de Peſte Lipſ.* fuſius circa explicationem originis & propagationis hujus morbi egregie demonſtravit. Proinde moderatam tantum coagulationem ſangvinis à terrore, mœrore, ac timore poſtulamus pro ſanandis morbis, cujus felix operatio nititur non ſolum obſervationibus §. præc. adductis, ſed aliis inſuper, è qvibus adhuc commemoro *Gabriel. Clauderi, in Eph. Germ. D. 2. A. 5. O. 196.* relatam, de fœmina diu vexata ebullitionibus ſangvinis, de die non ſolum moleſtisſimis, ſed etiam de nocte ſomnum perqvam inqvietum reddentibus, qvas mœror ex adverſa fortuna natus, præter intentionem paulo poſt ſuſtulit omnes.

§. XXVI. Sed uti nominatæ nunc commotiones ſpirituum fluidas ſangvinis partes coagulant; ita dantur aliæ, qvæ reſolvunt ſpiſſos & craſſos humores, è qvibus præ omnibus ira venit nominanda: Facile hinc ſubſcribo citati modo *Clauderi* ſententiæ, qvam in allegata obſervatione proponit, nempe ira mediante reviviſcere balſamum vitalem in ſenibus, qvatenus mucoſam phlegmatis viſciditatem, illum ſolenniter ſuffocantem, diſcutiat. Ideoqve non alio ex fundamento gaudium ſaluberrimum dicit *Fernelius* ſenibus, & vitæ ſedentariæ deditis, aliisqve, qvibus humorum coagulum fixos producit morbos. Suppeditat nobis teſtimonium Celeberr. *Peyreskius*, prout à *Gaſſendo in Vita ejus* proditur: hic enim, cum aliqvando Rheumate inſigni, ſimulqve renum dolore laboraret, & alia vice ex levi Apoplexia paralyticus factus eſſet, primum affectum, per lectionem præfaminis *Gloſſarii Archelogici Henrici Speelmanni*, propulſavit, ex altero vero per literas celeberrimi *Thuani* cum gaudio lectas, & cantum hymni in honores Lilii Roſæqve compoſiti, rediit ex voto in gratiam cum ſanitate adverſa, in iſto temporis puncto: nam aphonus hucusqve, cum laudes decantare hymni dicti vellet, recepit libertatem non lingvæ tantum, ſed omnium membrorum antehac reſolutorum. Addi his caſibus meretur cura icteri per gaudium concitatum in qvodam, cui nuntius referebat, ipſi jam Seni, filium eſſe ex conjuge juvencula natum. *conf. Pechlin. p. 467.* Nec novum eſt, Cachexiis feliciſſime ſuccurri, ſtatim ac ægris animus redit, antea curis aut aliis objectis adverſis preſſus; hinc Venus etiam non raro medica obſervatur, virginumqve aufert colores fœdos. *conf. Æginet. l. 1. c. 35.*

Vis mei Pathem tum in ſis hum bus reſo dis.

§. XXVII. Sed velim itidem hic notetur, ſpiritus vim ſuam in perſanandis morbis, non ſemper ſolum reſolvendo humores, exerere, ſed ſimul imminuendo verè qvantitatem eorum

in hum copia imi nuena

rum abundantem, dum eam nunc inſenſibiliter conſumunt, nunc vero ad emunctoria naturalia transferunt, aut per vaſa rupta exturbant. Ad primum effectum, h. e. *conſumptionem* minus ſenſibilem, comprobandum teſtem voco *Hipp. l. 6. Epid. Com. 5. text. 23.* ubi Venerem Catarrhalium morborum curatricem pronunciat, illudq; exemplo *lib. I. Epid. text. 71.* confirmat & alio *lib. 1. de Diæta*, Timocharum nempe, Coryza laborantem, Veneris uſu curatum eſſe, qvod ipſum qvoqve confirmat *Æginetæ* obſervatio *loc.* modo *cit.* adducta, de diuturno alvi fluxu Venere exſiccato, & *Amati Luſitani*, qvi ipſam Dyſenteriam impudico congreſſu eſſe ſanatam *Cent. 2. cur. 47* prodidit. Pro altero autem ſtabiliendo, provoco ad Diarrhœas bilioſas & Vomitum, qvæ in ſubjectis qvamplurimis oriuntur à vehementi excandeſcentia, *conf. Ridlin. Lin. Med. A. 4. p. 912.* Huc refero etiam curam Gonorrhœæ vel Pollutionis nocturnæ, à Coitu reiterato expectandam, in illis præprimis ſubjectis, qvæ non tam à debilitate harũ partium, qvam copia vel ſeminalis liqvoris in proſtatis, vel ſeminis in veſiculis ſeminalibus, morbos hos contraxerunt, de qva *vid. Foreſt. l. 26. o. 11. Campanell. Medicin. l. 6. c. 20. Art. 4.* Pro ultimo tandem militant ſangvinis profuſiones plus minus enormes per nares, uterum, hæmorrhoides, aliaqve plura inſveta etiam loca, v. g. gingivas, labia, oculos, aures, imo per univerſum corporis habitum, factæ, poſt iram, gaudium, terrorem, timoremqve, de qvibus tot proſtant exempla apud Practicos, ut nimius eſſem, ſi loca ac nomina eorum darem.

[H]umorum [qvantitas de]ficiens re[stitu]endo.

§. XXVIII. Num vero humorum qvantitas deficiens pathematum & commotionum ope reſtituatur, paradoxum videri poſſet intuitu primo, nihilominus, qvemadmodum nemo dubitat, humorum laudabilium depopulationem fieri per Amorem, Studium nimium, & inprimis per Curas, Solicitudinem, atqve Mœrorem, ſicut Curæ *Ovidio* depopulatores artuum jure audiant, & alius Poëta de Studio nimio canat:

Si pallere cupis, & contabeſcere morbo,
Et vulgo fieri fabula longa, ſtude;

ita ex oppoſito, animum tranqvillum & à curis omnibus liberum augere laudabiles humores, & plethoram freqventiſſime generare, imo & nimiæ obeſitati anſam præbere, adeo certum eſt, qvam certiſſimum. Qvid enim qvæſo freqventius obſervamus, qvam juncei habitus juvenes utriusqve ſexus, ſvavi maritali vinculo ligatos, dum ſc. ex voto ipſis cedunt res familiares, brevi pingveſcere, & ſæpe monſtroſe obeſos fieri intra breve tempus?

Efficacia in partibus ſolidis

§. XXIX. His abſolutis circa vim medicam animi commotionum in cura humorum, pergo ad demonſtrationem efficaciæ earundem in ſolidis partibus. Uti vero variæ iſtæ ſunt, ſi texturam & conformationem ſpectes; ita etiam effectus diverſus pathematum eſt in illis. In oſſa & cartilagines vix, imo ne vix qvidem, immediate agere obſervantur; è contra vero in nervos & nervoſas partes, poſtmodumqve in fibras motrices ac membranas adeo evidens eſt hæc illarum poteſtas, ut obſervationum Centuriæ, ſi neceſſum foret, negotio haud difficili produci poſſent.

obſtructiones reſerando.

§. XXX. Inprimis tamen ex his animadverſione digna eſt vis reſerandi obſtructiones. Supra jam curam Podagræ ac Paralyſeos per excandeſcentiam, hujusqve generis alia adduxi exempla, pro demonſtranda efficacia, qvæ commotionibus animi ineſt, dum reſtituit humores vel deficientes in motu, vel peccantes qvalitate, qvæ cuncta pro confirmanda hac ſententia ſimul militant. Clarius tamen adhuc à priori eam probant carnearum, membranoſarum, nervearum, & ex his compoſitarum partium, ab animi pathematibus & commotionibus factæ inflationes, juxta ac inde oriundæ conſtrictiones plus minus notabiles; harum enim ope excutiuntur & protru-

truduntur non ſolum infarcti peccantes humores, verum ſi forſan, ſtylo antiqvorum, intemperies ſine materia in tubulis occurrat, ſive ut clarius loqvar, ſi tantum exſiccatæ aut criſpatæ vel ſpaſino correptæ deprehendantur, non minus illa qvoqve vitia expanſione vitalis elateris per animi commotiones tolluntur feliciter.

Exempla efficacis terroris in inteſtinis.

§. XXXI. Effectus hic manifeſtiſſimus fit in cura alvinæ ſuppreſſionis per metum; exemplum tale habeo à Viro qvodam fide digno, qvi novit Virginem Nobilem, qvæ toties ac imminet aëris tempeſtas, Diarrhœa vexatur, adeò, ut hac de cauſa templa freqventare æſtivo tempore non audeat, ne turpiter ſe dare cogatur, ſi forſan ex improviſo cœlum fulguret aut tonet. Simile qvid alii annotarunt in viris robuſtis, & militibus intuitu primo fortiſſimis: nam cum eſſet pugnandum cum hoſtibus, ſtatim à ſigno prælii dato, alvus ſolvebatur timidis his, ſic ut braccas replerent ſordido onere, non ſine riſu ac ſibilo commilitonum. Qvod ipſum in fœmina qvadam illuſtri ſe pariter annotaſſe refert *Ridlin. in Lin. Med. A. 3. Menſ. Apr. lin. 6. p. 219.* qvæ, ſtipticitate alvina ſolenni laborans, toties, ac terror vehemens ſibi animum percuteret, ab importuna illa ſarcina liberabatur, conf. inſuper *Eph. Germ. D. 1. A. 9. & 10. p. 244.*

Iræ efficacia.

§. XXXII. In aliis Ira ex eodem plane fundamento ſolvit alvum; Exemplum nobis referunt naturæ conſulti de muſtela ſylveſtri ſeu viverra, qvæ provocata ad iram feces alvinas, fœtore inſigni imbutas, rejicere in perſecutores dicitur, ſeſeqve eo ipſo ab illorum inſultu liberat. Qvale qvid de alio qvoqve animali Americano, cujus nomen excidit, me legiſſe recordor. Stabilitur inſuper aſſertum obſervatione *Paullini 92.* qvæ legitur in *App. ad Eph. Germ. D. 2. A. 5. p. 57.* de ludi moderatore, qvi, qvamprimum diſcipuli vel domeſtici peccarent erga eum, aut acerbitatem aliqvam illi afferrent, ſubito excrementa alvi egerebat.

Riſus

§. XXXIII. Simile qvid etiam à riſu notamus produci; teſtes prodeant *Eph. Germ. D. 2. A. 3. O. 12. p. 20.* ſiſtentes fœminam, qvæ nunqvam alvum exonerare valebat, niſi profuſe in cachinnum excitata, hinc familiares vel joco aut alia re delectabili, liberaturi miſellam à ſcybalis, affectum hunc promovere ſemper cogebantur: Sine dubio vero non ſolum diaphragmatis motui impetuoſiori ad inferiora in acceptis eſt ferenda hæc operatio, utpote qvo inteſtinis ſtimulus additur & calcar, ut ocyſſime egerant concluſas fæces: ſed ſimul etiam in ipſis ſpiritibus exultantibus culpa hæret, qvare ſolenniter videmus, animum ſerenum & lætum purgantia remedia egregie promovere, & è contra triſtem, remorari, ſæpeqve penitus cohibere ea. *vid. Pechlin. obſ. p. 464.*

Animi motion... ſtomac... efficac...

§. XXXIV. Ab inteſtinis venio ad ſtomachum, cujus motrices fibras Spirituum impetu ad inverſum periſtalticum motum diſponi, vomitumqve eo ipſo naſci, palam eſt. Qvis neſcit, nauſeam ſtomachiqve everſionem ex adſpectu alterius vomentis, vel narratione rei ſordidæ excitatam, aut ſi alimenta non rite cocta vel aromatiſata, aut minus uſitata, vel penitus ſordida exhibita fuerint, aut ſaltim, ac ſi propinata eſſent talia, falsò nobis perſvadeantur, ſæpe tantum ac tam gravem gigni vomitum, ut vix remediis compeſci impetus iſte valeat? Nec latere poteſt ſimilem freqventer ſtomacho imprimi impetum, ab ira & vehementi excandeſcentia, alioqvè tempore à Muſica, de qvibus effectibus merentur legi *Ridlin. Lin. Med. A. 4. p. 912. Eph. Germ. D. 3. A. 3. O. 182. p. 317.*

in Veſ... rinar...

§. XXXV. Subjungo his veſicam urinariam, cujus ſphincter in qvibusdam ſubjectis ſolenniter riſu exceſſivo laxatur, ob nimium conſtrictas fibras ejus motrices carneas, tunicam mediam efformantes, qvalem hiſtoriam in Collegio Caſ. recenſui, de qvadam puella, cui involuntarie à riſu ſemper fluebat lotium, niſi faſciis ventri arcte

arcte circũjectis munita incederet, utpote qvo unico medio hucusq; admodum rebelle malum ſufflaminari potuit, dubio ſine ob cohibitum muſculorum abdominis enormem motum, qvo urinaria veſica aliàs comprimebatur. Concordat cum hôc exemplo illud, qvod in *Act. Haffn. Vol. 3. p. 13.* legitur de virgine, qvæ non mingebat, niſi ab ancilla ſimul mingente admonita, vel facetiis & jocis ad affatim ridendum invitatâ. In fidem majorem adjungo hiſtoriam in *Eph. Germ. D. 2. A. 9. O. 61.* adductam, de Comite qvodam, qvem pertinax Dyſuria per aliqvot dies lecto affixum tenuerat, donec terrore vehementi incuſſo, ex incendiariæ campanæ ſono percepto, viſaqve ſimul in proxima vicinia ingenti flamma, curatus ab illa fuerit. Si lubet, adde etiam illum caſum in modo citatis *Eph. Germ. D. 3. A.* 7. *O. 180.* annotatum, de matrona & ex illa natis aliqvot filiabus, qvæ omnes veſicam levare nunqvam poterant, niſi audito ſtillicidio aqvæ ex gutturnio in ſuppoſitam pelvim delabentis. Ex qvo ni fallor fundamento Iſchuriam eam octiduanam qvoqve ſolutam puto, de qva videantur *Eph. Germ. D. III. 4. I. O. 131. p. 226.* Cum enim illa nulla attenderet remedia, lege artis præſcripta, tandem ſanata eſt à gryllis campeſtribus vivis, ſub genubus ægri ligatis, ita, ut libere progredi, partesqve has ſenſatas titillare potuerint.

utero. §. XXXVI. Seqvuntur jam phænomena in utero occurrentia. Non referam in præſenti menſium fluxum nunc ſuppreſſum, nunc excitatum per animi affectus, ne crambe bis cocta appoſita nauſeam moveat; Non poſſum tamen præterire Vim Medicam in partu facilitando maxime conſpicuam. Certe, qvemadmodum timor & metus, indeqve nata puſillanimitas, dum ſc. puerpera DEo viribusqve ſuis plane diffidens deprehenditur, non aliam niſi infelicem καταςροφὴν promittit: ita è contrario ejus animus erectus, hilaris, Deoqve fidens, fauſtum exitum pene ſolenniter pollicetur. Parant vero illum ſolæ adhortationes, aut oſcula tremebunda à marito inflicta, ſæpe felicius, qvam confortantium ac Analepticorum apparatus omnis; Quod ſi nihilominus iſtis ſolis pectora hæc meticuloſa mulceri non valeant, aliis mediis id ſubinde obtinemus, qvæ tamen nullis innatis operantur viribus, ſed ſaltim qvod fiduciam augent, dum ſc. effectus infallibiles loqvaces mulieres, aut ſimilis farinæ medici de illis prædicant. Refero huc Ætitem, aut oculum leporis menſe martio capti, vel fruſtum cutis Tygridis, pedibus illarum alligata, aut ſi alio tempore puerperæ fructus momordicæ, donec ſponte dehiſcat, manu detinendus datur, vel hauſtus vini, cui prius aliqvandiu Hierochuntica roſa immerſa fuit: Præ omnibus tamen animi commotionibus laudem meretur riſus in hoc caſu, qvippe, cujus qvaſſationibus partûs conatus novi provocantur, matrem uterumqve onere ſuo vel ſoli liberaturi. *v. Pechlin. Obſ. Med. Phyſ. C. 3. O. 28.* *Riſus maxime in partu commendatur,*

§. XXXVII. Non igitur mirum, ſi aliqvando interni abſceſſus, cuncta remedia fere eludentes, his etiam auſcultent animi commotionibus, & inde excitatis concuſſionibus. Circumfertur hiſtoria de Patre qvodam purpurato Romano ex pulmonum Vomica, mortis candidatorum albo à cunctis domeſticis inſcripto, qvi tamen ex ſimiæ præſentis ridiculis geſtibus in riſum ſeſe effundens, rupit Vomicam, cum ſanitatis recuperatione. Non minus probationis loco inſervit obſervatio rupti abſceſſus cerebri, excitato in ægro inſperata occaſione riſu, qvæ legi poteſt *ap. Binninger, l. 3. O. 47. p. 307.* Et omnium maxime caſus Studioſi cujusdam, vulnerati inter tertiam & qvartam coſtam, qvi ex ſangvine intra thoracem effuſo, nulliſqve remediis auſcultante, certo certius periiſſet, niſi in riſum caſu qvodam ſolutus, concuſſione iſta organorum reſpiratoriorum ejeciſſet hoſpitem hunc importunum, eaqve pulmonibus ſpatium ſeſe explicandi denuo dediſſet neceſſarium. *vide ſis Pechlinum.* *in abſceſſibus rumpendis.*

§. XXXVIII.

In tumoribus diſcutiendis.

§. XXXVIII. Aliæ leviores obſtructiones reſerantur non ſolum citius, ſed qvoqve freqventius. Sic terrori ſubinde cedit inflammatio, cujus invenitur teſtimonium apud *Rolſinck. Epit. Aff. partic. l. 14. ſ. 3. c. 12.* Hinc motus impotentia ex hac cauſa orta huic paſſioni animæ etiam ſubmittit ſe & fugit non raro. Docebo id ex memoria *Pechlini l. 3. o. 24. p. 454. & Salmuth. l. 1. o. 48.* qvi uno affirmant ore, ſe hoc animadvertiſſe. Nam cum juxta priorem pro diſcutiendo tumore pedis à Medico ſpiritus articularis ad extra juſſus eſſet applicari, isqve ad ignem ab imprudenti miniſtro propius admotus flammam ſuſcepiſſet, interulaqve inde accenderetur, terrore adeo perculſus eſt æger, ut exſiliens è lecto fuga ſibi conſuluerit protinus. Alter autem refert, cum cuidam ægro cataplaſmata pedibꝰ circumjecta, importune morſu auferret ſus, hypocauſtum ingreſſa, tam graviter eo ipſo eſſe commotum, ſive terrore ſive ira, ut illa adhuc die didicerit, inſiſtere pedibus, antehac ad corpus ſuſtinendum penitus ineptis.

§. XXXIX. Et licet aliàs ſcirrhoſi & carnoſi tumores magis deprehendantur rebelles, ſæpiusqve per longum tempus cuncta conamina medici & chirurgi eludant, tamen à terrore etiam hos disgregatos eſſe videre eſt apud *Pechlinum*, qvi *C. 3. o. 24.* de Medico qvodam rariſſimum hunc caſum refert, ſcilicet in illo carnoſam herniam unice terroris ope eſſe ſanatam. Nec minus in aliis partibus tumores cedunt ad contrectationem & attactum manus cadaveroſæ, qvod probo teſtimonio *Soc. Reg. Anglicanæ Transactionum p. m. 156.* de Verrucis hac methodo curatis; coqvus enim aliqvis, cui manus erant obſitæ fœdis his monticulis, frictione manus Heri ſui demortui feliciter illos abegit. Confirmat hoc obſervatio *Wedelii in Eph. Germ. D. 1. A. 2. O. 11. & Samuelis Ledelii in iisdem Eph. D. 2. A. 2. O. 142.* exhibita, qvi ſtrumas tali contrectatione ex voto ſublatas eſſe perhibent. Collimant etiam huc, qvæ *Helmontius refert Tr. Demens idea. §. 46.* de methodo auferendi ſtigmata fœtui olim à matre impreſſa, ſola admotione manus hominis longa tabe extincti.

Cura rum thema per p… ſolida exten… ac in… ne…

§. XL. Sed miſſis his, pergo nunc ad Curam morborum, qvæ fit per partium ſolidarum extenſionem, inflationem ac turgeſcentiam. Poſſem, ſi vellem, facili negotio ſatis prolixum catalogum recenſere, ſed ſatis erit adduxiſſe, à dolore, excitato per verbera, vel natibus vel ipſis genitalibus, inflicta, impotentiam virilem curatam eſſe in pluribus ſubjectis, qvod argumentum prolixe & pro more egregie dilucidatum dedit *Meibomius in Ep. de Uſu virgarum in re venerea*, cui adde Reſponſionem *Bartholini* de hac materia editam ad filii Meibomii Epiſtolam, it. ſcriptum *Paullini de Cura morborum per verbera*, in qvo copioſiſſima reperiuntur exempla, qvæ ſufficienter fidem facere dictis poſſunt. Adjungo his exemplis illam reſtitutionem ſubitaneam crurum, per aliqvod annos contractura laborantiũ, cujus mentionem injicit *Valer. l. 2. O. p. 82.* Vir namq; aliqvis nobilis ira, eaqve vehementi, perfuſus in famulum profugum, qvem plagis cædere nitebatur, corpus tam potenter exagitavit, ut confeſtim diſtentis crurum nervis, poplitibusqve emollitis, ſine triſti ſenſu incedere, & erectus ſtare fuerit viſus. Et qvid obſtat, qvin hoc in loco etiam apponam hiſtoriam, qvam *Herodotus* de Crœſi filio narrat, illum nempe, nativo lingvæ ac vocis proferendæ impedimento affectum, cum Perſidem qvendam (alii referunt Cyrum Regem) in Crœſum Patrem irruere velle videret, ira ac metu percitum, vocalem evaſiſſe, altaqve voce clamaſſe: Homo, ne Regem interimas, vel ut *Valerius Maximus* refert: Parce Parenti meo, Cyre, & te hominem eſſe caſibus noſtris diſce.

§. XLI. Clauderem nunc ſectionem hanc, niſi mihi adhuc incideret notabilis vis animi pathematum in partibus ſolidis, ſuis de ſedibus turbatis, reſtituendis. Poſſem ipſe allegare virum, cujus os humeri luxatum, qvod Chirurgus indoctus reponere, per trium ſeptimanarum

rum ſpatium, non poterat, ſuperveniente terrore ſubitaneo ex tempore ſedibus ſuis magno cum ægrotantis ſubſeqvente gaudio, reddebatur. Nec prætereundum, herniam ad ſcrotum delapſam terrore intus ſuſcipi, qvam obſervationem ex communicatione Viri cujusdam Conſultiſſimi habeo, qvi olim graviter deſcenſu tali inteſtinorum decumbens, per hoc animi pathema reſtitutum ſe perfecte eſſe, gaudet adhucdum. Et uteri procidentiam ſanari ſic poſſe, dudum docuerunt *Avenzoar & Alcacaris*, Medici Arabes, è qvibus illud repetit *Zac. Luſitan. l. 2. O. 95.* jubent vero hi, ut capite declivi collocetur ægra, & inſciæ ad denudata crura lacertæ vivæ ac mures alligentur, qvi per femora vagantes, terrorem vel metum incutient, cum repentina uteri reductione. Qvod experimentum revocat mihi in animum, illud vulgi, dum ani prolapſum in infantibus reſtituunt, percuſſione clunium cum manus vola.

Medica motio- animi ſpiritibus moſis. §. XLII. Devenio jam ad vim medicam animi commotionum demonſtrandam, qvæ in ſpiritibus morboſis ſe manifeſtat. Primo igitur excitant ſpiritus torpidos, hinc ſupra jam monui de ira, in ſenibus illam, ſi modo non adeo freqvens aut enormis fuerit, remedii loco eſſe pro reſolvendis humoribus nimium ſpiſſis; addo nunc, pro ſpiritibus ex naturali decremento torpidis, rurſus qvodammodo exſuſcitandis, affectum hunc eſſe egregium. Idem hoc à gaudio expectandum, utpote qvod moderatum, novam qvaſi vitalitatem reddit, ac ætatem floridam facit. Nec terrori ac dolori vis hæc deneganda eſt, nihilqve refert, per qvodcunqve ſenſorium externum terrificum illud aut dolorem inferens objectum communicetur.

Auditus. §. XLIII. Auditus ſpecimen exhibet *Blegny in Zodiac. Gall. P. 4. p. 34. ſqq. in Edit. Germanica*, recenſens de qvodam belli duce, qvi nunqvam admittere poterat Venæ Sectionem, qvin ſemper incideret in Syncopen graviſſimam, qvam tamen avertere poſthac didicit, tympanorum bellicorum ſtrepitu iſto tempore pulſatorum: Conſtat etiam hoc ex hiſtoria, relata ab *Hünerwolffio in Eph. Germ. D. 2. A. 7. O. 17.* de qvadam matrona, qvæ parere nunqvam poterat, niſi excitato campanarum ſonitu, qvo mirifice ſemper delectabatur; His addi poteſt conſilium *Villanovani Breviar. L. 4. C. 11.* qvi pro diſcutiendo veterno, jubet, ut ſuſpendatur pedibus poſticis ad poſtes lecti, prope caput ægrotantis, ſus, & ſtimulis poſthac irritetur, horrenda enim animalis hujus vociferatione omnem torporem ſubito excuti poſſe teſtatur ſanctiſſime.

§. XLIV. Viſus exempla referunt *Nic. Tulpius L. 1. O. 41. & Diemerbrock Obſ. Curat. 10. p. m. 9.* à fulminis nempe horrendo lumine, intempeſta nocte cœlitus demiſſo, ita eſſe exſuſcitatam in binis ſubjectis vim elateris vitalis, inertem antehac & penitus imbecillem, ut, licet in priori caſu per tres, & in altero per 40. integros annos, nunqvam par fuerat, fibris motricibus robur addere ad loqvelam, & motum corporis neceſſarium, tamen iſto momento tam valentem eſſe factam, ut utramqve functionem ornare pro lubitu potuerint, antehac miſerrimi homines. *Viſus.*

§. XLV. Qvoad Olfactum, provoco ad odoramenta, imprimis volatilia ex inproviſo naribus admota, qvibus inſigniter perterriti ſpiritus exſuſcitantur; ſunt talia ſal vol. urin. C. C. ſal. Ammon. recens cum Calc. viv. aut cin. clav. factus, vel miaſmata ex pennis perdicum, vel anſerum, vel corio, pice, ſulphure, verrucis ac ungulis eqvorum, raſpatura cornu hirci, ſimilibusqve pluribus ſupra carbones candentes poſitis, emiſſa, utpote qvibus præconium ac laus præ cunctis aliis excitantibus merito competit, cùm ægris, omni ſenſu ac motu in Syncope, Apoplexia, Hyſterica ſuffocatione, ſimilibusqve atrociſſimis affectibus correptis, tam promte & celeriter ſuccurrant, ut omni pene motu carentibus ſpiritibus nova activitas accedat in iſto ſtatim momento, *Olfactus.*

ac

ac olfactus organon vellicare ex improviſo incipiunt.

In Guſtu, §. XLVI. De Guſtu teſtantur aqvæ Apoplecticæ, aut qvævis alia acria lingvæ impoſita, uti ſunt ſal comm. piper, cinnam. acutum & alia mordacitate prædita, qvæ ori intrudere pro fugandis animi deliqviis præſentibus, & avertendis imminentibus, lippi & tonſores non ſolum ſed qvævis aniculæ norunt. Imo ſi huc qvoqve vocavero ipſa medicamenta, non me à veritatis ſcopo aberraturum confido. Freqventer ſiqvidem in hujusmodi ſubjectis, qvæ averſantur ea, uti ſunt pene ſolenniter ſtolidi infantes, delicatulæ mulieres, imò qvandoqve etiam effœminati viri, ſtatim ac guſtus organum ab illis vellicatur, tumultum in ſpiritibus, ſumma ſegnitie prius laborantibus, eo ipſo excitari, variosqve irregulares motus in iis produci cernimus.

In Tactu. §. XLVII. Et ſic nec circa Tactum deficiunt exempla. Qvid notius eſt, qvam deliqvia animi terrore abigi? Jam *Homeri* tempore in uſu fuit adſperſio aqvæ frigidæ, & ea adhuc hodie inter extemporanea remedia primas tenet: cui non male ſubſtituitur concuſſio corporis. In difficili partu, puerperæ puſillanimis aut immorigeræ culpa exorto, jubet vulgus, ut adſtantium unus colaphum infligat miſellæ; qvod ruſticum licet planeqve barbarum remedii genus, tamen aliqvando profuiſſe memini. Syncopizantibus & Hyſtericis jubent evellere crines è locis ſenſatis, cum ſpe certiſſimæ exſuſcitationis. Comprobat hoc conſilium *Henric. ab Heer in obſ. Med. oppido rar. O. 19. p. 238.* experimento ebrii, pro Apoplectico male per qvatriduum habiti, qvem evulſione pilorum myſtacis coëgit Medicus, ut clamore & vibratione artuum, adhuc vivum ſe eſſe, adſtantibus ac familiaribus declararet.

In torpore Spirituum ex inebriativis. §. XLVIII. Præter hæc, ſi inprimis ſpirituum torpor ab inebriativis dependeat, dolor terrorqve narcôſin diſſipare qvandoqve deprehenditur; Exempla tria ponit *Reiſelius in Eph. Germ. D. 1. A. 2.*, primum de cive Ottenvillano, qvi ebrius fimetum ad genua illapſus, cum pro abſtergendis ſordibus deſcendiſſet in aqvam frigidam, ſublatam eo ipſo temulentiam ſenſit. Alterum de ebrio in fluvium incaute delapſo, periculo vitæ non minus, qvam frigore ex improviſo circumambiente corpus, reſtituto: Et tertium de juvene, cujus vulnus leve, per jocum inflictum, ſangvinem fundebat copioſum, unde temulentus hic, metuens ſibi de vitæ periculo, ſobrius plane eſt factus. Additur his merito cura temulentiæ per Aqvæ frigidæ vel ſucci ſemperviv. maj. cum aceto & nitro mixti, ad mammas in fœminis, & ad teſtes in viris applicationem, cujus curæ exemplum profert *Henr. ab Heer lib. & loc. jam cit.* ut taceam teſtimonia alia paſſim à Practicis prolata.

In motu Spirituum irregulari. §. XLIX. Jam ſeqvitur inqvietudinis & motus irregularis ſpirituum Cura, qvam nemo facile in dubium vocabit, conſiderans cum *Pechlino c. 3. O. 26.* gaudium in puerperis novellis tota die parere oblivionem dolorum omnium partum præcedentium, id qvod in illis qvoqve notari poteſt, qvibus calculus veſicæ à Lithotomo exſectus eſt. Qvæ Muſicæ ſit efficacia, infantes docent, qvibus ſomnus cantilenis nutricum provocatur ordinarie, imo & adulti idem comprobant, qvorum maxime ferocientes ſpiritus vix citius demulcentur, qvam fidium vel aliorum inſtrumentorum muſicorum eutonia; hinc qvoties Saulum Regem vexabat rabies, toties citharœdus David ſpiritus iſtos inſanientes & errantes blandimentis ſoni reducere poterat. In aliis ſubjectis metus inqvietudines has compeſcit. Elegans exemplum proponit *Ridlin. Lin. Med. A. 1. p. 283.* de ebrio furente, metu ſanato. Evidentiora adhuc ſunt teſtimonia in ſingultus medela per terrorem, metum, gaudium, promiſſionem doni &c. de qva *conf. Galen. lib. de Medic. facile parab. c. 31. Valeriol. obſ. p. 162. Ridlin. Lin. M. A. 2. p. 276. & Eph. G. D. 2. A. 9. p. 174. it. D. 3. A. 1. O. 44. p. 61.* Experiuntur qvoqve hunc effectum Epileptici inſultus univerſales, terrori ſcil. ſe ſubmittentes, qvalia facta narrant *Eph. Germ. D. 2. A. 9. p. 353. 370. Bartbol. C. 3. O. 41. p. 83. Binninger. O. 29.*

§. L.

[..]ribus [..]mit- [..]bus. §. L. Ex hoc fundamento intermittentium Febrium medela per animi pathemata non male deducitur. Nam cum ex plurium Medicorum opinione harum Febrium formalitas conſiſtat in motu irregulari ſpirituum, liqvet ſtatim à priori, hac methodo compeſci illum ex voto poſſe. Sed magis adhuc copia exemplorum infinita favet theoriæ huic, è qvibus tamen ſeqventia ſolum apponam: Refert ſc. Illuſtris *Boyleus de utilit. Phil. Experim. Exerc. 5. p. 282.* Qvartanam pertinaciſſimam per terrorem, ex gliris prægrandis furioſo inſultu, eſſe curatam. Idem commemorant *Eph. Erud. D. 1. A. 2. O. 150. D. 2. A. 3. O. 93.* nempe occaſionem curæ dediſſe bombardæ improviſam exploſionem, & *D. 1. A. 3. O. 150. & 211.* habetur, ex immerſione in aqvam perterritos tertianarios eſſe ſanatos. Plura profert *Ambroſius Paræus l. 1. c. 23. Rolfinck. Ord. & meth. med. ſpecial. com. p. 1024. Blegny Zodiac. Gall. Menſ. Jan. Pechlin. Obſ. Phyſ. med. l. 3. O. 24. p. 453.*

§. LI. Interdum ira fungitur medici vice, uti teſtimonio fulcit *Valeriola l. 2. O. 4. p. m. 82.* his verbis: Qvartana laborantem in vehementem iram, meo conſilio à ſuis conjectam, extemplo curatum vidimus, cum nullis antea medicamentis ceſſiſſet morbus. Qvod exoptato eventu *Borrichius in Act. Haffn. & poſtm. Greulichius* imitatus eſt, & confirmatur à *Schenckio l. 6. o. 53. T. 2.* Nec gaudio talis poteſtas deficit; Conringium enim aliqvando Tertiana decumbentem, gaudio, ex colloqvio cum Meibomio, concitato, reſtitutum eſſe ſcribit *Pechlinus obſ. p. 466.* qvo in loco idem refert, in alio Tertianario nuntium lætum Febrem cum Ictero feliciter ſuſtuliſſe. Nec alii affectus virtute iſta deſtituuntur, hinc imminens naufragium aliqvando, alioqve tempore dolor a flagellis, & alapa inflicta excitatus, & rurſum titillatio ex congreſſu freqventi celebrato, febres debellaſſe refertur, qva ultimum nominata jucunditate peſte laborantem fœminam aliqvando reſtitutam eſſe referunt Doctores. v. *Pechlin. obſ. p. 449. Meibom. de uſu flagrorum in re Ven. Eph. Germ. D. 3. A. 2. O. 202. D. 2. A. 10. p. 221. D. I. A. 10. O. 155. p. 341. & A. 2. O. 188. p. 286.* qvibus adde, qvæ *Dn. D. Georgius Hoyer* refert de aliqvot ægris ex febre ardente graviter delirantibus, ac in furore iſto in mare ſe præcipitantibus, qvi derepente ex undis in naves retracti, evaſerunt omnes, *vid. Eph. Germ. D. III. A. III. O. 48. p. 55.*

Efficacia fiduciæ & imaginationis de Medico. §. LII. Minime culpandus ero, ſi ſtupendam fiduciæ & imaginationis efficaciam hic qvoqve adduxero, ſeu ea ſit de Medico, ſeu medicamento, ſeu alimento concepta; ſemper enim ad amiſſæ ſanitatis reſtitutionem ſola hæc tantum contribuit, quantum omnia reliqva inſtrumenta ad ſalutem inducendam neceſſaria. Certe, niſi perſona Medici placeat, aut ſaltim non offendat, vix unquam medicina ſperatum conſeqvi poteſt eventum. Hæc enim eſt, qvæ ægrorum animum erigit, remediorumqve vires multiplicat ad ſtuporem, ut recte hinc imperent Doctores, tyrones ad Praxin introducentes, ne ullam licitam prætermittant occaſionem, acqvirendi in ægris affectum hunc, & acqviſitum conſervandi, exinde namqve Medicorum miſeriam & felicitatem pene ſolenniter dependere. Plures enim ſanat, cui plures fidunt ægri, juxta proverbium. Hinc

Si miſer eſt Medicus, medicamina bina venenant,
Si fortunatus, bina venena juvant.

Medicamento. §. LIII. Non minor eſt vis imaginationis & fiduciæ in medicamentum, qvod, ne ſine exemplis adſim, ſtabiliunt *Paullini in Ephemer. Germ. D. 1. A. 2. O. 238. & Ridlin. Lin. Med. A. 1. Menſ. Jul. lin. 12.* referentes, cuidam ægroto, qvi ſæpius, qvam opus erat, medicamenta poſcebat, à Medico tres è pane ſimilagineo formatas pilulas pro magno arcano eſſe exhibitas, unde maximum levamen experiebatur. Et qvid multa? nonne pene ſolenniter apud laudabilis fortunæ, nimiumqve ſimul credulos, ægros animadvertimus, ſi Medicaſter aut excellens aliqvis Thraſo infallibilem curam polliceatur, & medicamenta ſingularia, h. e. Panaceas, Pilulas Univerſales & Polychre-

lychreſtas, Aſtra & Tincturas Solis, Q. E. Gemmar. & Margaritar. aut ipſam mortem mortis crepet, illos citius ab his ſanari, qvam ab aliis eruditiſſimis viris, qvi impoſturas has abhorrent. Simpliciores vero qvi ſunt ex ægrotantibus, fiducia ſimpliciori etiam ſanantur. Hinc ruſtici inqvit *Bartholinus hiſt. de Paralyt. N. T. p. m. 42.* non raro ſchedulis devoratis curantur, qvod propriis obſervationibus probant *Solenander S. 5. Conſil. 15. §. 17. Joh. Helvvig. obſ. med. 86. Schrœckius in adjecto ſcholio, Deuſingius in Exam. Pulv. Sympathet. p. 65.*

Huc referenda Amuleta.

§. LIV. Inter externa fiduciæ & imaginationis ſubſidia merito Amuleta refero, de qvibus integros tractatus ediderunt *Julius Reicheltus & Jac. Wolffius:* Eqvidem de omnibus Periaptis id non dixerim, qvædam enim viribus inſitis utiqve agunt, qvalia ſunt v. g. Caſtoreum, Aſa fœtida, Galbanum & ſimilia de collo, pro avertenda paſſione hyſterica geſtata; aſt plura longe ſunt, qvorum virtus unice à phantaſiæ efficacia dependet. Myriades exemplorum facile adjungerem aſſerto huic, niſi res ipſa pro me loqveretur: Provoco ſaltim ad trochiſcos illos bufoninos ſ. Zenexton *Helmontii*, qvis enim ſibi imaginari poteſt, peſtiferum virus eludi poſſe à ceræ fruſto, recrementis bufonis imbuto? Nec aliter judico de Malachite, Aſterite, aliisqve lapidibus & gemmis geſtatis, qvorum vires oppido ſingulares plenis buccis decantant *Marbodæus Gallus, Albertus Magnus, Levinus Lemnius*, & ex Recentioribus *Anshelmus Boëtius à Boodt*, docentes, nunc homines imperterritos, fortunatos, amicabiles, & neſcio qvales non reddi, ſi auro incluſæ gemmæ iſtæ de digito vel appenſæ ſaltim gerantur. Taceam ſchedulas variis characteribus ſignatas, colloqve pro cura febrium aliorumqve morborum alligatas, utpote qvæ adeo clare docent veritatem effati, ut dubitari ulterius neqveat, unicè effectum illorum eſſe phantaſiæ opus.

Aliæ imaginationes ſtolidæ.

§. LV. Et hæc phantaſiæ ſ. fiduciæ operatio tandem ſe qvoqve exerit in deſiderio cibi ac potus; docet ſane frequentiſſima experientia, cibum, qvem ægri avide appetunt, vix nocere, ſed ſæpe medicamenti vim acqvirere, utut ſecundum regulas Medicinæ illi morbo noxius & contrarius vere ſit. Sic multi aqvam crudam ingurgitando, haleces ad ſatietatem comedendo, ſpiritum vini ingerendo &c. à Diarrhœis, Colica, febribus, debilitate ſtomachi, aliisqve morbis ſe liberarunt: Exempla proſtant *in Eph. Germ. D. 2. A. 5. p. 16. in App. A. 9. O. 53. p. 84. A. 10. O. 192. p. 370. D. 3. A. 1. O. 66. conf. etiam Helvvig. o. 155. p. 410. Ridlin. Lin. Med. A. 3. p. 378.*

Avidum jus velili cibi aut tus deſideriam.

§. LVI. Non aliter ſuccurritur aliis imaginationibus ſtolidis, ægrorum ſpiritibus firmiſſimè impreſſis, puta in deliriis, ſimilibusqve dementis ideæ, ut ſtylo Helmontiano utar, morbis: modo enim ſatisfiat horum deſideriis, incantamenti ad inſtar curatos illos obſervamus. Refert *Thomas à Veja in ſuis comment. in Art. Med. Galeni*, qvendam ex febre ardente delirantem enixe poſtulaſſe, ſibi concedi in ſtagno illo, qvod pavimentum credebat, vel momentaneam ſaltim immerſionem & natatum; ajebat enim, ſe certo ſcire, ex illa refrigeratione corporis reconvaleſcentiam ipſi eſſe expectandam, qvod evenit qvoqve, cum, conſentiente poſt longas preces Medico, aliqvantiſper ſe volutaſſet ſupra ſolum hypocauſti. Hoc ſuum jus deſiderium qvoqve exeruiſſe in qvartanam, teſtatur *Jægerſchmid Ephem. Germ. D. 3. A. 3. O. 100.* inceſſerat namqve tali morbo laborantem juvenem cupido ſaltandi, qvare ad nuptias illic loci forte fortuna celebratas properans, animum cupidine hac repletam exſatiat, & ab iſto tempore nullum ulterius ſenſit paroxyſmum. In furore uterino cuncta remedia alia ſuperat coitus permiſſus; Mulierem producit *Panaroll. Pentec. 3. O. 9.* ſemper extra tempus ingravidationis libidinoſiſſimam, & qvævis fomenta laſciviæ impudiciſſima qværentem, donec utero gerebat, per illud enim tempus exemplar pudoris & prudentiæ erat. Alius fœminæ mentionem injicit *Schenckius*, qvæ œſtro venereo percita, omnibus pudicitiæ ruptis repagu-

pagu-

pagulis, qvosvis ad concubitum invitabat, donec qvadam nocte à qvindecim viris compreſſa perfecte reſtituta ad auroram, domum redierit: qvale exemplum etiam *Bartholinus Cent.* 2. *hiſt.* 67. recitat. Alia ut taceam, de aliis phantaſticis ideis hoc modo expulſis, teſtimonia.

dolis ... ti ſa... tur.

§. LVII. Qvod ſi vero ægrorum deſideriis ſatisfieri neqveat, nec voti compotes reddi valeant illi, aſtu, dolis & ſtratagematibus decepti non minus ſanantur. Exempla plura feliciſſimi ſucceſſus habet *Schenk. L. 1. O. 253.* ſc. fœminam qvandam putaſſe, ventriculo inhærere ſerpentem, & rodere illum, cui Vomitorio prius exhibito, clam talis enecta beſtia matulæ imponebatur, unde perſvaſa, eam expulſam medicamenti ope, convaluit. Vir qvidam naſum ſe credebat habere urnæ magnitudinis à qva imaginatione liberatus eſt aſtu Chirurgi, qvi, accommodato illius naſo hepate bubulo, magna fruſta reſcindebat, cum euphoria ægri. *vid. Qvercet. Diæt. & Polyhiſtor. p. m. 255.* Alius cornua ſe geſtare credens, ſenſit levamen, poſtqvam capiti alligata Cervi cornua ſerra ſecarentur. Pictor imaginaria laborans oſſium mollitie, teſte *Tulpio obſ. l. 1. c. 18.* amiſit hanc inſaniam, & juxta eundem *l. 4. c. 53.* aliis, qvi cœcos ſe credebant, viſus eſt reſtitutus, ſolis ſtratagematibus Medicis.

un... dura ... ia ad... da.

§. LVIII. Sed nimium moroſos ægros duriora adhuc decent remedia, ſc. vi excutiendæ ſunt phantaſticæ impreſſiones, per alias paſſiones ingratas, ſæpiusqve prioribus ex aſſe contrarias. Notiſſimum eſt, hominibus ex rabioſi canis morſu hydrophobia laborantibus, metum & abominationem aqvæ, plane ineffabilem ineſſe, adeo, ut nullo modo ejus attactum vel conſpectum ferant, qvin ſemper contremiſcant cum ejulatu ac murmure, ad eam, imo ad qvodcunqve fluidum, hinc nec ſalivam nec ſudorem ferunt, multo minus potum aſſumere poſſunt: hanc igitur ideam non deſerunt unqvam miſeri hi, niſi cum ſumma violentia ipſis eximatur illa, qvod fit terrore & metu, incuſſo ex ſubmerſione in aqvam adeo formidatam, ut nempe nolentes ſic diſcant, ſtultam iſtam imaginationem & formidinem aqvæ fuiſſe. *Conf. Helmont. tr. demens idea. Liſter. tract. de morbis Chron. p. 105. ſq.*

§. LIX. In aliis, Maniacis puta, Melancholicis, ex amore aliisqve cauſis inſanientibus, ſi nihil amplius proſit, ad ſcuticam, virgas, ferulas, aliumqve ſimilem crudelem apparatum confugiendum eſt, qvorum validis ictibus adiguntur, ut ſuam ferociam vel inviti deponant, & veniam ſuæ inſaniæ petere diſcant. Perantiqva non ſolum methodus hæc medendi, ſed innumeris experimentis confirmata eſt, uti teſtantur *Cælius Aurelianus l. 1. Tardarum paſſion. C. 5. Rhaſes l. 1. Contin. c. 4. Ant. Gvainerius Pract. Tr. 15. c. 8. Valeſcus de Taranta Philon. l. 1. c. 11. Bodinus l. 5. de Rep.* & ex modernis *Pechlin. C. 3. o. 22.* qvi binos tales plagoſos nominat Medicos, in inſanorum curatione perqvam celebres, qvorum tanta autoritas erat apud inſanos, curæ ſuæ concreditos, ut non ſolum præſente ipſo ne hiſcere qvidem auſi fuerint, ſed etiam abſente illo, modo nomen magiſtri inſonuerit, ſtatim potuerint compeſci.

§. LX. Hic terminus Diſputationis hujus eſto. Faxit DEus ter Optimus terqve Maximus, ſupremus Medicinæ Autor, ut cuncta hactenus à me propoſita vergant inprimis in Sui Divini Nominis Gloriam. Annuat porro ISTE cœptis, faciatqve, ut Praxis Medica, cui me futuris temporibus deſtinavi, in plurium ægrotantium ſolamen & refectionem cedat.

FINIS.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Tertia:
De
MORTUIS EX AFFECTIBUS.

PROOEMIUM.

Affectuum vires

Admirandos ſane effectus ab animi, ut vocant, pathematibus in omnium artificioſiſſima prorſusqve ſtupenda corporis humani machina, cum ad conſervationem, tum ad deſtructionem ipſius facientes excitari, accurati phænomenorum horum obſervatores tota die comperiuntur. Qvæ etiam cauſa eſt, cur Artis Apollineæ Præſides ea inter ſex ſic nominatas res non naturales, i. e. qvæ pro diverſo uſu & prodeſſe & nocere poſſint, communiter referant. *Cl. Pechlinus in Obſ. Phyſ. Med. Lib. III. obſ. 22. 24. 26. 27. 28.*

medendi

plurima adducit exempla eorum, qvos metus à melancholia, mania, febri tertiana, arthritide ac paralyſi; terror à febribus plurimis, etiam qvartanis, hydrophobia, hæmorrhagiis, arthritide, hernia; ira à podagra & arthritide; gaudium itidem ab arthritide, aphonia ac paralyſi, febre tertiana ictero qve; & riſus, lætitiæ qvaſi ſoboles, à podagra ſangvinisqve ſtagnatione lethali in vulnerato thorace, vomica pectoris, partuqve difficillimo, optimo cum ſucceſſu liberavit. *Idem l. c. obſerv. 3.* plurimos metu, fœminam vero qvandam ſingulari deſiderio videndi filiam, per aliqvot dies mortis horam retardaſſe, teſtatur. *In Act. Hafn. Volum. I. obſervat. 71.* mentio fit cujusdam qvatuor annos muti, qvi vetulam ſibi obviam factam indignabundus increpuit, indeqve loqvelam ſibi reſtitutam ſenſit.

morbos ducen[tes]

E contrario autem qvantam ſubinde iidem illi affectus ſævitiam in corpore exercuerint, paſſim hiſtoriarum monumentis conſignatum legitur. Sic homines qvosdam metus exorbitantia brevi admodum temporis tractu incanuiſſe, referunt *Scaliger. de Subtilit. Exerc. 312. p. 961. Heurnius C. 5. de Affectibus, Hildanus in Oper. pag. m. 644. Marcell. Donatus Hiſt. Med. mirab. lib. 1. c. 1. Schottus Phyſ. curioſ. L. 3. mirab. Homin. p. 419. Schenckius lib. 1. obſerv. 1. Sennert. Prax. lib. 5. Part. 3. Sect. 2. c. 7. p. 316. Pechlinus loc. c. obſ. 20.* aliiqve plures. Terroris vim maximam in gravidas abunde teſtatam faciunt *Paulinus in Obſerv. Phyſ. Med. M. N. C. Dec. 2. An. 6. annexis, pag. 71.* referens mulierem ex terrore ob anſerem dextro pede elevato magno ſtrepitu, clamore ac impetu in eam involantem, filium perperiſſe, cujus pes dexter vere anſerinus fuerit: it. *Lutherus in Geneſ. cap. 30. pag. 424. & Weinrich. lib. de Monſtris c. 17. p. 160.* narrantes de qvadam Iſenacenſi, qvæ ex accurſu muris

ma-

majoris, cui vicinus aliqvis ad fugandos alios nolam ſuſpenderat, terrore perculſa, ut fœtus in ſimilis beſtiolæ formam degeneraverit. Confer etiam *Wiel. Obſ. rarior. part. 1. cent. 2. M. N. C. Dec. 2. An. 10. obſ. 81. p. 154. & A. 5. obſ. 222. p. 449.* Epilepſiam ex terrore aliisqve affectibus excitatam, pluribus exemplis è diverſis Autoribus adductis, probat *Schenckius Obſerv. lib. 1. p. 109.* it. *p. 114.* Add. *M. N. C. Dec. 2. An. 6. Append. p. 71.* Verulamium Solis eclipſi conſpecta in animi deliqvium prolabi ſolitum fuiſſe, *Pechlin. l. c. obſerv. 23.* adducit. Ita qvendam ex terrore incendii in dyſpnœam & catarrhum ſuffocativum tandemqve hydropem incidiſſe, meminit *Schneiderus Lib. 5. de Catarrh. c. 4. p. 301.* Plura exempla vid. ap. *Thom. Bartholin. 3. hiſt. 41. p. 82.* & in *Act. Med. p. 1. c. 3. Sennert. lib. 3. Prax. part. 5. Sect. 2. cap. 4. p. 567.* & *lib. 5. part. 4. c. 3. p. 374. lib. 6. part. 2. c. 4. p. 78. Hildanum lib. 1. obſ. 17. & 18. Schenckium lib. 6. p. 728.* aliosqve. In ira hominum ſalutem pari paſſu ambulare, epilepſiam in aliis, in fœminis affectus hyſtericos & ſpaſmodicos, in aliis febres exoriri, docent *M. N. C. Dec. 2. An. 10. p. 406. ſeq. & Hildanus Epiſt. ad Æmil. Portum. Pechlin. l. c. obſ. 25.* Ob triſtitiam abortum paſſam eſſe fœminam, *Binningerus Obſ. 11. Cent. 4.* refert. Amorem nimium inſaniæ, maniæ, epilepſiæ &c. anſam dediſſe, tradunt *Pet. Foreſtus Obſerv. Med. lib. 10. obſ. 29. & 30. Franc. Hildesheim Spicileg. 2. p. 181. Schenckius Obſ. Med. lib. 1. p. 141. 142. ſeq. M. N. C. Dec. 2. An. 10. p. 219. Dec. 3. An. 1. pag. 25. 29. ſeq.* plures alios autores ut taceamus. At vero non inſignes ſolummodo haſce alterationes in corporibus noſtris exſuſcitare animi pathemata, ſed ipſum qvoqve interitum iisdem non raro inferre ſolere, ulteriorem admirationem accuratioremqve conſiderationem mereri videtur. Qvare cum mathema aliqvod publicæ Eruditorum ventilationi ſubjiciendum nobis propoſuiſſemus, in cauſam hujus abſtruſi affectuum effectus pro ingeniorum noſtrorum modulo paululum penitius inqvirendi, operæ pretium judicavimus. Cui materiæ pertractandæ duas aſſignabimus Sectiones, in qvarum priori varia exempla proponemus lentæ pariter ac violentæ ſubitaneæqve mortis ex affectibus obortæ; ubi tamen animus nobis haud eſt, qvotqvot extant, obſervationes, hiſtorias &c. evolvendi atqve examinandi; neqve conſtituimus, qvasvis ſigillatim ad examen revocare affectiones; cum & præſens feſtinatio parum temporis nobis indulſerit, & plagulæ ad Diſſertationem deſtinatæ amplo huic negotio haudqvaqvam ſuffecerint. Hinc potiora ſaltem & generaliora pathemata in aſpectum producemus, ſecundum qvæ de reliqvis itidem judicium ferre, facili negotio licebit. In poſteriori autem ſoliciti erimus de rationibus phænomenorum horum qvalibuscunqve inveſti- *necandi.*

gandis. Qvodſi autem L. B. non omnia debito ordine atqve ad amuſſim prolata animadvertes, in re adeo ardua & intricatæ veritatis tyronibus nobis & commiſſorum & omiſſorum veniam dabis benigniſſime, cogitans,

Autumnus qvæ dat, non ver producit & æſtas.

Tu vero ſumme & clementiſſime DEUS, qvi ſolus es vitæ & ſalutis noſtræ fons & autor, cœptis his annue, ut cedant in S. S. Tui Nominis gloriam, noſtrumqve emolumentum!

SECTIO I.

§. I.

Mortui ex metu ac terrore.

DUM in primo adhuc Diſſertationis limine conſtituti ſumus, nolumus anxie fluctuare, qvisnam Affectus primo loco proferendus ſit, ſed absqve ambagibus eorum qvædam in medium producemus exempla, qvi ob timorem conceptum vel incuſſum Terrorem poſt breve temporis intervallum morte fuerunt oppreſſi. Teſtatur itaqve *Wolffgangus Gabelchoverus Curat. Med. Cent. 5. Cur. 75.* Medicum qvendam ex metu mortem ſibi acceleraſſe. *Thom. Bartholin. Hiſt. Anat. rar. Cent. 4. hiſt. 76. p. 386.* refert, virum qvendam eminentem, mari procellis agitato vectum, ob conceptum inde timorem Romæ ſe ipſo præſente mox expiraſſe; it. vetulam timidiuſculam ex viſo funere perterritam, in lectum conjectam, morteqve oppreſſam fuiſſe. De Theodorico Oſtrogothorum Rege terrore & horrore ex piſcis cujusdam aſpectu, cujus caput inſolitæ magnitudinis erat, perculſo, & paulo poſt è vivis ſublato, vid. *Sigonius l. 16. Imp. Occid. Caſp. Hennenberger* in Beſchreibung des Landes zu Preuſſen *p. 10.* enarrat, *Potollos* ſive Pocollos, idolum olim Boruſſorum, noctu homines adeo terruiſſe, ut plurimi exin mortui fuerint. *Anton. Benivenius* de abditis *morbor. & ſanat. cauſis c. 63.* puerum qvendam, refert, in morbum graviſſimum ipſamqve mortem incidiſſe, ex eo, qvod aliqvando duo viri, forma horribili & veſtibus nigricantibus amicti obviam venerint maximum pavorem & terrorem incutientes. *Hor. Augenius* docet, oculari ſe obſervaſſe inſpectione, qvendam pugno in faciem percuſſum ob terrorem ſtatim Apoplexia tactum fuiſſe & obiiſſe, *Tom. I. Conſ. & Epiſt. l. 9. ep. 2.* Cui ſimile exemplum adducit *Camerarius in Sylloge memorab. Med. C. 10. obſ. 43. §. 2. pag. 774.* Aliud idem ſuppeditat *l. c. Cent. 13. Hiſt. 44. p. 1081.* ex *Luſitano Cent. 3. Cur. 22.* de infante ab ictu bombardæ exaudito perterrito & morte abrepto. Neqve ſilentio involvenda erit obſervatio in *M. N. C. An. 3. Dec. 3. obſ. 29. p. 34.* annotata de puella qvadam, qvæ aſpectu viri cujusdam perſonati, dum Bacchanalia celebrarentur, tanto perculſa fuit terrore, ut in terram ceciderit, breviqve poſt expiraverit. Sic & *An. 1. Dec. 3. obſ. 22. p. 44.* mentio fit cujusdam ſalaciſſimæ mulierculæ, qvæ terrore concuſſa, in ſyncopen incidit, tandemqve in riſum ſic dictum præternaturalem, qvo cum valde ultra horas 30. vexata fuiſſet, lachrymis continue profluentibus, oculisqve omnium cum ſtupore prominentibus, adeo, ut ex orbita prolapſuri viderentur, miſere tandem e vivis diſceſſit. Fœminam qvandam patriciam ob cometam illum an. 1681. conſpectum in tantum ſubito incidiſſe terrorem, ut intra paucos dies animam exhalarit, teſtatur *Pecblinus l. cit. obſ. 23.* qvi plura *ibidem* exempla affert eorum, qvi ob timorem in morbum illapſi, morti tributum ſolverunt. Inſtar omnium vero hic adducere liceat teſtimonium primo loco meritò producendum *Viri Excellentiſſimi atqve Experientiſſimi Dn. D. Rivini, Patroni ac Præceptoris noſtri ſummo cum ſtudio colendi,* qvi in *Diſſert. de Peſte Lipſienſi* an. 1680. innumeras fere profert obſervationes

eorum,

eorum, qvi ex terrore peſte correpti diem ſupremum obierunt; & *c. 2. p. 30.* ſancte teſtatur, *ſe nullum vidiſſe ægrum ex peſte, qvi non à terrore eam contraxerit.*

§. II. Verum & eorum proſtant exempla, qvi ipſo momento, dum metu & horrore fuerunt perfuſi, exanimes conciderunt. Eqvidem de Sara Abrahami uxore Judæi referunt, eam, cum filium Iſaacum mactandum eſſe audiret, ita fuiſſe perterritam, ut animo linqveretur, vid. *R. Eliezer in Pirke abbot* è verſione *Vorſtii c. 23. pag. 76.* qvorum fidem in medio relinqvimus. Certius ex *Plutarcho in Pompejo*, & *Val. Max. lib. 4. c. 6.* conſtat de Julia, unica Julii Cæſaris filia & Pompeji Magni conjuge, eam veſtimentis hujus ſangvine tinctis conſpectis ratam, ipſi violentas manus fuiſſe injectas, tanto terrore fuiſſe affectam, ut cum partu animam emiſerit. Dictus qvoqve *Plutarchus* teſtatur, Lentulum, poſtqvam de Pompeji morte audiverat, repente exanimatum fuiſſe. Qvintus Fabius timore ſubito dicitur extinctus, cum certum ſupplicii genus à Tribuno plebis ſibi indictum audiviſſet, qvoniam Legatus ad Gallos miſſus, adverſus eosdem contra jus Gentium arma apprehenderat, conf. *Liv. lib. 6. Valer. Max. lib. 9. c. 12.* In bello, qvod Turcæ Andronico juniori Imperatori fecerant, cum exercitus noctu fuiſſet turbatus, plurimos militum præ timore ſtantes expiraſſe, aſſerit *Gregoras lib. 9.* teſte *Zwingero* in *Theatro vit. hum. p. 493.* De religioſa qvadam, qvæ cum in militum manus incidiſſet, & evaginatos gladios mortem intentantes vidiſſet, adeo territa fuit atqve commota, ut ſangvis ab omnibus corporis partium meatibus manaret, ita ut in oculis hoſtium exſangvis effecta, vitam finiret, conf. *Schenk. lib. 3. p. 413.* Sic ob angvem à marito pro piſce devoratum, ruſticam prægnantem terrefactam, interiiſſe, commemorat *Kornmann. de Mirac. Mortuor. c. 109. p. 156. Id. ibid.* aliud notatu haud indignum tradit exemplum de juvene qvodam admodum delicato, qvi vetulæ cujusdam deformis aſpectum adeo exhorruit, ut omnium ſummo cum ſtupore exanimis fuerit elatus. Ulterius ait *loc. cit.* Romæ qvendam capite ob delicta plectendum, anteqvam ictum ſecuris ſentiret, ſubito ex metu mortuum fuiſſe; cui haud abſimile eſt, qvod vulgò de communiter ſic dicto Claus-Narren referre ſolent: cum qvo coincidens recenſet *Sennertus Prax. l. 5. part. 4. c. 3. p. 374.* Cui volupe eſt, plura hujusmodi legere, adeat *Henr. ab Heer Obſ. rarior. l. 6. O. 6. Rhodium Obſ. Med. Cent. 1. Obſ. 48. Ant. Benivenium de abdit. morb. cauſis c. 110.* ubi largam deprehendet meſſem.

§. III. Nec infreqventius Triſtitiam lethi extitiſſe cauſam, ipſius non ſolum *Siracidis c. XXX. v. 25.* *multos*, inqvientis, *occidit Triſtitia, & non eſt utilitas in illa;* ſed experientiæ qvoqve teſtimonio comprobatur. *Val. Max. l. 9. c.* 13. ſcribit, Homerum animi mœrore expiraſſe, qvod piſcatorum reſponſum qvoddam minus explicare potuerit; qvamvis *Herodotus* illud neget. Eodem fato Diodorus Cronus, Dialecticæ Profeſſor, creditur peremtus, vid. *Plinius lib. 7. c. 53.* Ariſtoteles qvoqve Princeps ille Peripateticorum, cum diu in fluxum & refluxum maris inqviſiviſſet, tandem ob mœrorem animi è vivis ſublatus fuiſſe traditur à *Procopio*, *Nazianzeno*, *Juſtin. Martyre*, dubitante tamen de eo *Rhodigino lib. 29. c. 8. Diogene* vero *Laërtio*, cumqve ipſo aliis plane negantibus. Certum magis eſt, qvod *Raphael Volateranus lib. 23. Anthrop.* refert de Samuele Duce Bulgarorum, qvi ſuorum 15. millia à Baſilio Romanorum Duce excœcata cernens, unico ſaltem excepto, qvi cæteros oculis orbatos ad eum ducebat, brevi poſt ex ingenti dolore occubuit. Haud diſſimile de Stephano Hungarorum Rege exemplum narrat *Bonfinius lib. 1. Dec. 2.* Neqve Hermolaus Barbarus tacendus, qvi propter ſummam mœſtitiam exceſſit. *Volat. l. c.* Eodem fato Urbanus III. Pontifex inter vivos eſſe deſiit, poſtqvam captas à Saladino Ægyptiorum præfecto, Hieroſolymas audiviſſet. Bonifacius VIII. Papa à Sarra Columna *ex Triſtitia.*

Bonifacio captus, ob conceptam inde triſtitiam in furorem verſus & extinctus eſt, teſte *Fulgoſ. l.6.c.12.* De Ludov. Pio Imp. Auguſtino Trivultio Cardinale, Eduardo III. Anglorum R. & aliis, qvi ex hoc affectu mortem ſibi contraxerunt, vid. *Zvvingeri Theatrum vit. hum. Lib. 7. p.* 493. Henricus IV. Imp. ob filii Henrici V. impietatem ex triſtitia deceſſiſſe à *Cuſpiniano in Vit. Imp.* perhibetur. *Hœferus in Herc. Medic. Lib. 2. c. 1. p. 109.* ex *Georg. Bertin. Medicin. lib. 6. c.* 3. ſcribit, Henricum Imp. triſtitia & mœrore periiſſe, qvod inſidiis filii imperio expulſus eſſet. *Gvilielm. Fabricius Cent. 2. O. 12.* fœminam memorat, qvæ conſternatione & mœſtitia apoplexiam & deniqve mortem acceleravit. Cæterum plura exempla eorum, qvi hujus affectus vitio è vivis ſublati fuerunt, videri poſſunt ap. *Henr. ab Heer Obſerv. rar. lib. 6. Bartholinum cap. 2. Epiſt.* 83.

§. IV. Deproperandum nunc nobis eſt ad eos, qvi ſubito & uno qvaſi momento ex vehementiori mentis ſolicitudine morti ſuccubuerunt. Victorem Capellum Venetæ claſſis præfectum, cum ob res infeliciter geſtas dolori nimium indulgeret, ſedentem repente expiraſſe narrat *Sabellicus l. 6. & l. 8. Deciſ.* 3. De Pomperano Gallo memorat *Jovius l. 26.* qvod urbe qvadam ab Imp. Caroli V. exercitu expugnata, cogitatione defixis in cœlum oculis obſtupuerit, & extemplo dolore maximo perculſus, expiraverit. Repentinum cujusdam patris obitum ex aſpectu filii in prælio occiſi, deſcribit *Michel de Montagne dans les Eſſais c. 2. p. 6.* Videtur certo reſpectu huc ſimul illud exemplum ſpectare, qvod *Kornmann.* ex *Alberto Magn. lib. 8. Tr. 5. c. 2.* recenſet, de Matre Magni Philoſophi ſecundi, fœmina rarioris pudicitiæ, eam cum cubile ejus Philoſophus acceſſiſſet, qvo maternam experiretur pudicitiam, nihil tamen impudici tentans, hanc ob cauſam tanto pudore fuiſſe ſuffuſam, ut ſubito animam efflaverit: Philoſophum vero perpetuum poſthac ſervaſſe ſilentium.

§. V. Nunc etiam inuſitatum hoc genus mortis, qvo lætitia extincti, *ex Lætiti[a]* qvos dolor non conſumſit, enarrabimus. Egregie autem nobis otium feceſſit *Zvvingerus in Theatr. Vit. hum. L. 7. p. 92.* qvi ſummo cum ſtudio tam illos, qvos aliqvo temporis tractu mors fuit inſecuta, qvam eosdem, qvi ob gaudium ex templo ſpiritum ultimum effuderunt, ſummo cum ſtudio coacervavit ex *Æliano lib. 9. de var. hiſtor. Diodoro Siculo Lib. 15. Gellio N. A. lib. 3. c. 15. Val. Max. l. 7. c. 53. l. 9. c. 2. 3. & 12. Plin. Hiſt. Nat. l. 7. c. 53. & 57.* ut ſupervacaneum fere ducamus actum agere, & lignum in ſylvam portare. Nonnnulla tamen ab aliis obſervata afferre lubet; Ita recenſet *Kornman. lib. de mirac. mort. c.* 112. de Amicis duobus gaudio extinctis. *Joh. Petrus Lotichius in Conſil. & Obſ. Med. L. 5. c. 4. Obſ. 1. p. 284.* nobilem qvendam Gallum Danielem de Latre ſummo abreptum gaudio perhibet, poſtqvam in vallum civitatis obſeſſæ deductus Domini Gvilielmi Haſſiæ Landgravii auxiliares copias adeſſe conſpexerat. Eadem plane ratione Fouqvetum Gallum è vinculis liberatum, inter primos ſuorum amplexus expiraſſe *Pechlinus* refert *Obſ. Phyſ. Med. l. 3. p.* 464. Similiter in Anglia uxor mercatoris cujusdam, qvæ maritum in Indias orientales profectum & diu defunctum credens ſubito in amplexibus ejus revertentis expiravit. *conf. M. N. C. An. 8. Dec. 2. Obſ. 176. pag. 445.* Aliud exemplum *An. 9. Dec. 2. Obſervat. 22. pag. 52.* infantis legitur, cui intenſo gaudii & riſus motu vita defecit. Nec illud exemplum, qvod *Excellentisſimus Dominus D. Wolffius*, naravit, præteribimus; cum enim duobus circiter elapſis annis ad qvendam graviter decumbentem feſtinato fuiſſet avocatus, eũ mortuum jamjam offendebat, cauſam tam repentinæ hujus mortis ſciſcitatus reſponſum ab adſtantibus tulit; virum ob filium ex inopinato ſalvum adhuc conſpectum, qvem ab hoſtibus occiſum crediderat, inter ejus complexus nimium gaviſum fuiſſe, ſicqve obiiſſe. Cum riſus plerumqve ex gaudio

dio reſultare ſoleat, illos ſimul, qvibus pari ratione nocivus fuit, huic catalogo inſerere poſſumus. Philemon Syracuſanus, Poëta comicus, aſinum ficus devorantem cernens à riſu nimio ultimum effudit ſpiritum, teſte *Valer. Max. lib. 9. c. 12.* Et Zeuxes excellens pictor cum vetulæ cujusdam deformitatem penicillo ſuo ſatis artificioſe & accurate delineaſſet, eam intuens in tantum riſum ſolutus eſt, ut extemplo vitam cum morte commutaverit. vid. *Plin. l. 35. c. 9.* Verrius alter pictor, qvod anum qvandam deformiſſimam pinxiſſet, eandem morte ob riſum nimis effuſum obiit, *Rhodigino* teſte *l. 4. c. 18.* Haud diſſimile, qvod in Gallia accidit, ſuis obſervavit temporibus *Laurent. Joubertus Lib. 1. de riſu c. 11.* Conf. *Kornmann. de mirac. vivor. p. 88. Bartholinum Controverſ. Anat. qv. 5. de Capite p. 521. Eraſmum Franciſc.* in der luſtigen Schau-Bühne *part. 1. M. N. C. Dec. 2. An. 8. p. 447.* Fama ſimul nuperrimis diebus crebro repetita ſparſit, Secretarium qvendam Dresdæ Geſticulatorem deridiculum adeo effuſo excepiſſe cachinno, ut vehementiſſime concuſſus mortuus corruerit.

Ira, §. VI. Immoderatiorem Iram mortem ſæpe accelerare, præter *Siracidis* effatum c. XXX. 25. quo *zelum & iracundiam imminuere diem* affirmat, etiam exemplis comprobari poteſt illorum, quos mors ſatis violenta fuit ſubſecuta. Victor Piſonius, Venetorum claſſis Præfectus, cum legatus ejus decem Genuenſium triremes per ignaviam fugere permiſiſſet, ex iracundia in febrim incidens, ſupremum diem obiit, vid. *Blondus l. 10. Dec. 2.* Valentinianus I. ob reſponſum, quod à Quadorum legatis acceperat, tanta ira incenſus dicitur, ut ſubito cum eos objurgare cœpiſſet, tanquam telo aliquo ictus vocem ſimul & vires amiſerit, brévique temporis intercapedine animam exhalaverit, *Sigonius lib. 7. Imp. occid.* Nerva Imp. eodem penitus modo fatis ceſſit, prout *Sext. Aurel. Victor in Cocceji Nervæ vita epit. Cuſpinianus de Cæſaribus* tradunt. Innocentius III. Pontifex copiis ſuis à Manfredo fugatis & profligatis, cum ſe ulciſci neſciret, ex indignatione & dolore animi defunctus eſt, teſte *Cuſpiniano l. c.* Matthias Corvinus Hungariæ Rex, cum in ſecunda menſa ficus recentes ex Italia allatas poſceret, easque ab aulicis conſumtas audiret, tanta exarſit iracundia, ut apoplecticus corruerit, & ſequenti die fatis ceſſerit, *Joach. Cureo Sileſiæ Annalib. perhibente.* Cum Wenceslaus Bohemorum Rex nuncium acciperet de ſeditione Pragæ exorta, & quidam ipſi diceret, ante triduum ſe hoc futurum ſciviſſe, adeo iræ percitus fuit œſtro, ut hunc crinibus apprehenſum ad terram detraxerit, enſeque interimere voluerit, à circumſtantibus autem detentus, ſubito inter amplexus eorum, pugione amiſſo, apoplexia tactus, brevi poſt interiit, vid. *Æneas Sylvius c. 37. Cromerus l. 18. Johannes Dubrav. l. 2. Hiſt. Bohem.* Sic aliquando ancilla ob acceptam alapam ira effervescens è vivis exceſſit, uti memorat *Thom. Bartholin. in Act. Med. & Phil. Hafnienſ. p. 8. Camerarius* cujusdam juvenis mentionem facit, qui ad iram provocatus, in febrem & phreneſin incidit, vitamque brevi poſt cum morte commutavit, *in Syllog. Memorab. Med. cent. 10. Hiſt. 52. §. 5. p. 783.* De Petro & Johanne Fratribus Hiſpan. Principibus eodem animi pathemate una die è vivis exemtis *Caſp. à Rejes in Elyſ. jucund. quæſt. campis qv. 50. p. 624.* probat. Plura vid. ap. *Cardanum in Conſil. pro Cardinali Marono p. 723. Valeriolam lib. 5. de Sympt. c. 5. Horſtium lib. 3. de meteor. microcoſm. c. 3. Conrad. Lycoſthenem lib. 14.* quos longo ordine *Caſp. à Rejes l. c.* recenſet. *Conf. Sennert. Prax. Part. 4. c. 3. p. 374.*

§. VII. Ultimo loco ad Amoris affectum progredimur, cujus uti magna plerumque ſolet eſſe vehementia, ita non rara eorum exempla ſunt, quibus ille lethalis fuit. Hincque Philoſophus Empedocles à Platone rogatus, quid ſit amor? haud immerito reſpondit, eſſe vitam, ſæpiusqve mortem. Pauca ſaltem exempla proferre liceat, in quibus dictus affectus mortem fuit operatus. *Cantipra-* *ex Amore.*

tan. lib. 2. mirac. c. 36. §. 27. teſte *Kornmanno de mirac. mort.* meminit, puellam ſibi notam fuiſſe, qvæ ante juvenis genua, qvem eleganti admodum forma præditum fruſtra deperibat, nimio amore langvida animo defecerit. Et *Cornax. lib. 1. c. 2. Conſult. Medic.* fide *Schenckii lib. 1. Obſ. p. 146.* refert puellam qvandam, qvæ vitio hujus affectus in mortem incidit. Alia plura talismodi exempla ex variis autoribus collecta videre eſt apud Frantzen von *Koſſet* in wunderlichen und traurigen Geſchichten durch *Martinum Zeilerum p. 919.* ut cæteros ſilentii peplo brevitati litantes involvamus.

SECTIO II.

§. I.

SAt exemplorum, ex probatæ pleriſqve fidei Autoribus deſumtorum, hucusqve adduximus, qvibus evidentiſſimè, nî prorſus fallimur, probatum dedimus, qvanta Affectuum vis ſit in vita hominum abrumpenda, mortisqve puncto accelerando. De induſtria plura, qvorum ſatis ampla farrago adhuc in promtu erat, addere omiſimus; cum, qvod opinati fuimus, ſufficere prolata poſſe, ad rei veritatem ac certitudinem aſſerendam; tum etiam, ne ultra debitum in magnum volumen excreſceret diſſertatio noſtra. Ad alteram tractationis noſtræ partem igitur nunc potius progredimur, cujus gratia inprimis iſta attulimus, cauſarum ſcilicet inqviſitionem, modiqve inveſtigationem mirificorum iſtiusmodi phænomenorum. At verò in anteceſſum hîc conqveri neceſſe habemus, partim de obſcura atqve conceptu explicatuqve difficillima eorum operandi ratione, partim verò & cum primis de ingenii noſtri imbecillitate, qvæ ferè penitus animum nos deſpondere jubebat, laborem hunc ſuſcipientes. Hinc non miraberis, B. L. ſi Mathematicas demonſtrationes hic non reperies: acqvieſcas, qvæſumus, ſi aliqvalem probabilitatem aſſecuti fuimus, rudiq; penicillo primas lineas generaliorum ſaltem adumbravimus, accuratiorem atqve elegantiorum ſingulorum expreſſionem ingenioſioribus atqve felicioribus relinqventes.

§. II. Anteqvam verò ad ipſum noſtrum ſcopum perveniamus, è re videtur eſſe, in genere qvædam de Affectuum humanorum natura, ſubjecto, differentiis &c. præmittere, ex qvibus dein conſtabit, qvid circa propoſitum inferre nobis liceat. Deſcribimus igitur ſic dictos animi Affectus, qvod ſint variæ mentis ſpirituumqve perceptiones & commotiones, factæ ab objectorum diverſorum conſideratione, eorumqve vel approbatione & proſecutione, vel rejectione & fuga. *Affectu[s] deſcri[ptio]*

§. III. Subjectum itaqve eorum ſtatuimus & Mentem & ſpiritus animales. Mentem, i. e. ſubſtantiam illam ratiocinandi facultate præditam, immaterialem ac immortalem, qvod concernit, eam in illis affici, extra controverſiam fere poſitum eſſe videtur: ſiqvidem non ſolum patet motus iſtos ſpirituum ipſi communicari, eamqve, ſi debitum tempus ſibi relinqvatur, ſuper eosdem reflectere, ſiqve noxios aut minus convenientes judicaverit, ſæpe, præcipue ſi morigeros nacta fuerit ſpiritus, ipſos vel plane tollere, vel ſopire, aut etiam ad commodiorem occaſionem differre; verum eandem qvoqve intra ſeſe producere, atqve ex ſeipſa qvaſi elicere tales affectionum ideas, ut ſi v. g. ſibi proponat amare Deum, odiſſe peccatum &c. qvorum ipſorum ſæpius etiam participes reddit ſpiritus, hinc varias eorum excitari agitationes, exqve his circulationem humorum plus minus alterari, attendentes facile concedent. De cætero qvomodo Mens à ſpiritibus, ens nempe immateriale à materiali, & viciſſim, afficiatur, determinari in hac humana imbecillitate vix poterit; rem ſcimus, modum ignoramus: immaterialem verò mentem ſtatuere, religio inprimis ſvadere videtur. *Subject[um] eſt M[ens]*

§. IV. Spiritus autem animales, ab aliis animam ſenſitivam, appellatos, jure qvoqve Pathematum ſubjecti nomine venire, probare nunc *& Spi[ritus]*

nunc conabimur. Intelligimus verò per eos moleculas corporis animati ſubtiliſſimas,ſimpliciſſimas,maximeq; activas,cerebri mechanica modificatione è ſanguine ſecretas,&mediantibus nervis ad omnes corporis partes derivatas, movendi ac ſentiendi virtute gaudentes.

um exi-
ia pro-
atur.

§. V. Exiſtentiam illorum non ſolum peculiaria organa elaboratoria atqve excipientia ſatis perſvadere videntur; ſed potiſſimum etiam influxus eorum ad partes impeditus eos demonſtrat, ſive reſectione id contingat nervorum, ſive ligatura, ſive compreſſione, ſive alio modo, qvo facto brevi poſt & motus & ſenſus omnis ejus partis, ad quam nervus tendit,ceſſat,uti præ aliis talia experimenta de nervis cardiacis adduxit Vir per orbem literatū celeberrimus Excellentiſſimus atqve Experientiſſimus *D.Bohnius,Patronus ac Præceptor noſter ſummè devenerandus,in Circulo Phyſiol. Anatom. Progymnaſm. VI. p. 103. ſeq.* qvod etiam comprobavit in Collegio nupero Experimentali Anatomico Excellentiſſimus *D. Pauli*.

tura.

§. VI. Naturam atque attributa eorum in deſcriptione ſuperiori ex parte memorata, pluribus deducere, inſtituti ratio non permittit: probata interim hîc ea præſupponimus ſufficienter fuiſſe à Viris Excellentiſſimis jam antea laudatis *Dnn. D. Bohnio in Circulo Phyſiol. & D. Rivino in Diſſert. de Spiritu hominis vitali.* Paucis ſaltem impræſentiarum probandum nobis incumbit, recte eosdem tanquam ſubjectum animi pathematum fuiſſe adductos.

§. VII. Nullus equidem facile erit, qui ſpiritus ipſos admittens,(admittere autem eos, quivis ex allatis antea, aliisque etiam rationibus teneri videtur) exagitationem atque commotionem eorum in affectibus in dubium vocabit; oſtendunt enim eam varia ſymptomata in illis occurrentia, v. g. ſangvinis circulatio nunc aucta,nunc imminuta,rubor pallorve faciei, tremores artuum, ſubſultationes &c. de qvibus infra: qvæ omnia absqve ſingularibus & determinatis ſpirituum motibus atqve impulſibus fieri

tuum
otio in
ibus,

non poſſe, evidentiſſimum eſt. Aſt dictos illos ſpiritus objecta conſiderare, atqve hac conſideratione ad varios iſtos motus agitari, prout in ſuperiori deſcriptione dictum à nobis fuit, plures cum *Renato des Cartes*, ſummo illo atqve acutiſſimo aliàs Philoſopho, *Tract. de animi paſſionibus*,& hinc inde in aliis ejus ſcriptis, negabunt, ſoli menti ſeu animæ rationali conſiderationem ac cogitationem aſſignantes, ſpiritus autem merè mechanicè & neceſſario ſemper commoveri &c. docentes.

§. VIII. Verum qvamobrem iis hac in opinione ſubſcribere non poſſimus, prægnantes ſatis cauſas nos urgere putamus. Primùm namqve, potuiſſe Numen omnipotentiſſimum creare materiam cogitantem, nemo ſanus Ethnicorum, multo minus verbo revelato illuminatorum dubitabit: non potuiſſe autem ſolum, ſed etiam actu in ſpiritibus animalibus, (licet non in tanto, ſed multo minori gradu, ac in anima immateriali) id præſtitiſſe, patet vel exin, qvod qvotidie ferè deprehendamus, qvanto molimine qvantaqve ſæpe cum libertate animæ rationalis dictamini ſeſe ii opponant, qvamqve valido cum impetu in hos vel illos affectus, iram, libidinem &c. argumentis etiam ac rationibus qvibusdam, licet futilibus, adhibitis, irruant, mente qvamvis diſſvadente ac reluctante: qvomodo verò ejusmodi planè contrariæ ſvaſiones & argumentationes eodem tempore in uno homine ab uno eodemqve principio cogitante, nempe mente, ſimul provenire poſſunt? Adhæc à brutis qvoqve, qvibus tamen nullum aliud principium,niſi materiale,nobiscum commune eſt, liberas multas actiones atqve paſſiones, ex conſideratione qvadam profluentes, perfici, numero prorſus innumera probant exempla, qvorum qvædam hîc recenſere, haud opinamur neceſſarium eſſe, cum paſſim legi poſſint, videſis *Paulini Cynograph. curioſ. M. N. C. Dec. 2. An. 8. Obſ. 161. in Scholio, & An. 9. Obſ. 71. p. 115. Hieronym. Rorarii Tr. qvod bruta animalia melius homine utantur ratione, Deuſing. de ratione & loqvela brutorum, Raji Synopſ. method. animal.*

brutorum etiam

animal. qvadruped. Joh. Henricum Siegfried. Medull. memorab. naturæ & artis lib. 2. c. 4. p. 625. Cornel. Stalpart. van der Wiel *Pent. 1. Cent. 2. Obſ. 49. & 50. p. 493. 496. Camerar. hor. ſucciſ. lib. II. c. 16. p. 109.* alios eorum collectores ut taceamus, temporiqve ac chartæ parcamus: imo qvotidiana teſtatur experientia, dum v. g. pro lubitu eadem videmus huc illuc curſitare, accedere, recedere, ſtare, cubare, amare, odiſſe, iraſci, lætari, &c. qvæ & infinita alia ex neceſſaria qvadam modificatione atqve automatica determinatione unicè philoſophando deducere velle, qvomodo, niſi vis manifeſta atqve torſio qvaſi qvædam phænomenis inferatur, & absqve præconcepta opinione (qvarum tamen abjectionem, dubitationis in primis adminiculo, optime alias urgere ſolent), fieri poſſit, vix apparet.

explicatur. §. IX. Qvod ſi verò qvis plane abhorreat, materiali ſubjecto cogitationem vel ullam adſcribere; &, ad actiones iſtas nihilominus rite explicandas, in brutis præter ſpiritus ſubſtantiam aliqvam immaterialem, mortalem tamen, cum nonnullis ſupponere velit: neceſſe qvoqve idem habere videtur ex antea allatis, duplicem animam immaterialem in homine ſtatuere; qvo annon præter omnem neceſſitatem entia multiplicentur, ac fortaſſis plura inconvenientia exinde inferri poſſint, cuivis meditandum relinqvimus. Ipſam verò illam conſiderationem ac cogitationem ſpiritibus non denegandam, virtutem immaterialem vocare velle, prout *Auguſtinus lib. 4. de anima ejusqve origine cap. 3. item lib. de qvantitate*, & alibi, ſtatuiſſe videtur; qvomodo ſpiritibus, tanqvam enti materiali, competere talis poſſit, nobis perſvadere haud poſſumus.

Affectuum objectum, §. X. His nunc de ſubjecto prælibatis, objectum qvoqve affectuum paucis conſiderabimus: conſtituunt verò illud ideæ diverſæ objectorum, tam externorum ſenſibilium, qvàm etiam internorum in corpore latentium, nec non à mente ex ſeipſa elicitorum. Non enim ſolùm v. g. gaudemus, triſtamur, metuimus, aliisqve paſſionib9 afficimur ex auditis, viſis, odoratis &c. verùm qvoqve ob corporis conſtitutionem interiorem ſanam aut morboſam, uti in hypochondriacis &c. triſtitia utplurimum adeſſe ſolet; ſic mens ſibi proponit amare ſe ipſam, Deum, metuere infernum, ſperare vitam æternam &c. Hæc autem idearum objecta ſunt bona aut mala, tam mentis, qvàm corporis ac fortunæ: qvæ nobis vel ſunt, vel deſunt; offeruntur vel ſubtrahuntur; præterita, præſentia vel futura.

mod[...] §. XI. Nunc ergò qvodammodo concipere licebit modum ipſorum affectuum: ſcilicet qvamprimum aut ſpiritibus in organis ſenſoriis, vel etiam in interioribus corporis hærentibus objecti alicujus idea imprimitur, aut mens in ſe ipſam reflectens, ſibimet talem repræſentat, poſt ejus cognitionem atq; conſiderationem, nunc breviorem, nunc diuturniorem, diverſa dehinc, prout nempe illud objectum magis minusve vel gratum vel ingratum ipſis videtur, ac prout vel præſens, vel futurum aut præteritum fuerit, ab illis formantur judicia, diverſæqve plerumqve exoriuntur ſpirituum tam motiones, qvàm activitates.

Differ[...] ration[...] jecti §. XII. Differunt itaqve affectus inprimis vel ratione ſubjecti, objecti, vel ratione motuum: ratione ſubjecti ſunt vel ſolius mentis; qvæ cum & intelligendi & volendi potentia polleat, affectus ipſi proprii ad utramqve pertinere videntur, qvatenus non ſolum percipit atqve intelligit ideas ſibi à ſemetipſa propoſitas; ſed qvatenus ſe inclinat ad perceptas iſtas ideas amplectendas, fugiendas, aut diutius conſiderandas; de qvibus hîc pluribus agere, nobis mens haud eſt: vel menti cum ſpiritibus communes, qvando ſcilicet utriqve ſimul circa idem conſentientes afficiuntur, ſive conſenſus iſte ſtatim ſub initium adfuerit, ſive poſtea una parte alteri cedente, exoriatur: vel ſolum ſpirituum, qvales brutorum ſunt omnes, qvi, qvamvis in homine rarò fiant ſine mentis aliqva alteratione, tamen in eo differunt à præcedentibus, qvod non conſpirent commotiones exinde in mente exſuſcitatæ cum motionibus ſpirituum, ſed

ſed pugnam iſtam, de qva ſuperius actum fuit, niſi nimis ſubitanei ac vehementes fuerint, ubi ſpiritus judicium mentis non admittunt, excitent, cujusmodi fortè plures extitere in priori ſectione recenſitorum. Alia differentia ratione ſubjecti datur reſpectu idioſyncraſiæ ac temperamenti, id eſt peculiaris ſingulorum ſangvinis ac ſpirituum conſtitutionis: hinc alii affectus magis afficiunt hoc individuum qvam illud; ſæpe namqve eodem objecto alius in iram, terrorem &c. conjicitur, qvo alius parum vel prorſus non commovetur: ſic ita dicti cholerici, item phthiſici, facilius iraſcuntur, qvam phlegmatici &c. qvatenus videlicet ſpiritus individuorum magis apti ſunt ad hunc vel illum motum ſive admittendum ſive negligendum, qvæ aptitudo ex ſangvinis conditione dependet. Conf. Excell. atqve Experientiſſ. *D. Ortlobii Hiſt. part. diſſ.* 23. §. *10.*

ob. §. XIII. Ratione objecti, ideæ affectuum verſantur vel circa unam ſaltem temporis differentiam, vel circa plures, diverſis nempe occaſionibus: circa unam, & qvidem aut præſentis, e. g. in Terrore, Excandeſcentia, Contemtu, Vindicta, Odio, Invidia; aut præteriti, in Dolore; aut futuri, in Spe, Deſperatione, Deſiderio, Fiducia: circa plures verſantur, & qvidem præſentis ac præteriti, in Mœrore, Ira, Jubilo, Admiratione, Indignatione; præſentis & futuri, in Metu, Cura, Amore: præſentis, præteriri ac futuri, in Gaudio, Triſtitia &c. vel ideæ occupantur circa objectum gratum, ut in Gaudio, Amore, Spe, Deſiderio &c. aut ingratum, in Terrore, Triſtitia, Metu, Deſperatione, Indignatione, Ira, Vindicta &c. qvamvis enim Iræ & Vindictæ idea in ſe ſit grata, objectum tamen hujus ideæ, v. g. hoſtis eſt minus gratum. Ratione ipſorum motuum ſpirituum affectus ſunt vel vehementiores, uti ſunt potiſſimum, qvæ circa tempus præſens verſantur, v. g. Terror, Excandeſcentia &c. vel moderatiores, vel mitiſſimi &c. aut ſunt vel ſimplices, vel magis compoſiti, prout ſcilicet agitationes ſpirituum nunc eodem, nunc diverſis modis fiunt. Alias differentias affectuum forte occurrentes, inprimis qvæ ethicæ ſunt conſiderationis ratione bonitatis ac malitiæ &c. hic omittimus, potiſſimum qvod ſcopum noſtrum non attingant.

§. XIV. Qvo vero nunc propius ad ipſum noſtrum thema accedamus, neceſſum fore arbitramur, potiora phænomena in affectibus utplurimum ſe offerentia (qvæ lapis lydius ſunt atqve regula omnium in rebus Phyſicis proponendorum) prius examinare, eorumqve rationes ſcrutari, ut ex his poſtea cauſas ipſius mortis ab affectibus illatæ conjecturare qveamus. Apparent autem plerumqve in Metu vultus pallor, cordis palpitatio, tremor artuum, pulſus repentina mutatio nunc in celeriorem, plerumqve tamen tardiorem, imo interdum nullum, adeo, ut tum temporis è ſecta vena vix una alterave ſangvinis guttula effluere ſoleat, & qvidem, qvod mirandum, aliqvando albi, teſte *Pechlino loc. ſæpius cit. Obſ. 19.* excretiones plerumqve ſufflaminantur omnes, in plurimis tamen urinæ alviqve fluxus ſuperveniunt, ita ut non raro caligas conſpurcent, nonnulli etiam in ſudores diffluunt, conf. *Id. Obſ. 17. 18.* frigus adeſt corporis, hinc Ovidius: *Phænomena in Metu.*

> *Extimui, ſenſiqve metu riguiſſe capillos,*
> *Et gelidum ſubito frigore pectus erat.*

In Terrore fere eadem, vehementiora tamen contingunt, utpote in qvo pallor faciei ſtupor qvaſi oculorum, interruptio vocis & ſenſuum ſubitanea confuſio ac ceſſatio, conf. *Camerar. Syllog. memorab. Med. Cent. X. §. 56. p. 787.* algor extremorum, pulſus ſuppreſſus, interdum etiam alvus citatior, vid. *Pechlin. l. c. Obſ. 23. pag. 451.* urina invito profuſa, accidunt, aliaqve, de qvibus conſuli poteſt Excell. *D. Georg. Wolfg. Wedelii Diſſ. de Terrore cap. 2.* *in Terrore*

§. XV. In ira vero atqve excandeſcentia prorſus contraria contingere videmus: his ſiqvidem affectibus agitati ſubito per totum corpus rubore ac fervore ſuffunduntur, venæ intumeſcunt, ſudor largus ſæpe erumpit, oculi adſunt ignei, ſupercilia rigida, *in Ira*

vul-

vultus horridus ac truculentus, morſus ſtridorqve dentium, expuitio crebrior, membra robore inſigni prædita, ut objecta ſæpe etiam validiſſima ſuperent, furor, ita ut, qvid agant irati, neſciant, muſculi totius corporis ſubſultantes, organa reſpiratoria freqventius agitata, copioſior bilis in inteſtina ac ſtomachum effuſio, pulſus magni ac vehementes, tanto impetu non raro protrudentes ſangvinem, ut disruptis vaſis ex ore, naribus, labiis, utero aliisqve corporis partibus profluat cum vehementia, conf. *Camerar. l. c. p. 780. Pechlin. l. alleg. p. 458. Hildan. Cent. 1. Obſ. 18. Cent. I. ep. 1.* Ob Amorem qvoqve ejusmodi hæmorrhagiam, vena ſponte aperta, exhibet *Schenkius lib. 1. de Mania Obſerv. 4. p. 141.* in cujus affectus caſtris militantes oculis ſuis, animi ſpeculis eleganter à qvibusdam dictis, difficulter imperare valent, ut miniſtros ſeſe præſtent fideles, ſed ſæpiſſime eos experiuntur proditores perfidos, qvi taciti loqvantur, & clandeſtina divulgent: exemplum aliqvod non injucundum de Antiocho Regis Seleuci filio, amore flagrantiſſimo vexato, vid. ap. *Valer. Lib. V. c. 7.* Cæterum qvod amantes plurimi ſint amentes, vulgi proverbio notum eſt.

in Amore

§. XVI. In Indignatione pedibus ſolum concutimus, caputqve agitamus: in Admiratione, inſcii ſæpe, indicem in gyrum convertimus, faciemqve in cœlum attollimus: in Gaudio ſubſilimus, ridemus, jubila edimus, blandoqve plus minus calore perfundimur; imo non raro lacrymis genæ madent: Contemtus facit, ut os mirum in modum diducamus, labia naſumqve varie contorqveamus: in Mœrore & Triſtitia faciem corrugamus cum lachrymarum ſtillicidio nunc largo, nunc vero, præſertim in affectu graviore, plane obſtructo: in Pudore vultus purpureo colore pingitur, & oculi ad terram defiguntur: in Cura ac Solicitudine frontem caperamus, gemitusqve & ſuſpiria ex imo pectore ducimus &c.

in Admiratione, Gaudio, Mœrore Pudore, Curis.

§. XVII. En miros luſus tragœdiasqve affectuum, in qvibus cum præcipuos actores deprehendamus ſpiritus, qvi diverſimode perſonati diverſas iſtas ſcenas repræſentant, accuratius intuendi ſunt, eorumqve machinæ detegendæ. Videntur autem potiſſimum ſub qvadruplici habitu ſeſe in iis offerre, qvatenus ſcilicet motu ſibi alias ordinario primo gaudent vementiori, & qvidem nunc reſpectu totius corporis, nunc vero reſpectu certarum partium, ad qvas determinantur; vel ſecundo tardiore; tertio, dum eorum activitas (ſive ſub elaſticitate, ſive ſub alia textura non ſatis determinabili eandem concipere velis) augetur; & qvarto, dum eadem imminuitur: ex qvibus qvatuor ſpirituum conſtitutionibus omnia phænomena recenſita dependere videntur.

à ſpirituum motu.

§. XVIII. Ita ex ſpirituum motu vel agitatiori, reſpectu totius corporis promanat e. g. in Ira, Gaudio &c. corporis effervescentia major minorve; ſupponere namqve brevitatis ergo hic nobis liceat, omnem in corpore noſtro calorem dependere à motu ſangvinis, potiſſimum progreſſivo, nonnihil tamen etiam inteſtino; jam vero peridromus iſte primario debetur tam contractioni cordis, qvam fibroſarum partium tono, prout id qvoad has nuperrime monſtratum eſt in *Differt. de Tono & Atonia* Præſide *Excell. atqve Experientiſſ. Dn. D. Ortlobii* habita conf. etiam *Cl. Stahlii Prof. Hallenſ. celeb. Differt. epiſt. de Motu Tonico vitali*, item *Poſit. de mechaniſmo motus progreſſivi ſangvinis*, aliaqve ejusdem: utraqve autem iſta ſyſtole cum præcipue oriatur ab influxu ſpirituum; ſatis perſpicua eſſe videtur ratio iſtius ſymptomatis. Eidem motui tum ſpirituum tum ſangvinis enormiori originē qvoqve debet rubedo peripheriæ corporis, ſudoris per glandulas miliares ſubcutaneas tubuloſqve eorum intra cutis poros reconditos transcolatio ac transpreſſio, oculorum fulgor, organorum motui ac reſpirationi inſervientium exagitatio, riſus ac jubila, bilis in ventriculum eructatio, arteriarum vehementes pulſationes, hæmorrhagiæ, cordis palpitationes, & ſimilia, qvorum omnium rationem ſpecialiorem facile ſuperaddere poſſemus, ni tem-

vel vehementio

temporis ratio habenda eſſet, interim quivis haud difficulter partium ſingularum ſtructuram callens ſponte eandem eruet. Quod motum vero ſpirituum vehementiorem in certas, ac determinatas quasdam partes concernit, cauſa is eſt vultus truculenti in ira, mirificæ oculorum deſignationis affectuum indicis, circumgyrationis in admiratione, ac vultus elevationis, variarum oris nariumqve in contemtu contorſionum, rugarum faciei &c. Diverſa ab his commotionem ſpirituum tardiorem inſequuntur, pallor nempe faciei, frigus, pulſus languor, excretionum ſuppreſſio, lacrymarum in mœrore gravi obſtructio, gemitus ac ſuſpiria, aliaqve, quæ ex conditione oppoſitorum reſpectu præcedentium per ſe patent. *rdiori,*

aſtiei- *l au-* §. XIX. Spirituum activitatem quod attinet, & quidem auctam; ex eadem oriri credimus maximum illud robur iratorum, utpote in quibus, majori virtute muſculorum ventres inflando atqve expandendo, ſicqve tendines eorum fortius abbreviando, inſignem iſtum vigorem iisdem conciliant: ſimili ratione in iis ſtridor dentium oritur. Ipſam quoqve concurrere ad velociorem ſanguinis exagitationem putamus, dum elaterem tonumqve fibrarum firmiorem reddendo, earum ſyſtolen impetuoſius ſanguinis è partibus per venas ad cor refluxum promovere facit. Concuſſio terræ vehementior in Indignatione quoqve exin commode deduci poteſt; quatenus ſimul ſingularis ſpirituum determinatio ad muſculos pedis, quomodocunqve demum iſta fiat, ipſi activitati eorum accedit. Quod denique imminutam ſpirituum activitatem & quaſi fixitatem concernit, eam non ſolum ad pallorem, frigus, ſanguinis circulum tardiorem &c. ſimul facere cenſemus, quatenus ſcilicet vigore partium deperditô, impetus earum neceſſarius ceſſat; ſed quoqve ſenſuum abolitionem in terrore, muſculorum tremorem, & hujus generis plura facile apparet, ita, ut multis hæc declarare ſupervacaneum ducamus. *minu-* *a,*

ũvario §. XX. Pro varietate igitur affectuum vehementiaqve eorum diverſa, non una ſimpliciqve ratione accidentia illa contingunt, neqve ſolitaria ex uno fonte apparent, ſed mire inter ſe mixta deprehenduntur, v. g. in Metu ac Terrore primo adeſt ſubita quædam ſpirituum exagitatio, unde excrementorum ejectio &c. contingit, motu ſcil. inteſtinorum periſtaltico turbato, fibrisqve motricibus veſicæ urinariæ concuſſis; dehinc vero ſpirituum commotio imminuitur, iiqve quaſi figuntur, unde reliqua eorum ſymptomata adducta ortum trahunt: & ſic de reliquis cenſendum. *concurſu diverſi affectus producuntur,*

§. XXI. Hæc circa Affectus in genere pro ratione noſtri inſtituti nunc dixiſſe ſufficiat; ultimo igitur videbimus, quomodo mortis cauſa exiſtere ſoleant. Brevioribus autem hic nobis eſſe licebit, cum in antecedentibus ea, quæ hic conſideranda veniunt, pleraqve jam tum diduxerimus. Cum nempe vita ſanitasque corporis ex mutua ac proportionata habitudine partium ſpirituoſarum, humidarum ac ſolidarum ad ſe invicem dependeat; per ſe patet, depravata eadem aut prorſus deſtructa, morbos mortemqve ſubſequi. Itaqve cum in Metu ac Terrore, prout ex phænomenis eorumqve allatis rationibus conſtat, ſpiritus, & per conſeqũes ſanguis ac reliqui humores nunc magis, nunc minus ſubito moveantur, mox vero iterum ſiſtantur & quaſi ligentur &c: haud difficulter augurari licebit, in ſummo eorum vehementiæ gradu activitatem prorſus periiſſe, hincqve ſtagnationem ac coagulationem ſangvinis excitatam fuiſſe; uti *Thom. Bartholin.* in diſſectione cadaveris illius, quod ex metu ob maris procellas mortuum, memorat, circa ejus cor ſangvinem in copioſa quantitate concretum fuiſſe, prout annotavimus *Sect. 1. §. 1.* Motu vero partium hoc modo ceſſante, vitam quoqve ceſſare in propatulo eſt. In Triſtitia cum ſpiritus circa ideam aliqvam firmiter diutiusqve hæreant, ferè eadem evenire videntur, quæ in præcedentibus declaravimus. Contrario modo in Gaudio nimio res ſeſe habet, ubi ex ſumma commotione atqve exagitatione *exinae & mors ipſa ſeqvitur.*

gitatione ſpirituum ſangvis vehementius ac copioſius in cor propellitur, ex quo cum adeo celeriter exprimi iterum non poſſit, inundatione iſta circulatorius motus ſufflaminatur, vitaque deperditur. Maxime etiam idem judicium ferendum eſt de Irâ defunctis; quamvis tam in hoc quam præcedente affectu fortaſſe ſubinde etiam ſangvinis ſtagnatio in cerebro contingat, ex qva principio nervorum obſtructo vel compreſſo, influxus ſpirituum in cor cæterasqve partes inferiores denegatur, hinc mortem inſeqvi neceſſe eſt. Amoris tandem pathema mortem inducere videtur, quatenus ſpiritus nimis impetuoſi & quaſi furibundi, excuſſo rectæ rationis regimine, propria idearum maxime confuſarum libidine, ferino quaſi motu, quaqua verſum feruntur, ſicqve delaſſati concidunt.

§. XXII. Hæc ſunt, quæ impræſentiarum circa propoſitum thema nobis in mentem venere: optaſſemus, accuratius omnia nos potuiſſe proponere, & ſpecialiora ſingulorum exemplorum conſiderare; verum ob cauſas antea allatas, & maxime, qvod ex improviſo in Cathedra Medica propediem eandem ferè materiam tractatum iri perceperimus, potius deſinere placuit, ne noſtra forte abſurda exactiſſimis aliorum meditatis immiſcentes, nauſeam creemus. Quod reliquum eſt, Deo T. O. M. pro conceſſis viribus humillimas perſolvimus gratias.

COROLLARIA.

I. MEræ videntur eſſe ſpeculationes, qvibus Domini DES CARTES dogma de glandula pineali, ſuperſtruitur.

II. Anima ſenſitiva & Spiritus animales non ſunt Entia realiter, ſed nomine ſaltem diſtincta.

III. Illi, qui unum tantum Affectum admittunt, non accurate ſentiunt.

IV. Veteres à ſcopo aberrarunt egregie, qui hepar amoris, libidinis & iræ ſubjectum ſtatuerunt; aut qvi lienem pro triſtitiæ, melancholiæ, & riſus ſede atqve principio habuerunt.

FINIS.

DISPU-

Disputationum Langianarum Quarta: De APOPLEXIA.

COmmuni hactenus cordatiorum Philoſophorum æqve ac Theologorum de ſententia Homo juxta corpus Anima prorſus immateriali, (qvicqvid hic ogganniant nonnulli cogitationibus minus piis anſam ſuppeditantes) ceu eſſentiæ partibus conſtat: utqve duæ diverſiſſimæ hæ ſubſtantiæ vinculum atqve unionem, cui vita hominis debetur, perennent, providente Ter Opt. Max. Creatore ſpiritus acceſſerunt & in his vel inprimis animales æthereâ ſubtiliſſima materie conſtantes, quibus alligetur corporis materia craſſior animæ immateriali. Qvibus rebus evenit, ut, quandoquidem rectores hi conſtituuntur machinæ animalis, quam cum brutis communem agnoſcimus, ſyſtaſis eorundem animæ ſenſitivæ vocabulo haud illicite efferatur. Videlicet materiam continent longe ſubtiliorem, qvam qvæ ſenſibus noſtris dijudicari qveat, neque minus agilitate atqve energiâ nobiliſſima dotati ſunt. Unde non modo fluidis æqve ac ſolidis corporis, quo veſtitur anima, partibus legem ferre ac motum dirigere conſveverunt; verum etiam ipſius animæ rationalis nutibus obſecundare, niſi corumpantur, apti nati ſunt. Cumque adeo, qvæ ſenſitivæ animæ conveniant, plura tribuere atque vindicare ſibi videantur, non dubitatum fuit, quin eodem titulo atque honore proximo afficiendi ſint. Neqve reticendum eſt, qvod iisdem præter naturam affectis ac diſpoſitis functiones aboleantur, qvas anima edere aſſolet optime conſtituta. Qvod quam vero conſentaneum ſit præſens Diſſertatio, qvam pro merendis ſummis in Arte noſtra honoribus eruditorum placidæ disqviſitioni ſubjicio, aliqva ex parte eloqvetur, ac veluti exemplo confirmabit. Videbitur enim Spirituum animalium influxu cohibito, qvod ab anima informari debeat, corpus exanime, tanqvam victimam ad aram procidere, ſenſuqve ac motu abolito APOPLEXIAM generari. Faxit ſummum Numen, ut qvod conſeneſcentis Mundi his temporibus juvenum æque ac ætate provectiorum vires ſæpius

ſæpius exhaurit, malum paulo intimius perpendere, cauſisqve è veritatis puteo in lucem protractis, feliciſſima Therapia exterminare liceat, ut ægrotorum deliniantur qverelæ, Arti noſtræ ſua conſtet dignitas, Cœleſtiqve Archiatro, qvi, medendi inſuper materia uberrimè conceſsâ, qvid proficuum, qvidve noxium ſit, ut ſciamus, judicium acuit, memoriam confirmat, ſummus exhibeatur honos & gloria nullo ſeculo terminanda!

Thesis I.

APoplexiæ igitur, qvam breviſſimis delineare in animo eſt, vocabulum Græcos agnoſcit natales,

Etymologia. ἀποπληξία, ἀπὸ τȣ̃ ἀποπλήττειν, i. e. à percutiendo, nuncupatum. Factum

Synonymia. eſt poſtea, ut à Latinis civitate donaretur, qvamvis aureæ ætatis autoribus inſuper morbus *attonitus* & *ſideratus* audiat. Rationem innuere videtur *Celſus l. 3. c. 26.* qvoniam, qvi hoc malo laborant, attoniti ac veluti fulmine icti, aut ſidere afflati derepente concidant. Neque abludunt pii Germani noſtri, qvi vehementiam ac omnino inopinatum morbi acceſſum intuentes pœnæ in vicem â ſolo Naturæ Arbitro ac Moderatore imponi crediderunt, cum, quæ naturalium vel non-naturalium ac præternaturalium rerum numero continentur, vix ſufficere videantur, ut uno ictu hominem, cui inter creaturas viſibiles palma tribuitur, peſſundent, machinæqve animali omnem movendi ac ſentiendi vim efficaciſſimam ſubtrahant ac enervent. Hinc non inſolentes ipſis ſunt affectus hujus tituli: der Schlag/ oder die Hand GOttes/ ac, qvi eo corripiuntur, manu DEI percuſſi ac tacti dicuntur: der Schlag/ oder die Hand GOttes habe ſie gerühret. Vix curamus illos, qvi den Tropf vel latine Guttam appellant.

§. II. Quoniam vero non raro confundi, qvi affines ſunt, ob vocis laxitatem, morbi ſolent, monendum, *Homonymia.* quandoque, præcipue Veteribus, Apoplexiæ appellatione paralyſin quoque includi, ita qvidem, ut paralyſis nuncupata ſit partis tantum alicujus reſolutio, Apoplexia vero, qvando univerſum corpus vitiaretur. Huc faciunt ipſius Hippocratis auro contra cara dicteria *aph. 56. l. 6. & aph. 40. l. 7.* Alii, quorum numero *Aſclepiades, Diocles & Praxagoras* comprehenduntur, quemadmodum univerſi corporis reſolutionem Apoplexiam pariter dicebant, ita paraplexiam vocitabant reſolutionem certæ partis. Nobis vero diſtinctius agendum ratis Apoplexia dici meretur, ubicunque non modò motus animalis, ſed & ſenſus interni æque ac externi fatiſcunt, atque ex actionibus principalibus ſola forte reſpiratio, quantumvis ſuos paſſa manes reſtitat, qvandoque tanquam effectus paralyſis ſubſequitur; unde hîc effectus non confundendus eſt cnm cauſa. Qvo ſenſu *Paulus Æginetа l. 3. c. 28.* in hæc verba erumpit: κοινῆς ἀρχῆς τῶν νεύρων παθȣ́σης κακȣ̃ δὲ πάντων τῶν κατὰ τὸ σῶμα μέρεων ἀπολεσάντων τὴν δὲ κίνησιν ἅμα καὶ τὴν αἴσθησιν, μετὰ τȣ̃ καὶ τὰς ἡγεμονικὰς ἐνεργείας βεβλάφθαι, ἀποπληξία τὸ πάθος καλεῖται. Dum patitur commune principium nervorum atqve omnes corporis partes motum ſimul ac ſenſum perdiderunt, ac læſæ ſunt actiones principes, affectus Apoplexia nuncupatur.

III. Unde etiam ad mentem *Galeni 3. de loc. aff. 10.* breviſſime à *Fernelio* *Defi[...]* definitur, qvod ſit *repentina motus & ſenſus, omnisqve animalis functionis privatio.* Notiſſimum Belgii decus, *Sylvius*, prolixius deſcribit, quod ſit *affectus, in qvo attoniti* ſtipitum ad inſtar *ſtupent ægri*, nullo ſenſu vel externo vel interno, nulloque motu animali puro ſuperſtite, verum in totum abolito; ubi ſcilicet gravis adeſt & urget Apoplexia. In mitiore vero, inqvit, Symptomata omnia eſſe remisſiora.

ſiora. Atque ita rationem ſubnectere videtur, cur morbus hic alias attonitus nuncupetur; Videlicet, eo quod una cum corpore etiam mens ſtupeat. Unde quandoque, antequam malum hoc ingruit, præcedere aſſolet ſenſuum hebetudo & hi debilitato cerebro ſtupidiores evadunt; quamvis ſæpiſſime derepente ac uno quaſi impetu, dum ſpirituum animalium ſufflaminatur influxus, functiones prædictæ cohibeantur, ac nullo Rationis veſtigio relicto, tanquam *ἀστρόβλητοι*, aut numine inviſibili perculſi, qvaſi exanimes proſternantur. Qvibus rebus ferocia ac pernicies mali patet, quandoquidem plures hoc correpti mortem ſubito oppetunt, paralytici evadunt, ac quamdiu vitam trahunt, quo obnoxii fuerint periculo, nota ac indicio certiſſimo monentur.

IV. Motum hic ac ſenſum perire ocularis edocet inſpectio, quatenus neque manus neque pes ſuo fungitur officio, neque ulla vox edi aut ſenſibile quidpiam percipi valet. Actionum autem principum læſionem ne ignoremus, mentis ac ſenſuum internorum hebetudo, qualis morbo ejusque cauſis diſcuſſis deprehenditur, ad ſenſum liquidiſſime commonſtrat. Neque tamen æqualis perpetuo perſentiſcitur læſio, qvin potius, prout cauſarum vehementia varia ſubeſt,
...ctio. ipſa non minus variat. Vel enim totum corpus motu & ſenſu privatur, quod univerſalem Apoplexiam nuncupamus, vel alterutrum ſaltem latus fatiſcit, quod *ἡμιπληγία* vel *ἡμιπληξία* audit.

Ipſam vero Apoplexiam univerſa-
...rſalis lem, cum neque hæc æqualiter ſemper
...gradus. ingruat, ſub triplici aſperitatis gradu cognoſcunt Practici. Videlicet quandoque, uti ſuperius jam tum ex Sylvio monuimus, gravioribus ſymptomatibus minitantibus ac ſtupore ſpectanti incutientibus, ipſa reſpiratio ad ſenſum ſiſtitur, cordisque pulſus debilis admodum perſentiſcitur ac obſcurus, ac mortis conſpicitur imago, niſi qvod tenuiſſimas vitæ reliquias plumula aut candela accenſa naribus admota, vel ſpeculum ori applicatum, vel pectori cyathus aqua plenus impoſitus, edocet. Aliquando tamen ceſſante motu ac ſenſu omni, æger ſaltem difficilius ac cum ſtertore reſpirat, ſpumaqve circa os colligitur, atque tum paralyſis utplurimum atque aphonia ſubſeqvitur, vel omnis vitæ reducis ſpes evaneſcit. Denique haud raro, qui leviſſimus gradus eſt ſenſibus aggravatis ac torpidis, reſpiratio cognoſcitur liberior ac cordis pulſus paulo fortior, ac malo profligato paralyſi vel utrumque vel alterutrum ſaltem latus affectum remanet, licet, contra quam Hemiplegia conſvevit, ſub morbi acceſſum totum corpus correptum fuerit. Inſuper ne plane exanime cadaver oculis obverſari credas, faciei color â naturali conditione parum recedens prohibet, niſi læſa enormiter reſpiratione, ſtrangulato ſimilis evadit. Et quamvis ſomno altisſimo ſepulti, clauſis oculis videntur plerumque, ſæpius tamen in opinionem deduci poſſis, ut fixis ac patentibus oculis te intueri credas, quanquam revera non vident, neque audiunt neque puncti aut uſti quicquam ſentiunt, ullumve cognitionis ac intellectus indicium produnt. Imo membra, quãtumvis ab adſtantibus eleventur, mox tamen pondere ſuo rurſus concidunt, atque eum in modum labefactata conſpiciuntur, ut veluti reſoluta langveant, ac torpeſcant, ac ne quidem deglutiant, teſte Platero.

V. Sedem morbi Veteres conſti- *Sedes.*
tuebant in cerebro, Regia illa ſenſitivæ ac motricis facultatis auguſtiſſima, licet aliqui in ſolis ventriculis, retique mirabili impedimentum ſubeſſe augurarentur. *Helmontius*, maſtix iſte Galenicorum acerrimus, de *Sede animæ c.1.10.12.* ſiniſtrum cordis ventriculum hoſpitium ſuppeditare, ut evincat, annititur. Neque minus cor incuſat celeberrimus *Qvercetanus*, quem tamen Anteſignani ſui *Paracelſi*, quippe cui preſſo alioquin pede adhæret, veſtigia negligere valdopere demiramur. Hic enim nidulari morbum ſtatuit in cerebro, pulmonibusque ac ductibus aëreis. *Williſius* corporis calloſi, in quo ſpiritus animales domicilium figant, culpam ac vitium exaggerat. Quemadmodum enim, rejecta Veterum opinione, qua ſenſus communis in anteriore, phantaſia in me-

dia, ac memoria in poſtica cerebri parte ſeu ventriculis collocatur, modernæ Anatomiæ legibus convenientius judicat ſenſus internos in corpore calloſo ac medullaris ſubſtantiæ compage, poſtqvam ſenſibilis impresſio veluti optica ſpecies aut cujusdam fluoris undulatio ad corporum ſtriatorum ſyſtaſin delata exterioris ſenſionis perceptionem celebraverit, perfici uberius : Ita huic quoque noxam inhærere credit, quando ſenſuum horum torpor aut deſtructio contingit, atque ſpontanei motus inſtinctus omnis ceſſat: ut adeo cerebellum, præcordia & reliqui vitales æque ac animales partes ſecundario magis afficiantur: quanquam poſtea alteram Apoplexiæ ſpeciem tradit, quæ in cerebello ipſo niduletur, quatenus in hoc effluxus fonte ſpiritus animales functionibus vitalibus deſtinati ſupprimantur ; atque ita, dum cordis ſiſtatur motus, reſpiratio, pulſus, ac calor vitalis ad ſenſum omnino deſtructus appareat. *Carteſiani* mechanismi regulas obſervaturi pororum, quibus perforatur cerebrum, conformationem ac obſtructionem variam vituperant. Pari ratione acutiſſimus *Wepferus* adductis, ne fruſtra Veteres refutaſſe cenſeatur, obſervationibus Anatomicis, phænomena in cadaveribus plurium ab affectu hoc defunctorum declaraturus, medulloſam cerebri ac cerebelli ſubſtantiam, quæ undique poris ac meatibus prædita affluxui ac effluxui ſpirituum inſervit, primario affici defendit. Non deſunt, qui in maſſa ſangvinea latibula qværunt, atqve prima morbi incunabula conſtituunt. Sed quis omnium opiniones, diverſeque ſentientium argumenta anguſtis his pagellarum cancellis complectatur ? Ne nauſeam magis, quam ſalivam Benevolo Lectori moveamus, recentiores pleroſque in eo convenire aſſerimus, ut ſtatuant, cerebro ejusqve potiſſimum medullæ oblongatæ, nervis male affectis, originem deberi.

Cauſa immediata, VI. Cauſam immediatam quin influxui Spirituum animalium ſufflaminato tribuant autores nulli dubitant. Qua vero ratione influxus iſte ſufflaminetur, variæ afferuntur ſententiæ. Galeni ſatellites humores aut vapores condenſatos, pituitam inprimis lentam, craſſam ac frigidam, ventriculos, principia nervorum ac retis mirabilis arterias obſtruere credunt, quibus cruditates, creberrimæ ebrietates, vigiliæ in ſeram noctem protractæ, aër frigidus, alimenta refrigerantia ac Venus immodica litent, neq; ictus ac alias violentias capiti illatas à noxa liberant. *juxta G[...] nicos,*

VII. Paracelſiſtæ modo venenum Martiale, modo Mercurium ſublimatum cacochymialem, modo à reſoluto coagulatum, modo ſynoviæ defectum, modo alias fabulas ac obſcura ænigmata crepant, qua ratione vix à riſu ſibi temperare poterit, qui ipſum leget *Paracelſum Tr. de Gutta & l. 7. param. c. 1. §. 4.* à gutta, docentem, cerebrum unà cum corde & pulmonibus unam in maſſam inſtar ceræ illæſis quidem partibus haud aliter colliqueſcere, quam illæſa vagina gladius liquefiat à fulmine. Saniores videntur Chymici atque clariores, qui ſal & ſulphur narcoticum ſeu acidum coagulatorem ſpiritus figere eloquuntur. Quem coagulatorem acidum non minus defendit *Tachenius*, Gas ſylveſtre obtrudens aëris exterioris uſu attractum, quod motui ac fermentationi obicem ponat. Hujusque Præceptor Helmontius venenum anodynum ac ens poteſtativum *Tract. de Morb. §. 9.* plurimis explicatum ſuggerit. *Paracel[...] ſtas,*

VIII. *Carteſiani*, quod modo innuimus, pororum cerebri, quos non niſi ſubtiliſſima ſubſtantia ætherea è maxime volatilibus ſangvinis particulis ſecreta replere debeat, plexusq; choroidei dilatationem anſam ſubminiſtrare augurantur, ut peregrinus humor affluat, ipſumque cerebrum ac nervorum principia enormiter obſtruat, adeoque præpediat, quo minus ſpirituum influxus continuetur, membraque flaccida, veluti vela vento minus expanſa, concidant. *Carteſi[...]*

IX. Laudatiſſimus ſupra *Sylvius* cauſam ſubeſſe judicat, quando ſpiritus animales vel deficiunt, vel torpent, vel immobiles fiunt, aut vehementer conturbantur. Defectum autem innuit duplicem, alium abſolutum, alium vero reſpectivum ſaltem, organorum ſc. motus ac ſenſuum. Nimirum abun- *Sylvi[...]*

dare

dare quandoq; cerebrum ac cerebellum ſpiritibus animalibus, neq; tamen ſufficere ſenſuum motusq; organis incolas ac rectores, quando via, quam nervi pandunt, l. anguſtetur compreſſionibus ac obſtructionibus, vel diſſecetur, quo modo compreſſi, obſtructi ac diſciſſi vel transfoſſi medullæ ſpinalis nervi pariter Apoplexiam inducant: neq; culpa careat ſangvis, qui ſeparationi ſpirituum animaliū ineptus aut narcotico ſpiritu repletus ſit. quorſum etiam referri poſſit arteriarum carotidum & cervicaliū vitium, quando ruptis his ſanguis effuſus aut nullam pnevmatoſi materiam ſiggerit, aut ſpirituum tranſitum intercludit, vel quando eadem vaſa ſanguiflua quocunq; modo anguſtata ac compreſſa viam negant ſanguini cerebrum irroraturo. Atqve hinc tres conſtituit Apoplexiæ ſpecies, quarū prima ſpirituum animalium conturbationi, altera torpori, ac tertia defectui in acceptis feratur. Immobilitatem ac torporem Spirituum opiatorum ac narcoticorum & ſtupefacientium (quorſum ſpiritus vini atqve vinum ipſum generoſum referri debet,) abuſu confirmat, conturbationem verò exemplo eorum declarat, qui citra notabilem Sanguinis effuſionem ex ictu vel caſu exanimes corruunt & attoniti, ac paulo poſt ceſſante cum reliquis functionibus animalibus, reſpiratione & pulſu, expirant.

X. Ante laudatus *Wepferus* Apoplexiæ omnis cauſam in eo poſitam eſſe arguit, quod vel ſanguis per arterias cerebro non affluat, vel ſpiritus animalis ex cerebro & cerebello per nervos & ſpinalem medullam effluere prohibeatur, vel uterqve modus concurrat. Prioris cauſæ tres affert ſpecies, videlicet primò obſtructionem arteriarum carotidum interiorum ac vertebralium à ſanguine congrumato aut materia viſcoſa: deinde eorundem vaſorum compreſſionem v. g. ex intumeſcentia pariſthmiorum ſeu cervicis glandularū; ac deniqve lacerationem, quatenus vaſa hæc quocunqve modo aperta profundunt ac diſſipant ſanguinem cerebri uſui dicatum. Alterius vero cauſæ, effluxus ſcilicet ſpirituum cohibiti, duplicem ſuppeditat modum: vel enim principium, ait, omnium nervorum à ſeroſa colluvie obſtrui, vel à nimia ſanguinis in meningibus partibusqve quibusdam cerebri & ventriculis congeſtione, aut diatheſi phlegmonode comprimi.

XI. Nervoſè hæc atqve clariſſime tradita à potiſſimis Modernorum collaudantur, niſi quod vel uberius explicentur, vel quandoqve quadantenus corrigantur. Attendunt maximè ad ſequentia: Contingit quandoqve ſanguinis extravaſatio, ut intra cerebrum effundatur, ac in nobiliſſima illa regione vel in grumos concreſcat, vel in ſuggillationem abeat, cerebriqve compagem inundatam intumefaciendo medullam ſubſtratam ac nervorum principium comprimat. Quod malum ſæpius externæ violentiæ v. g. caſui ab alto, capitis concuſſioni, contuſioni, vulnerationi aut conquaſſationi debetur. Quorſum ſpectat obſervatio Clariſſimi *Wepferi de Apopl. Exercit. hiſt. 1. p. 131.* de viro robuſto vino dedito, qui è ſcala præceps decidens, atqve occipite in gradum ultimum ligneum, ut ferme fiderit, violentiſſime allidens, poſt caſum ſublatus ex aure dextra & ore copioſiſſimum cruorem ejecit, ac poſtquam ad aliquot paſſus ambulaverat, ac brachia moverat, vulnusculô acetô eluto ac viridi emplaſtrô munito, poſt horam ſeptimam lecto impoſitus, rationi parum conſentanea locutus, ac de vino ſibi ſublato conqueſtus, indormivit ac cum ſtertore reſpiravit, ſenſibusqve omnibus motu item ac deglutitione abolitis Apoplexiam paſſus, ſuperſtite faciei rubore, pulſu reſpiratione cum ſtertore ac halitus interni calore, tertio die mortuus atqve cultro anatomico ſubjectus ingentem ſanguinis ſub duram meningem poſtica parte in baſin cerebri ſpinæqve dorſi fiſtulam ſuffuſi copiam oſtendit. Simili ratione *Th. Bartholinus refert Cent. 2. hiſt. 60.* de fœmina hoc morbo defuncta, in cujus cranio omnes cerebri ventriculi ſanguine concreto turgidi deprehenſi ſunt: it. *Ludovicus Duretus* Comment. in *Coac. Prænot.* de *Epiſcopo Nivernenſi* & *Quæſtore Ballomo*, quibus vita defunctis inventa eſt repletio ſinuum à ſanguine illuc prorupto; ac *Tulpius* de ſeptuagenario, in cujus defuncti hoc ipſo morbo capitis interioribus, potiſſimum circa os cuneifor-

aliosq; recentiores.

me multum collecti ſanguinis apparuit. Haud raro tamen interna cauſa ſubeſt, quandoquidem ſanguis acrimonia ſua aut œſtro ac turgeſcentia viam ſibi pandit, vaſorum clauſtra perrumpit, aut tenuitate ſua facile capillarium arteriarum oſcula elabitur, perqve has fores in mollem ac facile cedentem cerebri ſubſtantiam penetrat, anſamqve evacuationes ſolennes ſuppreſſæ ſæpius ſuggerunt, qua ratione *Zacutus Luſitanus Prax. adm. L. 1. obſ. 38.* exemplum allegat fœminæ, quæ obſtructis menſtruis hæc fata fuit experta. Huc quadrare inſuper videtur exemplum comitis, ex obſervatione *D. Hurteri Medici Schaphuſiani*, qui ex eſu ferculorum nimis conditorum, ac crebriore generoſioris vini Tyrolenſis uſu, acrimonia ſanguinis contractâ, præter omnem opinionem Apoplexia correptus ac intra bihorium defunctus in capite extra ventriculos cerebri ſanguinis hujus extravaſati acrimoniã conſpiciendã dedit.

abſceſſus in capite. §. XII. Deinde uſu evenit, ut intra cerebrum æqve ac meningum intercapedinem abſceſſus generetur, qui pari ratione variante ac ſanguis extravaſatus contrahitur, ac dum ſuppuratur, Cephalalgiam enormiorem, ac ſæpius diuturnam inducit, poſtmodum vero ruptis involucris ſuis ſaniem emittit, quæ cerebri corticem penetrat ac erodit, inqve putrilaginem convertit, ac putridas deinde particulas ſenſim meditullio cerebri inſtillat, hisqve ſpiritus animales onerat ac corrumpit, quo modo Apoplexiam oriri in propatulo eſt. Quod ut exemplis confirmetur, refert *Williſius Pathol. Cerebr. c. 2.* de quodam ægroto, qui primo in ſtuporem, poſtea in Apoplexiam lethalem incidit, abſceſſu in dura matre excitato & poſtea disrupto, cum à pure fœtidiſſimo meninx eroderetur ipſiusq; cerebri corrumperetur cortex. Neqve minus *Bonetus* teſtatur *obſ. 30. Anal. Pract. l. 1. ſect. 2.* quendam poſt diuturnam Hemicraniam in Apoplexiam incidiſſe, apertoqve capite phlegmonem, juxta locum dolentem in meningibus accreviſſe, hincqve ſaniem decidentem cerebrũ livore ac putredine affeciſſe.

§. XIII. Porro ſuffunditur quandoqve è ſanguine in caput ſeroſa colluvies, occaſionibus evidentiſſimis ac vehementioribus ſubnatis, cerebriq; ſubſtantiam derepente inundat, ut omnes medullæ pori oppleantur ac præter communiſſimos Apoplexiæ inſultus, loqvelæ impotentia accedat. *vel ſeri colluvie.* Quod aſſerit experientia *Tulpii*, qui in cadavere ſeptuagenarii Apoplectici freqventem humorem cerebri cavitates replentem adinvenit *L. 1. c. 3.* Idem confirmat *Realdus Columbus Anat. l. 15.* qui plurium ob fortem Apoplexiam vita functorum cadaveribus perluſtratis, reperit magnam aqvæ copiam, perſpicuam quidem, ſed glutinoſam in cerebro. Ubi *Marcellus Donatus* monet, ideo Hydrocephalicos ab Apoplexia immunes degere, quoniam aqva ipſorum cerebro oneroſa tenuis, non glutinoſa ac craſſa, qualis Apoplecticorum fit, adeoqve ſpirituum animalium tranſitum minus præpediat. Quod ipſum pariter bis expertus fuit *Rolfinckius*, prout videre eſt *Diſſert. Anat. l. 1. c. 13. Fernelius* itemq;, quod *lib. 3. c. 15. de abd. rer. cauſis* eloquitur, craſſum ac viſcoſum humorem aliqvoties conſpexit in hoc affectu denatis. Nominatus verò *Tulpius* in Momma Baxio, homine torpido ac hebetis ingenii, poſtqvam morbo attonito obierat, vidit membranas cerebri freqventi pituita perſperſas, ut ſpongia eam detergere opus haberet, imò eadem materia tanti lentoris, ut inſtar fili longioris extrahi poſſet, vaſa ſangviflua ac ſpinalem medullam repleri. *Horſtius* inſuper *Obſ. Anat. III.* in Anatomia Sereniſſimi Principis apoplectici cerebrum ſero ac pituita enormiter refertum contemplatus eſt. Utqve ex innumeris unicum adhuc adjiciam exemplum, *Platerus Pract. l. 1. c. 2.* non negat, molem cerebri pituita irrigatam ſibi aliquoties, ac præcipuè in anu, cujus cerebrum omne defluxerat, comparuiſſe. Inferri autem iſthuc materiam talem ſæpiꝰ metaſtaſi criticâ, quãdo febres malignæ ſolvuntur, tota die diſcimus vid. *Loſſ. l. 1. O. 17. & 18.* Potatores vero ſtrenui, qui vino tenuiore vel acidulis abutuntur, malũ hoc ſibi facillimè contrahunt; quod ipſe expertus ſum in quodã, qui hydrocephalo hanc ob cauſam laborãs ſæpiꝰ

apho-

aphoniam patiebatur ac inſultus apoplecticos. Idem ediſſerit *Henr. ab Heer* de ſexagenario ex potu aqvæ Spadanæ ac *Rolfinck. Method. ſpec. p. 144.* de Celſiſſimo Haſſiæ Landgravio ex acidulis reduce. Quorſum itidem faciunt evacuationes ſolennes intempeſtive ſuppreſſæ, quemadmodum urina diutius retenta fœminam, uti memini me conſpexiſſe, hoc affectu cruciabat. Quod ipſum de Hæmorrhagiis ſuppreſſis nariū refert *Zacutus Luſitanus Prax. admir. l. 1.O.38.*

nar- aliiſq; ales, XIV. Qvanta ſit opiatorum, narcoticorum ac ſtupefacientium efficacia, imò qvanta noxa, ſuperius jam tum traditum fuit. Neqve minus detrimentum mercurii, antimonii, ſimiliumqve mineralium exhalationes inferunt, qvod tot evincunt metallurgi, cinifiones ac aurifabri, attonito morbo defuncti: Utpote qvibus nervoſum genus enervatur, ſpiritusqve animales obnubilantur, ſuffocantur, figuntur ac extingvuntur.

um vi- XV. Qvid referam de diatheſi ſcorbuticâ, qvam explicuit optimè *Drawizius?* qvid de Lue Venerea, cujus in noſtro affectu noxam delineat *Rhodius Cent. 1. Obſ. 34.* humorumqve aliis intemperiebus? Sane his Apoplexiæ incunabula contineri, ac quacunqve occaſione obſtetricante in lucem edi, plures paroxyſmos accerſi ac veluti periodis certis reverti noſtra potiſſimum edocent tempora. His enim vel ſpiritus obnubilantur ac fatiſcunt, vel via regia præcluditur, quò minus ſecerni ac diſpenſari queant, vel materia omnino iners pnevmatoſi ſuggeritur. Deliteſcit quandoqve cauſa conjuncta in cerebri ambitu, quæ poſtea data porta ruit, ac in ipſum meditullium deſcendit, poros ejusdem obſtruens ac ſpirituum expanſionem refrænans. Non reticere convenit, quod præter alios *Joh. Georg. Geiſel*, prout *Miſcell. N. C.* ann. 1670. *Obſ. 74.* referunt, polypos aliquoties in apoplecticorum cerebro æqve ac corde admiratus ſit. Pingvedinem cordis ventriculi dextri in arteriam pulmonalem aſcendentem, ac ubi ejus orificium clauſiſſet, in quo cornua ad ſimilitudinem Pythagoricæ literæ diviſa, mali hujꝰ cauſam apparuiſſe in ſectione cadaveris aſſerit *Thomas Bartholinus Cent. 1. Epiſt. 2.* Hydatides in plexu Choroidæo ſæpius memoratus *Wepferus*, in corpore calloſo *Panaroll. Pentec. 1. Obſ. 17.* conſpexiſſe ajunt. Tumorem ſteatomaticum intra cerebrum & cerebellum, pugni magnitudine vidit *Drelincurtius* in quodam, qui primo cæcitatem, deinde ſurditatem, ac deniqve ſenſuum ac functionum animalium proſtrationem, ac ipſam tandem mortem perpeſſus eſt.

Fulminis quoqve tactus adjiciendus erat, quippe cujus ea eſt efficacia, ut, quemadmodum vina in dolio corrumpit ejusqve ſpiritus diſſipat, pari ratione animalis corporis rectores enervet ac diſcutiat. Inſigne exemplum *Benivenius* refert *Obſ. Med. c. 23. Attonitos*, inqviens, *fulmine patrem & filium vidi, quorum corpus ac mens ſtupore tenebatur, adeo, ut diſſolutione nervorum affici eos crederent, cumque ad ſeptimum usque diem fere abſqve cibo & potu, quin & muti ac ſine ſenſu vitam miſeram traherent, vena pertunditur, alvus reſeratur, corpus plurimis frictionibus ſtringitur, ac alimentis interim tenuiſſimis paſcuntur, donec paulatim refecti ad priſtinam redierunt ſanitatem.* *Fulminis tactus,*

Quid obſint lucubrationes nocturnæ, affectus animi enormiores, ac venus immodica, tragici literatorum, ac quibus nō ſtoica finxit præcordia Phœbus, & amoris laſcivi mancipiorum caſus aperiunt, Quodq; ſuperius de vini abuſu ſtupefactivo monui, œnopolæ noſtri teſtantur, qui cellas, quando vinum ac cereviſia recens efferveſcit, ingreſſi, niſi cōtra nocentes halitus præmuniantur, attoniti ſubito concidunt. *errores in diæta.*

XVI. Ut autem ex aliorum placitis hactenus recenſitā ætiologiam ſummatim nunc ſubjuncta mea epicriſi atqve theſi finiam; Continens utiqve Apoplexiæ cauſa eſt ſubito ceſſans ſive detentus ſpirituum animalium motus, quo [in ſenſuum organa influunt; verbo: ſubito ingruens ipſorum ne influant, detentio, oppreſſio, ſtagnatio; ſive hæc fiat per modum interceptionis circa ſpinalis medullæ principium, ſive per nimiam effuſionem, diſſipationem, perturbationem, ſive per νάρκωσιν quandam. Cauſa antece- *Cauſa continens.*

antecedens proxima cedens propinqvior eſt præternaturalis cerebri diatheſis (ſingularis dyscraſia) & debilitas, quâ id ad pernicioſum hunc affectum proclive eſt; eaqve hæreditaria vel acqviſita: *remotior* remotior eſt provectior ſenectus indeqve collecta cacochymia pituitoſa; tum plethora cerebrum ad phlegmonodem diatheſin diſponens, vel ſpiritus peregrinus narcoticus cerebrum & nervoſum genus graviter afficiens. *externa* Cauſæ externæ ſunt cùm errores diætetici, unde prædicti vitioſi humores pronaſcuntur, inprimis autem freqvens crapula, quæ etiam digeſtiones lædit, maſſæ ſangvineæ hæterogeneas particulas infert, quæ poſtea ſpirituum ſecretionem reddunt vitioſam; tum qvæ violentia quadam foris incidunt, ut vehemens ictus, contuſio, caſus, vulnus, à quibus cerebrum graviter afficitur; inprimis autem ſangvinis extravaſati effuſio ad cerebri baſin ingruere ſolet. Quanqvam nec carotidum obſtipationem à cauſarum antecedentium cenſu prorſus eximo. E quibus juxta liqvet de cauſalibus Apoplexiæ differentiis: quo quidem nomine *Sennert.L.1.Prax.h.l.* eandem ſtatuit ſextuplicem.

Signa imminentis XVII. Cæterum quia præſens jam Apoplexia oculis luculentiſſimè patet, liceat docere quibus ſignis, ſi angvis in herba lateat ac materia ſopita ad invaſionis momentum contendat, cognoſcatur, utrum immineat. Ubi ſane fateri fas eſt, capitis gravitatem, oculorum caliginem, vertiginem, aurium tinnitus, memoriæ langvorem, mentis hebetudinem, altiſſimum ſoporem, motum imbecillem, lingvæ tarditatem, vocem tremulam, ac ſternutationum fruſtraneos conatus, certiſſimos eſſe morbi prodromos, nec quicqvam moderabile ſvadere.

diagnoſtica Diſtingvitur morbus noſter à lipothymia pulſu, qui in hac ceſſat, in illo reſtitat, niſi lædatur cerebellum; ab epilepſia convulſionibus, quæ adſunt huic, deſunt iſti; à paſſione hyſterica diuturnitate ac reſpiratione, quatenus hyſtericæ reſtituuntur citius, ac rarisſimè & difficillimè reſpirant, apoplectici diutius torquentur, ac reſpirationem plerúmqve continuant.

cauſarum XVIII. Ut cauſarum diverſitas dijudicetur, prægreſſorum memoria eſt recolenda, effectusq; cuiqve ſolennis conſiderandus: ſc. ſangvinea Apoplexia à pituitoſa colore ac pulſu dignoſcitur, quatenus ſangvinea ruborem ac pulſum duriſſimum, pituitoſa pallorem ac pulſum naturalem præ ſe fert. Eventum vero vix ſalutarem prænunciare poſſumus. *progn.* Nam teſte *Hippocrate Aphor. 42. l. 2.* fortem Apoplexiam ſolvere impoſſibile ac debilem difficile eſt. In pueris tamen ac juvenibus tutior, quam in ſenibus, quatenus illos, niſi ſubito extingvat, vix enormiter lædit, horum vero membra reſolvit, ac paralyſin inducit. Quibus ſtertor accedit, aut ſpuma in ore colligitur, quatenus ſtagnationem ac coagulationem ſangvinis intra pulmones indicat, vix reconvaleſcunt. Apoplexia pituitoſa, niſi febris ſuccedat, vehementior ac perículoſior creditur, quam ſangvinea, quæ Venæſectione adhibita levamen prodit: Febris lenta ſuccedens, aut ſudor anguſtiæ ſpiritus junctus peſſimæ notæ. Omnis fluxus ſangvinis proficuus eſt, ſive è naribus, ſive ex aure ſive per vaſa hæmorrhoidalia prorumpat. Reſpiratio cum inæqvali ac intermittente pulſu vehemens in forti Apoplexia mortem præſagit. Apoplexia ſæpius ſalivatione ſolvitur, quandoquidem ægrotantes per aliqvod temporis ſpatium, pro more infantium dentitione laborantium, humiditatis ingentem copiam ore colligunt. Quoties propinato aut inſufflato ſternutatorio æger non ſternutat neq; titillationem percipit, mors in olla eſt. Quando nebulæ cælo obſervantur, ac venti aſperiores ſpirant, morbus hic ingruere aſſolet, adeoqve, qui paroxyſmis his correpti antea fuerint, ut caveant ſibi, neceſſe habent. Cruenta urina mali moris eſt, mortisqve prænuncia. Nolit tamen Medicus, quantumvis funeſta terreant indicia, omnem animum ac ſpem abjicere, neq; licet benignioribus è ſignis criſtas forte tollat vix interim certi quidpiā ſibi pollicitus. Quin potius omnem lapidem moveat, ut, quod rerum primum eſt, cauſas acri judicio diſtingvat, neq; præcipitantia ingenii confuſionē patret, philoſophorū accuratiꝰ perpendēs axioma: *Sublata cauſa, tolli-*

tollitur effectus: ſic enim plures ex mortis faucibus eripiet. Defunctos ferali ciſta non illico includat; quandoquidem plura ſubſunt exempla eorum, qui ex ſarcophago denuo prodierunt, poſtquam per aliquot horas aut dies pro mortuis ſunt habiti.

§. XIX. Vidimus hactenus, quantas vitæ noſtræ inſidias ſtruat hoſtis hic acerrimus. Itaqve quibus mediis & remediis veluti armis prævalidè profligetur, diſpiciendum quantocyus. Sine dubio autem ſatius eſt è prædictis cauſis metuendum vel imminentem προφυλακτικῶς & ne ingruat, manu Medica prohibere, quam usqve dum actu irruat, expectare, atqve tum demum illam admovere; Ne rerum non-naturalium culpa periculum aggravet, ſequentibus utamur regulis: Ante omnia pathemata animi graviora, quorum in conturbandis ac enervandis ſpiritibus energia non ignota eſt, exulare jubeantur. Cogitationes ſeriores, inqve multam noctem protractæ lucubrationes, ſicubi inſultus apoplecticos extimeſcamus, negligantur; Veneris exceſſus, quo ſpiritus diſſipantur, evitetur. Alvus modeſte ſolicitetur, neqve conſtipari permittatur, nec ſolennes evacuationes ſupprimantur. Somnus, quo agiles corporis partes coërcentur, ne ultra mediocritatis cancellos extendatur, neqve vigiliis diuturnioribus indulgeatur. Corpus ut qualicunqve modo exerceatur, opus omninò eſt, adeoque quoties reliqua exercitia locum non inveniunt, frictiones, licet dolorem aliqualem incutiant, urticarum ictus ac cucurbitulæ in uſum vocentur, vel lecto penſili ægrotantes geſtentur. Aër calidus ſit, ac purus, cane pejus ac angve pluvioſus, nebuloſus ac frigidus fugiatur. Cibus ſit evpeptus, modice conditus aromatibus ac calidus, neve ventriculum oneret, pauciſſimus. Potulenta ne ſint craſſa, neqve ſtupefacientia. Evitentur vina pendula æqve ac generoſa, cereviſiæqve minus defecatæ. Palma tribuatur vino Moſellano vel Neccarino, pro re nata debitis cephalicis vel acidulis diluto.

[Pr]ervatio.

§. XX. Præſentis vero jam Apoplexiæ, ubi è datis φαινομένοις nimium fortis vel fortiſſima deprehenditur, curationem ad ægrotantem vocatus Medicus promittere nullus poteſt; licet nihilominùs prævio prognoſticô, ut humanitatis ſaltem officium præſtet, è paulo poſt proponendis excitatoriis remediis nonnulla adhibere eum deceat. Ubi vero ſervandæ vitæ ſpes aliqua ſuppetit, omnem ſtatim lapidem is moveat, ut ſpiritus animales ad naturalem ſuum motum & influxum revocentur, cauſa antecedens, ſeu ſangvinea, ſeu pituitoſa ſeu narcotica, revellendo, evacuando, diſſolvendo removeatur. Deniqve & cerebrum & ſpiritus animales convenientibus medicamentis confortentur, reficiantur.

Cura.

§. XXI. Itaqve poſtquam æger in loco temperato, lucido potius, quam tenebricoſo, erecta, quoad fieri poteſt, cervice collocatus fuit, Spiritibus excitandis ſive extimulandis det operam per moderatam corporis concuſſionem, & extremarum partium frictionem, naribus odorifera fortiſſima cephalica applicet, atqve ori quælibet ſale penetrantiſſimo referta, immittat. Suadentur etiam vellicationes pilorum, quibus pudenda præprimis cinguntur, quas tamen nauci facit celeberrimus Sylvius. Negligenda non ſunt veſicatoria, quibus allici ac revelli ſolet materia peccans. Ne tamen regulæ, quas genuina Chirurgia ac generalis Therapia hic tradit, in iſtis remediis adhibendis violentur, cum id unice agendum ſit, ut revulſio à loco periculis majoribus obnoxio in minus periculoſum contingat, ac onere liberetur humorum maſſa. In Apoplexia ſanguinea ſive ſit à phlegmonode diatheſi ipſius cerebri, ſive à ſanguine extravaſato tam à cauſa interna quam externa, protinus pertundatur vena. Raro vel paulo parcius hic vitæ latex effluat, ſi pituitæ vitium incuſatur. Notari interim hic merentur, qvod *Celſus l. 3. c. 27.* his verbis monet: Si omnia, inquit, membra reſoluta ſint vehementer, ſanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus vix unquam Sanitatem reſtituit, ſæpe mor-

per excitantia,

veſicatoria

V. Sectionem

morbum tantum differt, vitam interim infeſtat. Poſt ſangvinis miſſionem, ſi non redit & Motus & Mens, ſanitas quoque non reſtituitur.

Vomitoria. XXII. Vomitoriorum uſum disſvadet *Sylvius*, cum absque concurrente diaphragmatis, abdominis præſertim muſculorũ motu animali in Apoplexia abolito, vomitus cieri neqveat, nec proinde præter inanem vomendi conatum & fortè incommodum inde conſecuturum à vomitoriis aliquid expectari qveat. Verum enim verò reclamant Practici plures, modo ægrotans ſit robuſtus ac juvenis, ſummum id remedium appellantes, adqve crebriorem experientiam provocantes. Monent tamen non abs re, augendam eſſe vomitorii doſin, imò reiterationem aliquoties tentandam, cum duro nodo durus quærendus ſit cuneus. De qvo conſulantur *Platerus* & *Hœferus*, qvi aſſenſum non dedignantur, modo dimetiamur remedii hujus energiam ad decempedam virium, ne errorem Medici Terra operiat.

Clyſmata XXIII. Potior fiducia conſiſtit in Clyſteribus, modo ſint acriores, quibus nervi excitantur, neqve adeò inconſultum erit, ſpecies aromaticas cum emollientibus miſcere; v. g.

Rec. Rad. Imperator. unc. j.
Herb. Salviæ.
Rutæ.
Origan.
Violar. ana. Mj.
Flor. Anthos
Lilior. conval. P. j.
Pom. Colocynth. in pet. lig. dr. ß.
Sem. Fœnicul. dr. j.
Inciſ. & contuſ. decoq. in ſ. q. aqvæ ſimpl.
Colat. Rec. unc. x.
Ad. Mel. Anthoſat. unc. j.
Salis Ammoniaci dr. ij.
Eſſ. Caſtorei dr. iß. M. pro Enemate.

Talis verò Clyſter ter quaterve poteſt repeti, ſingulis quidem diebus ſemel eum injiciendo.

Suppoſitoria. XXIV. Hunc in finem non minus ſuppoſitoria applicari poſſunt, qvando enema injicere non eſt permiſſum, cum notorium ſit, quantum adſtantes remedii iſtius uſui ſæpius renitantur; v. g.

Rec. Fell. Taur. inſpiſſat. dr. ß.
Succ. Rut.
Salviæ ana. ſcr. ß.
Sal Abſinth. gr. ix.
c. ſ. q. Mell. Rutac. f. l. a. Suppoſitorium.

XXV. Neqve omitti debent ſpirituoſa ac ſalia volatilia cum antiſpaſmodicis, v. g. Sal volat. oleoſ. Sylvii, Spiritus Salis Ammoniaci, Eſſent. Caſtor. &c. qvodſi tamen ex narcoticorum abuſu malum contractum potius ſpirituoſa ſulphurea cum Caſtorei præparatis eligantur, qvam ſalina. Egregiæ hic ſunt aquæ Apoplecticæ & fragrantes, ſpiritus urinoſi, ac quandoque in expugnando acido, alcalia fixa. Quæ quidem Medicamenta ſive propinentur, ſive exterius linteolis applicentur, aut partibus affundantur, egregiam omninò navant operam. *Spiritu[oſa] [&] ſalia [volatilia].* Formulas præſcribunt tales:

Rec. Aqv. Apoplect. Langii.
Cordial Herc. Sax. ana unc. iß.
Sp. Sangv. human.
Urinæ ana dr. ß.
Sal volat. Succin. ſcrup. ß.
Syrup. de Canel. dr. iij.
M. propinetur cochleatim.

Rec. Specif. Cephal. D. Mich. ſcrup. j.
Ambr. gryſ. gr. I. M. pro una doſi.

Commendantur enim maxime Cinnabarina, neq; minus Camphorata ac balſami Apoplectici varii: quandoq; alvus laxante movenda, ad evacuandam lympham viſcidam, incidentibus attenuatam. Quo nomine egregia ſunt vina Medicata ex aromatibus ac Senn. Alex. immortalem vero laudem merentur Decocta Lignorum laxantibus miſta, quippe quæ præter mitiorem catharſin, tonum fibrarum reſtituunt, neque contemnendæ ſunt pilulæ cephalicæ. Cum fruſtra hæc omnia tentantur, extrema ſolent adhiberi remedia, cauteria videlicet actualia ac potentialia, quæ tamen ſolis caſibus relinquuntur, ubi præſtat anceps remedium, qvam nullum. *Caut[eria].*

Fonti[culi]. XXVI. Præſervationis ergo ne malum revertatur, evacuationes, quibus adſveverunt ægri, continuentur, fonticuli

ticuli excitentur, ac alterantia & cephalica hactenus indigitata in uſum vocentur, diæta commendata obſervetur, humorumque diatheſi vitioſæ ſpecifice proſpiciatur, v. g. antiſcorbuticis ſcorbutus ſopiatur, imo cucuphæ ex aromaticis ac nervinis paratæ conveniunt. Rupturæ vero arteriarum carotidum & vertebralium, quibus debetur quandoque Apoplexia, vix curam pollicentur, Tumores ex adverſo & quæcunque prementia, quantum licet, maturius tollantur; quanquam ex mente *Williſii* hæc vaſa ita inter ſe invicem communicant, ut obturatis quibusdam Sangvis tamen unius ſaltem arteriolæ capitis interiora æque ac exteriora irrigare ac perluere poſſit; id quod aperto tabidi cadavere confirmat, cujus dextra carotis ac vertebralis oſſeæ ac imperviæ factæ minime Apoplexiam induxerunt. Præterea diſſecta ſpinalis medulla omnem medelam reſpuit, atque inferiores partes Spirituum defectu fatiſcunt. Quæ tamen non minus, quam meditullium cerebri ac cerebelli ſangvine extravaſato quando premitur, liberentur ab hoc onere quantocyus Sangvinis affluxum ulteriorem vulneris conſolidatione ac revulſione impediendo, & effuſum, qui ibi hæret, reſolvendo ſuperius laudatis atque ad palatum vel nares, vel, quam ipſa Natura eligit, viam alliciendo. Quodſi ſanguis ſub cranio collectus hac ratione educi nequeat, Trepanatio, quam Chirurgia edocet, haud raro unicum, licet periculoſiſſimum, remedium. Etſi non deſint, qui apprime valida Medicamenta ejus vicem ſupplere poſſe cenſent. Fracturas inſuper eadem, fiſſuras, contuſiones ac depreſſiones quo modo, ſi Apoplexiam induxerint, tractare fas ſit, egregie commonſtrat. Has enim operationes, & quæ præterea reſtant, quo minus adjiciamus, anguſtiæ prohibent pagellarum, quæ nil amplius capiunt, niſi gratias Summo Numini pro viribus hactenus conceſſis dicendas. Benedicat hic ſupremus Artis noſtræ Stator porro laboribus noſtris Medicis, ut nullo non tempore cantemus:

Non moritura DEO ſit Laus & Gloria ſoli.

FINIS.

Disputationum Langianarum Quinta:

De

MORBO CADUCO.

Prooemium.

EN tibi, L. A. Diſſertationem de Epilepſia, Morbo illo, quoad Theoriam æque ac Praxin ſatis intricato. Conſcripſi eam animo nonnihil invito, non quaſi ſocors fuiſſem in illis, ex quibus commodum proximique ſalus pronaſci ſolet; ſed quoniam prævidi, parum â me afferri poſſe, quo Practicorum non minus ac ægrotantium querelæ de difficultate & truculentia Affectus huius ſedari atque ſiſti valeant: Interim qua licuit ſolertia in id incubui, ut totum ſyſtema Morbi, h. e. ejus Definitio, Cauſa, Signa, & Curatio pro virili pertractarentur. Accipe itaque conatus hoſce & crede, me, nunquam defuturum, ſi quando rei Medicæ magis prodeſſe potero. Jam vero DEUM ter Opt. Max. implorato mecum, ut cœptis annuat, omniaque ita dirigat, ut in majorem divini Nominis ſui Gloriam proximique commodum vergant.

§. I.

Etymologia. MORBUS, de quo acturi ſumus, MORBUS CADUCUS, ſeu EPILEPSIA dicitur: Denominationis rationem Græca lingva reddit, ſiquidem ab ἐπιλαμβάνω, invado, corripio, prehendo, quia ſubito & ex improviſo ægrotantem corripit, derivatur. vid. Thom. Burnett. *lib. 5. Sect. 4. de Epilepſ.* Unde Germanice die fallende Sucht nuncupatur. Varias præterea denominationes apud Medicos (forſan ut terminorum luſus detur) ſuſtinet: dicitur enim Morbus caducus, quod eo laborantes derepente cadant, nonnullis vocatur Peditio, quia pedes in Paroxyſmo inordinate moventur, vid. Avicenn. *Tract. de Epilepſia*: aliis ſonticus, quippe periculo non carens, quoniam artus omnes totius corporis divellit & enervat: aliis Lunaticus, quoniam ad ſingulos Lunæ Circuitus redire quandoque aſſvevit, & â Lunæ phaſibus ac influxu maxime dependet. Quibusdam audit Herculeus, quod idem eſt ac ſacer, ſcil. quod curatu difficilis & inſtar Herculis inexpugnabilis ſit: Vel etiam Menſalis, Convivalis, quia menſam accumbentes invadit; Comitialis, quoniam olim Romæ Comitia ſolvebantur, ſi quis Morbo hoc corriperetur. Sic & apud Germanos juxta cujuslibet nationis idioma varia nomina nanciſcitur, ita ut aliis der Jammer / Ubelthun / aliis, die ſchwere Noth / böſe Kranckheit / das böſe Kraut / das böſe Weſen &c. audiat. *Synony*

§. 2. Quæ denominationes tamen omnes ad unum collimant, nobis ſcilicet indicantes Morbum illum, quem Veteres dixere Ægritudinem prohibentem membra animata ab operationibus ſenſus & motus: Vid. Savanarol. *Tract. de Epil. p. m. 88. col. 3. lit. E.* At vero quia differentia ſpecifica nimis generalis, â ſtupore partium fortiorique vertigine, (quam forſan eandem ob cauſam Epilepſiæ ſimilem putavit Avicenna) facile diſtingvi nequit, proinde nobis integrum erit, definitionem ſequentem ſubſtituere: Eſt Epilepſia læſio motus animalis naturalisque, qua totum corpus concuſſione *Definitio.*

one involuntaria cum externorum quandoque & internorum ſenſuum detentione conjunctâ præternaturaliter movetur.

§. III. Non male factum puto, qvod Generis loco læſionem motûs animalis naturalisque poſuerim: Ecquis enim negabit, lædi in hoc Affectu inſigniter motum voluntarium æque ac involuntarium? Nec de ſubjecto quisquam mecum altercabitur, modo attenderit, non ſolum hanc vel illam partem convelli, ſed totum corpus non raro mirum in modum torqueri. Corpus vero, tanquam totum integrale, multis conſtat partibus integrantibus, ſolidis ſcilic. fluidis & impetum facientibus: referri ad ſolidas ſolent oſſa, cartilagines, muſculi carnoſi, vaſa ſangvifera & lymphatica cum nervis: Ad fluidas vero chylus, ſangvis, lympha & ſerum. Pars impetum faciens heterogeneitate ad ſenſum, ut ita loquar, ſine dubio deſtituta, alias ſpiritus, ſive principium vitale audit.

§. IV. Ex his aliæ magis ad quietem pronæ ſunt, ideoque movendæ; aliæ vero, propter naturam ſuam volatiliorem ſumme activæ, hinc moventes dicuntur. Oſſa pondere ſuô atque rigiditate præ ceteris quietem optant, & ab his recedentes partes fibroſo-flexiles, quô molliores & flexibiliores, eo magis ad motum aptæ natæ ſunt. Hinc omnium tam Veterum, quam Recentiorum ſuffragio muſculi ſive eorum fibrillæ, (quæ mihi unum idemque,) organon motus adæquate paſſivum creduntur, quorum ope cæteræ partes omnes, tam ſolidæ quam fluidæ, moveantur, quamvis liquoribus inprimis ſpirituoſioribus proprius ac inteſtinus motus ob inhærentem elaſticitatem denegari nequeat.

§. V. Cum autem per ſe, propter terreſtreitatem ſuam immobiles ſint muſculi, adſit oportet principium quoddam eminenter vegetum, quod ipſis motum conciliare aptum ſit: De hoc varias opiniones Autorum quilibet facile colliget. Princeps Philoſophorum Ariſtoteles tradit nobis, animæ ſenſitivæ facultatem motricem motus cauſam efficientem: quid ſibi hoc ipſo velit, interrogatus reſpondet: Mittere animam ſenſitivam facultatem ſuam motricem ad muſculos: ulteriorem rationem urgentem ad ſplendidum illud ignorantiæ exſtructum Aſylum, Qualitatem occultam ſcilic. ablegat, quam ſententiam ipſius Soldurii, ut ut neſcientes, quid de anima ſenſitiva faciant, & quænam ſit facultatis ejus motricis ratio formalis, ſtrenue defendunt. Prudentiores meo quidem judicio habendi, qui animam ſenſitivam & vegetativam vel propter materialitatem & mortalitatem ab anima rationali eſſentialiter diſtingvunt, harumque loco nomen ſpirituum, h. e. materiam ſubtilem & puram introducunt. Recte profecto: quandoquidem principium aliquod vitale, à quo omnes actiones, functionesque corporis humani dependeant, dari, vel ex ſolo effectu conſtat.

§. VI. Ceterum non libere circumvagantur ſpiritus, ſed incluſi ſunt certis vaſis, nervis ſc. quorum ope ad muſculos accurrere ſolent, motum inibi ſenſumque præſtituri; Nec injurium me futurum in quempiam arbitror, ſi nervos muſculis ſubjungam, illosque, ut ſupra, ſubjectum motus paſſivum, ſpiritus vero active tale dicam. *Spiritus.*

§. VII. Dixi totum corpus convelli in Epilepſiâ. Accidere vero ſolet, ut hoc fiat vel per ſe, vel per conſenſum. Hinc quoque Epilepſia dividenda eſt in Epilepſiam per ſe & per conſenſum, h. e. Univerſalem & particularem. Qvo hæc clariora evadant, præſuppono ſedem Epilepſiæ univerſalis cerebrum: particularis, partem corporis hanc vel illam, v. g. ventriculum, uterum, &c. *Differentia.*

§. VIII. Sedes morbi cerebrum eſt, quia hic colligitur materia morbifica, quæ utique vaporoſa & ſubtilis ſtatuenda, quæ per arterias carotides *Sedes morbi.*

rotides ſubſtantiam cerebri medullarem intrare ibidemque ſpiritus ſubtiles & puros (hinc impuritatis impatientes) ita afficere poſſit, ut inde tumultuoſe explodantur. Aliter vero res ſe habet, ubi materia hæret in parte hâc vel illâ, hincque totum per conſenſum movet.

organon principale Motus.

§. IX. Conſtare ex ſupra dictis poteſt, ſpiritus omnis motus organon principale exſiſtere, qui naturaliter conſtituti motum edunt naturalem, h. e. regularem: quod ſi minus, ſecus. Cum autem Epilepſiæ formalitas in motu conſiſtat, non immerito ſpiritum hujus Inſtrumentum præcipuum habeto; at vero læſus cum ſit in Epilepſiâ motus, ſpiritum quoque ataxiâ quâdam laborare oportet. Hinc optimô jure ſpiritum malè affectum cauſam proximam, omne id autem, quod ſpiritum male afficere poteſt, antecedentem dixeris.

cauſa proxima

antecedentes.

§. X. Equidem, ſi ullius, hujus certe morbi cauſas antecedentes reddere arduum videtur, quippe morbus ipſe adeo monſtroſus eſt quandoque & horribilis, ut non raro obſeſſionem mentiatur, vid. Tim. à Güldenkl. *Epiſtolar. Lib. 1. Epiſt. 1. de Epilepſ.* Waldſchmid. *Prax. Medic. rational. lib. 1. cap. 1. de Epilepſ.* ut etiam generoſiſſimus hic Medicus citato loco fateatur, videri ſibi aliquid divini hoc in affectu hærere, quod nec ſatis dici, nec ſcribi poſſit. Unde & factum puto, quod autores in diverſas adeo opiniones abierint, ita ut alii cum Williſio effervescentiam quandam ex particulis nitro-ſulphureis cum ſpirituo-ſalinis oriundam; alii cum Barbette lympham acrem; cum Deckero lympham acido-auſteram; cum de le Boë Sylvio ſpiritum acidum & acrem, cum Ettmüllero acidum nervis inimicum, &c. ſtatuant. Enimvero Williſium quod attinet, notum eſt, ſpiritus animales indifferentes ad omnem characteriſationem & puriſſimos, hinc demum aptos ad omnem ſenſum rite præſtandum exiſtere. Nec, quid ſibi partes nitro-ſulphureæ velint, ſatis explicatum eſt. Neque etiam ſatis liquet, cur cæterorum acrimonia, cujuscunque demum naturæ ſit, Epilepſiam tantummodo producat, quæ tamen aliis morbis procreandis magis apta videtur. Præterea mallem, ut Barbette lymphæ ſuæ acris qualitatem accuratius explicuiſſet; Deckerus vero & Sylvius cum Ettmüllero dixiſſent, quomodo curatio morbi alicujus ab acidis exſpectari queat, (quod experientia quotidiana docet) cujus cauſa eſt acida. Neque enim ille valet canon: Acidum præcipitatur ab acido; quin potius acidum combinetur cum acido: hincque propter mutationem pororum menſtrui fundum petat id, quod antea ſolutum erat.

juxta mon

§. XI. Virus illud inebrians, ſoporiferum & quodammodo furioſum Helmontii, de Morbis archealibus cum fermento venenato Mortonis de Febribus intermittentibus, concordare aliquatenus videtur, & ſi utriusqve formalitas in ſulphure centraliter recluſo ponitur, tolerari poteſt. Id quod ille intendere videtur, quando in ſulphure vitrioli & vulgari ſomniferum ſaccharinum, virulentum vero in opio quærit, vid. Lithias. *p. m. 82. §. 84. & 86.* Hic vero, quando fermentum ſuum venenoſum appellat. Nam ſicuti fermentum ſine motu quodammodo præternaturali partium concreti magis activarum concipi nequit, ita, illud venenoſum evadere, ni irregulariter moveantur ſal & ſulphur, impoſſibile eſt. Quid ego de hâc re ſentiam, mox pateſcet.

§. XII. In antecedentibus dictum eſt cerebrum eſſe ſedem hujus Affectus: Quæritur ergo, cur hic & non alibi ſpiritus afficiatur, unde & quomodo hoc fiat? Quoad prius reſpondeo: Dari nullibi in corpore noſtro talem cavitatem, in qua ſpiritus non tantum ſeparentur, ſed etiam tanquam in promptuario quodam reſerventur ad motum & ſenſum præſtandum, quam in ipſo cerebro: Ideo nec ullibi in

tan-

tanta copia affici poſſe, quam hic loci. Quoad poſterius, miaſma illud heterogeneum, quod cauſa Epilepſiæ univerſalis exſiſtit, vaporoſum eſſe. In quonam autem heterogeneitatis & modi afficiendi formalitas conſiſtat, arduum explicatu.

§. XIII. Rem proinde ſic concipimus, præſupponitur ſcilicet diſpoſitio talis in ſangvine, quæ ſatis eſt ad producendum motum ejusmodi, qualis eſſe ſolet in inteſtinis, ubi generantur flatus ſatis nauſeoſi: quemadmodum vero hos ex centrali ſulphuris reſolutione naſci conſtat, quod vel inflammabilitate ipſorum & fœtore probatur: Sic & illum oriundum puto, quando chylus impuritates, quibus ex prima digeſtione adhuc inquinatus, per excretoria debitè deponere nequit. Ex Phyſiologicis repetendum eſt, ſecerni chylum maxime crudum, qui ſubinde ab aquoſitate nimia per glandulas miliares & poros cutaneos; ſalſedine per renes; partibus ſulphureis per hepar liberandus. Quod ſi itaque forte contigerit, ut impediantur hæ depurationes, facile accidere poteſt, ut ex cruditatibus, inprimis ſulphure viſcido impræ gnatis oriatur motus præternaturalis, in quo, ope ſoluti & exaltati ſalis ſulphuris partes centrales recludantur, ita quidem, ut non, uti fieri ſolebat in fermentatione regulari, ſulphur æqua lance, (non quoad pondus, ſed juſtitiam) pendeat cum partibus ſalinis, ſed prædominari videatur. Hinc aſcendunt vapores ſulphureo-ſalini, ejusdem fere naturæ, quales eſſe ſolent, qui ſub forma odoris & ſaporis fœtidi moleſti ſunt, ſiquidem cruditas nidoroſa in ventriculo continetur. Hujus enim affinitatem cum vaporibus epilepticis vertigo, quæ tali cruditate affectos vexare ſolet, teſtari poteſt.

§. XIV. Quoniam vero partes chyli impuræ non coacervatim in uno loco hoſpitantur, ſed ſparſim in maſſa ſangvinea circumferuntur, fit quoque fermentatio hæc irregularis ſparſim, cujus effluvia ad cerebri cavitates ſenſim delata inibi colliguntur & coacervantur in tantam copiam, quæ ſufficiat ſpiritibus ita afficiendis, ut cum impetu confuſe explodantur.

§. XV. Hinc quoque paroxyſmorum decurſus facillime deducitur, nimirum, ſi materia vaporoſa, hac vice in cerebri ventriculis collecta ex motu, quem propter characteriſma cum ſpiritibus puriſſimis & ad omnem rem indifferentibus inire debebat, abſumpta eſt, ceſſat paroxysmus, quousque denuo ejus notabilis quantitas accedat. Quo impurior itaque ſangvis, eo frequentiores & vehementiores oriuntur inſultus: Et ſic contra.

§. XVI. Vitiatur chylus & conſequenter ſangvis: (1) Si alimenta aſſumuntur vel naturæ adverſa, vel copiâ, quam par eſt, majori: Utroque modo generantur cruditates. Ecquis enim neſcit, naturam averſari ſibi ingratum, pariter ac contemnere id, cui ſubigendo impar exiſtit. (2.) Si in animi pathematibus error committatur. (3.) Si medium ambiens vitioſum ſit.

§. XVII. Cruditates hinc oriundæ modificantur juxta qualitatem & quantitatem aſſumtorum, ut plurimum tamen in noſtro affectu pituitoſæ & bilioſæ exiſtunt: quæ chylum per ſe & ſecundum naturam ſpectatum, ſatis jamdum crudum, impuriorem adhuc reddere & fermentationem irregularem producere ſufficiunt. Tales enim ſunt, quæ propter ſulphur viſcidum, quam maxime talem motum conſtituunt.

§. XVIII. Per errores animi pathematum malum producitur, quando poſt nimiam ſpirituum alterationem humores non ſolum in peripheria, ſed & ipſo centro ſtagnant. Alterantur ſpiritus ſi vel deſtruantur, vel divertantur. Dialapidantur ſi motu vehementiori ferantur, id, quod vel unicus animi affectus, quem ex- *Animi pathemata.*

excandeſcentiam vocamus, aſſerit. Divertuntur, ſi in terrore ab idea quadam meticuloſa retroferuntur. Sic ex conſpectu venæſectionis epilepſiam ſubortam Salmuth refert, *Cent. 2. Obſerv. 73.* A terrore ex aquæ perfuſione inopinata Camerar. *Syllog. Commemorab. Cent. 26. &c.* Nec phantaſia immunis eſt. Recordor enim ſervam aliquando Lipſiæ inveniſſe ligulam tribus nodis conſtrictam, dum tertium horum ſolvit, ſibi imaginatur, à ſaga quadam per faſcinationem nexam fuiſſe; & en! pauco interjecto tempore epilepſiam incurrit graviſſimam, de qua tandem à me liberata eſt. Sic quoque commoti ſpiritus in vigiliis nimiis deliria & tandem Epilepſiam producunt, id quod in febribus acutis non rarum eſt. Si vero ſpiritus per nativitatem à parentibus characteriſentur, Epilepſia hinc oriunda hæreditaria audit.

Aër. §. XIX. Nec denique eſt, quod aër excludatur. Ecquis enim dubitabit de ejus vi incraſſante, dum ſcilic. frigidior admittatur, vid. Savanarol. *de ægritudinib. Capitis Tract. 6. cap. 1. pag. 69.* Et hæc de Epilepſiâ univerſali.

cauſa epilepſiæ particularis. §. XX. Particularem voco, cujus cauſa morbifica non, ut in univerſali, omnem maſſam ſangvineam occupat, ſed tantùm hanc vel illam partem inhabitat, alias tamen in conſenſum trahit: (quamvis non negem, totam maſſam ſangvineam tandem inquinari, & ex particulari univerſalem produci poſſe, niſi citiſſime tollatur. Novi quippe non minimum damnum illud eſſe, quod ſyſtema nervoſum ex repetitis paroxyſmis epilepticis capit,) v. g. ſi menſium obſtructio epilepſiam ex utero producit, vid *Caſ. Med.* Timæi à Güldenklee *lib. 1. Caſ. 12.* Savanarol. l. c. Vel ſi ex liene & hepate vel obſtructô, vel inflammatô, vel ſcirrhoſo quandoque oriatur Epilepſia, vid. Tulp. *lib. 4. obſ. 2.* Hogland. *Oecon. animal. p. m. 186. 187.* Quamvis in præcedentibus caſibus etiam occurrat obſtructio, non tamen miaſma vaporoſum ad cerebrum mittitur, quoniam non omnis obſtructio ad id generandum apta eſt, ſed illa demum, cujus materia majorem copiam ſalis & ſulphuris continet. Quandoque & ab extra nervus nunc in plethora premitur, vid. Zacut. Luſitan. *Medicin. Princ. Hiſtor. 26. fol. 45.* Nunc læditur in vulneribus & contuſionibus partium nervoſarum; nunc irritatur à tenſionibus, doloribus & torminibus, quæ oriuntur vel â ſcybalis retentis, vel â calculo renum ac veſicæ; nunc colicâ convulſiva ſtomacho ſaburra repleto, vid. Mich. *Prax. clin. ſpecial. caſ. 4. p. m. 375.* nunc roditur vel ab acrimonia, vel a vermibus inteſtina inhabitantibus &c. Bartholin. *Hiſt. Anatomicar. Cent. 4. Obſerv. 7.* Curioſa ſatis obſervatio eſt, quam Borellus de adiposâ excreſcentia ventriculos cerebri occupante, hincque epilepſiam producente refert. Vid. ipſius *Obſerv. cap. 2. obſ. 70.*

§. XXI. Hæ omnes cauſæ, ſi mitiores ſunt, ita, ut tantùm partem affectam moveant, motus convulſivi audiunt, quales paſſim occurrunt. Ipſemet recordor, vidiſſe me olim in ſubjecto ſcorbutico primo convelli muſculum ſemimembranoſum præterpropter, poſteà palpebram jam inferiorem, jam ſuperiorem non ſine tædiô moveri, donec ſponte motus ceſſaret. In alio ſubjecto tale quid ex ſanatione mali mortui obſervare licuit, ſcil. dum emplaſtrum ſarcoticum applicaretur, idque carne producta ſanationis ſpem accelleraret, convelli dextræ manus pollex cœpit, adeo, ut ne quidem calamum ſcriptorium ducere potuerit, quæ convulſiones durarunt, donec removeret ægrotus emplaſtrum.

§. XXII. Cæterùm de ſignis diagnoſticis id notandum, indicare illa epilepſiam vel inſtantem, vel præſentem: quæ tamen Medico parùm negotii faceſſunt. Ecquis enim ex vertigine ſubitaneâ, aurium tinnitu, capitis gravitate, ſenſuum hebetudine, variorum colorum ac ſplen-

ſplendorum apparitionibus, nervorum trepidatione, cordis palpitatione, odoris fœtidi ſenſu, &c. imminentem non concluderet? Neque etiam vulgus, dum ſubjectum ex improviſo concidit, totum corpus convellitur, ita, ut ſpuma ex ore ſæpe profluat, interdum urina, ſtercus cum genitura excernitur, æger nec audit, nec videt, nec expedite præteritorum recordatur, de epilepſiæ præſentia dubitat.

[...]icularis [...]ilepſia

§. XXIII. Majori paululùm induſtriâ particularis Epilepſia ab univerſali diſtingvitur; fieri tamen quodammodo poteſt, ſi quis attendat, num ſenſatio aliqua triſtis in parte quâdam extra caput paroxyſmum præcedat, comitetur, vel etiam inſequatur. Hoc ſi ita ſit, certò concludere licet, ex conſenſu ortam eſſe epilepſiam.

§. XXIV. Utraque ſpecies in primô gradu adhùc conſtitutâ facile cum Lipothymia & Caro confundi poteſt: Ne vero decipiaris, pulſum explorare jubent Autores, quem parvum & rarum in his, in Epilepſia fortem & frequentem obſervari dicunt. Neque etiam Carus ſimilesqve affectus ſoporoſi periodicô recurſu, ut Epilepſia redeunt, nec tàm facile cedunt.

[...]rum [...]onali[...]m.

§. XXV. Cauſarum occaſionalium ſigna, ut Medico ſcitu neceſſaria, ita obſcura & cognitu difficilia ſunt. Univerſalis Epilepſiæ cauſa antecedens, licet plerumque cruditas pituitoſo-bilioſa ſit, raro tamen ſenſibus obvia eſt, præſertim ſi intimius reſoluta, maſſæ ſangvineæ jamdum admixta eſt. Errores animi pathematum luculentiores fiunt, ſi Medicus oblique interrogat: Annon hôc malo poſt iram, terrorem, metum, vel hujusmodi ſpirituum alterationes graviores vexetur ægrotus? Quod ſi affirmarit, certus quis eſſe poteſt de mali origine: Sic aërem frigidum admiſſum, nil niſi ægrotantium relationes indicabunt: Parili relatione, num ex diſpoſitione hæreditariâ morbus dependeat, reſciveris, ſi inquiras, an æger antehàc pluries inſultus tales paſſus ſit, nec ne? Num & parentes ejus his obnoxii fuerint? Quod ſi ita ſe habeat, & hoc inſuper accedat, quod Epilepſia etiam poſt pubertatem cedere nolit, eam hæreditariò jure contractam judicato.

in epilepſia particulari

§. XXVI. Difficilius autem propter diverſitatem cognoſcuntur cauſæ epilepſiæ particularis. Interim tamen ſi de utero ſuſpicio ſit, quærendum, num extra paroxyſmum dolorem ſentiat ægra in capite, circa nucham, imprimis in dorſo pectine & inguinibus? Vel, num ex regione ingvinis dolor obſcurus per abdomen, pectusve caput verſus repat. Quod ſi ita ſit, menſes obſtructi, vel paſſio hyſterica mali cauſa erunt. Lochiorum impeditus fluxus ex ægrotantium aſſerto habetur: Lienem affectum cognoſces, ſi æger extra paroxyſmum de moleſtiâ, ardore, aut tumore, nunc molli, nunc induratô immediatè ſub coſtis ſpuriis conqueritur. Dolor obſcurus, gravativus tamen ac tenſivus in hypochondrio dextro ad lumbos ſe nonnunquam extendens, qui denuò verſus ſuperiora aſcendens diaphragmatis motum impedit, ſpirandi difficultatem, tuſſim ſiccam, interdum ſingultum cum decubitu in latere affecto dolorifico producit, ſiſtit tibi hepar vitiatum. Plethora cum duplex ſit, ad vaſa altera, altera ad vires, utriusque ſigna demonſtrativa apponenda eſſent, niſi certum eſſet, Epilepſiam utplurimum ex verâ, raro admodum ex ſpuria pronaſci. Hinc acquieſcimus in hâc ſolâ, cujus præſentiam ex intumeſcentia & renitentiâ vaſorum ſangviferorum, pulſu magnô, plus minus vehemente & tardo, concludere licet. Vulnera ac contuſiones nervorum ſenſus externi dabunt. Nec è re fore puto, omnium apponere ſigna, quippe quæ paſſim ab Autoribus ſingulis affectibus ſubjuncta ſunt. Solùm ratione infantum Epilepſiæ id addendum, explorari ipſam ſi adſtantes interroges, num in recens - natis meconium debite ſit evacuatum, &

qualem colorem fæces nuper depoſitæ referant, an luteum, vel viridem? Qualemque conſiſtentiam, an fluidam & naturalem, vel grumoſam oſtendant? Item an Dentitio immineat; vel alius lateat morbus. Singulorum cauſas occaſionales reddere nimis prolixus labor eſſet, hinc ablego lectorem ad Autores.

Signa prognoſtica §. XXVII. Quoniam verò id quoqve ſolenne eſt ægrotantibus, ut Medicum de morbi eventu conſulant, integrum erit, apponere etiam ſigna Epilepſiæ prognoſtica, quippe ex quibus de eventu bonô vel malô, juxta morbi ſtatum augurari ſolent Practici. Quemadmodum autem in omnibus morbis, ita & inprimis in hoc conſultum eſt, judicium ſuſpenſum habere, ne, ſi forte non reſpondeat eventꝰ, ludibrio exponatur Medicus. Caute tamen procedere hac in re licebit, ſi quis morbum conſideret, primo, quatenus hanc vel illam partem corporis occupat: Ubi talis canon formari poterit: Quô plures nobiliores, capitiqve viciniores partes Epilepſia infeſtat, eo periculoſior eſt. Notum quippe eſt, convulſiones vehementiores diaphragmatis cordisqve mortem preſsô pede ſequi. Sic & labia, palpebras, lingvam, fauces, &c. affici communiter pro malo ſigno habetur: quatenus etiam diuturnior eſt, & crebrius invadit, eatenus vel hæreditariam adeſſe, vel per plures per longum tempus recurſus duraturam ſuſpicari licet. Hinc naſcitur hæc regula: Hæreditaria ſecundum Autores raro vel nunqvam, habitualis vero difficulter ſanatur. Experientia quippe teſtatur utramqve ſpeciem ad plures annos quandoqve ſine præſenti periculo vitæ perdurare, quandoqve vero, dum ſæpius recurrit, paralyſin, mentis abalienationem, tandemqve ſtuporem inducere. Porro quatenus ætatem, vel infantilem, vel adultorum fatigat, eatenus ſeqvens prognoſticon formari poterit: Quo magis juvenile eſt ſubjectum, eo meliora; quo adultius, eo pejora ſperanda. Fieri enim aſſolet, ut infantes, vel lactentes adhuc, facilè medicamentis adjuventur, vel adultiores paululùm, circa pubertatis annos ſua ſponte liberentur, quod ſi vero terminum hunc tranſcendat, malum vel hæreditarium eſt, vel in habitualem Epilepſiam abiit, hinc raro curatur, teſte Williſio *de Morb. convulſ. cap.* 2. Tandem quatenus ſolitaria, vel aliis affectibus ſtipata incedit: Semper enim pejor deprehenditur, quæ graves morbos, v. g. Febres acutas & ſimiles comites habet.

§. XXVIII. Curatio potiſſimum duo reſpicit, excitationem in paroxyſmo, & præſervationem illius, h. e. remotionem cauſarum occaſionalium.

§. XXIX. Scilicet revocandi ſunt ſpiritus à furore ipſorum, quod fit, ſi idea movens illos removeatur. In præcedentibus dictum eſt, miaſmate vaporoſô affici ſpiritus: hinc ut diſcutiantur illi vapores, opus erit. Quando autem figendi illos in cerebri ventriculis copia non datur, propter difficillimum aditum rerum, ab extra advenientium, juvari æger vix poterit, niſi prius in ordinem redigantur ſpiritus. Pro hoc ſcopo adhiberi ſolent Divertentia: v. gr. extra paroxyſmum venæſectio, vomitoria ac clyſmata acria ex decocto Rut. Fol. Nicot. Serpill. Centaur. min. Lavend. Colocynth. Rad. Ireos noſtrat. Pyrethr. Cyclam. Cort. rad. Ebul. Cort. Med. Sambuc. &c. Interius locum habent Eſſent. Caſtor. Sal vol. Cornu Cervi, ſuccin. & ſim. Valent etiam ſternutatoria, deniqve ligaturæ & frictiones etiam in paroxyſmo. Vomitus excitabitur, ſi fauces pennâ, oleô irinô, cui flor. Antimonii vel etiam Mercur. vit. gr. iij. vel jv. admixti, imbuta irritantur. Nobis in paroxyſmo ſufficit, ſi ægrum, quando in loco tenebricoſo & frigido verſatur, in magis lucidum & calidum feramus, frictiones inſtituamus, deniqve volatiliora naribus admoveamus, qualia ſunt: Suc-

Succus Rutæ recent. Salia volatilia varia, Spiritus ſalis ammoniaci cum caſtor. & ol. ſuccin. roriſmar. ſpir. C. C. item Caſtor. & Camphora cum aceto rutæ, lavendul. &c. Item ſuffumigia ex ſuccin. ſulphure &c. Opitulantur hæc faciliùs vel eo, quod conſenſus detur inter totum totius corporis ſyſtema nervoſum. Cæterùm utrumqve pollicem recurvatum extendere, & artus convulſos, quantum fieri ſine damno ægrotantis poteſt, ad quietem componere decet. Pro frictionibus ſpinæ dorſi inſervire poterit pannus aſper, vel lintea calida, deinde applicentur Spirit. paralytic. Mynſ. Lumbricor. terreſtr. formicar. Aqua hyſter. hirundin. cum Caſtor. balſam. Anglican. &c. Vid. Waldſchmid. *Prax. Med. rational. Caſ. 3. p. 10.*

...tra paroxyſmum. §. XXX. Remotionem cauſarum occaſionalium quod ſpectat, dixi in antecedentibus, ſequi morbum impuritates chyli, vel ex primâ concoctione, vel aliô quocunqve modo vitiati. Duplex hinc oritur Indicatio, nimirum evacuatio primarum viarum, deindè chyli & ſangvinis depuratio.

... evacuantia §. XXXI. Primæ viæ corriguntur, ſi cruditatum ratio habetur, earumqve remotio tentatur. Inter evacuantia primum locum tenent vomitoria, quæ pituitam viſcidam removere poſſunt. v. g. Mercur. vit. Croc. Metall. Gill. Paracelſ. Tartar. Emetic. Mynſicht. quæ vel cum Mercurio dulc. vel Cinnab. nativ. vel Arch. noſtro Hermetico pro humoribus attenuandis conjungi poſſunt. Quandoqve & laxantia & purgantia in uſum vocari poſſunt: Ex his ſeligi poſſunt: Rad. Jalapp. Mercur. dulc. Rad. Elleb. nigr. præparat. Mechoacan. alb. Rhabarb. Oriental. Fol. Senn. Al. ſ. ſtip. &c. quibus addi poſſunt cremor & cryſtalli Tartari. Tartar. vitriolat. & ſimilia. Clyſmata etiam cum fructu adhibentur, quæ tamen ſemper antepileptica ingrediantur, v. g. ſem. Nigell. Rut. Rad. Imperat. Valer. Pœon. Angel. Flor. Lilior. convall. herb. Beton. puleg. Salv. &c. quæ decoqui in aqua fontana vel Hydromelite, & cum electuariis & oleis convenientibus, ſi opus fuerit, quotidie, imò bis de die applicari poſſunt. A quibusdam ſternutatoria, & Apophlegmatizantia commendantur, quæ parantur ex rad. Helleb. alb. Caſtor. Euphorb. Majoran. fol. Rutæ &c. vid. Williſ. locô citatô.

& alterantia §. XXXII. Alterantia, quæ diverſorum ſunt generum, ita dirigantur, ut ſemper fixiora præcedant volatilia, ex quorum ampliſſimo apparatu ſeligenda, quæ materiam pituitoſo-bilioſam vel coagulant, ut acida, v. g. Spirit. Vitriol. volat. Philoſophic. Elix. Vitriol. &c. vel illam involvunt, & abſorbent, ut terrea, v. g. C. C. philoſoph. præparat. ung. Alc. perl. Corall. cran. human. præparat. Ebur ſine igne calcinatum, oſſa ſep. Raſur. priap. tauri, cervin. pulv. conchar. cran. human. &c. Vel reſolvunt & diſcutiunt, v. g. ſalia vel fixa, qualia ſunt ſal card. ben. Artemiſ. abſinth. &c. Vel ſalſa, v. g. liquor nephrit. ex ſalibus, Liquor terr. fol. tartari C. C. ſuccinat. ſal ſuccini. Vel volatilia, item urinoſa, v. g. ſpiritus Cornu Cerv. ſpiritus ſalis Ammoniaci, ſanguinis cerv. ſecundinæ, Cran. human. Item ſpiritus tartari &c. quæ pro re natâ partim ſingula partim inter ſe commixta in vehiculis convenientibus exhiberi poſſunt, non neglectis interim catharcticis ex Rad. Mechoacann. alb. Helleb. nigr. præparat. de Rhabarb. Fol. ſennæ ſine ſtipitibus &c. ſingulis hebdom. niſi quid obſtet, propinandis: cui methodo tantiſper inhærendum, donec accedas ad ea, quæ vi igneâ quaſi M. S. propter ſulphur corruptum malè conſtitutam redintegrare apta nata ſunt, quorſum faciunt omnia ſulphurea, Tinctur. Antimon. Corall. Eſſent. Succin. Caſtor. pulv. Julorum Coryli, cujus Oleum valdè laudatur à Mart. Ruland. vid. Valent. Ruland. *Cent. 3. Obſ. Chirurg.* cui tamen Oleum ſuccin. alb. tanquam longe præſtantius River. ſubſtituit. vid.

Prax.

Prax. ejus Contract. lib. 1. cap. 17. p. m. 50. Cinnabarina omnis generis, ritè tamen parata vid. apud Daniel. Ludovic. *in Pharm. modern. Secul. applic. p. m. 286.* qui jubet pulverem componere ex Bezoard. alb. ſuæ compoſit. Cinnabar. nativ. ſelect. ſuccin. alb. præparat. anatica portione, de quo adultis ad Drachm. ſem. Infantibus ad gr. jv. v. vel vj. exhibet. Cui etiam alia præcipitantia (inprimis anodyna,) addit, quem in finem pulveris ſui anodyni (ex Opii unc. ij Extract. Croc. Orient. Cinnabar. nativ. ana Drachm. j. parata gr. iij. cuivis doſi pulveris ſui antepileptici in adultis adjicit. Inprimis tamen ſulphura inembryonata ſive centralia hic magni momenti ſunt, quorum eqvidem catalogum ingentem producere nequeo, quia Pharmacopolia noſtra nil horum continent, interim tamen unicum commendo Archéum Hermet. noſtrum, qui ſpecifici locô magno cum fructu adhiberi poteſt.

opiata §. XXXIII. De uſu opiatorum diſſentiunt Autores, nam id quod alii affirmant, alii negant. Ex ſupra allegatô Ludovicô laus opiatorum clara eſt, cui multi aſſentiunt, vid. Magvet. *in Not. ad Prax.* Barbett. Sylvium & alios. Strenuè verò contradicit Queitzius, Vir alias eruditione & experientiâ non minimus, aſſeverans, quoties exhibuerit opiatum epileptico, toties malum pejus evaſiſſe. Hujus à partibus ſtare videtur Helmontius, qui omne opiatum in ſe amens præter ſoporiferum connexum virus alere, hinc majori doſi noxium, minori fruſtrà adhiberi putat: vid. ipſius Lithias. §. 84. Et ut verum fatear, non video, quomodo opiata epilepſiæ univerſali mederi poſſint: ſive enim ea propines in paroxyſmo ad ægrum excitandum; ſive extra ipſum, pro curativo, parum proficies: ſiquidem ob difficillimam applicationem, operationemqve tardiorem Spirituum inordinatus motus horum uſu vix compeſci poterit. Neqve extra paroxyſmum fermentationem irregularem illa refrænant, quippe quæ minus dependet à ſpirituum furore. Et ſi hoc in caſu ſpiritus jam ſatis defatigatos ulterius debilites, quid quæſo aliud efficies, quam ut malum exaſperes & intendas? Aliter autem res ſe habet, ubi ſpiritus in particulari Epilepſia in furorem adactus anodynis compeſcitur.

Sulphure §. XXXIV. Sulphureorum uſui ſubnecti, vel prout viſum fuerit, præmitti poſſunt decocta lignorum exoticorum, quæ admodum laudantur à Petr. Foreſt. *lib. 10. Obſ. 58.* Mart. Ruland. *Cent. 2. curat. 6. cap. 4.* & Alphonſ. Ferr. qui plurimos Epilepticos ſimplici guajaci decocto bis de die ad unc. vj. vel viij. exhibito, ejusque decocto ſecundario vice potus ordinarii aſſumptô, curavit. Cui decocto, ſi Radix Pæoniæ juſto tempore aliaqve ſpecifica addantur, efficacius illud futurum putat Willis. l. c. Vel, ſi materia morbifica magis pituoſa adhuc exſiſtat, incidentia & attenuantia ex uſu erunt, quibus tandem ſuccedant corroborantia; Illa ſunt, Rad. ari, Armorac. Vincetox. Cichor. Helen. Zedoar. Galang. Herb. Centaur. min. card. ben. Abſinth. Dauc. Origan. Artemis. Millefol. Tanacet. &c. In Corroborantium claſſe eminent ſequentes herbæ, videlicet: Roſmarinus, Mentha, Ruta, Salvia, Thymus, Pulegium, Meliſſa, Hyſſopus, &c. quæ vel in vino infundi vel decoqui poſſunt.

ſpecific §. XXXV. Tandem ad ſpecifica progreſſus fiat, quorum ingens catalogus apud Autores extat: v. g. Ungul. Alc. Ungul. Lync. Trutt. Lingv. Carp. Lapid. ſemi-lunar. Item deglutiti Hirundin. Uro-Gallor. &c. Lapill. diverſorum animalium, Hirundin. Turtur: Cicioniar. ſiccatarum pulvis, cerebrum pullorum corvi &c. pingvedo cati ſylveſtris è ſexu reſpondente, umbilici regione durante paroxyſmo cale-

calefacta prius illita, valdè laudatur: legiſſe me recordor, ipſius virtutem tantam eſſe, ut omnem epilepſiam curabilem cito jucundeqve curet, incurabilem verò cum morte commutet; pulvis cranii humani reſpondente ſexu ex ſuturis deraſus, ſpiritus cruoris humani, quem Helmont. Spiritui urinæ vel eô anteponit, quod curet Epilepſiam etiam adultorum, vid. ejus Tract. de Spiritu vitæ. Formulis etiam verborum tolli Epilepſiam, idem atteſtatur Tr. de virtute magnâ verborum ac rerum. Hæc omnia experiendi cum nondum mihi copia data ſit, eapropter judicium ſuſpenſum teneo, idem ſentiens de Amuletis, v. g. pilis canis albi nullam maculam habentis, ſambuco ſupra ſalicem creſcente, Nymphea luteâ & albâ, & ſimilibus appenſis.

[...]ther- [...] & [...]rum. §. 36. Omnibus his incaſſum adhibitis ad Thermas, Acidulas, quin & ſalivantia accedere licet, vid Williſ. *de morbis convulſiv. Cap. 4.* ita tamen, ut antea corpus legitimè ad acidulas bibendas præparatum, & cerebrum à nimiis paroxyſmorum inſultibus non debilitatum ſit, vid. Riv. *Prax. lib. 1. cap. 7.* *[...]ectio-* Aliqvoties repetitâ Venæſectione interpoſitis ſimul laxantibus ex Rhabarb. & Fol. S. reſtauratum fuiſſe ægrotum Queitzius tradit. Sic & ſolo Setaceo *[...]cei* ſe juvenem quotidie Epilepſiâ laborantem, & puellam octodecim annorum ab infantia Epilepticam reſtituiſſe, Gvilhelm. Fabrit. Hildanus *Centur. obſ. Chirurg. 41. & Cent. 4. obſ. 81.* refert. *[...]ii & [...]torii* Cauteria & veſicatoria poſteriori cervicis parti applicanda non adeo laudantur, vid. Helmont. *de Spir. vitæ.* River. *Prax. l. c.* *[...]vati-[...]* Salivationem autem à Mercurio potenter excitatam, (inprimis à Mercurio philoſophicè dulcificato) non poſthabitis etiam ſudoriferis, malum hoc certiſſime curaturam putat Williſ. l. c. Et hæc de Epilepſia univerſali.

[...]arti- epi- [...]ſiæ §. 37. Particularem quod attinet, quia in hâc cauſa morbifica hanc vel illam partem occupavit, eo alloborandum, ut pars affecta liberetur: Si ergo ab uterô, Hyſtericis ſubnectantur Antepileptica, v.g. Tinctur. Corall. c. eſſent. Caſtor. Oleum ſuccin. alb. & ſimilia: In lienis & hepatis affectibus Martialibus admiſceantur antepileptica ſupra enumerata, & Purgans præparetur ex fibris Helleb. nigr. præparat. &c. Et ſic porro.

§. XXXVIII. Tandem diæta hoc in affectu obſervanda proponenda eſſet: *Diæta* At vero cum quilibet naturæ ſuæ convenientibus alimentis frui debeat, jam autem non omnes epileptici unâ eâdemque conſtitutione gaudeant, reqviritur, ut accuratiſſimam quis cognitionem habeat naturæ alimentorum, qui decentem huic vel illi diætam adornare cupit. Verum enim vero, quoniam nec hæc ſatis cuilibet ſunt perſpecta, quippe longe majores & nobiliores proprietates, ſicuti omnium rerum, ita & hominum, alimentorumqve ſunt, quam quæ juxta veteres & quosdam neotericos Philoſophos, per quatuor qualitates primas exprimi poſſint, quas ingenioſus Fernel. *lib. 2. de abdit. rer. cauſis, divinas*, Helmont. Eſſentiales proprietates: Sennertus occultas qualitates vocant; Natura vero ipſa ſibi convenientia optimè novit, hinc ipſi & conſvetudini pauliſper indulgendum puto, ita, ut in alimentum cedat, cui aſſveta fuit antea, vel cujus jam appetitu maximè tenetur, vid. Hippocrat. *de morbis Epidem.* cavendum tantummodo, ne exceſſus fiat, ſiqvidem multis exemplis comprobari poteſt, quod ægrotantes alimenta ſibi a Medico prohibita aſſumentes, hoc ſolo reſtituti fuerint. Unicum tantum apponam, quod Reiner. Solenand. *in Conſil. Medic.* refert, nimirum ruſticum quendam curæ Doct. Gubert. commiſſum ad omnia, licet optima remedia, itemqve alimenta ſemper pejus habuiſſe, donec ipſi cœpe cum ſale, & decubitus ſupra ſtramina conceſſus fuerit. Lege de hac materia prolixè ſatisqve judiciosè diſſerentem Doct. Engelbert.

bert. Hallerhöff. *de vitâ longa*. Undè vix tolerandus error Medicorum quorundam, qui morosè ſatis alimenta, quæ optat ægrotus, prohibent, è contrario verò hunc vel illum ingratum cibum contra appetitum & cum nauſeâ ægrotantis deglutiendum præcipiunt. Hôc ipsô enim, dum ſtomachus alimentum cum nauſeâ aſſumptum abhorret, corrumpitur digeſtio, alimentum in cruditatem abit, & morbus protrahitur. Interim tamen Epilepticus ſibi caveat à cibis viſcidis, & coctu difficilibus, nec locum concedat vehementioribus animi pathematibus, Veneris exercitio nimio. Similiter nimius corporis motus, & potus copioſus ſpirituoſiorqve ingeſtus nocet. Hiſce namque præ cœteris paroxyſmi epileptici accerſi poſſunt. Prolixius equidem materia hæc explicari potuiſſet, niſi tempori parcendum fuiſſet. Hinc pauculis hisce contentus eris, Lector Benevole! & ſi quædam addenda omiſſa, omittenda verò addita videris, id partim conatui primo, partim materiæ prolixitati & difficultati ut imputes mihiqve porrò faveas, rogo.

TANTUM!

Disputationum Langianarum

Sexta:

De

CEPHALALGIA.

Prooemium.

QVanquam aliàs quotidiana vileſcant, & quæ rara ſunt ſaltim amentur; non potui tamen, quin affectum maximè frequentem omnique die notandum, nempe Cephalalgiam, eligerem pro materia hujus meæ Diſſertationis. Tantum profecto abeſt ex crebrioribus obſervationibus nauſeam mihi fuiſſe obortam, ut potius eædem illæ me invitarint ad penitiorem earum conſiderationem. Quod ſi enim non jucunditatem tantùm, ſed & utilitatem ſectamur, atque iis potiſſimum gaudemus, quæ multum proſunt, exiſtimo me quoque in hac materia reperiſſe, quod meæ intentioni ſatisfacere poſſit: Delector ſanè, quotiescunque unius rei adeo multifarias eſſe cauſas, capitisqve dolorem in tam diverſis morbis obſervari, nunc in febre, nunc extra eam, in paſſione hyſterica, malo hypochondriaco, à crapula, in alvi obſtructionibus &c. nec minus remedia inter ſe adeo diſcrepare video. Delector ſcilicet non morbo, qui ſæpius commiſerationem & conſenſum meretur, præſertim ſi dolor vel atrox nimium vel diuturnior in Cephalæa fuerit, ſed potius harmonia ſeu convenientia remedii cum eo, quandocunqve quæ optamus ſequuntur, inven-

inventumque medicamentum quaſi ad nutum & votum noſtrum operatur. Malui autem à faciliori progredi ad difficiliora, cujus quoque veniam à Te, Lector Benevole, expecto, ſperans forte nec omnia à me hic dicta, Tibi adeo diſplicere poſſe. Faxit Deus Ter Optimus Maximusque, ut hi cæteriq; conatus mei ſub ejusdem gratioſa directione ad optatum deducantur ſcopum.

§. I.

logia.

CEphalalgia, quam pertractandam mihi propoſui, vox eſt origine græca compoſita ex κεφαλὴ & ἄλγος, ita ut ſimul & locum affectum denotet, ac ipſius morbi formale, idemque ſit ac capitis dolor, Germanis Haupt-Schmertzen oder Kopff-wehtagen.

§. II. Sub nomine equidem capitis vulgo comprehenditur totum illud quod vertebris colli incumbit; adeoque aures ſimul, oculi, nares, lingva, palatum, dentes, &c. tanquam partes ad caput referuntur. Verum in tali ſenſu neutiquam vox illa capitis mihi venit; removenturr enim ac è numero capitis dolorum excluduntur ab omnibus autoribus dictarum partium ſenſationes triſtes, peculiaribusq; inſignitæ nominibus, ſeorſim tractantur otalgia ſive aurium dolor, odontalgia dentium dolor, & ſi quis oculis, buccisve aut palato, &c. ab inflammatione vel alia cauſa dolor accidit.

ffecta

§. III. Adeoque remotis his intelliguntur hoc loco illæ tantum partes, quæ cranio circumſcribuntur, hocque tegunt, pericranium puta, ac ipſa cutis cum muſculis ſubjectis, & intra cranium concluſæ membranæ, nervi, cerebrum ac cerebellum, cum principio medullæ oblongatæ.

dolor rticul. iverſa-

§. IV. Sed & in his dolor admodum variat, nec ſemper unum eundemque locum occupat, ita ut non male in particularem ac univerſalem diſtingvi poſſit. Quandoque enim vertex tantum, vel frons, vel occiput, vel ſinciput, quandoq; vero dimidiatum qvaſi caput dolet, & ſic ſpeciali nomine hemicrania dicitur. Quid per ovum, nucem, clavum, galeamque intellexerint veteres, vide ap. *Foreſtum Lib. 9. obſ. 62.* In univerſali autem dolore capitis omnes inſimul afficiuntur partes, anteriores pariter ac poſteriores, ſuperiores atqve laterales.

vel per eſſentiam / *vel per conſenſum*

§. V. Parum interim refert, ſive in ipſo capite hæreat doloris cauſa, ſicqve morbum conſtituat per eſſentiam, ſive in alia parte plus minus remota reſideat, ſicqve morbum producat per conſenſum; in utroqve ſiqvidem caſu revera ipſum caput affectum eſt.

vel accidentalis / *vel habitualis*

§. VI. Præterea ſunt alii, qvi differentiam qvandam annotant inter Cephalalgiam accidentalem & habitualem, hanc ſemper vitium aliqvod chronicum præſupponere, illam ſine prævia diſpoſitione à cauſa qvadam externa v. g. ambulatione in ſole, commotione corporis nimia, aut à crapula nimiaqve vini ingurgitatione excitari poſſe ſtatuunt. Habitualis iterum dicitur continua vel intermittens, illa ſine ulla fere intermiſſione afficit ægrum, hæc vero per certa intervalla ſolum accidit; atqve hæc differentia non tantum à tempore, ſed & ab ipſa cauſa dependet, cujus rationem ipſe dolor ſtricte ſeqvitur.

§. VII. Omnium autem optima mihi videtur diviſio, quæ ab ipſa doloris natura deſumitur; cujus maximam eſſe differentiam qvotidiana nos docet experientia. Alius ſiqvidem dolor eſt ardens, alius gravativus, alius lancinans, alius tenſivus, alius pulſatorius, alius tandem mixtus; De qvibus ſingulis ſeorſim agendum nobis erit, ac demonſtrandum, in qvonam ratio formalis differentiæ eorum conſiſtat.

ardens

§. VIII. Primum de dolore capitis ardente. Hic inflammationum proprius eſt, adeoqve tam in partium externarum, eryſipelate v. g. capitis, qvam internarum, videlicet meningum inflammatione obſervatur; in his ſiqvidem affectibus ejusmodi dolor percipitur, qvalis in ambuſtionibus partium alias notatur, ab analogia itaqve hujus cum illo dolore ardens dicitur: Es hitzt und brennt im Kopffe.

gravativus §. IX. Dolor vero gravativus eſt, qui eprcipitur in gravedine, vel ante ejus invaſionem, nec aliam moleſtiam inducit, præterqvam qvod pondere qvaſi premat ipſum cerebrum; Id noſtrates egregiè exprimunt, qvando in eo conqveruntur: der Kopff ſey ihnen ſchwer.

lancinans §. X. Sed dolor lancinans ſeu punctorius acutiſſimus eſt, & in ſcorbuticis potisſimum ac lue venerea correptis annotatur; tum enim puncturæ & roſiones vehementer cruciant ægros, non aliter ac ſi terebra perfoderetur caput, à noſtratibus effertur ſtechen und reiſſen im Kopffe.

tenſivus §. XI. Tenſivus in hyſtericis paſſionibus vel ventriculi doloribus, item in malo hypochondriaco ac convulſionibus diaphragmatis accidit; in qvibus affectibus, ſi attentus qvis fuerit, tenſio ejusmodi illo præciſe in loco, ubi nervi è thorace atqve abdomine in cranium aſcendunt, obſervari poteſt, diciturqve es ziehet und ſpannet im Genicke.

pulſans §. XII. In dolore autem Pulſativo æger cum inſigni dolore conjunctam percipit pulſationem, non modo circa tempora, ſed in ipſa cerebri ſubſtantia, vocaturqve hic affectus Germanicè das Klopffen und Pochen im Kopffe/ & familiare admodum ſymptoma eſt in febribus ardentibus, ac morbis ex ira & excandeſcentia ſpirituum natis.

mixtus §. XIII. Tandem & dolor aliqvis mixtus eſt, ſed varius; nunc enim ardens cum pulſante, nunc gravativus cum tenſivo, nunc lancinãs ac pulſatorius &c. concurrunt, qvatenus ſcilicet cauſæ plures in eodem ſubjecto ad producendum dolorem combinantur.

Subjectum adæquatum §. XIV. Conſiſtit autem in genere omnis dolor in ſenſatione moleſta, qvæ ipſa qvo major eſt, eo magis acutum dicimus dolorem, qvo minor eo mitior doloris gradus eſt: Cumqve Subjectum ejus adæqvatum organicum ſint fibræ partium mobiles, primarium vero ſpiritus, qvatenus hi ipſi in fibrarum poris habitantes præter naturam commoventur & afficiuntur; hinc manifeſtum eſt, aliter magisqve affici membranoſas & nervoſas partes, aliter qvæ minus tales ſunt.

§. XV. Excitant illam moleſtiam variæ cauſæ, qvarum aliæ internæ ſunt, qvæ in corpore habitant, aliæ externæ, qvæ ab extra adveniunt, pro qvarum cauſarum diverſitate diverſitas qvoqve doloris oritur, qvam in antecedentibus theſibus annotavimus.

§. XVI. Porro harum aliæ ſunt proximæ & immediatæ, aliæ remotæ & mediatæ. Proxima eſt, qvæ immediate capitis dolorem producit, remota eſt, qvæ interveniente adhuc alia cauſa media ad producendum affectum concurrit. *dolo[ris]*

§. XVII. In ardente itaqve dolore cauſæ externæ poſſunt eſſe variæ, omnia ſcilicet qvæ ſpiritus in fervorem rapiunt, eorumqve affluxum copioſiorem ad caput promovent; v. g. vulnera ac contuſiones hujus membri; item æſtus ac radii ſolares. *arden[tis] exte[rnæ]*

§. XIIX. Internæ vero ſunt inflammationes vel externarum partium vel internarum. In externis notiſſimum eſt præter furunculos eryſipelas capitis, in qvo cum inſigni dolore notabiliter & in momento qvaſi externæ partes ſurſum elevantur, ac intumeſcunt cum rubore. In internis capitis partibus inflammatio meningum, peculiari nomine phrenitis dicta, obſervatur, ubi præter dolorem acutiſſimum æſtus inſignis ac tandem deliria concurrunt. *int[ernæ]*

§. XIX. In hoc ergo jam dictæ cauſæ omnes conveniunt, qvod dolorem producant acutiſſimum, dolente enim parte affluunt ſpiritus copioſiores & cum majore impetu, ut ſcilicet illam doloris cauſam removeant; cum autem ſint actu ignei, qvid aliter conſeqvi poteſt, qvam intenſus ardor.

§. XX. Rem ſe ita habere docent præ aliis ipſius inflamationis cauſæ antecedentes: nempe ex aduſtione v. g. vel contuſione &c. primum ſpaſmus oritur, ſeu contractura fibrarum, ob qvam ſangvini qvidem affluenti conceditur liberior acceſſus, collecto vero interdicitur refluxus, ſicqve neceſſario ſeqvitur tumor, qvem immediate ſpirituum copioſior affluxus comitatur atqve dolor acutisſimus.

§. XXI. Dicis, ſi ſpirituum copioſior affluxus cauſa eſt unica doloris ardentis, fruſtra erit diſtinctio dolorum tradita, cum in omni dolore ſpiritus afficiantur

ciantur

ciantur moveanturqve ad partem dolentem. Sed reſpondeo, verum qvidem eſſe in omni dolore ſpiritus affluere ad partem affectam, ſed maxime inæqvaliter; in qvibusdam enim majore cum impetu affluunt, in aliis minore, atqve hinc illud dolorum diſcrimen oritur.

[Gra]vativi §. XXII. Gravativus igitur capitis dolor cauſam proximam agnoſcit ſerum in poris & cavitatibus ſeu ventriculis cerebri ſtagnans, ibiqve repletione & diſtenſione ſenſationem ejusmodi moleſtam atqve gravamen inducens. In affectibus ergo capitis catarrhalibus dictis communiter notatur.

§. XXIII. Qvandocunqve enim ſerum præter naturam viſcidius eſt, obſtruit vias proprias ſuæ excretioni deſtinatas, tubulos nempe oſſis cribriformis, per qvos in ipſam narium cavitatem alias effundi ſolet.

§. XXIV. Occaſionem huic vitio præbent omnes cauſæ externæ, qvæ maſſam ſangvineam & ſerum ſimul inſpiſſare poſſunt, uti ſunt aër ſiccior magis ac calidior, qvandoq; & frigidior, corporis commotio nimia, abuſus diaphoreticorum & diureticorum, purgantia præprimis ſic dicta hydragoga, &c. nempe in corporibus pituitoſis.

§. XXV. Huic affectui gravativo capitis cognatus ille eſt, qvi in plethora obſervatur, ſtagnat ſiqvidem in hac qvodammodo ſangvis ut in omnibus fere corporis partibus, ſic potiſſimum in ipſius cerebri vaſis minoribus non modo, ſed etiam in ſinuum cavitatibus, qvæ qvantitate hac nimia cruoris repleta, ejusmodi gravamen in capite referunt.

§. XXVI. Doloris vero lancinantis *[Lanc]inantis* ſeu punctorii cauſa proxima humorum eſt acrimonia, qvæ ad caput delata, maxime ſenſatas illas membranas pungendo, rodendo ac vellicando afficit, ſicqve moleſtiſſimum & ſæpenumero diuturnum dolorem capitis producit.

§. XXVII. Intelligo autē ſub humorum nomine nullos alios, præterqvam eos, qvi præter naturam maſſæ ſangvineæ admixti ſunt: ita ut non neceſſum ſit cum Sylvio aliam in bile, aliam in ſucco pancreatico acrimoniam ſeorſim qværere. Cum enim hi ipſi humores & ex ſangvine ſeparentur, & cum eo iterum commiſceantur, non poſſunt non omnes eadem ſimul corripi acrimonia. Succum nervorum corruptum, cum non enti ſimillimus ſit, Williſio relinqvam cæteris qve ejus defenſoribus.

§. XXIIX. Enimvero acrimonia illa ſangvinis, qvam dixi cauſam hujus doloris, qvalis præciſe ſit, exacte determinare impoſſibile eſt; cum enim naturalis ſapor ſangvinis ſalſus ſit, multis autem modis ab hoc ipſo degenerare valeat præter naturam, ſaltim monendum eſt, ea vitia huc ſpectare, qvæ cum acrimonia conjuncta ſunt.

§. XXIX. Atqve hæc acrimonia ſangvinis duplici potisſimum ex cauſa oritur, nempe ab inſpiratis vel aſſumtis. Et inſpirata qvidem particulæ illæ ſalinæ ſunt, qvibus aër nonnunqvam præter naturam turget, qvæqve in pulmonibus maſſæ ſangvineæ, cum hoc per reſpirationē communicantur; uti videmus illos, qvi diuturnis navigationibus interſunt aut in maritimis locis habitant, fere ſemper acrimonia ſangvinis ſalſa laborare, ideoqve communiter & endemice ſcorbuto vexari. Pariter ſe res habet cum iis, qvi fuſionibus metallorum ac præparationibus mineralium operam dant; hi namqve omni die Gas illud vitriolicum & arſenicale, ſive fumum metallorum acerrimum attrahunt; ita ut ab hac acrimonia inſpirata in iis maſſa ſangvinea tandem alteretur, hincqve dolor ac contractura artuum, malum incautis certisſimum cum dolore capitis lancinante generetur.

§. XXX. Aſſumta vero talia exiſtunt, acetaria, ſale conditæ carnes, piſces, &c. qvæ ſi freqventius qvotidie aſſumantur, qvid mirum, ſi talis acrimonia ſangvinis exinde naſcatur? Qvali victu cum delectentur Saxoniæ inferioris incolæ, in iſtis qvoqve ejusmodi acrimonia ſangvinis communiter obſervatur: idem præſtat potus acris, cereviſia aceſcens, vinum acidum & auſterum, &c. uti qvivis facile in ſeipſo experiri poteſt ſuo damno.

XXXI. Huic lancinanti dolori admodum ſimiles illi ſunt, qvi à vermibus

bus intra cranium quandoqve reſidentibus oriuntur, aut pus vel ſangvinem extravaſatum ibiqve collectum pro cauſa habent. In eo vero differunt, qvod paululum exqviſitior ac fixior magis deprehendatur dolor in his, qvam in illo, qvi etiam ideo peculiari termino dolor rodens ac terebrans vocari poſſet.

rodentis

tenſivi

§. XXXII. Tenſivus è contra capitis dolor plerumque ex nervi octavi paris ſpaſmo ſeu contractura violenta dependet; notum ſiqvidem eſt, par illud nervorum octavum recentioribus, olim veteribus ſextum dictum, cordi & pulmonibus, ſtomacho, jecori atqve lieni nervos ſubminiſtrare, cum renibus autem, inteſtinis, utero, &c. intercedentibus plexibus nervoſis uniri; ideoque in dolore præſertim acuto accidit, ut dolente una parte reliquæ quandoque condoleant non ſecus ac ipſum caput, nervorum principium.

§. XXXIII. Ex hac itaque nervorum connexione deducendæ ſunt omnes cephalalgiæ, v. g. quæ in hyſtericis paſſionibus, in vertebrarum luxationibus, quæ in doloribus ventriculi & lienis, item in nephritide &c. obſervantur. Paucis : omnis capitis dolor, qui in morbis convulſivis accidit, aut per conſenſum fit, huc debet referri.

§. XXXIV. In ſpaſmum vero hos nervos rapiunt omnia, quæ ipſis moleſta ſunt; Et quidem in corpore ſangvinis acrimonia, vermes, calculus &c. Extra corpus contundentia non ſolum, ſed etiam frigus externum, utpote quod ſpiritus, tanquam eorum naturæ igneæ contrarium, adeo horrent, ut fibras iſtas, quas antea inhabitabant, deſerant, quibus deſertis ſponte ſua ſe contrahũt fibræ ſpaſmumq; admittunt.

§. XXXV. Præterea ſunt qui halitus quosdam ex partibus remotioribus aſcendere ad ipſum caput crediderunt ita ut juxta Veteres quosdam qui ex utero aſcendunt, poſticam potiſſimum capitis afficerent partem, qui ex ventriculo anticam, qui ex hepate dextram, ex liene vero ſiniſtram; vias quoque hiſce halitibus diverſas aſſignarunt, in dextro latere venam cavam, in ſiniſtro arteriam magnam, ex utero per medullam ſpinalem, ex ventriculo per œſophagum. Videatur inter alios Sennertus in Praxi.

§. XXXVI. Cum autem fundamentum circulationis ſangvinis ex parte vias conceptas refutet & in genere doctrina halituum, quam adhuc Sylvio placuiſſe inter recentiores video, minus bene fundata ſit, malo ſciens halitus præterire, præſertim cum omnis conſenſus, qui ab his deduci ſolet, felicius in connexione ſyſtematis nervoſi quæratur & inveniatur.

pulſanti

§. XXXVII. De dolore pulſatorio capitis res magis manifeſta eſt, ſangvinis nempe motum vehementiorem ac rapidiorem pro cauſa proxima ac immediata magis habet; ita quidem ut ſinguli fere pulſus moleſtiam quandam inferant, ac dolorem in interioribus non minus capitis partibus quam exterioribus circa tempora potiſſimũ, ubi ſcil. arteriarum carotidum ramificationes externæ obſervantur, creent.

§. XXXIIX. Hujus æſtuationis ſangvinis cauſa eſt ſpirituum vehementior ac rapidior motus, ſicut naturalis & æqualis ſanguinis dependet à naturali ac ordinato ſpirituum affluxu. Notatur autem pulſatorius præprimis in febribus ardentibus, & iis, qui ira excandeſcere ſolent, in quibus à concitatiori ſpirituum motu maſſa ſangvinea una cum reliquis humoribus inſigniter commovetur.

§. XXXIX. Aliter cum Williſio, Sylvioque plures ſentiunt, ac potius fermentationem & efferveſcentiam ſangvinis à concurſu diverſorum ſaliũ, acidi puta ac alcali factam, pro cauſa orgaſmi ſangvinis habent. Verum liceat mihi pauliſper recedere ab autoritate horum, rationemque proponere, quæ hanc fermentationem ſangvinis mihi ſuſpectam reddit.

§. XL. Video namque ſalſa inepta eſſe ad fermentationem, ideo quod uniſa in his ſalia quieſcant, quia vero maſſa ſangvinea in ſtatu naturali perfecte ſalſa eſt, per conſequẽs fermentari neſcit: & ne quis exiſtimet in ſtatu præternaturali, quando inæqualibus viribus concurrunt ſalia, efferveſcentiã aliquã contingere, moneo ipſum fundamentum hujus ſententiæ lubricum eſſe & falſum. Qui enim fermentati-

onem

onem ſangvinis credunt, ii non tam cauſam in ipſo ſangvine perfecto, quã in affuſis humoribus quærunt ac ſupponunt in chylo & lympha acidum, in bile alcali prævalere, atqve ex eorum concurſu oriri ſangvinis inteſtinum motum, blandiorem quidem, ſi minus acria fuerint Salia, ſi acriora, vehementiorem & cum efferveſcentia conjunctum.

§. XLI. Quodſi talis efferveſcentia in ſangvine à Salinis oritur particulis, cur quæſo extravaſatus ſangvis nulla ejus veſtigia exhibet, cum ad acceſſum aëris liberioris cæteros liquores fermentantes potius commoveri videamus, & denegato eo fermentationem omnino impediri.

§. XLII. Nempe ex hoc ipſo colligo vitalem eſſe fermentationem ſi quæ in ſangvine eſt, ac conſeqventer ſpiritibus vitalibus deberi motum ejus tam naturalem, quam exceſſivum.

§. XLIII. Obſervamus ſiqvidem omnia, quæ in motum rapiunt ſpiritus, æſtuationem gignere; uti ſunt febres ardentes, iræ fervor, motus corporis vehementior, ſaltatio, equitatio, curſus velocior &c. Atqve in his omnibus ſi æſtuatio ſangvinis fuerit notabilior, dolor quoqve pulſatorius deprehendetur.

§. XLIV. Tandem præter recenſitas doloris ſpecies, datur quoqve mixtus, qui pro pratione concurrentium cauſarum etiam diverſus eſt. Nunc ex ardente & lancinante dolor componitur, v. g. in febribus ſcorbuticis: nunc ardens eſt & ſimul pulſatorius in febribus ardentibus, vel inflammationibus capitis: nunc ardens & tenſivus in febribus cum convulſione conjunctis, vel à crapula, quando ſcilicet à vino incaleſcit ſangvis, & una gravato ventriculo per conſenſum caput afficitur.

§. XLV. Præterea plures adhuc concurrere poſſunt cauſæ, ita ut ſæpe quaſi decompoſitus & multiplex dolor dicendus ſit; uti enim in calculoſis ſi quando calculus hæreat in uretere, dolorem primario rodentem ab aſperitate tranſeuntis calculi obſervamus: cui non raro ſpaſmus ſupervenit, qui ad crus ipſum ſæpius pergit: accedit præterea inflammatio cum intolerabili æſtu &c. ita quoqve in eodem ſubjecto fieri poteſt, ut v. g. ex contuſione capitis, à lapſu vel fuſtigatione dolor oriatur primus, qui omninò augetur à ſubſeqvente inflammatione, & imminente ſuppuratione ſangvinis extravaſati; accedente febre vulnerariâ idem ſimul fit pulſatorius imo & motibus convulſivis adhuc ſupervenientibus, tenſivus; quorum ſanè omnium rationem habere debet, qui talis ægri curam ſuſcipere, atqve cum laude gerere cupit.

§. XLVI. Signa igitur cephalalgiæ accuratè penſitanda ſunt, & quamvis tàm ipſam doloris ſpeciem, quàm cauſam externam cognoſcere ex querela ægri facilè poſſimus; melius tamen eſt antecedentia ſimul & connexa ſymptomata conſiderare; hoc enim pacto clarius ea omnia patent, in quibus explicandis æger ipſe vel errat, vel deficit. Cum autem talium ſignorum fontes ſuperius exhibiti ſint fuſius, idcirco lubens hic eos negligo; res enim minus difficilis eſt. *Signa*

§. XLVII. De prognoſi ita cenſeo: nimirum ardens adeò capitis dolor ſæpe tranſit in deliria vel motus convulſivos: gravativus ex plethora prænunciat non raro hæmorrhagiam narium, ex catarrho coryzam: lancinans ex ſcorbuto plerumqve chronicus eſſe ſolet, ſi vero ſub veſperam quotidiè exacerbetur extra febrem, luem venercam indicat: tenſivus ſi ab errore externo contingat, multùm periculoſus non eſt, uti & pulſatorius, qui commotionem corporis inſignem ſequitur. Deniq; in mixto quo plures cõcurrũt cauſæ hoc difficilior eſt curatio. *Prognoſtica.*

§. XLIIX. Itaq; ad curam horum dolorum, ac primũ quidem ardentis, progredior. In qua non minus ad cauſam proximam quam remotam, ſi quæ occurrit v. g. contuſio, vulnus &c. reſpiciendum eſt. Proximam vero ſupra dixi eſſe æſtuationem ab affluxu ſpirituum ortam, proinde omnia ea remedia, quæ inordinatum ſpirituum motum refrænant, maximo cum ſucceſſu in hoc affectu uſurpantur. *Cura doloris ardentis*

§. XLIX. Compeſcunt hunc ſpirituum motum quædam immediatè, quædam verò magis mediatè; illa in ipſos agunt ſpiritus, eorum orgaſmum & im-

& impetuoſiorem motum quaſi coërcendo & figendo; hæc vero occaſionem ſolùm removendo, à qua ſpiritus irritantur atque alliciuntur.

per opiata & refrigerantia

§. L. In prima claſſe reperiuntur opiata omnia atque nitrata, nitrum purum, nitrum antimoniatum, arcanum duplicatum Mynſichti, &c. item ſuccinum, camphora, ſem. 4. frig. majora. Refrigerare enim hæc omnia poſſunt, quatenus ſpiritus detinent atque impediunt ſua viſciditate. Sic externe ſpir. vin. camphorat. flores ſulphuris in vino decoctos, emulſiones papav. alb. amygd. amar. nucleorum perſicorum in dolore capitis ardentiſſimo proficua obſervamus.

S. M. per ſudorifera

§. LI. In ſecunda claſſe plura remediorum genera locum habent, juxta diverſitatem ſcil. occaſionalis cauſæ. Nunc enim V. S. hirudines, ſcarificationes, & quæ nonnullis probatur arteriotomia convenit, quando videlicet plethora anſam præbet ſtagnationi ſangvinis; Nunc vero ſudorifera, quæ iterum diſcutiunt vel Eryſipelas vel inflammationem ipſam meningum. In eryſipelate capitis ſingulariter profuiſſe vidi ſpiritum florum ſambuci urinoſum, item Bezoarticum minerale, quod ex Grulingio adeo commendat *Decker in Exercitation. Med. pract. p. 508.* In Phrenitide cœteris paribus terra ſigillata non contemnenda eſt, quam ex Montano adducit *Deodatus in Panth. Hyg. L. III. p. 121.*

& balſamica

§. LII. Denique balſamica & vulneraria huc referenda ſunt, quando ex contuſione, caſu vel vulnere caput dolet, quæ tamen omnia hic tractare prolixius non eſt neceſſe. Interim de efficacia ungenti ex matriſylva & alabaſtrini vid. *Berengar. de fractur. cran. p. 274. & Foreſtus L. IX. obſ. 31. 32.* Ubi neceſſum eſt, ſangvine nimirum congrumato ſub cranio, trepanatio inſtitui poteſt ac debet; aperto enim hôc, exemptoque cruore, promte ſedatur ortus inde capitis dolor.

gravativi per evacuantia

§. LIII. In dolore gravativo omnibus modis evacuatio inſtituenda eſt. Si ex plethora dolor iſte naſcatur, vena ſecetur; Si vero ex pituita caput gravante oriatur, incidenda ea eſt, tumque educenda; Incidunt eam potentiſſimè omnia remedia aromatica & ſalina, ſpecifice lignum ſanctum, ſaſſafras, ſarſaparilla, rad. rhodia & cariophyllata, verbena, betonica, ſerpillum, majorana, roſmarinus, & hinc parata ſalia volatilia, ſpiritus vitrioli cephalicus, ſal vol. ſuccini, liqv. Cornu Cervi ſuccinatus, &c.

§. LIV. Evacuatio autem per plura inſtitui poteſt loca; alia enim magis univerſalis eſt, alia potius particularis, quæ caput ſaltim reſpicit. Univerſaliter evacuatur pituita per vomitoria & reliqua purgantia potiſſimum phlegmagoga dicta. Utitur præterea, aut potius abutitur vulgus pilulis aloëticis, potiſſimum aloëphanginis: quæ tamen hoc in caſu laudem merentur, quamvis alias incaſſum ſæpius adhibeantur.

vomito[ria] purgan[tia]

§. LV. Spectant huc quoque fontanellæ & veſicatoria, quorum virtutem & efficaciam in cephalalgia etiam diuturna non negabo, quatenus & pituitam & acrimoniam ſanguinis non raro conjunctam ſenſim ſenſimque e corpore eliminant; annon autem minori cum moleſtia idem per aliam viam impetrare poſſimus, alii judicent.

fontic[ulos] & veſ[icato]ri[a]

§. LVI. Propius attingunt hujus morbi cauſam errhina ſeu ſternutatoria & maſticatoria. Sternutamenta per experientiam uſumque jam comprobata ſunt, e majorana, fl. lil. convall. fol. tabac. rad. Helleb. turpeth. miner. cum pulvere rad. liquirit. quod *Decker in Exerc. Medic. Pract.* plurimum commendat *p. 11. & 19. &c.* abſit tamen horum abuſus. Quemadmodum enim ex continuo uſu quidam nullum omnino commodum ſentiunt, ita alii continuum potius affluxum ſeri hoc ipſo concitant, ut vel nares indeſinenter ſtillent, vel obſtructæ ſint in totum, reſpirationemque per eaſdem intercipiant, niſi per ſingula momenta repetant ſternutatoria.

errh[ina]

§. LVII. Maſticatoria in hoc affectu ſufficientiſſima ſunt maſtiche & rad. pyrethri; mirum enim eſt, quanta ſeri viſcidi copia, ſi in ore detineantur, huc confluat. Idem præſtat fumus nicotianæ more conſveto ſuſceptus; non enim deſunt qui exiſtimant omne catarrhorum genus hoc ipſo præſidio debellari poſſe.

& m[aſ]ti[ca]to[ria]

§. LIIX.

cinantis §. LIIX. Quod dolorem lancinantem concernit, ex acrimonia ſanguinis ſerique natum, exiſtimo ſemper ſaporem ſpecificum, ut ita loquar, humoris peccantis conſiderandum eſſe. Scorbuticos enim, quibus frequentisſime cephalalgia accidit, appropriata juvant, cochlearia, naſturtium, ſpir. ſal. ammoniac. & reliqua hic uſitata ſal. volat. milleped. &c.

ue venerea §. LIX. In lue venerea, quæ acerbiſſimum plerumque capitis dolorem conjunctum habet, ea conveniunt, quibus alias utimur in luis venereæ cura, lign. & cortex gvajaci, ſarſaparilla, china, &c.

mercurialia §. LX. Qui ſalivatione delectantur mercuriali ſuosque ægros torturæ non minus gravi quam periculo exponere amant, eandem hic quoque adhibeant, per me licet; certum tamen eſt, malum ſæpe exaſperari, quandocunque in corporibus ſcorbuticis, vel ſimili acri humore refertis, talis cura inſtituitur; qui enim in ſe minus corroſivus eſt mercurius, fit talis per appoſitionem ſalium acrium. Quodſi autem mercurii uſum admitterem unquam, ſuaderem eum ad enecandos vermes, ſi qui forte cauſa exiſtunt cephalalgiæ, quemadmodum id obſervavit *Th. Bartholinus C. VI. Hiſt. III.*

viper a- n de- entia. §. LXI. In dolore capitis tenſivo, cum per conſenſum ordinarie naſcatur, reſpiciendum eſt maxime ad partem primario affectam malique fomitem. Si è ventriculo oriatur, cognoſcenda eſt vitii natura; nunc enim acidum acre in eo habitat, quid & ventriculum rodit, & eundem dolorem per nervos ſtomachicos ad caput transfert, tumque omnia ea quæ acidum deſtruunt juvant, ita ut oculi cancrorum quoque & Ol. tartari per deliq. mirum ſæpe & præſentaneum afferant auxilium.

itoria §. LXII. Nunc vero ventriculus à pituita ſaltim gravatur cibisque indigeſtis, quo in caſu vel vomitus ſpontaneus, vel arte provocatus in momento cephalalgiam mitigat, vel penitus tollit. Hunc qui metuit, ſtomachica aſſumere poteſt, aromatica, ſpir. vin. & reliqua, à quibus digeſtio prima alias promovetur & acceleratur.

chica

§. LXIII. Præterea notum eſt in malo hypochondriaco, imo & aliis morbis cum alvi obſtructione conjunctis, cephalalgiam obſervari, plus minus gravem, ideo, quod inteſtinum colon pondere induratorum fecum gravatum, in conſenſum rapiat connexum ventriculum, & conſequenter ejusdem nervos. Clyſmata ergo, niſi aliæ circumſtantiæ ea diſſvadeant v. g. malignitas purpuræ & petechiarum &c. uti & ſuppoſitoria, optimo cum conſilio atque levamine doloris applicantur. *clyſmata*

§. LXIV. Si ex lienis vitio caput doleat, martialia, ſaturnina & quæ alias ſpecifice lieni dicata ſunt, v. g. cappares, cuſcuta, ruta, rad. filicis, cortex & lignum tamariſci, chelidonium majus &c. utramque abſolvunt paginam. *martialia &c.*

§. LXV. Ex uteri paſſione ſi caput doleat præſentisſimum eſt remedium eſſentia caſtorei rite parata, liq. CC. ſuccin. & reliquus antihyſtericorum exercitus. In genere ſive ab his jam recenſitis partibus, ſive ab aliis, renibus, diaphragmate, &c. oriatur per conſenſum cephalalgia, antiſpaſmodica exhiberi poſſunt, plurimum ergo uſum habet cinnabaris antimon. æque ac nativa, pulvis ille cephalicus Dn. D. Michaelis, atque ſimilia, præſertim cum opio legitime correcto ſociata. *uterina*

§. LXVI. In dolore pulſatorio plura conveniunt remedia, quæ ſupra in ardente commendavi, cum omnis ardens pulſatorius ſimul ſit, quamvis viciſſim pulſatorius detur ſine ardente; fieri enim ſolet, ut nunc quidem ſangvis commoveatur absque notabili æſtu, ob defectum ſpirituum, nunc vero commotis ſpiritibus ſimul æſtuet ſangvis. In illo igitur caſu, quando ex motu corporis circa tempora pulſant arteriæ cum dolore, quies ſufficit; in hoc, juxta methodum ſuperius traditam nunc venæſectio, nunc opiata atque alia admitti poſſunt. *pulſatorii* *per quietem, venæſectio vel opiata*

§. LXVII. Quod ſupereſt, in dolore mixto nihil novi occurrit; ſatis eſt, ſi pro ratione illius vel conjungantur remedia, vel ſeligantur quæ pluribus indicationibus ſatisfaciunt.

Hæc ſufficiant.

Soli Deo Gloria.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM Septima: De

REMEDIIS ANT-ODONTALGICIS.

PRÆFATIO.

QUibus Medicum cum Duce rei militaris perito comparare placet, meo judicio à vero haud adeo aberrare cenſentur. Etenim uti talem fortitudo, conſtantia, aſtutia, vigilantia, & reliqua virtutum militarium turma condecorare ſolet: ſic Medicum quoque verum iisdem ſtipatum, ſuum quod ornat officium, requirit. Ambo hoſtem aggrediuntur, hinc ut armorum, quibus oppugnare illum cupiunt, applicationem probe noverit uterque, apprime opus erit. Certe ridendus eſſet Thalasſiarcha, qui muricibus, tribulis ac haſtarum oblongarum mucronibus objectis, impetum clasſis reprimere, aut cuniculis ſtructis vincere eandem auſit. Et copiarum ductor, qui ſclopetis manuariis, ſicis & rhomphæis muros ſternere aut ſubruere, aut equitatu mœnia ſuperare ſibi ſumeret, imprudens crederetur. Idem prorſus de Medico eſto judicium, ſi evacuantibus, ubi alterandi humores, aut alterantibus ubi evacuandi ſunt, inepte uſus fuerit. Teſtatur id prudens *Sophoclis ſententia:*

> Ὀυ πρὸς ἰατρȣ̃ σοφȣ̃
> θρῦνην ἐπωδὰς προστομῶντι πήματι.
>
> *Non eſt Medici ſapientis*
> *Uti cantionibus in ulcere,*
> *quod ferrum poſcit.*

Nec ſapientis eſt, ulterius ego addo, Emollientia, Repellentia, Avertentia, Intercipientia, Diaphoretica, Apophlegmatizantia, Errhina, Veſicatoria, Anodyna, aut ullum aliud promiſcue adhibere remedii genus, ni a morbo aut junctis ſimul ſymptomatibus id poſtuletur. Verisſimum namque *Ovidii* manet effatum:

> *Temporibus medicina valet, data tempore proſunt,*
> *Et data non apto tempore multa nocent.*

Hæc quo clarius pateant, ad remedia provoco Ant-Odontalgica, quæ Thematis loco nunc publico Eruditorum examini ſiſtere, mecum conſtitui. Varia ac diverſa adeo ſunt illa, ut nullum pene evacuans, alterans nullum, nullum repellens vel leniens, aut quodcunque aliud remedium in armamentario occurrat Medico, quod non pro hac etiam intentione medentibus inſer-

inſervire, ſi neceſſitas id urgeat, poſſit. Videbis tamen cuncta hæc arma fruſtra tota adhiberi die, tempore ſcilicet & loco inconvenienti uſurpata ſi fuerint. Volui hinc periculum meorum in Medicina profectuum facere & genuinum remediorum horum applicandi modum æqve ac veram operandi rationem exhibere. Devotiſſimis igitur precibus, ut S. S. Trinitas labori huc ex alto clementer aſſiſtere velit, precor. A te vero, L. B. ut æqvam de labore feras ſententiam, ſubnixe rogo.

§. I.

FUit jam primis artis Medicæ ætatibus in uſu ſolenni, nominum ante omnia accuratius cognoſcere uſum, quo res, quarum notitia acqvirenda erat, facilius pateant. Majorum inde dum ſeqvor veſtigia, me à ſcopo haud aberraturum confido, ſi in primo ſtatim paragrapho, de ſignificatu rubricæ diſſertationis ſollicitus fuero. Loqvitur ea remedia, ut vides, Ant-Odontalgica, quæ nunc accuratius ad examen vocanda erunt. Ea propter quod nomen attinet remedii, varius ejus apud diverſos Autores eſt ſignificatus, quos omnes adducere nec temporis nec chartæ permittet anguſtia. Satis erit indicaſſe, innui hac voce auxilium ſeu medicamentum quodvis, externum vel internum, alterans vel evacuans, ad tollendum ſymptoma aut morbum aut ad præcavendum, ab imminentibus illis aptum natum. Et generalis licet ſit hicce vocis ſignificatus, Etymologiæ tamen ipſius admodum reſpondens, fecit, ut tam in Medicorũ quam ægrorum ore familiarius verſetur. Imo ſuppeditavit etiam Doctoribꝰ noſtris anſam, ut diverſas remediorum conſtituerent claſſes, petentes cognomina vel ab operatione eorundem, vel a partibus quibus ſuccurrunt, vel tandem a morbo, quem curant vel tollunt. Reſonant hinc in noſtris ſcholis *[Etymo]logia.* remedia vomitoria, purgantia, ſtomachica, anthelmintica, ant-epileptica, & ſic quoqve ant-odontalgica. Alteram partem rubricæ formans vox, natales Græcos agnoſcit, & ex ἀντὶ contra, ὀδὰς dens, & ἄλγος dolor componitur. Ea ergo, ut paucus ſim, innuit auxilia, quæ dentium ſuccurrunt doloribus illosqve curant. Germanis dicuntur: Hülffs-Mittel gegen das Zahn-Weh oder die Zahn-Schmertzen.

§. II. Eqvidẽ, ſi firmam & plus quam oſſeam dentium conſideres texturam, intuitu primo Odontalgiæ vox contradictionem in adjecto involvere videtur, dolorem prædicans de corporibꝰ, quæ ferrum & limam, ignem, qvodvisqve aliud ſecans, pungens ac ſaucians eludunt inſtrumentum. Aſt, ſalva eſt res, pugnat enim a partibus meis ſtrenue experientia in infinitis ægris, qui ex ſymptomate hoc miſere ſubinde decumbunt. Nec ratio deficit, quæ inſigne pariter dictis addit robur. Erras enim, ſi totam dentium compagẽ ſolidiſſimam hanc poſſidere texturam credas, aliæ namq; compactiſſimis corporibus ſimul inſunt & adſtant exqviſitiſſimo ſenſu præditæ partes. Non te fugiet dentes ab Anatomicis dividi in partem extra gingivas eminentem & ſub gingivis, intraq; maxillarum loculos abſconditam. Dabo, externam illam alimentorum comminutioni ſacratam partem, ob ſoliditatem ſummam, texturamqve firmiſſimam non eſſe ad ſentiendum, nec ad dolorem perferendum aptam, non tamen idem de radicibus dentium, gingivarum carne circumvallatis & per gomphoſin cum maxillis connexis jure pronuntiabitur. *Exiſtentia* *Partes dentium variæ.*

§. III. Cernis ſiqvidem in iis texturã à reliqvis admodũ diverſam, quæ ob mollitiem ſuam, aliã plane præ ſe fert faciem. Inſuper ſenſata admodum vaſa ſangvifera & nervoſa his inſeruntur, & quod maximum eſt, membranâ quâdam tactu exqviſito prædita, quæ alveolis maxillarum adhæret, firmius teguntur. Hujus ergo membranæ pariter ac nervorum ſangvineorumqve vaſorum ratione, primario oboriri dentium dolorem, ſatis interdum atrocem, patet. Inſuper tamen nec ſubſtantia radicum dentium oſſea à culpâ omni immunis æſtimanda eſt, quippe

quæ

quæ in prima teneraqve ætate membranacea compage gaudet, quam nec in adultis in totum deſtrui ſubjectis, ſed primitivo ſenſu præditam remanere judico. Id tamen ambabus largior, illam, quoad partem maximam, ab oſſeſcente humore temporis tractu incruſtari, eoqve ipſo maximopere inſenſatam reddi, cui aſſerto lucem inſignem addit *Dn. du Verney*, ubi dentiū generationē exponit in zodiaco Gall. *à Nicol. Blegny* in lucem emiſſo, *P. II. p. 130.*

Doloris cauſa. §. IV. Patet ſic abundè nihil abſurdi ineſſe titulo ſeu rubricæ diſſertationis, cum ea firmo nitatur fundamento. Cōvenit ergò nunc explicare, quid membranaceis, nerveis ac vaſculoſis dentium partibus, dum exqviſitus ſummusqve adeo in iis excitatur dolor, accidat. Ubi ſciendum, durius quam par eſt vellicari has partes, hoc eſt, pungi nunc, nunc divelli, tendi, aut diſrumpi, indeqve inhabitantes ſpiritus noſtros animales ad motus irregulares ſeu *ἀταξίαν* adigi. Ex alliſione namqve & repercuſſione hujus vitalis noſtri elateris ad fibras nerveas à prædicta vellicatione criſpatas conſtrictasqve, dolor ille acerbus triſtisve oritur. Prout igitur vellicans hæc variat cauſa, ſpiritusqve ad majorem nunc, nunc minorem diſponit impetum; ſic & dolorem plus minusve exqviſitum & atrocem exſurgere admodum eſt probabile.

Varietas doloris §. V. Talem verò cauſſam eſſe neceſſario admittendam, ratio pariter ac experientia dictitat. Variat enim aculeata hujus irritantis cauſæ textura inſigniter, nec ſemper eandem præcisè in dente uno pluribusve attingit partem, quæ malè tractata ad præternaturales agitationes tam prompte diſponat ſpiritus. Alias taceo circumſtantias, quæ pro hoc ſtabiliendo aſſerto adduci poſſent. Unica mihi adſit experientia, quæ diverſas inſigniter adeo odontalgias tota die ſiſtit. Videmus enim quosdam ægrorum per certa ſolum intervalla inſultus ſentire doloroſos eosqve haud adeo graves, alios è contra ſine ulla etiam leviſſima re-*Symptomata.*miſſione, exquiſitiſſimis & acerbiſſimis torminibus cruciari. Teſtem hic allego *Celſum*, qui Syncopes non raro, motus convulſivos, febres ardentes, imo delirium, aliaque graviora Symptomata ex Odontalgia enata, recenſet, adeo ut miſeri tales ſubinde penitus ſuccumbere, & manus violentas ſibi inferre obſerventur.

§. VI. Omnia quo ulterius clariora fiant, cauſas has irritantes & vellicantes examinis ſubjicere incudi, nunc me jubet neceſſitas, quæ latent primo in ſangvine circulationis lege ad dentes vel plures vel unum ſaltem allato. Quod ſi enim acrimonia quadam hocce laboret fluidum, ſtatim ac ſenſatis infigitur dentium partibus, præſto eſt vellicatio, & ex illa dolor. Salutari tum catarrhorum nomine ſolet hæc morbi cauſa communiter, nec male; quæ enim differentia juxta antiqvorum dicendi ſtylum, alias aſſignatur catarrhis, dum quidam frigidi, & calidi alii audiunt, eam & hic annotari poſſe diſtinctionem, cuivis apparet. Prout enim vel ſub tegmine magis viſcido pituitoſove dicta latet acrimonia, vel libera ab his deprehenditur compedibus: ita nunc hoc, nunc illo jure inſignitur titulo. *Vellic. cauſa primo ſangui.* *quæ rhori ... ne al...*

§. VII. Aſt uti mobilis ac vaga hæc cauſa eſt, ita nec fixi adeo exin oriuntur dolores, ſic ut & nunc effectus ſecundum Philoſophorum effata cauſæ reſpondeat. Inprimis ergo exagitata a cauſis externis, ſuam exercet tyrannidem, hincqve iſto ſolenniter tempore affligit ægros, cum ſolem noſtram deſerere atmoſphæram & triſtem noctis imminere faciem ſentimus. Nec mirari illud ſubit, quoniam iſtis horis aër gravis factus, ob radiorum ſolarium abſentiam, premendo corpus, vitiatos urget ac trudit humores, quare etiam reliqvos catarrhos ad alias partes ruentes ad crepuſculum exacerbari ordinarie deprehendimus. Differt ergo hæc cauſa multum ab illa quæ altas fixasqve diu egit radices, ſedemqve ſibi circa affectum locum paravit firmiſſimā. Colliges id inprimis, ſi ex vellicatione moleſtiore, doloreq; aliqvandiu continuato, motus humorum retrogradus vel ex toto, vel ex maxima parte impediatur. Sævit namqve tum majori ſenſus hic triſtis impetu, nullamq; miſeri experiuntur remiſſionem, potius tumores & abſceſſus in gingivis moleſtos, imo cariē quandoq; in maxillis infauſto ſucceſſu patiuntur. *inde vagi*

§. VIII.

[Cauſ]æ ante[cede]ntes error [...]iata, §. VIII. Cauſæ, quæ ut procatarcticæ hunc humorum peccantium affluxum promovent, præ omnibus ſunt cibi potusque errores antehac commiſſi. Succedit his aër *[...]frigus.* ventusque impenſe frigidus, qualis eſt in ſpecie borealis, auſtrinus, & qui ad crepuſculum vel de nocte flans, corpus ingrato ſuo attactu afficit. Criſpat ille fibras partium motrices ad oculum non raro, eoque ipſo recurſum humorum ordinarium inſigniter cohibet. Inſuper tamen iſthanc aëris inclementiam propria etiam virtute, & ut cauſam proximam ad dolores dentium excitandos concurrere, haud diffiteri poſſum. Quis enim neſcit a frigore, qualemqualem etiam ejus ſupponamus naturam aut ſubſtantiam, fibras ſenſatas vexari & irritari, ſumma non raro cum importunitate? Mirum inde non eſt, ſi ex potu frigido aut aqua, aliove quocunqve tali fluido, in ore diutius detento, dolores in dentibus gigni in dies notemus.

§. IX. Apparet ſic, quid acrimonia frigusque in producendo dentium dolore valeant, reliquæ ergo nunc quoque ad examen vocandæ erunt cauſæ, quas inter flatus quoque *[...]incu[...]ti,* mereri locum, partibus his incuneatos, ex innumeris venerandæ Antiquitatis ſcriptis video. Et licet ab omnibus pene recentioribus hæc rejiciatur hodie cauſa, tamen haud prorſus contemnendam eam puto. Latet enim humoribus noſtris ſolenniter incluſus aër, qui rareſcere non ſolum poteſt, ſed vere data occaſione rareſcit, unde inflantur dubio ſine cum dolore tubuli, quibus elaſtica hæc infarcta eſt ſubſtantia, indeque fit, ut conſopitum haud ita pridem penitus dolorem, ſtatim ac ægri molli incaleſcunt lecto, aut brevem ſaltem in hypocauſto probe calefacto trahunt moram, denuo dolores experiantur. Ad quod comprobandum aſſertum produco Thermometra, in quibus aërem externum ejusque qualitates ac conditiones, internum, qui humores intra vaſaque latet, aërem alterare, hoc eſt, expandere nunc, nunc comprimere, tota die docemur.

§. X. Quartam jam ex cauſarum ordine produco claſſem, vermium nempe progeniem. Pariter hæc aculeatis ſuis roſtellis pungere ac rodere dentium partes, tenera adeo textura præditas, aſſolet. Varia ſub figura ab Autoribus hæc deſcribuntur inſecta, pediculisque planioribus ſimilia in *Miſc. N.C. Dec.1. An.9. & 10. obſ.25.* referuntur. Frequentius tamen ſub angvillarum ſeu lumbricorum minutiſſimorum forma apparent, & nudum fugientes ſæpe viſum, non niſi microſcopio armato oculo patent. Capitibus nunc nigris, nunc rubellis, pro ætatis differentia apparent, & diſcrepans corporis color, ipſis incarnatus puta, aut albus ineſt. Alimenta dum ſibi ſumunt, proboſcide aculeato, profunde partibus infixo, ad imitationem culicum aut pulicum hirudinumque id præſtant. Inſuper mire famelici, & fœcundi maxime ſunt, unde dici vix poteſt, quantas moleſtias, ſi ſedem ſibi ſemel illis in locis paraverint, producant. Ortum eorum Medici antiquiores putreſcenti deberi materiæ communiter credebant, quod *Sennertus* in ſua Praxi fuſius exponit. Aſt rectius recentiores ex ovulis horum inſectorum, cum alimentis, aliove modo ad hæc loca translatis, inibiqve a vaporoſo calore excluſis, natales eorum cum *Fr. Redi in tract. de inſectis* derivant.

§. XI. Commodum vero vermibus his dentes carioſi & diffracti præbent domicilium, quas intra cavernas deliteſcere, ſuamqve fortiter exercere tyrannidem tuto poſſunt. Inſuper tamen hæ dentium cavitates aliis quoqve cauſis ſedes infauſtas ſuppeditant, intra quas inter maſticandum illapſa vel frigida, vel acida ſalitaqve, aut quævis alia vel eſculenta vel potulenta, ſubito dolores excitant, ſi inprimis ad meditullium usqve tetra penetraverit cavitas, utpote quo in loco nudæ membranarum ac nervorũ apparent propagines, celerrime triſtia hæc ſymptomata admittentes. Illuſtre exemplum aſſertum hoc meum confirmans *Bartholinus in Anat. Reform. lib. IV. c. 12.* de moniali quadam recenſet, quæ habens dentem præ aliis longiſſimum, quem cum ſecari curaret, ſtatim ob nervum ſimul ſectum, *dentium caries cavernoſa.*

cujus

cujus manifeſta in conſpectum veniebant veſtigia, convulſa graviſſime, imprudens hoc ſuum factum luebat.

Remediorum modus operandi. §. XII. Hæc præmittere volui ſpecialiori Ant-odontalgicorum remediorum examini. Propius igitur ad propoſitum accedo ſcopum, eorundem naturam ſeu operandi rationem expoſiturus. Siſtit vero remediorum Ant-odontalgicorum numerum adeo inſignem Medicorum non minus quam vulgi chorus, ut ſingula hoc titulo inſignita tradere, merito pro abſolute impoſſibili habeam. Veniam ergo mihi polliceor, ſi potiora tantum his in pagellis ſtitero, quorumqve effectus cauſis Odontalgiæ jam nominatis reſpondet. Neqve enim aliud quid meum poſtulat inſtitutum, quam operandi modum à tot diverſiſſimis remediis expectandum, luculenter tradere. Rideo itaqve merito abſurdiſſimam illorum ſententiam, qui unico remedio omnes dentium dolores ſanari poſſe, vano gloriantur auſu, cum extra omnem controverſiam poſitum ſit, alia ex humorum acrimonia oriundum dolorem poſcere remedia, alia illum, qui flatulentæ materiæ, vel frigori aut vermibus deniqve ac cariei ſuos debet natales.

Remedia duobus capitibus continentur. §. XIII. Quo igitur ordine ac methodo quantum poſſibile diſtincta, rem, ut vides, difficilem tradam, binis quaſi dicenda includam capitibus, e quibus primum, quæ primariis removendis cauſis ſunt apta, continebit, alterum vero, quæ dolori ipſi ſatisfaciunt, comprehendet. Sunt namqve hæ binæ indicationes curativæ, quæ in Odontalgia ſe ſiſtunt primariæ, & quas ut judicioſus reſpiciat Medicus, ſublimioris judicii Practici mecum ad unum omnes jubent.

vel quæ cauſas doloris removent ſuntq; acrimoniam interne temperantia eamqve vel acidam §. XIV. Si in acrimonia igitur ſangvinis cauſa hæreat, univerſa, quæ dyſcraſiam hanc emendant, Ant-odontalgica dici debent. Varia vero illa acrimonia, ut notum, apparet facie, h. e. nunc acida, nunc ſalſa, nunc ex his mixta deprehenditur. Prima igitur ſi adfuerit, ad Ant-acida confugies, quæ utramqve hic abſolvent paginam. Poteris ex his ſeligere Terrea, Corall. puta, lap. Canc. off. Sepiæ, Mat. Perl. Ebur, Corn. Cerv. uſt. & philoſ. præparat. vel Martialia, Limat. Martis, aut Crocos, Eſſentiasqve ejus aperitivas. Si magis placuerint Alcalia fixa volatiliaqve jungere potes, aut ſubſtituere his, ſal Tartari, Cent. min. Abſinthii, Tincturam Tartari acrem, Spiritum Corn. Cerv. ſalis Ammoniaci &c. ſi vero compoſita potius arriſerint, & ea adhibere licebit. Id tamen obſerves moneo, ut in larga ſæpiusqve reiterata doſi cuncta hæc ægris tuis exhibeas, ſi inprimis abundare acidum in corpore noveris.

vel ſ[...] §. XV. Præſente vero ſalſa acrimonia, quæ nunc nominavimus, haud æqve quadrabunt, potius tum aqvea ac diluentia ſubſtituenda erunt, utpote quæ diſcontinuant ſalium aculeos, illosqve ad ulteriorem actionem reddunt ineptos, ſimiliter per vias urinarias extra pomœria œconomiæ animalis illa proſcribunt. Haud igitur male agunt, qui adverſus hoc ſangvinis vitium inſuper ut ſpecifica commendant Diuretica, quorſum refero præ aliis Anti-ſcorbutica ſic dicta, Naſturt. puta, Cochlear. folia recenter germinantis Siliginis, Beccabung. Sed. minus, Piperit. Dracunculum eſculentum, Armorac. radic. &c. Nam ſi fatendum quod res eſt, vix felicius virtus horum in ſcorbuto explicari meo judicio poteſt, quam ſi illa ut urinam pellentia agere dicas. Quod ſi vero tibi nec hæc ſuffecerint, mucilaginoſa, inviſcantia & glutinoſa invocabis, e quibus lacticinia nomino, gummata minus acria e. g. Maſtiches, gum. Arab. Junip. Tragacant. ſimiliaq; quæ involvent vellicantes ſalium ſalſorum aculeos, illosqve ad ulteriorem actionem ineptos reddendo, tuo ægriqve ſatisfacient deſiderio.

§. XVI. Hæc ſunt, quæ communi Medicorum conſenſu acrimoniæ opponuntur remedia. Veruntamen ſi illa Odontalgiam producat, non omnem curæ abſolvere paginam videntur. Monitum enim eſt altero ab hoc paragrapho, largam freqventemque horum adhibendam eſſe doſin, ſi abundans ſæpius enormiter ſangvinis vitium corrigere animus fuerit,

qvod

quod longum adeo ſpatium, graviores dolorum cruciatus vix permittent. Præ internis ergo his externa potius ſeligere, Doctores noſtri jubent, immediate partibus dolentibus, pro eodem, acrimoniam nempe corrigendi ſcopo, applicanda. Extollunt ex his præ cæteris butyri recentis, nec adeo ſaliti fruſtulum, quod ſupra dentes dolentes, donec colliqueſcat, ponunt. Huic alii medullam crurum vituli ſaccharo cantho mixtam, vel oleum commune recens aut lentiſci ſubſtituunt. Aliis oleum amygdalinum, haud ita pridem expreſſione elicitum, vel ſi hoc defecerit, lac tepidum aut quodcunque carnis pingvioris juſculum, placet. Quibus vero nec pingvia hæc arrident, illi decocta Rad. Lil. alb. Alth. Fol. Malv. Flor. Til. Ptiſan. Rap. Paſſar. &c. calefacta, in ore aliquandiu detenta, commendata ſibi habeant. Sunt etiam qui alcalica præ aliis probant, quæ ipſe mira ſtabilita experientia aliquando vidi. Erat mihi in itinere conſtituto equorum moderator, Auriga puta, quem cum acerbiſſimi vexarent dentium dolores, ad latus junctus ſocius lixivium commune haud adeo acre ipſi commendabat. Detinere illud in ore cogebatur ingreſſus diverſorium, & vix elapſum erat quadrantis horæ ſpatium, cum ſe ex voto reſtitutum clamaret. Idem hoc remedium poſtmodum laudatum *a Dolæo* in Encycl. Chirurgic. p. 528. annotavi.

ia ex- tempe- tia.

§. XVII. Huc referri etiam merentur, quæ ex eadem intentione temporum regioni, ſeu potius foveæ, quæ inter frontem & tempora media eſt, inunguntur. *Foreſtus l. 14. O. 15.* oleum infuſum anethi & chamomil. pro hoc ſcopo mire extollit. Alii temperantia magis medicamenta, ut corpus pro balſamo ſ. oleum nuciſtæ, axungiam recentem cati ſylveſtris ſimiliaque laudant. His merito etiam oleum amygdalarũ auri immiſſum annumero, *quod Riverius in Prax. l. 6. c. 1.* magnis adeo decantat laudibus. Si operandi deſideras rationem acria dubio ſine ſalia cum ſangvine ad dentes affluentia, per hæc pingvia temperantur. Procedunt enim iſto in confinio ex arteriis carotidibus rami, quorum unus Antitragum & Anthelicem perreptans, ad ſuperioris maxillæ dentes fertur, *vid. Diemerbrok. Anat. l. 5. c. 13.* Judicat hinc *Strobelbergerus* vix alibi quam in dentium ſuperioris maxillæ doloribus, hoc in loco applicata convenire remedia. Sed huic ſubſcribere aſſerto minime poſſum, cum ex eodem trunco arterioſo pone aures, rami quoque ad inferiorem abeant maxillam, unde ſangvinem dentibus inferioribus deſtinatum, temperari pariter his externis poſſe, non minus mihi credibile ac prius videtur.

§. XVIII. Aſt ſi nimia ſangvis turgeat acrimonia, his ſolis omnem velle hanc corrigere cauſam, & irritus & inanis erit labor. De aliis itaq; ſimul nunc cogitare ſana ſvadet ratio. Eminere hic Evacuantia cernis facile, cum quæ abundant in corpore juxta Majorum dicta, evacuanda ſint. Hinc ſi ſanguinea vaſa cruore tumeant, & ſimul adſit Plethora, venæ ſectionem ex Practicorum Celeberrimorum juſſu celebrabis. Nec ſolicitus nimium de loco ſectionis ſis, ſeu enim venas raninas, juxta *Valeſium & Heurnium*, ſeu cephalicam aut medianam, juxta *Platerum & Nonnium*, ſeu ſaphænam, juxta *Thonnerum*, tundas, nihil intererit. *Galeni* tamen obſervabis præceptum, qui largam ſemper evacuationem & plenitudini reſpondentem, ſvadet. Habebis ſic promptiſſimum dolorum horum remedium, & felicem ejus effectum tuo experieris commodo. Teſtem tibi *Riverium* allego, qui frequentiſſima experientia aſſerti veritatem comprobat.

evacuantia per venæ ſectionem

§. XIX. Qui ex venæ ſectione metuunt periculum, ſcarificationem cum cucurbitulis ſubſtituent, qua largam magis ſangvinis copiam minori difficultate, quam per venam tuſam educi poſſe, obſervabunt. Rarum ſc. non eſt de ſangvine ad libræ pondus & ultra hac methodo ſubduci, antequam illud animadvertat æger, aut ullam exin ſentiat moleſtiam. Nimium ſi id tibi forte videtur, quotidiana pro me teſtimonia ſcias, & ſi rationem deſideras *Wallæus* illam in methodo medendi tibi ſuppeditabit. Quo vero in loco illam adornes, non multum intererit, cum diverſæ Autoribus & placeant & diſpli-

ſacrificationem

diſpliceant partes. Sunt qui ſub mento cũ *Rhaſe*, aut potius ipſi mento cucurbitulas applicandas ſtatuunt. Alii *Foreſti lib.33. c.6.* ſequuntur autoritatem & maxillas ſibi ſeligunt. *Pigræus* pro ſede manus externæ partem inter indicem & pollicem, & auriculam alio tempore commendat. Omnium tamen frequentisſime in collo, ſcapulis, humeris, & ſupra genua juxta *Platerum* aliosque applicantur.

Purgationem

§. XX. Accenſentur equidem hæ ſangvinis miſſiones remediis non immerito optimis, cum ſubito haud raro ægrorum ſatisfaciant deſiderio. Verum non ubique fida ſunt, quin ſæpenumero ſpem noſtram fallant ac eludant. Inprimis tamen ſi Cacochymia ſimul adfuerit, irrito hæc tentari auſu, certisſimum eſt, cum per alia longe evacuantia ea educi amet. Commendabunt igitur ſe tum præ reliquis Purgantia, & quidem illa, quæ antiquis Hydragoga audiebant, dum ſtimulant fortius inteſtina, nec ex his ſolum, ſed e toto corpore colliquamentum ſeroſum educunt. Faventem habeo hic *Platerum* in ſua Praxi, *Piſonem* de colluvie feroſa, *libr.11 c. 3. Fabrum.* in Myrothecio Spagyrico *lib. 11. c.19. Foreſtum lib. 14. Obſ.345.* aliosque plures, qui nunc Jalappæ reſinam, nunc quintam Colocynthidis eſſentiam, nunc alia hujus indolis purgantia laudant, effectumq; eorum non niſi feliciſſimum prædicant, cum rebelles ante hac odontalgiæ, horum unice uſu penitus evanuerint. Alii tamen magis clyſmata purgantia laudant, nec inani id ſucceſſu faciunt, cum ſacra anchora fere ſint illis ſubjectis, quæ pharmaca abhorrent, largam namque ut plurimum humorum pravorum copiam non minus quam purgantia, repetita præprimis ſi fuerint, ſubducunt.

vomitum

§. XXI. Et licet ſubinde ab his aſſumtis ſimul provocetur vomitus, non tamen inde damnum aliquod eſt metuendum, quin potius hæc evacuatio ſit perquam utilis. Etenim ſi ventriculus teneat ſaburram, mali fomitem, quod rarum non eſt in praxi, maximum levamen ex laudabili hocce naturæ conatu ægro præſagire licebit. Suſpicari autem hanc poteris cauſam, ſi dolor, qui non adeo vehemens antea erat, circa prandii tempus majori acerbitate ingraveſcat. Annotavit vero præ aliis felicem hanc vomitus operationem *Piſo*, à vulgari quodam purgante aſſumto, qvod ex improviſo notabilem lymphæ copiam per ſuperiora educens, omnes non ſolum in momento ſuſtulit dolores, ſed effecit inſuper, ut ad decem poſtea annos ab omni immunis dolore vixerit. Fidem inde facile crebræ *Cratonis à Craffthеim* obſervationes merentur, qvæ *Ep. penult. lib. 4.* adducuntur, graviſſimos nempe dentium dolores à vomitoriis exhibitis evanuiſſe ſæpiſſime. Qvibus *Riverii* quoque favet teſtimonium *cap. 4. O 31.* traditum, aliquando ſcil. à maſticata nicotiana, vomituque inde provocato, intra duas horas gravi odontalgia vexatum convaluiſſe feliciter.

& di... re...

§. XXII. Nec minor à Diaphoreticis ſperanda eſt ſalus, cum conſtet, per hæc æque ac per Cathartica ſeri imminui abundantiam. Ex his autem præ cæteris volatilia ſe commendant, utpote quæ promptius ratione texturæ ſuæ ad maſſam abeunt ſangvineam, vimqve ſimul ant-acidam inſignem poſſident, & quod maximum eſt, potentius quam terrea, aliaque fixiora ſtimulando, ſudores quoque copioſiores provocant. Magni igitur facio *Medici cujusdam Celeberrimi* experientiam, qui pluries horum uſum miraculoſe profuiſſe, retulit. Idem tamen plus ea præſtitiſſe, adhibitis antea citatis evacuantibus, *cum Dolæo* me ſimul monuit. Sed eapropter reliquis Diaphoreticis laus demi omnis haud debet, cum ſtupendum non raro illa quoque præſtent effectum. Novi ipſe lapid. Canc. cum aceto, & Corn. Cerv. cum Rob. Samb. ut Ant-Odontalgica exoptatisſima ſe comprobaſſe. Alii à Theriaca ſumpta, aut pilulis Theriacæ cœleſtis Greiſianis idem ſe annotaſſe, referunt. Extra ergo controverſiam competit Diaphoreticis Ant-Odontalgicorum nomen, nihilque opus habet praxeos tyro, quam ut cognoſcat certo, num talis ſeri alluvies incuſanda ſit, ne cum umbra inanem ſuſcipiat pugnam. Colliget vero eam jubente *Riverio*, ſi animadvertat ſalivationem largam, comitem dolorum adeſſe perpetuum.

§. XXIII.

§.XXIII. Hucusque cominus apertoque Marte cauſam aggreſſi ſumus morbificam, contra eam in aciem adducendo alterantium & evacuantium remediorum turmas. Nunc igitur adverſus illam, quæ intra mœnia jam jam ſe recepit, hoc eſt fixam ad dentium radices ſibi paravit ſedem, copias ducemus. Sequi vero, & prudentes belli imitari Duces conſultum erit, qui hoſtem obſidione dum cingunt, primario omnem copiarum auxiliarium adventum impediunt, ut res hoſtium anguſtæ eorum citius pareant armis. Dein altius penetrant, & adverſarios in caſtris & mœniis hærentes, ut vel evocent, vel depellant, cunctis laborant viribus.

...ia a-...tia ...terci-...a af-...um

§.XXIV. Priori igitur inſerviunt intentioni remedia avertentia ſeu intercipientia veteribus dicta, è quibus eminent Apophlegmatizantia nuncupata, quæ nunc ex oris cavitate, nunc ex naribus educunt ſerum. Priora Sputatoria audiunt, quod lymphæ viſcidæ ſeu ſputi excretionem promoveant.

...aſtica-...ia

Educunt illa ex glandulis oris diverſis, majoribus æque ac minoribus ſerum, quas comprimendo & ſtimulando ad copioſam dictæ lymphæ ſecretionem adigunt. Adduci hic meretur *Foreſti experimentum O.3.l.14.* qui Maſtichen & ſemen Staphyſagriæ in petia ligat, binosque tales globulos, unum poſt alterum ægris dat maſticandum. Huic *Plateri* obſervationem *p. 403.* adductam ad latus pono, qui ex Rad. Pyrethri, Angel. ſem. Staphyſag. Cubebis, cum Gum. Tragacanth. rotulas maſticandas parat. Plura hic facile, quæ dentibus comminuta, nunc in ore ſaltim volutata conferunt, adduci poſſent, ni ſuperflua ea ob chartæ anguſtiam cenſeam. Sicco tamen præterire non valeo pede, *quæ Lazarus Riverius* alia inter de foliis Nicotianæ refert, ſi maſticentur nempe ea, cunctis Ant-Odontalgicis aliis palmam reddere dubiam, quod proprio edoctus uſu, literarum monumentis conſignatum reliquit *Cent. 4. obſ. 31.*

§.XXV. Minime tamen ſola horum maſticatio hanc lymphæ excretionem uberiorem promovet, quin ipſa eorundem textura inſimul ad producendum Ptyaliſmum, ſuum quoque contribuat ſymbolum, quatenus tunicam oris internam ubique pungendo, ſubtus poſitis buccarum ac palati glandulis calcar ſtimulumque addit, ut copioſius largiusque ſuum eructent ſerum. Perinde igitur erit ſub Gargariſmatum & Eſſentiarum, ſeu ſub quacunque alia formula hujus indolis exhibeas remedia, cum felicem ſemper eorum liceat ſperare effectum. Largus vero horum adeo apud Autores proſtat numerus, ut ſine Lectoris nauſea nomina omnium dari non poſſint. Brevis ergo ero quædam ſolum ex illis producendo, quorum uſus fauſtus à pluribus Practicis jactatur.

Gargariſmata

§.XXVI. Ex Gargariſmatibus igitur primum meretur locum, *quod Petrus Beyerus* de Med. hum. corp. *lib. 6. p. 144.* ex pulvere Diatrion Piperion, cubebis, cortice rad. mori, & ſaxifragiæ cum vino coctis parat. Huic rad. ſambuci, vel ſerpillum, vel flores lavendulæ, aut fol. ſabinæ ac perſicariæ in aceto cocta, ſuccedent. Miris namque hujus virtus ſuperbit encomiis *apud Mindererum* in Med. Milit. *c. 10. & Brendelium in Conſ. Med. 57.* Ex Infuſis in ſpiritu vini factis *Cunradus à Kunrath* ligni ſancti infuſum laudat *Crato à Krafftheim* rad. pyrethri & caryophyl. aromaticorum, *& Theodorus de Bry* in introd. in vitalem Philoſ. ſemen lentiſci, deprædicant. Alii Eſſentias laudant ſaturejæ, thym. calamenthæ & zingiberis &c. Cuncta tamen hæc ſi conſideres, non equidem inani ea niti fundamento videbis, ſimilem tamen ab aliis etiam aromaticis aut aromatibus ipſis operationem quoque expectabis. Nec cum oleis deſtillatis aliter ſe res habet, vix namque ullum ex acribus ſapidisque deſtillando paratum invenies, quod non Practici quidam in uſum vocarint. *Sennert9 Praxeos lib. XI. P. I. p. 266.* Oleū ſpicæ, thymi, juniperi, ligni guajaci ac cinamomi ſuadet. *Williſius* caryophyllorum oleum, *& Claudinus* terebinthinæ & buxi approbant. *Heredia, Fonſeca & Formius* Oleum coryli, quod Heraclinum *Rulandus* dicit, præ aliis decantant. *Hartmannus* vero *cum Thonero & Mœbio*, camphoræ oleum omnibus præferendum judicat. Id modo circa omnem horum obſerves uſum, ne in nimia doſi ori committantur,

tur, alias ob ſummam acrimoniam ſenſatis ejus partibus certo erunt damnoſa. Erit igitur ſatis, guttulas ſolum aliquot bombaci inſtillare, & ſic dentibus admovere doloroſis.

§. XXVII. Altera nunc Apophlegmatizantium ſequitur claſſis, quæ ex naribus aufert lympham, communiter Ptarmicorum & Errhinorum titulo ornata. Longus & horum exiſtit apud Practicos catalogus, quem recenſerem facile, niſi id diſſvaderet inſtituti ratio, ipſaq; hodie maxime cuivis nota ſcirem. Crevit namque hucusque uſus horum adeo, ut nihil frequentius ſit, quam indeſinenter illis vexare nares, ſic ut in conventibus Eccleſiaſticis, ſalutationum officiis, & conviviorum apparatu, prætermiſſum quid æſtimetur à pluribus, niſi iſto quoque tempore turpem rivum mittant nares, & futilis mixturæ inſpiratio, horriſono ſternutantis clamore prodatur. Dabo ergo & ex his ſolum, quæ præ aliis experta ſunt. *Zapata in Clav. Med.* ejusq; commentator *Spleiſius* aquam ſic dictam Regin. Hung. quæ ex rorismarini floribus cum ſpiritu vini per deſtillationem paratur, divinis pene extollunt laudibus. *Platerus* jubet betæ vel anagallidis, aut calendulæ ſucco pennæ illito, vel majoranæ foliis conquaſſatis nares irritare. Calculum addit *Petrus Borellus obſ. Med. Phyſ. cent. III. obſ. 8.* de Betonica naſo indita, idem affirmans: quendam namque qui graviſſimos dentium diu toleraverat cruciatus, hoc ipſo curatum fuiſſe, refert. Addi his quoque meretur *Heurnii obſervatio ex lib. 1.* Methodo ad Praxin, qui liquore flavo e naribus decocti Nicotianæ ope prolicito, ſe ipſum ab Odontalgia liberatum teſtatur.

Errhina

§. XXVIII. Excipiunt Apophlegmatismos Veſicatoria, quæ pariter ac illa avertendo humores, celebria evadunt Ant-Odontalgica. Parum vero vel nihil hic intererit, ex quanam ea conſtent materia, modo noſtro ſatisfaciant deſiderio, & pungendo fortiter cutim, ſerum ex illa elicitum intra cuticulam tanquam veſicam quandam proliciant. Vera me dixiſſe, Autorum, quæ nunc adducam, obſervata probabunt. *Buſcovius Then. Rhyne & Muys* pro hac intentione Moxam ſeligunt Chinenſium, eaque accenſa veſicam inurunt ac eſcharam. Hujus loco cineribus candentibus, digitali incluſis, & temporibus applicatis, *Ballonius* utitur. *Fienus & Gabelchoverus* rapas ſub cineribus aſſatas, & adhuc ferventes uſurpant. *Riverius* ſal fraxini extreme calcinatum adhibet. *Sennerto* & univerſo hodie Practicantium choro canthariddes probantur. Allium *Galeno, Foreſto atque Borello* placet. Aliis alia arrident. Locum quod attinet, cui affigantur, quemcunque tu ſeligere pro lubitu potes, cum notabilis adeo hic non notetur differentia. Svadent equidem alii, ut plantis pedum vel carpo aut manus ſedi externæ, intra pollicem & indicem applicentur. Quidam, ut aut intra aures, aut in illa capitis parte, qua maxilla ſuperior inferiori connectitur, excitentur, jubent. Sub mento quondam ea adhibita, ſequentes probant rhythmi:

Veſicatoria

Linitam paſtam ſub mento nocte ligabis
Pulvere cantharidum, ſic rupta pelle notabis
Et per veſicas dentis tormenta fugabis.

In locis igitur diverſis licet adhibeas, effectum tamen eorundem ſperare potes optatum, cum unus fere ſemper eorundem operandi modus ſit. Quod ſi vero immediate ſupra arterias, quæ ad maxillas tendunt, quodcunque etiam applicueris veſicatorium, illud non ſolum avertet humores, ſed illos quoque intercipiet, dum ſubtus poſita vaſa, irritatione hac importuna arctat & conſtringit.

§. XXIX. Clarius aſſerti veritatem impoſita locis his adſtringentia probant. Famoſa ex illorum nnmero ſunt, quæ ſub emplaſtrorum forma adhibentur, & pro ſacra anchora a vulgo non minus, quam medicis pluribus habentur. Conflantur illa communiſſime ex gum. maſtiche, tacamahaca, elemi, caranna, ac pice Burgundica. Quæ tamen ex conſolida maj. gallis & alumine, nuce cupreſſa, roſisque rubris fiunt, non minorem merentur laudem, quibus ultimis ſecreti loco *Riverium* uſum eſſe, obſervationes ejus

adſtringenti[a]

jus loqvuntur. Sunt hæc, ut facile vides, adſtrictionis validæ qvoad maximam partem participes, mirum inde non erit, ſi affluentes humores ex voto intercipiant. Ad tempora ut plurimum, aut pone aurem unam vel utramqve applicantur, unde defluentes per arterias humores quodammodo reprimuntur, qvod *Strobelbergerus de* dentium Podagra, & *Platerus in* praxi, erudite ſatis declarant. Approbo itaqve hæc, his applicata in locis, & conſilio *Heurnii* præfero, qvi univerſo capiti raſo ea circumjicere. jubet, cum ejus hoc conſilium admodum mihi periculoſum videatur. Humores enim acres ad ſuturas & pericranium retinet & arcet, ſicqve ſenſatis maxime cerebri integumentis, cum quibus per ſuturas illa externa cohæret membrana, injuriam infert maximam, & graviſſimis Symptomatibus viam parat. Nec ſemper conſultum erit maxillis ea applicare, qvod conſiliũ aliis probatur Practicis; horum enim ope humores ad fauces repulſos, ægrum aliqvando ſuffocaſſe *Valeſcus de Taranta* & *Riverius* obſervarunt.

...ute ...anda

§. XXX. Siniſtram hanc qvam modo adſtringentia inepte adhibita tulerunt cenſuram, eam qvoqve qvæ intra aures pro ſcopo Ant-Odontalgico immittuntur remedia, mereri videntur. Seligunt vero locum hunc non pauci Practicorum, illumqve præ aliis cunctis aptiſſimum, cui adhibeantur remedia, judicant. Et qvidem ſi Anatomicam hic in auxilium vocites ſcientiam, non inani aſſertum niti fundamento prima fronte cenſebis. Apparent enim primo hic arteriolæ, qvæ has ante perreptant partes, qvam nutrimentum dentibus adferant, unde immediate in illorum contenta h. e. ſangvinem agi poſſe, rectisſime colligitur. Accedit ſecundo, glanduloſam internam aurium tunicam horum beneficio irritari, & ad copioſius reddendum ſerum eo diſponi poſſe. Tandem totius corporis excaleſcentia, ex his irritatis locis, ſuboritur, unde produci maximam in humoribus æqve ac ſpiritibus agitationem, rurſum non male argumentatur *Riverius*. Verum his non obſtantibus, meo judicio, ſumma reqviritur circumſpectio in eorum uſu, ſ. adhibeatur acetum ſimplex, aut fumus ejus, in qvo pulegium aut origanum cocta ſunt, aut allii bulbus ejusqve ſuccus, qvæ modo citatus *Riverius* probat, aut ſuccus rutæ, hederæ terreſtris, radicis aſphodali, *juxta Johannem Anglicum*, vel oleum amygdalinum cum cepis, euphorbio & caſtoreo infuſum, ex commendatione *Heurnii*, ſeu petroſelini ſuccus cum granis 4. piperis conditus, vel burſa paſtoris contuſa, aut tandem aqua ſimplex piperata, *qvæ à Dygbæo, Borello* & *Wedelio* laudantur. Univerſa enim hæc ob acredinem, quam ſecum habent, adſtantes membranas & nervoſas expanſiones, principio nervi acuſtici proximas, facile irritare poſſunt unde Otalgiis periculoſiſſimis, motibusqve convulſivis univerſalibus infauſtæ dabuntur anſæ.

§. XXXI. Vides ſic, adhibita hæc in capite intercipientia remedia, ancipitis, ni cautiſſime procedas, eſſe aleæ, aliis ergo remotioribus partibus ea ſunt applicanda tutius. Pertinent huc fortiores ac doloroſæ artuum ligaturę, *Ligaturæ fortiores* quas *Sennertus lib. II. part. I. c. II. p. m. 265.* utiliſſimas dicit. Operandi ſi deſideras rationem, comprimuntur illarum ope venæ, adeoqve ſangvinis retrogradus motus aliqvandiu impeditur, unde copia ejus ad caput æque ac dentes aliàs abitura imminuitur, qvod ipſum ſufficit ſubinde noſtroqve ſatisfacit deſiderio. Et hac aliquali ſangvinis ſuppreſſione eſſe poſſumus contenti, cum omnem ex toto intercipere velle affluxum, abſurdiſſimum omnino ſit. Minime hinc approbo arteriarum, qvæ ad dentes pertingunt, ſectionem, licet *Scultetus in Armament. Chirurgico obſ. 38.* magni eandem faciat. Certe, qvid nutrire poſthac dentes debeat, ſi vaſa hæc nutrimentum advehentia diſſecentur penitus, nec videre nec imaginari mihi poſſum. Idem qvoqve de ambuſtione arteriarum harum *à Paræo* laudata judico, his enim qvi ſuis proſpicere ægris conatur, in ſcyllam incidit, dum charybdim vitare cupit. Hæc de Intercipientibus.

§. XXXII. Ordo nunc jubet, ut ea quoq;

Quæ infar-ctum humo-rem eliciunt, ſunt emolli-entia

remedia, qvæ incuneatum jam jam firmius peccantem humorē vel eliciunt vel expellunt, recenſeam. Prius impetrabitur emollientibus ſic dictis quæ vel in ore detinere, vel buccis vicinisque imponere partibus decet. Pro hac tibi intentione lac tepidum vel ſolitarie, vel cum malva, meliloto, chamom. ſamb. pariet. branc. urſin. rad. lil. alb. liquiritiæ, ſem. lini, fœn. græc. &c. decoctum, inſerviet. Si diſplicent epithemata, cum medulla panis ſimilaginei aut bis cocto pane in cataplaſma formabis hæc univerſa emollientia, aut pultem ex ptiſana, vel ex farina fabarum cum aqua factam, calide, pro eadem applicare intentione, integrū tibi erit. Imo juxta *Foreſtum* in ſcholiis ad obſervationem quintam lib. 14. Oleum chamom. vel Anethinum cum lana admotum alio tempore tuo deſiderio faciet ſatis. Operari vero hæc cuncta calore pariter ac vi obtundendi acrimoniam palam eſt, adeo, ut ſpaſmi, a quibus egreſſus materiæ antea impediebatur, poſthac feliciter ab his relaxentur. Inſuper vero hoc accidit, ut emollitione hac ſpaſmo antehac correptarum fibrarum adſtantium, humoribus peccantibus, jam jam e ſedibus ſuis a calore pulſis, eo ipſo commodiſſimum exſtruatur diverticulum cui inhærere aliquandiu poſſint. Mitius hinc meliusque incipit ſolenniter eſſe Odontalgia correptis, ſi gingivæ aut genæ, ſeu ſponte id fiat, ſeu arte, ſpectabili inflentur tumore; nam quæ dentibus antea moleſta erat materia ad externas nunc transferri partes, patet ad oculum.

§. XXXIII. Rebelle ſi fuerit malum, & blandis his non auſcultat remediis, alia potentiora magis implorata juvabunt, nempe Diſſipantia dicta, quæ materiam nimis ſpiſſam diſcontinuant partim, partim fibras, quarum interſtitiis infarcitur, ad ejiciendum hoſpitem hunc importunum ſtimulant. Eminent ex horum numero primo Diaphoretica, quæ fuſius ſupra §. 22. licet ob alium, nempe evacuandi effectum expoſui. Secundum locum merentur Vomitoria, quæ pariter §. 21. jam jam adduxi. Concutiunt autem hæc ultimo nominata vehementer totum adeo corpus, ut in remotioribus etiam partibus ſæpe referentur obſtructiones v. g. uteri, hæmorrhoidum &c. Quare mirari non debes, ſi ad dentes factum humorum decubitum, his quoque feliciter diſſipari videas, quod ipſum ante hac jam jam docui fuſius.

Diſſipantia.

§. XXXIV. Nunc ſequuntur Repellentia. Novi equidem Recentioribus quibusdam in totum negari hæc remedia, quoniā cum circulari ſangvinis motu non bene conveniat eorum effectus. Sed cur non ſtante etiam hac doctrina, repellentibus inter remedia maneat locus, me fugit; inprimis ſi illis adhibeantur in caſibus, ubi intra partium poros relaxatos ac extenſos nimium, humorū hæreat copia. Dantur ergo remedia, quicquid etiam alii in contrarium dixerint, quæ infixum firmius humorem ejiciunt ac repellunt, præſtantq; id vel adſtringendo vel refrigerando. Inter Adſtringentia primum meretur locum acetum ſimplex, *quod Galenus* diu extulit, non minus *ac Strobelbergerus*, ſed cum radice tormentil. aut gallis decoctum, cui ad latus etiam jungunt roſ. rubr. cupreſſi, & myrti fol. decoctum in vino factum. *Agricola & Bartholinus* ſolutionem aluminis, aut aquam ſimplicem ſufficienter cum ſpiritu Vitrioli acidulatam, commendant. Aliis eadem remedia, ſub aliis tamen arrident formulis. Sunt quibus ſuffitus placent, ita ut per infundibulum ad dentes mittant fumum, tacamahacæ, olibani, maſtiches, gum. elem. animæ ac ſuccini &c. aut linteis ſolum eum excipiant & poſthac genis applicent. Quidam in formam ungventi hæc reducunt & gingivis imponunt, quæ formula *Barthol. in Hiſtoriis c. 5. obſ. 5. 4.* arridet, qui tale ex alumine uſto, nuce moſchata & melle parat. Hæc de Adſtringentibus. Quæ nunc ſequuntur Refrigerantia, pariter experimentis nituntur pluribus. Teſtem hic *Johannem Hieronymum Pulverium* allego, qui aqua cum nive mixta ſummos dentium dolores in pluribus ſe ſanaſſe refert. Calculum huic *Zacutus Luſitanus obſ. 80. lib. 1.* addit, militem, cui innumera antea, ſed in caſſum adhibita erant remedia, nive demū fortuito in ore detenta mira-

Repelle[ntia]

refri[gerantia]

miraculoſe reſtitutum allegans. Quibus hæc ut vulgaria minus arrident, *ex Roſenbergio Rhodolog. p. 333.* Albumen ovi cum aqua roſarum conquaſſatum ſumant, illudq; nunc cum ſtuppa cannabina buccæ dolenti imponant, aut ſi placuerit, in ore detineant.

[M]aturantia [&] rumpentia. §. XXXV. Si nimia humoribus inſit craſſities, aut diutius ſtagnando ad ſuppurationem peccans pervenerit materia, nullus erit omnium horum uſus, imo augendo dolores plus nocebunt quam juvabunt. Satius ergo tunc erit ea applicaſſe, quæ hos emolliunt ac rumpunt tumores. Fuſius ſupra de Emollientibus jam dictum, nunc ergo ruptioni abſceſſus inſervientia dabo remedia. Meminit *Borellus cap. 1. obſ. 86.* aliqvando dentiũ dolorem catarrhoſum, ob pluvias immodicas, populariter fuiſſe graſſatum, omnesqve, qvi ficum inverſam gingivis admoverant, breviter fuiſſe reſtitutos, ad maturitatem ſcilicet gingivarum tumore deducto. Plura huic ſacrata intentioni mittam nunc, & bina ſaltim de gingivarum tunica verba addam, quæ haud raro nimis exiſtit craſſa, adeoqve non prompte adeo rumpi ſe patitur abſceſſus, quin aliquot ſæpe prætereant dies, antequam ægrotantes miſeri, voti reddantur compotes, quod ipſum quoq;, ſi pus nimia laboret ſpiſſitudine, experieris. Tali igitur in caſu, cum remedia nobis deficiant, quæ prompte adeo emollire & rumpere hæc integumenta poſſunt, Chirurgica in auxiliũ vocanda inſtrumenta veniunt, quib9 eo momento, quo ſcinditur tumor, via materiæ paratur purulentæ, dolorqve ſimul omnis abigitur.

[R]igore [fa]cien[tia] [re]fri[gerantia]. §. XXXVI. Sed ſatis tandem ſit dictũ de Remediis humorum acrimoniæ deſtinatis, quorum dum crevit præter intentionem enarratio, in reliqvis breviorem me eſſe decet. Si igitur frigus Odontalgiã pariat, primariũ in Thermanticis quærendum erit ſolatiũ, quorum binæ ſe iterum ſiſtunt claſſes, potentialia nimirum & actualia. Potentialia ſunt, quæ acri ac mordaci ſua textura, tam vellicando ſenſatas ſolidas partes, quam exagitando ſangvinem æque ac ſpiritus, calorem in corpore noſtro augent. Refero huc aromatica aliaque acria, quorum apparatum ſupra §. 26. abunde expoſui. Pertinent etiam ad hanc claſſem vinum generoſum, & vini ſpirit9, modo ſimplex, modo ab aromatibus abſtractus aut camphoratus, quorum omniũ vim Ant-Odontalgicã inſignem infinita experimenta probant, licet modus applicandi diverſus ſit. Nunc enim Practici jubent, ut ipſis os eluatur, aut ſupra dentes dolentes detineantur, vel externe ſaltim cum linteis, buccis, ubi dolor eſt, imponantur. Thermantica actualia, utpote magis familiaria, frequentius quoque experta ſunt. Vulgatiſſimum eſt, ſacculis calidis, flor. chamomil. & ſamb. infarctis, aut linteo quadruplicato calefacto, loco dolenti applicato, dentium pellere dolores.

§. XXXVII. Si flatulenta in culpa fuerit materia, Reſolventia & Carminativa omnem abſolvent curæ paginam, adeoq; cum virtus ultimorum in acrimonia quadã aromatica lateat, de illis vero alibi jã ſit dictum, omittere eorũ nomina cogor, ne crambe toties recocta nauſea moveatur. Pergo hinc ad alia, quibus pariter vim flatus diſſipandi non contemnendam ineſſe, quotidiana loquitur praxis. Innuo hic Calefacientia ſic dicta, quibus obex elaſticæ huic ſubſtantiæ contra ſtans, ſpaſmus puta, ex voto aufertur. Nec te terreat, ſi ad initium curæ, ad calida hæc applicata peſſime ſe habeant ægri, modo enim aliquandiu continuentur illa, raro Medicum deſerent. Ratio hujus phænomeni eſt, quod ad initium magis expandantur flatulentæ partes a calore externo; ſi vero quis diutius ea applicare non grave ferat, tandem ceſſante fibrarum criſpatura optatus ſequitur effectus. *In flatuum præſentia carminativa & reſolventia.*

Contra vermes Anthelmintica. §. XXXVIII. Nunc ad illa devenio Ant-Odontalgica, quibus vermium progenies, dentium rodens membranas, debellari poteſt. Agmen ex his dulcia ducunt, quibus adeo delectantur hæc inſecta, ut ex ſuis haud raro latibulis prompte prorepant. Eminet inter illa mel, *quod Pechlinus in Miſc. N. C. Dec. 1.* anno 9. & 10. ut ſpecificum Ant-Odontalgicum allegat. Huc quoque mucus in pyloro ventriculi hærens pertinet, quem fœmina quædam denti applicans dolenti, mire in

evocandis his inſectis proficuum annotavit. Teſtem ſi aſſerti deſideras, *Johannem Buugium* adire poteris, qui in eodem citato Ephemeridum anno pag. 435. ſeqq. fuſius hanc Hiſtoriam exponit. Nec alia operandi ratio ſevo ineſſe cervino videtur, quod liquefactum linteoqve exceptum vermes elicere, a ruſtico quodam Medicaſtro *Bartholinus Hiſtoria 96. cap. 3.* ſe didiciſſe refert. His in caſſum uſurpatis ad amara fiat progreſſus. Commendabunt ſe tum abſynth. tanacet ſabin. cort. frax. fructus halicacabi, myrrha ac aloes, & exin paratæ peſtilentiales Ruffi pilulæ. Plura de hac materia ſi ſcire aveas, adibis *Riverium, Sennertum, Solenandrum, Cratonem a Krafftheim, & Miſc. N. C.* Dec. II. anno VI.

§. XXXIX. Adduci inſuper adverſus vermes ſemen hyoſcyami tanquam remedium a tot Medicis decantatum debet, quod ſub forma ſuffumigii ad dentes mittitur. Conſtat namqve vermes haud ferre ſalia volatilia, quæ tamen ex accenſo hoc ſemine, & ex cunctis forſan aliis vegetabilibus, ſi in uſum hac methodo traherentur, inter deflagrandum copioſiſſime exſurgunt, prout ad oculum fuliginis analyſis chymica id demonſtrat. Non audiendus itaqve eſt *Hollerius*, qui ex hoc hyoſcyami ſeminis fumo in momento vermes generari docet, fallaciam non cauſæ ut cauſæ ſubeſſe putans, ſi vermes ab ipſo evocentur. Certe nunquam talis cogitari poteſt vivi animalis generatio ex fumo ſcilicet aut flamma, niſi forſan ex fabuloſa Pyrauſtarum aut Phœnicis avis familia iſtos quoqve credideris vermiculos. Reliqua quæ proſtant Anthelmintica, & ex his Mercurialia in ſpecie, in Odontalgia ut minus tuta, rejicio penitus, cum nunquam metallum hoc nec membranæ, nec dentium nervi impune ferant.

in dentium eroſione varia proſunt prore nata. §. XL. Supereſt adhuc ex odontalgiæ cauſis dentium caries ſeu eroſio conſideranda. Concedit illa, uti jam monitum, humoribus acribus, aeri puta frigidiori vermibusqve, & inprimis alimentorum reliquiis, ad interioris dentium ſenſatas partes aditum. E re itaqve nunc erit, ut illapſa peregrina corpora quanto citius extrahantur, aut ſi ſordes aut reliquiæ alimentorum mucaginoſæ adſint, ſtudioſe abſtergantur. Quod ſi vero frigus ſubintraverit, calefacientibus, & ſi infenſa vermium adfuerit præſentia, Anthelminticis proſpicies. Cedere ſic dolorem, & in illo ſæpius momento ac cauſæ tolluntur, ſed redire quoqve celeritate ſimili, quamdiu porta cauſis iſtis patens fuerit, tibi annotare licebit. Recte ergo agunt, qui hunc aditum infauſtum obſtruunt, nunc cera alba ſola, aut maſtiche vel thure mixta, quibus alii pro conſiſtentia magis firma concilianda, corallia rubra, ſtannum vel aurum bracteatum, gum. laccæ aliaqve admiſcent. Plura qui pro hoc deſiderat ſcopo, ea apud *Rondelet. in Prax. libr. 1. c. 83. Sennert. part. I. libr. 2. p. m. 262. & Williſium* inveniet. *extract. lapſori obſtrui cavern.*

§. XLI. Sunt autem, ut vides, hæc ipſa tantum præſervatoria remedia, ipſa caries namqve jam nata, manet prorſus intacta; quare alio obviam ire remediorum apparatu malo huic, neceſſum omnino habes. Equidem illuc quodammodo reſpexiſſe videntur, qui modo indicatis pro ſcopo obturandi & obſtruendi dentium cavernas adhibitis, jungunt myrrham, aloen ac aſphaltum, gummata ſcilicet illa pro balſamandis cadaveribus olim uſitata; vel ad imitationem *Dolæi in* Encyclopædia Chirurg. pag. 529. alumen & ſal foſſile cum melle ſubacta cavernis immittunt. Verum intentio horum licet optima ſit, raro tamen reſpondentem habet effectum, quin potius caries hæc ipſa eludat ac penitus ſpernat. Eapropter magis illorum arrident conſilia, qui ad cauteria confugiunt Potentialia non minus quam actualia. Potentialium nomine veniunt, quæ cauſtica ſua textura rodunt emortuas in dente partes, easqve à ſanis ſeparant ac auferunt. Tale eſt helleboraſter ſeu veratrum nigrum, ex commendatione *Riverii*, vel decoctum radicis lapathi acuti, quinquefolii ac lentiſci cum aceto, vid. *Foreſtus lib. 13. obſ. 6. in ſcholiis.* Irritus ſi & horum fuerit uſus ad aquam fortem *caut. tent.*

&

& regiam, ſpiritusqve mineralium acidos, nitri puta, ſalis, ſulphuris & vitrioli, ejusqve oleum confugies, inſtillando eroſis cavernis nunc guttam unam vel alteram, aut ſi acor forſan nimius tibi fuerit ſuſpectus, mixtos hos ſpiritus cum ſaccharo vel melle ſimplici aut roſato applicabis. Praeeuntes habes *Cratonem a Krafftheim*, *Montanum, Rulandum, Quercetanum, Riverium, Fabricium Hildanum & Rondelecium,* qui ad unum omnes egregios horum effectus celebrant. Nec ſine ratione hæc adhibita eſſe tibi perſuaſum ſit; habent enim cuncta vim corrodendi in ſe maximam, unde cariem caſtigant, dentesqve ab illa feliciter liberant. Inſuper ipſas ſenſiles partes, quæ intra dentium cavernas denudatæ prius jacebant, corrodunt penitus & deſtruunt, unde immediate ab uſu eorum magis exacerbantur nunquam non dolores, hoc vero ſuperato inſultu, conſopiuntur penitus ac ceſſant, quod vulgus exprimit: Das remedium heiſt den Zahn zu Tode. Circa applicationem horum unicum id obſervabis adhuc, ne gingivæ aut dentium radices cauſticis his ſimul tangantur; quare proxime adſtantia loca cera aut emplaſtro quodam accurate tegere conſultum erit.

§. XLII. Sed præ cauteriis potentialibus actualia commendantur ab aliis. Olim jam *Hippocrates de loc. affect. num. 5. & Rhaſes* ferrum candens extulerunt. *Gariopontus* cupreum commendat clavum, quod ipſum tamen a nullo alio hucusqve vidi. *Fonſeca Tom. 1. Conſult. 46.* ſtilum aureum & argenteum ignitum ſuadet. Aſt *Sennertus & Hollerius* contrariam ex aſſe tuentur ſententiam, hæcque cauteria penitus damnant, urgentes exquiſitum nervorum ſenſum, & ex eorum irritatione adeo importuna metuendam cerebri ac nervorum irritationem infauſtam. Verum hoc quod ſibi imaginantur periculum, tanti non eſt, quippe effectum ferri candentis felicem innumera Practicorum teſtimonia narrant, ſtatimqve ab ambuſtione omnem cariem ſimulqve dolorem ceſſaſſe. Obſervabis tamen, ut hoc dentibus adhibeas remedium ſtatim, ac naſci cariem videas; ſi enim jam jam ad radices usqve penetraverit malum, voti vix fies compos, juxta Poëtam enim

ſero Medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras:

Conf. pluribus de hac materia *Severinus in Med. effic. pag. 296.* Cæterum monendus eſt æger, ut operationis tempore, ab aeris inſpiratione abſtineat totus; dici enim vix poteſt, quam inſignis fauces ad ſuffocationem usqve irritans fœtor, ex ambuſtione putridi dentis exſurgat. Chirurgi vero de officio erit, ut inter operandum pedem ſuum patientis ſupponat pedi, ut premere illum, eoqve ſignum dare poſſit hic, ſi alias forſan, vicinasqve ſimul amburat partes, aut profunde nimium cauterium immittat. Vociferatione namqve aut alio motu vel manuum aliarumqve partium corporis indicare dolorem illatum ſine periculo enormis ambuſtionis gingivarum aut buccarum nequit.

§. XLIII. Aſt ſi nec hæc Tibi arriſerit operatio Chirurgica, unica dentis evulſio manu dentifrangibuli expectanda adhuc ſupereſt, quæ nunc ope pelicani, nunc pedis caprini, nunc roſtri corvini, (his enim nominibus diverſa ſua inſtrumenta ſalutare ſolet hoc genus hominum) fit. Obſervandæ tamen hæ ſunt Dentario-Chirurgo cautelæ, 1. ne in gravidis hanc temerarie adminiſtret operationem, admonitus *a Salmutho*, qui refert, aliquando gravidam quandam ocularem dentem ſibi extrahi paſſam paulo poſt fœtum fuiſſe enixum ſiniſtro deſtitutum oculo. 2. Obſervet, ne in ætate confectis eam moliatur, ſenem enim ſubito & inter operandum in foro publico inde extinctum eſſe, *Foreſtus* indicat. 3. Caveat, ne dens eo tempore, quo fluxio ruit ad locum affectum, evellatur. Nec 4. violenter aut affatim trahat dentem, firmius ſi iſte mandibulis connexus fuerit, cum conſtet aliquando ex impetu tali cerebrum fuiſſe commotum, febremqve excitatam periculoſiſſimam, alioqve tempore oſſis maxillæ fracturam, pluraqve alia graviſſima æqve ac periculoſiſſima ſymptomata inde fuiſſe nata. 5. Attendat, ut dente evulſo, gingivarum

dentis evulſio.

varum adſtans caro, digitis undiquaq; comprimatur, & os ægri aceto vel vino auſtero eluatur. 6. Tandē proſpiciat ſedulo, ut omnem aëris frigidioris ad locum illum acceſſum ſtudioſe arceat.

§. XLIV. Multum præfero Chirurgicum hunc dentes exſtirpandi modū illis remediis, quæ ſolum impoſita aut admota dentes extrahere dicuntur. Laudat hunc in finem *Ælianus* radic. lappæ, vermiumqve terreſtrium impoſitos cineres. *Libavius* grana maſtiches & thuris commendat. *Ephemerides German. Decur. II. anno II. pag. 373.* fumum tabaci admiſſum extollunt. Verum, ſi fatendum quod res, mitiora hæc vix, ut dentes cadant, facere ſolent. Alii proinde acriora magis merito implorant. Miris laudibus extollit *Riverius* lac ficulneum aut tithymalinum foliaqve helleboraſtri, & rad. ranunculi. *Joel* gum. ammoniac. & galbanum in ſucco eſulæ coctum ſvadet. Paſtinacam cum helleboro albo *Plinius*, & radicem pyrethri in aceto maceratam *Galenus* laudant. Cuncta vero hæc, ut ut prorſus negari eorum neqveat efficacia, merito tamen ex rationibus tertio ab hoc §. allegatis mihi redduntur ſuſpecta.

II. Quæ ipſi dolori reſiſtunt

§. XLV. Hucusqve remedia cauſis Odontalgiæ primariis ſacrata expoſui, nunc illa, quæ dolori ſatisfaciunt, etiam in apricum ponenda ſunt. Poſcit illud lex mihi ipſimet §. 13. impoſita, quo ſecundæ quoqve indicationi in Odontalgia fiat ſatis. Vocantur hæc Anodyna ſeu Paregorica, & ſpiritibus a dolore exagitatis motum eorum ſufflaminando, vel ut aliis loqvi placet, eos ligando ſuccurrunt. Eminet ex his opium & inde parata, quibus ex hyoſcyami radice aut ſemine confecta, & papaverina qvævis ſuccedunt, quæ ſimili, mitiori tamen ſedativa vi gaudent. Optima ſane & divina fere, ſi judicioſe adhibeantur, hæc ſunt remedia, doloresqve, qui per longa jam temporis ſpatia, ad rabiem & extrema quævis deduxerunt ægros, poſt breve tempus mitigant, conciliantes ſimul placidum diuqve deſideratum ab ægro ſomnum.

§. XLVI. Modus applicandi illa variat, nunc enim externe, nunc interne ſolum adhibentur. Externe opiū crudum calefactum ita, ut ceræ ad inſtar molleſcat, *Montagnana conſil. 87* denti dolenti circumponit. *Bartholinus ciſt. Med. loco 31.* pilulas de philonio Romano loco affecto adhibet, quibus ſi haud ſuffecerint, granum 1. opii *Platerus* adjicit. *Riverio* linimentū ex opio, myrrha & ladano factum, addita ſufficiente vini albi quantitate, arridet. Interne laudanum vel liqvidum vel ſolidum, aut theriaca, inprimis cœleſtis dicta, aut pilulæ de cynogloſſa ſufficient. Obſervetur tamen, ne doſis ſit nimia, inde enim indolentia perpetua, h. e. mors excitari poteſt, qvalia triſtiſſima exempla *Alex. Bened. libr. 6. c. 13. Zacutus Luſitanus Prax. admirand. lib. 5. c. 86.* recenſent. Aliud adhuc monitum adjicit *Riverius*, ſcilicet, ne opiata niſi fluxione ad dentes jam ſedata, exhibeantur. Sed hæc tanti non eſt cautela, cum ipſas has fluxiones opiatis hodie cohibere uſitatiſſimum ſit. Una ergo fidelia duos dealbabis parietes feliciter, ſi prudens modo fueris.

dolor den...

§. XLVII. Sed nec his ſemper ſtupefacientibus indiges, cum adhuc alio duplici modo ſiſti hic poſſit dolor, nempe vel per dolorem ſeu ſenſum triſtem in alia parte excitatum, vel per imaginationes. Ex primo capite veſicatoria; itē rubicfiantia, frictiones doloroſæ, ac cæſiones extremarum partiū cum urticis, aut ambuſtiones per Moxā Sinenſium aliasqve res combuſtibiles, merentur laudem. Invitantur namq;, alliciunturq; ſpiritus ſtatim, ac dolor ab his excitatur remediis, ad læſum locum, & quidem ſæpe tanta copia, tantoqve impetu illuc feruntur, ut ulterius circa dentes ſenſum triſtem dijudicare relictæ copiæ inſufficientes ſint, cumqve toties hæc ipſa a quampluri mis Medicis ſalubria fuerint viſa, dubitari ulterius de felici eorum experientia non debet. Confer obſervationes ſupra de veſicatoriorum uſu adductas.

alias ... impr...

§. XLVIII. Ex altero capite dolorem demulcere ſolent univerſa, quæ ſentiendi principio alias imprimunt ideas. Avertunt iſta ſimiliter ac modo dictū ſpiritus, eoq; ipſo ut nec ulterius ſentiant accurate, aut priorem dijudicent moleſtiam, efficiunt. Novum non eſt in Medicina gravioribus animi commotionibus atrociſſimos omnis generis

ris

ris mitigari dolores, & tota hinc die curæ morborum plurium unice fiducia in medicamentum aut Medicum fiunt. Fidem namqve ſi adhibuerit æger pollicitationibus & perſuaſionibus, mox ſalva res erit. Hinc in tali caſu vix quicquam adeo abſurdi excogitari poteſt, quod non ſtatim Ant-Odontalgicum fiat egregium. Hæc ne ſine firmis Doctorum loqui videar teſtimoniis, præſto ſint univerſa illa, quæ antiquis proprietate occulta agere dicebantur. Excellit inter illa os brachii vel tibiæ bufonis, quod ſolo attactu omnem dentium compeſcere dolorem, *Helmontius tract. Demens Idea*, perhibet. Sic juxta *Aetium*, *Rhaſem*, *Foreſtum*, *Dygbæum*, *Hartmannum* & alios, dolens dens curabitur, hominis mortui ſi tangatur dente. Ex eodem fundamento ungula avis, quæ vulgo Rohrdommel audit, dentiſcalpii loco adhibita, ſenſum triſtem ſedat. *Dolæus* canis violenter interemti dentem, vel Hyenæ extollit. Alii dentiſcalpium ferreum, magnete prius aliquoties tactum, aut ligneam feſtucam ex ſambuci, aut quercino ligno fulminis vi ab arbore decuſſam, aut de patibuli trabe abſciſſam laudant, *vid. Strobelbergerus de dentium Podagra.*

§. XLIX. Hæc Phantaſiæ ſeu fiduciæ operatio ſe quoqve in amuletis exerit. Commendat ut Ant-Odontalgicum ſingulare hominis demortui dentem de collo ſuſpenſum *Goclenius de mirabilibus naturæ.* Talpæ dentes a *Caſpare Jungelio*, lupi a *Macaſio*, & equi à *Sexto Platonico* laudantur. Sargi piſcis & Rhinocerotis arma *Geſnerus* magni facit. Alii cum *Camerario* molybdænæ fruſtum carpis alligant, vel cervinum aut picæ roſtrum cum *Porta* appenſum ſuadent. Qui *Dioſcoridis*, *Schrœderi & Heurnii* tuentur autoritatem, lepidii radicem & gramen trium nodorum, vel corollam ex coralliis factam geſtare jubent. His merito *Sylvatici* annecto experimentum, quod *obſ. 2. cent. 2.* adducit referens, gentem Farneſianam parvam quandam ferream poſſidere laminam, qua ſi infernæ aurium extremitates ad incaleſcentiam usqve fricentur, certo & infallibiliter inde ceſſare Odontalgiam. Alia nunc inſcripta nempe membranæ carmina, aut characteres ſecum geſtatos taceam, cum temporis & chartæ rationem habere cogar. Veniæ vero locum mihi futurum pollliceor, quod ex dicta hac ſolum ratione operari talia externe adhibita credam; ſi enim hoc meum diſpliceat effatum, permittant quæſo aliter ſentientes, ut ingenue fatear, nullam me prorſus aliam eorum operandi rationem comprehendere poſſe. Nam quæ de anti- & ſympathiis loquuntur, præter pompoſa ac grandiſona verba nihil plane, quod effectum exponat aut declaret, ſuppeditant. Parum hinc abeſt, quin ſympathetica remedia univerſa, quæ vim quandoqve poſſident Ant-Odontalgicam, ex hoc unice agere capite, pronuntiem.

§. L. Finio hic, & ad S. S. Trinitatem, in cujus nomine initium feci, revertor. Devotas ergo huic pia mente perſolvo grates, quod his meis meditationibus finem imponere felicem ſiverit. Adſit, precor, illa gratia ſua ulterius ſtudiis meis, ut quam primario nominis ſui intendo gloriam, poſtmodumqve proximi ſalutem feliciter conſequar. A te vero L. B. ſi non cuncta tuum fuerint ad palatum, ſubmiſſam peto veniam.

Quod potui feci, Superis ſint cætera curæ.

F I N I S.

DISPU-

Disputationum Langianarum Octava:

De

ODORATU EJUSQVE LÆSIONIBUS.

Cap. I.

De

ODORATU.

§. I.

Organon commune

DE odoratu, ejusdemqve præcipuis quibusdam affectibus, diſſerere dum ingredior, omni abjecta cunctatione, ab ipſo ejus organo exordiar, quo certiore deinceps ordine ad reliqva accedere felicius poſſim. Id autem nares eſſe, nemo tam nihil aut videt, aut ſcit, qui neſciat, quum ſatis cuivis conſtet, eam corporis partem, quæ in media facie collocata, atq; extans, faciem oculosqve dividit, & ſub illis ac fronte explicata, in confinio ſuperioris oris labii terminatur; hunc præcipuè in finem à Deo fabrefactam eſſe, ut ſpiritum & reddat, & accipiat, cum eoqve rerum odorabilium exſpirationes non colligat tantum, ſed etiam motiones earum recipiat, atqve ad cerebrum transmittat, ſenſumqve odoris exci-tet in nobis.

Externi naſi ſtructura quoad oſſa

§. II. Quæ qvidem pars in naſum externum atqve interiorem ab Anatomicis (1) commode tribuitur, ſic ut per naſum externum intelligatur prominentia illa faciei, quæ oculis omnium expoſita, pauloqve ante deſcripta eſt, & partibus conſtans varii generis, nimirum oſſibus, cartilaginibus, muſculis, membranis, & vaſis, cavitatibusqve ac foraminibus ſuis donata, aëri ingreſſum exitumqve concedit. Atqve oſſium quidem, qvæ immobilem externi naſi partem componunt, tria numerantur, duo lateralia externa, unumqve intermedium & internum. Illa quadrangularem ferè figuram obtinent, & quartum ſecundum *Hornium*, (2) & *Bidloo*, (3) ſecundum alios, inprimisqve *Veſalium*, (4) *Spigelium*, (5) & *Diemerbrockium*, (6) quintum maxillæ ſuperioris os conſtituunt, & ſuperius oſſi frontis, à lateribus oſſi maxillæ ſuperioris ad mentem *Hornii*, (7) tertio, inferiore verò parte narium globulo, ſive cartilaginibus, modo per ſuturam veram, modo mendoſam, ſeu ſpuriam, modò per harmoniam junguntur. Intermedium verò, quod ſeptum etiam narium audit, ſuperius criſtæ galli opponitur, ex altera vero parte oſſi illi, quod vomer nuncupatur, connectitur, naresqve in duas partes, illarum diſtinctos meatus producentes, dirimit. Immobili huic naſi externi parti ex mobilibus cartilaginea jungitur, quæ communiter ex quinqve (8) cartilaginibus coaleſcere creditur, ita, ut duæ ſupremum occupent, eæqve latiores, & ubi oſſibus adſtant, rigidiores, molliores vero, ubi ad apicem magis vergunt, quippe carnoſam & ligamentoſam ſubſtantiam exprimentes; duæ latera forment, ſuperioribus interveniente membranoſo ligamento annexæ; una vero medium expleat, & à tertio naſi oſſe, ſive ſepto oſſeo, cui adſtat, protenſa, inter duas laterales cartilagines ad ſupremas aſſurgens, uſu & figura ſeptum repræſentet. *Lindenus* (9) eqvidem plures recenſet cartilagines, an verò acu rem tetigerit, iis, quibus talia rimari

(1) *Barthol. Lib. III. Cap. X. p. 527. Dion. Anat. Human. Corp. p. 386.* (2) *Microcoſm. §. 11.* (3) *Anat. Hum. Corp. Tab. 92.* (4) *de H. C. fabrica Lib. I. Cap. IX. p. 41.* (5) *de H. C. fabr. L. II. Cap. XII. p. 44.* (6) *Anat. L. IX. C. 8. p. m. 795.* (7) *l. a.* (8) *Veſalius Ejusd. p. 151. Spigel. Lib. III. C. 2. Riolan. Enchirid. Anat. Lib. 5. p. 314. Diemerbr. Anat. L. III. C. 19. p. m. 621. Thom. Barthol. Anat. L. III. C. 10. p. 530. Dion. Anat. p. 386.* (9) *Lib. I. Cap. XII. art. 1. § 13.*

mari melior occaſio datur, decidendum relinqvo. Id prætereundum non eſt, naſo, pro harum potiſſimum partium diverſitate, ejusqve variis partibus, diverſa ab ingenioſis Anatomicis 10) indita eſſe nomina, ita, ut ſuperior pars, qvæ oculis ambobus interjacet, naſi radix, oſſea portio, dorſum, hujusqve magis acuminata, ſpina, cartilaginea extrema, globulus ſive orbiculus, hujusqve latera pinnæ, ſive alæ, medio vero loco poſita carnoſa ferme pars, columna, itemqve ſeptum dicatur. Qvemadmodum autem, ut communem illum uſum, qvem nares aërem colligendo, & admittendo, odoratui præſtant, non attingam, oſſeæ partes, præterqvam qvod reliqvis fulcri loco ſint, ad formam vultus multum faciunt: ita cartilagineæ, uſu, qvem forma ab illis qvoqve ſibi pollicetur, non excluſo, inprimis eum in finem à ſagaci natura productæ ſunt, ut mobilitate ſua externorum duriorum occurſui cedentes, illorum vim eludant, nariumqve emunctioni commodiori ſerviant. 11)

los §. III. Hiſce partibus incumbunt, motum tam dilatantem, qvam conſtringentem, abſolventes muſculi, in qvorum numero determinando pariter diſſentientes invenio Autores. *Veſalius* 12) duo muſculorum ſuppeditat paria, primum qvidem, qvod & *Bartholino* primum, 13) & tam labio ſuperiori qvam alis naſi exterius inſertum, utraqve attollendo dilatat, alterum, qvod *Bartholino* & *Diemerbrockio l.a.* qvartum vocatur, & ſub interna narium membrana latitans, pinnisqve inſertum, narium conſtrictionem præſtat. Anatomicorum aliis, qvatuor numerantur muſculorum paria, 14) duo, qvæ abducunt, ſive aperiunt, duo qvæ adducunt & conſtringunt, (qvamvis *Spigelius* & *Bauhinus* orbicularem muſculum, ratione labii ſuperioris, cui ſimul implantatur, communem dictum, naresqve conſtringentem addant, ſicqve novem potius tradant) qvos inter tamen hanc noto diverſitatem, qvod alii tertium muſculorum par, ſive conſtringentium primum, qvod circa alarum radicem exortum ipſasqve perreptans, ubi ad ſummum pervenerit, in naſi globulum inſeritur, conſtringere, 15) alii nares dilatare 16) velint. Nec deſunt, qvi tria muſculorum paria, unumqve imparem muſculum, ſupputent, hunc nempe communem, ſex vero proprios muſculos conſtituentes. 17) Communis eſt, qvi ſupra *Spigelio* circularis, ſ. orbicularis nomine deſcribebatur; at reliqva muſculorum paria, vel exteriora occupant, & e diverſis locis enata, alarum externæ parti inſeruntur, aperiendoqve, vel attollendo ſimul, qvod ſuarum eſt partium, peragunt; vel interna occupant, unicum tantum, ſub tunica, qvæ nares cingit, deliteſcens, membranoſum 18) & exilisſimum, 19) pariterqve pinnis inſeritur, & conſtringendo munus ſuum explet.

§. IV. Muſculi hi, naribus proprii, teguntur exterius cute, totius corporis integumento communi, qvæ tamen id ſibi vendicat, ut tenera admodumqve delicata ſit, & pingvedine omni deſtituta, qvod eum in finem à ſagaci natura factum, ne pingvedine totius corporis aucta, & hac in parte eadem incrementum capiat, nitoremqve vultus deturpet. 20) Qvamvis nec improbabile ſit, & iſtud illius deberi defectui, qvod hyemali tempore aëris inclementiam experta, valde rubeat, 21) vel liveſcat, qvatenus ſangvis facilius frigore condenſatur, & coagulatur in parte hac, qvod, ſi vaſa hæc ſangvinem vehentia, pingvi & oleoſo ejusmodi foverentur corpore, tam facile non contingeret. Muſculis vero & cartilaginibus adeo firmiter arcteque *Cutem*

10) *Jul. Caſſer. Placent. Pentæſt. L. III. C. 10. Caſp. Bauhin. Theatr. Anat. Lib. III. C. 64. p. 455. Bidloo Tab. Anat. XIII. fig. I.* 11) *Hofmannus in Comm. ad Hornii Microc. §. LIV. p. 213. Bauhinus l. a.* 12) *L. II. p. 244.* 13) *Lib. III. C. X. p. 530.* 14.) *Barthol. l. a. Diemerbr. c. l. Spigel. Hum. Carp. Fabr. L. IV. p. 99. ſeq. Tab. Bidloo. Anat. XII. fig. IV.* 15) *Spigelius & Bidloo l. a.* 16) *Diemerbrockius & Hofmannus cit. loc.* 17) *Riolanus Enchir. Anat. L. V. c. 12. p. 353. Dion Demonſtr. Anat. 7. p. 387.* 18) *Bartholinus l. a.* 19) *Diemerbrockius c. l.* 20) *Barthol. Anat. Lib. III. c. 19. p. 600.* 21) *Dion l. a.*

ctéqve cohæret, ut ægre admodum ab his partibus cultri ope ſine dilaceratione removeri poſſit. 22) Incruſtatur hoc integumento integer naſus, qvantum oculos noſtros ſubit, & ubi extremitates ſive margines cartilaginis, qvæ ſeptum, ſeu columna mihi dicebatur, inveſtit, fungoſum & craſſum deprehenditur, pilisqve, qvi vibriſſæ Anatomicis audiunt, perforatur. Pilos hos, ita dictos autumat *Spigelius*, 23) qvod iis evulſis, caput vibretur, concutiaturqve, qvem qvidem effectum ſternutationi, pilorum horum extractioni ſupervenienti, in acceptis ferendum arbitror. Uſus harum vibriſſarum *Diemerbrockio* 24) & *Bauhino* 25) videtur, ut impediant, qvo minus culices, paleæ, aliaqva ſimilia interiora verſus facile trahantur. Qvi tamen uſus ridiculus ſatis foret, cum culices, hujusqve generis animalia, per hæc propugnacula vix ſe arceri patiantur, inſuperqve infantes à teneris per multos annos iisdem careant, qvibus tamen, utpote magis incautis, major longe earum foret neceſſitas.

& internæ concamerationis membranam.

§. V. Qvod internam narium ſpectat concamerationem, cingitur illa membranea qvadam tunica, qvæ duræ matris, fibris ſuis foramina oſſis ethmoidei tranſeuntis, propago creditur, qvatenus dictæ fibræ coeant, & ita coaleſcendo, tunicam illam, os crbiriforme, nariumqve interiorem ſuperficiem ambientem, 26) imo oris, lingvæ, laryngis, palati, gulæ qvoqve & ventriculi forment. 27) Hæc tunica, qva parte os cribriforme cingit, tot foraminulis, qvot os dictum, pertuſa creditur, 28) partim, 29) ut per ea ſpiritus cephalicus ad cerebrum aſcendat, partim, 30) ut excrementa cerebri per illa evacuentur: verum ſententiarum harum falſitatem, ubi de olfactus ſpeciali organo acturus ſum, demonſtrabo. Acuti tamen eam eſſe ſenſus, tam ratione, qvod nimirum continuatio ſit duræ meningis, qvam, experientia clarum eſt, qva conſtat, eadem leviter vellicata, ſtatim ſternutationem excitari. * At cui primario inſerviat, illius uſus erit, ut mucum narium, à glandulis ſecretum, per porulos ſuos mittat. Qvam ob rem à *Schneidero* qvoqve 31) pituitaria fuit appellata, non qvidem, qvæ *Schneideri* erat opinio, qvaſi cribri vel filtri inſtar, immediate ſeparet à ſangvine ſerum, uti accurate *Steno* 32) monet; ſed qvod mediantibus glandulis, è ſangvine ſecretam lympham, & à ductibus qvam plurimis brevibus, qvos mucifera vaſa nuncupat *Vieuſſens* 33) advectam, per porulos ſuos mittat.

§. VI. Vaſa, qvæ in naſum feruntur, triplicia ſunt, ratione contentorum à ſe diſtincta, qvatenus illorum qvædam ſangvinem, qvædam lympham tantum, qvædam ſpiritum animalem ducunt: hæc nervi, iſta ductus lymphatici, illa ſangvifera vaſa audiunt, & vel arterioſa ſunt, vel venoſa. Sangvifera qvod concernit vaſa, arteriæ à carotidibus, ſeu ſoporalibus, venæ à jugularibus, utrisqve externis pronatæ, nares ſubeunt, & tam partium harum nutritioni, qvam lymphæ ſecretioni inſerviunt. 34) *Illud notatu dignum eſt,* (loqvor verbis *Vieuſſens*, 35)) *membranam ſcilicet pituitariam, multo pluribus arteriarum propaginibus, qvam reliqvas oris partes, irrigari: ſiqvidem ea, ubi ſpatium poſticæ oſſis vomeris parti, & maximo oſſis occipitis foramini interjectum occupat, & ubi tum os, qvod vomer dicitur, tum narium, tum meatuum duorum, qvi à naribus ad fauces tendunt, interiora obducit, numeroſiſſimis vaſis ſangviferis intertexta apparet, qvæ in plexulos, hepatis uterini plexibus non abſimiles, abeunt, unde mirum non eſt, qvod hanc qvibusdam aqvoſis, lentisqve*

---

22) *Caſſer. L. III. Cap. III.* 23) *de Hum. Corp. Fabr. p. 4.* 24) *l. a.* 25) *Theatr. Anat. Lib. III. Cap. 64. p. 456.* 26) *Dion. l. a.* 27) *Barthol. L. III. Cap. 10. p. 531. Diemerbr. l. a. Vieuſſens Nevrogr. Univerſ. p. 100.* 28) *Spigel. L. X. C. II. p. 329.* 29) *Barthol. l. a.* 30) *Diemerbr. & Spigel. l. cit.* * *Bauhin. Theatr. Anat. L. III. C. 65. p. 460.* 31) *de Catarrh. L. III. Sect. II. & L. V. Sect. II. C. I. & aliis in locis.* 32) *de narium vaſis vid. Bibliothec. Anat. P. II. p. 663.* 33) *Nevrogr. Univerſ. Lib. I. Cap. XV. pag. 98.* 34) *Veſalius L. III. C. VII. pag. 286.* 35) *l. a.*

tisque ſuccis excipiendis, & excernendis aptam eſſe, dixerimus. Quæ nares irrigant vaſa, ipſis vel propria obſervātur vel communia magis. Illa *Stenoni* 36) debentur, eorum alia breviora, alia longiora dicenti, ita, ut breviora ſint ductus illi exigui, lympham mediantibus glandulis narium tunicæ ſubſtratis ſeparatam, ad tunicam dictam apportantes, longiora vero, (qvorum bina, in utraque nare unum notavit,) quæ ex radicibus glandularum ſub narium tunica diſperſarum, exſurgentia, in unum demum coaleſcant ductum, qvi ſub ductu lacrymali nervoſo, deorſum naſi verſus aſcendens, hinc ad anteriora declinans, in ſinum, intra elatiorem pinnarum cartilaginoſarum partem deprehendendum oſculo excretorio hiat. Probe tamen hic notandum, ſinum hunc non in hominibus à *Stenone*, ſed in ovibus ſolum, atque canibus fuiſſe viſum, ut adeo dubium ſit, an ad homines quoque hoc inventum ſit extendendum. Alium tandem his *Steno* ductum addit, lympham è naribus ad palatum abducentem, qui ad vomeris latera oritur, & circa dentium anteriorum radices in palato, ubi per tuberculum ſe prodit, exitum habet. Præter hæc naribus propria vaſa, etiam alia ipſis cum aliis partibus communia, Anatomicorum nobis detexit ſolertia. Siquidem *Steno* v. g. aquæ ductum, humorem, quo aurium interiora humectata fuerunt, ad nares deferentem, vasque illud, quod punctis lacrymalibus continuum, per os ungvis ad narium cavitatem pertingit, lymphamque, oculorum irrigationi, & motui celeriori à natura datam, redundantem, ad narium interiora vehit, delineat; *Dion* vero, 37) & *Tauvry*, 38) & illum à *Caſſerio* deſcriptum ductum, qui à cavitate oſſi frontis inſculpta oritur, uti & maxillarium ſinuum, & oſſis ſphenoidis hiatus allegant. Nec tamen his contentus eſt *Vieuſſens*, 39) utpote qui canalium ad fauces nareſque dehiſcentium, duodecim ſubminiſtrat, quorum tamen longiore enarratione ſuperſedeo. Omnes vero hæ recenſitæ partes ſenſum, motumque à principio vitali per nervos ad dictas partes allato, nanciſcuntur. Ea propter illud nervi, à ſecundo ramo quinti paris emiſſi adducunt, *cujus*, ut *Vieuſſens* loquitur, 40) *craſſioris ac interioris propaginis ſecundus ſurculus, per foramen peculiare calvariam juxta criſtam galli ingrediendo, craſſam meningem penetrat, cui veriſimiliter exiles quasdam fibras largitur, cum vix ab ipſa ſeparari poſſit, ac ſubinde è cranio exeundo, per unum è foraminibus oſſi cribriformi inciſis, tranſit, naſumqve ingreditur, in quo non in papilloſa carne, oſſis ethmoidis parti, cribri inſtar perforatæ ſubſtrata terminatur, uti placet experientiſſimo Diemerbrockio, ſed plures in fibrillas diviſus, per membranam interiora illius obducentem, diſtribuitur.*

§. VII. Sed antequam externas naſi linquam partes, illorum quoque hiatuum, aërem externum non ſolum admittentium, ſed eundem etiam, partim ad os cribriforme, partim ad fauces determinantium, mentio injicienda eſt. Aëri proin qui liberum concedunt aditum ductus, ad naſi extrema ſiti, omniumque conſpectui expoſiti ſunt, & in principio à cartilaginibus, globulum & alas naſi conſtituentibus, in progreſſu vero, à lateralibus narium oſſibus eodem modo poſitis, formantur, ubi tamen ſepto naſum in duas partes dirimenti, quod bini canales deprehendantur, in acceptis eſt ferendum. Meatuum horum uterque in duas progrediendo diſpeſcitur cavitates, altera illarum ad oſſa ſpongioſa, altera ad fauces dehiſcente, quarum uſus eſt, aëri viam tam pro reſpiratione ad fauces pulmoneſque, quam pro olfactu abſolvendis, ad hujus organon concedere.

§. VIII. Explicato naſo externo, internum quoque luſtrabo, illas nempe partes, quæ in ejus cavitatibus contentæ à naſo externo circumſcribuntur. Hæ vero ſunt oſſa tria, turbinata *Caſſerio* dicta, 41) tunica, craſſæ meningis propagine inveſtita, ac plurimis fibril- *Interni naſi ſtructura*

36) Tr. d. Narium vaſis vid. Biblioth. Anat. Part. II. p. 763. 37) Anat. p. 389. 38. (Anat. Rat. nov. P. II. c. 9. p. 367. 39) Nevrol. L. I. C. XV. p. 99. 40) Ejusd. L. III. C. 3. p. 172. 41) de Fabrica naſi L. III. C. XVI. p. 113.

fibrillis nerveis, à proceſſibus mammillaribus cerebri ductis, & dictæ tunicæ copioſe inſperſis, donata. Nec tamen ſilentio prætereundum eſſe, hoc loco cenſeo, os, Hippocrati propter ſimilitudinem foraminum *σπογγοειδὲς*, junioribus Græciæ Medicis *ἠθμοειδὲς*, ſimilitudine pariter foraminum, Arabibus ab uſu ſuppoſito Colatorium, teſte *Schneidero*, 42) dictum, in media frontis baſi ſitum, eademque membrana, qua oſſa ipſi adnata ſpongioſa inveſtiuntur, obductum, & ab Anatomicis multis, 43) contradicente licet *Schneidero*, 44) inter oſſa tam capiti, quam maxillæ ſuperiori, communia, collocatum. Siquidem os hoc, cum multis, omniumque oculis expoſitis perforatum ſit foraminulis, membranaque illud ambiens, ſecundum multorum opinionem, ſimilibus gaudeat hiatibus, Medicorum tantùm non omnes, ii præſertim, quos elapſa jam tum viderunt ſecula, crediderunt, aperta hic à natura eſſe exſculpta foramina, per quæ aëri odoribus impraegnato ad odoratum excitandum, 45) & ad recipiendum ſpiritum animalem, 46) via panderetur ad cerebrum, vel excrementa pituitoſa, ſeroſaque, cerebro moleſta, elabi poſſint, 47) ut alios ipſi aſſignatos uſus prætercam. Sed meliora nos edocuerunt recentiores Anatomici 48) propriis ſenſibus, loca illa omnimode eſſe impervia, fibriſque nerveis firmiter à tunica oſſiculum illud obducente, conſtrictis, arctiſſimeque cinctis ita oppleta, ne tantillum fluidi vel per foraminula hæc calvariam ingredi, vel ex eadem elabi poſſit, quemadmodũ hoc de omnibus calvariæ foraminibus, rationibus firmis, & experimentis certiſſimis *Vieuſſens* ſolide evincit.

organon proprium

§. IX. Jam igitur, quænam inter recenſitas partes jure odoratus organi titulo gaudere poſſit, decidendum eſt. Experimur tamen & hic, quod inprimis Medicinæ Antiſtitibus ſolenne eſt, quemlibet ſcilicet ſuo abundare ſenſu, aliis hoc, aliis illud ſenſus hujus organon ſupponentibus, ne dicam fingentibus. Nec antiquos antiquis, nec recentioribus recentiores ſuos adjeciſſe calculos, ex illorum ſcriptis affatim conſtat. Certe *Galenus*, 49) dum cerebri anteriores ventriculos, odores apprehendens & dijudicans organon proclamavit, (ut ut inter Anatomicos adhuc lis ſit, 50) an per *πέρατα* proceſſus mamillares, uti vult *Riolanus*, an nervos odoratorios, uti *Fuchſio* videtur, an cerebri anteriores ventriculos, uti aliis placet, intellexerit?) vix tantam apud omnes approbationem conſequi potuit, quin potius à multis, falſitatem doctrinæ ſentientibus, relinqueretur & confutaretur. 51) Illi, qui olfactus organon in ea poſuerunt cavitate, quam in frontis oſſe ad ſuperciliorum regionem, inter duas oſſis ejus laminas cernere licet, id ſua hac obtinuere ſententia, ut à *Veſalio*, 52) illuderentur. Sed has jam dudum exploſas opiniones, multis perpendere vix conveniens puto, maxime, quod ab aliis Scriptoribus ſufficienter convellantur, nec facile quiſquam reperiatur, qui adhuc cum adeo enormiter errantibus errare velit.

ab aliis ... triculi ... riores ce... bri

ab aliis ... vitas in ... fron...

§. X. Magis tamen ſtudioſa conſideratione illorum digna eſt opinio, qui proceſſibus mammillaribus odores percipiendi munus committunt, priſcorum pariter ac hodiernorum. An ad nervorum claſſem pertineant? ex antiquis multi dubitarunt, *Herophilo*, *Marino*, imo & *Galeno*, (quibus ex recentioribus *Schneiderus* ſuffragatur,) 53) *Veſalio* teſte id negantibus. Attamen vix illorum cauſas, ob quas è nervorum numero ejiciunt, ſufficere quilibet videt, & contrarium pene omnes

ab aliis ... ceſſus ... milla...

42) *de Oſſe Cribr. p. 3. 6. &c.* 43) *Bauhin. L. III. p. 287. Spigel. Lib. II. Cap. X. p. 42. Bidloo Hum. Corp. Anat. Part. VI. Tab. 92.* 44) *Ejusd. p. 25.* 45) *Veſal. L. I. C. XII. p. 50. Spigel. l. a. Bauhin. L. III. C. LXVI. p. 461.* 46) *Galenus teſte Schn. de O. C. p. 53. Barthol. Lib. IV. Cap. VIII. it. L. III. C. 10.* 47) *Diemerbr. Anat. L. III. C. 19. Dion. l. a.* 48) *Schneid. Ejusd. p. 47. 75. 511. &c. Vieuſſens L. I. C. 16. à p. 104. ad 107.* 49) *Lib. VIII. de V. P. C. 6. it. de Olfact. Organo.* 50) *Schneiderus de Oſſe Cribrif. p. 249.* 51) *Schneid. cit. Tract. Veſalius de H. C. fabr. L. IV. C. III. p. 325. Bohn. Circ. Anatom. Phyſ. Progymn. XXV. pag. 388. &c.* 52) *l. a.* 53) *Ejusd. p. 104. & 284.*

mnes moderni Anatomici 54) defendunt. Qvænam illorum ſint principia, 55) quæque textura, & ſi quæ ſunt alia, explicare, mei inſtituti non eſt; id ad rhombum eſſe videtur, ut paucis videam, an cavitate quadam donati ſint, nec ne? quippe quod in declarando olfactu multum lucis fœnerabitur. Cavitatem dictorum proceſſuum præter *Galenum* 56) e noſtri ævi Scriptoribus *Williſius* & *Diemerbroeck*, affirmant, 57) qui illos manifeſta cavitate præditos aſſerunt, tantaque, ut in vitulino, bubulo & ovillo capite facile calamum ſcriptorium admittant. Nec in homine illam cavitatem deeſſe *Diemerbrock* autumat, modo ſubjecta recenter interemta cultello ſubjiciantur anatomico, cum alias ſtatim, fibris ſe corrugantibus aut flacceſcentibus, ductus nullus inveniri poſſit. Et hoc fundamento *Diemerbrockii* aſſertum innititur, quo docet, hos proceſſus non eſſe nervos odoratorios, ſed tantum ductus, per quos pituitoſa excrementa e cerebri ventriculis anterioribus defluant, quæ ad eorum extremitates, per craſſæ meningis, ac osſium cribriformium ac ſpongioſorum poroſitates, ad nares & palatum elabantur. *Williſius* vero nervorum titulum corporibus iſtis non quidem reddit dubium; interim tamen cavitatem ipſis tribuit, per quam humor aquoſus, è cerebri plicatura exſudans, in hos canales derivatus, odorum impreſſiones, nimis acres, aut igneas, retundat ac contemperet: Imo hanc ob rem in pecoribus ac jumentis, quæ herbis veſcuntur, proceſſus mammillares ampliſſimos & ſemper aqua tumidos obſervari affirmat idem, ne herbarum odores, continuo ab illis attracti, cerebrum imbecillius labefactent & peſſundent.

§. XI. Verum hanc opinionem plurimum à veritate abeſſe, præter ea, quæ ex *Vieuſſens* §. VIII. citavi, & alio loco laudatus Autor 58) contra *Diemerbrockium* evincit, dicendo, in hydrocephalo confirmato, in quo ventriculi cerebri feroſa colluvie maxime infarciantur, humoris ejusmodi per proceſſus dictos in nares deſcenſuri, nullum notari ſtillicidium, nec in recentioribus cadaverum humanorum proceſſibus mamillaribus, cavitatem deprehendi, denique etiam ipſos in anteriores cerebri ventriculos aperiri, falſum eſſe. Ex quibus omnibus uſum, corporibus his à *Diemerbrockio* aſſignatum, ipſis minime competere, eaque contra recte nervorum numero adſcribi, concludit. Aſt *Williſium*, quamvis tecto nomine, celeberrimus *Bohnius* 59) notat, dum neutiquam ſeroſitatum evacuandarum, nec odorum, nimis acrium aut ignearum impreſſionum, hujus ſeroſitatis ope retundendarum & contemperandarum gratia, tubulatam proceſſibus illis datam conformationem, inde opinatur, quod ordinarie, & ſecundum naturam in ipſis, ac continuatis illis ventriculis, nulla coacervetur lympha, ſed vel morboſæ conſtitutionis, vel mortis generis productum ſit illa, prætereaque in ipſis nulla cavitas appareat in hominis proceſſibus, ſed hi ad ſenſum impervii ſint. Suo hoc jam tum tempore obſervavit *Veſalius*, 60) hinc Galenum quoque arguit, *quod minus anatomice per illos cerebri proceſſus pituitam ad nares ab ipſis anterioribus cerebri ventriculis deduci, ſcripſerit:* Et alibi, 61) ubi de ductibus, pituitam cerebri expurgantibus, verba facit: *Neque etiam ambigo*, inquit, *aliquem & hic admiraturum, quamobrem nullos adhuc meatus, pituitam ad olfactus organorum ſinus deducentes, enarraverim: quod ſane non ob aliud accidit, quam quod nullam prorſus pituitam per hos ſinus expurgari autumem, mirerque plurimum, qua fronte alii, per tenues illos ac nervis non abſimiles proceſſus cerebri, quos olfactus organo tribuimus, ab anterioribus cerebri ventriculis pituitam ad nares deduci, non erubuerint ſcribere, cum nullus omnino in ipſis meatus ſit, neq; etiam in hominibus ea conſtent craſſitie, ut vel meatum, quo pitui-*

54) *Spigelius d. H. C. Fabr. L. VII. C. II. p. 210. Vieuſſens Nevrogr. L. III. C. II. pag. 164.* 55) *Williſ. Nervor. deſcript. C. I. Bibl. Anat. T. II. p. 599. Diemerbr. Williſium taxans l. a.* 56) *Lib. VIII. de U. P. C. 6. & 7.* 57) *l. a.* 58) *Nevrogr. L. III. C. II. p. 164.* 59) *Circ. Anat. Phyſiol. Prog. XXV. p. 390. & 391.* 60) *L. III. C. III. p. 323.* 61) *L. VII. C. XI. p. 641.*

ta duceretur, habere poſſent. Inſuper tamen eleganter Excellentiſſim. *Bohnius* addit, exhalationes, aut ſpecies odoriferas, non per cavitatem, ſed latera & fibras medullares cerebro ingeri, ad quæ lympha talis, ſi modo detur, nequaquam perveniat.

§. XII. Miror interim, cur *Vieuſſens* ad *Williſium*, rationes inquirentem, quam ob rem nervi olfactorii in ove, vitulo, & pluribus aliis animalibus cavi, & majores, qvam in homine ſint? ableget, cum ejus rationes §. X. allegatæ vix tantum habeant ponderis, ut omnem de ſe dubitationem removeant. *Siquidem in homine nec tubuloſi deprehenduntur, nec ſero tumidi proceſſus dicti, quod tamen æque neceſſarium, ad acria effluvia odoriferorum contemperanda, ne cerebrum lædant, & excernendam ſeroſam colluviem, at in brutis foret*, quemadmodum pariter id ipſum contra hanc *Williſii* ſententiam, non nominato licet Autore, laudatus *Bohnius* urget. Melius proin & ego facturus ſum, ſi, cur adeo manifeſta cavitate, ſecus ac in homine, prædìti ſint hi proceſſus in brutis? determinare cum doctiſſimo *Bohnio* non audeam.

§. XIII. Sed miſſis his de cavitate illorum proceſſuum, munereque educendi ſerum è cerebro, controverſiis, an proceſſus hi olfactus organon adæquatum ſint, videbo. Pro illis pugnant magnæ auctoritatis Medicus, *Veſalius*, 62) & poſt illum plurimi Medicorum, e. g. *Caſſerius*, 63) aliis tamen ab hac opinione recedentibus & cum *Schneidero*, 64) membranam, ethmoïdeo, ſpongioſisque oſſibus inſtratam, pro vero odoratus organo ſurrogantibus. Equidem *Schneiderus*, non tunicam ſolam, ſenſationis noſtræ organon eſſe tradit, ſed ideo, & propter odoratus ſenſum ipſi tot tamque diverſos nervos à natura datos eſſe, quorum quidam à tertio nervorum pari, qui odorandi vi membranam hanc imbuant, quidam a dura cerebri meninge, qui ad ſenſum tunicæ narium multum conferant, exſurgant; removet tamen omnem uſum, quem in hac exercenda functione, à proceſſibus mamillaribus alii expectant, illosque per extremitates ſuas tunicæ huic inſeri, negat. Aſt alii, qui adhuc majore vel ſtudio, vel felicitate, in ſenſum hunc inquiſivere, rejiciunt quidem illam Antiquorum opinionem, qua tubercula illa papillaria olfactus organum aſſerebant; interim tamen illorum filamenta extrema, tunicæ oſſium ſpongioſorum inſerta, dictam membranam ad ſentiendum aptam reddere, atque ita plurimum hoc in negotio præſtare, affirmant. Et quamvis ita videatur, ac ſi fruſtra Veteres impugnarint hodierni Medici, quod eandem utrique foveant opinionem, & ſolummodo illi latiore, hi ſtrictiore unius rei denominatione uſi fuerint; nihilominus graves horum fuiſſe cauſas, ob quas ab illis receſſerint, ex Clariſſimo *Caſpare Bartholino*, paternæ eruditionis & gloriæ feliciſſimo hærede, palam fit, dum ita loquitur: 65) *Optime Thomas Willis olfactus organon dicit ramificationes proceſſuum mamillarium, ſed in membrana oſſium ſpongioſorum expanſas. Male vero alii plerique eosdem proceſſus mamillares ita organon dicunt, quaſi per oſſis cribroſi foramina elevata corpuſcula odora ibi nervos afficiant.*

ab aliis membrana creditur

§. XIV. Ut me expediam, id e re erit, ut jam membranam nominatam, nerveis his propaginibus & filamentis intertextam, eique ſubjacentia oſſicula, verbo, naſum internum, ſeu ſpeciale odoris organum, accuratius conſiderem, ſicque, quid harum partium unicuique in hac functione tribuendum ſit, tandem decidam. Scilicet in narium cavitate ſuperiore, à diverſis oſſiculis formata, anfractuoſa, & turbinata occurrit ſtructura, quæ, quo exquiſitius odorantur animalia, eo magis implicata, tortuoſa, elongataque deprehenditur. Oſſicula hæc, quorum

Auto[...] te[...]

62) *L. IV. C. III. p. 323.* 63) *Pentæſthes. L. III. de Fabrica naſi Sect. II. C. XVII. Vid. m. Spigel. L. X. C. XI. p. 329. Bauhinus Theatr. Anat. L. III. C. 19. p. 336.* 64) *de O. C. à p. 153. usque ad p. 168.* 65) *de vero Olfactus organo vid. Acta Hafnienſ. Vol. V. p. 61. Vid. m. Wedelius Phyſ. reform. C. XI. p. 388.*

rum tria in homine ordinarie deprehendi *Caſſerius* 66) prodit, è narium parietibus tenui initio oriuntur, oſſisque cribriformis foraminibꝰ appoſita videntur, ſed mox, dum deſcendendo craſſeſcunt, & quaſi contorquentur, in fine vero latiora fiunt, turbinis figuram ad mentem *Caſſerii* induunt, & ſub diverſa longitudine in narium cavum protenſa, undique, excepto principio, libera hærent. Jucundo ſane ſpectaculo, & non ſine inſignis admirationis concitatione, intuentibus ſe ſiſtunt hæc oſſicula; ſiquidem lamellas potius oſſeas, (neutiquam cartilagines, uti per avtopſiam patet,) fragiles admodum referunt, quæ in varios cylindros tubuloſos & ſemicirculos oſſeos convolvuntur, atque in teneriores alias ſquamulas dirimuntur, eoque ipſo narium cavernas in diverſos quaſi ſpecus labyrintheos dividunt, 67) & ita eleganti, & ſingulari hac ſtructura ad odoratum feliciter abſolvendum, multum contribuunt. 68)

§. XV. Turbinatam hanc oſſiculorum ſpongioſorum conformationem, ſingulasque eorum lamellas, indeque effictas cavitates, tunica quædam, à *Caſſerio* carnoſa, 69) à *Diemerbrockio*, & *Bohnio*, ſpongioſa & papilloſa dicta, inveſtit. Huic tunicæ, quæ propago duræ meningis eſt, odoratus organi titulum munusque tribuo, cum illius peculiaris textura, per quam à reliqua narium tunica diſtingvitur, diverſum plane & nobiliorem arguere uſum videatur. Neutiquam tamen tunicæ huic in ſe conſideratæ, ſed potius, quatenus ſibi medullares extremitates mamillarium proceſſuum commixtas habet, (quæ an in papillulas abeant? probabile quidem, ſed adhuc incertum) munus hoc injungendum erit. Equidem me non latet, diverſitatem hic non levem annotari, dum alii e. g. *Diemerbroeck* 70) & *Vieuſſens*, 71) tenuem & papilloſam iſtam carnem, ſub interiore narium tunica ſitam, cujus papillulas nervorum odoratoriorum extremitates ſubeant, quæque (ad ipſorum mentem) ſui ſimilem non habeat in toto corpore: alii 72) vero non dictam ſubſtantiam carneam, ſed huic inſtratam, fibriſque medullaribus nervi olfactorii inſtructam, ſimulque os cribriforme cingentem membranam, pro legitimo organo venditant. Verum cum caro hæc ſui generis, & plane ſingularis, nil aliud ſit, quam contextus glanduloſus, 73) huic, qua tali, tam nobilis uſus attribuendus non erit. Hinc quoque ſoli huic carni *Vieuſſens* munus hoc non concredidit, ſed nervi utriusque olfactorii propaginibus, in illa terminatis, tunicamqve illam, carnem hanc obtegentem, plane removet, qvaſi nervi olfactorii in illam non excurrant, nec tunica ab objectis, ob craſſos, qvibus illinitur, humores, & propriam craſſitiem, commoveatur, nec ſine inſpiratione, qvod tamen fieri deberet, ſi illa olfactus organon eſſet, odoratus abſolvi qveat. Sed ſciendum, me primo ſolum illam ſubintelligere tunicam, qvæ os cribriforme, ipſiqve annexa oſſa turbinata, illorumqve tubulos involvit, qvæ ſane hoc peculiare habet, ut, præterqvam qvod duræ meningis ſit continuatio, non ſolum nerveis fibris, à qvinto pari ortis, ſed & extremitatibus nerveis primi paris, iisqve plurimis, *Williſio*, *Bohnio*, *Dione*, aliisqve id evincentibus, obſita ſit; imo forte maximam partem ab iſtis nerveis fibris 74) conſtruatur. Qvibus poſitis, ſpõte ruit prima ratio, qva nervos ad nominatam tunicã porrigi negabat laudatus *Vieuſſens*. Nec ſecundo eſt, qvod ſibi metuat idem, ac ſi ob viſcidos, qvibus incruſtatur, humores, & propriam craſſitiem commoveri neqveat, cum, qvod hoc attinet, tunica hæc a dicta papilloſa carne, qvam tamen commoveri ipſe *Vieuſſens* admittit,

66) Pentæſthcſ. L. III. Sect. I. Cap. 16. p. m. 113. 67) Hoffmann. Comm. ad Horn. Microc. p. 214. 68) Caſſerius, ejusd. Sect. I. C. 18. p. 117. Schneid. de O. C. p. 83. Tauvry nov. Anat. rat. P. II. C. 19. p. 367. Dion p. 391. 69) Ejusd. Sect. III. C. 6. p. 143. 70) L. III. Anat. C. 19. pag. 625. 71) Nevrogr. C. II. p. 164. & 165. 72) Williſ. l. a. & de Anima brutorum C. XIII. de olf. p. 102. Bohn. libr. prog. 25. p. 391. Ortlob. Hiſt. Part. Diſſert. XXIIX. p. 222. Dion & Tauvry l. a. 73) Hoffmann. in Comm. ad Hornii Microc. p. 214. 74) Ortlob. l. a.

mittit, ſuam craſſitiem obtineat, adeoque citius longe tunica hæc cum filamentis nerveis, ipſi intertextis, quam ipſæ carnes commoveri valeant; quod ad illud vero, ſecundum naturam, non adeo copioſa ſeri evacuatio in toto naſo fit, (75) nedum in illis partibus. Imo cum in coryza & gravedine, ubi a ſero abundante partes hæ incruſtantur & oblinuntur, ceſſet olfactus, certo videmus certius, lympham ejusmodi in ſtatu naturali non adeſſe, quæ ſua præſentia organi commotionem retardare queat. Accedit, qvod, ſi ſecundum *Vieuſſens* pituitoſum hoc fluidum, membranam narium ſuperiorem occupans, obſtet, quo minus eadem commoveri poſſit, non minus idem obſtructurum ſit foramina illius, quibus diſtincta eſt, ne hæc permeare, & ad papilloſam carnem effluvia pervenire poſſint. Nec tandem illud omni exceptione majus videtur, quod ſine inſpiratione odorum perceptio fieri poſſit, ſi membrana prædicta organum olfactus eſſet, cum aëris ordinaria undulatio & ſuperficialis harum partium contactus, non ſufficiat ad tunicam illam fibrasque commovendas, ſed opus ſit, ut fortius tunicæ huic impellantur, non quidem, quo ad dictam carnem pervenire poſſint effluvia, ſed quo magis partes hæ agitentur, ſicque mediante hac agitatione, certior objectorum perceptio fiat.

§. XVI. Hæc igitur tunica, cribriformi turbinatisque oſſibus, & variis horum tubulis ſuccincta, ac plurimis undiquaque fibris nerveis medullaribus, a pari primo transmiſſis, inſtructa, proprium olfactus eſt inſtrumentum, ita tamen, ut plurimum dictis modo extremitatibus nerveis ſit tribuendum. *Probatur & explicatur ulterius.* Clare ſiquidem id ipſum probare videtur illarum numerus, & magnitudo, & ſtructura, pro diverſitate ſubjecti magis vel minus exquiſite odorantis, varians, quatenus animalia præ aliis in odoribus tam e longinquo, & exquiſitius percipiendis, quam aliorum odoratus inſtrumenta plane non afficientibus, dijudicandis celebria, proceſſus hos mamillares majores, illorum extremitates numeroſiores, longiores, extantioresque poſſident. Quemadmodum id de bove, pecore, capta, ſimilibusque, quæ herbaceis veſcuntur, *VVilliſius* affirmat, (76) & præ aliis in cane venatico illarum longe plures, magisque inſignes, notavit. Præter hos tamen nervos, in eandem etiam pelliculam, e quinto ſecundum *Williſium*, ſecundum Antiquiores vero, è tertio nervorum pari, exſurgentes ramificationes terminantur, quarum uſus, non, ut, quemadmodum *Diemerbrockio*, & *Schneidero* (77) arridet, vi olfaciendi hanc membranam donent, utpote quæ proceſſibus mamillaribus potius debetur; *Sed ut odoratus organon* (cum *Williſio* loquor) *cum aliis quibusdam partibus conſenſum habeat, quem nervi iſti ſubſidiarii propter multiplicem paris quinti ramificationem præſtare ſolent.* Hanc enim potiſſimum ob cauſam arcta illa, quam cum guſtu olfactus habet, cognatio oritur, quæ ſane ex eo redditur manifeſta, quod miniſtrare hic illi, in rebus vel aſſumendis, vel illarum viribus alias ob cauſas dignoſcendis, ſoleat, & complura quod corpora, guſtum excitantia, effluvia quoque, odores producentia, de ſe ſpargant: imo partes hæ, tam quæ nares, quam quæ lingvam afficiunt, ſimili fere modo, organa ſua commoveant, jam ſvaviter & blande, jam contrario modo, ac proinde ejusdem naturæ eſſe videantur, prout hæc egregie Excellentiſſimus *Bohnius* (78) ediſſerit. Quam fortaſſis neceſſitudinem, quæ cum guſtu olfactui intercedit, non parum adjuvat, quod non ſolum utriusque objectorum baſis ex parte eadem ſit, ſalia videlicet, quæ illam conſtituunt; ſed quod etiam ad utriusque ſenſus perfectionem eadem requiſita pertineant, ita, ut, quemadmodum guſtus objecta a ſaliva ſolvi, & linguæ ad palatum dentesque applicatione papillulis nerveis magis impelli; ſic odorem quoque excitantia corpuſcula, tam ab aëris, quam narium humiditate ſolvi, atque ad activitatem diſponi, reſpirationis ope vero

(75) *Steno de narium vaſis, Bibl. Anat. T. II. p. 765. Dion Anat. p. 389.* (76) *Nervorum deſcript. C. I. Bibl. Anat. T. II. P. IV. p. 600. vid. m. Bauhin. Theatr. Anat. L. III. C. XIX. p. 336.* (77) *de O. C. p. 169.* (78) *l. a. Vid. m. Schneid. de Off. Cr. p. 360.*

vero tunicæ narium vehementius allidi, debeant.

§. XVII. Organum priusquam dimittam, quid labyrintheæ illæ cavernæ, tubuloſaque ſtructura, ab oſſibus turbinatis, illorumque lamellis, & foliis oſſeis formata, ad odoratum conferant, videndum erit. *Williſius* profecto vix audiendns, quando halitus paulatim, & per manipulos tantum admitti, perque diverſos narium anfractus traduci debere, aſſerit, ne forte confertim irruentes, ſenſorium acrius feriant; cum, qua ratione effluvia illa acredinem ſuam, ab intrinſeca natura, textura, figuraque dependentem, intra hos anfractus pro transmittendis libere his corpuſculis ſatis amplos, deponant, vix pateat, tunicaque præterea illa, plurimis filamentis nervoſis ornata, omnes dictos ambiat anfractus. Magis igitur, (relictis pariter, ut incertis ſatis, a *Caſſerio* (79) & *Schneidero* (80) allegatis uſibus,) hoc loco audiendus doctiſſimus *Steno*, (81) qui cavernarum harum & anfractuum a dictis oſſiculis formatorum, & membrana olfactus organon conſtituente obductorum plures a provida genitos aſſerit natura, quo in tam exiguo ſpatio, odoribns percipiendis dicato, ampla, lataqve contingat ſuperficies, ad quam, utpote magis latam, atqve extenſam, adeoqve majorem, major quoqve aëris, effluviis odorabilibus, quæ ſecum vehit, imbuti copia allidi, acutiorque hinc odoratus produci poſſit. (82) *Quo enim major*, inquit *Bartholinus*, (83) *tunicæ narium fuerit ſuperficies, eo plura nervoſa extrema in eam terminari poſſunt, pluresque aëris particulæ, in eandem impingere.* Hinc etiam laudatus Autor in venatico exquiſitiſſimi ſenſus cane, inextricabilem & plane innumerabilem lamellarum, in ſemicircularem figuram curvatarum, progerminationem, & circumvolutionem invenit, & animalia olfactu excellentia, oſſicula talia, cucullum, vel concham veneris figura referētia, ſemper plura, longiora, magisq; contorta poſſident.

§. XIIX. Jam porro diſquirendum, quodnam illud ſit, quod organum odoratus in nobis afficiendo, ſenſum odoris excitet? Illi Philoſophorum, qui reconditiora naturæ phænomena ſcrutantes, effectus abditos certis quibusdam formis ſubſtantialibus, quas ut ſpirituale quid depingunt, attribuunt, odores, non tanquam reales quasdam & materiales ſubſtantias, ſed nudas qualitates intentionales, ſubſtātiarumq; accidentia, conſiderant, quaſi quidem e corporibus non re egrediantur vera ſubſtantiæ quædam, ſeu particulæ, ſuis dimenſionibus trinis conſtantes, ſed ſolum illorum corporum quædam ſpecies, ſeu ideæ, quæ in odoratus organon agerent, & ita ſenſum hunc producerent. Sed cum nullum noſtrorum organorum a talibus qualitatibus, extra relationem ad corpora, quibus inſunt, perpenſis, afficiatur, ſed omne, quicquid in ea agit, id reali ſuo præſtet contactu, non irradiatione, uti *Helmontius* de quibusdam ſuis loquitur arcanis, hypotheſeos hujus, quæ nec ſapit, nec olet, confutationi pluribns non vacabo, cum id ab aliis jam dudum factum, norim. (84)

Objectum non intentionale quid

§. XIX. Rectius igitur facturus ſum, & verius cum accuratiſſimis recentiorum Philoſophorum affirmabo, olfactus objecta eſſe realia quædā, quamvis exigua valde a corporibꝰ ſecedentia corpuſcula, quæ in aëre, tanquam adæquato ſuo vehiculo quaſi circumnatantia, unaque cum illo ad nares delata, ſenſum illum efficiant, quem olfactum dicere ſolemus. De illorum enim exiſtentia vix hodie quisquam dubitat, & ſi quis forſan adhuc ſit, qui illam ambiguam reddere conetur, is clariſſima a *Boyleo* & *Bohnio* argumenta, firmiſſimaq; probationum pondera adducta inveniet, quorum auxilio omnes ſibi motas dubitationes disjicere queat. Quapropter circa illam adſtruendam, ne actum agam, non multum laborabo. Id tamen innuo, quod, ſi ab omnibus, quamvis graviſſimis,

ſed reale eſt. *Probatur.*

(79) *L. III. Sect. III. C. XV. 142.* (80) *de Oſſe Cribr. p. 85.* (81) *Myol. ſpecim. p. 142.* (82) *Bohn. Ejusd. p. 392. Hoffmann. in Comment. ad Horn. Microc. §. 54. p. 215. Tauvry Anat. P. II. C. 9. p. 367. Dion. Anat. p. 391.* (83) *de Vero olf. organ. Vid. Act. Hafn. Vol. V. p. 61. ſeq.* (84) *Bohn. l. a Ortlob. Hiſt. Part. Diſſert. XXVII. p. 221.*

mis, duriſſimisque corporibus, perpetuo ſeparari quasdam partes quoad ipſam materiam a toto,cui ante ſui ſeparationem inerant, neutiquam diverſas, admittamus, quod quidem facere ex principiis adhuc inconcuſſis & ſumme probabilibus,cogimur; nemo dubitare poſſit, quin a corporibus fragrantibus, licet compactis, perpetuo ejusmodi ſubtiliſſima corpuſcula avolent, aut minimum avolare poſſint, quæ inter corpusq;, e quo emanabant, quoad corporeitatem,(liceat philoſophico vocabulo uti) nullum occurrat diſcrimen. Et hæc, ſi de ponderoſis, duris,fixisque corporib9 admittantur, nulla probatione pro realitate emanantium e rebus mollioribus, fluidioribusq; corpuſculorum opus erit. Cui enim ignotum, vel aquas quasvis fragrantes, præſertim ſi liberiori aëri exponantur, non ſolum continuo particularum exceſſu odorem ſuum amittere, ſed etiam ob conjunctum ſimul craſſiorum partium ſeceſſum, notabiliter imminui? Quis ſalia volatilia, ſpirituoſaque liquida, plane tandem evaporare & conſumi neſcit? Camphoram,fragrantiſſimum concretum, brevi temporis ſpatio aliquid molis & ponderis perdere, quis eſt,qui inficias ire velit? Quibus omnibus inſigne, ni fallor,addit robur, quod odora corpora tam laxa gaudeant textura, per quam particulæ odoriferæ ſibi invicem, vel aliis, ita cohæreant, ut vel a leviſſime movente e corporibus ſuis expelli, & atmoſphæram fragrantem reddere poſſint. (85)

Objectio §. XX. Sed cum, uti fieri ſolet, nunquam res, quibuscunque ſuperſtructa ſit fundamentis, adeo firma ſit, quin a diverſum ſentientium objectionibus petatur, mirandum non eſt, ſi & hæc opinio pari fruatur fato. Siquidem vix poſſibile quibusdam videtur, tam amplum aëris tractum, qualis ſæpe ejusmodi effluviis turget,a veris rerum odoratarum corpuſculis imbui, & imprægnari poſſe, cum totius corporis eadem emittentis moles, cum tanta effluxuum copia vix æquari poſſit, interim tamen ipſum, quod maximopere falſitatis aſſertum meum arguit, nullum quantitatis patiatur decrementum,licet haud interrupta ſerie per longum ſatis tempus odores emittat. Verum,ſi miram illam corpuſculorum talium teneritudinē, & exilitatem, qua & viſum & guſtum tanquam ſenſus craſſiores fugiunt, perpenderent, vix hæc objectio ipſis crucem figeret. Innumeris ea experimentis evinci, ſi opus foret,poſſit,ſed ne longior ſim, unicum tantum, quo melius res percipiatur, ſubjungam. *Reſp.* Illuſtriſſimus Angliæ Philoſophus, *Boyleus*, 86) illud mihi commodabit, quod ſequenti modo ab ipſo adornatum legi. Aſſumſit videlicet guttulam unam eſſentialis ſive deſtillati olei cinamomi,& ope ſacchari vino commiſcuit, quæ, etiamſi in duas vini libras fuiſſet fuſa, manifeſtum nihiloſecius retinuit cinamomi ſaporem. Unde unam partem olei,ſpecificum, ex quo deſtillatum erat, aromatis ſaporem, quatuordecies mille vini partibus communicaſſe collegit. At non ſolum particulæ hæ vino commiſſæ ſaporem producebant; ſed & per vaſtam aëris plagam eædem diſperſæ, odorem inſigniter excitabant. Ex quibus omnibus ad oculum ſtupenda illa particularū, quarum ferme inenarrabilis copia unicæ olei guttulæ inerat, ſubtilitas patet. Et eo magis experimentum hoc exiliſſimam illam odoriferorum corpuſculorum molem arguit, quo magis, reſpectu olfactus, craſſum eſt guſtus inſtrumentum, majorq; longe particularum ſapidarum præ odoris moles deprehenditur. Siquidem evidentiſſimum eſt, odoratus objecta tantæ eſſe teneritudinis & ſubtilitatis, ut nec guſtus organon commovere valeant, & proinde,ſi forſan lingvæ allidantur,a nobis ne quidem attendantur. Hinc ſequi videtur, particulam, quæ ea ſui exiguitate guſtum afficit,ut, ſi adhuc ſit dividēda & ulteri9 ſecanda, guſtus objectum eſſe deſinat, id eſt, in illius organū ob exilitatem agere non poſſit; in copioſiſſimas adhuc particulas odoriferas eſſe diviſibilē. Præ omnibus tamē id in prædicto experimento obſer-

(85) *Bohnius Ejusd. p. 385. Robert. Boyle de Atmoſphæris corporum conſiſtentium.* (86) *De Natura determinata effluviorum p. 35.*

obſervandum, quod, quamvis ſtupendam, ratione tenuitatis ſuæ, aquæ vel vini molem imprægnaverit: ea ipſa tamen guttula longe majorem, imo vaſtiſſimum aëris tractum hac imbuere vi potuiſſet, quatenus aër, admodum tenue, ſubtile, partibusque raris, laxisqve conſtans eſt fluidum, aqua vero, & vinum, ſimilesque liquores magis craſſi, condenſati, & ratione partium ſibi magis contiguarum & implexarum viſibiles, tangibiles, admodumque ponderoſi redduntur.

...objeſolu...tio

§. XXI. Nec illud diſſentientium argumentum, quod ſcilicet nullum ponderis, molisque decrementum patiantur corpora, tantam effluviorum catervam, quæ magno aëris tractui imprægnando ſufficiat, emittentia, adeo firmum eſt, ut meam de materialitate effluviorum odoriferorum aſſertionem evertat. Potius, quo minus illud ponderis, & molis corporum odoratorum decrementum notari poſſit, ſtupenda illa effluviorum ſubtilitas impediet. Nec minus fraudi erit, inſtrumentorum, quibus illud explorare ſolent, ineptitudo, ac minus accurata ſtructura, cujus vitio pondus illud, quod ſeceſſit, minimum, obſervari non poteſt. Tum & accuſanda fortaſſe erit minus curata ἀκρίβεια, in rebus ponderandis, ab iis, qui in Staticis ſatis non ſunt verſati, adhibita; aut in partem culpæ venient alia corpuſcula, quæ egreſſorum loca ſubintrant, deperditorumque vices, atque ſic etiam pondus ſupplent; vel ipſæ etiam lances, pariter effluxuum illorum continua ſeparatione ponderis ſui temporis tractu jacturam facientes, accuratam exacte ponderis imminuti dijudicationem, impedient. Quodſi enim exquiſite fabrefacta, & philoſophica bilance, odora ejusmodi examinentur corpora, notabilem illa ponderis ſui pati jacturam, experiri licet. (87)

...ulo- ...dora- ...de- ...tio.

§. XXII. Jam ſi ulterius progrediamur, exploraturi, quænam ſpecialiter magis corpuſcula odores efficiant? aut quæ baſin omnis odoris, quocunque demum modo & habitudine naribus noſtris ſe inſinuet, conſtituant? iterum, ſi liberet, implicari poſſem controverſiis, dum particulas igneas, & ſulphureas, imo & mercuriales ab Autoribus adductas invenio. (88) Sed his ſepoſitis, omnium odorum radices eſſe partes ſalino-ſulphureas, cum aliis celeberrimis rerum phyſicarum Scriptoribus ſtatuo. Aſſertum hoc, uti facili negotio confirmatur, ita omnium, qui in chymicis paulum ſunt verſati, aſſenſum ſibi pollicetur. Siquidem inductione conſtat, omnia odora corpora intertextas habere partes oleoſas, pingves, ſulphureasque, quæ levi opera ex illis eliciuntur, noſtrisque ſenſibus ſubjiciuntur. Patet hoc præſertim exinde, quod omnia odorata corpora, vel tota inflammabilia ſint, vel partes ſaltem quasdam inflammabiles conjunctas habeant, cujus rei certiſſima documenta omnium trium Regnorum producta reddere poſſunt. (89) Nec minus ſulphurearum & inflammabilium particularum vim, & in rebus olentibus præſentiam probat, quod corpora omni ſulphure orbata, ſive a natura, ſive per artem talia fuerint, inodora omnino deprehendantur. Quippe in deſtillationibus, extractionibus, aliisque partium ſulphurearum a concretis ſeparationibus, magma reſiduum, ſeu caput mortuum, vel omni odore, vel plurimo, pro diverſa menſtruorum activitate, majoreque, vel minore in concreto ad diviſionem reſiſtentia, ſpoliatũ cernitur.

§. XXIII. Hæ tamen ſulphureæ particulæ nunquam ſibi relictæ effectum allegatum, ſive odoratum producunt; ſed ipſis ſemper combinata ſunt ſalina corpuſcula, utpote quæ ſulphuribus ſolvendis potiſſimum inſerviunt. (90) An vero ſibi tantum relicta ſalia, ſine ulla pingvium, vel ſulphurearum, particularum conjunctione, odorem moveant, uti quidam ſentiunt, & exempli loco, urinoſa ſalia ex animalibus, aut ſale ammoniaco effecta, ac ſtudioſe ab omni adhærente oleo ſeparata, nihilominꝰ tamen penetrantiſſimum odo-

An Salia ſola odorem movere queant.

(87) *Boyleus de Corp. Conſiſt. atmoſph. per integrum.* (88) *Jul. Caſſ. Placent. L. III. Sect. II. C. VI. VII. VIII. &c. Wedelius Phyſ. reform. C. IX. p. 387.* (89) *Etmull. Tom. I. p. 145.* (90) *Wedelius Pharmac. L. II. Sect. 6. C. V. p. 232.*

odorem excitantia, adducunt, vehementer dubito, cum, ſi ſpiritus ejusmodi volatiles, omnino macri, & ab omni oleo ſeparati ſint, quod tamen fortaſſis difficillime obtinebimus, (91) credam fore, ut non æque ii olfactus organa eodem modo afficiant, quali ad odoratum producendum opus eſt; ſed potius eadem, reliquamque naſi tunicam inſigniter vellicent, & pungant, inſtar euphorbii, vel ſi crines illorum locorum evellantur, hincqve etiam ſternutationem, ſeri lachrymalis ac narium ſtillicidium generent. Nec diſſentire videtur Cõſummatiſſimus *Bohnius*, (92) qui talia ſalia volatilia, licet ne quidem de abſolute macris loquatur, in excitatione hyſtericarum vel ſyncopizantium, primo *quidem ſua rodendi activitate, tunicam narium ſenſilem vellicando, nec alia ratione, ac frigidæ aquæ aſperſionem, pilorum pubis vellicationem* &c. in iisdem operari, affirmat. Particulæ igitur ſalino-ſulphureæ ſunt, quæ ad omnes odores formandos concurrunt, & odoratorum baſin conſtituunt.

Partes ſalino-ſulphureæ debent eſſe ſolutæ.

§. XXIV. Quo vero in olfactu perficiendo, munere ſuo dictæ ſalino-ſulphureæ partes, rite fungãtur, ut illæ in motu ſint conſtitutæ, neceſſarium maxime eſt. Quamdiu enim illæ firmius ſibi in corporibus cohærent, & cum aliis partibus craſſioribus arctius copulantur, ita ut ad impetum irruentis aëris externi, non prompte auferri, & cum ipſo uniri poſſint, tamdiu odorem omnino nullum producunt, quemadmodum id in cornu cervi, omnibusque ferme cornuum animalium generibus, aliisque ſolidioribus concretis contingit. Hinc talia concreta tunc demum, ſi vel ab igne, vel a menſtruo quodam, vel trituratione, frictione, contrarii ſalis additione, vel quocunque demum modo, intimius commoveantur, & particularum harum minimarum ſeceſſus promoveatur, odorata reddi poſſunt. Quod ſi vero quis corpora odora figere, liberisque ipſorum odoriferis moleculis, compedes injicere, atque adeo motum illarum impedire ſciverit, is haud ægre tunc omnem ipſis facultatem odores gignendi demere poterit, quale quid in camphora cum oleo vitrioli ſoluta fieri, celeberrimus *Bohnius* docet. Corpuſcula proinde hæc odorifera, ſi quidem odoratum fieri velimus, ab aliorum, quibus detinebantur, vinculis liberata & ſufficienter agitata eſſe debent, quo nimirum ab aere, odorum vehiculo, abſorberi, imbibi, & ad narium cavitatem una cum eo devehi poſſint.

Medi… quod… perci… tur, a…

§. XXV. Siquidem id fluidisſimum hoc, & continuo in motu conſtitutum corpus, ad odoratum confert, ut, ſicut alias ad moleculas objectorum ſatis exiguas divellendas commodum exiſtit movens, & hic partibus ſuis, ut ut nobis inſenſibilibus, corporum odoratorum ſpatiola ſeu poros ſubintret, niſuque ſuo diverſo, & vibratione, mobiliora in laxioris texturæ corporibus, minusque cum aliis connexa, implicataque illorum minima protrudat, ſibi adjungat, ſecumque rapiat, & per aqueas ſibi interpoſitas partes, magis ſoluta, ad narium cavitatem ducat. Sigulare vero quid aër, ratione humiditatis ſuæ, ipſi tantum non ſemper, licet jam in majori, jam in minori copia, admixtæ, in odoratu adjuvando præſtabit. Cum enim ſalia ſecundum axioma phyſico-chymicum Helmontii non ſaliant, niſi ſoluta, (93) i. e. non agant, quamdiu ſicca, vel non reſoluta, atque adeo vel ignis, aquæ vel aëris ſolutione indigeant: hic eadem humiditate ſua, vel aqueis vaporibus, quos incredibiliter diſcontinuat & vibrat, & tanquam appropriata menſtrua adhibet, longeque aliter, quam ſi in aquam ſpiſſiorem coagulati fuerint, impellit, ſolvendo, movendo, & hactenus inertia, & non adeo activa corpuſcula in motum concitando, ipſis illam vim in ſulphura agendi largiri quaſi, aut ad minimum, intendere videtur. Sed quod evidentius longe ab aëre præſtari obſervamus, eſt, quod inſtar vehiculi odoratos ejusmodi effluxus, ipſi innatantes,

ad

(91) *Bohn. Diſſert. chym. I. p. 13. it. Diſſ. XIV. p. 390. Barnerus Chym. p. 45. 46. Etmullerus T. I. p. 342.* (92) *Circ. Anat. Phyſ. Prog. 25. p. 389.* (93) *Wedel. Pharmac. L. II. Sect. VI. C. VI. p. 234. Barnerus Chym. p. 37.*

ad nares devehat. Experientia enim compertum habemus, quod alius longe & contrarius omnino in organis noſtris, excitetur effectus, pro diverſo venti, vel ab organo ad objecta, vel ab objectis ad organum, tranſitu. Hoc, ut accurate, illo, ut moderate, vel plane non effluvia odorifera perſentiſcamus, efficitur. Exempla Illuſtris *Boyleus* (94) ſuggerit, dum canes venaticos, corvosque pro vario hoc aëris motu, jam magis, jam minus odoribus affici, teſtatur. Nec parum addit roboris, ſi inſigne iſtud conſideremus ſpatium, quod viridaria, amœnos hortos, fragrantes ſylvas, noſtrasque ſubinde interjacet nares, his nihilo minus, favente inprimis vento, effluvia odorata ex locis illis diſperſa ſentientibus. Sic Indias qui viſitarunt Orientales, ventum a littore præſertim reflantem Inſulæ *Ceylan*, cinamomi aliarumque fragrantium rerum fertilis, odorata corpuſcula advexiſſe, multis quamvis milliaribus adhuc ab ea remoti, non ſine ſumma jucunditate, teſte iterum *Boyleo*, 95) animadverterunt.

iratio §. XXVI. Aër igitur odorata effluvia ad nares noſtras defert. At tantum abeſt, ut ſibi relictus, ſeu ordinario ſuo motu agitatus, organon odoratus mediantibus illis, quas ſecum vehit, particulis, ſufficienter pulſet, ut potius, *Ariſtotele & Galeno* mihi adſtipulantibus, 96) ne fortiſſimi quidem & denſiſſimi vapores naribus immediate excepti ſenſui huic excitando ſine inſpiratione ſufficiant. Ea propter ad olfactum ſemper requiritur, ut aër corpora noſtra ambiens, reſpiratione ductus, nares ingrediatur. Imo poſtquã *Lovverus*, teſte *Needham*, 97) cani arteriam aſperã præſcidit, eamq; vulnere ſanato extrorſum vertit, ut non per os nareſve aërem ducere, ſed per ſolum guttur potuerit; canis vero ita & vocem & olfactum, quamvis deterrimis ſollicitatum odoribus, amiſerit: vix quisquam de abſolute ad olfaciendum neceſſaria reſpiratione, amplius dubitabit. Et quamvis *Caſſerius*, 98) reſpiratione nequaquã ad olfactum, tanquam cauſa, ſine qua non, opus eſſe, cum *Ariſtotele* 99) dicat, naturamque præter ſuum inſtitutum ad odorandum reſpiratione abuti, prolixe ſatis, variisque argumentis contendat: attamen, cum ejus argumenta a celeberrimo *Bohnio* ſolide ſint confutata, inſuperque, quod *Caſſerius* affirmat: nos, quamvis natura alii membro reſpirationem decreviſſet, nihilominus naſo olfacturos, aperte falſum per *Lovverianum* illud experimentum reddatur; nec meum aſſenſum, nec confutationem promeritus eſt. Cur vero adeo ea neceſſaria ſit, *Schneiderus* 100) innuit, inquiens: *Illa aeris attractione ſemper opus eſt ideo, ut hic tanto majore vi cavitates ſinusque* (*narium ſc.*) *permeare, & tunicam tanto acrius poſſit laceſſere.* Quæ verba ſequentibus Naturalis Philoſophiæ Principis, *Boylei*, egregie illuſtrari poſſunt, dicentis: *motum effluviorum ex quibusdam ſatis odoratis corporibus exſpiratorum, nimis lentum eſſe ad ſenſibilem in odoratus organo impreſſionem faciendam; niſi vapores illi, ad nares majori vi feriendas, adjuventur ab aere, eos tum impellente, quando nares fluenti ad inſtar ſubintrat in inſpirationis actu.*

§. XXVII. Modus tandem odoratus in eo conſiſtit, ut effluvia hæc ſubtiliſſima, ſulphureo-ſalina, e corporibus olidis emiſſa, ab aëre tanquam vehiculo excepta, & cum illo, inſpirationis tempore, ad narium interiora delata, in copioſis illis cavernulis, ab oſſibus turbinatis, eorumque lamellis, formatis, membranam ſenſilem, carnoſam ſive glanduloſam dictam, huicque inſertas extremitates medullares nerveas mamillarium proceſſuum vellicent, pungant, moveant, adeoque in iis hærentibus ſpiritibus animalibus motum quendam imprimant, qui ab ipſis ad cerebrum usque delatus, hunc inibi ſenſum, quem odoratum dicimus, efficit. In motu ergo hoc membranæ, nervorumque, & inde dependente ſpirituum agitatione, ac perceptione, formalitas odoratus conſiſtit. Hinc eſt, quod pro varia particularum odo- *Modus* *Odorum varietas.*

94) de inſigni efficacia effluv. p. 47. 95) de natura determ. effluv. p. 35. 96) Valeſius libro Controv. Med. & Philoſ. II. c. XXVI. p. 105. Schneid. d. O. C. p. 241. &c. 97) de formato fœtu C. VI. vid. Bibl. Anat. T. I. p. 566. 98) Pentæſt. L. III. Sect. II. Cap. III. 99) Lib. de ſenſu C. V. 100) de Oſſe Cribrif. p. 242.

odoriferarum, vel inter ſe, vel cum aliis combinatione, textura, figuraque, jam ſuperficialiter ſolum, blandeque vellicentur & titillentur, jam profundius penetrentur, ſcindantur quaſi & pungantur, verbo, jam hoc, jam alio modo commoveantur dictæ partes; indeq; ſpiritus quoque noſtri nunc in moderatum, nunc turbatum, exceſſivũ, utroſq; pariter multiplices, & tantum non innumeros cogantur motus, ſicque demum odoratus oriatur, jam ſvavis & gratus, jam gravis, nobisque adverſus, & injucundus, iiq; iterũ multis modis diſtincti. *effectus diverſus.* Diverſæ huic organi, ſpirituumq; commotioni debemus peculiares illas idioſyncraſias, quibus fit, ut huic ſubjecto plane adverſetur, quod alteri ratione odoris placet & amœnum eſt. Sic ut plurimum ſexus ſequior ſvaveolentia, ambram, moſchum, & alia, quæ marib9 plurimis in deliciis ſunt, reſpuit, ita, ut ſi illa quandoque odoratæ ſint fœminæ, paſſiones hyſtericas, aliaq; mala incurrant. Nec rara ejusmodi ſunt exempla, odoratus diſcrimẽ in diverſis ſubjectis docentia, ſed quotidie ferme occurrunt, & apud curioſos phænomenorum phyſicorũ indagatores, aliosque inveniuntur, ad quorum ſcripta horũ cupidos ablegabo. 102) *nunc à ſtructura.* Quod vero tam diverſa in partibus hiſce oriatur agitatio, variæ conformationi, & ſtructuræ membranæ illius carnoſæ, ipſique inſertorum filamentorum nerveorum adſcribendum eſt. 103) Quanta enim varietas in membranæ narium ſtructura, tanta eſt varietas in impreſſionis illius, ab objectis factæ, receptione, & inde tot odorum & odoratus exſurgunt differentiæ. Varietas ſiquidem hæc commotionis organi, dum incolas partium illarum diverſa ratione afficit, variæ quoq; ab odorib9 excitantur alterationes quibusdã gratæ, quibusdã nauſeoſæ & noxiæ.

nunc a ſpiritibus dependens. §. XXIIX. Quanquam negandũ non eſt, dari caſus in quibus organon inſons tã mirabilis alterationis cauſa nequaquam ſit habendum, dum v. g. quidam vini odore non minus, ac ſapore antea inſigniter delectati, poſt illius abuſum, illud ſine enormibus alterationibus odorari non poſſunt; vel dum alii conſervam quandam, e. g. roſarum, quam antea in deliciis habebãt, aſſumto cum illa ſub boli forma purgante fortiore, vel vomitorio, plane reſpuunt, & illius odore ſtatim nauſeam & vomitum ſibi conciliant, nulla tamen organi facta commutatione. His igitur in caſibus, ſolis fortaſſis ſpiritib9, diverſimode ab his objectis commotis, & agitatis, culpa imputãda eſt, qui, dum in priori caſu blande & moderate à vino afficiebantur, in jucundum & temperatum convertebantur motum, ab illo vero nimia in quantitate aſſumto, quocunque demum id fiat modo, læſi, poſtea, ad illi9 etiam odorem, non niſi in irregularem, & præter naturalem motum concitabantur, ſicq; ſymptomata hæc triſtia producebant. In altero, ſimilibusq; caſibus fit, ut, dum a particulis illis, ſive ſaporibus diverſis corporum, cum aliis, nobis alias gratis rebus permixtorum, male afficiuntur, & in motum irregularem nauſeæ vomitusque cauſam agitantur, iidem ſpiritus poſthac quoq; ſuppeditatis ſolummodo iis corporibus, ſub quorum tegmine illa ſpiritibus noſtris adverſa latitabant & agebant, ſtatim in motum eundem, qui in ipſis ab utriſq; conjunctim excitabatur, ruant, ſicq; eadem denuo ſymptomata creent. Sed nec in illis caſib9, dum v. g. alii a caſeo, alii a carne ſuilla, cereviſia, fele, ſolo etiam odore perceptis, abhorrent, quas tamẽ res alii ferre poſſunt, ſemper talis organi conformatio, quæ ab horum corporum effluviis peculiares, & ſpiritibus adverſas commotiones reciperet, in culpa erit, quatenus quandoq; læſiones quædam ſpirituum e.g. terror vel gravidarũ vel infantum, ob inopinatum felis vel adventum, vel clamorẽ: nauſea, a carnium, caſei, ſimiliumq; rerum vermibus ſcatentium adſpectu excitata id efficiunt, ut talia ſubjecta, objectorum horum odores plane non ferre poſſint, quibus tamen læſionibus organon odoratus immutari vix ſibi quisquam perſvadebit.

CAP.

(101.) *de inſigni effic. effluv. Cap. IV. p.47.* (102.) *Rhod. Cent. III. obſ. 99. Boyleus de inſign. effic effluv. p. 53. Schenk. L. 3. obſ. 401. Schneid. de Oſſe Cribrif. p. m. 365. usque 370. Panarollus Pentec. 4. obſ. 28. Salmuth. Cent. 3. obſ. 14.* (103.) *Etmull. Tom. I. p. 146. Williſ. Nervorum deſcript. C. I. Bibl. Anat. T. II. p. 600.*

CAP. II.

De

CORYZA.

§. I.

NUnc ad morbos odoratus digrediar, ſed eorum tantum præcipuos ſeligam, cum ordine omnes recenſere modos, quibus ille ſenſus lædi, & vel aboleri, vel diminui, aut depravari ſolet, inſtitutum meum haud admittat. Ordiar autem a Coryza, malo, frequenter admodum, diuque ſæpe nos vexante, quod, ut alias minus fiat, & inter catarrhos pertractari ſoleat, huc etiam commode refertur, cum ſæpe ita nares infeſtet, ut inde olfactus prorſus pereat. Circa hujus denominationem & explicationem, ſi, quod Doctiſſimus *Scaliger* ediſſerit, *dilucidam nempe vocum interpretationem rerum intelligentiam aperire*, ſtrictius obſervare anniterer, pluribus verbis hærere, variasque in medium proferre derivationes, quas coryzæ vocabulo applicari penes Autores legimus, neceſſe foret. Siquidem alii a ſono & ſibilo, ſeu illo ſtridore, quem edi inter emungendum ab ejusmodi coryza laborantibus notamus; alii *ἀπὸ τȣ̃ κορύζειν*, quod mordere & lacerare Latinis eſt, alii aliunde coryzæ nomen deducebant. Verum litem hanc meam non facio, ſed Philologis decidendam linquo, præſertim cum mea nil referat, quæcunque demum notioni huic aſſignetur origo, modo de eo, quid ſub hac voce hodiernis intelligatur, mihi conſtet. Nec alia, quibus, ut idem ſignificantibus, Autores uſi ſunt, vocabula ſcrutabor, cum talium cupido vel ſolus *Schneiderus* a) ſatisfacere poſſit; ſed illud ſolum adjungam, me coryzæ nomini gravedinis vocem ſubinde ſubſtituturum, & ſub illorum nominum ſynonymico conceptu naſi catarrhum fluxionemve tractaturum. Tot enim graviſſimi Scriptores, imo totus fere Practicorum cœtus, promiſcue nomina hæc in deſcribendo morbo eodem, uſurpantes, facile me, ut eandem appellationem adhibeam, commovere potuerunt. Eſt autem Coryza, ſeu Gravedo, catarrhus, vel narium fluxus, viam odoribus intercipiens, quo lympha, ſive ſerum ſangvinis, per arterias advecti, ope glandularum conglomeratarum, ſeu vaſculoſarum, narium tunicæ interiori ſubſtratarum, p. n. ſecernitur, & per ductus excretorios a *Stenone* & me Cap. I. §. VI. deſcriptos, porosque nominatæ membranæ, ad narium cavitates ejicitur. *Deſcriptio.*

§. II. Subjectum hujus affectus narium interior membrana, una cum glandulis ipſi ſubjacentibus, harumque ductibus execretoriis, conſtituit. Per hujus enim membranæ poros quemadmodum ſecundum naturam lympha quædam a ſangvine, dictarum glandularum ope, ſeparata, exigua tamen copia, inſipida ferme, & mediocris conſiſtentiæ, ſecernitur: ita pariter in præternaturali ſtatu, dum narium catarrhus nos infeſtat, ſerum copioſius, tenuius utplurimum principio, temporis tamen tractu ſpiſſius redditum, jam inſipidum, jam acre, ex iisdem fontibus exſtillat. *Subjectum*

§. III. Equidem antiqui, imo & multi neotericorum, cum *Galeno*, b) & locum, unde coryzæ veniret materia, & cauſam efficientem, cerebrum, utpote omnium catarrhorum fontem, credebant, quaſi ſcilicet ab ejus intemperie, præſertim frigida, & humida, ſive naturali, ſive acquiſita, indeque debilitata facultate alteratrice, humores pro ejus nutrimento allati non concoqui poſſint, ſed in excrementum quoddam pituitoſum, aqueum, aliusve generis, convertantur: aut vapores, a ſtomacho ob hujus frigiditatem, & hepatis caliditatem elevati, in aquam per oſſis cribriformis foramina ad narium cavum, a cerebri expultrice facultate, pondere hujꝰ peregrini fluidi, vel alio modo aggravata, & irritata, protrudendam, cogantur. c) Verum hanc de catarrhis, & coryza antiquorum opinionē, quā *execrandā doctrinæ* *Cauſa ex opinione Veterum*

a) de catarrhis L. V. C. I. p. 5. &c. b) L. 3. de Cauſ ſympt. c) Burnett. Th. Med. Pr. L. III. p. 282. Sennert. L. I. Med. Pr. II. C. 34. p. 718. Helmont. Catarrh. Deliram. p. m. 267. &c.

medicæ hæreſin Helmont. dicit, hic pariter, ac doctiſſimus *Schneiderus*, acriter & prolixe impugnarunt, & rejecerunt, d) adeo, ut nihil, quod regeri quidem poſſit, ſupereſſe videatur. Et quod vias morboſæ affectus noſtri materiæ deſcenſui inſervientes concernit, & dictus modo *Schneiderus*, & ego, ex *Vieuſſens*, §. VIII. & XI. Cap. I. illas omnino inpervias, oſſisque cribriformis foraminula adeo obſtructa & clauſa eſſe, ut nec tenuiſſima lympha, nedum craſſior mucus per ea ſecerni poſſit, probatum dedimus. Suffragantem inſuper habemus *Schneideri* experientiam, qva gravedinoſorum hominum non minus, qvam brutorum diſſectas calvarias, apertaque cerebra in nullo ſuorum receptaculorum, vel ventriculis, membranis, aut mammillaribus proceſſibus, humorem quendam, illi, qui coryzæ tempore eliminatur, quoad texturam, aliasque qualitates ſimilem, continere, certiores reddimur. e)

Autoris

§. IV. Quapropter his miſſis, proximam coryzæ cauſam ſtatuo ſtimulum & irritationem illarum, per quas lymphæ fit ſecretio, partium, membranæ ſcilicet narium glanduloſæ, & tubulorum ejus excretoriorum. Cum enim ea membrana, non duræ tantum matris propago ſit, multasque nervorum ramulos admittat, & exquiſiti admodum ſenſus ſit; ſed & variis præterea externis injuriis (ut internas læſiones taceam) nullo non tempore expoſita; ideo fit, ut ab impreſſo eidem tunicæ vario ſtimulo, & hinc orta fibrarum motricum contractione, ex glandulis, tanquam tot ſpongiolis digitis compreſſis, lympha à ſangvine arterioſo ſeparata uberius exprimatur, & continuo motu, nova ſubinde lympha in evacuatæ locum ſuccedente, rivus hic ad nares derivetur. Quod eo minus mirandum, ſi curioſiſſimo microcoſmicorum fontium, rivulorumque indagatori *Nuckio*, f) credens, glandulas has conglomeratas, ipſis arteriis minimis continuatas, ipſasque arterias varie complicatas, contortasque dicam. Sic enim facile pateſcet, glandulas has, ſive ipſas arteriolas, vaſcula talia formantes, ad motum hunc violentum, ipſis arteriis communicandum, continuitatis neceſſitate teneri, quo ipſo contingit, ut irritatæ arteriolæ ſe conſtringentes ſangvinem copioſius adducant, motum illius accelerando, & ad hæc loca magis determinando.

Cauſæ ... cedent... teri...

§. V. Poſſunt autem cauſæ omnes, tunicam narium prædictam irritantes, commode ad interiores, externasque reduci: illæ, communes coryzæ cum cæteris catarrhis, hæ, magis propriæ deprehenduntur. Si interna cauſa adfuerit, vitium præſertim in humoribus corporis noſtri, ſangvine ſeroque latet, utpote qui vel quantitate, vel qualitate, motuve peccantes, varios in machina noſtra animata catarrhoſos affectus gignere valent. Id tamen in gravedine contingere videtur, ut, vel ob internam vel externam, quæ frequentior, cauſam, humores quantitate, vel qualitate peccantes, ad narium cavum copioſius ducantur, & deponantur, aut ſub naturali copia ſecreti, acrimonia ſua, vel alia ratione, teneras illas partes lacerent, conſtringant, aut irritent, ſicque exceſſivum lymphæ effluxum & ſecretionem procreent. Sed hæc morboſa humorum conſtitutio tantum non innumeras agnoſcit ipſam antecedentes cauſas, quæ horum heterogeneorum admixtorum non ſolum fœcundæ matres ſunt; ſed & ſpirituum humorumque vitiatum tam inteſtinum, quam progreſſivum motum efficere, ſicque materiam peccantem ad partem quandam depellere poſſunt. Primum fere inter easdem locum aër obtinet, qui jam frigiditate ſua, jam humiditate, vel ſubitanea harum, aliarumque qualitatum mutatione, aut alia prava conſtitutione humores alterare, tranſpirationem impediendo augere, aut nimis aquoſos reddere, nimium commovere, ſicque gravedini anſam dare ſolet. Accedunt huic & alii, in rerum in primis non naturalium uſu commiſſi errores, qui chylificationem lædere, ſangvinis ſerique naturalem craſin

d) Helmont. in eod. Tract. Schneiderus Libr. de catarrhis, & de Oſſ. Cribr. paſſim. e) Libr. ſpecial. de catarrh. p. 217. f) Adenogr. curioſ. p. 9.

craſin ſubvertere, vitale principium conſumere, vel alio modo turbare, partes quoque ſolidas afficere, (ut rerum naturalium huc inclinantium mentionem haud faciam) ſicque catarrhoſum corpus efficere poſſunt. Præcipua, quæ ad hanc morboſam diatheſin ſymbolum ſuum conferunt, ſunt, v. g. vini meracioris immoderatus uſus, balneum calidius, natationes, veſtimenta madida corpori circumjecta, ſomnus diurnus, vigiliæ nimiæ, lucubrationes, motus corporis, animiqve inordinati, acriora alimenta aſſumta, compotationes exceſſivæ, morbi qvoqve, e. g. ſcorbutus, lues venerea &c. g) a qvibus omnibus catarrhum qvemvis, adeoqve & gravedinem, produci poſſe, experti affirmant. h) Qva ratione cuncta hæc operentur, mei non eſt, ut inqviram, cum id a ſcopo & officio meo remotiſſimum ſit, utpote qvi neutiqvam univerſalem catarrhorum doctrinam promiſerim, ſed particularem ſaltem illorum affectum explicare in animum induxerim. Idcirco hæc, melioris ſolum perceptionis gratia, in medium prolata mitto, illarum cauſarum, qvæ ſpecialiter magis ad noſtrum morbum generandum concurrunt, ſcrutinium aggreſſurus.

§. VI. Faciunt id omnia, qvæ extrinſecus, qvocunqve etiam id fiat modo, læſionem internis narium partibus, variis diverſorum objectorum injuriis expoſitis, inferre poſſunt. Qvod dum fit, & qvia tunc ſpeciali magis infortunio, narium dictas partes pati obſervamus incommodum, cauſas qvoqve has ſpeciales nuncupamus. Externarum harum cauſarum princeps pariter aër, corpora noſtra circumſtans, deprehenditur. Siqvidem is, dum viam illam per narium cavum, reſpirationis tempore, legere cogitur, vario modo conſtitutus, variisqve, plus minus heterogenis, particulis inqvinatus, membranam illam interiorem, acuti admodum, uti ex theoria prioris Capitis inclareſcit, ſenſus, vellicare, pungere, aliove modo lædere, & ita coryzam efficere poteſt. Id ſane hyberno inprimis tempore obſervamus, aëri peculiarem ineſſe molliores corporis noſtri partes lædendi vim, qua fibras cutaneas carneasque lacerando, & ita earum texturam naturalem ſolvendo, perniones, fiſſuras, malaque alia, interdum ſatis gravia, inducit. An vero hæc aëris vis, in ſola partibus corporum omnibus inducta quiete, an in nitroſis admixtis corpuſculis, quæ ſpagyrica arte *Gaſſendus* & *Bartholinus* i) e nive eduxerunt, aut alio quodam principio conſiſtat, decidere non audebo. Præſertim, cum quævis harum opinionum, uti ſuis gaudet rationibus, ita ſuis quoque diſtrahatur difficultatibus. Potius mei erit officii, quidnam ad morbum noſtrum aër conferat, & qua ratione illum producat, explanare.

§. VII. Præterquam autem, quod fluidum illud aëreum, uti §. V. dictum, multis aquoſis particulis inquinatum, dum maſſam ſangvineam inſpirationis tempore majore ſeri copia imbuit, aut, dum frigiditate ſua corporis noſtri poros conſtringendo, atque ſic tranſpirationem tam ſenſibilem, qvam inſenſibilem prohibendo, corpora ſeroſa reddit, k) ad varios catarrhoſos affectus diſponere poteſt; narium quoque interiora motu ſuo, impetuque, & frigiditate ſua, brumali inprimis tempore, ita lædere valet, ut dolores, hosque inſequentes fibrarum membranæ, glandularumque contractiones, hinc ſeroſam illam pluviam excitet. Ex his autem cauſis, ſi coryza ortum ducat, vix in unum tantum ſubjectum ſuam exercebit tyrannidem, quin potius plura eandem, epidemice tum graſſantem, experientur. *ex quo catarrhi epidemici* Quamvis negandum haud ſit, aërem, & hos ſimilesqve effectus, magis in uno, quam in alio corpore edere poſſe, prout vel narium delicata magis textura, vel corporis ſingularis conſtitutio, aut per diætam, ætatem, &c. inducta cujusvis diſpoſitio, id admittunt. Sæpius tamen fit, ut aër non epidemio laboret vitio, ſed ejus tantum tractus quidam

g) Rhod. Cent. I. obſ. 88. h) Sennert. Med. Pract. L. I. P. C. III. 34. p. 718. Burnett. Theſ. Med. Pract. L. III. p. 282. River. Prax. L. IV. C. 5. p. 282. Ettmull. Tom. II. p. 742. i) Schraderus Diſput. de frigore. k) Sanctor. Sanct. Medicin. Stat. Sect. II. aph. L. LI. &c. Fernelius de morborum cauſis L. I. C. XIII. p. 192.

quidam, a variis heterogeneis partibus, plus minusve noxiis, & rodentibus, depravatus, coryzæ noſtræ occaſionem præbeat. Hoc ii præſertim experiuntur, qui in chymicis laboratoriis, vel metallorum fodinis, officinis ærariis, lapidicinis, ſimilibusque locis viventes, una cum aëre, mercuriales, arſenicales, metallicas, pulverulentas, aliasque acres, acidas, corroſivasque particulas, membranas narium, & ſub his reconditas glandulas copioſas, perpetua vellicatione, & irritatione, ad fibrarum criſpaturam, eamque inſequentem glandularum compreſſionem, hincque ſeri excluſionem ſtimulantes, inſpiratione hauriunt. Sic conſtat, ſubinde errhina acriora, aut ſternutatoria, qualia ſunt, quæ multum euphorbii, & helleb. albi recipiunt, immodice & nimis frequenter uſurpata, coryzam, quale exemplum *Diemerbroeck* adducit, l) generare. At, non ſola irritantia dictam tunicam excretioni huic p. n. occaſionem ſubminiſtrant, ſed & quæ atoniam partibus illis inducunt, morbum hunc generant. Huc præ reliquis aëris frigidi cum calido ſubitanea mutatio pertinet, utpote cujus efficacia contingit, ut partes hæ modo laxatæ ita tandem reſolvantur, ut vis illa retinendi plane aboleatur, ſerumque ſponte quaſi elabatur.

coryzam diſtingvit in humidam

§. VIII. Pro illa vero diverſa materiæ excernendæ conditione, & qualitate, pariter, ac agendi ratione, variæ gravedinis fiunt differentiæ. Quando enim ſerum illud p. n. excretum libere membranæ narium internæ poros tranſit, perque narium foramina fluit, & ſic multis aqvoſis, paucis vero vel nullis craſſioribus, gelatinoſis magisque terreſtribus conſtat particulis, humidam, aut etiam tenuem vocant coryzam: at quando ob multas glutinoſas aliasque terreſtres partes ipſi combinatas, & ſeri tenuioris defectum, mucus difficilime per tunicæ dictæ foramina exprimitur, nec libere per narium cavum fluit, ſed inibi hærendo, partes obſtruit, ſpirandi difficultatem, & loquelæ vitium inducit, ſiccam craſſamve, vel pituitoſam vocant gravedinem.

& ſiccam

Has circa coryzæ differentias illud obſervandum venit, quod plerumque, teſtibus *Ludovico Mercato*, m) & *Etmullero*, n) initio morbi, etiam in ſicca & craſſa coryza, tenuis quædam lympha exſtillet, quæ tamen temporis quodam ſpatio elapſo, & humiditate abſumta, magis ſpiſſa, & craſſa reddatur. Cujus rei ratio fortaſſis hæc eſt, quod tenue illud ſerum, propter exiles ſuas moleculas, facile per glandulas, & membranæ poros colari, & defluere poſſit, craſſa interim lympha relicta inepta ſit, ut per vias anguſtas libere proficiſcatur, inſuper etiã, qvod admodũ tenax eſt, undiqve adhæreat.

frigid calid

§. IX. Lympha hæc, vel potius cadaver lymphæ, ſive tenue ſit, ſive craſſum ſi nullam, vel non adeo manifeſtam conjunctam habeat acrimoniam: inſipidam, vel frigidam; ſi vero eandem contraxerit: acrem & calidam reddit coryzam. Solet autem utplurimum talis acrimonia, calorem in illis partibus efficiens, ſub tenui & fluido magis tegmine latitare, ita, ut tenues catarrhi ſemper fere acres, & ut veteres loquebantur, calidi deprehendantur; at quando inſpiſſatum magis, viſcidumque ſerum eſt, tum inſipidam, & frigidam dictam format gravedinem, vel quod nulla acria corpuſcula adſint ſerum diſſolventia & fundentia, vel quod acrimonia illa a glutinoſa nimis lympha incruſtetur, atque ita ad agendum inepta reddatur. Id vero acris quandoque coryza vindicare ſibi ſolet, ut effluvia quædã contagioſa emittat, quæ ut *Etmullerus* o) cum *Helmontio* ſe exprimit, fermenti obtinent naturam, ita ut iſta miaſmata aliorum naribus quocunque id fiat modo affricta, & communicata, vi ſua fermentante & multiplicabili, ſerum quoque per narium tunicam filtratum corrumpant, partes illas irritent, & ſic ſimilem iis morbum adferant. *Hinc eſt*, inquit *Crato*, p) *quod vulgus in Germania hoc ſciens, non facile ex eodem poculo, e quo coryza laborans potum hauſit, bibat.* Verum, quæcunque demum adſit coryza, ſi plures ob eandem magis univerſalẽ, non

---

l) de morbis capitis & thoracis Diſſert. 21. hiſt. 2. m) Tom. III. L. II. p. 161. n) Tom. II. pag. 743. o) Tom. II. p. 754. p) Epiſt. a Schulz. edit. Cap. VI.

non tamen vernaculam cauſam afficiat epidemiæ nomine inſignitur.

...a cauſarum. §. X. Signis, quibus dignoſcatur coryza, haud indigemus, cum ſtatim morbus nobis innoteſcat, nullusque illo affectus deprehendatur, qui non probe ſciat, quo malo laboret. Qvo tamen Medicus certior fiat, an ab interna, an externa cauſa ortum ducat; an tenuis, acer, craſſus, aut inſipidus ſit narium catarrhus: certa quædam ſigna, quorum adminiculo ad horum omnium cognitionem venire poſſit, noſſe ipſum decet. Idcirco, ſi ab interna cauſa, vel ſola, quod rarius fit, vel conjunctim agente, producatur, per ſigna, omnibus catarrhis æque propria, ſi nimirum æger ſæpius defluxionibus fuerit obnoxius, ſi capitis gravativus dolor, ſenſuum torpor, aurium ſonitꝰ, frigus ſub cute, febris catarrhalis, veſpertino tempore ingraveſcens, ſi vagus & lancinans (in acri catarrho) artuum dolor cum phlogoſi, cibi faſtidium, vel jam adſint, vel adfuerint, ſimilesque notas, facile cognoſcitur. Externam vero cauſam ipſe vel ægrotans exponet, dum varias, quas paſſꝰ eſt, aëris injurias fumi metallici, arſenicalis, mercurialis, pulverisve, aut ſimilium heterogeneorum cum aëre attractionem, ſternutatorii exceſſivũ uſum, ſimilesque cauſas inquirenti Medico manifeſtat, vel Medicus anni tempus, aliasque circumſtantias attendens, dijudicabit. Tenuem acremque coryzam ipſe liquor aquoſꝰ, ſponte & continua ſerie e naribus fluens, indicabit. Nihilominus tamen coryzæ hujus acrimonia pruritu præſertim, *nariumque,* ut *Schneiderus* loquitur, *æſtuantium verminatione,* totius faciei rubedine q) & capitis calore, r) non minus, ac crebra ſternutatione, s) a tunicæ narium irritatione, & convulſione ortum ducente, ſe prodit.

§. XI. At ſi ſicca, inſipida, & pituitoſa ægrum invadat coryza, neutiquam tale quid percipitur, ſed *nulla excellenti qualitate,* ut *Joel* ait, *moleſta eſt,* ejusque loco gravativus capitis dolor t) adeſt, non, quod craſſa materia, per oſſis, quod cribrum formâ refert, foramina colanda, inibi, iisdem obſtructis, hæreat; ſed quod ſangvis, ſi interna cauſa adſit, ad ſuperiora delatus, particulis acribus vel viſcidis, non vaſa minus, quam membranas capitis ægre afficiat, circulumque ſuum minus recte obiens, moleſtiam illam, quam dolorem nuncupamus, inferat. A qua conjectura non alienum reperio *Ettmullerum,* u) quando demonſtraturus, quomodo, a læſa tunica narium caput in conſenſum trahi poſſit, (ſive ab externa ſive interna cauſa proveniat gravedo) auguratur, a tubulis illis nerveis, nariũ membranæ intertextis, vellicatis, corrugatis, & criſpaturis convulſivis affectis, matrem etiam cerebri duram, hiſce tubulis continuam, ſimili ſpaſmo criſpari, indeque dolorem capitis gravativum, caput quaſi ſtringentem, & jam in toto capite, jam altero ſaltem hemiſphærio notandum, prout vel dexter vel ſiniſter meatus affectus fuerit, oriri. Huic dolori ſe poſtmodum color faciei ſubalbidus, & juxta *Lommium,* w) extimæ narium partis frigus, ambo ſeri pituitoſi effectus, nariumque obſtructiones, reſpirationem per easdem liberam impedientes, odoratum tollentes, & vocem quoque vitiantes, jungant, ſuaque præſentia pituitoſam adeſſe coryzam demonſtrant. Interim prorſus negandum non eſt, & viſcidum mucum acredinem ſibi quandoque conjunctam habere poſſe, ratione cujus ſymptomata acri catarrho ſolemnia, licet gradu differentia, generet, quemadmodum & tenuem coryzam ſine acrimonia adeo manifeſta, & rodente dari poſſe, ratio omnino, tum certe, cum ſola externa cauſa partes illas delicatas lædens eam efficiat, ſvadere videtur.

§. XII. Quod ad Prognoſin coryzæ attinet, omnes Practici bono nos eſſe jubent animo, experientia confirmati, aſſenſum præbentes Medicorum Ciceroni *Celſo,* dicenti: *deſtillat autem humor de capite interdum in nares, quod lene eſt.* x) Cogor tamen au- *Prognoſis.*

 dire

q) *Mercatus Tom. III. L. II. C. I. p. 159.* r) *Joel Lib. II. Prax. Sect. III. p. 214.* s) *Lommius Medic. obſ. L. II. p. 98.* t) *Celſus L. IV. C. 4. p. 191.* u) *Tom. II. p. 753.* w) *l. a.* x) *Lib. IV. C. IV. p. 190.*

dire judicium magni illius Hiſpanorū Medici, *Mercati*, inquientis: y) *Utcunque ſit, cavendum eſt, ne nimium protrahatur affectio: quippe ſi conſvetudinem capeſſerit, graviſſimos & difficiles morbos ſequi neceſſum erit, omnium tamen graviſſimos, ſi quæ ſluant, acria, mordacia, ſalſuginoſa, nitroſa, vel nimis tenuia fuerint, aut viſcida & plurimum adhærentia: quippe in ulcerationem protinus ducit partem, ad quam fluit, & majora mala accerſit.* Diverſæ nimirum dantur circumſtantiæ & conditiones, quæ morbum hunc, alias leviſſimum, curatu faciliorem, vel difficiliorem, periculoſum, vel minus talem, reddunt. Certe, ſi interna cauſa ſimul ad noſtrum morbum gignendum concurrat, ita, ut vel ſeri nimia copia, vel acrimonia ſcorbutica, vel venereum virus in tali corpore latitet, difficilior longe inde productæ gravedinis erit curatio, cum fomes ille internus ſui non tam promptam extinctionem admittat. Hinc malum facile redit, & ob partes, a crebriori hoc morboſæ materiæ ad eas delapſu debilitatas, habituale fit, imo non raro fœda & periculoſa narium ulcera producit. At ſi ſoli cauſæ externæ ortum ſuum debeat malum hoc, aëris nempe inclementiæ, aut ſimili, longe levius erit iſtud, z) niſi pariter ejus violentia ita læſæ & debilitatæ partes fuerint, ut medelam difficilius admittant, recidivæ interim, olfactum magis obtundenti, facile obediant. Ætatis ratione decrepiti ſenes difficilius longe morbo hoc, uti ab omnibus catarrhis, liberantur, *Hippocrate* jam dudum, parvo ipſorum ſolatio, gravedines in valde ſenibus, concoctionem non admittere, affirmante. Hinc *Franciſcus Ranchinus* dicit: *Cum pepaſmi difficilia ſint initia ſenectutis, fit, ut deinde paulatim eatur ad extremam cruditatem in decrepitudine.* a a) Et ex eodem *Hippocrate* idem aſſerit, gravedinem in ſenectute eſſe ex numero morborum diuturnorum, ac proinde ſenes comitari usque ad mortem. In iis namque non ſolum omnes digeſtiones in corpore minus rite peraguntur, ſangvinisque motus inteſtinus langveſcit, ſed & glandulæ corporis laxiores admodum, ad ſerum, catarrhorum materiam, excipiendum valde ſunt aptæ, & cum laxitas hæc a naturalis roboris defectu, e langvore & inopia ſpirituum orto, maximam partem proficiſcatur, fit, ut partes illæ ſerum non rite continere queant, ſed illud ſponte emittant. Cui accedit, quod in ætate magis provectis, humorum omnium major notetur acrimonia, ratione cujus facile teneræ hæ partes rodi, & ad contractionem, ſerique excluſionem diſponi poſſint. Aſſerti tamen hujus univerſalitatem exempla contraria, ſubinde occurrentia, labefaciunt, quorum notabile in *Nicolao Leoniceno*, plus quam nonagenario ſene, e *Braſſavola* bb) *Schenkius*, cc) & *Rodericus a Fonſeca* dd) *ſiſtunt*.

§. XIII. Medici vero officii eſt, ut & hujꝰ affectus, quamvis levis, medelam ſciat, eamque advocatus exerceat. Idcirco ægris ordinata convenienti, & in quibusvis catarrhis congrua diæta, ſi internum adſit humorum vitium, hujus correctionem non minus, ac cauſarum antecedentium, & occaſionalium remotionem Medicus moliatur. Primæ ſcilicet viæ ſi ſaburra & cruditatibus refertæ chylum corruptum gignant, hincque eodem ſangvinem, ſerumq; vitio imbuant, omnium primo hoc nocivo pondere liberandæ ſunt per purgantia mitiora, ſive laxantia, aut etiam, ſi neceſſitas id exigat, per vomitoria. Remediorum utpote ſatis notorum nomina apponere ſuperfluum erit, idcirco judicio uniuscujusque relinquo, utrum *Cratonis* de ſuccino pilulas, quas vulgo magis appropriatas credunt, an maſtichinas, vel purgantia alia convenientia, ex aloe & ſimilibus eligere velit. Repurgatis ſic a ſordibus primis viis, ad M. S. lymphæq;, copia, ſeroſitate, viſciditate, vel acrimonia peccantium correctionem ſe accingere, & pro cauſarum diverſitate, jam inviſcantia, & humorum motum nimium, & fluxum ſiſtentia, temperantia & obtundentia, jam reſol- *Cura i- na*

y) *Tom. III. L. II. C. I. p. 159.* z) *River. Prax. L. IV. C. V. p. 225.* aa) *de morbis partic. ſenum. Claſſ. I. C. VII. p. 561.* bb) *Comm. ad aph. 40. Lib. 2. Hipp.* cc) *Obſ. med. L. I, de Catarrh. obſ. 6. p. 149.* dd) *Conſult. med. Tom. I. Conſult. 88. p. 537.*

reſolventia, & per ſudorem aut urinam etiam evacuantia, acrimoniam corrigentia, utraque appropriata magis, in uſum vocare Medicus debet. Intentioni huic inſerviunt præ cæteris remedia ex junipero, lign. gvajac. ſaſſafr. myrrha, ſuccino, & ex his, aliisq; varia præparata, ſalia volatilia, ſpiritus, eſſentiæ, elixiria & alia, e.g. Spiritus & Sal vol. Cornu Cervi, viperarum, ſuccini, Spiritus Salis Ammoniaci ſimplex & aniſ. ſaſſafrat. ſuccinat. Sal vol. oleoſ. Sylv. liquor Cornu Cervi ſuccin. Spiritus Bezoard. Buſſii, eſſent. ſuccini, maſtich. catarrhal. Michaelis, ſtrobil. pini, ligni ſaſſafras, eſſent. lignorum ſive fumar. compoſ. eſſent. myrrhæ, Elixir propr. cum vel ſine acido, elixir pectorale, cephalicum, tinct. bez. mixt. ſimpl quæ vel ſola, vel, ſi acrimonia negotium faceſſat, cum opiatis conjuncta, & cum judicio adhibita maximi uſus erunt. His accenſenda rad. caryophyl. ſarſapar. chinæ, acor. ver. & adult. herb. ſerpill. quam *Hartmannus* adeo laudat, ſaturejæ, roriſmar. major. ſalv. & ſimilium, eorumque ſimplicium compoſita, & decompoſita, variaque præparata. Nec non pulveres diaphoret. & reſolventes, ex cinnab. nativ. vel antimonii, antimonio diaphoret. vel bezoard. minerali, martiali, Joviali, lap. 69, dent. equi mar. mandib. lucii piſcis, C.C. vel ebore, & ejus generis aliis. Inſuper tamen, præter alia temperantia, obtundentia ex olibano, ſtyrac. calamit. ſuccino, maſtiche, parata, qualia ſunt pilulæ illæ de ſtyrace & cynogloſſa in acri catarrho, tanquam maxime ſingularia, extollunt bolum Armenam, & theriacam, quæ duo hinc etiam χεῖρας τῶν Θεῶν *Aſclepiades* dixit, quaſi incantamenti inſtar ſiſtant & corrigant catarrhum. Quibus tamen *Donzellinus* oſſa humana, cumprimis cranii, combuſta aſſociat, quæ an peculiare quid præ aliis oſſibus præſtent, ſuo loco relinquo. ee) Maxime etiam pro hac intentione a *Riverio*, ff) & *Sennerto* gg) laudanum opiatum ad gr. III. ſumtum deprædicatur, ubi tamen circa hujus, aliorumque opiatorum uſum monendum erit, ne illa intempeſtive, vel ſola adhibeantur, quia facile ſoporem cum eoque plus ſæpe nocumenti quam genuini auxilii afferunt. Quapropter pro cauſarum & individuorum varietate cum variis aliis convenientibus, ac præſertim diaphoreticis, acrimoniam non corrigentibus tantum, ſed etiam expellentibus conjungi debent. His ſimilibusque ſub variarum formularum figuris prudenter adhibitis, ſi inſuper victus ratio, quam tutiſſimam medicinam *Hippocrates* nominavit, habeatur, niſi maxime cõfirmatum, & habituale ſit malum, feliciſſimus opem noſtram inſequetur effectus. At ſi nimis profundas illud egerit radices, dum cauſam a priore tollere nobis non licet, a poſteriore, & palliativis tantum remediis morbo huic occurrere ſubinde cogimur. Ad Chirurgiam enim tum confugientes, fonticulos, veſicatoria, & ſetacea brachiis, nuchæ, aliisve locis applicare, & ſic cum laudabilibus morboſos quoque hnmores, lente licet & tarde id fiat, evacuare debemus, venæ interim ſectione, niſi plethoricum fuerit corpus, omnimode exulante.

§. XIV Præmiſſis igitur his medicamentis internis, omnibus catarrhis æque communibus, ad illorum, quæ coryzæ propria magis ſunt, conſiderationem me accingo. Inter ea vero topica inprimis in uſum ſunt vocanda, quum cauſa utplurimum externa ſit, & productum morboſum in exterioribus quoque hæreat partibus. Atque hæc quidem parti affectæ applicari poterunt, diverſi, pro diverſitate cauſarum, generis, nimirum, ſi tenuis, acrisque adſit coryza, acrimoniam irritantem corrigentia, & partes vellicatas, criſpatas, varieque læſas, balſamica, leniente, & anodyna vi demulcentia, tenuem nimis lympham incraſſantia, diſcutientia, fluxũ ſiſtentia, & partes laxiores roborantia, adhibenda erunt. Pro hac intentione *Foreſtus* hh) nares unguento pomato & oleo, aut ungv. roſaceo, *Weickardus* ii) vero, oleo nuc. moſch. expreſſo, item *externa*

ee) *Burnet. Theſ. Med. Pract. L. III. p. 181.* ff) *Obſ. Cent. 3. obſ. 74.* gg) *L. I. Part. II. C. XXXIV.* hh) *Obſerv. L. X. obſ. 130.* ii) *Theſ. Pharmac. C. 6. p. 106. & 114.*

per ſuffitus item oleo amygd. dulc. & ungv. ex fl. ſalicis, ocymi, viol. martial. roſ. conquaſſatis, & oleo raſaceo coctis, inungi jubent. Præter hæc & ſuffitus varii, ex gummi animæ, qui *Hartmanno* kk) & *Jonſtonio* ll) adeo probatur, aut ex maſtiche, ſuccino, thure, benzoe, ſtyrace, gummi hederæ, aliisque, qualium deſcriptiones *Sennertus* mm) & *Barbette*, nn) ſingulique fere practici ſubminiſtrant, laudantur, & naribus mediante vaſe, anguſti, oblongiq; oſculi, quale e *Vidio Florentino*, & *Jacobo Hollerio*, *Marcus Aurelius Severinus* oo) delineat, aut ope fiſtulæ e vitro, tubæ ſimilis, ab eodem Autore pp) e *Bartholomæo Montagnana* depictæ, excipiuntur.

vaporationes §. XV. Aſt ſicut a ſiccioribus combuſtibilibus elevati ſuffitus acri & tenui catarrho ſunt congrui, ita quoque ex humidioribꝰ ac fluidis, ex vaſis ab igne ſubſtrato exhalantibus, vel lateribus, aut lapidis molaris fragmentis, aut ferro, candefactis affuſis, orti halitus, & vapores, gravedinem compeſcere valent. Ad quem finem *Mercatus* & qq) *Foreſtus*, r) vaporationem decoctionis malvarum, roſarum, violarum, ſeminis lini, dum aceti aliquid recipiant, extollunt, illorum etiam non minus ac lactucæ, & portulacæ, jubarum, ſimiliumq; decocta, aut aquas, hordei quoque aquam cum ſacharo, naribus immitti jubent; horumq; poſterior ſolius aquæ calidæ vaporem, in tali caſu egregiam afferre opem, experientia munitus affirmat. Nec inconveniens videtur lac tepidum ex *Fonſecæ* conſilio, ſſ) non tamen aciditate corruptũ, naribus attrahi, illiq; ad exſiccandum aliquid de tutia admiſceri. Aceti interim, laminæ ferreæ ignitæ affuſi, vapor, quem plurimi in gravedine promiſcue commendant, quidam vero, interq; eos *Mercatus*, in humida, quidam, e.g. *Joel* tt) & *Etmullerus*, in frigida, & ſicca deprædicant coryza, magis in hac, quam in illa, ratione & experientia id ſvadentibus, locum habebit.

§. XVI. Quædam ex prædictis, tum quoq; alia, in uſum vocãda erunt, craſſa & frigida dicta ſi adfuerit coryza, quo nimirum mucus ille glutinoſus, & inſpiſſatus in ſuperioribꝰ narium partibꝰ hærens, & inſpirationem liberam, olfactumq; prohibens, attenuetur, in fluorem redigatur, & ex partibꝰ illis, ubi p.n. hærebat, ejiciatur, partes vero ipſæ abſtergantur, & roborentur, fibrarumq;, ſi quæ adfuerit, læſio, oleoſa, & balſamica, remediorum horum plurimis combinata virtute, emendetur. Hinc odorũ forma excepta opitulantur, camphora ol. amygd. dulc. ſoluta, balſamum apoplecticum, aut aniſi oleum, naribus illita, aut ſuccini oleum, paucis olei caryophyll. guttis imbutũ, & cum bombace naribꝰ admotum, utpote quæ morbi initio adhibita omnẽ coryzam in herba, ut ajunt, ſuffocare poſſunt. uu) Nec minorem aperiendi vim Spiritus Salis Ammoniaci, teſtibꝰ *Wedelio*, ww) & *Ettmullero*, aut decocti xx) majoranæ, pulegii, nigellæ, yy) chamæmeli, & ſimilium vapores, aut ipſa etiam horum decocta, naribus attracta, vel acetum ſcylliticũ, rad. raph. ſylv. contuſa, camphora, quæ *Diemerbroeck* zz) laudat, aut ſuffitus, ex ſem. nigellæ & thure, prunis injectis, quales *Riverius* & *Foreſtus* commẽdant, poſſidebunt. Ex ejusmodi reſolventibus, aromaticis, & cephalicis nodulos odorandi cauſa naribus ſubjiciendos, & oleo, vel aquâ, deſtillatis imbuendos, componunt Autores, quorũ exempla *Hofmannus*, aaa) e fol. major. fl. lil. convall. cum ol. deſtill. major. talẽ parans, & *Michaelis*, bbb) e pulv. fol. maj. ſem. nigellæ, & oleo ſtillat. maj. nodulũ conficiens, *Simon Pauli*, ccc) aliiq; ſuppeditãt. Hiſce medicamentis, ſi præparata quodammodo lympha vitioſa fuerit, aut, ſi horum pharmacorum efficaciæ non omnino eadem obediat, ad alia fortiꝰ incidentia, & ad ejectionem ſtimulãtia, ptarmica, ſeu ſternutatoria cum prudentia tamen, & ſi nulla adſint contraindicantia, tranſeundum erit. Ta-

reſolve[…] *aromat[…]* *ſpiriti[…]*

---

kk) Prax. Chym. p. 30. ll) Synt. Univ. Medic. L. III. Tit. 17. C. 3. mm) L. I. Med. Pract. Part. II. c. 34. nn) Prax. C. IV. p. 40. oo) Efficac. Medic. L. I. P. III. C. 30. pp) l. a. qq) Tom. III. L. II. p. 161. rr) Obſ. L. III. obſ. 15. ſſ) tt) L. II. Prax. Sect. III. p. 213. uu) Etmull. Operum Med. T. II. p. 754. ww) Amœn. mat. med. L. II. Sect. II. C. XV. p. 543. xx) Riverius Prax. L. IV. C. V. p. 225. yy) Mercatus l. a. Foreſtus cit. l. zz) de morbis cap. & thorac. Diſſert. 21. hiſt. 2. aaa) Meth med. L. I. C. 19. p. 301. bbb) Prax. Clin. Gener. Part. I. L. II. de morb. Cap. C. XIV. Tit. IV. ccc) Quadrip. Botan. Claſſ. 3. p. 391.

na vel vel da Talia vero vel fluida apparent forma, vel ſicca. Inter fluida, ad qvæ etiam è ſuperioribus qvædam referri poterunt, vel naribus inungenda, vel cum turunda applicanda, vel è vola manus attrahenda, primo iterum loco, oleum nigellæ Autores ponunt, cui tamen, ad mentem *Joelis*, deſtillatum majoran. & nuc. moſch. oleum, aut pro uniuſcujusqve arbitrio, olea ſtillat. alia, caryoph. nicotian. ſuccini &c. ſubſtitui, varie ad imitationem *Michaelis* ddd) commiſceri, & naribus inungi poterunt. Non minori virtute gaudebit majoranæ aqva, ſive ſola naribus attrahatur, ſive ad efficaciam augendam, ejus unc. ſem. vitrioli albi, gr. I. vel II. aut etiam ſimul ana elaterii adjiciatur. eee) Qvod ſi qvis decoctum deſideret, illa *Cratonis*, fff) qvorum unum ex ligno gvajaco cum terra communi cocto, adjectis ſub ſinem majoran. & fl. roſ. rubr. alterum, ex major. Zingib. ſem. nigell. agar. albiſſ. c. ſ. q. aqvæ decoctis, paratur, quæqve à *Sennerto* & *Weickardo* ſuis immiſcentur formulis, uſurpare poterit. Sternutatoria ſicca, ſeu pulveres, ex iisdem acribus, nicotiana, ptarmica, major. puleg. ſaturej. fl. lil. convall. ſem. baſil. nigell. caryoph. cubeb. rad. helleb. nigri, caſtoreo, aliisqve fiunt, & naribus inſpirando excipiuntur. Id ſolum curæ noſtræ committitur, ut ex illis ſternutatorium talem pulverem componamus, ipſiqve, ſi ægri id ferant, ſvavis odoris cauſa, ambram, moſchum, ſimiliaqve adjiciamus. His ita, prout cauſæ & circumſtantiæ admittunt, exhibitis, & cauſis qvoqve externis, ſternutatorio ſcilicet acriori, ſimilibusqve remotis, levis hic affectus facile extirpabitur, qvo ſublato, & reliqva, admodum moleſta ſymptomata, reſpiratio difficilis, odoratus, & loqvelæ læſio, pruritus, ſternutationes, aliaqve ſponte cedent.

Cap. III.

De *POLYPO.*

§. I.

Qvem hactenus expoſui odoratus morbum, qvamvis freqvens magis, & communis ſit, longe tamen curatu facilior eſt, nec tantam poſtulat Medici prudentiam, & curam, qvam qvi nunc explicandi veniunt, Polypus ſcilicet & Ozæna. *gia* Polypus, ſive ob radices utplurimum multas qvaſi tot pedes, qva ratione illum ſcorpioni multorum pedum *Albucaſis* a) aſſimilat, ſive ob carnis ſuæ, cum piſcis marini ejusdem nominis, ſimilitudinem nomen ſuum adeptus ſit, deſignat excreſcentiam carneam, qvæ in oſſis ethmoidei tubulatis proceſſibus radices figens, b) aliqvando etiam *tio* ex ſepto narium oriens, venisqve interdum referta, modo laxior, modo denſior eſt, aliqvando etiam dura, ut percuſſa ſonitum edat, & jam per nares ſolum, jam etiam per palati foramina, protenſa, & modo utrosqve narium meatus opplens, circa plenilunia etiam grandeſcens, loqvelam pariter, ac reſpirationem, & odoratum, plus minus impedit & tollit.

§. II. Subjectum, ſeu pars affecta, ſunt interiores narium partes, & præſertim tunica illa, oſſa turbinata inveſtiens, carnoſa & glanduloſa dicta, qvatenus præ reliqva tunica, ad hanc p. n. productionem apta magis deprehenditur. Hinc *Riolanus* c) inqvit: *Os illud ſpongioſum cavernoſum eſt, cellulis oſſeis diſtinctum, in qvibus carunculæ exiles continentur, qvibus tumefactis, polypus generatur.* In ea enim tunica, vaſa illa, tam ſangvinea, qvam ſeroſa, lymphæ ſecretioni & excretioni *Subjectum*

ddd) de morbis Cap. P. I. L. II. p. 101. eee) Wedel. cit. l. Etmull. l. a. fff) L. 6. Conſ. 1. a) Lib. II. C. XXIV. b) Aqvapend. Chir. P. II. C. 25. p. 72. Horn. Microc. p. 115. Munnicks Chirurg. L. I. C. 24. p. 150. c) Anthropogr. L. IV. c. 6.

oni inſervientia, à *Stenone* ſuperius deſcripta, variis modis læſa, morbo huic materiam, & illa qvidem, qvæ ſangvinem adducunt, polypo carnoſo magis, hæc, nimirum excretoria vaſcula, aquoſo, qvalem Autor Diſſert. de polypo, ſub celeber. *Camerario* habitæ, depingit, gignendis ſuggerunt. Qvidã d) ipſa filamenta nervea, os ſpongioſum opplentia, partem eſſe, è qva polypus excreſcat, & qvidem freqventisſime, aſſerunt, qvorum tamen dogma admodum adhuc incertum videtur.

Cauſa §. III. Omnis vero Polypus, cum excreſcentia qvædam carnea ſit, neceſſario qvoqve a tali partium illarum, in qvibus radices figit, læſione orietur, qva partes ſangvinis gelatinoſæ, inprimis, ſi viſciditatem, & acrimoniam conjunctam habeant, uti in cacochymicis corporibus contingit, ad narium læſas laceratasqve partes delatæ, extraqve vaſcula ſua, vel ductus naturales conſtitutæ, in fibrillas concreſcere, ac ſucceſſive in carnoſum ejusmodi augmentum variæ figuræ & magnitudinis abire poſſunt. Ac emiſſa vaſis ejusmodi materia, vel in unum coaleſcit corpus, vel diverſis in locis exſudans, interjectis qvibusdam intervallis demum coaleſcit. Qvam ob cauſam illi, qvi ſcrobuto, lueqve venerea ſunt infecti, atqve ab acrimonia, & viſciditate humorum, narium hæmorrhagias freqventius experiuntur, (a qvibus polypum ortum ipſe recordor) huic affectui præ cæteris ſunt obnoxii, qvemadmodum id multæ Practicorum obſervationes teſtantur. Simili ratione, & ſerum, ope glandularum tunicæ narium ſubſtratarum, ſeparatum, excreſcentiæ tali anſam dare poteſt. Si enim illud acredine enormi ſit imbutum, qvale qvid in coryza diuturna contingit, glandulas, ductus, aliasqve illis adſitas partes erodere poteſt, unde dein, ſi humores multis viſcidis, & nutrientibus particulis abundent, narium membrana p. n. extenditur, in eaqve extenſæ tunicæ parte ſtagnans ſerum, ſeroſum, aut pituitoſum polypum, pro diverſa materiæ conſiſtentia, procreat. Cauſæ externæ partes illas lædentes, variæ ſunt, v. g. caſus, contuſiones, e) frictiones freqventes, & nimiæ interni naſi, f) a qvibus fibræ, vaſaqve membranæ narium internæ lacerantur, ſicqve excreſcentiæ tali occaſio ſubminiſtratur.

Differ. §. IV. Variæ vero Polypi ab Autoribus traduntur differentiæ, dum alium mollem, durum, fungoſum, carnoſum: alium recentem, aut inveteratum: alium album, rufum, aut lividum: alium ſuperiorem, alium inferiorem: alium magnum, alium parvum, pronunciant. g) Sed his omnibus majoris longe momenti, ratione prognoſeos, & curationis, deprehenditur differentia, dum luxurians hæc caro interdum albicans magis, mollis, & attactui facile cedens, vix notabili dolore moleſta, pendula, atqve in latus alterutrum mobilis, ſimpliciqve, vel paucioribus pediculis cernitur; interdum vero rubicunda, livida, & ad atrum colorem inclinans, dura etiam, naribusqve firmiter adhæreſcens, & immobilis, admodumqve doloroſa deprehenditur. Priori modo ſi ſe habeat polypus, benignus, poſteriori, malignus erit, & cancroſi qvid conjunctum habebit. Qvod dum fit, & qvando excreſcentia hæc, ut *Celſus* loqvitur, καρκινώδης eſt, id diſcriminis annotare licet, qvod qvandoqve illa non exulcerata deprehendatur, quandoqve vero fœdum ſatis ulcus conjunctum habeat, qva diverſitate cancrum ſe ſiſtere, unicuiqve notum eſt.

§. V. Ut ad morbi hujus cognitionem perveniamus, multo labore opus non erit, cum excreſcentia hæc unicuiqve indaganti facilime innoteſcat. An vero malignitatem conjunctam habeat, an non? ſuperius traditis ſignis dijudicatur. Interim, ut, qvid de hujus morbi medela, & remotione ſperandum ſit, ægro pariter ac Medico pateat, ſciendum eſt, nunqvam temerariam eſſe formandam *Pr[...]* prognoſin, nec benignum polypum omni carere periculo, cum & hunc qvandoqve, cumprimis, ſi non rite tractetur,

d) *Etmull. Oper. T. II. p. 862.* *e)* *Job.* von Meeckren *Obſ. Chirurg. XI. & XIII.* *f)* *Kerkring. Spicil. Anat. obſ. 14.* *g)* *Paræus Chirurg. L. VII. C. II. Sebiz. Specul. Medic. Pract. T. I. P. II. Sect. VII. C. 4.*

tur, h) maligni naturam aſſumere, ſicque ſumme periculoſum fieri, *Tulpii* i) pariter, ac propria obſervatione conſtet. Meliora tamen ſperare jubet, qui albicans, vel rufus, mollis, mobilis magisque pendulus, unoque, vel paucioribus pediculis donatus eſt (nec tam alte narium interiora obſidet. Graviora minatur, qui durus, lividus, immobilis, valde dolens, & ulceroſus eſt, multisque & vaſtis magis radicibus gaudet, utpote quem nec attingi debere, *Celſus* k) recte monet, cum teſte *Arantio*, l) talis farinæ tumores, medicamentis & manui non ſolum non obediant, ſed & deteriores evadant. Id me ſupra allegatꝰ polypꝰ crebriorem hæmorrhagiam inſequens, edocuit. Is enim ob ineptam, modo cauſticis potentialibus, modo ferramentis ſecantibus adornatam Chirurgiam, primum malignus, obque hujus iteratam eandem perverſam medendi methodum, adhuc pejor, illique ſimilis, cujus delineationem ex *Avicenna*, *a Cruce* ſuppeditat, m) reddebatur, ita, ut nares enormiter intumeſcerent, liveſcerent, dolerent, ipſaque cancroſa excreſcentia fœtidam ſaniem ploraret, tantæ quidem acrimoniæ cauſticæ, ut ipſa etiam lateralia oſſa penes oculos exederit. Nec Chirurgus ille Lipſienſis, qui præmiſſa pomposa, ſed vana, artis ſuæ jactatione, & certa futuræ ſalutis pollicitatione, tam deſperati mali aggrediebatur curam, aliud quid inepta ſua, quam ſuſcipiebat, ſalivatione obtinebat, quam ut eo citius ægrum e miſeriis ſuis eriperet, & morti præmaturæ traderet.

[p]olypi [canc]roſi §. VI. Palliativa interim cura, etiam in polypo cancroſo, locum habebit, ita, ut ſolum acrimoniam corrigentia, ſaturnina, anodyna, ſimiliaque v. g. aqua ſolani, roſarum, plantag. papav. vel ſuccum fol. ſalicis aut ſolani, in quibus parum tutiæ ſolutum ſit, vel tale ungventum, quale *Paræus*, n) ex oleo de vitello ovi, lytharg. auri, tutia præp. lap. hæmat. camphor. cum ſucco plantag. & ſolani parat. admoveamus, aut cum *Hildano*, o) aquis & cineribus ranarum & gammarorum, ſaturno item calcinato, croco Martis, ſimilibusque, & pro derivatione humorum, ſetaceo utamur.

§. VII. Benignorum polyporum curationem, præmiſſis univerſalibus, primas vias purgantibus, ſanguinis cacochymiam emendantibus, vel ejus quantitatem, ſi plethoricum ſit ſubjectum, aut ob ſcorbuticam ſanguinis diſpoſitionem, turgeſcentiam patiatur, imminuentibus, ſc. V. S. quam in carnoſo polypo *Jo.* von Meeckren p) laudat, aut excitatis ad evacuationem & derivationem humorum fonticulis, in primis in pituitoſo polypo, quem ab eorum uſu *Pechlinus* q) curioſe ſatis ſtatim tabeſcere vidit, donec penitus ablatus fuerit; alii per remedia pharmaceutica, alii per chirurgica, abſolvere conantur. *benigni.* Qui pharmacopolium conſulunt, variis utuntur topicis, incidentibus, exſiccantibus, adſtringentibus, imo corrodentibus, & cauſticis potentialibus, varia ſub forma applicatis, quibus diutius adhibitis, excreſcentiam hanc exſiccare, & conſumere tentant. *pharmaceutica.* Pro hac intentione, cum *Galeno*, ſuccum trium malorum granatorum inſpiſſatum, & in linimentum coctum; jam cum *Henrico ab Heer*, r) gentianæ pulverem cum ſucco ſcrofulariæ in turundam coactum, applicant. Sic *Poterius* s) pulv. heliotrop. *Ettmullerus* t) ſucc. onopoſti, *Tulpius* u) colcothar vitrioli, & rad. hermodact. albi, melle roſato. aut Aqua ſabin. excepta, laudant. Ex alio vero dexterrimo Chirurgo, *Nuckius*, w) Aquã calcis ſolam, & *le Clerck*, x) decoctum biſtort. plantag. & cort. granat. in vino rubro, cum tantillo Onis, & mellis, cum turundis polypo ſubinde applicata, aut naribus attracta, commendant. His ab Autoribus adjiciuntur: pulv. cort. granat. fl. ſumach. balauſt. roſ. ſabin. gallæ, bolus Armen. litharg. tutia, ceruſſa, myrrha, maſtich. ſuccus naſturt. aquat. rad. ari, longeque plura, ſiccandi, ad-

h) le Clerck Chirurgie complette C. III. Art. IV. p. 161. i) Obſ. Med. L. I. C. 26 p. 50. k) L. VI. C. 8 p. 380. l) de Tumoribus p. n. C. 21. p. 171. m) Chirurg. L. I. Tr. VI. C. I de Polypo. n) L. VII. C II. o) Cent. epiſt. ep. 61. p. 1005 p) Obſ. Chir. C. X. p. 101. q) Eph. N. C. ann. 9. obſ. 26. r) Obſ. Med. XXVIII. s) L. III. Obſ. C. 63. t) Oper. T. II. p. 862. u) Obſ. Med. L. I. C. I. 26. p. 51. w) Exper. Chir. XI. p. 44. x) l. a.

adſtringendi, aut incidendi vi pollentia. Sed his, utpote nimis debilibus, alii anteponunt talia, quæ corrodente, & cauſtica vi abſumere, & extirpare polypum poſſunt. Talia vero ſunt: ☉, æs uſt. Vitriolum Spir. Vitrioli, vel oleum, aquafort. Mercurius ſubl. & Mercurius præcip. Aquæ ſimpl. vel plantag. ſolani &c. commixti, butyrum antimon. placentulæ, ex ana merc. ſubl. & virid. ær. cum fermento paratæ, (y) Ungv. Ægyptiac. cum calcant. (z) & alia, quibus, præmunitis partibus adjacentibus, ipſisqve contra dolorem & inflammationem (aa) defenſis, vel ope cannularum, tentarum, aut alio modo, polypum crebrius attingunt, corrodunt, & extirpant. At enim vero, licet Autorum, felicem horum medicamentorum uſum teſtantium, experientiam nequaquam in dubium vocem, anceps tamen ſatis, tantum non omni tempore, illorum erit effectus, cum mitia nihil, aut parum, operentur, utpote a quibus exſiccata quamvis, ſi adſit, pituitoſa materia, aut potius polypi tunica ſaltem corrugata, nihilominus relicta polypi portio, de novo affluenti materiæ ſpatium relinquit, atqve ſic priſtinum malum, *Paræo*, (bb) & *Tulpio* (cc) conſentientibus, reſuſcitat. Ea vero, quæ exurendi facultate pollent, proximas partes ſenſiles dolore & inflammatione afficiunt, eas pariter corrodunt, imo ad ozænam diſponunt, atqve adeo plus moleſtiæ, quam utilitatis adferunt, uti non rationibus ſolum prægnantibus inſtructi, ſed propria etiam experientia muniti, *Rubeus*, (dd) *Poterius*, (ee) *Arantius*, (ff) *Munnicks*, (gg) *Hornius*, (hh) *Ammannus*, (ii) aliiqve affirmant.

Chirurgica. §. VIII. Quam ob rem alia auxilia quærere coacti Medici, Chirurgiam implorarunt, hujusqve ope, jam ferramentis candentibus urendum, jam exſcindendum, jam pungendum, jam ligandum, jam evellendum putarunt. Prima ratione curam *Hippocrates* (kk) ſuſcipit, dum diſſecta nare, ferramentum candens, cannulæ ductu, excreſcentiæ carnoſæ applicat, eamqve ita conſumit; applicatis dein ſuppurantibus, & poſthac detergentibus & epuloticis remediis, ulcus conſolidat. Verum vix tuta, vixqve ſufficiens erit hæc manualis operatio, dum verendum, ne propter narium nimiam anguſtiam, & oculorum uſum denegatum, licet munita quoqve ſint ferramenta, lædantur polypo adjacentes partes, aut per inciſionem illam, narium ulcus excitetur curatu difficile, inſuper vero illud periculi remaneat, ne, ſi non undiqve tangatur, caro hæc denuo propullulet. Ut taceam, admodum truculentam, ægrisqve maxime adverſam, hanc polypum extirpandi eſſe chirurgiam.

§. IX. Aliam hinc viam, chirurgiam hanc adminiſtrandi, monſtrant *Celſus* & *Paulus*, dum inſtrumentum quoddam ſecans, cultellum ſc. inſtar ſpathæ formatum, acutumqve, aut myrtiformem, (ſpatulam in myrtacei folii modum acutam, ut *Pauli* interpres dicit,) ab *Andrea a Cruce* (nn) delineatum, naribus immittunt, eoqve illic acie ferramenti impoſita, ubi naribus coaluit, polypum a partibus illis, quibus adhæſit, ſeparant, cavendo, ne adſtantes partes ſimul diſſecando, difficilis medelæ ulceri occaſionem ſuppeditent. Quo facto, vel ejusdem inſtrumenti manubrio, vel ad hoc negotium parato uncino, pariter ab *a Cruce* depicto, carnem undiquaqve liberam protrahunt. Recedit ab his quodammodo *Albucaſis*, (oo) dum, collocato ita ægro, ut faciem ſoli opponat, antequam ſcindente utatur ferramento, uncino prius carnem apprehendit, illamqve quantum fieri poteſt, e naribus protrahit, tumqve cultello ſpathæ inſtar formato omnem carnem abundantem aufert. Supplementum his operationibus addere

(y) *Ephem. N.C. ann. 8. obſ. 91.* (z) *Paræus Chirurg. L. VII. C. II. Vid. & Petrus Bayrus, Prax. L. V. C. III.* (aa) *Weickard. Theſ. Pharm. C. VI. de affect. Maſ. C. 9.* (bb) *l.a.* (cc) *l. c.* (dd) *ad cap. 8. L. 6. Celſi.* (ee) *L. III. C. 63.* (ff) *de tumor. p. n. C. XXI.* (gg) *Chirurg. L. I. C. XXIV.* (hh) *Microt. p. 115.* (ii) *Paran. ad diſc. p. 408.* (kk) *L. II. Sect. V. p. m. 473.* (ll) *L. VII. C. X. p. 441.* (mm) *Oper. L. VI. C. XXV. p. m. 378. & 379.* (nn) *de Officin. Chir. p. 25.* (oo) *Method. Med. L. II C. XXIV. p. 68.*

re annituntur, *Albucaſis*, pp) *Ægineta*, qq) & alii, qui timentes, ne quædam polypi partes a ſectione remaneant, pro harum plenaria & conſummata remotione, filum lini, aliquali craſſitie præditum, multisque nodis, digiti latitudine a ſe diſtantibus, refertum, ope ſpecilli, duplici cuſpide præditi, acusve plumbeæ incurvatæ, per naſi & palati cavum extra os ducunt, ita, ut una fili extremitas ex naſo, altera ex ore propendeat; deinde, extremitatibus his, manibus prehenſis, alternis vicibus, ſerræ inſtar, funiculum modo dextra, modo ſiniſtra manu trahunt, quo usque demum polypi reliquiæ penitus abſumtæ, & abraſæ fuerint.

§. X. Premit tamen hos polypum extirpandi modos *Fabricii ab Aquapendente* rr) præſertim judicium, quod nimirum ab his inciſionibus, inſignis non modo oriatur hæmorrhagia, operatorem turbans, ſed & periculum incidendarum cartilaginum, & adjacentium partium, difficillimæ curationis ulcera contrahentium, non leve adſit, imo, quod hac ratione polypum ſemper radicitus extirpare vix liceat, & hinc metuendum ſit, ne malum, relicta radice, recrudeſcat. Funiculi vero per fauces reciprocationem ex eo puncto ineptam dicit laudatus Autor, ſſ) quod non modo non omnes polypi radices, utpote quarum quædam ſine dubio foraminibus, ad fauces tendentibus, ſint ſuperiores, evelli ita poſſint; verum etiam dolor ſummus excitetur, ozænæque, ac novo polypo, occaſio præbeatur.

§. XI. Tanta incommoda ut averteret, feliciusque operaretur, novum invenit inſtrumentum *Fabricius*, illudque ea propter omnibus quam maxime commendat, quod dictorum malorum nullum inferat, ſed feliciter, ſine magna hæmorrhagia, & partium adjacentium læſione, operetur, polypum apprehendendo, abſcindendo, & radicitus protrahendo. Reprehenditur tamen a *Severino* tt) hac in re duplici nomine, partim quod formam ejus minime, quantum ſatis, depinxerit, partim, quod ſibi hoc inventum tribuat, aliis adſcribendum. Siquidem laudatus *Severinus Nicolao Florentino* inſtrumentum hoc *Fabricii* jam tum fuiſſe cognitum, ex ejus, quæ adducit, verbis probat. Quicquid horum ſit, vix tamen adeo inſtrumentum illud, quod penes *Aquapendentem*, uu) & *Severinum*, ww) depictum cernitur, extollendum videtur; quod, teſte *Munickio*, xx) polypum non radicitus evellat, ſed radicem prope fungoſam carnem exſcindat, quæ idcirco velocius poſtmodum repullulare ſoleat. Imo, advertente id celeberrimo *Bohnio*, yy) nec hujus inſtrumenti ope diſcernere narium cartilagines a polypo licet, adeoque iſtas cum hoc incidendi metus manet, eademque hæmorrhagia, quam in veterum ſcindendi modo adeo improbat *Fabricius*, cum æque, ut ipſe dicit, diſcindat polypum, imminet.

§. XII. Nec illi polypi compunctioni, pro ejus extirpatione ſuſceptæ, quam ex *Hierocle*, rei veterinariæ ſcriptore, allegat *Severinus*, zz) & ex hoc *Solingen*, aaa) quamque iſte in fœmina proficuam deprehendit, niſi admodum raro, fides erit adhibenda, cum a talibus irritationibus, læſionibusque malum exaſperetur, imo unicus, partim ob inſignem hanc ſtimulationem, hinc humorum in his locis interruptum motum, partim, ob ejus quandam portionem relictam, excitatus recrudeſcentiæ metus, chirurgiam hanc admodum dubiam, & ancipitem reddat. *Compunctio.*

§. XIII. His omnibus mitiorem longe chirurgiam, ad extirpandam hanc polypoſam excreſcentiam *Hildanus*, bbb) & *Sennertus* ccc) commendant, jubentes, ut polypus circa radi- *Hildani, & Sennerti experimentum.*

pp) l. a. qq) l. a. rr) Chirurg. Part. II C. XXV. p. m. 74. Vid. m. Taliacotius Chirurg. Curt. L. I. C. XXI. p. 233. ſſ) Ejusd. P. II. C. XXVI. p. 78. tt) Efficac. Medic. Part. II. de Sect. C. LXXIV. p. 105. & 106. uu) fig. 9. a. & 9. b. tabular. ipſi annexar. ww) l. cit. xx) Chirurg. L. I. C. XXIV. yy) in Colleg. Chirurg. M. S. zz) Ejusdem Part. II. de Paracent. C. IX. p. 73. aaa) Hand-Griffe der Wund-Artzeney *P. I. C. L. I. p. 156. bbb) Cent. epiſt. ep. 61. p. 1005. ccc) L. I. Part. III. Sect. IV. C. III.*

radicem filo ſerico, bene cerato, aut pilo caudæ equinæ ligetur. Ita enim fieri putant, ut intra ſeptem, aut decem dies, ſine omni negotio, excidat ſero deſtitutus polypus. Pro ligatura hac commodius applicanda *Nuckius*, ddd) nec inepte, inſtrumentum illud commendat, quod ad fungum ſcirrhoſum, ex aure nobilis cujusdam puellæ propullulantem, ligandum, *Hildanus* eee) invenit, quodque non ſolum deſcriptum, ſed & tribus figuris jam ſolum, jam cum filo, imo cum integro applicandi & operandi modo depictum, exhibet. Sed licet forſan quandoque apta ſatis ſit hæc chirurgia, ſæpius tamen fruſtranea, & inconveniens erit, cum vinculum, ſi polypus, uti crebro contingit, aut multis, aut latioribus, aut ſuperiora occupantibus, & quandoque ipſis cavitatibus, & interſtitiis oſſium ſpongioſorum inhærentibus, gaudeat radicibus, applicari congrue non poſſit, adeoque omnis conatus irritus ſit. Quod ſi igitur ejus aliquis adhuc reſtet uſus, is tantum in polypo, una ſaltem tenuiore & anteriora occupante radice, ſeu pediculo inſtructo, deprehendetur.

Modus recentioribus uſitatus.

§. XIV. Meliorem proinde, & tutiorem polypum extirpandi modum recentiores commendant, talem ſc. qui non tam ſecantibus, & abſcindentibus, quam evellentibus, & extrahentibus tantum inſtrumentis adminiſtratur. Aſſumunt nimirum forcipem, rectam magis pro naribus, ita tamen ſecundum *Solingen* fff) formatam, ut in extremitate ea interiore, qua comprehendere polypum debet, inſtar volſellæ communis, a *Sculteto* ggg) depictæ, dentata, hhh) & ejus pes alter paululum incurvatus ſit, quo ejus cavo polypus latere poſſit; aut utuntur ad mentem *Munickii*, iii) roſtro corvino, a *Paræo* kkk) & *a Cruce* lll) delineato, horumque inſtrumentorum uno, arcte, & quantum fieri poteſt, ad radices, polypum capeſſunt, prenſumque hinc & inde vertunt, blandeque librant, usque dum, radicibus ejus ſecedentibus, integer ille, ſine adeo notabili dolore, extrahatur. Quo facto, cum aliqua illius evulſionem comitetur hæmorrhagia, talia, quæ illam compeſcere ſolent, adhibenda erunt topica, relicto tamen prius aliquali ſangvinis effluxu, quo abundans vel noxius excernatur. Ad compeſcendam autem nimiam cruoris profuſionem, modo pulveres adſtringentes, v. g. tutiæ, croci martialis, vitrioli ad rubed. calcin. & probe edulcorati, vel cum turundis applicentur, vel flatu per cannulam, aut calamum ſcriptorium, utraque extremitate foramine inſtructum, naribus injiciantur, vel liquores adſtringentes, vinum auſteriuſculum, rubrum, oxycratum, e vola manus attrahantur, & ſi quid reſiduum forſan fuerit, illud ſecundum *Nuckium*, ſp. vin. vel tinct. cinam. c. melle roſac. detergendum, vel enarratis pulveribus adſtringentibus, & ſiccantibus abſumendum erit. Eodem plane modo, quamvis incurvata magis forcipe, illique ferme ſimili, qua faucibus illapſa extrahuntur, latioribus tamen apicibus prædita, pariterque dentata, operandum erit, ſi major polypi portio ad fauces dependeat. Tunc enim felicius illum, per ea loca protractum, ſequi, elegans *Tulpii* obſervatio commonſtrat, penes quem mmm) pariter, ac *Solingen*, *Munnicks*, aliosque recentiores, felicem hujus chirurgiæ adminiſtrationem, quam tamen & *Bartholini* obſervatio, ſponte polypum emunctum narrans, ominari poterat, invenies. Poſt polypi extractionem, ſi malignioris fuerit naturæ, candente ferramento, per cannulam immiſſo, ejus reliquias comburi, *Hornius*,

ddd) Exper. Chirurg. XI. p. 41. eee) Obſ. Chir. Cent. III. obſ. 1. p. 185. &c. fff) l. a. ggg) Armament. chir. Tab. III. fig. 1. hhh) Solingen l. a. Horne Microt. p. 116. Nuck. l. a. iii) Chirurg. L. I. C. XXIV. p. 153. kkk) L. XI. C. XX. p. 571. lll) Officin. Chirurg. p. 47. mmm) Obſ. Med. L. I. C. 26.

nius, & *Solingen* jubent, & ſi recrudeſcat, horum poſterior, forcipe cannulata apprehendi, perque eandem ducto ferramento ignito conſumi vult, quem tamen operandi modum, præterquam, quod vix unquam neceſſarius, ſuperius adductæ difficultates pariter ſuſpectum reddunt.

Cap. IV.

De

O Z Æ N A.

§. I.

INter Odoratus morbos, jure præſentem numerari, nemo ſane erit, qui inficias ire conetur. Siquidem, quod olfactum maxime afficeret, Græci ob hoc *κατ' ἐξοχὴν* affectui huic dedere nomen, ab ὄζειν olfacere, ὄζαιναν illum dicentes, ut ſtatim vi vocis innoteſceret, tam locus, quam cumprimis ſymptoma illud, fœtidiſſimus ſc. odor, quo & ægro & aliis moleſtus eſſe ſolet. Eſt autem Ozæna ulcus narium inveteratum, plus minusve cruſtoſum, teterrimum ſpirans odorem.

§. II. Occupat ulcus illud partes narium interiores, molliores quidem primum, ſed tamen temporis tractu, ratione inſignis ſuæ acrimoniæ, cartilagines, ipſaque oſſa arrodit, corrumpit, ipſis cariem inducit, & ſic etiam in iisdem ſedem ſuam figit. Hinc certum quoddam in naribus ſpatium, ultra cujus circulos nunquam progrediatur, ipſi vix aſſignari licet, cum jam partes molles ſolum, jam duriores, jam ſpeciale odoratus inſtrumentum, jam alia ipſi adjacentia loca occupare, jam utraque infeſtare poſſit, maxime, ſi ob ſuam malignitatem cancroſam ulterius ſerpat, & in partes vicinas virulentia ſua ſæviat.

§. III. Omnes tamen ozænæ natales ſuos humoribus, ſapore corroſivo, & tantum non cauſtico inquinatis, modo tamen magis, modo minus talibus, acceptum ferunt, quatenus ii, vel in ipſa parte ulcerata tantam acrimoniam contrahunt, vel eadē jam imbuti ad illa loca circulationis lege feruntur, inibique ſtagnantes, vim ſuam, fibras molliorum non ſolum partium, ſed & duriorum, cartilaginum ſc. & oſſium, dilacerando, atque ita horum continuitatem & contiguitatem ſolvendo, easque partes, una cum nutrimento iisdem allato, corrumpendo, atque in putridam, & cœnoſam materiam mutando, exerunt, ſicque ulcera hæc, ſi eorum curatio protrahatur, ſordida, & fœtentia gignunt. Si in ipſa parte humores, cæteroqui laudabiles ſatis, ſangvis, ſerumque inibi ſeparatum, tantam ſui patiantur corruptelam, partium illarum vitium ab externa quadam injuria illatum ſuberit, dum illæ, vel a contuſione, caſu, feſtuca naribus intruſa, ex qua cauſa von Meeckren/ exulcerationem talem in infante obſervavit, a) exhalationibus acribus, metallicis, mercurialibus, & ejusmodi aliis, ita læduntur & corroduntur, ut ulcus inde naſcatur, vitales non minus, quam pravos affluentes humores, ſimiliter corrumpens, & in tale liquamen purulentum convertens. At ſi humores labe jam infecti, & ad nares, vel per naturæ motum vel ob alias cauſas, v. g. ſuffitum e cinnabari, a quo *Hildanus* b) ozænam annotavit, delati, easdem exulcerant, ſæpius ſcorbutus, lues venerea, cujus fidelem eſſe ſocium hunc morbum, Practicorum experientia frequens, interque eos, *Roderici a Fonſeca* c) comprobat, ſimilesque morbi mali hujus fontes erunt. Imo quandoque coryza, ſi chronice & habitualiter nares vexet, acrisque ſeu calida illa fuerit, ulcera, ozænamque, teſte eodem *Hildano*, d) excitare valet. Remotarum vero cauſarum enarra-

a) Chirurgiſche Anmerckungen *C. XIII. p. 118.* b) *Obſ. Chirurg. Cent. II. Obſ. 23. p. 101. ſeq.* c) *Conſult. Med. III.* d) *Ejusd. obſ. 22. p. 98.*

narrationi ut vacem, opus non erit, cum nil occurat, quod non ſcorbuti, luis venereæ, ſimiliumque morborum cauſis commune ſit, adeoq; ea omnia ex illorũ tractatione peti poſſunt.

Differentia §. IV. Multæ præterea ozænæ occurrunt differentiæ, quarum tamen, uti de polypo aſſerui, iterum princeps erit, quod alia maligna magis, alia ſit benignior. Illa ferocius ſævit, partes longius circumſtantes deprædatur, nec oſſibus parcit, nares quandoque in tumorem attollit, lividum, vel nigreſcentem ipſis colorem inducit, carnem malignam conjunctam habet, & facile in cancrum abit: hæc vero, licet ob altiores, quas jam fixit, radices, moramque diuturniorem, ſatis etiam ſit prava, attamen priore longe mitius agit, non tam acerbos dolores infert, narium, palatique oſſa non ita exedit, nec nares extendit, aut livido colore obducit. Præterea tamen & aliæ ulceris hujus dantur differentiæ, dum id modo hunc, modo illum locum occupat, jam cruſtoſum & ſiccum, jam humidum & ſordidum, nunc recentius, nunc inveteratum magis deprehenditur, nunc ſangvinem, nunc pus, idque modo craſſum, modo tenue, albidum, lividum, &c. fundit. Sed hæ differentiæ, ut ut pariter attendendæ veniant, tantam tamen ſui in cura curam, quantam prior, vix efflagitant.

Diagnoſis §. V. Quod diagnoſin morbi hujus concernit, equidem ea difficilis haud exiſtit, adeo, ut optandum ſit, medelam cum eadem pari paſſu ambulare; interim tamen, quo illius ab alio narium leviore ulcere diſcrimen innoteſcat, ſciendum, certiſſimum, & pathognomonicum ozænæ ſignum eſſe fœtorem illum teterrimum, quo non ſibi modo ipſi, ſed & adſtantibus, nauſeam & moleſtiam ſummam creat, quæ ſæpe tanta eſt, ut *Ammannus* inde dicat, ſe malle carere naſo, quam ozænæ fœtorem perferre. Præterea etiam ulcus hoc magis dolet, ſaniesque & cruſtæ ſordidæ, & pejoris coloris, inprimis, dum nares ægri emungunt, excernuntur. Quæ omnia teteriora, & periculoſiora ſunt, ſi magis ulcus hoc malignum, cancroſum, & cacoëtheum ſit. Tum enim longe lateque ſerpit, partes vicinas devorat quaſi, hinc Germanis das Geſräß/ & quibusdam etiam *lupus* audit, & in cartilagines, & oſſa quoque, præſertim ſpongioſa, ſuam exercet tyrannidem, quibus exeſis, & corruptis, nares, miſero adſpectû, figuram ſuam amittunt. Dolor adeſt vehemens, pus magis fœtet, & nigreſcit, nares ipſæ inſigniter rubent, vel liveſcunt, & teſte *Arantio*, e) in tumorem attolluntur.

Prog[noſis] §. VI. His ita ſe habentibus, quid de ozænæ curatione ſperandum ſit, unusquisque facile augurari poteſt. *Celſus* profecto, f) dum ſcire nos jubet, vix ei malo poſſe ſuccurri, miſerum ægris talibus porrigit ſolatium, cui nihilo ſecius fides erit adhibenda, quod anceps ſatis ejus reddatur cura, ob defluentis humoris pravas qualitates, affectæ ſedis naturam, & operandi incommodum, & quia hic locus plurimis ſcatet humoribus ſtillatitiis, aërisque præterea appulſum, omnibus tamen vulneribus, atque ulceribus maxime infeſtum, quod illa inſigniter alteret, & ad putredinem diſponat, continuo ſuſtinere cogitur. Maxime vero id ad eas quadrat ozænas, quæ malignioris naturæ ſunt, longe lateque vagantur, verbo, cancroſæ ſunt. Illæ enim inquirenti Medico acclamant: *Noli me tangere.* Et profecto haud male agit, qui cum *Arantio* easdem prorſus non attingit, ſed honeſtam potius fugam capit, aut non, niſi cum prædictione periculi, curam aggreditur. Cumprimis autem verum, & evidens eſt *Sennerti*, g) & *Munnickii*, h) qui illud e *Sennerto*, quamvis tecto Autoris nomine, ut alia plura, tranſtulit, judicium, affirmantiũ, *quod ozænæ hæ ſi omnibus recte adminiſtratis non curentur, pro deſperatis haberi debeant, quia ſuſpicio ſit ne tales in cancrum degenerent, quem ta-*

e) *de tumor. p. n. C. XXII.* f) *L. 6. C. 8. p. 379.* g) *Lib. I. Part. III. Sect. IV. C. I. p. 949.* h) *Chirurg. Lib. III. C. XII. p. 375.*

tamen ſatius ſit ne quidem attingere. Suſcipere interea benignioris minimum curam ad eam requiſiti tenemur, ſive etiam ea palliativa ſit, & ſymptomata maxime reſpiciat, ſive perfecta & vera. Ad eam præſtandam, & hic pariter pharmacia ſuos nobis aperit theſauros, & chirurgia efficaciam ſuam promittit, quarum auxilia brevibus rimabor.

Pharmaceutica

§. VII. Reſpiciendum vero ante omnia eſt, tam ad totum corpus, ejusqve contenta, quam ad ipſam partem affectam. Corporis contenta, ſi vel quantitate peccent, vel qualitate, vel motu, illorum vitia corrigenda ſunt, abundantia evacuando, & qualitates pravas per convenientia remedia emendando. Quod ſi enim gallici morbi effectum ſit hoc ulcus, vel a catharris acrioribus ad illa loca depoſitis primordia ceperit, tunc pro cauſarum diverſitate, remedia dictorum malorum extirpationi apta in uſum erunt vocanda. Quibus interne cum judicio adhibitis, ad externa accedendum erit.

§. VIII. Cruſta proin, ſi adfuerit, ab ulcere per butyrum recens non ſalitum, aut unguentum aliquod emolliens, v. g. althææ, aut maturativum ex butyro, oleo ovorum, terebinth. veneta, & tantillo farinæ fabarum paratum, ſimileqve, vel per injectionem, aut cum penicillo, lana, vel linteo molliore involuto, applicationem mellis, cum exiguo terebinthinæ mixti, quod *Celſus* commendat, (i) remota, ulcus mundificandum, & detergendum, deinde exſiccandum, temperandum, tandemqve conſolidandum erit. Prius, ſcilicet deterſionem, & mundificationem ejus obtinemus, vel eluendo ulcus cum vino albo, in quo mel ſimplex, & roſaceum, vel ſolum, vel additis verbena, agrimonia, hormino, (k) calamintha, lapatho, nicotiana, efferbuerunt, vel cum ſero lactis, cui parum de oxymelite additum. Magis abſtergunt lixivium, & urina, eoqve melius, ſi aluminis addatur portio. Aſini urinam ex *Manardo, Mercurialis*, (l) *Paræus*, (m) & alii, tanquam ſingulare evporiſton in ozæna, pro fœtore corrigendo laudant, cujus tamen vim peculiarem eludit *Ammannus*, fœtorem ab ea augeri magis ſuſpicans. Spectant huc decoctum ligni gvajaci, in vino adſtringente, vel lixivio ſubactum, & hederæ ſuccus, (n) item unguenta, & linimenta varia, Ægyptiac. videlicet, vino granatorum, aut lixiv. claro admixtum, quod *a Cruce* laudat, (o) ungv. Apoſt. de nicotiana cum albo camph. & balſ. ſulph. mundificativ. *Paracelſi*, vel ſola, vel inter ſe, aut cum aliis, v. g. pulv. ſabinæ, Mercurio præcip. rubr. combinata. Sic quoqve egregie conveniet mixtura, ex aqua plantag. majoran. ſolani, ſperm. ran. roſ. melle roſato, ſp. vin. rectificat. & Mercurio ſubl. parva quantitate addito, parata. Magnæ inſuper in ozæna virtutis eſſe dicuntur aquæ, aluminoſa, mercurialis, viridis *Plateri*, ex ærugine, & auripigmento cum vino coctis, facta, & a *Sennerto* deprædicata, non minus ac viridis *Hartmanni*, (p) ſimiliter ex ærugine, additis tamen adhuc multis aliis compoſita. His naribus inunctis, vel cum turundis ſufficienter adhibitis, ad alia exſiccantia, leviter adſtringentia, aciditatem corrigentia, & conſolidantia deſcendendum. Parantur ea diverſa forma, ex ceruſſa, plumbo uſto, cancrorum fluviatilium, & ranarum cineribus, & pulveribus, (q) lithargyr. tutia, lap. calamin. croco martiali, terra vitrioli dulc. cornu cervi uſto, bolo Armen. nuc. cupreſſ. gall. & cortic. granat. e cinnabari, Mercurio præc. & dulci, camphora, myrrha, aloe, thure, balſ. Peruv. adjectis ſubinde aqua ſolani, calc. viv. plantag. ſucco ſemperv. geran. naſturt. cum alumine, calamenth. a *Galeno* commendato, oleo roſ. omphaci-

i) *L. VI. C. VIII. p. 379.* k) *Renealm. obſ. 119. p. 85.* l) *Libr. Conſult. & Reſponſ. Conſ. 69.* m) *Chirurg. L. XII. C. XIV.* n) *Weickardus Theſ. Pharmac. C. VI. p. 108.* o) *Lib. III. Tr. III. C. III. p. 209.* p) *Prax. Chym. p. 110.* q) *Hild. Cent. epiſt. ep. 61.*

phacino,&c.&unguentis diverſis,albo camph. *Felicis Wurzii*, de nicot. baſilico,&aliis, ex quibus varia decocta, linimenta, & unguenta componunt, iisqve nares ulceratas inungunt, quorum ſufficientem copiam & Chirurgorum, & Medicorum ſcripta pene omnia exhibent. Pro eodem ſcopo, varii etiam laudantur ſuffitus, ex ſtyrace, thure, benzoe, maſtiche, gumm. animæ excitati, e quibus & ſimilibus *Severinus*, (r) candelas artificioſas, & *Rondeletius* (s) ſuffimigium ſuum, ſufficienter deterſo ulcere, efficaciſſimum a ſe obſervatum, exſtruxerunt. Cumprimis vero hic fumum candelarum, e cera rubra factarum, & accenſarum, in anguſtiore præſertim conclavi, extollit, ea potiſſimum ratione inductus,quod ob admixtam cinnabarin optime exſiccet. Notandum tamen hic erit, caute admodum, & non, niſi exili quantitate, cinnabarin ſuffimigiis eſſe addendam, ne vel ſalivationem excitemus, vel humores erodentes ad eas partes magis pellamus, & ſic malum periculoſius longe reddamus, quippe quod, ſi ſecus agamus, certo futurum eſſe, *Hildani* t) experientia evincit. An vero cauſtica potentialia ipſa & ſola adhibita, e. g. aqu. fort. quam *Ferrara* u) adeo commendat, conveniant,dubium erit, cum ob ſubtiliſſimas ſuas ſcindentes,& pungentes partes, ulterius ſerpant, partes ſanas quoque corrodant, aciditatem ulceris augeant, adeoque plus detrimenti, quam levaminis & auxilii afferre videantur.

Chirurgica §. IX. Sed cum curam, his medicamentis pharmacevticis adornatam, vix ſemper optatus inſequatur effectus, præſertim in ozænis acrioribus, & corroſivis, unicum adhuc ſupereſt refugium, Chirurgia nempe, cujus opem quandoque implorant ægri, quandoque etiam obtinent, non uno tamen modo præſtitam. Equidem *Celſus* w) dicit: *ozæna, ſi medicamentis non cederet, quemadmodum manu curanda eſſet, apud magnos Chirurgos ſe non reperiſſe, quia res raro ad ſanitatem proficit, cum aliquod in ipſa curatione tormentum habeat*; adducit tamen nihilo ſecius ex aliis duos modos, quibus vitio huic obviam iri poſſit. Scilicet Veteres primo fiſtulam quandam ſubtilem, vel enodem calamum ſcriptorium, (ex arundine, nullo nodo obſita, teſte *Fabricio*, x) confectum) nari, ozænam patienti, ad os usque immittebant, dein tenue ferramentum candens, per eandem usque ad os ducebant, locum adurebant, aduſtumque ærugine, & melle purgabant, & purgatum lycio ad ſanitatem perducebant. Aut ſecundo, quo ulcus magis pateſceret, & candens ferramentum felicius admoveri poſſit, incidebant cartilagines usque ad os, tum factis faciendis, vulnus cartilaginum conſuebant, aduſtum locum modo explicata ratione curabant, ſuturam vero glutinante quodam illinebant. Verum de hoc ſecundo modo non immerito *ab Aquapendente* dicit, fruſtra eundem, & ſine urgente neceſſitate ſuſcipi, cum non ſolum ſumme doloroſa, incidendo, urendo, & pungendo ſimul agens chirurgia hæc futura ſit, ſed tota quoque cartilago, pinnas narium conſtituens, diſcindatur; (quod non ſemper ſine periculo fit, cum talia vulnera, uti de polypo monui, facile in ulcera prava, curamque ægre admittentia abeant) interim ulceris dignotioni, & medicamentorum applicationi, ſola narium diſtenſio ſufficiat.

§. X. Uſtioni propterea omni, tanquam magis dolorificæ, partesque ſanas pariter lædenti, laudatus *ab Aquapendente* aliam chirurgiam, minoris doloris, ejusdem tamen cum priore efficaciæ, ſubſtituit. Parat nimirum ex ferro cannulam cœcam, ſufficientis longitudinis, a *Sculteto* y) delineatam, eamque naribus, usque demum ozænam attingat, immittit. Per hanc poſtmodum ſtylum, ab eodem Autore z) depictum ex

r) *de efficaci Medic. L. I. Part. III. C. 47. p. 205.* s) *Prax. L. I. Cap. 65.* t) *Obſ. Chirurg. Cent. II. obſ. 23.* u) *Obſ. Chir. 88.* w) *L. VII. C. II. p. 442.* x) *Chirurg. Part. II. Cap. XXVII.* y) *Armament. Chirurg. Tab. XXI. fig. I.* z) *cit. l. fig. 4.*

ex ferro ſimiliter paratum, cannulæqve cavitati congruum, ignitumqve, naribus adducit, illumqve inibi, quamdiu id æger, ſine nimio dolore perferre valet, relinquit, poſtmodumqve extrahit ſtylum cum cannula, à ſtylo incaleſcente inſtrumentum iterum immittit, extrahitqve, & priori modo tamdiu applicat, removetqve, donec ulcus penitus exſiccatum, pusqve coctum, pars corroborata, & humores digeſti fuerint. Et licet hoc modo, non tam cito, quam ipſa uſtione, nec tam potenter ulcus extirpetur, crebriore tamen applicationis repetitione idem præſtari, neqve hanc operandi rationem ab uſtione, niſi gradu, differre affirmat, eamqve propterea, utpote a ſe ſæpius perſpectam, multis nominibus commendat.

§. XI. Neutiqvam tamen ab omnibus hic *Aquapendentis* operandi mos approbatus eſt, ſed ipſi, *Solingio* id affirmante, *Aime de Fos*, cognomine *Luc*, Gallicus quidam Chirurgus, cujus ille miniſter erat, vehementer contradixit, quod breviſſima incedendum eſſe via putaret. Quæ ſola tamen ratio fortaſſis non ſufficit, cum, ſi modo tuta & ſufficiens ſit *Aqvapendentis* medendi ratio, ea merito uſtioni, utpote ſumme dolorificæ, ægris etiam adverſæ, imo longe periculoſiori, anteponi poſſit. Dictus itaqve Chirurgus, pariter, ac *Solingen*, *Scultetus*, & alii, priore a *Celſo* commemorata chirurgia, licet emendata, pro mali moris ozænis curandis, utebantur. Scilicet explorant hi, quod ſub directione *Spigelii*, *Scultetus* fecit, (aa) prius ulcus, jam minoris apparatus exploratorio inſtrumento, turunda nempe, qua naſo intruſa, ozænam, ejus locum, magnitudinem, profunditatem, oſſis cariem &c. indagant, jam cum *Solingio*, (bb) ipſis oculis, majoris tamen apparatus exploratorio inſtrumento, ab eodem deſcripto, ſpeculo narium ſcilicet adjutis, quatenus illius ope nares dilatando, oculis, ad explorandum viam aperiunt & præparant. Quibus peractis, cognitisqve ulcere, ejus ſitu, magnitudine, & aliis conditionibus, cannula, cujus varias imagines *Scultetus* (cc) exhibet, narium foraminibus adæquata, perforata, & linteo, vino auſtero, vel albumine ovorum madido, ad partes ſanas defendendas, involuta, his immittitur, ita, ut foramen cannulæ, ulceris amplitudini exacte reſpondeat. Poſthac ſtylum ignitum per cannulam trajiciunt, ſicqve locum ulceratũ adurunt, quod quidem momentaneo quaſi attactu faciendum, ſtylumqve mox retrahendum, & denuo immittendum, idqve quater vel quinquies repetendum eſſe, *Scultetus* (dd) monet, hincqve, ut duo ſtyli in promptu ſint, ſuadet. Qua chirurgia finita, ad ambuſtionem facientia medicamenta adhibent, deſqvamatoqve oſſe ſarcoticis, & epuloticis applicatis, curam demum abſolvunt.

F I N I S.

DISPU-

(aa) Part. I. Armam. Chir. Tab. 32. p. 64. (bb) Chirurg. L. I. C. LIII. p. 165. (cc) Tab. 21. fig. 2. 3. (dd) Tab. 32. f. 11.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
De
STERNUTATORIO-RUM USU ET ABUSU.

PRÆFATIO.

Nihil hodie eſt frequentius, quam indeſinenter nares replere ſternutatorio medicamento: hinc in argenteis, eburneis, & ex teſtitudinis marinæ ſcuto factis, aliisque ad luxuriam usque deauratis & gemmis ornatis pyxidibus, pulveres ſternutatorii modo ſimplices, modo compoſiti, nunc fuſci, albicantis, nigri, purpurei, variegatique coloris, nominibus diverſis, à patria, artifice, odore, ingredientibus, aliisque accidentibus inſigniti, ſemper in loculis & manibus circumgeruntur. Aut cum varietas delectet, ſubinde pulverum loco e lagenulis cryſtallinis aqua Reginæ Hungariæ, aliaque ſpirituoſa, Angelica ſc. ac cœleſtis, quæ & neſcio quo non alio magnifico titulo ſuperbiens depromitur, naribusque immittitur, ad provocandum & deturbandum, ut ajunt, in porulis tunicæ narium hærentem mucum. Et hæc intemperies, perpetuo ſcilicet nares his vexare remediis, adeo increvit, ut in ſalutationum officiô & prandiorum ac cœnarum magnifico apparatu aliquid omiſſum videatur, niſi iſto quoque tempore turpi rivo ſtillaverint nares, aut futilis mixturæ inſpiratio, horridiſſima ſternutantis voce prodatur. Enimvero, cum nihil maneat ſalubre, quod longâ conſvetudine in naturam tranſit, ita nil juvat, ſed potius gravius nocet frequentatus omnibus horis ſternutandi impetus, adeo, ut tandem innumera inde ſequantur damna, quibus

— ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Ridendi hinc, imo vehementer increpandi Germani mihi videntur, quia ad imitationem Hiſpanorum & Italorum illud ad narium ac faucium tutelam a benigniſſima natura conceſſum ſerum exſiccant incaute cum tanto corporis periculo. Et hæc etiam cauſa fuit, cum mihi thema aliquod pro diſſertatione ſeligendum eſſet, quæ me impulit, de ſternutatoriorum emolumento & damno mea qualia qualia cogitata in chartam conjicere. Cui labori, ut ex alto benedicere velit ſummum Numen, animitus precor!

§. I.

§. I.

UT igitur eo felicius atqve inoffenſo, quod dicunt, pede ad explicationem emolumenti & damni ſternutatoriorum deveniam, neceſſe erit, quædam circa ſternutationis nomen ejusqve ſubjectum patiens, agentia deniqve & finem prælibare, cum ſine horum accurato prægustu nec uſus aut abuſus circa illa feliciter capi poſſit.

gia. §. II. Ipſum igitur quod attinet nomen, extra omnem controverſiam à verbo ſternuo illud oritur, quo nomine flatus ex pectore exſurgentis emiſſio cum capitis concuſſione denotatur *à Plinio, Lib. VII. hiſt. nat. c.6.* vel à ſterno, quoniam in illo actu, dum nempe aër per nares cum violentia expellitur, caput & ſæpius thorax ſimul humum verſus quaſi dejiciuntur & ſternuntur. Priſcos enim Græcos hac voce uſos eſſe loco πτάρω ſeu πταίρω, quod ſternuo ſeu ſternuto ſignificat, *Voſſius* teſtatur in Etymol. *p.492.*

mia. §. III. Ejus Synonyma ſunt; ſternumentum, item ſternutamentum, quibus ſæpius utitur *Plin. H. N. L. 28. c. 2. & 14. L. XX. c. 12.* & quamvis malè propterea audiat *Salmaſio, in Exerc. Plinianis p. 27.* qui pro barbaris locutionibus iſta habet, tamen cùm *Cicero de divinatione p. 126. item Gellius L. 12. c. 5. & Celſus L. 2. c. 8. L. 3. c. 20.* nomina hæc quoqve uſurpent, crediderim Plinii hunc barbariſmum *mia.* excuſari poſſe. Quoad Homonymiam juxta *Galenum in L. 6. Hippocr. de morbis vulgaribus Comment. 2. T. 32.* omnis excretio ſternutatio poteſt dici, præprimis tamen, quæ aliàs eructatio audit.

io. §. IV. Miſſis ſic nominalibus ad realem definitionem ſternutationis progredior. Subintelligitur vero *fortis illa ac ſonora plus minùs aëris exploſio per nares ac os, vicibus reiteratis utplurimum facta, ab irritatione membranæ interioris narium convulſivoqve organorum reſpiratoriorum motu orta, quâ mediante ſerum non ſolùm eliditur, verùm quoqve univerſum corpus mirum quantum concutitur.*

is. §. V. In hâc definitione ſternutatio primo dicitur aëris exploſio per tracheam; ad pulmonum enim cellulas transmiſſus aër, qui in exſpiratione rurſum emitti debebat, nunc uno impetu eliditur, quod adeò clarum eſt, ut probatione vix indigeat. Si tamen quis adhuc dubitet, ipſum jubeo, ut attendat, quomodo ſæpe plumæ aut alia levia corpora ſternutanti objecta, disjiciantur & propellantur, ſimili penè impetu ac ea avolare ſolent, ſi flatus immiſſus fuerit ac aëris commotio vehemens ipſa attigerit.

§. VI. Exploſio autem hæc fortis *Differentia* eſt & ſonora. Fortis ob violentum thoracis & inprimis diaphragmatis motum, quem prædictæ partes tum temporis ſuſtinent. Adeoqve aër iſte, qui aliàs blande rurſum ob ſubſidentem thoracem, & muſculi majoris diaphragmatis aſcenſum placidum emitti debebat, nunc uno actu exploditur, unde quoqve naſcitur ſtrepitus & ſonus iſte. Dum enim ex ſpatio iſto amplo pulmonum per tracheam anguſtam, nariumqve foramina protruditur, ex forti illa alliſione fluidi hujus, repercuſſio & per conſequens ſonus oritur, qui ſæpè ſatis importunus à vociferantium aut clamantium ſtrepitu non multum differt.

§. VII. Fit vero iſta exploſio ut plurimum per intervalla ſeu vices reiteratas. Dico ut plurimùm: Regula enim ab *Ariſtotele Probl. ſect. 33. 3.* tradita, quod bis ſternutare ordinariè ſoleamus, non ſemel aut ſæpius patitur ſuas exceptiones, cum non raro ſternutatio binarium non attingat numerum, ſed unicâ tantùm vice abſolvatur, & contra frequentius reperiantur, qui plures hujusmodi concuſſiones patiantur. Vid. *Septalius, Comment. in Sect. 10. Probl. Ariſt. 49. p. 144. Miſcell. N. C. Dec. I. anno 3. p. 247. 249. Amat. Luſit. c. 4. Curatione 3. Horſtius L. 1. Part. 2. Obſerv. 49. Smetius Miſc. p. 546.*

§. IIX. Utut vero nunc ſatis com- *cauſa, ſine quâ non.* probatum ſit, per exſpirationem fortem ſternutationem potiſſimum abſolvi, tamen inſpirationis actus ſeu aëris aſſumtio penitus excludenda non eſt ab hoc opere, quin etiam ejus aliqua pars & inprimis initium ab illa depen-

dependeat. Quare ſemper, antequam aëris iſta expulſio impetuoſa ſit, profundè & extra ordinem inſpiramus, ita tamen, ut paulo poſt ſæpiusqve adhuc inter inſpirandum ſuperveniat exſpiratio illa impetuoſa jam deſcripta.

Subjectum, in quo. §. IX. Ex quibus patet ſternutationem mihi eſſe actionem thoracis convulſivo motu vexati, adeoqve hac *Hippocratis & Ariſtotelis error.* in parte diſſentio ab *Hippocr.* & *Ariſtotele*, militantibus pro capite & inprimis cerebri motu, ac ſi ſcilicet illud nobiliſſimum viſcus primario affectum thoracem demum in conſenſum rapiat: Niſi enim veritati impudenter reclamare velim, dogmati huic non poſſum ſubſcribere.

fundamentum erroris. §. X. Sed ne ſine ſontica ratione Principes hos Medicinæ ac Philoſophiæ, quorum effata mihi aliâs inſtar Oraculorum ſunt, deſeruiſſe videar, dicam quod ſit erroris illorum fundamentum: ſcilicet ſtatuerunt, non aërem ſolum, verum mucum quoqve ſeu ſerum viſcidum, quod ſternutando rejicitur, ex cerebri interioribus effluere per oſſis ethmoidei ſeu cribriformis poros ad narium interiora, cumqve ſponte ſua ob viarum anguſtarum ineptitudinem id fieri haud commode animadverterent, à contractione cerebri impetum iſtum deducere cogebantur. Et cum omni tempore tam aër, quam aqueum quodcunqve fluidum vi quadam per anguſtum ſiphonem emboli ope ejectum ſonum excitet & ſtrepitum, ex hac quoqve oſſis ethmoidei arctitudine & violenta meningum contractione ſtrepitus inter ſternutandum excitati ætiologiam ſic quoqve ſe inveniſſe putabant.

refutatũ à Schneidero. §. XI. At enim vero evanuit dudum, quicquid de cerebri convulſivo motu, flatuum juxta ac pituitæ ejectione extra ejus pomœria per ethmoidei oſſis poros commentati ſunt majores, poſtquam ſcilicet Victor ille *Schneiderus*, Profeſſor Celeberrimus quondam Witteberg. vicit & jugulavit totam hanc veterum opinionem, oſtendendo (1.) cerebro ſyſtolen & diaſtolen competere nullam, nec (2.) flatus in cerebro nec vapores generari poſſe, cum antiquorum ſuppoſitum, quo cum alembico vaſi deſtillatorio impoſito comparatur, falſum & tantum non ridiculum ſit, nec (3.) viam haud adeſſe aptam ad transmittenda hæc fluida, idem Autor evicit, utut in calvariis exſiccatis faciem ſatis perforatam ac cribroſam omnino oſtendat nominatum ſæpius os. Nam in ſtatu naturali illa conformatio omnino negatur, cum interior paries dicti oſſis, à membrana dura cerebri tegatur exacte; ipſa vero foramina à tubulis nerveis transeuntibus, occludantur perfectè & obſtipentur. Conf. *Schneiderus de oſſe cribriform.*

§. XII. Sic, ni fallor, ſatis error antiquorum in nominando ſubjecto ſternutationis præprimis affecto, detectus eſt. Sed nondum propterea omnia liquent circa noſtrum dogma. Dubium enim cupiam poſſit hîc naſci ex verbis definitionis noſtræ, in qua ab irritatione tunicæ internæ narium ſternutatio deducitur. Verùm nulla hic contradictio reperitur, ſed utiqve dictæ tunicæ irritatio ſtare poteſt cum convulſivo motu thoracis & diaphragmatis incuſati, imo & cuncta phænomena, quæ non raro à ſternutatione etiam intra ipſum cranium oriuntur, ex noſtra hypotheſi commode deduci poſſunt.

§. XIII. Pro qua aſſertione comprobanda provoco ad texturam, ſitum & connexionem nominati involucri narium, quod ratione compagis totum obſervatur nerveum. Nam ex conſenſu cunctorum Anatomicorum naſcitur illud à dura matre, quæ transeundo os ethmoideum ſub exiguarum papillarum formâ, poſtmodum in membranam hanc rurſus transformatur. Accedunt deinde nervi à primo & ſecundo ramo quinti paris nervoſi intra cranium oriundi, inqve illud penitus diſperguntur, non ſecus, ac olfactorius nervus, qui in ſuperiori ejus parte radicatur, quæ oſſibus turbinatis inſternitur. Conf. *Raymundi Vieuſſens Nevrographia univerſalis, L.3. c.3. Stephani Blancardi Anatomia reformata, p. m.314. Petri Dionis Anatomia corporis humani p.390. ſqq.*

§. XIV. Quoad ſitum ejus univer-

ſam

ſam narium internam concamerationem tegit, adeo, ut non ſolum in margine ſ. limbo ipſius externo conſpiciatur, ſed etiam altiora ipſamque ejus apicem petat, laminasque iſtas cartilaginoſas ad oſſis cribriformis exteriora poſitas inveſtiat. Imo extra narium pomœria extenditur, meatus illos ad palatum ducentes ſimulque & palati fornicem una cum lingva, larynge, gula & ventriculo velans, vide ſis *Barthol. Anat. reformat. p. 531.*

r de- lio §. XV. Mirum itaque non eſſet, ſi vel unice ob membranæ hujus ſitum, cohærentes jam indicatæ partes, ſimulque & thorax cum diaphragmate ſubſultarent ab illius irritatione. Veruntamen alia adhuc, eaque magis manifeſta convulſivi hujus motus eſt cauſa, nempe par nervorum intercoſtalium, quod quoad maximam portionem nervis illis prænominatis quintæ conjugationis, ſimul tamen & nervoſo pari ſexto originem ſuam in acceptis fert. His enim propagines ſuas impertiunt, non ſolum cervici & muſculis gutturalibus, aliisque vicinis locis, ſed etiam poſtqvam nervis omnibus ſpinalibus uniti ſunt, pulmonibus ac thoracis muſculis cunctis implantantur. Imo propter communicationes cum nervis octavi paris, etiam abdomen & intra ipſum concluſa viſcera ſimul afficiunt.

§. XVI. Clarius quo pateat mens mea, contraham in ſummam hactenus dicta, verbisque *Raymundi Vieuſſens L. 3. c. 5.* ea exprimam. Ita vero ille *p. m. 189.* in ſternutatione, ſtatim ac nerveæ fibræ, quæ in membranam narium interiora occupantem deſinunt, à re quavis acri vellicatæ corrugantur, illico diaphragma propter altiorem inſpirationem à ſpiritu animali per nervos intercoſtales devecto excitatum deprimitur & ſubinde membranæ narium ſpaſmo remittente, ſeptum transverſum ſuperiora verſus vehementer retractum violentam exſpirationem excitat.

ſ- §. XVII. Satis ſic declarata eſt, ni fallor, ſternutatio ex parte patientis, ad agentia proinde ſeu materiam, à qua irritatio membranæ narium excitatur, nunc pergo. Vocantur iſta uno verbo ſternutatoria, Græcis πταρμικὰ ſique brevibus naturam illorum determinare fuerit permiſſum, dicam illa inæquali ſatisque aculeata textura irritare nominatam ſæpius membranam. Non vacat in comprobando hoc effato per cuncta exempla ire, cum chartarum anguſtia, qua diſſertationes hujusmodi uſu recepto comprehenduntur, id non permittat. Quare mihi ſufficiet, ſi de primariis & experientia frequenti comprobatis effatum meum ſolum probavero.

§. XIIX. Veniant proinde ex illis primo mihi teſtes, qui externa à modo applicandi vocantur, qualia ſub forma pulveris parantur, ex herba *anagallidis purpureæ, anemone, majorana, rore marino, thymo, origano, ſabina, ruta, marrubio, betonica, calamintha, hyſſopo, tabaco, ex floribus lavendulæ, croci, ptarmicæ, liliorum convallium ex ſemine lolii, nigellæ, rutæ, naſturtii, coriandri, ſinapi, erucæ, ſtaphis agriæ, ex radicibus angelicæ, ari, cyclaminis, iridis noſtratis, pyrethri, ranuncul. minoris, hellebori nigri & albi.* Ex *galanga, nuce moſchata, cubebis, caryophyllis, pipere,* tandemque ex *vitriolo albo, alumine, caſtoreo, euphorbio, ambra denique, zibetho ac moſcho.* *externa, pulveres*

§. XIX. Idem docebunt liquida ſternutatoria, uti ſunt *aqua Reginæ Ungariæ, ſuccus majoranæ, betæ*, eſſentiæ acriores, oleaque deſtillata, aut quæ ſub vaporis aut exhalationis forma vocantur in uſum, quorſum ſpectant exhalationes *ſpiritus ſalis Ammoniaci, vel ſalis volatilis, cornu cervi*, aut alius urinoſi. It. *aceti, in quo caſtoreum ſolutū eſt*, ex teſtimonio *Avicennæ*, & denique *miaſmata raphani ruſticani* ſupra radiculam comminuti, aut quæ ex *cryſtallis viridis æris* vel *Mercurii ſublimati*, in mortatio tritis avolant, & tandem ex ſulphure accenſo emittuntur, cujus ultimi efficaciam ſingularem comprobat hiſtoria apud *Apulejum in aſino aureo L. 9. p. 809.* recenſita, de fullone quodam, qui adulterum ſub panno ſulphurato à mœcha reconditum crebriusque ex hac cauſa ſternutantem ſic deprehenderat. *liquores*

§. XX. Probatur etiam ſternutamentis illis, quando ſcilicet balſama anta-

antapoplectica & antepileptica, aliaque narium interioribus inunguntur; Vel pulveres ſupra nominati acres, v. g. *tabaci*, *liliorum convallium*, *euphorbii*, *piperis*, &c. cum cera vel melle in bacillos tenues formati aut ſi fruſta radicis *betæ per folia tabaci Braſiliani* in pyramidalem formam redacta naribus intruduntur.

interna

§. XXI. Nec teſtimonium adverſum eſt, ſi ab interna cauſa ſternutatio proveniat; ſive enim in catarrhis, à ſolo ſero copioſius irrigante nares, ſive ab acrimonia ſimul ſociata dependeat effectus, ſemper tamen irritans ac ſtimulans cauſa, licet plus vel minus manifeſta, adeſt. Et illam quoque annotabis, ſi curioſa iſta ac rara exempla examinis incudi ſubjeceris, quæ deſcripta leguntur in *Miſc. N. C. decur. 2. anno 4. p. 6. 62.* de ſternutatione ex gammarorum uſu & ejusdem decuriæ *anno 6. obſ. 93. an. 10. obſ. 191.* ex cereviſiæ & vini Hiſpanici potu, & *ann. 8. p. 329.* de triduana continua ſternutatione ex menſium ſuppreſſione orta.

Sternutatoriorum vires in quo conſiſtant

§. XXII. Quodſi tamen quis adhuc hæreat dubius, circa ſternutatoriorum hanc ſtimulandi vim, ipſum jubeo attendere ad acrem ſaporem & mordacem odorem, qui cunctis his rebus ineſt: ſiquidem iſta guſtus & olfactus organa tam potenter ſæpe afficere valent, ut ſine ſumma moleſtia eorum præſentiam non poſſint diu perferre; imo cum non pauca ex illis cuti diutius impoſita rubedinem aut veſicas cum dolore ardente excitent, ſatis inde virtus ſtimulandi narium interiorem pelliculam pateſcet.

§. XXIII. Sed ne dubium remaneat ullum, nonne ſæpe hanc ſolam ob acrimoniam neceſſum habemus, quædam ex dictis ſternutatoriis vel penitus negligere; qualia ſunt miaſmata *Mercurii ſublimati aut cryſtallorum viridis æris, item hellebori albi, euphorbii & piperis pulvis*, aut non niſi in minima doſi ea in uſum vocare aut prius ſummam illorum acrimoniam quodammodo corrigere, quod ultimum optime norunt artifices pulverum ſternutatoriorum, dum prius in aqua macerant *folia tabaci*, usque dum remota fuerit exceſſiva illa acrimonia, vel cum mucilagine *ichthyocollæ*, *gummi tragacanthi & Arabici* pulverem dictum miſcent, & in granula minutiſſima formant, unice, ut inviſcati aculei Nicotianæ non niſi leviter pungere dicta loca poſſint. Conf. *de Prade in Tractatu* ex Gallica lingva in Germanicam translato, cui titulus: Tabacks-Hiſtorie/ *p. 76. & 82.* Et licet e contra quædam ex adductis ſternutatoriis ſint, à quibus haud fiunt allegatæ vellicationes lingvæ & narium, haud minime tamen propterea noſtrum aſſertũ deſtruitur, teſtante etenim *Claudino, Tr. de ingreſſu ad infirmos, L. 2. c. 26.* & clarius adhuc quotidiana obſervatione, alia ſternutatoria ſc. mitia, v. g. *betonica*, *thymus*, *origanum*, &c. alia ſunt mediocria: v. g. *folia tabaci*, *flores liliorum convallium*, *vitriolum album*, alia fortiſſima, *helleborus albus*, *euphorb. piper*, &c. Hinc non ſequitur, quod omni deſtituantur acredine mitia, licet tam potenter non irritent, uti mediocria & fortiſſima.

fini

§. XXIV. Sed ſatis de his: ſupereſt adhuc finis ſternutationis examinandus, qui duplex eſt juxta definitionem datam, nunc ut ſerum ſtagnans in naribus locisque prope poſitis elidatur, nunc ut caput cum thorace, imo univerſum corpus concutiatur: Utque clarius pateant hæc cuncta de priori effectus hujus parte, loca, in quibus ſerum excernendum usque ad illum exploſionis actum hæret, prius examinanda ſunt.

§. XXV. Mittam vero ſtatim Veterum opinionem, qui pituitoſos humores intra calvariam naturaliter congeri, & vel nates vel palatum expurgari exiſtimant, ſupra enim §. 11. jam indicavi, os ethmoideum firmiter eſſe occluſum, nunc idem affirmo de illo oſtio, quod ex pituitaria glandula, ad palatum ducere ſerum viſcidum quondam credebatur, imo de cunctis omnino calvariæ baſeos foraminibus non aliter judico, probationis loco ad ocularem inſpectionem provocans, ſemper enim margines illorum foraminum obducit, iisque firmiter adnaſcitur dura meninx, adeo, ut equidem vaſis ac nervis transeuntibus aliquis

quis adhuc locus, ſero vero ſimul egreſſuro nulla planè concedatur via. Deinde nec organa adſunt intra cerebrum, ſecretioni huic inſervientia. Aut enim ſerũ hoc ſecernitur in glandula pituitaria vel pineali, iſtisque minutis corpuſculis glanduloſis, plexibus choroideis intertextis, aut in corticali cerebri portione; (aliæ enim glandulæ, quæ ſeri ſeparationi præeſſe poſſent, intra cranium non reperiuntur.) Aſt illa lympha, quæ in prioribus glandulis ſecedit a ſangvine, per bina receptacula equinæ ſellæ appoſita omnis deducitur ad venas jugulares: In cinereo autẽ ſive glanduloſo cerebri cortice vel nulla penitus ſeparari poteſt, ob nimiam anguſtiam organorum, aut ſi utique adhuc ſecretio fluidi talis fieret, quomodo ad cerebri ventriculos deponat, & ad dicta emunctoria deveniat, planè non concipi poteſt. Conf. *Vieuſſens Nevrographia, L. 1. c. 17.*

[P]itui[ta]r[i]es. §. XXVI. Hinc potius mihi placet opinio, in pituitaria membrana, capitisque aquoſis ductibus, & emiſſariis ſcatebram iſtius ſeri ſeparari, cumque a nemine clarius, quam ſæpe laudato Vieuſſens illam deſcriptam videam, iterum hic Anatomicus, quæ meæ intentioni inſerviunt, mutuo mihi dabit. Quod igitur primo membranam pituitariam attinet, a materia ſ. muco pituitoſo, quem ſecernit, denominatur; ſemper enim etiam ſecundum ipſas naturæ regulas in illa ex ſangvine ſeparatur liquor aliquis viſcidus, potisſimum humectationi continuæ illarũ viarum inſerviens, quo ſc. ſic munitæ, aëri jugiter inter reſpirandum transeunti, reſiſtere poſſint; & poſtmodum, ut hoc ſuperfluum viſciditatis in ſangvine per convenientia hæc & accommodata emunctoria eliminari poſſit.

[...]io [...]itui[...]æ. §. XXVII. Illa autem, de qua nunc verba facio, pituitaria membrana, ab utroque anteriori oſſis occipitis progreſſu natales ſumere videtur, hinc totum illud ſpatium tegit, quod faucium titulum communi Anatomicorum conſenſu gerit, ita tamen, ut ſuperna ejus pars internæ œſophagi tunicæ continua ſit, infima vero columellam & externa laryngis & Pharyngis latera obducat, poſtmodumque totum os vomerem, oſſa ſpongioſa in ſuprema narium parte pendula, nariumque ipſarum & meatuum à naribus ad fauces tendentium interiora obducat, imo & ipſis illis emiſſariis capitis inſternatur.

§. XXIIX. Tota vero ſpongioſa eſt hæc pituitaria membrana, & ex copioſis glandulis ſub laminæ forma extenſis conſtat, ſuperficiemque oſtendit pluribus exiguis foraminibus notatam, imo & ſatis notabili in quantitate vaſa mucifera ſ. excretoria in illa reperiuntur, hinc ſi acu ſeu digito comprimantur, ſtatim emittunt viſcidam hanc lympham, majorique longe copià adhuc reddunt, ſi fortius a ſternutatoriis irritata vellicetur & contrahatur.

§. XXIX. Ex hac itaque parte maximam ſeri illius portionem provenire credo, quam ſternutando elidimus. Inſuper tamen etiam ex aquoſis capitis emiſſariis copiam ipſius fluere, cum jam ſæpius allegato *Vieuſſens* firmiter mihi perſvaſum habeo. Duodecim verè numero ſunt iſta emiſſaria, & oſſibus ſphenoideo, ethmoideo, frontali & maxillari inſculpta deprehenduntur, nullum alium in finem, quam ut pituitoſos ſuccos a ſangvine in membranæ pituitariæ certis portionibus ſecretos, quique ſtatim eliminari non poterant, ſervent & contineant, donec cómmodà data occaſione, & inprimis tempore ſternutationis ad narium cavitates, vel ad patentes meatus, qui a naribus ad fauces tendunt, propellatur. *Uſus ductuum aquoſorum in capite*

§. XXX. Sed nunc quoque de concuſſione totius corporis, quæ in ſternutatione contingit, aliquid adhuc dicendum eſt. Manifeſtiſſima ea eſt, ſenſibusque obvia, nam non ſolum oculi, labia, & reliquæ faciei partes, ſed etiam cervicales ſimulque & intercoſtales muſculi cum diaphragmate moventur; imo ad plura & tantum non cuncta abdominis viſcera ac integumenta motꝰ ille transfertur, tandemque artus ſimul contremiſcunt, ſatisq; violenter agitantur ac concutiuntur: Si ætiologiam petis, eam in ſupra jam commemoratis intercoſtalibus, parisque octavi nervis mirifice ſibi connexis, & ad prædictas partes cunctas abeuntibus latitare, facile conſtabit, *Concuſſio totius corporis ejusq; ratio.*

 modo

modo tædioſum tibi non fuerit toties citati *Vieuſſensnevrogr. L.3. c. 3. & 4.* perlegere, qui ſumme ſtupendas horum nervorum ramificationes & diſtributiones ſufficientiſſime deſcriptas ac delineatas dedit.

Uſus ſternutationis

§. XXXI. His in genere de ſternutatione præmiſſis, absq; ulteriori mora aggredior nunc ſpecialia emolumenta & damna ex recto uſu ac contrario abuſu oriunda, quorum in gratiam potiſſimum diſſertationem præſentem conſcribere mihi propoſui. Rectiſſime vero *Hoffmannus Inſtit. Medic. L. 5. c. 36.* ſternutationem opus mirabile eſſe dicit, quatenus ſcil. Natura nunc propria virtute, nunc arte adjuta tam extra morbos, quam in morbis quam plurimis, optime & ſalutariter operatur. Tantus vero numerus morborum horum eſt, in quibus ſternutatio auſpicato contingit, ut à quibusdam pulveres ſternutatorii pro panacea ac medicamento plane univerſali venditentur: Verumtamen, licet his non ſubſcripſerim, nihilominus neceſſum habeo fateri, jure inter remedia polychreſta, & quæ plurimos diverſosque ſanare poſſunt morbos, numerari illa.

in Cephalalgia

§. XXXII. In recenſendis ipſis incipiam à capite, primoq; loco nominabo Cephalalgiam, quæ ſubinde curatur hoc remedio, vel ipſo teſte *Hippocr. de Aff. S. 1. 20.* Notanter dico, ſubinde curari illam; in his enim capitis doloribus, ubi nimium turgeſcentes duræ matris ſinus ex p.n. mora ſangvinis deprehenduntur, qualisque non raro a crapula heſterna oritur, vel ſi a vaporibus ac effluviis a ſangvine emiſſis & inter cerebri confinia æſtuantibus procedat ſenſus ille triſtis, inprimis ſternutationem credo proficuam. Nam dura hæc meninx, quatenus magna ex parte nec cranio nec cerebro alligata eſt, hunc inprimis uſum præſtare comperietur, ut dum foris intro pellitur, & convexæ cerebri parti admovetur, hærentis intra vaſa ſangvinis motum juvet, quodammodoque citatiorem & ad exitum magis aptum reddat, repetitis ſcilicet amplexibus blandisque compreſſionibus vaſorum; Inſimul tamen hocce contractvio motu vapores mordaces diſcutiuntur non ſolum, ſed adiguntur etiam, ut una cum ſangvine venoſo egrediantur extra pomœria capitis.

Apo

§. XXXIII. In Apoplexia etiam commendantur ſternutamenta pro ſcopo deoppilandi obſtructiones principiorum nervorum, in quibus remora hærere nunc videtur, tranſitum liberum ſpiritibus ad ipſos nervos & partes haud concedens. Teſtes voco *Valeſcum de Taranta, L. 1. de aff. c. 19. Heurnium de morbis capitis, c. 24. Rondelet. L. 1. c. 22. Hartm. Prax. Chym. c. 2. p. m. 72. Sylvium in praxi, l. 2. c. 21. p. 225. Ettmüll. Op. pract. c. 10. p. 450.* Quodſi vero petas rationem operationis, hanc accipe: Ex motu illo duræ matris per amplexus cerebri repetito, à ſangvine in glanduloſa cerebri ſeu corticali ſubſtantia ſecretus ſpiritus, verſus ovale centrum vi quadam propellitur, obſtaculaq; iſtis in locis poſita ſic removentur. Non tamen ſemper hoc remedium, nec in quavis apoplexia convenit, ſed inprimis, ſi à lymphæ craſſioris vitio dicta principia nervoſa laborent, imo ne tunc quidem omni tempore tuta ſunt. Quare *Horſtius* & *Sennertus* præmiſſis univerſalib9 & revellentib9, & *Joel in ſua praxi, T. 1. L. 1. ſect. 3. p. 96.* non niſi prius purgata alvo illa admittit, & juxta *Sylvium* ac *Ettmullerum*, tum demum, quando poſt horæ quadrantem non redeat ad ſe æger, ea adhibenda eſſe inculcant.

affect. ſopo

§. XXXIV. Soporoſis quoque affectibus ac inprimis Caro ac Lethargo afferunt opem noſtra ſternutatoria: *vid. Aëtius Serm. 6. c. 97.* ſed & hic opus erit, ut ſummo cum ſtudio prius addiſcas, num à torpore ſpirituum, excitato per anodynorum abuſum, aut carbonum fumos aſſumtos, vel ſero viſcido intra cerebrum ſtagnante oriatur. Quibus in caſibus eodem conveniunt ex fundamento, prout modo de Cephalalgia & Apoplexia monui. Erit tamen opus, ut tum fortiter pungentia ſeligas ſternutamenta, uti ſunt *Caſtorei pulvis, piper & Helleborus* &c. cum ſenſationis principale principium, h. e. Spiritus, uti in cunctis ſenſoriis externis, ita quoque in narium membrana deficiat jamjam, adeoque non niſi vehementer commotis partibus iſtis, irri-

irritari rurſum ſe patiatur. Inſuper vero erit neceſſum, ut cum omnimoda ſenſuum ac motus impotentia, durante morbo, laborent ægri, per inſtrumentum conveniens ſeu tubulum ſternutatorium pulverem ægrotantium naribus inſuffles, quem ipſe intrudere nunc nequit. Sed cave, ne pecces in exceſſu, cũ metuendũ ſit, ne caput repleatur magis, ut humores nimium fundantur. *v. Galen. Lib. de inſtr. odoratus p. 388. Joel. Pr. T. II. L. 1. Sect. 2. Willis de animæ brutorum. Neander Tabacologiæ, p. 89.*

ne & ia §. XXXV. Vertigini etiam & Scotomiæ ſubvenire perhibentur, *vid. Riverii Prax. L. 1. c. 9. p. 219.* Rurſum vero & nunc velim annotetur, motum illum ſpirituum nunc gyratum, nunc retrogradum, (in quibus potiſſimum morbi hi conſiſtere mihi videntur) qui ex aſpectu rei celeriter motæ, aut a curis, ſtudioque immoderato, vel inedia aut catarrhis dependent, his concuſſionibus felicius auſcultare, quam ſi ex febribus malignis, vel a diſſipatione ſpirituum ob veneris abuſum, terrorem, vel capitis contuſionem, ſubſidentiam cranii, ac ſangvinis extravaſationem internam, oriatur. Aſt licet a prioribus cauſis proveniat malum, non tamen niſi leniſſimis ſternutamentis obviam eundum eſt, ut rectiſſime monet *Ettmullerus P. 1. c. 8. p. 430. P. 2. p. 437. Conf. etiam Wedelium in Amœn. Mat. Med. p. 456. & Tr. de Med. facult. p. 210.* Metuendum enim eſt, ne Epilepſiam promoveas, quod duplici exemplo triſti ultimus allegatorum Autorũ probat citat. locis.

ſia §. XXXVI. Pariter Epilepticis ea commendantur, ſvadente *Joel. Prax. T. 2. l. 1. S. 3. p. 85. Williſio de morbis convulſivis, c. 3. p. m. 32.* ſuntque, qui in ipſo paroxyſmo inflare jubent helleborum & Euphorbium cum *Hartm. in praxi, c. 10. Etmullero in Comment. ad Schröderum.* Sed dubius hic hæreo, num ipſis adhærendum ſit nec ne; ſane ratio pro negativa adducta *à Wedelio l. de Med. fac. p. 210. & in Amœn. Mat. Medic. p. 457.* admodum mihi videntur prægnans: Veriſſimum enim eſt, ubicunque vis ſeri elaſtica peccat, ibi magis promovebitur malum. Et quæſo, nonne ſponte ceſſat ſæpe paroxyſmus, aut tutioribus longe remediis adhibitis diſſipari poteſt? Cur ergo adeo ancipitis aleæ remedia uſurpabimus? Nihilominus ſi a compreſſione nervi cujusdam, aut ſtimulo alio inhærente his ſenſatis partibus, inſultus hi proveniant, forti illa concuſſione totius corporis cauſam hanc ex voto removeri poſſe, facile admitto.

§. XXXVII. Syncopizantes & qui Lipothymia laborant, hoc remedio excitari poſſunt, ex teſtimonio *Sorbait. in Med. pract. Tr. I. c. 47. p. 339.* inprimis, qui ex inhibito influxu activi & vitalis noſtri principii, omnimodam ſenſuum illam ac motus ceſſationem cum pallore faciei ac artuum rigiditate ſtipatam, incurrunt. Modo enim in his nervorum fibrillæ, quibuscunque etiam id fiat in locis, durius paululum tractentur, aut fortius vellicentur, redire ſtatim ex voto rurſum ſolet exoptata illa ſpirituum irradiatio. Quare cum adeo multum interſit, ut affluant denuo ad ſenſuum atque motus organa Spiritus, utpote ſine quibus in vivis perſiſtere nequimus, jubemur pro hac intentione mediocria, imo & fortia ſollicitare ſternutamenta, quibus nil conferentibus, actum eſt de ægro, cum ſignum ſit ſatis certum extinctorum omnino ſpirituum, quemadmodum recte id inculcat *Paulus Zachias in Quæſt. Medico-legalibus l. 4. Tit. 1. Qu. 2. & Wedelius de Med. Fac. p. 210.* *Syncope & Lipothymia*

§. XXXIIX. Nec minor virtus in Paralyticis notatur, nam cum in his impotentia motus occurrat cum membrorum flacciditate, ob excluſos ſpiritus, quibus efficienter alias poteſtas illa in acceptis eſt ferenda, ex voto reſtituere illum hac potenti totius generis nervoſi concuſſione ſæpe poſſumus, modo non hæreat culpa nimis rebellis in nervis, vel ſauciatis a vulnere vel a colluvie ſeroſa, aut violentiſſima membrorum extenſione relaxatis, vel a prægreſſa inſigni refrigeratione, aut dolore enormiter corrugatis; quare in tali caſu manum de tabula retrahere jubent Practici, & ex his inprimis *Sennertus, l. 1. Prax. P. 2. c. 27. & Sylvius, Prax. l. 2. c. 22.* niſi fruſtranea illa irritatione in graviora pericula ægrum imprudenter velimus præcipitare. *Paralyſi*

§. XXXIX. Si memoria fuerit læſa, ha- *Memoriæ vitiis*

habent quoque in ſternutatoriis ægri, de quo ſibi gratulentur, *teſte Damaſceno, l. 1. cur. 3. c. 29.* non tamen putarim, alio ex fundamento ſolatium expectandum, quam quod ſeroſitas ſuperflua, quæ ad capitis interiora translata, ſua præſentia fibrillas cerebri relaxare nimium, & hinc ſpiritus tranſituros in motu turbare potis erat, evacuetur è pituitaria tunica, ante ſcilic. quam ad ipſius cranii interiora cum ſangvine aſcendente feratur; quæ operandi ratio in hoc morbo longe magis mihi videtur probabilior, cum *Dn. de Prade Tr.* Tobacks-Hiſtorie *pag. 52.* qvam antiqvorum, qvi ex ipſo capite educi materiam peccantem arbitrabantur, qvamvis, ſi rite explicetur hæc opinio, & loco oſſis ethmoidei ſinus inferiores ſellæ turcicæ accumbentes, pro ductibus emiſſariis habeantur, non omnino rejicienda ſit.

Catarrhis

§. XL. Catarrhos etiam pellit omnis generis, imo & præſervatorium exoptatum illorum eſt remedium. Adeoque ſive adſit proprie ſic dictus ad pectus, ſtylo antiquorum ruens, ſive ad nares in coryza depoſitus, vel ad aures in otalgia, ſibilo aurium, obauditione & ſurditate, ſive ad oculos in lippitudine, ſive ad dentes in odontalgia, ſive ad uvulam, & tonſillas in harum partium tumore & dolore, nunquam non ſternutatorium remedium debite adhibitum ſe commendabit. Educit ſiquidem ſerum vitiatum nunc immediate ex ſubjecto morbi, h. e. tunica pituitaria in coryza, aut in aurium affectibus per ductus Euſtachianos, ex auribus ad palatum abeuntes, aut ex oculis per canales Stenonianos, qui in canthis illorum internis oriuntur, & ad narium cavitatem terminantur. Vel ſi non immediate evocaverit ex locis affectis ſerum ſtagnans, tamen propter ſummum conſenſum, qui inter ſubjectum in ſternutatione primario affectum, & inter uvulam, tonſillas, pulmonesqve intercedit, efficit, ut ipſis incuneata firmiter materia, ope aëris cũ impetu exeuntis exturbetur, ac proſcribatur ſimul, uti alia occaſione ſatis declaratum. Probe tamen hic obſervandum eſt, ut ætatis morbique habeatur ratio, ſimulque partis affectæ ac morbificæ cauſæ; ſic facile lites, quæ inter Doctores ortæ deprehenduntur, componi poſſunt, dum nimirum aliqui *cum Helmontio, p. 228.* in coryzæ principio uſum illorum commendant, qui tamen juxta *Wedelium Tr. de fac. Med.* in ſtatu & declinatione hujus affectus magis convenire docetur. Quæ circumſpectio etiam adhibenda, ſi cum impetu fluat materia ad fauces & dentes, aut alia vicina loca; ſæpius enim major affluxus excitabitur ab iis ſtimulantibus, ſi in motu jam conſtituta, abundans in corpore materia fuerit. *Conf. Claudinus de Catarrhis, p. 30. Hieronym. Accorambonas de Catarrhis f. 23.*

Maculis in

§. XLI. In ſpecie vero in illo circa viſum morbo, quando maculæ quædam, vel imagines ac ſpectra minuta inter cernendum ante oculos agitantur, ſternutatoria vocata in ſubſidium laude digna reperiuntur. Confirmat hoc proprio ſuo exemplo de Republica Medica æternum meritus Thomas Bartholinus, poſtquam enim aliquandiu dictis inter legendum potiſſimum, aut ſcribendum oculis obverſantibus maculis vexatus fuerat, tandem Ptarmico frequenter naribus immiſſo, liberatum ſe Deo benedicente refert. Remedium autem tale eſt, legiturque deſcriptum in H. A. V. 1. p. 50.

Rec. *Tabaci optimi unc. j. Majoranæ dr. ij. Euphraſiæ Sem. Fœniculi, ãã. dr. j. Agarici trochiſcati ſcrup. j. aquæ fœnic. q. ſ. F. pulv. ſubtiliſſ.*

Hoc vero cautelæ loco ſerio inculcat Autor, ut in ſubtiliſſimum pulverem redigantur ingredientia, ne ſi groſſo modo comminuta fuerint, nimias ſternutationes producant, quæ oculis ægritudine quadam laborantibus inprimis ſunt noxia. Aureum etiam omnino eſt illud *Ettmulleri* monitum in Commentario in *Schröderum p. 450.* mala eſſe, oculisque ſemper nociva ſternutamenta, ni oculi ſint robuſti, ac æger junior.

S

§. XLII. Singultum quoque curat, quod dudum literarum monumentis conſignatum reliquit *Hippocr. l. 6. aph. 13.* & Plato in Sympoſio, qui ultimus ſub perſona Medici Ariſtophani, præ ſingultu loqui non valenti, inter alia ſternuta-

nutationem commendavit, quod ſequentibus verſibus *Paulus Dionyſius* in Paraphraſi Hippocr. expreſſit:

Tollere ſingultum ſternutamenta Platonis,
Conviva eſt nobis Teſtis Ariſtophanes.

Quoad operandi rationem difficilius longè illa primis temporibus reddi poterat, cum ſingultus ſubjectum adhuc ſtomachum crederent, nam vel ex conſenſu capitis & ſtomachi derivare, vel a flatibus in ſuprema parte ventriculi incarceratis deducere cauſam cogebantur. *Vid. Galenum L. 2. de Sympt. cauſ. c. 4. p. 88.* Poſtquam vero à recentioribus ad oculum demonſtratum eſt, ſingultum nil eſſe aliud, quam quod inter inſpirandum verſus inferiora ſepti hujus intermedii muſculus ſuperior trudatur, curationis ætiologia clarius liquet ex motu planè contrario, a ſternutatione diaphragmati impreſſo.

[Cardi]algia §. XLIII. Qui cardialgiâ laborant, ſubito quoque ſternutatione levantur ex relatione *Schockii, de ſternutatione, p. 18.* Inprimis vero in illa ſpecie conveniunt, quæ à flatibus oriuntur, nam in hac morbifica cauſa, quæ diſtendit ſtomachum, ejusque orificium urget, porta facilè pandi poteſt, ob conſenſum ſummum, qui inter diaphragma, & oſtium ſuperius ſeu ſiniſtrum intercedit. Quamvis etiam in reliquis cardialgiis, quæ vel ex acrimonia vel dicto oſtio infixis, aliove tempore ex aliarum cum ſtomacho per nervos conjunctarum partiũ paſſionibus oriuntur, ea non prorſus irrita putem, quatenus nimirum illud, quod ſua punctura moleſtiam creabat, motu hôcce excludi, ſpasmus autem antea præſens relaxari ſolet.

[Me]nſium [suppr]eſſione. §. XLIV. Sexui ſequiori vero in ſpecie ſe commendant in menſium ſuppreſſione ex fide *Chriſtiani Franciſci Paulini Obſerv. Med. Phyſ. M. N. C. D. II. A. 5.* appendicis loco annexarum, cujus verba obſervatione 69. hæc ſunt: Fœmina 35. annorum ultra 4. menſes fluxum ſuum habuerat ſuppreſſum, vaga ſubinde Cephalalgia & Odontalgia miſere excruciata. Aliquando caryophylla, Cinamom. & Nuc. Moſchat. ſimul in uſum culinarem in mortario tundit, eorumque fragrantia ultra ſexagies ſternutavit, eapſe die fluxu lunari ex voto manante.

§. XLV. In uteri paſſionibus ſi miſeræ ſine ſenſu motuque jaceant, aut ſtertores patiantur, ſuffocationem minitantes, vel motus convulſivos aut deliria &c. egregie conducunt ſternutatoria, quod nec divum ſenem latuit, prout videre eſt ex ejus *Tract. de morb. mulierum 2. ſect. 3. §. 263.* Egregium quoque uſum eorum in illis vocat *Ettmullerus, Prax. ſuæ de morbis mulierum, c. 3. p. m. 575.* ſed præſcribit fortiſſima ex caſtoreo, pipere longo, Helleboro albo & radice pyrethri, cumque ægrotantes ipſæ non valeant ea vocare in uſum, per calamum ſcriptorium naribus ſunt inflanda, vel quod ſæpius feliciter quoq; ceſſiſſe recordor, modo ſpiritus ſalis ammon. cum calce viva recenter factus naribus ægrarum ſubjiciatur, extemplo rurſum excitantur, per ſumme activa illa miaſmata narium interiora verberantia. *Paſſionibus uteri*

§. XLVI. Non minus difficulter parturientibus proſunt, quod docent exempla ex Hippocr. *de morbis mulierum, §. 235. L. 5. aph. 35. Celſi L. 2. c. 8. Avicennæ, L. 3. 1. Fen. 21. Tract. 25. c. 24. Harvæi Exerc. de partu, p. 367.* memoria repetita. Cave tamen in omni δυςοκίᾳ ea adhibeas, non enim ipſis liberabis ægras, niſi in ſitu naturali fœtus ſit conſtitutus, moramque in his carceribus trahat ex partus doloribus deficientibus omnino, aut inſufficientibus. His enim cauſis ſuccurri feliciter poteſt, quatenus irritatione illa violenta non ſolum diaphragma deorſum propellitur cum impetu, verum abdominis quoque muſculi convelluntur fortiter, unde uterus irritatur, & intus concluſus fætus de loco movetur, utque ex ergaſtulo illo egrediatur, ſ. vivus ſ. mortuus fuerit, urgetur ac impellitur. *Partu difficili*

§. XLVII. Et ſecundinas infauſte relictas ſternutationes ejiciunt, vide ſis *Hipp. L. 5. aph. 79. Celſum, l. c. Avicennam L. 3. 5. c. 13.* ex eodem vero fundamento perniciem hanc certiſſimam expellunt, quod §. præcedente adduxi. Felicius tamen ſecundina, quæ jam ab utero *Secundinarum retentione*

utero poſt fœtus excluſionem ſeparata eſt, elidi his poteſt, quam quæ adhuc parietibus ejus firmiter adnata obſervatur, quamvis etiam in hoc caſu reliquis remediis in caſſum uſurpatis, ſternutatoria ſacræ anchoræ vices ſuppleant.

facie Hippocratica. §. XLIIX. Supereſt color ille fœdus, luridus ac flaveſcens, qui ictericorum oculos ac univerſum habitum corporis pingere ſolet, quem ex locis prædictis, & inprimis oculis ſternutatione excuti poſſe, exemplorum copiâ exponit *Matthias de gradibus, P. 2. c. 8.* Nolim tamen ſtatim circa primum principium hujus affectus ea adhibeas, ſed tum demum, quando prius vel abundans bilis ſufficienter per cathartica aut vomitoria educta eſt, vel obſtructio Choledochi ductus de oppilantibus convenientibus, & inprimis ſalibus volatilibus, rurſum reſerata eſt, quo tempore non inconvenienter, præprimis ex oculorum tunica adnata, reſiduum flavedinis, ob harum partium violentam conquaſſationem, de loco moveri & ejici poteſt.

Damna Sternutatoriorum §. XLIX. His nunc de efficacia ſternutatoriorum expoſitis, paucis damna attingere placet, ex temerario & imprudenti eorum uſu nata. Id enim infinitis teſtimoniis ac exemplis dudum comprobatum eſt, vix ullum ex optimis ac innocentiſſimis medicamentis reperiri, quod tantum profit, quin & aliquâ ex parte non ritè adhibitum noceat. Nam

Temporibus Medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

vetus equidem, ſed veriſſimum ad hunc usque diem eſt dicterium. Ne igitur noceant, inprimis habenda eſt ratio conditionis ægri; num ſcilicet materia evacuationi apta adſit, & num *ex promiſcua diſpenſatione* iſtam violentam concuſſionem ferre poſſit. Fruſtraneus enim non ſolum, ſed penitus ſæpe damnoſus eſt illorum uſus in quibusdam ſubjectis, ita ut non levari a morbis ægros videamus, ſed pejoribus longè periculis ac ſymptomatibus exponi. Quare ſemper in præcedentibus cautelas practicas tam circa ipſa ſternutatoria, quam cauſas morbificas obſervandas addidi, quibus neglectis, non medicamenti culpa, ſed potius medentis, contrarius ac triſtis ſupervenit eventus.

§. L. Porro damnum alio tempore *& uſu fr[e]quentio[ri] nata* ex copioſiorum ſternutatoriorum exhibitione, aut nimio adeoque exceſſivo uſu naſcitur, cujus erroris infinita triſtiſſima exempla, ſi opus foret, adduci poſſent, præprimis hoc noſtro tempore, quo nil frequentius eſt, quam indeſinenter nares pulveribus hiſce vexare, adeo, ut quidam capſulas ſatis capaces de die evacuent, & copiam plurium unciarum naribus propinent. Bina tamen illuſtrationi effati hujus inſervient ſolum exempla, quæ *Joſeph. Lanzanus, M. N. C. D. II. A. II. obſ. 131.* adducit, primum ſcilicet de cive Ferrarienſi, qui ex nimia quantitate pulveris nicotianæ aſſumtâ, coma ſomnolentum contraxit tam potens, ut neque ab acclamantibus domeſticis, nec ab alio remedio expergiſci potuerit; ſed in cubili ſedens ſtupidus omnino ac immotus manſerit, donec tandem ſeptimâ die exſtinctus ſit. Alterum de quodam ſatellite eſt, ob continuam tabaci pulveris aſſumtionem ex Phrenitide miſerè interempto. Probe igitur notentur, quæ Italus Poëta canit:

Molto Bacco e Tabacco uccide un huomo.

§. LI. Ex hocce Errore quoque eſt, *obſer[vatio] tractio[ne]* ut detracto ſucceſſive laudabili, & ad conſervationem Oeconomiæ naturalis ſumme neceſſario ſero, tandem & ejus annonæ caritas producatur, ex qua extremè inſpiſſati ſangvinis motus inhibetur non ſolum, ſed etiam ſucceſſive omnes ſecretiones in glandulis ſiſtuntur, unde poſthac appetitus omnino proſternitur, cum coctione primarum viarum læſa, obſtructionibus, tandemque contabeſcentia, & ante ſenilem ætatem maraſmo extremo.

§. LII. Nec minus periculum imminet, ſi genus nervoſum admodum *nervo[rum] vellic[atio]nem a[c con]cuſſio[nem]* delicatum ac tenuioris texturæ, concuſſiones hujusmodi violentas ſuſtinere non valeat. Nam hujusmodi in caſibus ſubinde contingit, ut loco curationis Cephalalgiæ, ex ſternutatoriis adhibitis Epilepſia

lepſia excitetur. *Conf. Rhodii Analecta ad Septalii Lib.* §. 17. *p.* 209. Aut dum removere gravedinem intendimus, Apoplexiam accerſamus. *Vid. Nimannus de Apoplexia, c.* 46. vel curaturi ſomnolentiam, ſuffocationem inferamus, *teſte Matthia de Gradibus, c.* 3. Aut denique vel nervorum ramificationes ſubtiliores penitus abrumpam9, vel nimiô illô motu extendam9 & relaxem9 illos, ſic, ut Paralytici evadant ægri, aut alia contrahant graviſſima mala. Quorſum ſpectat gutta ſerena ſternutatione excitata, ex obſervatione *Guilielmi Fabritii, c.* 1. *Plateri, L.* 1. *Prax. p.* 239. & Barycoja, de qua teſtatur *Joh. Jacobus Wagnerus in M. N. C. L.* 2. *obſerv.* 26. *p.* 56. Nempe virum quendam literatum ex abuſu pulveris ſternutatorii ex fl. lil. convall. majorana &c. confectum, ſpiritus acuſticos per nervum ſeptimæ conjugationis præter modum exploſiſſe, ut aura intra aures abſcondita, ita commoverit membranam tympani, ut nimirum in aure dextra iſta dilatata, aut diſrupta penitus, auditum ex ea parte ſuſtulerit omnem.

...pen- viti- ...cis

§. LIII. Inprimis vero damnoſa ſunt ſternutatoria in vitiis thoracis, pulmonum, Pleuritide & Peripnevmoniâ ſecundum *Hipp. effata L. de prænotionibus, it. Sect. Aphor.* 49. Infarctus enim illarum partium, movetur quidem maximâ cum moleſtiâ, ſed non promovetur, quapropter Symptomata moleſtiſſima & præ reliquis reſpiratio difficilis cum doloribus punctoriis mirum quantum augentur, ſic, ut etiam ſuffocatio & ſubitanea mors ſubinde accerſantur.

...ha-

§. LIV. Qui narium hæmorrhagia aut menſium immoderatô fluxu tentantur, ut penitus abſtineant à ſternutamentis, utique opus habent. *vide ſis Platerum Prax. Tr.* 3. *c.* 5. *p.* 589. *Hildanum, c.* 3. *Obſ.* 58. alias ſi ſtillicidium ſequatur ſangvinis exitioſum, imprudentiæ illius, qui propinaverat, in acceptis ferri debet emergens damnum, uti patet ex ſequenti Hiſtoria: Cuidam hæmorrhagiâ narium laboranti, alter locô ſangvinis ab hæmorrhagia excepti, & ſupra fornacem pro ſiſtendo illo fluxu ſiccati, arripuit pulverem piperis nigri pro cibis condiendis, itidem iſto in locô ſiccati, naribusque inſufflavit, unde tam gravis & continua ſternutatio ſubſecuta eſt, quæ non ſolum hæmorrhagiæ largioris, ſed mox quoque ſupervenientis mortis cauſa exiſtit.

Herniis

§. LV. Hernioſis inſigniter etiam nocent; Nec mirum, cum tanta illorum ſit poteſtas, ut in ſanis ſubinde has importunas inteſtinorum eruptiones producant, *vide ſis Mercurial. in Comment. ad* 49. *Hipp. S.* 2. Patet ſiquidem ex ſuperius dictis, à vi illa ſumma thoracis, abdominisque muſculos contrahi, eâque inteſtina pelli, ut diſruptis aut ſaltem laxatis peritonæi repagulis modo in regione umbilicali, modo ingvinali aut ad ſcrotum, vias ſibi quærant plane inſvetas.

Imprægnandis

§. LVI. Impedit etiam ſternutatio in mulieribus conceptum, inprimis ſi immediate poſt coitum frequentius has patiantur corporis concuſſiones. Statim enim, quod modo immiſſum erat, virile ſemen, iſtâ violentâ corporis coactione expellitur, antequam plaſtica vis à compedibus craſſioris ſeminis libera facta, ovulum muliebre imprægnare poterat. Rectè hinc *Plinius l.* 7. *c.* 6. *H. N. Gelligus L.* 3. *c.* 6. ſternutaſſe à coitu, abortivum. Nolim tamen, ut infallibile hoc ipſum accipiatur effatum; citius enim & prius, ac ſternutamentis concuti poteſt corpus, irradiatio auræ genitalis ac tranſitus ad ovaria muliebria ſæpenumero fit. Hinc ſemper conſiſtentia virilis ſeminis plus minus ſpiſſa, & fœminarũ ſalacitas ſimul eſt obſervanda.

& utero gerentibus.

§. LVII. Uterô gerentibus tandem ſumme inimica quoque ſunt, ſpeciatim ſi gravida delicatula, aut temperamenti ſeroſi, aut Plethorica fuerit. Teneræ enim aut nimis laxæ fibræ, quibus placenta cum utero in his connectitur, relaxantur ſtatim ac fatiſcunt ex illa conquaſſatione. Aut ſi Plethora laborent, tantô cum impetu adigitur ſangvis ad loca illa, ut etiam extra vaſa cogatur, unde poſt largam hæmorrhagiam uteri immaturus adhuc fœtus excluditur. *Conf. Avicenna, L.* 3. *Fen.* 21. *c.* 12. *Bonaciol. de format. fœt. c.* 6.

§. LIIX. Hæc ſufficiant hac vice. Fateor equidem, plura reſtitare ex Praxeos Medicæ inexhauribili cornu copiæ

piæ addenda; ſed jam proferre ea non licet, cum ſciam, hanc materiā ab aliis ſufficientiſſime jam eſſe explicatā. Nil igitur amplius ſupereſt, quam ut, Lector Candide, corrigas, in quæ judicii hebetudo penetrare non potuit, & quæ egena ingenii ſupellex chartæque anguſtia accerſere huc vetuit, favore tuo ſuppleas; pro qua ſingulari humanitate ac benevolentia Tibi obſtrictiſſimus ſemper manebo. DEO vero ſoli ob conceſſas vires ſit Laus & Gloria! Finis.

Disputationum Langianarum Decima: De GUSTU.

Prooemium.

QVanquam non injuria culpentur illi, qui Cereri & Baccho indulgere, maximamque delectationem iis in voluptatibꝰ quærere ſolent, quæ ex guſtu oriuntur, quippe quæ corpori non tantum, verum etiam ipſi animæ maximum detrimentum adferunt; vitio tamen nobis verſum non iri confidimus, ſi in Guſtu vel potius ejus contemplatione philoſophica quæramus delectationem, cum ex hac diſquiſitione & diligenti contemplatione adeo nullum detrimentum metuendū, ſit, ut potius non parum commodi ſperare inde liceat.

Dum vero in ipſo titulo recentiorum hypotheſin nos ſecuturos profitemur, ne id pro novaturientis, ut ita loquar, ingenii argumento habeatur, rogamus. Accedimus enim eidem, non quia nova, ſed quia verior nobis videtur, & repudiamus opiniones veterum tantum eas, quas conſtat vel falſas vel ſaltem ad explicanda phænomena, quæ circa hunc ſenſum occurrunt, inſufficientes eſſe, ut unusquisque, qui antiquorum Philoſophorum æque ac Medicorum libros evolvere non gravabitur, facile deprehendet. Quapropter quod Deus bene vertat! ſine ulteriori præfamine rem ipſam aggrediemur.

§. I.

NOn multum ſolicitus ero de vocis Guſtus origine, ejusque ſignificatu ac varia denominatione, qui corticem hunc ab aliis dudum effractum novi. Nuclei enim cupidus pronuncio, me ſub hoc nomine illum è ſenſibus externis intelligere, cujus ope in lingva ſapores percipiuntur & diſcernuntur.

§. II. In ſenſuum externorum numero Guſtum contineri nemo, quantum ego memini, unquam negavit, & licet jam olim *Peripateticæ ſcholæ princeps l. 11. de part. Anim. c. 17. p. m. 715. & l. 2. de Anima c. X. p. 488.* illum tactus

ctus ſpeciem nuncupaverit, nihil tamen ejus dignitati deceſſit, cum ad oculum facile poſſimus demonſtrare, a tactu ſpecialius ſic dicto penitus diſtinctum eſſe Guſtum.

§. III. Non allegabo probationis loco impreſſionum variam differentiam a qua in organis alio vel alio modo facta diverſum ſenſum exſurgere *Honoratus Faber l. 11. de Homine prop. LII.* putat, ſed ſolum urgebo, tactus organon etiam exquiſitiſſimum (ſic digitorum extremitates in homine vocat Scaliger) nunquam ſapores diſcernere poſſe, quocunque etiam modo res ſapidas tractaverint.

§. IV. Sed clarius adhuc aſſerti hujus veritas pateſcet, ſi Guſtus indolem fuſius explicavero, facto ſc. initio ab organo ejus, utpote cujus conſideratio accurata nos in cognitionem ipſius ſenſus deducit. Hoc autem organon lingvam eſſe facile probatur, cum in hac unica parte guſtentur ſapores.

§. V. Non itaque audiendi ſunt, qui palatum quoque & in ſpecie illum tractum, qvi ad primos dentes ſuperioris maxillæ terminatur, ſubjectum hujus ſenſus dicunt. Nam licet ipſis autoritas antiqvorum faveat, qui res ſapidas palato arridere in proverbio dixerunt, unusqvisqve tamen in ſe ipſo experiri poteſt, nullo modo excitari ſenſum hunc etiam a ſapidiſſimis hiſce partibus appoſitis.

§. VI. Neqve in gula, œſophago aut ventriculo Guſtus organon hæret, cum pariter experientia evincat, quævis etiam mordaciſſima alimenta, ubi ſemel canalem œſophagi ſubierunt, non amplius deguſtari, qvod ii cumprimis comprobant, qvi medicamenta adverſantes ſola hac ſubitanea deglutitione nauſeam pene omnem ex ſapore adverſo alias certe oriundam declinare ſolent. Abſurdum hinc erat illius mollis ac delicatuli Gulonis votum, qvi collum gruis, qvo ſvavi titillatione a ſapidis impreſſa diutius afficeretur, optabat. Licet enim voti ſui compos factus fuiſſet, nullam tamen prærogativam præ aliis obtinuiſſet.

§. VII. Multo minus applauſum aſſeqvitur *Warthonus in ſua Adenographia*, ubi *cap. 25.* pro tonſillis militans ita loqvitur: *Tantum abeſt ut negem, hanc partem ad guſtum facere, ut potius putem, eam cum membrana ſua qua tegitur & nervis ſuis eſſe ipſum guſtus organon, atque hunc partis hujus eſſe uſum primarium*; & paragrapho ſeqventi: *inprimis exiſtimo, hanc glandulam eſſe primum guſtus organon & hoc munus eſſe primum ejus uſum.* Miror potius Celeberrimum hunc virum adeo proterve experientiæ reclamare. Qvis enim unquam ad faucium iſthmum voluptatis ſenſu afficitur amplius, ubi demum alimenta glandulas has attingunt? nemo profecto niſi qvi præconcepta opinione occupatus ſenſui ipſi contradicere non veretur. Urget eqvidem *Honoratus Faber Tr. alleg. p. 273.* admoto pipere gurgulionem retrahi, ſed num exinde ad guſtus organon concludendum? facile profecto & ejusmodi contractio ac triſtis ſenſatio in alia qvacunqve glandula ab aromatis hujus adſperſione excitari poteſt, qvam tamen propterea nemo niſi inſanus pro guſtus organo habebit.

§. VIII. Deniq; & hic nobis deferendus eſt *Galenus*, qvi *l. XV. de Uſu part. c. 4.* dentibus negotium hoc committens de ipſis aſſerit, non ſolum maſticationi alimentorum præeſſe, ſed etiam ut ſapores dijudicent. Confutat ſiqvidem ipſum tota die anicularum edentularum concio, qvæ utut omnibus dentibus deſtitutæ ſint, nihilominus de guſtu amiſſo nullas prorſus dant qverelas; ut nihil dicam de dentium ſubſtantia. Cum enim illi ſolidiſſimam extra gingivas conſiſtentiam ferrum etiam ac limam eludentem habeant, ſubtiles ſalium aculeos haud ſentient. Nec juvat ipſum dolor, qvi qvandoqve in dentibus notatur, dum non ſuperior pars dentis afficitur, ſed radix perioſtio & nervis donata. *vid. Diemerb. Anat. l. 9. c. 10. p. m. 537.* *nec dentes*

§. IX. Sed licet nunc oſtenſum ſit, extra lingvam nullam partem exiſtere, cui competat titulus organi guſtus, nondum tamen propterea controverſiarum eſt finis inter Phyſiologos, qvænam præciſe pars lingvæ hoc munus obeat. Tot enim circa hanc rem diſtin- *organon ſpeciale*

ſtinctæ proſtant hypotheſes, quot partes lingvam conſtituere, curioſa Anatomicorum manus manifeſtavit.

non carneæ fibræ

§. X. Pro carneis fibris lingvæ ſub Ariſtotelis vexillo hactenus ſtrenue militarunt Peripatetici omnes, è quorum numero nominare ſolum placet *Archangelum Piccolhomineum prælect. Anat. p. m. 295. Caſp. Bauhinum theat. anat. l. 3. c. 89. p. m. 519. Danielem Sennertum Epiſt. Phyſ. l. 7. c. 5. p. m. 73.* Quærenti equidem, quam ob rem ſola lingvæ caro excellentiam hanc obtineat, & cur non aliæ quoque aliarum partium fibræ munus hoc perficere valeant, cum unica tantum juxta Stenonem ſit fibra, quæ per univerſum corpus eſt expanſa, reſpondent a rara & laxa textura harum fibrarum prærogativam hanc facile poſſe peti, cum ſpongiæ ad inſtar ſuſcipiendis ſaporibus ſit aptiſſima, quæ in alia carne imbibere ſapidum fluidum non poteſt. Sed regerendum his puto (1) lingvæ apicem, extra omnem controverſiam ſatis compactam carnem judicare ſapores, ergo non ſpongioſæ carni tantum hoc munus competit: (2) Datur caro æque rara ac laxa, e.g. in labiis, in quibus tamen nemo ſapores percipi facile aſſeruerit.

non integumentum membranaceum

§. XI. Aliis itaque placuit membranaceum lingvæ integumentum pro organo ſpecialiori venditare; *conf. Caſp. Bartholinus in ſua Phyſica. Burgersdicius in Colleg. Phyſic. Diſp. XXVI. §. 12. & Andr. Laurentius in hiſtoria humani corporis l. 11. c. 18. p. m. 438.* ex quibus ultimus ſic de hoc organo ſcribit: *Carnem*, inquit, *lingvæ mollem, raram ac laxam membrana tegit tenuiſſima ori ac palato communis, in quam nervi tertiæ & quartæ conjugationis expanduntur: hæc ſaporum omnium agnoſcit diſcrimina, & humore aliquo fucata (ut Ictericis & febricitantibus contingit:) depravati ſenſus cauſa eſt.* Enim vero quis non videt, quam imbecillibus nitatur rationibus hæc hypotheſis? Membrana enim illa, qua tegitur lingva, communis eſt buccis, palato, œſophago ac ventriculo, quemadmodum ipſimet fatentur Patroni hujus doctrinæ; ſi igitur tunicam hanc guſtui deſtinaſſet natura, mirandum quam ob rem non guſtandi ſenſum quoque œſophago, ventriculo & inferiori lingvæ parti &c. dediſſet. *Confer. Bellinus de Guſtus organo c. 10. Bibl. Anat. Tom. 2. p. m. 489.* Propius equidem ad ſcopum pervenit *Williſius Tr. de Anima brutorum l. XV. p. m. 93.* qui nervos denſiſſime fibris lingvæ intertextos ſaporum receptioni inſervire aſſerit. Quandoquidem vero nervoſus ramus in ſe conſideratus inſtrumentum ſenſus alicujus conſtituere non poteſt, niſi ejus ſingularis aliqua conformatio accedat, (quod tam in optico quam olfactorio nervo apparet) mirandum utique eſſet, quare non aliis partibus, quibus ſimul illa paris quinti ac noni ramificatio proſpicit, ſenſus guſtus etiam datus ſit.

ſea[...]

§. XII. Igitur & huic quoque ſententiæ nuncium remittere cogor, inprimis cum noſtri temporis clariſſimorum virorum triga, *Malpighius* puta, *Fracaſſatus* & *Bellinus* aliud convenientius longe organon deſcripſerint, ſcilicet papillulas quaſdam minutiſſimas, quæ in homine & cane citra ullam præparationem, in bubula autem lingva poſt detractionem demum externorum integumentorum in apricum veniunt. Figura ipſarum elegans ſatis eſt, dumque ſingulæ ex anguſtiori radice in capitulum amplum exſurgunt, accurate fungulos aut clavos plauſtrorum inverſos repræſentant. Cava eſſe capitula hæcce aſſerit *Bellinus*; contrarium tamen defendere *Malpighius* & *Fracaſſatus* videntur, dum expreſſis verbis aſſerunt, nullum foramen in illis microſcopio potuiſſe obſervari, adeoque non fiſtuloſa ſeu cava conſtare natura. Attamen facile conciliari poſſunt Celeberrimi hi viri, controverſiaque hæc componi, modo attendamus *Malpighium* & *Fracaſſatum* elixatas lingvas ad examen vocaſſe, quare non mirum, ſi in his aquæ ferventis ope corrugatæ cavitates oculi armati aciem etiam effugerint.

qua[...] g[...]

prin[...]

§. XIII. Hæ vero ipſæ papillulæ (ut ulterius progrediar in ipſarum deſcriptione) firmiter non ſolum radicantur in lingvæ nervea tunica, ſed profundius etiam penetrant & continuæ omnino cum ipſis nervis ſunt, adeoque

ad

ad oculum demonſtrant, nervoſarum fibrarum paris quinti' faſciculos eſſe extra lingvam eminentes. Imo memini, me plus ſimplici vice in Collegiis anatomicis demonſtraſſe propaginem nervoſam a lingvæ fibris quodammodo liberatam, poſtmodumque leviter tactam, ſimul papillulam unam vel alteram, in externa planitie lingvæ hærentem manifeſte ad interiora commoviſſe.

rus

§. XIV. Quod numerum concernit harum eminentiarum, vix illum determinari poſſe, inventores ipſarum affirmant. *Bellinus* quidem ſe in quibusdam ſubjectis trecentas, in aliis quingentas numeraſſe tradit, parum tamen hic intereſt, num accurate quis noverit ipſam copiam nec ne, vere enim in his ludit pro lubitu natura.

ſcri-
r

§. XV. Magis juvat attendiſſe ad ſitum harum papillarum: ubi ſciendum, equidem ſine ordine omni diſperſas eſſe, nihilominus plurimæ ex ipſis ad apicem lingvæ ac latera, circa mediam vero lingvæ partem in dorſo ejus adhuc pauciſſimæ, circa baſin tandem & lingvæ inferiorem partem nullæ omnino conſpiciuntur. Ex quo ratio facile deſumi poteſt, quamobrē, quod in antecedentibus aſſerui, tantum in lingvæ extremitate delibari cibos obſervemus, in poſticis autem tactus ſimplicis ſenſum, & nihil quicquam de guſtu percipiamus.

rum
ſtus
tur

§. XVI. Quoties ergo papillulæ iſtæ ſecundum naturam conſtitutæ non ſunt, toties quoque guſtus vitietur neceſſe eſt, quod teſtatur obſervatio illa, quam *Schenckius obſ. med. l. 1. de lingva p. m. 206. ex Columbo l. XV. Anat.* refert, de quodam Lazaro vitrivorace, nullo, dum viveret, guſtu prædito, ſed vitra, ſaxa, ligna, carbones, lutum & quæ ſunt ſimilia plura abſurda, impune devorante, cujusque poſt mortem nervi, quibus alias lingva gaudere ſolet, ab iniqua natura ad occipitium relegata, adeoque ſine dubio papillulis hiſce deſtituta reperiebatur. Fidem etiam huic noſtro aſſerto facit ſimilis pene obſervatio *Rolfinckii*, quam de ſartore *in diſſert. Anat. l. 4. c. 38. p. 733.* & illa, quam *Bonetus ſepulchret. l. 1. ſect. 21. obſ. 35. p. m. 368. ex Bodin. Theat. Nat. l. 4. p. m. 463.* de Wilhelmo Arauſionenſi Principe adducit, qui accepto in collo vulnere ſenſum guſtus penitus amiſit, ſine dubio namque ramus nervoſus conjugationis quintæ ſauciatus totum truncum in conſenſum rapuerat.

§. XVII. Viſo ſic ſufficienter organo guſtus, progredior ad ejus objectum, quod omnium conſenſu ſapor vocatur. Quoniam vero vocabulum hoc duplicem habet ſignificationem, & nunc paſſionem ſeu impreſſionem factam in lingva, nunc mixti peculiarem texturam, quæ in organum rite diſpoſitum impreſſionem facere poteſt, ſignificat, placuit Ariſtoteli olim ad evitandam confuſionem, guſtabilis, & recentioribus ſapidarum particularum nomine exprimere hoc ipſum. *Objectum*

§. XVIII. Sed facillimi eſſemus in verbis, modo re ipſa h. e. quidnam ſit ſapor, & ex qua materia conſtet, conveniremus. Sciendum enim eſt, maximas ſemper hic motas eſſe a diverſis autoribus controverſias. Antiquiſſimus Philoſophus *Empedocles* docebat, aquam eſſe materiam ſaporum h. e. omnia ſaporum genera, & ſingulas eorum ſpecies inibi actu contineri, quandoquidem vero iſtæ partes adeo ſint ſubtiles, ut lingvam ferire non poſſint, neceſſum eſſe, ut copia harum atomorū prius concentraretur, & accumularetur in quodam concreto, & tum demum fieri, ut pro majori aut minori copia collecta hunc vel illum saporē, illumque plus minus manifeſtum acquirant corpora. Subſcribebant huic ſententiæ ex parte *Democritus, Leucippus & Anaxagoras*, quatenus ſcilicet admittebant, materiam ſaporum eſſe aquam, ſed actu omnes ſapores jam ineſſe aquæ negabant, concedebant tamen πανσπερμίαν h. e. omnium ſaporum ſemina contineri inibi, ita, ut quilibet ſapor non ex quavis aquæ parte, ſed ex determinata ac certa oriretur v. g. acidus, dulcis, amarus in fructibus ſapor naſcebatur ipſis, ex aqua his partibus turgeſcente. *Opiniones de ſaporibus* *Antiquorum*

§. XIX. Hæc erat antiquorum doctrina de Sapore. Inclareſcente vero Ariſtotele ſtatim hæc placita rejecta ſunt, & quidem primo ideo, quod ſapores multifariam mutentur in fru- *Ariſtotelis*

ctibus aliisque concretis, utut novum ex aqva ſubſidium non amplius obtineant v. g. muſtum dulce per fermentationem vinoſum acqvirit ſaporem, moxqve negligenter paululum tractatum plane aceſcit, cum tamen interea nil qvicqvam de aqva accedat, qvod augere vel mutare ſalium corpuſcula in liqvore poſſet. Pariter *Democrito* cum aſſeclis reponebat, eandem aqvam ab una arbore attractam plures & diverſos generare ſapores, alium ſcilicet in radice, alium in cortice, alium in foliis, alium in fructibus floribusque.

§. XX. Propoſuit igitur Philoſophus ſuam ſententiam de ſapore, poſteaqvam nempe ſolam aqvam ad ſapores conſtituendos, utpote corpus ſimplex ac inſipidum, ineptam eſſe oſtenderat. Placuit vero ipſi, commixtioni diverſæ qvalitatum primarum, & in ſpecie humidi aqvoſi, ac terrei ſicci per calorem uniti adſcribere guſtabilitatem ſeu ſaporem.

qui refutatur

§. XXI. Stetit hæc opinio per aliqvot ſecula, usqve donec Ariſtotelicarum qvalitatum primarum pertæſi Chymici illam rurſus deſtruerent, urgentes (1) ex propriis hypotheſibus Ariſtotelicis elementorum (liceat mihi ſic loqvi) inſipiditatem, qva ſtante non credibile eſſe, ut ex corporibus omni plane ſapore deſtitutis, qvocunqve etiam modo miſceantur, ſapidum qvoddam exſurgat, cum hoc canoni ipſorum adverſetur: qvicqvid aliquid non habet, illud alteri communicare non poteſt. (2) talem commixtionem humidi aqvoſi, ac terræ ſiccæ una cum calore neutiqvam contingere ſine deſtructione alterius, cum pariter doceat Ariſtoteles, has qvalitates ex aſſe ſibi eſſe contrarias. (3) nullo modo concipi poſſe, qvomodo ab unica hac cauſa adeo diverſus effectus, ſcilicet amarus, dulcis, acidus, ſalſus, auſterus &c. proveniat. (4) reclamare experientiam. Quodſi enim terreo affundatur aqva, utut caloris beneficio digeratur aliqvandiu, nil qvicqvam tamen ſapidi exinde elici.

Chymic[...]

§. XXII. Repudiata ſic *Peripateticorum* hypotheſi, ne omni objecto guſtus deſtitueretur, ſalium doctrina in locum prioris ſucceſſit. Docuerunt ſiqvidem Chymici inprimis, nihil eſſe guſtabile ſeu ſapidum, qvam ſal determinatis lingvæ partibus applicatum, à qvo ratione figuræ iſta lingvæ paſſio jucunda, aut injucunda ſit, h. e. ſvavis vel inſvavis, talis vel talis ſapor exſurgat. Confer. *Bellinus Bibl. anat. P. III. p. 478.*

quos [...] di[...]

§. XXIII. Argumentum, qvo hoc ſuum aſſertum probant, ab experientia, qvam habent, deſumtum eſt; ſcilicet, corpora, qvæ ſalibus deſtituuntur, inſipida ſemper eſſe, & verſa vice ſale luxuriantia nunqvam non excitare guſtum. Si dubitas de aſſerti hujus veritate, exemplum erit aqva ſimplex, lactuca, plantago, ſempervivum &c. in qvibus, uti vix qvicqvam ſalinæ ſubſtantiæ, ita etiam parum ſaporis reperitur. Imo ſi ſapidis ſalinam ſubſtantiam detrahas, certo ſimul ſaporem auferes. Exemplum habemus in cineribus poſt elutriationem plane inſipidis; & ſic qvoqve ex oppoſito te docebunt coqvi, a ſale communi, ab aliisque aromaticis pro lubitu augeri ſaporem, ac dari inſipidis.

appr[...] expli[...] te

§. XXIV. Ne autem objiciatur huic ſententiæ, qvam mihi qvoqve arridere non diffiteor, qvod adverſus Ariſtotelis hypotheſin adductum eſt ſupra, nimirum ab una cauſa adeo multifarios ſapores non poſſe dependere. Moneo, ſub ſalis titulo intelligi tam acida, qvam alcalia ac ſalſa, nulla habita differentia, num ex vegetabili, animali, aut minerali regno eliciantur, vel num volatilia, aut fixa, aut mediæ qvalitatis ſint. Cumqve hæc concreta ſimplicia aut homogenea haud reperiantur, ſed ſemper, dum ſub corporeitate ſe ſiſtunt, aliqvid peregrinæ ſubſtantiæ ſimul involvunt, ex hac ſola mixtione diverſiſſimus ſapor facile generari poteſt.

Sali[...] verſ[...]

§. XXV. Placet generali peregrinæ ſubſtantiæ titulo efferre illa corpora, qvæ ſalibus diverſis diverſimode mixta, adeo diverſos ſapores conſtituunt. Neſcio enim num accurate unius-

cujus-

cujusque concreti nomen facile exprimi valeat, quod cum ſalibus unitis conſtituit hunc vel illum ſaporem. Equidem me non latet communi experientia comprobari, ex acido & alcali ad ſaturationis punctum mixtis fieri ſalſum, exemplo Tartari Vitriolati, Terræ foliatæ Tartari, &c. ex Bolo armena, aut alio terreo minerali cum Spiritu Vitrioli, vel Salis exſurgere adſtringens; ſulphurea concreta cum ſalinis mixta contrahere amarorem, & cum acidis intimius maritata dulcia evadere; Aquam fortem, in qua Luna vel Venus diſſoluta acerbum, ac ponticum dare ſaporem, &c. Verum enim vero quis audet ex his particularibus exemplis canones vel regulas formare univerſales? Eſto ab acido & alcali fieri ſalſum, unde quæſo ſapor adeo diſcrepans à ſalſedine, qui in concreto ex ſpiritu nitri ſupra proprium caput mortuum effuſo notatur? Eſto amarorem ex ſalſo & ſulphureo quandoque naſci, tamen etiam ex aqua forti ſupra lunam digeſto provenit. *Confer. Excell. Bohnii, Patroni ac Præceptoris mei æternum deveneranda, Circ. anat. p. m. 370.*

termi- … poſſunt. §. XXVI. Igitur potius cum *Robaulto Tr. Phyſ. p. m. 163.* impoſſibilia eum tentare puto, qui de quibusvis ſaporibus particularem texturam determinare ſuſcipit. Et ſane ſi ille celeberrimus vir eo penetrare, rationis & experientiæ ope, haud potuit, non mihi facile vitio verti poſſe ſperarim, ſi meam hic ingenue fatear inſcitiam, & tritum illud Veterum meum faciam: non liquet.

…, quo perfi- …r. §. XXVII. Pergo proin ulterius conſideraturus quoque modum illum, quo hæc guſtabilia organon noſtrum afficiunt. Ubi iterum ad meliorem explicationem præmonendum eſt, cum per contactum immediatum perficiatur guſtus, requiri primo, ut ſenſorii porulos ſalia hæc, ſub ſapidorum titulo applicata, profundius ſubeant, hincque videmus, quod lingvæ apex varie moveatur, ſæpiusque dentibus palatique concamerationi anteriori arctius applicetur, ſolum ut ingreſſus ſapidorum corporum in papillulas inibi hærentes magis magisque promoveatur. Aſt quoniam ſalia hæc nunquam perfecte agunt, niſi ſint ſoluta, requiritur ſecundo, ut vel extra os à fluido quodam prius ſolvantur, quod in potulentis ſapidis factum eſt; vel ſi ſolidis adhuc inhæreant, beneficio ſalivæ apta prius reddantur.

§. XXVIII. Uſus hic ſalivæ ſumme *Salivæ uſus* eſt neceſſarius, ideoque mirum non eſt, ſi ſalia, aliàs mordacia ſatis, quamdiu ſub pulveris forma tantum papillulis lingvæ ſuperimpoſita obſervantur, vel plane non, vel blandius ac vix ſenſibiliter afficiant ipſas; ſtatim vero, ac ex ductibus ſalivalibus proſiliens lympha ſolvit illa, in momento etiam pungere ac vellicare incipiunt. Poſſunt *in ſolvendo* itaque quodammodo huc trahi verba *Hippocratis*, quæ (quamvis in alio ſignificatu) *l. IV. de morb. §. XII.* leguntur, *niſi fontes illi* (puta ſalivales) *adesſent, dum comedimus aut bibimus, non utique certo dignoſceremus, quid in cibo aut potu ſvaveo vel inſvave eſſet.*

§. XXIX. Præterea tamen & alium adhuc putarem eſſe ſalivæ uſum, pariter ad hunc guſtandi ſcopum facientem, qui in debita humectatione papillularum nervearum conſiſtere *humectando* videtur. Quemadmodum enim teſte *Malpighio* papillulæ tactus organa non dijudicare poſſunt ſua objecta, niſi à lympha è poris cutis exſudante ſemper in debita flexibilitate detineantur: ita etiam corrugata hæcce corpuſcula papillaria, licet rite ſe habẽtis objecti, impreſſionem non recte percipiunt, niſi emollita & humectata ſufficienter fuerint. Exemplum illuſtre habemus in febre ardente & coryza ſicca, in quibus ſaliva deficiens aut inſpiſſata obſervatur: licet enim tum ſapidiſſimum potum ac cibum aſſumant ægri, ſemper tamen iidem conqueruntur ſe nulla delectatione aut jucunditate ab illis affici.

§. XXX. Conſtat itaque ex præmiſſis in genere, modum actionis guſtabilis cõſiſtere in impreſſione intimiori harum particularum in papillulas lingvæ nerveas. Reſtant igitur adhuc ſpecia- *Unde ſapores mixti ac diverſi* les ſapidorum agendi modi, h. e. qui fiat, ut ſapores adeo diverſi ex illa impreſſione, nunc ſc. acris, amarus, ſalſus, acidus, auſterus, dulcis, unctuoſus, & ex his rurſus infiniti alii compoſiti & mixti excitentur.

Davidis Abercrombii jactantia

§. XXXI. *David Abercrombius in nova Medicinæ tum Practicæ, tum ſpeculativæ Clave, ſive arte explorandi Medicas plantarum aut corporum quorumq́; facultates ex ſolo ſapore*, novam & inauditam de hoc modo doctrinam ſeſe prolaturum in albo, & præfatione allegati ſcripti jactitat; in nigro vero nihil aliud habetur, quam acerbum & auſterum deſiccare, contrahere & exaſperare lingvam, mitiori tamen gradu hoc quam illud: acidum rodere & mordere lingvam, ſed ſine omni caliditatis ſenſu: dulce manifeſta cum voluptate lingvam veluti inungere: pingvia equidem inungere, ſed ſine voluptatis ſenſu: ſalſa detergere lingvam & quaſi abluere ſine contractione & conſtipatione: amara detergere & aſperare, & quaſi corrodere lingvam; acria demum rodere lingvam cum caliditatis ſenſu manifeſto.

deridetur

§. XXXII. Quis unquam hoc noſtro ſeculo crediditſet, pro novis ac inauditis venditari potuiſſe hoc dogma ab Anglo, quodque magis mirum, Illuſtris Boylei familiari, (hujus nomini enim tractatulus hic inſcriptus eſt) qui in tot libris totam doctrinam Ariſtotelicorum de quatuor qualitatibus primis, (cui tamen ſententiæ Abercrombiana dogmata unice innitũtur) tanquam abſurdam cum unanimi totius literarii orbis applauſu, è Scholis Phyſicis ac Medicis exturbavit ac proſcripſit.

plagii convincitur.

§. XXXIII. Sed venia eſt danda noſtro Abercrombio, qui hanc ſuam novam opinionem ex perantiquo *Montani* codice, (qui tamen majori ingenuitate, quam noſter, Galeni vitulo ſe araſſe faſſus eſt) verbotenus penetransſcripſit, ſibi forſan perſvadens, cum rarius hodie annoſo ſitu ſqualida hæc opera evolvantur à Doctoribus, neminem futurum facile, qui animadverterit hoc ſuum literarium plagium, de quo tamen, utut ſatis modeſte, admonitus eſt à Celeberrimis Collectoribus Actorum Eruditorum anno 1687. Menſ. Sept. p. 509. his verbis: *Unicum tamen de ultimo in ordine ſcripto adhuc adjicere placet, antequam dimittamus lectorem. Scil. Celeb. Autorem in ejus Præfatione aliquoties pro novis, anteaque non cognitis habere, quæ de ſaporum natura inibi diſſerit; ſed incidentes in Joh. Baptiſtæ Montani Medicinæ univerſæ partem III. p. 731. & 732. exacte concordantem animadvertimus ſententiam, quam tamẽ Abercrombium in vetuſto, & ante ſeculi ſpatium jamjã divulgato libro, nec legiſſe nec ſuſpicatũ eſſe facile admittimus.* Et licet poſtmodum in tractatu haud ita pridem divulgato, cui titulus *Fur Academicus p. 178. ſeq.* liberare ſe quodammodo, ac defendere à crimine hoc imputato auſus fuerit, dum concedit, *Montano* deberi tractatus hujus materiam, ſibi vero formam, neſcio tamen, num ſufficienter plagiarii notam abſterſerit. Quemadmodum enim furti ablati reus utique manet, qvi v. g. pannum furtiva manu auferens negare furtum vellet, quoniam ex illo panno pallium, aut caligas parare curaverit. Sed transeat Abercrombius.

Diverſit. ſaporum ſalium figuris deducitur.

§. XXXIV. Accedant ergo cum *Gaſſendo*, *Fracaſſato*, *Bellino*, *Malpighio*, *du Hamel*, *Rohaulto* alii, qui in ſalium figuris, flexibilitate & rigiditate cauſam quærunt. Dicunt hi, ſalibus ſingulis propriam ineſſe figuram, & ſi *Williſio de anima brutorum p. 49.* fides eſt habenda, *Salis acris* particulæ teretes ſunt & aculeatæ, *amari*, furcatæ & aculeatæ, *ſalſi* polyhedricæ ac diverſimode aculeatæ, *acidi* tetrahedricæ & in conum acuatæ, *auſteri* hamoſæ, *acerbi* hamoſæ obtuſiores, *dulcis* molliter aculeatæ, *unctuoſi* ſphæricæ.

§. XXXV. Adſtipulantur huic opinioni etiam *Wolferdus Sengverdus Phil. Nat. c. XX. p. m. 142.* recedit tamen in eo à *Williſio*, quod ſalſum ſaporem ex acuminata, & oblonga particularum rigidarum in motu conſtitutarum figura reſultare: acidum planis ac utraque parte acutis cultri inſtar ancipitis componi: amarum denique in tortuoſitate ramulorum rigidorum conſiſtere credit.

§. XXXVI. Quanquam autem clariſſimi illi Duumviri (quos ex infinito pene recentiorum philoſophorum numero, qui cuncti huic opinioni favent, brevitatis cauſa tantum adduxi) ſchematiſmum hunc intrinſecum magis conjectura quam demonſtratione adſtruxerint, adeoque non injuria

juria plane dubitare quis de his ſalium moleculis diverſis poſſet, autopſia tamen nobis favet, dum in cryſtalliſatione ſalia quævis figuram peculiarem aſſumere oſtendit h. e. Sal marinum, & gemmæ cubicam acquirit; Alumen & Vitriolum rhomboideam, vel ut *du Hamel de conſenſu Novæ ac Vet. Philoſophiæ* habet, teſſeras refert; Nitrum in pyramidales atque hexagonas ſtrias abit &c. *Confer Fracaſſatum de Lingua Bibl. anat. part. III. p. 461.*

§. XXXVII. Si nondum oculis nudis, & craſſæ Salis cryſtalliſati figuræ fidem adhibere vis, imitare *Bellinum tract. de Guſtus organo c. V.* qui adhibito exquiſito engyſcopio, jucundo ſatis ſpectaculo, in quibuslibet ſalibus dulcibus, amaris, acidis &c. determinatam aſperitatem aut lævorem, obtuſos angulos, acutosve plures, paucioresque cuſpidulas, easque longiores vel breviores ſe ſemper obſervaſſe refert, quorumque hiſtoriam, eamque ſatis prolixam ſe facile dare figurasque adjicere poſſe dicit, ſi neceſſitas ipſum cogeret. Exempli nihilominus loco ex foliis lauri elicitum Sal priſmatis hexagoni figuram, cujus alteri baſi perpendiculariter pyramis etiam hexagona inſiſtebat, dediſſe aſſerit, ſimilesque figuras ſalis florum mali Medici, liquiritiæ, endiviæ, capilli Veneris, meliſſæ, acetoſæ, hellebori albi, eſulæ, punici mali corticum, piperis nigri, cichorii, abſinthii, eufragiæ, flor. rorismarini à ſe obſervatas multis verbis deſcribit.

§. XXXVIII. Secuti hunc naturæ conſultum incomparabilem alii ſunt, ſimiliterque multifarios angulos in ſalibus diverſis deprehenderunt. *confer. Joh. Helfr. Junckenii Chym. experiment. Sect. 4. l. 1.* Nihilominus cum hi ſolum ſicca ſalia & tantum in granula, ſeu cryſtallos congelata ad examen vocarint, ne dubium alicui naſcatur aliquod, num etiam ſalia ſoluta adhuc retineant illam, quam in ſicco poſſident texturam, experimenta quoque adducam *Levvenhœckii,* quæ *in Epiſt. Lugduni Batavorum latine editis T. 1. p. 6. 122. &c.* habentur. Refert de ſale marino in aqua ſimplici diſſoluto, illud eleganter quadrangularem figuram adhuc retinere, quamvis adeo exigui cubi iſti ſint, ut mille eorum myriades magnitudinem arenæ non æquent. In Nitro vidit ſtrias oblongas ex tribus & quatuor lateribus compoſitas, inſtar quadrati baculi; Alumen exhibuit figuras, quarum baſis accuratum repræſentabat ſexangulum, ſed quæ aſcendebant inſtar pyramidis ſub multiplici magnitudine; Vitriolum examinatum rhomboideas figuras, Sal ammoniacum ramuſculos arborum irregularibus foliis, h. e. majoribus & minoribus ornatos repræſentavit. Ad examen vocavit denique & plura alia ſalia, aceta, vinaque diverſa, in quorum ſingulis quas figuras viderit, fuſius deſcribit, figurisque æneis exprimit.

§. XXXIX. Itaque ex his concludimus, unumquodque ſapidum, ſive ſimplex, ſive compoſitum pro determinata ſua textura, rigiditate & flexibilitate afficere papillulas lingvæ nerveas, ſicque nunc iſtas ſcindere, pungere, titillare, contrahere, demulcere, vel alio modo afficere, hocque ipſo acidum, ſalſum, dulcem, adſtringentem, oleoſum, aliumve ſaporem, ſimulque jucunditatem, ac moleſtiam quandam imprimere. Quod vero quandoque verus ſapor in quibusdam ſubjectis non percipiatur, ſed omnia amaricantia, (quod accidit Ictericis) aut dulcia (*vid. Ephemer. nat. Curioſ. dec. 1. anno 3. obſerv. 237. p. 365.*) deprehenduntur, id non texturæ communicati ſapidi, verùm nunc guſtus organo a bilioſo, aut dulci humore jam præoccupato, nunc ſpiritibus delirantibus, adeoque malè ſua munia expedientibus, imputandum eſt, quod ultimum in morbo, pica dicto, ni fallor, manifeſtiſſimum fit.

Modus, quo ſapores ab anima percipiuntur.

§. XL. Nihil nunc reſtat, quàm ut illum quoque modum illuſtrem, quô guſtabilis per applicationem ad hoc organon perceptio ſaporum in anima noſtra naſcitur. Etenim illam ſolam, de qua §. præcedenti locutus ſum, impreſſionē diverſimodè configuratorū ſalium

ſalium non ſufficere, patet ex eo clare, quod non raro, ſi aliis rebus ſimus intenti, aut morbo qvodam gravi laboremus, utut lingvæ ſapidas res applicemus, nullum manifeſtum ſaporis ſenſum exin percipiamus. *Plato in Timæo p.m.721. in* corde judicari ſapores his verbis docet : *Tenduntur à lingva venæ ad cordis ſedem ſaporum nunciæ*, ſed falſo hoc, dudumqve deſtructo fundamento, de ſede animæ in corde nititur hæc aſſertio, hinc non attenditur amplius à nobis.

Carteſii ſententia

§. XLI. Magis videtur probabilis *Carteſii* & eorum, qui ipſum ſeqvuntur, ſententia. Dum enim illi motum organi corporei, & ſpirituum animalium accurate ſecernunt, ab ipſa perceptione, qvam cogitationis qvandam ſpeciem, atqve adeo animæ noſtræ rationali propriam aſſerunt, ſaporum perceptionem oriri ſtatuunt, cum filamentorum nerveorum organi guſtus concuſſione facta ſpiritus in motum undulatorium acti verſus cerebri interiora feruntur, atque ibidem conarion ſeu glandulam pinealem certa ratione commovent. Hunc enim motum ſtatim ſeqvi certam in anima noſtra cogitationem, ſeu perceptionem, qvam qvivis optime ſentiat, dum ſapidam rem deguſtat, ſed nemo verbis ullis poſſit explicare. Ea enim lege ab univerſi Conditore corpori conjunctam eſſe animam, ut certos motus in determinata illa cerebri parte factos ſeqverentur certæ in anima cogitationes. Vid. *Carteſius, Malebranche, de la Forge paſſim.*

§. XLII. Verum cum & hæc hypotheſis non exiguis prematur difficultatibus, præſertim qvod glandulæ pinealis uſum attinet, liceat mihi graviſſima hac in re *ἐπέχειν*, donec certiora & objectionibus minus obnoxia proferantur in medium, qvibus nec meum verebor addere calculum.

Facilem interim à benevolo Lectore ſpero veniam, ſi levidenſis hæc diſſertatio non omni ex parte ipſius expectationi ſatisfaciat; cum prima in qvavis re conamina benigniorem cenſuram ſemper experiri ſoleant.

F I N I S.

DISPU-

DISPUTATIONUM LANGIANARUM Undecima De LOQVELA.

LOquelam, mentis noſtræ interpretem, ac velutì nuntiam, cur pro Diſſertationis themate, publicè ventilando, mihi inprimis elegerim, non eſt, benevole Lector, ut multis exponam. Materiæ ſiquidē hujus præſtantia unà cum ejusdem utilitate vere mihi tanta eſt viſa, ut vix jucundius utiliusve argumentum me reperturum, crediderim. Hac enim actione a) abdita noſtræ mentis ſenſa aliis patefacimus, noſtras declaramus neceſſitates, eruditionem indoctis communicamus, de rebus altiſſimis imo myſteriis diſſerimus, & mens noſtra, nulli pene ſenſorio obvia, redditur hac mediante auribus. Hinc accidit, quod quo diutius huic materiæ indagandæ incubuerim, eo majorem ſemper perceperim jucunditatem ulterius in ipſam inquirendi. Nec me deterruere difficultates, atque obſtacula obvenientia, utpote quæ cum ratione, tanquam æquiſſima lance æſtimata, ſi non ex toto, maximam tamen partem removeri poſſe obſervavi. Placuit autem hanc de Loquela tractationem tribus includere Capitibus, quorum primum ejus Cauſam Efficientem, ſecundum Materiam, tertiumque Organa exponet; ad hæc enim, tanquam potiora, non adeo incommode reliqua reduci poterunt. Faxit Sanctiſſimum Numen, ut fiat feliciter!

CAP. I. De Loquelæ cauſa efficiente.

§. I.

NE termini Loquelæ æquivocatio mihi in inveſtiganda cauſa efficiente ſit obſtaculo, paucis illam removebo. *Homonymia* Tribuitur quandoque Locutio Spiritibus, iisque incorporeis, DEO b) puta, Angelis, c) adſcribitur poſtmodum eadem non raro ſubſtantiis mere corporeis, v. g. Animalibus brutis, machinisque qvibusdam, d) qvæ verba, hominibus ſimilia, diſtincte proferre qveunt. Uterqve autem ſignificatus hic non attenditur, prout vel ex titulo noſtræ diſſertationis apparet. Adeoqve ea ſaltem nobis intelligitur Locutionis ſpecies, qvæ homini tantum competit. Aſt cum homo qvoqve variis ſoleat loqui modis, vel oculis, vel brachiis, *) vel pedibus, vel mediantibus aliis geſticulationibus, aut qvando bruti ad inſtar, h. e. mente haud attenta voces edit, ideo, pro evitanda ulteriori ambiguitate, porro monendum,

 nec

*a) Vid. Baptiſt. Condronch. præf. in Libr. de vitiis vocis, Kircher. Muſurg. univerſ. Tract. 1. L. 1. c. 10. p. 19. b) vid. Gen. 3. v. 8. & ſeqq. c. 12. v. 1. &c. c) Reg. 13. v. 18. Luc. I. v. 13. &c. d) Cordemoy Diſſ. de Loqu. p. 10. M. N. C. Dec. 2. A. 10. obſ. 29. p. 69. Kircheri Muſurg. univerſ. T. 2. L. 9. p. 307. Franciſc. Tert. de Lanis Magiſt. natur. & art. T. 2. L. 10. c. 4. art. 15. p. 483. M. N. C. A. 9. obſ. I. p. 19. ſeqq. *) vid. Steph. Chauvini Lexicon Philoſophic. ſub titul. Locution.*

deſcriptio nec has Locutionis ſpecies, impropri-as magis intelligi, ſed unice eam mihi venire, qua homo animi ſui conceptus articulata voce ſignificat.

Cauſa efficiens. §. II. In actionis igitur hujus cauſam efficientem dum inquiro, non inconſultum erit, partes ſingulas, ex quibus totus componitur homo, ad examen parumper vocitare. In vulgus vero notum, ipſi eſſe binas partes eſſentiales, Animam, puta, Rationalem, & corpus. Eritne ergo fortaſſis corpus, aut una ex ejusdem partibus integrantibus noſtræ Loquelæ cauſa efficiens? Fatendum utique, inſignem ac vere ſtupendum mechaniſmum, artificioſiſſimamque ſtructuram, ac harmoniam nunquam non obſervari, uti in partibus cunctis materialibus corporis, ita inprimis in iis, quæ ad Lo-*non corpus* quelæ productionem concurrunt. Aſt quicquid horum ſit, tamen inſufficientes mihi videntur eædem ad tam nobilem, ac inſignem præſtandum effectum, cum videam bruta iisdem inſtructa partibus ſolidis, fluidis, & Spiritibus, ſimilibusque pene organis, ad Locutionem alias neceſſariis, nihiloſecius deſtitui ſermone. Quare, cum non tam brutalis hæc ſit actio, h. e. quæ nobis communis ſit cum beſtiis, prout v. g. chylificatio, urinæ ſecretio &c. deprehenditur, ideo ſine omni dubio, aliam longe & excellentiorem agnoſcet cauſam efficientem, quam quæ ullo pacto à corpore, aut ab una ex ejusdem partibus, expectari queat.

§. III. Remotis ſic ab hoc munio partibus ſolidis, fluidis ac impetum facientibus, ſeu uno verbo, corpore, nunc *ſed anima rationalis.* præter animam rationalem nihil amplius, cui vices hæ demandari queant, in homine remanet. Quapropter utique neceſſum, ut huic tribuamus titulum cauſæ efficientis, nec immerito. Cum enim placuerit Clementiſſimo Creatori, ut mens ſignificaret mediante corpore conceptus ſuos, ipſi hinc, ſi non ſummum, ſufficiens tamen imperium tribuit in corpus noſtrum, quod animadvertere inprimis licet in actionibus, quas Phyſiologi alias voluntarias nominare ſolent. Tale igitur imperium tenet anima rationalis in organa locutioni inſervientia, ut reſpondeant omni tempore motus v. g. lingvæ, labiorum &c. cogitationibus diverſiſſimis in mente conceptis. Unde vero illud? Sine dubio hoc in paſſu talis harmonia intercedit inter mentem atque organa, ut eodem momento, quo illa ſuas cogitationes per loquelam exprimere intendit, hæc, præſtando obedientiam, actionem hanc celerrime expediant.

§. IV. Accedit, quod vix ullo modo concipi queat vera, ac propria locutio absque directorio animæ rationalis. Dum enim hunc in finem Clementisſimus Creator conceſſit homini loquelam, ut anima rationalis, tanquam partium, loquelæ deſtinatarum, gubernatrix, queat pro lubitu hiſce mediantibus, ideas ſibi formatas, aliis communicare, verbisque ſingulis vim quaſi ac vitam largiri; minime locutionis titulum promeretur vox, inſcia mente prolata. Ex quibus cum nunc appareat locutionem non ſolum e) Mentis actione inchoari, ſed & ejusdem imperio atque directione f) abſolvi utique, ac formari, idcirco etiam recte nunc concludo, loquelæ perfectæ cauſam efficientem, ac principalem eſſe unice Animam rationalem.

§. V. Aſt clara quamvis hæc videantur, obſtant tamen haud exigui ponderis rationes, quibus aſſertio hæc impugnari poſſe videtur. Certum enim eſt, mentem noſtram neutiquam immediate influere organa, eaque variis modis commovendo, ad iſtum perducere ſtatum, ut verba, ab ipſis formata, reſpondeant poſtmodum meditationibus antecedentibus, quod tamen requiri videtur ad cauſæ efficientis eſſentiam. Verum, licet talia de mente prædicari nequeant, non tamen eſt, ut ea propter ipſam privemus hoc munere. Quemadmodum enim tantum non in omni actione obſervamus, quod cauſa efficiens, ad ſuum præſtan-

e) *vid. Zaccut. Luſitan. Pr. hiſtor. Lib. 2. c. 5. Lit. C. pag. m. 325. Andr. Laurent. hiſt. anatom. human. corp. L. 2. c. 18. p. m. 434.* f) *Jac. Roland. Agloſſoſtomogr. c. 3. Kenelm. Digbæi Tr. de nat. corp. c. 16. n. 18. Iſbr. Diemerbr. anat. L. 2. c. 15. p. 324.*

præſtandum effectum, requirat accommodata inſtrumenta, ita quoque mens eorundem indiget, quibus cooperantibus ſuos effectus producere queat. Ut igitur mens præſtet motus in organis, ad conficiendam loquelam neceſſarios, utitur eum in finem ſpiritibus, qui deinceps, influendo in partes locutioni deſtinatas, ipſis aptitudinem ad formandam loquelam concedunt.

ctio, volu- §. VI. Nec quicquam refert, an Mens cognitionem motuum, in organis contingentium, teneat, nec ne. Sicuti enim e. g. qui alteri injuriam realem intulit, manet ejusdem cauſa efficiens, utut eum fugiat modus, quo id factum fuerit. Aut quemadmodum Princeps in cudendis nummis non deſinit eſſe principalis cauſa, quamvis ipſi non conſtet de modo, quo argentum aut aurum prius præparantur, vel pili effigies metallo imprimitur: &c. ita quoque Mens, licet incognitos habeat motus, v. g. in lingua, labiis, aliisve partibus contingentes, nihilominus manet propterea cauſa efficiens primaria, h. e. à quo ſermo tanquam effectus dependet.

je- §. VII. Attamen tota obſervamus die, atque in ſe ipſo quilibet experietur, ſæpiſſime nos hæc vel illa recitare v. g. preces, aliave, mente interim ad rem, eamque diverſiſſimam, non vero ad propoſita verba applicata. Unde fluere videtur, non poſſe tunc tribui officium cauſæ efficientis animæ rationali, utpote cui minime notum atq; perſpectum eſt, quid ſit loquela prolatum. Aſt hæc objectio penitus non ſtringit theſin meam. Nam ut taceam, hanc locutionis ſpeciem in §. 1. jamjam eſſe rejectam: ita quoq; nunquam non duas mihi concipio partes locutionis eſſentiales, g) quarum altera eſt, ut ſit articulata, altera vero, ut ſit ſignificans, ex quib9 ſi una aufertur, perit ſtatim ipſa locutio. Quando itaque quis, juxta datam inſtantiam, preces fundat mente non informatas, tunc revera nec aliter judicare poſſum, quamquod taliusmodi oratio homine certe indigna, vel penitus non, vel improprie ſaltim promereatur locutionis titulum, utpote cui una pars eſſentialis deeſt. Adeoque Varro h) olim rectiſſime monuit: illum ſaltim loqui, qui ſuo loco quodque verbum ſciens ponit.

quid de Brutorum loquela ſentiendum.

§. VIII. Sed quid dicendum erit de brutis, mente penitus carentibus, quæ interim non deſtituuntur loquela. Sic v. gr. gallina alia vocis modificatione convocat pullos ad eſcam: alia utitur, quando milvum cernit, aut a cane fugatur: alia denique voce invitat quaſi pullos ad incubationem &c. Adeoque gallina, aliave i) bruta, voce certo modo formata ſuos affectus ſignificant ſociis, & vere loquuntur. Quod igitur hanc concernit inſtantiam, equidem, num iſta brutorum diverſa vox, diverſos illorum affectus explicans, dependeat vel a principio quodam interno ſentiente, vel a ſolo mechaniſmo, aut fluido aëreo ſimul commoto, doctioribus excutiendam relinquo: nihilominus reſponſionis loco monuiſſe ſufficiet, in tali voce prolata non ſolum inſufficientem eſſe partem ſignificantem, ad conficiendam locutionem abſolute neceſſariam, ſed & penitus abeſſe alteram, nempe articulatam enunciationem. Et quamvis regerere quis poſſet, nec eam penitus abeſſe in brutis, quippe quæ pro circumſtantiarum varietate, certa quadam voce uti ſoleant; nihilo tamen ſecius minus idonea ac ſufficiens eſt talismodi modificatio vocis ad conſtituendam veram loquelam. Alias enim & quidem majori jure tribuenda eſſet loquela mutis, utpote quorum pars altera ſignificans excellentior longe ac perfectior, quibus tamen, utut aliter forment vocem k) ira correpti, aliter triſtitia perfuſi, aliter gaudio exhilarati, loquela non conceditur.

quid de imitatione vocis humanæ in brutis.

§. IX. Sed dantur bruta, quæ vocem humanam perfecte imitantur, uti ſunt ex volatilium familia graculus, pica, meru-

g) vid. Hieronym. Fabr. ab Aquapend. Tr. de brutor. Loquela c. I. p. 320. Cordemoy Diſſ. de Loquela p. 69. & 100. h) L. 5. de Lingu. Latin. i) Ariſtotel. de hiſtor. animal. L. 4. c. 9. p. 72. Kenelm. Digbæus de nat. Corp. c. 37. num. 14. p. 311. & ſeqq. Zacut. Luſitan. T. 2. Pr. hiſtor. L. 2. c. 5. Lit. E. p. m. 324. & ſeqq. k) Vid. Amman. Surd. Loqu. p. 15.

merula, ſturnus, pſittacus &c. ſic fertur de pſittaco quodam, l) qui integrum potuit Symbolum Apoſtolicum recenſere, & de alio, quem Heinric. Octav. Rex Angliæ habebat in deliciis, ipſum in Tameſin forte delapſum auxilium alta voce imploraſſe, viginti libras promittentem piſcatoribus prope navigantibus, ſi ſe ex præſentaneo vitæ periculo extraherent, extractum vero quatuor denarios exhiberi juſſisſe; & de pica loquaci cecinit olim Martialis:

> Pica loquax certa Dominum te voce ſaluto,
> Si me non videas, eſſe negabis avem.

Ex quibus & aliis pluribus exemplis facili negotio quis nunc conjicere poſſet, vix eſſe quicquam impedimento, quo minus brutis tribui queat loquela, etiam perfecta; aſt multa adhuc ſunt, quæ id vetant. Licet enim talis loquela cum noſtra identitatē quandam innuat, quoad ſonum, minime tamen quoad ſenſum. Nullatenus ſiquidem mihi perſuaderi patiar, iſtiusmodi aves vim atque pondera intelligere verborum prolatorum, ipſis ab humana arte impreſſorum, quamvis non raro caſu ea applicent ſuis rebus ſatis commode. Nec pugnat hæc reſponſio cum illa, quam in §. præcedenti ſuppeditavi, ubi brutis conceſſi certa ſub conditione ſignificantem loquelæ partem, hic vero eandem ipſis denego. Aliter namque res eſt comparata, quando voces, ipſis a Natura conceſſas, proferunt: aliter rurſus, quando referunt verba, innumeris vicibus ac arte ab hominibus inculcata.

§. X. Satis igitur eluceſcit, firmo adhuc talo niti theſin noſtram, qua aſſerebatur, locutionis veræ cauſam efficientem & principalem eſſe mentem. His ideo miſſis, progredior nunc ad

CAP. II.
De
Loquelæ Materia.

§. I.

Quod itaque ſpectat materiam, ex qua locutio formari debet, non minus circa eam, quam juxta jam explicatam cauſam efficientem disſentientes inter ſe deprehendo autores. Sunt enim, qui vocem pro genuina ac unica exiſtimant materia, m) inprimis cum putent, non poſſe absque ea quempiam loqui, alii è contra aſſertum hoc aperte contradicere experientiæ oſtendunt, cum dentur ſubjecta, quibus licet reſecti fuerint nervi recurrentes, & hinc voce privata, tamen apta remanſerint ad ſermones æque feliciter n) producendos. Sic quoque notiſſimum, duplici præprimis modo verba ab homine fieri, quatenus vel alta, clara, ac ſonora voce proferuntur, vel eadem ſubmiſſe exprimuntur, ita ut ſaltim ſub ſibili ſpecie prodeant, dum v. gr. ſonos preſſos ad aures alicujus ſuſurramus, ubi ſane vox videtur o) ablata, illæſa tamen vi loquendi. Ex quo patet, præter vocem etiam ſibilum (quem Ammannus p) ſpiritus ſimplicis ſeu non ſonori nomine exprimit) conſtituere poſſe Loquelæ materiam.

§. II. Una vero eademque tam vocis, quam ſibili eſt materia, adeoque non niſi gradu à ſe invicem diſcrepant. Aër namq; ſi blandius ejiciatur e pulmonibus, & absque manifeſto tremulo aſperæ arteriæ motu exeat ex ore, tunc ſibilus ſaltem exauditur. Alio e contra tempore, quando cum ſubſultatione laryngis & aliarum partium adſtantium convenienter, & ut decet exilit, tunc vox perſpicua oriri ſolet.

§. III. Nihil vero ulterius circa ſibilum ſeu ſpiritum ſimplicem addo, cum nihil adeo dignum notatu amplius ſe circa illum offerat, aut quod nequeat hauriri ex explicatione vocis, cujus materiam jam ſupra dixi aërem, nec immerito. Nullum enim corpus in toto hoc univerſo ſuâ naturâ ad ſoni formationem magis eſt aptum, cum nullū majorem flexibilitatem ac elaſtici-

l) Scaliger. exercit. 237. Paræi L. 1. c. 39. Joh. Georg. Gockelii epiſt. de mirabil. quorund. animal. annex. M. N. C. D. 2. A. 5. p. 119. Kircher. Muſurg. univerſ. T. 1. L. 1. c. 14. §. 3. p. 27. §. 5. p. 30. m) Vid. Ariſt. L. 5. de generat. anim. cap. 7. Hieron. Fabr. ab Aquapend. Tr. de Locut. c. 2. p. m. 307. n) Condronch. L. de vitiis voc. c. 6. p. 37. o) ejusd. c. 6. p. 37. p) ejusd. Surd. Loqv. c. 1. p. 16. & 17.

ſticitatem in ſe oſtendat. Tale autem ſubjectum ad ſoni, & exin conſtantis vocis conſtitutionem inprimis requiri, adeo clarum eſt, ut declaratione uberiori haud opus ſit. Hinc recte concluditur, poſito aëre, ſufficientique q) ac convenienti ejus agitatione neceſſario quoque poni vocem, & vice verſa, deficiente hoc fluido externo, deficere illam.

xſpi- ur §. IV. Verum tamen cum aër ſit alius, qui a nobis inſpiratur, alius, qui exſpirationis actu emittitur, quinam voci inſerviat, jam diſpiciendum eſt? Non negandum equidem, poſſe aërem, inſpirationis tempore aſſumtum, in vocem formari, aſt dum hac methodo potius naturæ regulis infertur injuria, vix iſte pro adæquata materia erit habendus. Docent id bruta, quibus vox ſubinde nobiſcum eſt communis, quæ tamen rariſſime inſpiratum aërem vertunt in vocem. Quando igitur artis ope tale quid præſtant homines, qui alias Engaſtromythi ſeu ventriloqui appellari ſolent, (quorumque exempla r) paſſim leguntur apud autores,) non credendum id fieri ſecundum naturæ inſtitutum; Hinc accidit, aërem illum s) nec adeo ſuavem recipere ſonum, nec tam diu poſſe abſque incommodo protrahi vocem hoc modo excitatam. Quapropter potius is, qui exſpirationis tempore eliditur, erit conſueta & ſolennis vocis materia.

oni- ea us §. V. Sed antequam in ſe ſuſcipiat aër hicce vocem, opus habet, ut prius a certis quibusdam partibus adducatur æque ac præparetur, cui intentioni pulmones una cum maxima tracheæ parte inſerviunt. Pulmones quod attinet, quale ſub hoc titulo veniat viſcus, qualemque iidem poſſideant ſubſtantiam, neminem, aut non niſi peregrinum in anatomicis, latebit. Quare talia, tanquam notiſſima, ac a tantum non omnibus Anatomicis recentioribus accuratiſſime delineata, omittens, ſaltim in eorum ſcrutinio illa attingo, quæ ad vocis explicationem ſcitu neceſſaria videntur.

§. VI. Vaſa ſi excipias pulmones permeantia, reperies in iis innumerum pene numerum veſicularũ membranacearum ita, ut revera non niſi t) ex aggerie quadã cellularum tenuiũ videantur compoſiti. Hæ autẽ veſiculæ ſunt imprimis deſtinatæ ad aërem tam excipiendum, quam rurſus explodendum, cui actioni favet inſigniter hæc ſtructura. *quorum ſtructura* Dum enim tenuioris, ac extenſilis ſunt texturæ, facili negotio ab aëris irruentis elatere poſſunt diſtendi ac dilatari, à contraria vero preſſura rurſus æque feliciter coarctari atque comprimi. Diſceptatur interim penes autores, an hæ veſiculæ exſpirationis tempore agant propriâ virtute h. e. mediantibus u) fibris carnoſis ſe contrahendo expellant aërem? aut an potius earundem conſtrictio w) aliunde ſit petenda? *ac contractio explicatur.* Verum non eſt, ut in præſentiarum meam hanc faciam controverſiam, ſufficiat ſaltim monuiſſe, nullatenus motum ac impetum, a fibris carneis (ſi quæ ſunt) expectandum, eſſe ſufficientem ad generandum ſonum, id quod apparet ex tranquilla reſpiratione, ubi præprimis iſtas agere nonnulli autumant, quo tempore tamen ne tantillum ſoni exaudiri poteſt. Itaque quo impulſu aër, pulmonum cellulis adhuc incluſus, vocis tempore extrudatur, nunc pluribus indagandum.

§. VII. Placet vero iſtum immediate magis ab aëre, pulmones circumambiente, deducere. Ut ut enim hoc viſcus maximam thoracis cavitatem occupet, ſemper tamen relinquitur inibi ſpatium adhuc quoddam, x) nunquam non repletum aëre, qui coactus in anguſtius ſpatium à thoracis conſtrictione, vi ſuæ elaſticitatis y) æq; ac gravitatis premit pulmones undiquaque

q) vid. Aquapend. de Laryng. voc. organ. P. 2. c. 3. p. 282. r) Vid. Digbæi Tr. de corpor. natur. c. 28. p. 244. Helmont. Alphab. Hebr. delin. c. 3. p. 22. M. N. C. A 1. obſ. 35. p. 120. s) Fabr. ab Aquapend. de Laryng. voc. organ. p. 2. c. 3. p. m. 282. t) vid. Malpigh. binæ epiſtol. ad Alphonſ. Borell. miſſ. Thom. Williſ. Tr. de reſpirat. organ. & uſu. u) vid. Williſ. Diſp. de reſpir. organ. & uſu. Caſp. Bartholin. de diaphr. ſtructur. w) Malach. Thruſton. de reſpirat. uſu primar. Diatriba. x) Johan. Swammerd. Tr. de reſpirat. uſuque pulmonum cap. 5. y) diſſert. noſtra de Reſpir. læſa §. 9. & ſeqq.

quaque ita, ut cedentes huic impetui, aërem antea à veſiculis exceptum, rurſus exturbent. Pro diverſitate igitur hujus preſſuræ, diverſa quoque contingit pulmonum contractio, quam excipit ſimilis aëris ejectio, indeque variatio vocis. Differentiæ itaque ejus, durantis puta ac brevis, vehementioris ac lenioris, magis minusve z) ſonoræ, potiſſimum ex hoc fundamento erunt deducendæ.

in egreſſu aer

§. VIII. Expreſſum hoc modo è cellulis aëreum fluidum, ſubit in exitu aſperæ arteriæ ramificationes, per pulmonum ſubſtantiam undiquaque diſperſas, quasque peculiari bronchiorum titulo Anatomici vocitare ſolent, è quibus dein fertur ad cannam pulmonalem, in unum tubum coalitum, & ad fauces usque exporrectum.

alteratur inſigniter à trachea

§. IX. Hæc eum in finem adducuntur, ut nunc eo commodius alteratio queat explicari, quam aër in tranſitu è bronchiis in tracheam ſuſtinere neceſſitate quadam impellitur. Si enim conferamus numerum propaginum tracheæ, in pulmonum ſubſtantia occurrentium, cum canali exin nato extra pulmones, demonſtratu non erit difficile, ramificationes iſtas, collective ſumtas, capacitate multum ſuperare canalem. Ex quo colligo, aërem ad hæc tranſeuntem loca, ſubire inſignem alterationem: dum nimirum ex ſpatio amplo in magis anguſtum adactus, ſatis notabilem admittere cogitur compreſſionem, quam licet in tranquilla exſpiratione non adeo obſervemus, tamen eandem inprimis notamus, ſi pulmonum compreſſio plus minus fortior præceſſerit, rimulæque laryngis conſtrictio impediat quodammodo liberum aëris egreſſum.

§. X. Compreſſus itaque ab his cauſis aër, arteriæ aſperæ incarceratus, vi ſuæ connatæ elaſticitatis amplius ſpatium quærens, tracheæ dimenſionem notabiliter diducere & ampliare incipit, quæ tamen ſe denuo contrahens, rurſum ſimiliter coarctat, & ut loco priori cedat, adigit, aërē; ex quo reciproco canalis hujus nunc expanſivo, nunc conſtrictivo motu, aër intus hærens toties quoque comprimitur, rurſumque expanditur, quem motum phyſici undulatorium ſeu tremulum ſalutare ſolent, quique poſtmodum facillimo negotio aa) tactu vel aliis modis explorari poteſt.

unde diverſ[...]

§. XI. Ex hac vero tracheæ vibratione, tremuloque aëris motu, ſoni diverſitatem maximam oriri partem, vix dubitare licet. Quod ſi tamen quis hæreat, eum ad organa pnevmatica ablegabimus, ubi clariſſime obſervabit, majorem aëris vibrationem in fiſtulis, follium ope excitatam, majorem quoque ſonum, & verſa vice contrarium magisque blandum blandiore ſua exagitatione gignere. Quomodo vero noſtra reſpiratoria organa, & inprimis aſpera arteria ſua conformatione organis prædictis reſpondeant, ſicque ſoni formationi egregie faveant, explicari nunc fuſius paululum debet.

§. XII. Notetur igitur hanc competere cannæ pulmonali præ fiſtulis organorum pnevmaticorum prærogativam, ut cum rigidæ iſtæ ſint, adeoque magis paſſive ad aëris repercuſſionem ſe habeant, hæc motu ſuo tremulo ſymbolam non levem ſimul contribuat. Primo vero elongari, eoque ipſo coarctari ſe patitur tubus hicce, quod ad oculum patet in deglutitione, aut ſi alio tempore pro lubitu noſtro laryngem ad ſuperiora, & ſimul annexum canalem, movemus. Deinde ampliari etiam & conſtringi poteſt hæc canna per fibras motrices, in poſtica ejus parte, qua gulam attingit, bb) poſitas, quæ, uti extenſionem admittunt, dum compreſſus aër explicare, & in priſtinum ſtatum reſtituere ſe nititur, juxta §. 10. ita propriis viribus ſe iterum coarctant, eoque tremulam illam exagitationem aëri imprimunt, à qua ſonus multiplex, uti jam oſtenſum, pro

z) Joh. Walliſſ. Tr. de Loqv. Sect. 1. aa) vid. Ammann. Surd. Loqv. c. 1. Georg. Morhof. Epiſt. de Scyph. vitr. per certum hum. voc. ſonum rupto c. 10. p. 144. bb) Caſp. Bartholin. Diaphragm. Struct. nov. S. 2. Tauvry Nov. anatom. c. 6. p. 98. Phil. Verbeyen Corpor. hum. anat. tr. 3. c. 8. p. 124.

pro impetus hujus diverſitate, deinde cc) naſcitur.

§. XIII. His itaque ſufficienter expoſitis, ad Muſices officinam, h. e. ad laryngem ſeu aſperæ arteriæ caput me converto, in quo demum aër, hactenus à pulmonibus adductus, & in trachea præparatus, vertitur in vocem. Poſſem hac occaſione prolixè de ſtructura partium, laryngem conſtituentium, ut & de earundem uſu particulari differere, in quibus cunctis non ſolùm admodum diſſentientes deprehendo autores, ſed præ cæteris in iis tradendis operoſum obſervo Aquapendentem; verùm brevitati ſtudens, ea lubenter omitto: ſufficiat mihi ad ſequentia ſaltem in ejusdem contemplatione attendiſſe.

§. XIV. Componitur nempe larynx maximam partem ex cartilaginibus, epiglottide puta, thyroide, cricoide, ac arythænoide, quæ ultimò nominata à plurimis Anatomicis dd) duplex ſtatuitur, à quibus foramen ſeu rimula ee) formatur, quæ aliàs glottis dici ſolet. Aſt quoniam hæc corpora recenſita ex ſua natura ſunt inepta ad producendum motum, idcirco varii generis muſculos ipſis implantavit provida natura, quorum deſcriptionem apud omnes pene ff) Anatomicos reperimus. Alii namque ſunt communes, qui ſternothyroidei, & hyothyroidei audiunt, alii proprii, qui cricothyroidei, cricoarythænoidei poſtici æq;, ac laterales, thyroarythænoidei, ac tandē arythænoidei dicuntur, quorum ultimò nominati à quibusdam recentioribus pro unico gg) ſaltim habentur muſculo.

§. XV. Ex quibus nunc facili negotio poterit integra vocis formatio explicari. Dum nimirum cum impetu plus minus manifeſto truditur aëreum fluidum ad laryngis rimulam, ea magis minusve mediantibus muſculis contrahitur, quo ipſo in tantas anguſtias cogitur aër, ut expulſus ac quaſi expreſſus ex eadem, tremulum omnino in ſe ſuſcipiat motum, qui dein facta priùs varia ad oris partes alliſione, continuatus extra oris fines, conſtituit tandem vocem ipſam. Quo vero iſta adſtantium auribus fiat amoena, opus eſt, ut cartilagines dictæ hh) unà cum tubo adnato nec nimis ſint aridæ, nec nimis madefactæ. In priori enim caſu vox vel penitus ceſſat, vel clangoſa ii) ſaltem redditur, prout in iis, qui febribus ardentibus laborant, apparet; in ultimo vero vox redditur rauca, exemplo eorum, qui catarrhis infeſtantur. Adeoque moderata tantùm partium harum requiritur humiditas, cui intentioni glandulæ non ſolùm amygdalæ dictæ cum thyroideis eleganter inſerviunt, ſed etiam tunica kk) glanduloſa, internam tracheæ cavitatem occupans.

§. XVI. Cæterùm qui deſiderat variis modis flectere vocem, is inprimis de artificioſa rimulæ laryngis contractione ſolicitus eſſe debet. Nam ut taceam absque hujus foraminis conſtrictione, utut exſufflatio exerceatur vehementiſſima, non poſſe ullam edi vocem: Sic è contra ex varia configuratione hujus rimulæ reſultare diverſos ſonos, ex fiſtulis organi pnevmatici diſcimus. Ampliatum namque foramen tonum edit magis gravem, ll) anguſtatum è contra acutum. Sicuti verò inter acutiſſimum & graviſſimum ſonum plures alii intermedii occurrunt, ita tamen omnes ex aſperæ arteriæ hujusque rimulæ habitudine ſunt deducendi.

---

cc) vid. Morhof. Epiſt. de Scyph. vitr. per certum hum. voc. ſonum fracto c. 10. p. 141. Fabr. ab Aquap. de Laryng. voc. org. p. 3. c. 11. dd) An. Andr. Laurent Hiſt. anatom. hum. corp. L. 3. c. 8. p. 77. L. 9. c. 15. p. 379. Aquapend. de Laryng. voc. organ. p. 1. c. 6. p. 272. Th. Barthol. Anatom. Reform. L. 2. c. 11. ee) Phil. Verheyen corp. hum. anat. tr. 3. c. 8. p. 139. Dan. Tauvry nov. anat. P. 2. c. 13. p. 404. ff) Diemerbr. Oper. anat. L. 2. c. 15. p. 323. Verheyen Corp. hum. anat. Tr. 3. c. 8. p. 141. gg) Dan. Tauvry anatom. pag. 2. c. 13. pag. 406. hh) vid. Laurent. Hiſt. anat. hum. corp. L 9. c. 14 p. 379. ii) Kircher. Muſurg. univerſ. T. 1. L. 1. c. 12. p. 22. kk) Thom. Williſ. de Reſpir. organ. & uſ. diff. ll) Vid. Aquapend. de Laryng. voc. organ. P. 3. c. 11. p. 301. & ſeqq.

CAP. III.
De
Loquelæ Organis.

§. I.

Officina

ORgana quod concernit, quibus mediantibus aër ſonorus in literas formari debet, illa non incommode ſub generali oris titulo comprehendi poſſunt. Os ſiquidem, à larynge ad extrema usque labii ſeſe extendens, præ cæteris partibus huic dicatum eſt functioni. Uti enim in confeſſo eſt, ore fingi ſermonem: ita negari nequit, eodem obſtructo, aliove modo læſo, locutionem ſubito corrumpi ac deſtrui: Quapropter non dubitandum, os eſſe genuinam officinam locutionis. Et licet exempla proſtent, verba mm) ex variis corporis partibus, imo & è pudendis eſſe facta, tamen talis locutio ſupranaturales agnoſcens cauſas, non eſt confundenda cum illa, quæ ordinario contingit, & de qua unicè nobis eſt ſermo.

organa activa ſunt

§. II. Ad oris vero conſtitutionem ac integritatem variæ concurrunt partes, è quibus tamen commemorabo ſaltem illas, quæ mihi ad locutionem perficiendam videntur inprimis neceſſariæ, quarumque ad cenſum non immerito refero fauces, lingvam, labia, tonſillas, uvulam, narium foramina, palatum, dentesque. Ex quibus tamen quædam ſe habent magis activè, quædam è contra merè paſſivè.

fauces

§. III. Partes quod attinet, quæ activitate ſua loquelam peficiunt, ſunt præcipue fauces, lingua & labia. In faucibus, ſub quo titulo intelligitur cavitas oblonga, anguſtaque, complens ſpatium linguæ radici, atque aſperæ arteriæ capiti interpoſitum, verti ſonum in vocales, multis comprobare ſatagit nn) Fabr. ab Aquapendente. Cùm enim varii muſculi implantati ſint laryngi, itemque baſis linguæ ibi ſit conſpicua, hinc utique pro lubitu noſtro redigere poſſumus iſthmum hunc in figuras varias, quibus alliſus aër in vocales redigitur. Nolo tamen propterea à formatione harum literarum excludere penitus & labia, & palati regionem poſteriorem. Ultimæ enim neceſſitatem obſervabis in formanda E. & I. priorum vero in O. & U. Vocalem autem A. unà cum conſonante H. quod concernit, eas in faucibus forſan unice fieri, non adeo improbabile videtur. Ab iisdem porrò partibus dependere quoque formationem diphthongorum, v. g. Æ. OE &c. apparet, quod eædem non niſi ex vocalibus, ſibi invicem conjunctis, reſultent: idem judica de litera Y. cum enim ejus ſonus non diſcrepet in enunciatione a vocali I. idcirco ex ſimili partium poſitione quoque orietur.

in qu... cale... ma...

§. IV. Utut vero ſic pateat, quomodo ſonus a faucibus fingatur in literas, qualis nihilominus præciſe ſit illarum figura, quam ſonus, literis informatus, pertranſiit, quamque quælibet litera ad ſui formationem requirat, id, cùm in illo argumento enucleando fortiter deſudarint oo) Fabr. ab Aquapendente, pp) Fr. Mercurius ab Helmont, qq) Walliſius, rr) Conradus Ammannus, ſſ) Cordemoy, pluresque alii, brevitatis gratia nunc fuſius explicare ſuperſedeo. Requiri interim in unaquaque litera formanda ſpecialem quandam partium poſitionem motumve, vel ex hoc unico eluceſcit, quod ſurdi tt) ſolius viſus adminiculo quandoque loquentes intelligant.

§. V. Alterum ex magis activis organon eſt lingva, cujus mentionem jamjam fecimus, ubi de vocalium formatione. Non opus vero denuo eſſe autumo, ejusdem integram tradere deſcriptionem, adeat curioſus Lector uu) Marcell. Malpighium, vv vv) Carolum Fracaſſatum, xx) Laur. Bellinum, ex quorum ſcriptis accuratiſſimam habebit hujus partis delineationem. Satis igitur erit notaſſe, eam

mm) Jac. Roland. agloſſoſtomogr. miſc. nat. curioſ. annex. Dec. 1. A. 3. c. 6. nn) De Locutione c. 12. p. 315. oo) Vid. ejusdem Tr. de Locut. à Cap. 7. usque ad Cap. 11. pp) Alphab. Hebr. delineat. qq) Tr. de Loqu. Grammat. Lingv. Anglican. præf. à Sect. 2. usque ad finem cit. Tr. rr) Surd. Loqv. ſſ) Diſſ. de Loqv. à p. 41. 47. tt) Helmont. Alph. hebr. delin. c. 1. p. 2. & 5. Morhof. diſſ. de Scyph. vitr. per cert. hum. voc. ſon. fract. c. 15. p. 211. & ſeqq. uu) ejus Exercit. epiſt. de Lingv. vv vv) Exercit. epiſt. de Lingva. xx) de guſt. organ.

eam maximam partem non ſolum ex muſculoſis fibris componi, ſed ipſi inſuper varios muſculos inſeri, quibus mediantibus mira velocitate ad omnes oris plagas fertur, extenditur, retrahitur, ſurſum & deorſum pellitur, quo eo promtius, quid velit, eloqui valeat. Aſt ſicuti lingvæ baſis ad vocalium formationem concurrebat, ita è contra media portio unà cum apice potius; conſonantibus producendis inſervit.

pex um ntes t.

§. VI. Media itaque Lingvæ pars, dum varie ac convenienter palatum verſus elevatur, producit literas G. K. Q. X. Apex vero, ſi vel ad palatum, vel ad dentes, prout decet, pellitur, tunc formantur C. D. L. N. R. S. T. Z. Tantus vero tamque inſignis a quibusdam Phyſiologorum habetur lingvæ uſus in locutione, ut non dubitent, illam tanquam principaliſſimum ejus inſtrumentum deprædicare. Si autem contingat, ut ablata, ex quacunque cauſa, lingva, nihiloſecius remaneat locutio integra, qualia exempla ſubinde annotata yy) leguntur, tunc talis loquela abſcedit a noſtra in eo, quod vel a ſupranaturali penitus cauſa dirigatur, vel quod provida Natura, aut in abſumtæ lingvæ locum dederit vicarias zz) partes, quæ poſtmodum mobilitate ſua, arteque aaa) adjutæ, loquelam effecerint, aut quod relicta lingvæ portio huic præfuerit negotio.

§. VII. Reſtitant adhuc ex inſtrumentis magis activis Labia conſideranda, quorum accuratam deſcriptionem anatomicam vide apud bbb) Verheyen, ccc) Bidlojum, aliosve. Id nobis in præſentiarum ſufficit, beneficio muſculorum, ex quibus inprimis componuntur, præſtari unice illum, quem edunt, diverſiſſimum motum, eoque aërem ſonantem denuo cogi ac agitari, uſque donec aſſumat variarum literarum formam. In ſpecie vero vel ex ſibi invicem commiſſis, vel labio inferiore ad ſuperiores dentes admoto, fiunt literæ conſonantes B. M. P. W. F. & V. Nec minor reſultat uſus ex eorum diverſo ſitu in vocalium quarundam formatione, uti jam ſupra indigitatum. Et licet de quodam referatur, quod potuerit, ore aperto & hiante absque ullo labiorum motu, perfecte ac diſtincte cunctas pronunciare voces: tamen quia de eodem affirmat ddd) Jac. Rolandus, quod id præſtiterit vel arte, vel exercitatione, vel impoſtura dæmonum, ſtatim apparet, non poſſe unico hoc, eoque ſingulari plane exemplo ſolennem labiorum motum ac uſum deſtrui, quem nunquam non in locutione, articulate producenda, obſervamus neceſſarium.

§. VIII. Progredior nunc ad inſtrumenta, quæ paſſive magis ſe habent in loquela, dum ſonus in literarum formatione tantum alliditur ipſis, quibusque primo annumero uvulam cum tonſillis. *Inſtrumenta magis paſſiva* An autem earundem uſus adeo inſignis ſit, vix auſim determinare, inprimis cum videam tradi ab Autoribus exempla ſibi contraria. *ſunt uvula cum tonſillis* Alii ſiquidem narrant ex his amiſſis partibus eee) notabiliter fuiſſe læſam loquelam, integra tamen fff) manente voce; alii è contra teſtantur, non niſi vocis ggg) quandam raucedinem exin fuiſſe natam. Interim tamen haud improbabile videtur, ex uvulæ ac tonſillarum ſitu naturali aëris repercuſſionem promoveri, ipſumque eo in literas quasdam hhh) cogi.

§. IX. Clarius & ad ſenſum magis apparet neceſſitas uſusve narium foraminum, quibus ſeſe aperiunt in fauces, his enim obſtructis difficulter admodum, ac minus grate M. & N. exprimi poſſe conſtat, ſi modo naſo quis digitis anguſtato, iii) easdem efferre intendat. *narium foramina.* Idem deniq; judica de palato *palatum, dentesque*

yy) *Vid. Nic. Tulp. obſ. medic.* L. 1. c. 41. *Camerar. Operum horar. ſubciſivar. Cent. 3. cap. 5. p. 16. M. N. C. Dec. 1. A. 1. Obſ. 35. p. 119. Joh. Schenck. Obſ. Medic.* L. 1. *Obſ. 9. p. 194.* zz) *Jac. Roland. Agloſſoſtomogr. c. 2.* aaa) *Parai* Lib. 22. *cap. 5. Rolandi Agloſſoſt. cap. 5.* bbb) *Corpor. hum. anat. Tr. 4. c. 11. p. 183.* ccc) *Anat. hum. corp. T. 12. f. 4. 5.* ddd) *vid. ejus Agloſſoſt. c. 6.* eee) *M. N. C. Dec. 2. A. 5. obſ. 6.* fff) *Th. Barthol. Anat. reform.* L. 3. *c. 12. p. m. 368.* ggg) *M. N. C. Dec. 1. A. 4. & 5. obſ. 66.* hhh) *Joh. Walliſ. de* Loqu. *S. 3. p. 12.* iii) *Ammann. Surd.* Loqu. *c. 2. p. 35.*

æque ac dentibus, quorum utilitas ac neceſſitas ex plurimarum literarum formatione elucefcit. Multas enim literas, quæ a lingua labiisque producuntur, harum inſimul partium præſentiam requirere docent §. *6.* & 7. hujus capitis.

§. X. Et hæc ſunt præcipua inſtrumenta, quibus mediantibus aër ſonorus ulterius pellebatur, repercutiebatur, allidebatur, cogebaturque, usque dum literarum formam in ſe ſuſceperit. Unice enim ex motns varietate partium commemoratarum, aërisque exin oriunda repercuſſione, ortum ducere literas in univerſum omnes, ex ante monitis ſufficienter conſtat. Monendum tamen adhuc erit, quod cum literarum numerus kkk) apud omnes gentes non reſpondeat, nec earundem formatio apud easdem lll) una eademque ſit. Iidcirco, dum eas tantum mihi explicandas ſumſi literas, quarum in Latina vel etiam Germanica Lingva eſt uſus, veniam me impetraturum, ſpero.

Modus loquendi

§. XI. Facile nunc ipſe loquendi modus, qui adhuc reſtare videtur, explicari poteſt. Cum enim literæ conſtituant prima quaſi elementa omnis locutionis, ex earundem debita compoſitione & enunciatione unice naſci ſermonem conſtat. Ita vero ſuccedit negotium hoc: primo ex vocalibus & conſonantibus, ſibi combinatis, fiunt ſyllabæ, ex ſyllabis dictiones, ex dictionibus demum integra locutio. Cuncta vero hæc tunc demum feliciter contingunt, ſi mens directione ac imperio ſuo ſpiritus influere jubeat in partes prædictas, ipſisque ſic impertiat motum, nunquam non neceſſarium ad aërem in voces & verba cogendum.

§. XII. Ne autem ſermo prolatus, illorum, ad quos dirigitur, notionem fugiat, verba ex hominum arbitrio aut uſu ſingulis rebus impoſita fieri debent, quibus perceptis, alter facili negotio, loquentis animi ſenſa cognoſcet. Et hæc quidem de hoc argumento inpræſentiarum dixiſſe ſufficiat; DEO ſoli honor gloria, & gratiarum actio.

F I N I S.

DISPU-

kkk) Vid. Aquapend. de locut. c. 4. lll) Ammann. Surd. loqu. p. 24.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM Duodecima: De

LÆSA HOMINIS LOQUELA.

§. I.

INquiſiturus in læſam Hominis Locutionem, non opus fore autumo, diu morari in enucleanda vocum harum vel etymologia, ſynonymia aut homonymia, utpote quæ partim ex Lexicis hauriri poſſunt, partim per ſe adeo ſunt claræ, ut nullam ulteriorem videantur poſtulare explanationem. Quare potius monſtrabo paucis, quid Diſſertationis rubrica re ipſa involvat. Sicuti vero homo, quando convenienti articulata voce animi ſui conceptus ſignificat, veram, propriam ac illæſam exercet loquelam; ita ex oppoſito læſam ac vitiatam oſtendit illam, quando vel penitus non, vel difficulter, aut minus articulate, quæ mente conceperat, lingva profert.

§. II. Equidem me non fugit, haud exiguam lucem poſſe diſſertationi huic affundi, ſi loquelæ delineatio, prout fieri in nobis ſecundum naturam ſolet, præmittatur ejus conſtitutioni vitioſæ. Non enim commodius de ægritudine quadam corporis noſtri diſſerere licet, quàm ſi prius conſtitutio partium naturalis, quam ſanitatem appellare Phyſiologi ſolent, probè fuerit perſpecta. Aſt enimvero, quia integram hac de re Diſputationem ante aliquot menſes conſcripſi, ſuperfluum pariter ac tædioſum duxi, crambem, ut ajunt, bis coctam apponere. Potius læſæ locutionis differentias, earumque cauſas, & quæ hujus generis ſunt plura, in præſentiarum examinis incudi ſubjiciam.

Vitia loquelæ recenſentur.

§. III. Notiſſimum vero eſt, eo devenisse hominis miſeriam, ut non raro difficulter ac vitioſe loquelam proferat, alioque tempore penitus obmuteſcens ne verbulum enunciare valeat. Quemadmodum vero 1) priorem locutionis ſpeciem generali appellatione loquelam dicunt difficilem, ſeu μογιλαλίαν, & pro ipſius læſionis diverſitate nunc τραυλότην, ſeu blæſitatem, quando ſcilicet homo certas quasdam literas proferre nequit, ſed unam in aliam mutat, v.g. K. in L. nunc ψελλότην ſeu balbutiem, cum ſyllaba aut litera in voce omittitur: nunc ἰχνοφωνίαν ſeu hæſitantiam, quando quis unam eandemque ſyllabam cum laborioſa pronunciatione ſubinde repetit, & ita adhæſè loquitur: ita ultimum affectum peculiari ut plurimum aphoniæ titulo inſigniunt. Ubi tamen monendum, abſcedere quosdam à prioribus appellationibus, & plures adhuc 2) ab ultima, exiſtimantes, non adeo commodè poſſe loquelæ defectum per aphoniæ vocabulum exprimi, utpote quo ſaltem intelligatur vocis defectus. Aſt licet non ſit negandum, vocis ablationem defectum involvere loquelæ, nihilominus neutiquam concedendum, locutionis 3) ceſſationem innuere ſtatim vocis abſentiam. Quare de illo, qui vocem integram ac illæſam poſſidet, licet eandem in literas fingere nequeat, dici non poteſt, quod aphonia corripiatur, implicat enim id ipſum in terminis, dum vi vocabuli hujus ægro denegatur vox, quam tamen pro lubitu edit. Rectius proin autumant vitium hocce ἀλαλίαν, loquelæ defectum, aut

1) Vid. Langii Pathol. Anim. ad cap. 14. animadv. p. 156. 2) B. Ettmuller. Oper. ubi de Olfact. & Guſt. Læſione p. 483. Hier. Mercurial. de Puer. Morb. Tr. L. 2. c. 6. p. 243. Dolai Encycl. Chir. L. 1. c. 18. p. 428. 3) Zachiæ quæſt. med. legales L. 2. Tit. 3. quæſt. 8. p. 248.

aut ceſſationem, vel obmuteſcentiam dici poſſe.

Cauſa hæret nunc in Mente

§. IV. Utrorumque interim affectuum cauſas quod attinet, eæ ſunt diverſiſſimæ. Quot enim partes naturali ſua habitudine veram præſtant loquelam, tot quoque eam vitioſa ſua conſtitutione lædunt. Quare liceat mihi ſingulatim earum vitia penſitare, quo innoteſcat, quibus ex cauſis loquela vel deficiat, vel ægre fiat, vel depravetur, & ut uno verbo efferam, lædatur. Placet vero ex iis primo loco nominare mentem, utpote cujus culpa quandoque loquelam deficere facile conſtabit, ſi prius quæſtio illa fuerit ad examen vocata, cur qui ſurdi ſunt à nativitate, iidem & muti deprehendantur?

Ratio, cur ſurdi a nativitate iidem & muti ſint.

§. V. Olim jamjam hac de re gravis omnino ac difficilis agitata eſt controverſia a Philoſophis æque ac Medicis. Alii quippe putabant, rationem hujus connexionis ſurditatis cum obmuteſcentia conſiſtere tantùm 4) in organo communi læſo, nervo puta quintæ conjugationis, cujus ſurculus major ad aurem, minor ad linguam & laryngem excurrere ſolet. Alii econtra cauſam unice deducebant ex denegato 5) auditu, cujus videlicet ope loquelam ſolummodò addiſci poſſe exiſtimabant. Alii tandem media incedebant via, utramque 6) admittentes cauſam, nimirum & auditus defectum, & organorum vitioſam conſtitutionem. Priorum vero quod concernit ſententiam, circa eam tametſi varia 7) poſſint moveri dubia, ſufficiat tamen id ſaltem refutationis loco dixiſſe, quod adducta nervorum communicatio non ſit tanta, ut neceſſario uno affecto, alter idem contrahat vitium. Cur enim Surdus 8) quandoque loquitur, & mutus 9) non raro audit? Alterum quod ſpectat aſſertum, illius falſitas apparebit ex ultimo nominatorum hypotheſi. Admittit hæc tanquam cauſam partim vitioſam partium conſtitutionem, nec male. Naſci etenim quandoque loquelæ defectum ex organorum prava conformatione, experientia utique confirmatur: partim vero & ſurditatem tanquam cauſam hujus rei conſiderat, quaſi nimirum auditus 10) ad ſermonem ſit ſimpliciter neceſſarius; cum ſermo nullo alio ſenſu, quàm auditu percipiatur, & proinde, ſi is deficiat, homo nunquam loqui poſſit. Verùm liceat mihi paululum ab hac ſententia recedere. Quamvis enim non negem, auditus defectum poſſe pro cauſa antecedente, ſeu occaſionali haberi, quo minùs aliquis loquelam interdum exercere queat, nihilominus auditum velle conſiderare, tanquam abſolute neceſſarium ad ſermonem, ſurdisque hinc denegare omnem ſpem explicandi ſe per locutionem, quamdiu nempe hoc vitio laborent, durum mihi admodum dictu videtur. Proſtant enim exempla, ubi equidem nati fuere homines ſurdi, ſimulque etiam muti, qui nihilominus temporis tractu, remanente licet ſurditate, verba fecerunt 11) feliciter, alioſque loquentes intellexerunt. Sic Franc. Mercurius ab Helmont trium hebdomadarum ſpatio eo usque perduxit ſurdum Muſicum, ut ad omnia quàm commodiſſime reſponderit, quæ quis tarde, & ore inprimis aperto ipſi declaraverat. Alia ut nunc taceam exempla, quæ tamen apud Autores ſupra citatos legi

---

4) vid. Camerar. Cent. 8. Memor. Medic. §. 82. Andr. Laurent. Anatom. L. 2. quæſt. 11. p. 430. 5) Alexandr. Aphrodiſ. 1. Prob. 138. Albert. M. L. 4. de Animal. Tr. 3. c. 2. 6) Sennert. Paralip. ad Inſtitut. VI. p. 32. vel ejusd. Oper. L. 2. Part. 3. Sect. 2. c. 3. p. 514. 7) Bonet. Sepulchret. L. 1. Sect. 22. obſ. 23. p. 375. 8) Joh. Conr. Ammann. Surd. 9) vid. Domin. Panaroll. Pentecoſt. IV. obſ. 17. p. 121. Bonet. Sepulchr. L. 1. Sect. 22. obſ. 23. p. 376. 10) Sennert. loc. ſub num. 6. alleg. 11) Helmont. Alphab. hebr. delineat. C. 1. p. 2. & 5. Morhof. diſp. de Scyph. vitr. per cert. hum. voc. ſonum fracto C. 15. p. 211. ſeqq. de Monconny in Itiner. Angl. T. 2. p. 50. Transact. Phil. Angl. Menſ. Majo 1669. p. 805. Barthol. Cent. 4. Epiſt. Med. 92. p. 527. M. N. C. A. 1. Obſ. 35.

legi poſſunt. Ex quibus nunc meritò colligo, præter ſurditatem ac organorum vitioſam conſtitutionem quandoque aliam adhuc, magisque immediatam eſſe admittendam cauſam.

§. VI. Illam vero non immerito in mente ipſa quæro, quam, loquelæ reſpectu, eum in finem homini conceſſam credo, ut per convenientia verba conceptus ſuos exprimat, quare neceſſum eſt, ut non careat 21) idiomate ad loquendum. Ipſa enim dum neſcit nomina, quibus aliàs res appellari ſolent, nullo pacto poteſt cogitata ſua convenienti, ac articulata voce declarare; perinde vero eſt, ſive ille defectus ortum duxerit ex ſurditate connata, ſive ex denegata informatione. Declarat hoc hiſtoria de Rege 13) quodam, qui, triginta infantibus in locum ſolitarium incluſis, cuſtodibus eorum mandavit, caverent, ne voces in illorum præſentia mitterent ullas, quo diſceret, quanam lingva, ſi adoleverint, eſſent uſuri. Verum vaniſſimus hicce erat labor, ſiquidem plane non poterant loqui articulate, licet in ipſis organa locutioni non minus, quàm auditui deſtinata, fuerint illæſa. Animus enim illorum cognitione virtutis vocum non erat imbutus, qua tamen paſſiones noſtras aliis indicare ſolemus. Ex quibus nunc id quoque fluit, ſermonem nobis non eſſe connatum, ſed cum ſtudio ac labore eſſe addiſcendum, prout hoc fuſius Bonetus 14) declarat.

§. VII. Frequentiùs tamen lædi ſolet loquela à Spirituum vitio. Sicut enim eorundem neceſſitatem in omnibus vere corporis noſtri functionibus notamus: ita è contrario eorum defectum, aut læſiones, tanquam cauſam, in plurimis experimur morbis, & ſic quoque in locutione. Quando namque Spiritus defectu peccant, 15) tunc vel penitus auferri loquelam, vel minimùm difficilem ſatis reddi notiſſimum omnino eſt. Siquidem dum partes muſculoſæ hac ratione ſufficienter inflari ac commoveri nequeunt, quid mirum, ſi ceſſante, aut ægre admodum ſuccedente earum motu, deficiat quoque, aut difficulter admodum abſolvatur aëris formatio in literas ac voces? Videmus hinc, quod qui gravioribus ac longis implicantur morbis, pene ex nimia virium proſtratione obmuteſcant, verbulumque vix unum, alterumve clare enunciare valeant. Idem obſervamus 26) in Agonizantibus, eos quippe unà cum ſenſibus ac motu locali &c. & loquelam perdere, experientia quotidiana docet.

[ſpiri- ... de- ... us]

§. VIII. Sed non ſolum defectus Spirituum lædit locutionem, verum etiam influxus denegatus ſubminiſtrat huic malo occaſionem. Scilicet quandoque accidit, ut ſolum in organis, functioni huic dicatis, eorum notetur abſentia, à qua deinceps locutio maximopere offendi ſolet. Id ipſum vero variis à cauſis oriri poteſt; ſic afficiuntur quandoque Spiritus ab objecto magis externo, ut retrocedentes ex organis homines relinquant ἀλάλȣς, quod docent Medicorum frequentes obſervationes, quosdam nempe ex 17) indignatione, ſubitaneo 18) terrore, cancris 19) viſis, aliisve de cauſis mutos eſſe factos.

vel non rite influentibus

ob commotiones animi graviores

§. IX. Alio tempore a cauſis internis magis provenit hoc malum, idque denuo diverſimode. Quippe interdum ex ſolo 20) conſenſu ob ſpaſmodicam affectionem naſcitur Aphonia.

conſenſum ſpaſmodicum

 Nervo-

12) *vid.* Ludov. *Mercat. Oper. T. 1. l. 3. Part. 1. Cl. 1. quæſt. 180. p. 677.* 13) *Sennert. Oper. Tom. 1. Inſtit. Med. l. 2. Part. 3. Sect. 2. c. 3. p. 514.* 14) *ejus Sepulchr. l. 1. Sect. 22. Obſ. 23. p. 375.* 15) *Vid. Sennert. Oper. T. 1. l. 2. Part. 3. Sect. 2. c. 5. p. 530. Jul. Caſ. Claudin. Empyr. rational. T. 1. l. 3. c. 6. p. 603.* 16) *Dolæi Encycl. Chir. l. 1. c. 18. p. 428.* 17) *Schenck. l. 1. ubi de Serm. & Voc. Obſ. med. 3. p. 190. Rhodii Cent. 2. Obſ. 29.* 18) *vid. Eberh. Gockel Conſil. & Obſ. Med. 57. p. 541. Zacut. Luſitan. Oper. T. 1. l. 2. Hiſt. 14. p. 195. Bonet. Med. Septentr. T. 1. l. 2. S. 18. p. 448.* 19) *M. N. C. Dec. 1. A. 2. obſ. 145. p. 229.* 20) *M. N. C. Dec. 2. A. 1. Obſ. 97. p. 224. Thom. Williſ. de Nervis c. 26. p. 139. Bonet. Sepulchr. Tom. 1. lib. 1. Sect. 22. obſ. 18. pag. 374.*

Nervorum etenim par vagum dictum, dum linguæ ac laryngi, & poſthac aliis viſceribus plurimas concedit ramificationes, manifeſtam communionem, & conſpirationem inter easdem producit. Quid mirum ergo, ſi partes, quamvis ſatis remotæ ab organis hiſce, irritatæ doloribus aut convulſivis affectionibus, eas ulterius ad reſpiratoria organa, laryngem, & linguam propagent, ſicque unà & partes dictas conſtringendo, & liberum Spiritibus tranſitum denegando aphoniam, aut loquelæ difficultatem inducant. Vera autem hæc eſſe docent, qui obmuteſcunt ex 21) colica, lumbricis 22) inteſtinis incarceratis, uterique 23) paſſionibus.

obſtructiones ac læſiones nervorum

§. X. Porro Spirituum hæc inopia naſcitur in organis, loquelæ inſervientibus, ab eorum denegato influxu, orto ex obſtructione ſeu læſione principiorum nervorũ. Notum namq; eſt, quod depreſſo aut fracto cranio 24) non raro loquela ceſſet penitus, non alia ex cauſa, quàm quod cerebrum ac conſequenter canaliculi nervoſi comprimantur, adeoque Spirituum tranſitus ad nervos inhibeatur. Exemplum habemus in M. N. C. 25) ubi aliquis illico ex cranii fractura omnem loquelam amiſit, quam tamen, poſt fracti cranii portiunculæ ablationem, ſubito rurſus recuperavit. Pari ratione interdum ex cerebri 26) læſione, ſeu concuſſione dicti canaliculi nervoſi comprimuntur, dilacerantur, aut aliis pluribus modis læduntur, ut rurſus Spirituum influxus ac conſequenter loquela impediatur: quod dudum 27) Hippocr. annotavit his verbis: *quibus ex quacunque cauſa, cerebrum vehementer concuſſum fuerit, neceſſe eſt ſtatim muti fiant*, cui aſſerto etiam favent Obſervationes aliæ quam plurimæ, quas vide apud 28) autores. Ulterius læduntur nervorum principia ab humorum in cerebro abundantia, ſtagnatione, & extravaſatione. Commemorat enim Binningerus 29) aphoniam ex urinæ ſuppreſſione natam, quæ ad caput tranſlata nervos feriens loquelæ impotentiam gignebat. Pariter Bonetus depravatam loquelam à materia 30) viſcida & glutinoſa; qua cerebri ventriculi infarciebantur: ac alio in loco à ſeroſo 31) humore, undique in cerebro effuſo, annotavit idem malum.

§. XI. Poſſem ſi vellem hac occaſione plura nervorum vitia, paralyſes puta, vulnera, aliave nunc producere, à quibus itidem Spirituum motus ſufflaminatur cum loquela ceſſante; verum reſervabo illa commodiori occaſioni, ſcilicet ubi ad laryngis, linguæ, aliarumque partium pervenero conſiderationem. Sufficiet igitur, tanquam cauſam locutionis læſæ, eorum torporem adhuc commemoraſſe, uti inprimis patet in affectionibus ſoporoſis. Sane memini Studioſum quendam, cum pertinaci laboraret odontalgia, pro ſedando dolore, denti impoſuiſſe dolenti Opii quandam portionem, aſt infauſto cum ſucceſſu. Siquidem quieti paululum indulgens, brevi in profundiſſimum incidit ſomnum, qui dum expelli nullo artificio potuit, mutum per unam alteramve diem ipſum reddidit, tandemque morti tradidit. Et nonne frequenter ſatis obſervamus in temulentis, quàm difficulter ac miſerè verba exprimant, aut quomodo penitus cum adſtantium ſtupore 32) obmuteſcant; cujus rei ratio ſine dubio eſt vinum, aut Spiritus vini, aliusve inebrians potus,

torpo pſoru pr

---

21) *Luſitan. Oper. Tom. 2. ubi de Hiſtor. Pr. L. 2. c. 5. Obſ. 3. p. 330. Spindler. Obſ. Med. 17. p. 32.* 22) *M. N. C. Dec. 2. A. 5. Obſ. 27. p. 45. Caſp. Kolich. in Act. Haffn. med. Barthol. Vol. 2. Obſ. 86. Schelhamm. Diſp. de Voc. ejusque affect. c. 2. p. 38.* 23) *Salmuth. Cent. 3. Obſ. 28.* 24) *Foreſt. L. 14. in Schol. Obſ. 33.* 25) *vid. Dec. 2. A. 1. Obſ. 91. p. 215. ſeqq.* 26) *Claudin. Empyr. rational. T. 1. L. 3. c. 6. p. 602. Bonet. Sepulchr. L. 1. Sect. 22. Obſ. 1. p. 369. Petr. Poter. Cent. 2. Obſ. & Cur. 11.* 27) *L. 7. Aph. 58.* 28) *Hildan. Cent. 4. Obſ. 5. p. 290. Dodonæi Obſ. Med. c. 91. p. 235. Tinell. Med. Conſ. p. 46. 54. &c.* 29) *Ejusd. Cent. 3. Obſ. 12. p. 262.* 30) *Ejusd. Sepulchr. Lib. 1. Sect. 22. Obſ. 22.* 31) *ibid. Obſ. 24.* 32) *Vid. Hæchſtett. Obſ. Med. Dec. 3. Caſ. 9. ejusque Schol.*

potus, nimia in quantitate hauſtus, qui vi ſua 33) narcotica ligat ſpiritus, ac eos tam torpidos reddit, ut vix pedibus amplius inſiſtere queant, & ipſis ex improviſo obveniat ſomnus, linguaque verba facere neſciat. Errant igitur, qui loquelæ difficultatem in hoc caſu a linguæ nimia 34) humiditate deducunt. Ut enim taceam, non raro ſatis manifeſtam in ebriis ex vino, aut vini ſpiritu ariditatem notari oris, inſuper mirum eſſet, ſi linguæ humiditas unica exiſteret cauſa, cur non etiam ii loquelæ difficultatem contrahant, qui nimium ac immoderate ingurgitant potum calidum Thée ac Coffée, extra controverſiam linguam potenter humectantem.

in ... re- ... riis

§. XII. Quemadmodum vero à ſpirituum dyſcraſia, alioque eorum vitio inſigniter turbatur Locutio, ita ab organis reſpiratoriis, vario morborum genere laborantibus, non minus notabiliter læditur. Aër enim, legitime in ſonum & poſtmodum in literas formandus, requirit organa hæc illæſa ac ſana. Quare ſi ea, vel collectivè vel ſingulatim conſiderata, morbis afficiantur, non poteſt non, pro læſionis diverſitate, aëris mutatio in ſonum plus minus deſtrui, & loquela ſic impediri.

...orum ... e ab-

§. XIII. Exempla clariſſima habemus in motu harum partium ceſſante, inprimis ſi toti corpori ſit communis, qualem in fortiſſima 35) apoplexia, & inſequente univerſali paralyſi, syncope, aut lipothymia notamus, in quibus dum reſpiratoriorum organorum motus ſimul aboletur, non mirum, ſi nulla aëris ejectione contingente, neque vox, multo minus loquela fieri poſſit. Aliô tamen tempore læſionis cauſæ magis in organis, ad ſoni formationem concurrentibus, hærent. Quando enim muſculi intercoſtales ac diaphragma, expanſioni & conſtrictioni thoracis dicati, 36) reſolvuntur, 37) vulnerantur, confodiuntur aliôque modô ſauciantur, peſſime profecto ſe habere cogitur reſpiratio. Sed minime commemoratarum partium læſio levis ſufficit, utpote à qua nec adeo inſigniter vox offendi poteſt, quam potius 38) magna ac notabilis; uti notatur in pleuræ, pulmonũ, ac ſepti transverſi inflammatione, in qua non raro reſpirationem penitus ſufflamminatam, & conſequenter loquelam ex toto ceſſantem ſupervenire, notiſſimum eſt.

vel a ſtagnatione humoris extravaſati impeditio.

§. XIV. Præterea turbatur vox, ubi magna 39) ſanguinis, puris, aut alius humoris 40) copia, pectoris cavitatem occupans, pulmones premit, ut ſeſe expandere nequeant, unde nec aërem debite aſſumere, nec exſpirationis actu convenienter ad vocis formationem elidere poſſunt. Similiter in ipſis pulmonibus occurrit vitium, quatenus nonnunquam ſanie 41) aliove humore ſunt repleti, aut ſcirrho 42) laborant. Ulterius 43) corruptionis labem quandoque experiuntur pulmonum lobi, dum unus ex iis 44) penitus conſumitur, unde rurſum aliter fieri nequit, quam ut, illorum compage ſoluta ac exeſa, aër nec ab ipſis queat ſuſtineri, nec impetu ad vocis formationem neceſſario iterum ejici.

nunc in trachea & larynge

§. XV. Denique aſpera arteria unà cum larynge mala ſua conſtitutione vocem, ac ſermonem ſæpe imminuit ac aufert, quatenus illorum 45) vulnera aërem, voci & ſermoni deſtinatum, per portam hanc præternaturaliter patefactam, dimittunt inutiliter. Nec aër amplius liberè aſperam arteriam per-

33) *Hippocr. V. Aphor. V.* 34) *Sennert. Inſt. Medic.* L. 2. *Part.* 3. *Sect.* 2. *c.* 5. *p.* 530. 35) *vid. Galen.* L. 4. *Acutor. Commun.* 23. 36) *Galen.* L. 3. *de* Loc. *Affect. c.* 1. 37) *Vidius de Curat. membr.* L. 8. *c.* 20. *p.* 393. *Munnicks Pr. Chir.* L. 2. *c.* 21. *p.* 303. 38) *Sennert. Pr.* L. 2. *Part.* 3. *c.* 4. *p.* 343. 39) *vid. Parei* L. 9. *C.* 31. *p.* 231. 40) *Vidii de Cur. membr.* L. 8. *c.* 20. *p.* 393. 41) *Sennert. Pr.* L. 2. *Part.* 3. *c.* 4. *p.* 343. *Bonet. Sepulchret.* L. 1. *Sect.* 22. *Obſ.* 14. *p.* 372. 42) *ibid. Obſ.* 4. *p.* 370. 43) *ibid. Obſ.* 13. *p.* 372. 44) *Act. Phil. Societat. Anglic. A.* 1667. *Menſ. Novembr. IV. p.* 445. 45.) *Munnicks Chir. Pr.* L. 2. *c.* 20. *p.* 298. *Tulp. Obſ. Med.* L. 1. *c.* 50.

pertranſire poteſt, ſi bolus quicunque major, per gulam transmittendus, in ejus medio ſubſiſtat, prout prolixius hanc cauſam 46) Foreſtus in ſuis Obſerv. adducit. Idem judica, ſi laryngis rimula nimium vel conſtringatur, vel penit9, cum ſummo vitæ periculo, occludatur, prout videre eſt v. g. in tumore uvulæ, tonſillarum ac faucium, aut in luxatione 47) cervicis vertebrarum, vel in ſtrangulatione ex laqueo circumjecto. Porro læſionem quoque experitur vox ex muſculis laryngis, 48) male ſe habentibus. Quemadmodum enim ſpaſmo correpti nimium coarctant gutturis iſthmum: ita atonia, ſeu reſolutione, laborantes illum debite anguſtiorem reddere nequeunt, ſine cujus coarctatione tamen, non eſt ut quiſpiam faciat vocem. Recurrentes denique nervi ſecundum naturam huic parti adducunt principium activum, reſecti 49) vero, 50) infrigidati, aut quomodocunque 51) læſi privant plus minus ſpiritibus laryngem, unde poſthac vox difficilis fit, aut penitus nulla. Tandem inſignis cartilaginum, guttur conſtituentium, humectatio 52) non eſt omittenda; ſicuti enim aſperæ arteriæ moderata inunctio ad vocis generationem abſolute requiritur, ita plus æquo vocalibus inſtrumentis irrigatis, raucedo oritur, & enormiùs humectatis ſequitur omnimoda vocis ablatio.

nunc in organis loquelæ immediatis

§. XVI. His nunc abſolutis progreſſum facio ad organa, quæ immediatè magis voces conſtruunt, ſeu ſermonis geneſi præprimis ſunt deſtinata, è quibus primo nominare placet Fauces, quæ in angina 53) inflammatæ ad vocalium formationem 54) ſummè neceſſaria opera contribuere nequeunt. Dum enim nimium tumidæ ex humorum infarctu flecti pro rei exigentia haud poſſunt; ceſſare cogitur utique iſta aëris repercuſſio, vocales alias efformans.

§. XVII. Non nego interim, poſſe etiam aliis modis anginam impedire locutionem. Siquidem non ſolùm pro indolis atrocia, verùm etiam loci, cui inhæret, diverſitate lædit modis variis loquelam. Quando enim laryngis occupat muſculos, ut in paracynanche aut cynanche fieri ſolet, potius deſtruendo materiam turbat ſermonem; tumorem autem ſi conjunctum habet, tàm ob motum faucium vitiatum, quàm ob ingreſſum & egreſſum aëris liberiorem denegatum propter laryngis rimulam, nimis in iſto caſu coarctatam, corrumpit eandem. Et ſic ſentiendum etiam eſt de reliquis partibus, quæ hujus mali ſubjectum conſtituunt.

§. XVIII. Confirmant verò aſſertum hoc, præter rationes allegatas, quotidiana experientia, atque Autorum propria confeſſio. Refert enim Platerus 55) de quadragenario viro, quod hoc morbo implicitus vocem non niſi ſubmiſsè proferre, & de 56) alio, quod ne verbulum quidem enunciare potuerit: plura de loquelæ defectu, ex hoc affectu orto, legi poſſunt apud 57) Foreſtum. Memorabile interim exemplum de faucibus inflammatis, & exin nata obmuteſcentia, reperimus apud 58) Bonetum. Puerulus enim quidam, dum nummum, ſingulari quodam veneno infectum, ore aſſumſit, eumque fortè fortuna deglutivit, faucibus & gula exinde

46) *Ejusd. L. 15. Obſ. 28.* 47) *vid. Plater. Pr. Tr. 1. p. 426. Munnicks Pr. Chir. L. 5. c. 3. p. 490.* 48) *Zacut. Luſitan. Pr. Hiſt. L. 2. c. 5. p. 325.* 49) *Parei Oper. Chir. ubi de part. vuln.* L. 9. C. 29. p. 229. *Schenck. obſ. Med. L. 2. ubi de Laryng. p. 212. Diemerbroeck. Anat.* L. 3. C. 8. p. 367. *Chalder. Obſ. Med. p. 340. Zac.* L*uſitan. Oper. Tom. 1.* L. 2. *Hiſt. 14. p. 194. Tom. 2. L. 2. C. 5. p. 325.* 50) *Hippocr.* L. *3. 3. Epidem. 74. Zac. Luſitan. Oper. Tom. 1. L. 2. Hiſt. 15. p. 196.* 51) *Bonet. Med. Septentr. Tom. 1. L. 2. Sect. 18. C. 2. p. 445. Burnet. Theſ. Med. Pract. Tom. 2.* L. *10. Sect. 19. p. 222. Plater. Obſ.* L. *1. p. 124.* 52) *Horſt. Oper. Med. Tom. 2.* L. *3. O. 24. Foreſt.* L. *15. Obſ. 32.* 53) *Bellin. Tr. de Morb. Pector. p. m. 684. Felic. Plater. Pr. Tr. 1. p. 426. Tr. 2. p. 379. Barbett. Chir. c. 18. p. 454. Burnett. Theſ. Med. Pr.* L. *1. Sect. 23. Subſect. 1. & 2.* 54) *vid. Hier. Fabr. ab Aquap. Tr. de* Locut. *C. 12. p. 315.* 55) *Ejusd. Obſ. L. 2. p. 580.* 56) *ibid. p. 385.* 57) L. *XV. Obſ. 14. 16. 18. 21. & 24.* 58) *Sepulchr.* L. *1. Sect. 22. Obſ. 6. p. 370.*

inde inflammatis, nec clamare ullô pactô, nec ſermonem formare potuit.

olenter *ſtrictis*

§. XIX. Antequam à faucium conſideratione penitus diſcedam, earum conſtrictio violenta non eſt omittenda. Ea enim præſente vocem ac ſermonem auferri, neminem forſan latebit. Refert namque (59) Foreſtus, puerum quendam, cum ex errore hauſiſſet aquam fortem, illico, ob fauces conſtipatas, in ſuffocationis extremum periculum eſſe adductum. Jam vero inter aphoniam, & ſuffocationem, præprimis ſi in hoc accidat loco, tam arcta notatur conjunctio, ut una ſine altera verè nunquam appareat, prout prolixius hoc Clariſſ. (60) Schelhammerus declarat. Denique earum

nimium *catis.*

exſiccatio (61) nimia in cauſarum, loquelam alterantium, catalogo recenſeri etiam debet. Eum ſiquidem in finem Natura tam copioſis ſalivalibus glandulis, ac ductulis interiorem oris concamerationem exornavit, ut continuo intus hærentes loquelæ ſacratæ partes irrigentur. Hinc ſi contra naturæ curſum fontes hi exſiccentur, ob ariditatem præternaturalem, hæc loquelæ organa deficiunt ſimul in ſuis actionibus.

ngua

§. XX. Devenio jam ad Linguæ conſiderationem, quæ certe inter locutionis organa extra controverſiam (62) principatum tenet. Mobilitate enim ſua eleganti, velocitateque mirabili tam variis modis repercutit ſonum, ut plurimas ſic literas formet.

nfor- *tâ*

Quod ſi igitur a naturali ſua conſtitutione abeat, vel penitus deſtruitur loquela, aut ſaltem difficilis redditur, aut denique aliô læditur modô. Attamen ſi inquiramus in actionem, qua loquela naturaliter ope hujus oris incolæ fit, nos non aberraturos crediderim, ſi eam primario quæramus in ejus volubilitate (63) mira. Prout enim allidit vel ad dentes vel ad palatum &c. ita format vocabula, & modulatur concinnè ſermonis ſonum. Quicquid igitur ex oppoſito linguæ motum plus minus lædit; id non immerito tanquam illius, & conſequenter læſæ loquelæ cauſa conſiderandum venit.

tumida

§. XXI. Ex cauſis omnium primo nominabimus ejus tumorem. Quando enim craſſitiem & molem contraxit nimiam, difficulter (64) admodum, aut penitus non à ſpiritibus influis moveri ac volutari ſe patitur, quæ motio tamen in efferendis literis abſolute eſt neceſſaria. Perinde vero eſt, ſive tumor hicce ſit nativus, vel demum adventitius: prioris exemplum legimus apud (65) Schenckium, ubi quis ob vitium hocce nativum ſolito tardiùs ac ægriùs locutus eſt. Imo noſco ipſemet hominem, qui ob ingens linguæ pondus, quo ipſum natura donavit, verba clarè ac diſtinctè pronunciare nequit, ſed eadem ſatis tardè ac obſcurè exprimit. Quo major vero linguæ tumor, eo majus ſine dubio impedimentum imminet locutioni, quod confirmat Claudinus (66) de Puella quadam, quæ tantam habuit à nativitate linguæ magnitudinem, ut eam propendentem turpiter geſtare coacta fuerit. Plura qui deſiderat, evolvat Autorum (67) obſervationes.

§. XXII. Pari ratione ab adſcititio (68) linguæ tumore lædi ſolet loquela. Excreſcit enim quandoque in tam portentoſam molem, ut neque loqui, neque maſticare aut deglutire valeant ægri, quale quid de binis ſubjectis recenſet (69) Schenckius. Imo quandoque in tantam elevatur magnitudinem, ut in ore amplius (70) detineri

---

59) vid. Ejusd. L. 15. Obſ. 30. 60) Ejusd. Diſp. de voc. ejusque affect. habit. ſub Præſ. Famigerat. Wedel, p. 36. 61) Steeghii Artis Med. L. 3. C. 4. p. 306. 62) Euſtach. Rud. de hum. corp. affect. L. 1. c. 38. p. 92. 63) vid. Tulp. Obſ. Med. L. 1. C. 51. p. 81. 64) Felic. Plater. Pr. Tr. 1. p. 427. Dolæi Encyclop. Chir. L. 1. c. 18. p. 431. Langii Pathol. Anim. c. 14. p. 157. 65) Ejusd. Obſ. L. 1 ubi de Lingv. p. 188. 66) Ejusd. Empyr. ration. Tom. 1. L. 3. C. 6. p. 603. 67) Schenck. Obſ. L. 1. p. 188. Scalig. Exerc. 199. 2. M. N. C. Dec. 2. A. 2. Obſ. 51. p. 84. 68) vid. Weickard. Th. Pharm. c. 7. p. 125. Paul. de Sorbait. Med. Pract. Tr. 1. c. 34. p. 299. 69) Ejusd. Obſ. L. 1. p. 180. 70) Foreſt. L. 14. Obſ. 28. p. 129. Claudin. Conſ. Med. IX. p. 208. River. Obſ. p. m. 666. Euſtach. Rudii de hum. corp. affect. L. 1. c. 38. p. 92. Schenk. Obſ. L. 1. p. 188. Savonaroll. Pr. Tr. 6. c. 4. Rubr. V. p. 104. Barthol. Cent. 4. Hiſt. anat. 99.

tineri penitus nequeat. Nihil interim refert, quis aut qualis (71) iſte tumor fuerit, aut quamcunque agnoverit cauſam, de quibus tamen conſuli inter alios inprimis poteſt 72) Sennertus.

reſciſſa vel ex toto

§. XXIII. Sic exceſſu peccans lingua impedit loquelam, quod ipſum etiam contingit, ſi deficiat, nec magnitudine 73) attingat molem conſuetam. Quando enim penitus abſumta eſt, ſive à morbi aut cultri violentia, quod impoſterum vocem in verba diſtinguat, nil amplius adeſt. Quapropter rectè judicat Zacchias 74) in Quæſtionibus Medico-legalibus, ſermonem, lingua radicitus deſtructa, omnino perire, hominemque mutum penitus reddi, licet vocem adhuc retineat. Confirmant hoc aſſertum hiſtoriæ hinc inde apud autores occurrentes. Sic refert 75) Tulpius, cum aliquis Religioni Turcicæ nomen dare detrectaſſet, ipſi piratas linguam radicitus extirpaſſe, adeoque omni loquela miſerum privaſſe. Eundem loquelæ defectum notamus, ſi lingua ab ulcere oris, aut variolis conſumatur, prout id prolixiùs probant 76) Schenckius atque 77) Horſtius. Et licet quandoque ex linguæ defectu loquela non ceſſet, qualia exempla paſſim 78) referunt Autores, talia tamen vel miraculis ſunt accenſenda, vel agnoſcunt cauſas naturales, dum nempe loco ablatæ linguæ partes aliæ, aut adhuc portio hujus membri relicta, vel denique integra de novo regenerata lingua, amiſſæ ſuppleverunt vices, uti 79) Schenckius, & 80) Horſtius annotarunt.

vel ex parte

§. XXIV. Non autem ſemper ad loquelam ablatam requiritur totalis linguæ defectus, ſed ſufficit interdum portionis ſolummodo ejusdem ablatio. Exemplum habet 81) Pareus, cui linguæ inſigne fruſtum reſectum fuerat, ex quo infans totum triennium ſine loquela manſit, qualemque hiſtoriam legimus quoque in 82) M. N. C. Sin vero linguæ pars abſciſſa non adeo eſt conſpicua, ſermo tunc non penitus deperditur, ſed tantum impeditur ex obſervatione 83) Zacchiæ, 84) aliorumque.

ſicca ni... um

§. XXV. Nec alia eſt ratio, ſi linguæ adfuerit ſiccitas, dum enim non ſolum minorem ſolito acquirit dimenſionem, ſed inſuper 85) ineptitudinē debite ſe movendi contrahit, uti patet ad oculum in illis, qui febribus ardentibus laborant. Ii namque pro rei neceſſitate aërem repercutere tunc temporis nequeunt.

vulner...

§. XXVI. Quando linguæ continuitas a vulneribus ſoluta, ac dilacerata eſt, mirari non debes, ſi rite 86) contorqueri nequeat in literarum & vocum formatione. Obſervamus autem duplici inprimis modô ſolvi unitatem, quatenus vel penitus reſcinditur, & portione aliqua ſuæ ſubſtantiæ mutilatur, vel quatenus finditur tantùm in longum, aut in transverſum, qualia exempla adducunt 87) Autores.

fi...

§. XXVII. Sicuti vero vulnera hæc ſubinde morſu, aut inſtrumentis acutis inferuntur linguæ, ita nonnunquam a nativitate fiſſa deprehenditur illa, ut penitus diviſa & verè duplex oris cavum 88) occupet. Aſt talia exempla admodum ſunt rara, nihilominus ſi obſerventur bilingues iſti, ab autoribus communiter cenſenter elin-

---

71) Petr. Poter. Obſ. & Cur. Cent. 3. c. 16. p. 232. River. Pr. Med. L. 5. c. 1. p. 279. Foreſt. L. 14. Obſ. 24. p. 125. obſ. 31. Borell. Cent. 2. Hiſt. & Obſ. Med. 43. p. 145. M. N. C. Dec. 1, A. 2. Obſ. 107. p. 179. Bonet. Med. Orient. L. 1. Sect. 25. C. 3. 4. 5. 72) Ejusd. Oper. T. 3. L. 1. Part. 3. Sect. 5. C. 1. p. 251. Dolæi Encycl. Chir. L. 1. C. 18. 73) Savonaroll. Pr. Tr. 6. C. 5. Rubr. 1. p. 102. Plater. Prax. Tr. 1. p. 427. 74) L. 3. Tit. 3 Quæſt. 8. p. 307. 75) Ejusd. Obſ. Med. L. 1. c. 41. 76) vid. Obſ. L. 1. p. 194. 77) Oper. Tom. 3. p. 115. 78) Tulp. Obſ. Medic. L. 1. c. 41. Roland. Agloſſoſtomogr. annex. A. 3. M. N. C. item inſperſa Bonet. Med. Septentr. L. 2. Sect. 18. C. 23. p. 460. Thom. Burnet. Th. Med. Pr. L. 10. Sect. 2. p. 224. Camerar. Oper. horar. ſubciſ. Cent. 3. c. 5. p. 16. M. N. C. Dec. 1. A. 1. Obſ. 35. p. 119. 79) Obſ. L. 1. p. 194. 80) Oper. Tom. 3. p. 115. 81) L. 22. c. 5. p. 489. 82) Dec. 1. A. 1. Obſ. 35 p. 119. A. 3. Append. p. 584. 83) L. 2. Tit. 3. qu. 8. p. 366. 84) Schenck. Obſ. L. 1. p. 191. 85) Weickard. Theſ. Pharm. c. 7. p. 126. Felic. Plater. Pr. Tom. 1. p. 426. River. Pr. Med. L. 5. C. 4. 86) vid. Fr. de Le Bois Sylv. Pr. Med. L. 1. c. 4. 87) Schenck. Obſ. L. 1. p. 193. Parei L. 9. C. 27. Hildan. Obſ. Chir. 28. Petr. Marchett. Obſ. Chir. 32. Claudin. Empyr. Rat. Tom. 1. L. 3. c. 6. Foreſt. L. 14. Obſ. 31. in Schol. 88) Schenck. Obſ. L. 1. p. 194. Dolæi Encycl. Chir. L. 1. c. 18. p. 427.

elingues, ejusquè rationem Bonetus 89) dat ſequentem, quia hoc affectu laborantes ob magnitudinem, gravitatem, ac craſſitiem linguarum, ſibi invicem incumbentium, easdem vix movere valeant.

§.XXVIII. Sed ulterius, lingua, paralyſi affecta, etiam amittit motum ſuum, eumque nunc ex parte, in ſemiparalyſi, nunc ex toto, in paralyſi perfecta. Prout enim nervi, linguam moventes, vitioſam contraxere affectionem, ſic quoq; impediunt motoris influxum. Tale quid ex propaginũ nervorum ſeptimæ conjugationis obſtructione refert 90) Silvatic9, ſemiparalyſin nempe linguæ, & exin natam mot9 imminutionem unà cum impedita locutione, pluraque exempla paſſim apud 91) Autores alios occurrunt. Quando vero nervi, abeuntes ad muſculos linguæ, à materia quacunque ſunt obſtructi aut compreſſi, ut omnis influxus ſpirituum impediatur, ſtatim adimitur motus in illis, & laborare incipiunt paralyſi perfecta, unde ægri penitus obmuteſcunt, prout videre eſt apud Foreſtum 92) aliosve. Idem vitium naſcitur ex nervorum præciſione, cujus rei exemplum recenſet ex Avicenna Riverius 93) in ſua Pr. Medica. Quorſum etiam pertinent horum nervorum conformationis vitia, dum quidam naſcuntur, quorum nervi, linguæ aliàs deſtinati, ad alia abeunt loca, uti 94) in M. N. C. legi poteſt.

§.XXIX. Sed non raro contingere ſolet, ut lingua, cæteroquin rite conſtituta, nihilominus impediatur in ſuo motu propter ipſius male formatum frenulum, quod exiſtens vel brevius vel latius 95) omni pene tempore in volubilitate ſua impedit linguam, peculiarique ancylogloſſi nomine inſignuri ſolet à Practicis. Sicut vero latitudo nimia ſemper à primo ortu tantum contingit: ſic arctitudo, præter conformationem, etiam ulcus vel vulnus pro cauſa agnoſcit, à quibus ſcilicet relicta cicatrix major, & calloſa vinculũ illud accurtat, quod ipſum ex diſertiſſimo ore celeberrimi noſtri Bohnii, Patroni æternum deveneranſdi, habeo, legique etiam poteſt in abſolutiſſimo ejus Collegio 96) Chirurgico, hyeme præterlapſa mihi aliisque Philiatris in calamum dictato. Quamvis autem hoc ligamenti vitium quandoq; ne quidem balbutiem 97) efficit, interim tamen ſæpi9 ſatis mancam 98) reddit loquelam, dum literæ inprimis K. L. R. &c. non commodè pronunciari poſſunt, immo nonnunquam loquelæ defectum 99) prorſus inducit, quale quid recenſet de Puella quadam 100) Bonetus, quæ pulchra aliàs & ſana, a cunabulis vix voculam proferre potuit, licet in id allaboraret quàm maxime, donec frenuli nimia conſtrictione cognita, inciſioneque ejus facta, feliciter reſtituta fuit.

§.XXX. Porro motum ſuum lingua *aut ranulâ* abſolvere nequit, quando à tumore quodam, prope nominatum frenulum hærente, impeditur, qui Græcis βάτραχος, Lat. Ranula dicitur, ideo, quod hoc ſublinguali tumore laborantes 101) coaxando magis, quam loquendo animæ ſenſa efferre obſerventur. Equidem ratione materiæ, 102) quæ malum hoc producit, differentia aliqua adhuc notatur. Sæpe enim duram ac compactam ſuo folliculo includit ſubſtantiam, interdum melleam ſaltem, modò nigram, modò candicantem; nihilominus quo major moles ejus deprehenditur, eo majus quoque impedimentum experiun-

89) ejus Med. Sept. L. 1. Sect. 25. C. 1. 90) vid. Conſ. & Reſponſ. Med. Cent. 1. 88. 91) Bonet. Med. Sept. L. 1. Sect. 25. c. 14. Bauderon. Pr. Med. c. 14. p. 290. M. N. C. Dec. 1. A. 6. & 7. Obſ. 92. 92) L. 10. Obſ. 87. 88. L. 14. Obſ. 32. Plater. Obſ. L. 1. p. 124. Poter. Cent. 3. Cur. 15. Heer Obſ. 1. B. 4. 93) L. 5. C. 4. 94) A. 1. Obſ. 35. 95) Langii Pathol. Anim. c. 14. p. 159. 96) vid. Sect. 3. Cap. 2. Art. 13. 97) Barthol. L. 3. Anat. Ref. c. 13. 98) Sennert. Pr. L. 1. Part. 3. Sect. 5. C. 5. Schenck. Obſ. L. 1. p. 190. Claudin. Empyr. Ration. L. 3. c. 6. p. 603. 99) Plater. Pr. Tr. 1. p. 427. Barbett. Chir. c. 13. Dolæi Encycl. Chir. L. 1. c. 18. p. 418. 100) Medic. Sept. L. 1. S. 25. c. 11. 12. &c. 101) Schenck. Obſ. Med. L. 1. p. 139. Barbett. Chir. p. 480. Paul. de Sorbait. Med. Pr. Tr. 5. c. 24. 102) Dolæi Encycl. Chir. L. 1. c. 18. p. 418.

riuntur functiones, in ore abſolvendæ, quod inprimis confirmat Juvenis quidam Gallus apud 103) Tulpium, cui ſub lingua ranula excrevit tantæ magnitudinis, ut vix potuerit verbulum formare, multo minus deglutire, vel aërem commodè ducere, exempla vero plura adducuntur ab aliis 104) Autoribus.

vel calculo §. XXXI. Idem notamus, ſi calculus, ſub lingua deliteſcens, remoram injiciat ejus motui. Sicut autem in omnibus ferè corporis partibus, ita etiam ſub lingua, poſſe lapillos generari, fide digni Autores poſteritati tradiderunt: Imo tam prodigioſæ formæ & magnitudinis ſub illa nati recenſentur, ut ſæpius ſermonis uſus 105) exin penitùs perierit, quamvis id de omni calculo, his in locis 106) notato, non debeat intelligi. Et hæc ſunt præcipua vitia, ob quæ lingua, in ſuo motu plus minus turbata, literarum ac vocum formationem ritè præſtare nequit.

nunc in Labiis §. XXXII. Devenio nunc ad Labiorum conſiderationem, quæ ſecundum naturam multum quoque contribuunt loquelæ. Fingunt quippe quàm plurimas literas, quatenus vel ſibi invicem committuntur, vel inferius ad ſuperiores dentes admovetur, vel in aliam rediguntur figuram. Quapropter ſemper impeditur locutio, quando eorum mutua applicatio aut commotio fieri debite nequit. In luxatione igitur maxillæ inferioris, ubi os 107) perpetuo hiat, non poſſunt literæ B. M. W. aliæve enunciari, utpote quæ ad ſui formationem attactum labiorum mutuum requirunt. Idem judica, quando muſculi temporales aut maſſeteres paralyſi laborant, vel vulnere transverſo ſunt diſſecti. Conſtat enim ex anatomicis, muſculorum horum ope maxillam inferiorem ſurſum verſus attolli, adeoque os claudi: quare nunc non ſolùm pondere propriò maxilla inferior delabitur, ſed antagoniſtarum actione deorſum quoque trahitur.

§. XXXIII. Obſervamus ulteriùs, naſci quosdam labiis in medio diſciſſis, ſeu leporinis, unde non parùm 108) in ſermone deficere ſolent. Cùm enim ad conſonantes, quas labia formant, ſatis exacta requiratur aëris compreſſio, ea autem labiis divulſis commodè fieri nequeat, locutionem exin laborare, quis non videt? Tale quid notamus quoque, quando labia vulnere grandi hiant, aut paralyſin patiuntur. Nam in utroq; caſu ob immobilitatem rurſum munio ſuo rite præeſſe nequeunt.

§. XXXIV. Penſitatis ſic vitiis Organorum, ſuâ activitate formationi vocum inſervientium, nunc illorum prava conſtitutio paucis eſt ponderanda, quæ paſſivè magis ſe in hoc negotio habent, ex quibus primô locô uvulam unà cum tonſillis nomino. Quamvis verò illarum non uſus adeo ſit egregius, tamen cùm ex earundem læſionibus incommodum plùs minùs notabile adferatur loquelæ, omitti haud debent. Uvulæ enim eroſionem 109) ſequi quandoque minùs articulatam vocem, notum eſt ex Practicorum Obſervationibus, ut'ut non ſtatim conſtet, quomodo queat loquelam hoc glanduloſum corpus ſua abſentia tam notabiliter depravare, quodque tam exiguam oris partem occupat, inprimis cum, abſente etiam eâ, 110) locutio tamen ſæpe ſuperſtes maneat. *nunc*

§. XXXV. Tumor vero ejus juxta ac tonſillarum magis manifeſtam ſuppedi- *tonſ.*

---

103) *Obſ. Med. L. 1. c. 52.* 104) *Vid. Hier. Fabr. ab Aquapend. Chir. Oper. p. 35. Munnicks Pr. Chirurg. L. 1. c. 26. Salmuth. Cent. 1. Obſ. Med. 36.* 105) *Schenck. Obſ. L. 1. p. 191. Barthol. Anat. Reform. L. 3. cap. ult. M. N. C. A. 3. p. 385. Borell. Cent. 2. Obſ. 17. it. qui in ſubſ. num. nominati ſunt.* 106) *Burnet. Th. Med. Pr. L. 10. p. 215. Bonet. Med. Sept. L. 1. Sect. 25. c. 6. & 7. Schenck. l. ſ. a.* 107) *Fr. de le Bois Sylv. Pr. Med.* L. 1. C. 4. *Munnicks Pr. Chir.* L. 5. *c. 3.* 108) *vid. Schenck. Obſ. L. 1. p. 207. Trincavell. L. 5. c. 11. de curat. corp. hum.* 109) *Dolæi Encycl. Chir L. 1. C. 25. p. 566. M. N. C. A. 4. & 5. Obſ. 16. Bonet. Med. Sept. Part. 1. L. 2.* S. *5.* 110) *vid. M. N. C. A. 4. & 5. Obſ. 66. D. 2. A. 5. Obſ. 6. Dolæus, Bonet. loc. in anteced. num. citatis.*

peditant rationem, cur iis præſentibus ægre ſuccedat locutio. Scilicet tunc temporis peſſime ſe quandoque habet reſpiratio, ita ut ſuffocationis 111) periculum non raro exinde incurrant ægri. Teſtem voco 112) Weickardum, qui de uvula cujusdam intumefacta ac elongata refert, quod deſcenſum cibi ac potus non minùs, quàm locutionem penitùs impedierit.

ma- utis §. XXXVI. Similem læſionem contrahit loquela ex naribus malè conſtitutis. Eæ namque ſicuti ordinario in certis figendis literis ſonum, inprimis à labiis interceptum, transmittere ſolent, ita obſtructione laborantes eundem excludendo, loquelam difficilem ſatis ac ingratam reddunt. Annotamus hoc inprimis in illis, quorum nares polypo ſunt obſitæ, quomodo nimirum maximum incommodum 113) reſpirationis non minùs, quàm 114) loquelæ ſentiant. Id quod etiam 115) Schenckius exemplo ruſtici cujusdam declarat, qui tàm inſignem intra nares aluit polypum, ut vix potuerit reſpirare, nedum loqui. Idem accidit, ſi alia excreſcentia carnoſa, ex vulnere v. g. relicta, impediat liberum ſoni per nares tranſitum, uti 116) Glandorpius annotavit. Nec aliter ſentiendum eſt, ſi à Catarrhis narium obſtructio ortum ducat, quàm difficulter enim ac inſuavis locutio tunc fiat, neminem forſan latere poteſt.

pa- §. XXXVII. Propero ad Palatum, cujus læſionis raram ſatis reperimus obſervationem apud 117) Bonetum non minùs, quàm in 118) M. N. C. de quodam, a nativitate palato penitùs carente, qui difficulter admodum verba facere potuit, quod linguæ mucro nullum inveniebat obſtaculum ad infringendum elocutionis tempore aërem. Nec abſimilem hiſtoriam legimus, locis anteà citatis, de Puella quadam, quæ ob foramen, in palato conſpicuum, non potuit, niſi illo obſtipato, neque edere, bibere, aut loqui. Non minus exſurgit damnum locutioni, quando ulceribus ſcatet hæc pars, cum ob doloris metum tam fortiter, prout decet, lingua non audet illum fornicem attingere, uti egregie illuſtrat 119) Foreſtus quorundam exemplis, qui verba facturi vix intelligi ab adſtantibus potuerunt.

§. XXXVIII. Sed ulterius dentium mentio quoque eſt facienda, ſiquidem ex eorum abſentia aut defectu corrumpitur notabiliter 120) loquela, ob malam videlicet pronunciationem literarum harum, quæ aliàs ex linguæ alliſione ad dentes reſultant, ut in edentulis potiſſimùm annotare licet. *aut dentibus*

§. XXXIX. Et hæ ſunt præcipuæ cauſæ, à quibus loquela nunc penitus aufertur, nunc ſatis difficilis, aut depravata redditur, quibus probe perſpectis ut felicem in Therapeia progreſſum nobis promittere queamus, paucula prius nobis verba erunt facienda de ſignis, quibus mediantibus ad morbi, ejusque cauſarum cognitionem deducamur. *Cauſarum diagnoſis* Non opus autem fore exiſtimo, ut multum ſim ſolicitus de ſignis ipſius morbi tradendis. Quando enim quis ad interrogata reſpondere nullo pacto poteſt, aut alius verba ſatis difficulter, aut depravate enunciat, ſtatim auditus beneficio vitiatam loquelam diſcernere unusquisque poteſt. Quare cauſarum potius diagnoſis eſt patefacienda. *an malum ex vitio Mentis* Mentis igitur culpam diſcimus vel ex ſurditate connata, vel ex denegata inſtitutione. Ratione prioris vehementer in prognoſi hallucinati ſunt quidam Medicorum, dum eam pro malo, nullam admittente medelam, habuere. Hodie tamen cum humani ingenii acies eo usque penetraverit, ut ſurdis & mutis feliciter loquelam reſtituat, aliter ſentire cogimur.

111) Foreſt. L. 15. Obſ. 1. 2. 3. & 8. Schenck. Obſ. L. 2. p. 210. 112) Theſ. Ph. C. 7. p. 129. 113) Barbett. Chir. p. 470. Tulp. Obſ. Med. L. 1. C. 26. 114) Dolæi Encycl. Chir. L. 1. C. 16. p. 367. Munnicks Pr. Chir. L. 1 C. 24. Paræi L. 7. C. 2. 115) Obſ. L. 1. ubi de narib. p. 182. 116) Specul. Chir. Obſ. 21. p. 120. 117) Ejusd. Medic. Septentr. T. 1. L. 2. S. 18. p. 472. 118) A. 3. p. 593. 119) L. 32. Obſ. 22. 120) vid. Dolæi Encycl. Chir. L. 1. C. 18. p. 429.

Spirituum

§. XL. Spirituum vitia cognoſcimus, & quidem eorum defectum ex prægreſſis & adhuc durantibus morbis gravioribus, quemadmodum abſentiam ipſorum in organis judicamus, quatenus animi commotio gravis, aut terror ſubitaneus, aliave taliusmodi cauſa prægreſſa, nobis ab ægro aut adſtantibus refertur. Quodſi ex conſenſu oriatur loquela vitiata, cauſæ antecedentes æque, ac concurrentia Symptomata ſtatim illam reddunt manifeſtam. Nec magna difficultas occurrit in determinanda defectus loquelæ cauſa, quæ ortum duxit à vehementiori capitis concuſſione, manifeſtiſſima ſiquidem ea eſt, ſenſibusque obvia. Denique eorum torporem colligimus vel ex errore in uſu ſex rerum non naturalium commiſſo, vel ex narcoticorum, antea adhibitorum, qualitate ac quantitate.

organorum reſpiratoriorum.

§. XLI. Reſpiratoriorum organorum quod ſpectat læſiones, eæ facilè indagatori ſedulo, & inprimis in anatomicis verſato pateſcent. Nequeunt enim diaphragmatis vulnera ac inflammationes, multò minùs muſculorum intercoſtalium læſiones celari, quin ex loco dolente & reſpiratione notabiliter ſimul inhibita, facilè cognoſci valeant. Reliqua thoracis mala, empyema puta, aut hydrops, ex pondere & fluctuatione in ejus cavo habentur, quæ ſymptomata tanta ſunt, ut decubitum ægri in latus ſanum non admittant, ſed ſtatim ſuffocationem minitentur. Ex rhoncho vel exſcreatione pituitoſi, aliusve humoris diſcimus præſentiam viſcidorum humorum, aſperæ arteriæ pulmonumque cellulis inhærentium. Vulnera tracheæ grandia vix indigent ſignis, utpotè quæ patent ſenſibus. Nec aliter judicandum eſt de rimulæ laryngis conſtrictione, nam & illa non poteſt eſſe obſcura, ſaltem ſi Medicus attendat ad ſuffocationis periculum, quod ex tumore, in faucibus occurrente, aut luxatione cervicis vertebrarum, ægro imminet. Et hoc quoque notetur de vitiis reliquis reſpiratoriorum, necnon vocum formationi deſtinatorum organorum, quæ tamen cuncta, quoad ſigna ſua, ſingulatim pertractare, nimis non ſolùm foret prolixum, ſed & ſupervacaneum. Illa enim oculis patent, vel ex eorum relatione, qui ægro adſtant, aut per ſigna ab ægrotante data haberi poſſunt. Miſſis igitur ad Semioticam ſpectantibus, aggredior ipſam curam.

Curatio

§. XLII. Quod itaque concernit loquelam vitiatam, quam æger contraxit ex ſurditate connata, illius curam duplicem præprimis deprehendo ab Autoribus traditam. Fuere quippe nonnulli, qui eò allaborarunt, ut ſonum, quem corrupta ſurdorum auditus organa non admittebant, alia via, quàm conſveta, ad ægrotantes deducerent. Sic notum eſt de Fœmina quadam ſurda, quod loquentes audiverit, ſi cornu quoddam ori indiderit, & colloquentes orificio ejus prominenti labiis admotis verba protulerint. Et de alio ſurdo conſtat, quod perceperit ſonum, ſi ſupra ſuturam coronalem quis ipſum allocutus eſſet. Svadent igitur 121) Autores, ut, corpore ægrotantis probè expurgato, præſcribatur ſpeciale caputpurgium, ex helleboro nigro paratum, quo una alterave vice exhibito, ut ſupra ſuturam coronalem capilli radantur ad magnitudinem palmæ, & ut loco huic applicetur poſthac linimentum, ab ipſis prolixè deſcriptum. Quibus ad auroras ſingulas reiteratis, ſimulque narium, aurium, palati, & faciei ſordibus probè deterſis, ulterius imperant, ut ægrotans ſupra ſuturam coronalem, capillis denudatã, compelletur, & certo pollicentur, illum ex voto ſonum jam eſſe percepturum, quem anteà nullô pactô per aures exaudire potuit. Auditu hôc modò ægrotanti conciliato, imprimendæ ipſi ſunt literæ unà cum ſyllabis, vocibus, ac integris ſermonibus, & quidem indefeſſa ac frequenti repetitione, usque dum vocabulorum ac ſermonum ſenſum non minus, quàm pronunciandi modum didicerit.

§. XLIII.

121) *vid. Petr. à Caſtro in Tr. de Coloſtr. C. 3. p. 18. M. N. C. A. I. Obſ. 35.*

§. XLIII. Alii loco hujus methodi eligunt ſibi viſum, quo reſarcire conantur auditus defectum, & quidem ſucceſſu haud infelici. Surdi enim utplurimum viſu gaudent acutiſſimo, ita ut etiam ex ſolo intuitu oris loquentium, legendo quaſi intelligant cuncta, velociter licet enunciata, prout ex exemplis, §. 5. ſub numero 11. ſuppeditatis, eluceſcit. Conſiſtunt proinde ſurdorum intelligendi principia in diverſis configurationibus motæ linguæ, labiorum &c. ex quibus, tanquam ex primis ſcripturæ cujusdam elementis, genuinum loquendi ſenſum conjiciunt. Configurationum vero illarum ſignificatum ſpeculi inprimis beneficio, ac ſtudio diligentis magiſtri addiſcunt, prout prolixius apud 122) Helmontium, 123) Wallisium, 124) Ammannum videre eſt. Quando autem loquelæ defectus ortum duxit ex denegata inſtitutione, integris de cætero organis, ea facili negotio conceſſa diſciplina reſtitui poteſt.

...ex ...um ...u. §. XLIV. Spirituum quod attinet defectum, is quemadmodum morbos graviores ac diuturniores tanquam cauſas agnoſcit, ita iis rite profligatis, viribusque denuo recuperatis, locutio quoque ſponte priſtinum ſuum acquirit vigorem. Quando vero ex particulari magis eorum defectu provenit obmuteſcentia, dum v. g. ab objecto externo commoti retrocedunt ex organis, per terrorem aut timorem, tunc brevi poſt, ſola quiete vel ſomno ſupervenienbe, ceſſabit ſponte. Nihilominus ipſi ſolito diutius duranti medicamentis obviam eſt eundum analepticis & exſuſcitantibus, de quibus in ſubſequentibus fuſiùs.

...nſu ...dico. §. XLV. Ex conſenſu ſi ortum ducat malum, v. g. in colica paſſione, vermibus 125) inteſtinis incluſis, aliisve dolorificis ſeu ſpasmodicis affectionibus, præter opiatorum tàm internum, quàm externum uſum, primario horum affectuum ratio eſt habenda, utpotè quibus 126) curatis, lumbricis puta enecatis, ac extra corpus expulſis, per myrrham v. g. abſinth. mercur. dulc. Colocynt. aliave, colica paſſione emendata, mediantibus clyſmatibus ex remediis temperantibus acrimoniam, & flatus diſcutientibus compoſitis, aliisque, redibit ex tempore loquela, hactenus ceſſans.

§. XLVI. Quando principia nervoſa defectui ſpirituum dant anſam, ad ipſa dirigi debent medicamenta, quæ cauſas removere valent. Siquidem dum cranium vel fractum, vel depreſſum comprimit cerebrum, allaborandum ſubito, ut fragmenta, ipſi incumbentia, lege artis, mediante forcipe vel volſella, protrahantur, aut ſubſidens cranium, ope convenientium inſtrumentorum, quæ vectes & elevatoria aliàs dicuntur, aut cucurbitarum vel emplaſtrorum ope, ad priſtinam deducatur figuram, prout adminiſtrandi modum penè omnes Chirurgi ſatis prolixè deſcribunt. Quod ſi verò humorum abundantia, aut ſtagnationes, vel extravaſationes gignant nervorum obſtructionem, præter venæ ſectionem quadrant vomitoria, purgantia, apophlegmatizantia, veſicatoria, ſetacea, aliaque quàm plurima, imo etiam ad trepanum ſubinde deveniendum erit, quæ ſingula judicioſus Practicus pro circumſtantiarum varietate facili negotio ſeliget. *influxu denegato*

§. XLVII. Denique dum ſpirituum torpor, vel ex opio, ſulphure narcotico, aut alia cauſa natus, exiſtit læſæ loquelæ cauſa, removeri hoc vitium debet non ſolum iis, quæ in antecedentibus 127) lineis ſunt recenſita, ſed inſuper ſalibus volatilibus, v. g. ſpiritu ſanguinis human. ſecund. human. ſalis ammoniac. urin. liqv. Cornu Cervi ſuccin. item acribus vegetabilibus, ror. mar. lavend. ſalv. ſemin. ſinap. eruc. piper. caryophyll. prout videre eſt apud Sylv. 128) in ſua Praxi. Minimè tamen his remediis æquè feliciter poteſt diſcuti ſpirituum torpor in ebriis, cum potiùs ſomnus in illo conveniat placidus, quo ceſſante, loque- *torpore.*

122) vid. Ejusd. Alph. hebr. delin. 123) Tr. de Loqv. gram. Angl. præfix. 124) Surd. Loqv. 125) Foreſt. L. 14. in Schol. Obſ. 23 126) Zac. Luſitan. Pr. Hiſt. L. 2. C. 5. p. 328. 127) vid. Uffenbach. Theſ. Chir. p. 656. 128) L. 1. C. 41. 289.

loquela, uti & cæteræ functiones, ut plurimum ſatis feliciter rurſus redire ſolent, quod etiam Hippocratis Aphoriſmus confirmat, ita ſonans: ſi ebrium quempiam derepentè vox deficiat, convulſus moritur, niſi eum febris prehendat, aut qua hora crapula ſolvi ſolet, ad vocem redeat.

ex vitio læſæ reſpirationis in Apoplexia &c.

§. XLVIII. Tranſeo ad organa reſpirationi, ſeu voci formandæ dicata, quorum actio ſæpè ceſſat unà cum cæterarum corporis partium motu in lipothymia, ſyncope, apoplexia, paralyſi. Tuncque ſuccurrendum nunc analepticis, vino nimirum generoſo, aquis apoplecticis Kohlreuteri & Langii, Spiritu vini rectificatiſſimo, vel ſolo, vel cum ambra & moſcho inebriato, nunc acribus odoretenus ſaltem hauſtis, v. g. ſpiritu ſalis ammoniac. aut ſale volat. Cornu Cervi, Oleo deſtillat. ſuccin. &c. nunc inſufflatione piperis, aut caſtorei in nares, nunc frictionibus duris, ligationibus doloroſis, vellicatione capillorum, venæ ſectione, emeticis, catharicis &c. Modo enim ſpirituum affluxus ad partes promoveatur rurſum, & in priſtinum reſtituatur ſtatum, unà cum cæterarum partium motu, thoracis quoque activitas, ſimulque loquela denuo redibit.

muſculis intercoſtalibus reſolutis

§. XLIX. Idem judica ſi ex intercoſtalium muſculorum reſolutione aphonia duxerit ortum. Quamvis enim in extremo tunc verſetur periculo æger, ipſi tamen eſt ſuccurrendum non ſolum excitantibus modo commemoratis, ſed & iis, quæ præter irritandi facultatē, etiam roborandi reſolutas fibras poſſident, quorſum pertinet ſpiritus vini vel ſolitarius, vel ſupra plantas aromaticas, ſerpill. nempe roſmar. menth. &c. abſtractus, imo magis adhuc acria, uti ſunt rad. pyrethr. Zingib. piper. &c. hûc trahi quoque poſſunt olea deſtillata aniſ. ſucc. aliaque quamplurima.

vulneratis

§. L. Vulnus ſi anſam malo præſenti dederit, cautè in ejus curatione eſt procedendum. Si enim illud altiùs penetraverit cum haud exiguo ægrotantis periculo in ipſam thoracis cavitatem, minimè primo die 129) ſtatim obturandum eſt, ſed ad minimum per duos vel tres apertum tenendum, pro facilitando effluxu cruoris aliusve humoris extravaſati. At cum æger de nullo ampliùs dolore diaphragmatis ponderoſo conqueritur, neque ſanguis aut pus in pectore collectum obſervatur, ad cicatricem citiſſime eſt perducenda læſio, quod optime docent 130) Chirurgi.

§. LI. In pleuræ ac diaphragmatis inflammatione poſt venæ ſectionem conveniunt diaphoretica & reſolventia, tàm fixa, uti ſunt antimon. diaphor. ſimpl. & martial. antihect. poter. quàm volatilia ſpir. ſalis ammon. Cornu Cervi &c. Quorum tamen uſus magis proficuus ſemper deprehenditur, ſi urgente dolore maritentur cum opiatis.

§. LII. Purulenta materia aliique humores, fluctantes in thoracis cavo, pulmonumque motum impedientes, nî cancrorum fluviatilium cum aceto vel vino contuſorum uſu, (quod medicamentum egregiis præconiis quidam attollunt) per urinarias vias exturbentur, ad paracenteſin deveniendum eſt. Sin vero ipſis pulmonum cellulis purulenta inhæreat materia, medicamenta, quæ aliàs expectorantia audiunt, laudem merentur, qualia ſunt: veron. ſcabioſ. tuſſil. hyſſop. pluraque alia, quorum catalogum paſſim in pharmaceuticis ſcriptis reperimus, quibus non incommode, pro ulceris mundificatione & conſolidatione, vulneraria adjunguntur, uti ſunt: urtic. bugul. herb. coſt. pyrol. ſanic. &c. aut loco harum plantarum balſamica v.g. balſam. peruv. ſulphur. & inprimis terebinth.

§. LIII. Aſpera arteria quando penitùs diſſecta eſt, & hinc ſublata vox, quamvis deſperatus ſit caſus, tamen ſi conſuatur vulnus, aliquam forſan reconvaleſcentiæ ſpem adhuc relinquit. Aſt ſi quodammodo ſaltem ſauciata fuerit,

129) *vid. Parei L. 9. c. 31.* 130) *Munnicks Pr. Chir. L. 2. c. 21. Petr. de Marchett. Obſ. Chir. 41. Hildan. Cent. 3. Obſ. 37. Scultet. in Armament. Chir. Tab. 37.*

fuerit, reſtitutionis ſpes major adhuc adeſt, modo labia vulneris ad contactum mutuum diſponantur, & remedium imponatur glutinans, ſangvinis & ſaniei illapſum in tracheam prohibens, quale deſcribit 131) Aquapendens. Inſimul verò, pro facilitanda conſolidatione, in ore contineantur glutinoſa, blandè adſtringentia, ac balſamica, uti ſunt: Sacch. alth. ſyrup. de ſymph. aut gargarismata ex rad. conſol. torment. ſanicul. de quibus videatur Munnicks 132) in Praxi Chirurgica.

…ſophago …reſſa

§. LIV. Si bolus major, œſophago incuneatus, vocem præcludat, opera eſt navanda, ut vel potu copioſiùs unoque hauſtu aſſumto, vel oleo, aliisque lubricantibus ingeſtis canalis hicce dilatetur, ac inungatur, ſimulque cauſa morbifica deorſum cogatur. Quibus non proficientibus inſtrumenta conveniunt chirurgica, præprimis ex balænæ oſſibus flexibilibus confecta, & iis quoque irritis, num vomitu provocato queat denuò expelli quicquid incuneatum eſt, allaborandum ſedulò.

…la la…s con…a aut …cluſa

§. LV. Laryngis rimula nimiùm conſtricta vel occluſa ſi vocem impediat, recludenda eſt. Tumor itaque iis in locis occurrens, rimulamque conſtipans, quomodo curari debeat, conſtabit ex ſubſequentibus, ubi de faucium affectibus erit ſermo. Sin verò dependeat ejus compreſſio à ſubluxatione vertebrarum cervicalium, earum repoſitio idonea removebit ex voto impedimenta. Perfecta enim luxatio merito lethalis judicatur, ob ſpinalem medullam nervosque, ab ea oriundos, compreſſos. Tantùm igitur ſecundæ ſpeciei tempeſtivè eſt ſuccurrendum, quod fit, ſi æger in humili ſede collocetur, & Chirurgi miniſter ſcapulas deprimat, ipſe verò Chirurgus caput utrinque ad aures comprehenſum elevet, varieque moveat, donec vertebra ſuo reſtituatur loco, prout loquitur Munnicks 133) in Praxi Chirurgica. Quando autem à laqueo, arctè circumjecto faucibus, compreſſio aſperæ arteriæ duxit ortum, ſi ullum adhuc ſperandum auxilium, celeriter diſſecandus erit funis, quo diſciſſo, ſi ſpontè non reſpirare inceperit æger, ori ejus, a quodam adſtantium, qui 134) cinamomum aut aliud aroma priùs dentibus contrivit, halitus inſpirari, aut aqua apoplectica, vel aliud quid, virtute vellicante gaudens, inſtillari debet; collo autem tumenti nimiùm ac rubenti oleum calidum, vel emplaſtrum quoddam reſolvens imponatur, ſic jubente 135) Aëtio.

in Angina

§. LVI. Et licet penè ſimilis conſtipatio rimulæ laryngis notetur in muſculorum, ejus motum præſtantium, inflammatione, quæ affectio alias dicitur Cynanche, alia tamen nunc adhibenda ſunt remedia, inprimis verò venæ ſectio vel ſub lingva vel in brachio celebrata, cui poſtmodum ſubjungantur cataplaſmata tam emollientia, quam reſolventia. Etiamſi vero ab his topicis non adeò promtè abſconditis muſculis ſuccurri 136) poſſe videatur, nihilominus ſpernenda non ſunt in hoc ancipitis aleæ morbo, ubi, ni ſubitò ſtrangulatio impediatur, extrema imminent, & ſuffocationis periculum, ſi in abſceſſum mutata inflammatio ex improviſo rumpatur, & tracheæ infundatur, de quibus conferatur 137) Foreſtus.

rimula laryngis nimium laxata

§. LVII. Si ex paralyſi muſculorum laryngis nimiùm laxata rimula raucedinem, aut plenarium vocis defectum generet, pro emendando hoc vitio antiparalytica, tam externè quam internè adhibita, convenient, quorum apparatum alia jamjam occaſione exhibui. Quando verò ex nervis recurrentibus infrigidatis illud malum naſcitur, ungventis obediet, ex oleo vulpino, caſtorino, & lumbricorum paratis, quibus fauces & tota aſperæ arteriæ regio inungenda eſt, aut decoctis ex urtica, baccis lauri, ſalv. roſ.

P 4 mar.

131) *vid. Ejusd. Oper. Chir. Part. 2. L. 2. c. 36.* 132) *L. 2. c. 20. p. 299.* 133) *vid. L. 5. c. 3. p. 490.* 134) *Foreſt. L. 15. Obſ. 25.* 135) *L. 8. C. 4.* 136) *vid. Schelham. Diſp. de voc. ejusque affect. p. 41.* 137) *L. 15. Obſ. 24.*

mar. nec non diaphoreticis &c. de quorum uſu hoc in caſu admodum inſigni vid. Zac. Luſitanus in Praxi 138) Admir. Aſt ſi penitus reſecti fuerint hi recurrentes nervi, nulla reſtitutionis ſpes ulterius ſupereſt.

aut humectata. §. LVIII. Læſioni vocis, natæ ex laryngis nimia irrigatione, opponantur, quæ alias in catarrho tenui adhiberi ſolent, nempe purgantia, diaphoretica ac diuretica, ipſisque prius adhibitis, incraſſantia, uti ſunt: bolus armen. terr. ſigill. Sileſ. maſtich. thus, ſuccin. ſtyr. &c. de quibus vid. Sylvius in Pr. Med. 139) appendice.

faucibus inflammatis, §. LIX. In faucibus ſe offerens angina, clyſmatum acrium uſum, & inprimis venæ ſectionē tanquā præſentiſſimum remedium, 140) ſvadet, quibus præmiſſis, gargariſmata, aliaque externa remedia, in uſum ſunt trahenda, uti ſunt: cataplaſmata ex flor. roſar. rubrar. balauſt. cort. granat. fol. querc. nid. hirund. aliisque ſimilibus repellentibus parata. His non ſufficientibus applicentur oleum lil. alb. chamomel. axung. lepor. porcin. empl. de mucilag. aliaque tam emollientia quam ſuppurantia dicta, & ſi ſpontè haud rumpatur abſceſſus, vel phlebotomo, aut alio inſtrumento aperiatur in parte externa ac declivi, quo exitus concedatur materiæ huic, alias extrema pericula ſua præſētia ægris illaturæ.

aut conſtrictis §. LX. Quod ſi aqua fortis imprudenter hauſta, conſtrictionis faucium extiterit cauſa, ejus curatio celeriter ſuſcipienda eſt diluentibus, obtundentibus, & inviſcantibus hanc acrimoniam, qualia ſunt: aqua, lac calid. oleum olivar. mucilag. ſem. cydon. alth. ſolutio gummi tragacanth. &c. de quorum apparatu ac uſu inſigni vid. 141) Hœchſtett. 142) Foreſtus, aliive. Quando autem jam eroſio facta eſt, balſamicis, uti ſunt: terebinth. balſam. copaiv. peruv. &c. reſiduum curæ abſolvi debet, ſi modo adhuc remediis ullis concedatur locus. Denique ariditati faucium nimiæ & exin productæ difficultati loquelæ, ſuccurrimus aqua, vel decoct. plantag. lactuc. portulac. fragar. prunell. aliisque hujus generis, quæ non ſolum ſub forma gargariſmatis adhibita, ſed etiam hauſta, quatenus nempe viſcidos humores diluunt, & ebullientes refrenant, egregia ſunt. His dein ſubjungantur mucilaginoſa, ſub forma linctus adhibita.

§. LXI. Lingvæ vitiis, poſtulante ſic ordinis ratione, nunc occurrendum eſt, & primò quidem ejus tumori exceſſivo: Hic quoniam ſupra diſtinctus fuit in nativum & adventitium, curam quoque diſtinctam poſtulat. Quemadmodum vero nativa hujus membri magnitudo, ſi non adeo enormis obſervetur, vix, aut penitus non cadit ſub Medici curam: ita, quando limites nimium excedit, decurtari 143) & reſcindi à perito artifice debet, usque dum ad conſvetam perveniat molem, cujus Chirurgiæ effectus ſatis felices deprædicantur in 144) M.N.C. ubi plura ſimul ex aliis Autoribus adducuntur exempla, in quibus illa proficua fuit deprehenſa. *Lingvæ tu[...]*

§. LXII. Sin vero alia adſit præternaturalis intumeſcentia, reſpiciendum erit ad cauſas, ex quibus ortum ſumat. Adeoque in inflammatione, & exinde oriundo tumore adhibeantur, quæ in anginæ curatione tradidi. Tumor autem mollis & laxus, à pituitæ, prout loquntur, infarctu oriundus, curatur 145) phlebotomia, phlethoricum ſi fuerit ſubjectum; ſin minꝰ, medicamentum purgans erit exhibendum, cui intentioni inſervire poterunt pilulæ ex aloë, ſcammon. aut colocynth. paratæ. Quod ſi verò easdem æger reſpuat, aut deglutire nequeat, medicamentum componatur ex ſenna, agarico, ſimilibusque, aut illorum loco clyſmata acria injiciantur, poſtmodum abluatur lingva ſucc. limon. granat. acetoſ. plantag. ut repellatur infarctus humor per conſtrictas quodammodò fibras affectæ partis.

§. LXIII. E contra ſi lingua ex quacunque injuria penitus fuerit abſumta vel reſecta, omnis Medici conatus *reſ[...]* fruſtra-

138) L. 1. Obſ. 106. 139) Tr. 4. 163. p. 669. 140) vid. Barbett. Chir. c. 18. p. 253. Paul. de Sorbait. Med. Pr. Part. 1. c. 30. 141) Obſ. Med. Caſ. 3. Dec. 3. 142) L. 15. Obſ. 30. 143) vid. Dolæi Encycl. Chir. L. 1. c. 18. p. 243. 144) Dec. 2. A. 2. Obſ. 51. 145) Severin. Pr. med. L. 5. C. 1.

fruſtraneus erit. Quando autem pars ejus ſolum abſciſſa eſt, illud caſu aliquo fortuito inventum inſtrumentum, arteque poſtmodum perfectum, vocari debet in uſum, quo mediante feliciter lingvæ mutilatæ in literarum pronunciatione ſuccurri poteſt, cujus inventionem non minus, quam delineationem ac uſum tradit 146) Pareus.

...ca §. LXIV. Siccitatem lingvæ, ejusque curam rurſus non attingo, utpote quæ non diſcrepat à faucium aridarum curatione ſuperius ſuppeditata. *...rata* Adeoque vulnera ejus, ſic jubente ordine, vocabo ad examen. Lingvæ igitur portio ſi ſeparata & divulſa penitùs fuerit, reſtitui neutiquam poteſt. Quapropter his miſeris ad recuperandam loquelam remedium Parei paragraph. præced. citatum commendandum eſt. Quod ſi autem lingvæ pars læſa cohæreat adhuc baſi ejus, vitanda eſt ſedulò, ſecundum Aquapendentis monitum, ejus abſciſſio, potius, ut vulneris labia quantocyus uniantur, promoveri debet, id quod omnium commodiſſime per ſuturam fiet, cujus adminiſtrandi modum vide apud 147) Pareum. Peractâ verò ſuturâ, ægrotans ore frequentius detineat, quæ detergendi ac agglutinandi virtutem poſſident, qualia ſunt: ſacch. roſ. ſyrup. cydon. &c. Sin verò impatientia ægrotantis aut alia circumſtantia ſuturam non admittant, videndum eſt, an ſolis adſtringentibus ſuccurri poſſit. Quarè gargariſmata præſcribantur ex foliis & floribus roſarum rubrarum, balauſt. plantag. corticibus granatorum &c. in aqua chalybeata decocta, aut ſyrupi ribium, cydon. de roſ. ſicc. ab ægro in ore contineantur, vel parti læſæ admoveatur mel roſatum, cui ſpiritus vini tantillum eſt additum.

...rata §. LXV. Lingvæ ulcera curantur abſtergentibus atque ſiccantibus, quem in finem valde commendat Barbette, ut os colluatur cum decocto, ex fol. querc. roſar. balauſt. cort. granat. alum. uſt. cum vin. rubr. aut adſtringente facto, & cum mell. roſ. rurſum edulcorato. Interim quandoque totius corporis habenda eſt ratio, adeoque nunc per purgantia, venæ ſectionem, ſudorifera (quod Medicus facilè ex circumſtantiarum indicatione dijudicabit) ſuccurratur ſimul malo.

§. LXVI. Sequitur nunc lingvæ paralyſis, quæ jam prodromus, jam conſectarius affectus apoplexiæ eſt, jam vero ſolitarie exiſtere ſolet. *reſoluta* Rara autem ac admodum difficilis ejus eſt cura, quando apoplexiam ſequitur, præſertim ſi æger ætate fuerit profectior, id quod ipſemet non ſine acerbiſſimo mœſtitiæ atque mœroris ſenſu Conſultiſſ. cujusdam Viri exemplo didici, utpote qui ſubitanea correptus apoplexia, una cum dextri lateris hemiplegia, linguæ tantam contraxit paralyſin, ut mente adhuc integerrima, nullum tamen ſermonem formare potuerit, licet aliquot diebus, ab infauſta apoplectica invaſione elapſis, demum beatiſſimam efflaverit animam. Simplex vero & ſolitaria paralyſis faciliorem admittit curam, modo in utroque affectu eò allaboret Medicus, ut ſpirituum affluxum ad partes omni modo promoveat, quod obtinebit venæ ſectione, aut ſcarificatione ſub mento, vel veſicatoriis, ſetaceis, ſtimulantibus, aliisve evacuantibus, quibus adjungi debent gargariſmata ex hyſſop. orig. primul. ver. ſalv. puleg. thym. calam. zingib. pyrethr. pip. &c. parata; tandemque balſama apoplectica aut theriaca 148) lingvæ impoſita, quibus aliisque ſimilibus quandoque removeri adhuc ſe patiatur affectus hicce.

§. LXVII. Lingvæ nervorum præciſionem, nec non eorum malam in utero conformationem omitto jam lubenter, bene gnarus, talia vitia à Medico curari haud poſſe, potius quid cum vitiato lingvæ frenulo ſit agendum, jam brevibus enarrabo. *à frenulo impedita* Poſtulat vero malum hocce nonnunquam Chirurgiam, ſed non ab imperita obſtetricis

146) *vid. L. 22. C. 5.* 147) *L. 9. C. 27.* 148) *vid. Hoffman. M. M. pag. 287. Horſt. Lib. 1. de febr. 29.*

ſtetricis valdeque 149) noxia manu, verum potius à Chirurgi experti. Is quippe protrahat ac palatum verſus attollat lingvam, ſicque frenulum, oculis expoſitum, forfice aut ſcalpello incurvo ſecet, caute tamen, ne inſimul vicina vaſa ſangvinea, aut ſalivalia ſublingualia cum nervis lædat. His peractis, vulnus eluat vino, vel granula aliquot ſalis communis imponat, vel mel roſaceum, ne celeriter, vulnere conſolidato, nova frenuli arctitudo emergat. Aliam methodum, per fili nempè trajectionem ejusque conſtrictionem; tradunt 150) Chirurgi, ad quos benevol. Lectorem remitto.

item à ranula §. LXIIX. Denique cura ranulæ paucis eſt pertractanda, quem tumorem removere quidam Medicorum intendunt pulvere impoſito, ex pyrethr. zingib. ſal. commun. rad. irid. origan. calamenth. aut ex iisdem, in aqua aut vino decoctis, facto gargariſmate, quo os diligenter colluere imperant. Aſt raro his medicamentis ſanatur tumor hicce, inpr. qui ad magnitudinem notabilem jamjam pervenit, potius ergo Chirurgia iterum imploranda eſt. Ubi nonnulli ranulam aperiendam cenſent actuali cauterio, alii acum per tumorem trajiciunt, & vulnus ſcalpello dilatant. Optimam tamen præ reliquis hujus tumoris curam eſſe exiſtimat 151) Munnicks, ſi ſcalpello utrinque aperiatur ranula, & quidem inciſione lata & profunda, quam citra periculum fieri poſſe refert. Extracto dein ſufficienter infarcto humore, ſæpius eluatur os decoct. hord. cum mell. roſac. & tantillo ſal. prunell. imprægnato, usque dum omnis prava materia evacuata fuerit. Et hac Chirurgia extirpatur quoque calculus ſub lingva deliteſcens, obſervetur modò, ut poſt ejus remotionem, ea ſtudioſe attendantur, quæ modò monita ſunt, nihilque dum amplius ſupererit, quod circa ejus curationem ulterius poſſet addi.

Labiis præternaturaliter conſtitutis §. LXIX. Jam exponenda eſt cura labiorum, ſi præternaturaliter conſtituta ſint. Diſtenduntur quandoque illa à ſe invicem ita, ut nullo pacto ægrotans eorum mutuum contractum obtinere poſſit, quale quid inprimis in luxatione obſervamus maxillæ inferioris. Ut igitur ea reponatur in ſedem naturalem, videndum prius eſt, an utroque latere, aut altero ſolum luxata fuerit: ſi prius, utriusque manus pollicem Chirurgus dentibus molaribus imponat, reliquisque digitis maxillam extrinſecus arripiat, ſicque, capite priùs probè firmato, eam primo deorſum trahendo, mox in partem poſteriorem adigendo, tandemque ſurſum pellendo reſtituet. Uno verò ſi in latere luxata tantùm fuerit, ejus in partem oppoſitam protruſio reponit maxillam, aut colaphus gravior inflictus non raro reſtituit eandem. Peracta repoſitione firmari debet deligatione, usque dum dilatata ligamenta priſtinum robur rurſum obtinuerint, interim ægrotans agitationem ejus ſedulò interdictam habeat. Sin a muſculorum temporalium vel relaxatione, vel vulnere transverſim inflicto oris hic hiatus turpis fuerit productus, antiparalytica atque vulneraria erunt adhibenda, de quibus aliquoties jamjam eſt dictum.

§. LXX. Sequitur nunc labiorum leporinorum curatio, in qua Chirurgus, calloſitatibus partis affectæ reſectis, eorum approximationem promovebit ſutura convenienti, quam perficit tribus utplurimum acubus, quarum primam propè fiſſuræ terminum ſub naribus, alteram medio loco, tertiamque in inferiori parte transmittit, fila ſingulis immiſſa poſtmodum circumvolvens acubus, quibus inhærebant. Poſtmodum vel oleum momord. aut hyper. vel balſam. copayv. aut empl. quoddam glutinans deſuper ponet cum faſciis convenientibus, donec conſolidatum obſervat vulnus hocce, quod tardiùs nunc, nunc citiùs contingit, pro quibus circumſtantiis deinde acus infixæ quoque eximi debent. *di*

§. LXXI. Vulnera grandia labiorũ quod concernit, eorum cura cum parum vel

149) *vid. Aquapend. de Oper. Chir. ubi de Lingv. Chir. p. 35. Guillem. de Nutr. infant. C. 23. Hildan. Cent. 3. Obſ. 28. Riolan. Anthropogr. L. 4. C. 7. Scultet. Obſ. 37.* 150) *Parei Lib. 16. c. 29.* 151) *Pr. Chir.* L. *1. c. 26.*

vel nihil differat à jam recenſita, cumque etiam paralyſeos methodus medendi aliquoties fuerit tradita, idcirco miſſis harum partium vitiis, propero ad uvulæ ac tonſillarum affectus, qui adhuc reſtant.

§. LXXII. Vix autem habeo, quod circa illos producere poſſim. Quemadmodum enim uvulæ defectum reſtituere nequit Medicus: ita harum partium tumores, ac inflammationes nullũ aliud expetunt remedium, quod in antecedentibus, ubi de his ſymptomatibꝰ, in diverſis partibꝰ occurrentibus, eſt actum, non fuerit exhibitum. Unicum igitur, nempe uvulæ caſum pauciſſimis ad examen vocabo. Quando enim illa intumefacta elõgatur nimium, & ſuffocationem minitatur, ejus reſectionem, in quantum ſcilicet naturalem magnitudinem excedit, ſuadent Medici, adhibentque hunc in finem vel fila, vel inſtrumenta acuta, adurentia, aut corroſiva, quorum apparatum ac utendi modum vide apud 152) Chirurgos.

§. LXXIII. E narium affectibus adhuc reſiduis primo loco ſe ſiſtit conſiderandus polypus, qui ſui extirpationem indicat, & hinc Chirurgis de vario cogitandi modo, quo id præſtarent, dedit occaſionem. Nihilominus vix ac ne vix quidem ſuam intentionem in polypo cancroſo attigére unquam, quamvis benignum ac pendulum magis, aut indolentem quandoque ſatis feliciter extirparint cauteriis jam actualibus, jam potentialibus, vel adhuc meliori ſucceſſu inſtrumentis chirurgicis diverſis, quibus tam diu exercuere hanc excreſcentiam, usque donec extirpatam plenarie viderint. Et cum eodem modo etiam curetur Sarcoma, ideoque de illo nil amplius addo. Aſt ſi catarrhus obſtructionem narium & loquelam ingratam pepererit, evacuantibus aliisque convenientibus remediis profligari, eoque gratia priſtina rurſus conciliari loquelæ poteſt.

§. LXXIV. Nares excipit palatum, de quo ex ſuperioribus conſtat, quod quandoque penitus deficiat. Quamobrem quando ex ejus abſentia loquelæ difficultas naſcitur, de factitio erit cogitandum, quod in deficientis locum ori inditum formationem vocum præſtet, de cujus ſtructura conſulantur Chirurgi. Quando autem foramen, vel ab ulcere, vel à quacunque cauſa relictum, impedit locutionem, ejus obturatio cum ſpongia marina, ſubere, goſſipio, aut alia 153) materia corriget vitium, prout videre eſt in 154) M. N. C. Quod ſi vero præſens ſit ulcus palati, cura petenda ex antecedentibus, ubi hæc materia, licet alia occaſione, jam expoſita eſt. *Palato deficiente* *aut exulcerato*

§. LXXV. Ultimo tandem loco dentium defectus ſequitur, qui, quomodo reſtitui debeat, nunc explicari poſtulat. Reſarcitur vero eorum abſentia aliis vicariis, vel oſſeis, vel eburneis, aut ex armis ſ. dentibus equi marini (qui nunquam flavedinem turpem uti ebur ſolet, contrahunt) paratis. Reponuntur autem in deficientium locum, & tam inter ſe, quam ad proximos ſanos & integros aureo vel argenteo filo alligantur & firmantur. Ubi tamen monendum eſt, haud levem inferri hac chirurgia dentibus adhuc ſanis adſtantibus, juxta ac gingivis injuriam, de qua non raro poſt aliquod demum temporis intervallum conqueri ſolent, quibus antea ea egregie arriſit. Et hæc de Læſa Hominis Loquela dixiſſe in præſens ſufficiat. Tibi igitur, Trinune DEUS, pro clementiſſima directione atque aſſiſtentia humillimas ac devotiſſimas nuncupo gratias. Lectorem vero Benevolum rogo, ut, ſi quædam minus accurate excuſſa obſervet, quod ultro fateor, veniam mihi dare non dedignetur. *Dentibus deficientibus.*

F I N I S.

DISPU-

152) *vid. Hildan. Cent. 2. Obſ. 21. Scultet. Tab. 9. Fig. 3. Guillem. p. 503. Barthol. Cent. 2. Hiſt. 88.* 153) *vid. Parei L. 22. C. 4.* 154.) *A. 3. p. 593.*

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Decima tertia:
De
RESPIRATIONE LÆSA.

§. I.

CUm de ægritudine quadam corporis noſtri nunquam commode diſſerere liceat, niſi partis morboſæ ſtatus naturalis, quem ſanitatem aliàs dicunt phyſiologi, cognitus exacte fuerit: ſpero, me non præter rem facturum, ſi, antequam in chartam conjiciam mea de læſa reſpiratione cogitata, hanc functionem, prout integra regulisque ſanitatis conformis eſt, fundamenti loco quodammodo explicem.

ad Reſpirationis actionem duplicem

§. II. Totum igitur hoc reſpirationis negotium duplici abſolvitur actione, aëris puta intra pulmones ſuſceptione, ſuſceptique expulſione, quarum prima inſpiratio, altera exſpiratio audit.

requiritur:

§. III. Requiritur proinde ad recte expediundam hanc actionem duplicem (I.) materiæ reſpirationi impendendæ diſpoſitio intentioni Creatoris ſummi conveniens, cujus ratione omnes pulmonum mæandros ſubintrare, rurſumque illos præſtito uſu ſine mora deſerere apta ſit. (II.) Organorum mechaniſmus talis, quo recipi & expelli dicta materia poſſit.

materia fluida,

§. IV. Videamus itaque ante omnia deſideratam illam materiæ diſpoſitionem. Hanc fluidam eſſe debere, cum particularum corpus ſolidum conſtituentium cohærens textura non reſpondeat motui illi veloci adeo neceſſario, nemo non ſtatim intelligit. Minime tamen propterea omne, quod fluidi titulum gerit, huic ſtatim uſui inſervit.

non aqua,

§. V. Nam aqua, quamvis omnia in ſe habeat fluidi requiſita, plane non apta eſt ad reſpirationem; id quod frequens teſtatur obſervatio illorum, qui undis caſu vel conſulto ſubmerſi cum vita mortem commutare coacti ſunt. Et ne quis credat, fatum hoc ſolum manere animantia aëri adſueta, experientia conſtat, piſces hyemali tempore, ubi piſcinæ glacie teguntur denſa, ſuffocari ſæpiſſime, non ſecus ac ſi machinæ pnevmaticæ incluſis, antliæ ſuctu, aërem aquæ incumbentem detraxiſſes.

[illegible]

§. VI. Imo nec aër omnis muneri huic accommodatus deprehenditur. Nimium enim qui ſubtilis, rarefactus & æthereus exiſtit, æque inutilis obſervatur, ac præter modum compresſus & condenſatus. Prius confirmat modo commemorata pnevmatica machina, in qua incluſa animalia poſt agitationem unam aut alteram emboli, ob ſolam hanc aëris raritatem certo exſpirant. De altero vero teſtatur experientia celeberrimi philoſophi Britannici Domini de *Stair*, qui murem, machinæ aërem nimium compreſſum detinenti incluſum, æque cito, ac in vitro aëre omni orbato periisſe refert *Phyſiol. Nov. Experiment. Explorat. 19. Sect. 16. p. 593.*

qui [illegible]

§. VII. Aer itaque media ſe ratione habens, qualis atmoſphæram conſtituit, quæ globum terraqueum ambit & premit, reſpirationis materia apta unice exiſtit, idque per inſitam elaſticitatem ac gravitatem reſpiratoriis organis maxime proportionatam, utpote a quibus omnis ejus actio & effectus in hoc negotio dependet.

El[illegible] aë[illegible]

§. VIII. Clarius hæc omnia ut pateſcant, liceat mihi fuſius paululum de his aëris proprietatibus agere. Intelligo vero per elaſticitatem illam vim, qua corpus aëreum compreſſum & ad minorem dimenſionem redactum ſe explicare nititur, inprimis ſi prementis impetus paululum remiſerit. Exempla

empla hujusmodi elateris in ſenſus incurrentia habemus in arcu inflexo cornua in ſtatum priſtinum reducente; item in oſſibus balænæ, anſerumque pennis manu compreſſis; omniumque manifeſtiſſimè in laminis chalybeis contortis, quarum uſus in horologiis automatis, aliisque utenſilibus frequens omnino eſt.

§. IX. Aëri vero ejusmodi principium elaſticum ineſſe, docemur ſequentibus experimentis. Si antliæ pnevmaticæ ſipho aëre repleatur, orificioque probe obturato embolus agitatur, non cedit ſolum aër, minoremque locum occupat, ſed, ſublatâ vi embolum impellente, repellit illum extrorſum, ſeque in priorem ſtatum vindicat. Idem in campanis urinatoriis, dum aquæ immittuntur, videre eſt, utpote in quibus aër illarum cavo incluſus, dum perpendiculariter ſubmerguntur, aquæ aſcendenti cedere, exitumque nullum inveniens in ſe coire, & minus ſpatium occupare cogitur. Hinc fit, ut urinatores ſuperiorem locum occupantes ab aquæ acceſſu immunes omnino maneant. *Confer. Sinclari Ars Nova & Magna gravit. & levit. lib. II. dialog. V. & Excell. Sturmii Colleg. curioſ. Part. 1. Tent. I. & Part. II. Tent. I.* Sed cum hæc omnia ſub undis fiant, quorſum oculorum acies non penetrare poteſt, niſi in parvis admodum campanis vitreis tentamen inſtituatur, clarius elater iſte aëris comprobatur in tubo vitreo ita incurvato, ut unum crus longum & apertum, alterum breve & hermeticè ſigillatum, vel ſaltim operculo accommodato exacte occluſum ſit. Quodſi enim Mercurius vivus oſtio cruris longioris infundatur, ab ejus mole comprimitur aër breviori in crure reſiduus, ita ut reniti manifeſto Mercurio aſcenſum molienti incipiat non ſolum, verum quoque, ſi ulterius à copiâ ponderoſi hujus metalli urgeatur, cum impetu capitellum hujus tubi rumpat, aut operculum rejiciat, non ſecus, ac ex ergaſtulo ſclopeti pnevmatici compreſſus antea aër prorumpens globulum plumbeum reſiſtentem exturbat ac propellit. Quam elaſticitatem aëris fonticuli artificiales diverſi ulterius adhuc confirmant.

§. X. Satis, ni fallor, ſic conſtat, comprimi poſſe aërem, ſi vis externa acceſſerit, iterumque ſe reſtituere in integrum, causâ illâ remotâ. Verum enim vero extra illum caſum aërem, prout ſcilicet in atmoſphæra reperitur, jamjam quodammodo compresſum moliri continuo, ſuam ut recuperet dimenſionem, adeoque nunquam non urgere ac premere, quicquid ipſi obſtat, paradoxum quibusdam videtur. His ergo ſequentia experimenta inſervient. Si veſica modice aëre diſtenta in machina pnevmatica ſuſpendatur, intumeſcet ipſa uſque ad rupturam, ſtatim, ac emboli ſuctu aër ipſam ambiens extractus fuerit: imo tantus niſus obſervatur, ut etiam pondus ſat grande veſicæ alligatum ſimul attollatur. Coincidit cum hoc experimentum Illuſtris *Boylei Experim. Mechan. p. 21.* adductum, dum veſicam madefactam exacte complicatam, colloque phialæ minutæ alligatam, beneficio machinæ pnevmaticæ per tantillum aëris phialæ inhærentis totam rurſus inflat. Quodſi hæc nondum ſatis fecerint, ſume tubum vitreum utrinque apertum, eumque immitte in vaſculum vitreum Mercurio, vel liquore quôdam tinctô ad medietatem repletum, &, ubi orificium vitri exacte obturatum, ſicque aëri contento via egrediendi præcluſa eſt, aërem in tubo contentum, & æqualiter Mercurium aut liquorem prementem antliæ beneficiô remove, & videbis tunc Mercurium vel liquorem in tubo ſtatim aſcendere. Adde his experimentis inſuper adhuc vitrorum angularium, & veſicæ impetuoſam rupturam mediante antlia pnevmatica vacua productam.

§. XI. Probatâ elaſticitate, nunc quoque ejus adſtruenda mihi eſt gravitas. Quo nomine preſſuram hujus fluidi verſus terraquei globi centrum intelligo. Ineſſe autem talem gravitatem aëri, utut preſſura & exin aliàs ordinariè oriunda moleſtia non percipiatur

Gravitas aeris

cipiatur à nobis, evincere poteſt lanx, ad cujus examen cernimus utrem inflatum plus trahere ipſam, quam vacuum, *conf. Ariſtoteles lib. IV. de Cœlo c. 2. p. m. 257.* Quid quod Excellentiſſimus D. Bohnius, Patronus & Præceptor noſter nunquam ſine honoris præfamine nominandus, obſervavit lagenulam ſcilicet vitream hermetice ſigillatam plus ponderare in vacuo recipiente, quam in aëre libero. Parili modo recipiens illud vas ſphæricum vitreum, quod machinæ adaptatur, ante evacuationem aëris gravius deprehenditur, perinde ac æolipila calefacta & fere candens levior obſervatur, quam ſi aëre craſſiore fuerit repleta.

§. XII. Illuſtriorem reddit hanc aëris gravitatem arctiſſima campanæ vitreæ cum orbiculo coriaceo & orichalceo, Hæmiſphæriorum Magdeburgicorum, nec non duorum Marmorum politorum cohæſio, eorumque difficillima ſeparatio, ubi aër intermedius removetur, aut quando Scyphus vitreus cum mortario metallico grandi, ope flammæ connectitur, illumque ſuſtinet. Facit quoque huc difficilis extractio, & ſpontaneus quaſi deſcenſus emboli clauſô epiſtomiô educti, irruptio ſubitanea aquæ intra evacuatum vas recipiens, it. lagenæ quadrangularis, aut orbiculi vitrei ſupra convenientem æneum ſcyphum poſiti impetuoſa ruptura, elevatio & ſuſpenſio aquæ in tubis ad altitudinem 32. pedum, & Mercurii in Barometris ad altitudinem 28. vel 29. digitorum, liquorumque diverſorum in ſiphonibus rectis & clepſydris impeditus effluxus, ubi digitô vel cera orificium ſuperius obturatur, qui effectus omnes ad gravitatem aëris tanquam cauſam referri ſolent.

Organa requiſita ſunt

§. XIII. Sed ſatis de materia reſpirationi inſerviente. Pergo ad organa admiſſioni & exploſioni aëris inſervientia, thoracem puta & pulmones. De quibus equidem ex profeſſo diſſerere minime eſt animus, cum à tot celeberrimis anatomicis ſufficienter jamjam id factum eſſe ſciam, ad quos brevitati ſtudens remitto. Sufficiat ergo illud ſaltim monuiſſe, per thoracem à me intelligi ventrem corporis noſtri medium, qui a claviculis, vertebris dorſi, coſtis, muſculis intercoſtalibus, ſterno & diaphragmate conſtituitur & circumſcribitur. Uti vero Mechanicis regulis univerſa hæc thoracis ſtructura eleganter reſpondet: ita ſingulis ejus partibus peculiaris uſus à Creatore eſt impoſitus, dum quædam ex illis ſunt immobiles, reliquisque firmam ac ſtabilem concedunt ſedem, quædam autem motu agitantur pene perpetuo, plus tamen vel minus manifeſto. Ad claſſem priorem referri poſſunt inprimis claviculæ & ſternum, ſpinæ dorſi &c. quæ partes, quamvis in ſe conſideratæ minimè ſint immobiles, in reſpirationis tamen negotio otioſæ omnino obſervantur. Ad alteram vero claſſem pertinent coſtæ, quarum motus propter interpoſitos muſculos intercoſtales dictos, conſpicuus admodum eſt, ita, ut non ſolùm per vices aſcendere, verum quoque fornicem hujus medii ventris dilatare & contrahere videamus.

§. XIV. Ultima ex thoracis partibus eſt diaphragma, ſeptum illud muſculoſum, terminos ſecundo ac tertio ventri conſtituens. Ex duplici muſculo illud componi contra antiquos anatômicos oſtendunt recentiores, præeunte *Caſparo Bartholino Thomæ Filio Tract. de Nova diaphragmatis ſtructura.* Unus arcte coſtis ſpuriis, & ſpinæ dorſi adhæreſcit, fibrasque ſuas a peripheria quaſi circulari ad centrum mittit tendineum, alter ex fibris componitur magis rectis, ſi partem excipias ejus, quam oeſophagus perforat, ubi illas in circulum quodammodo contorqueri cernimus. Undiquaque vero ope tendinis membranacei connectitur hicce muſculus priori, uſque donec divaricatus in extremitate tendines de ſe mittat ſatis robuſtos, dextrum ad primam, ſecundam ac tertiam, & ſiniſtrum in ultimam & penultimam ſpinam dorſi.

§. XV. Al-

…ulmones. §. XV. Alterum organon pulmones dixi, de quibus id ſaltim notare volo, arteriam aſperam (cujus caput in faucium iſthmo hæret , extremitates vero per univerſos pulmones diſtribuuntur) concedere aëri tam per oris , quam narium cavitates accedenti ac exeunti viam , ſicuti ipſa pulmonum compages veſicularis & celluloſa ſpatium, in quo expandere ſeſe hæc materia, rurſumque compreſſionem ſuſtinere valeat.

§. XVI. Talis autem eſt pulmonum magnitudo, qvocunque etiam in ſtatu ſint conſtituti, ut notabile plus minus ſpatium relinquant vacuum in thoracis concameratione, quod aërem detinet , ac conſervat in uſum mox fuſiùs deducendum.

…reſpi-…nis do-…a expli-…tur. §. XVII. Ex hactenus dictis nunc tota reſpirationis doctrina facilè explicabitur huncce in modum. Dum coſtæ ope muſculorum intercoſtalium ſurſum moventur , dilatatur quodammodo thoracis fornix , deſcendente inſimul diaphragmatis muſculô ſuperiori verſus abdominis viſcera , adeoque aër thoracis cavum inhabitans vi elateris , de quo in §. IX. & X. diximus , expanditur, ſicque ſuam amittit gravitatem pulmones antea urgentem , vi experimentorum. §. XI. & XII. adductorum. Hoc jugô remotô, in pulmonum cellulis latitans aër ſibi relictus dilatandi potentiam exercens, majus ſpatium occupare incipit , veſiculasque pulmonum extenſiles dilatat, & eo ipſo ſimul aëri externo corpus nimium undique prementi datur occaſio, remotâ iſtâ renitentiâ, per os & nares ad arteriam aſperam & pulmones irruendi. *…ſpira-…ne.* Et hoc eſt, quod uno verbo Inſpiratio dicitur.

…ſpira-…conſi-…ns §. XVIII. Quando autem rurſus deſcendunt coſtæ, vel ab intercoſtalibus antagoniſtis , vel , quod aliis placet , ſimul ab abdominis rectis muſculis depreſſæ & diaphragma contrarium in motum rapitur , muſculus inferior antehac elevatus deſcendit & ſuperior depreſſus attollitur, ſpatiumque thoracis amplum modo factum , in priorem ſtatum redit; aër vero , qui modo ſeſe explicaverat in hac concameratione , ad minorem iterum dimenſionem redire cogitur , compreſſione & gravitate antea paululum amiſſa, nunc vero reſtituta premit denuo, urgetque pulmones tumentes, & ex illis, dum impetum hunc ferre nequeunt, quicquid antea aëris ingreſſum erat, quoad partem ejicit, & exturbat. Quem motum exſpirationis titulo exprimere vulgo ſolent.

§. XIX. Licet vero cuncta, quæ ex hypotheſibus de aëris natura & organorum mechaniſmo deduximus, veritati ſint maximè conſentanea ; nihilominus , ne ullum remaneat dubium , quoniam, quæ intra thoracis cameram accidunt, oculis conſpici nequeunt, aliis indubiis experimentis comprobare placet. *ac experimentis illuſtratur* Follem ad normam fere *Mayovvii Tract. de Reſpirat.* mihi loco thoracis parari curavi, qui ſuperiori in parte foramine exacte reſpondente tubulo æneo aſperæ arteriæ vices gerenti gaudet, cujus extremitati inferiori pulmonis canini lobus collapſus alligatur & per foramen amplum rotundum hunc in finem utroque in latere relictum, folli ita immittitur , ut circa ingreſſum paululum promineat tubulus, foramina vero laterum orbiculis vitreis tegantur ; Commiſſuris poſtmodum feneſtrorum & circa tubum æneum probe obturatis, dum latera follis diducuntur , irruere aërem in pulmonis lobum eumque replere in tantum obſervamus , quantum cavitas interior per laterum receſſum intra follem major redditur, & comprimi rurſus, quantum approximantur ſibi latera follis. Quod ſi non ſatis perfectè tibi hoc negotium experimentô hôc explicatum putes propter defectum diaphragmatis & abdominis &c. en aliam machinam *ex inquiſitionibus experimentalibus Excellentiſſimi Senguerdi* deſumptam. Nempe Machinæ ex vitro *conflatæ immittitur lobus pulmonalis tubo æneo alligatus, ita tamen, ut extremitas altera tubi per oſtium recipientis ſuperius promineat , ceraque aut alio glutine arctè

arctè ſit inibi firmata. Inferior verò pars hujus vitri veſicâ madefacta clauditur ita, ut nullus planè aëri externo ad cavitatem pateat aditus, veſica tamen adduci & comprimi poſſit. Habes ſic thoracis, pulmonum ac diaphragmatis analogon. Deductâ enim hâc veſicâ verſus inferiora, in momento repletur pulmonis lobus aëre, expanditurque; ſubſidet verò rurſus, dum vicarium hoc diaphragma iterum ad ſuperiora truditur. Artificiali huic thoraci poſtmodum ſimile etiam abdomen adaptatur, vitrum nempe amplitudine & marginibus priori reſpondens, cujus inferiori oſtio ſimiliter, uti modo monitum eſt, aquâ prius madefacta veſica alligatur, quæ muſculorum abdominis vices tenere videtur, deorſumque commota, diaphragma quoque illuc revocat, cum lobi pulmonalis intumeſcentia, & vice verſa detumeſcere illum in momento facit contrario motu agitata.

Læſæ reſpirationis cauſa. §. XX. Jacto ſic fundamento theoretico, ſine ulteriori mora ad illam partem progredimur, quæ morbificam conſtitutionem hujus functionis comprehendit, juxta ac remedia, quibus vitia corrigi & emendari poſſunt. Liceat verò mihi omnem cauſam læſæ reſpirationis, quàm varia ac multiplex illa ſit, aut quocunque nomine veniat, quærere nunc in aëris, nunc in organorum prava diſpoſitione, cum ſemper unum ex his peccet, plus minus à regulis naturalibus abeundo.

aer nimium rarefactus §. XXI. Conſiderabimus itaque primò, quid culpæ habeat aër, quem gravitate ac vi expanſivâ agere in reſpirationis negotio innuimus in præmiſſis. Peccat vero iſte præprimis nimium rarefactus, quando ſcilicet, reſiſtentiâ aëris externâ ſublata, aëri interno datur occaſio elaſticitatem naturalem exercendi; hinc thoracis fornix ad oculum diſtenditur, retrahiturque diaphragma, inſimulque aër in pulmonum cellulis hactenus hærens ejicitur. Neque remittit à preſſione pulmonum aër eos ambiens, quamdiu elaſtica poteſtas externo non redditur, & æquilibrium reſtituitur. Tale vitium verò æſtivo tempore, furente leonis veſani ſtellâ, obſervatur ſpeciatim ab illis, qui climata calidiora inhabitant. Non recenſeo pluribus incommoda exin oriunda, neque de remediorum hoc aëris vitium corrigentium enarratione ſum ſollicitus, cum ſatis cognitum eſſe ſciam, quomodo tum temporis flabellis ventulus excitetur amœnus, vel ad fontes ſalientes, vel in cryptis & cavernis ſubterraneis auxilium quæratur. *æſtivo te[m]pore* *remed[ium]*

in ba[lne]is §. XXII. Qui diutius ad fornacem intraque cellas caldarias hærent, ſæpius incurrunt cum omnimoda ceſſatione reſpirationis lipothymias non ex alio, quam jam dicto fundamento, hisque nil magis proficuum obſervatur ſubitanea loci mutatione. Quod ſi tamen non tuta forſan propter frigiditatem ejus extremam iſta commutatio videatur, ſufficiet, ægrum pavimento ſaltim balnei imponere, ubi temperata magis hujus fluidi circumambientis conditio ſtatim refocillabit ipſum, præprimis, ſi inſuper aquâ frigida conſpergatur facies. *reme[di]um*

in loci[s e]d[i]tior[ib]us §. XXIII. Pariter hôc vitiô laborat aër in locis editioribus ac montium jugis, inibique anxiè ſemper reſpiramus, etiamſi nihil intermittatur ex parte thoracis & diaphragmatis, quod ad hoc officium facere poteſt. Solenne perinde eſt illis, qui montium cacumina aſcendere coguntur, hanc aëris ineptitudinem ſummamque raritatem, ſpongiâ aquâ vel aceto imbuta, orique appoſita corrigere, & hujusmodi artificioſa aëris productione ac emendatione moleſtiis his occurrere. *præſe[rvati]o*

in v[inariis] ex m[uſti] ferv[ore] §. XXIV. Non minus in cellis vinariis à muſti vaporibus aliisque, ubi cereviſiæ fermentantur ex *obſervatione IV. Cent. II. Borelli*, æque ac tumbis quibusdam, *confer. Panarollus obſerv. Pentec. 1. obſerv. XVIII.* ac terræ fodinis ſub titulo des Berg-Schwadens *vid. Matheſii ſarepta conc. 12. p. m. 547. Agricola de re metall. lib. V. Libavius & alii Metallurgici ſcriptores*, *met[allifo]dinis*

pravam

pravam hanc aëris conſtitutionem, quæ parvo temporis ſpatio ſuffocat cunctos illum inſpirantes, notare quandoque poſſumus. Novi equidem ex aliis cauſis, & neſcio ex qua venenatiſſima exhalatione, ſubitaneum illum cellariorum & foſſorum interitum deduci à jam allegatis autoribus. Quod ſi vero mecum perpendo, in his pulmones poſt mortem extremè collapſos non ſolum cerni, verùm quoque candelas iſtis in locis ardentes ibidem ſubitò extingvi, quod utrumque in machina pnevmatica aëre orbata etiam accidit, ad hanc aëris rarefactionem in explicanda cauſa tam repentinæ mortis rectius me confugere exiſtimo. Nolo tamen ea propter aërem ab omni alio vitio, in primis præternaturali acredine abſolvere, cum ejusmodi vapores cuparum inſtar acuum, naſi radices quaſi transfodere referat modo citatus Borellus. Sed de hac cauſa infra fuſius dicetur.

[reme]dia §. XXV. Proinde inter remedia, dummodo aliquantulum aura fruantur ægri, præſcribi ante omnia debet ad aëris condenſationem affuſio aquæ frigidæ, deinde frictionibus artuum & Venæ ſectione inhibitus ſangvinis motus promovendus, defectusque ſpirituum analepticis ori infuſis, cordisque regioni applicatis, reſtituendus eſt. Quoniam vero omni tempore tardius ejicitur, quàm admittitur hoſtis, admonendi ſunt metallifoſſores, ut ſubitò recedant è fodinis, quando difficulter trahi aërem ſentiant, tantoque vitæ diſcrimini fuga ſe tempeſtivè ſubducant. Cœterum ſola ventilatione & admiſſione aëris ritè conſtituti exhalationes iſtæ feliciter disjiciuntur. Quare etiam peculiares puteos huic intentioni deſtinatos, quos ſpirales Lufft-Schächte vocant, & in cuniculis valvulas, quas pro diverſa aëris diſpoſitione aperire & claudere poſſunt, conſtruere ſolent, qualium icones, illis, qui fodinas ipſi viſitare nequeunt, inſigniſſimus ille metallurgus & Plinius Germanus, (Geſnero dictus,) *Agricola lib. VI. de Re metallica* delineavit, quorſum curioſos remittimus.

§. XXVI. Sequitur nunc contemplandus aër gravitate & compreſſione nimia nocens; Licet verò damna exinde oriunda non adeo frequentia ſint, moleſtiam tamen quandam experimur tempeſtate nebuloſa & pluviis imminentibus, aut ante nivis deſcenſum, dum atmoſphæra gravibus ejusmodi exhalationibus imprægnata plus premere reſpiratoria organa obſervatur, teſtantibus etiam Barometris; brevi tamen, ſicciorem magisque temperatum aërem ſubſtituendo, cuncta hæc mala tollimus. Vocant huc quoque quam plurimi Phyſicorum fumo turgentem aërem, qui inſpiratus aliquamdiu certo vita privare ſolet, quale exemplum allegatur à Borello citata ſuprà obſervatione, de quodam, à fumo chartarum accenſarum ſuffocato. Verum enimvero ad aliam claſſem noxam illam aëris ſi referam, non aberraſſe me à veritatis ſcopo, oſtendam in ſubſequentibus commodiori occaſione. *aer gravitate & compreſſione nimia nocens*

§. XXVII. Prout vero non ſolum circumambiens externus, ſed etiam, qui thoracis fornice incluſus tenetur aër, ad reſpirationem facit: ita hujus quoque naturalis craſis aere nimis craſſo ab extra per thoracis vulnus irruente immutata, intercipit ſtatim dilatationem pulmonum hâc ſuâ gravitate, & reſpirationis negotium turbat. Supplebunt igitur hoc in caſu medicaminum vices ſola lintea, emplaſtra glutinoſa, aut faſciæ circumjectæ, uſque donec conglutinatum rurſum vulnus, portaque illa infauſta lege artis occluſa fuerit. *thorace vulnerato* *remedia*

§. XXVIII. Quodſi ſangvis extravaſatus, aut purulenta materia, aut ſeri quantitas nimia in cavo reperiatur thoracis, ſimiliter ſumma moleſtia accidit ſpirantibus, quatenus tunc pulmonum expanſio, & ſuperioris muſculi diaphragmatis aſcenſus non ſecus, ac priori in caſu inſigniter impeditur. Unicum ergo hic ſupereſt remedium, paracenteſis nempe thoracis; obſervandum tamen eſt, ut tempeſtive ante viſcerum corruptionem a prudenti, & anatomiæ perito Chirurgo iſta adorne- *& ſero ac ſangvine in illius cavum effuſo* *remedium*

ornetur, *vid. Fienus lib. Chirurg. Tract. V. integ. Aquapend. Oper. Chirurg. P. I. de operat. Chirurg. p. 48. & ſeq. Tulpius lib. II. obſ. IV.*

organa vitiata §. XXIX. Pergo nunc ad reſpirationem læſam ex organis vitiatis, veniatque ex illis primo ad examen thoracis fornix, ad expanſionem neceſſariam ineptus factus, nunc propter vertebrarum dorſi inæqualem ſitum & luxationem, nunc propter coſtarum è ſedibus ſuis commotionem. *ex gibbere* Primum vitium generali appellatione gibboſitatem dicunt practici, illudque vel ex hæreditaria quadam diſpoſitione, vel ab injuria externa tenellulis vertebris dorſi, vel ſterno illata oriri docent. Quodſi ergo à prima cauſa dependeat malum, vix ulla reſtitutionis ſpes ſupereſt, quoniam irregularis harum partium conformatio artem omnem eludit. Idem in vertebrarum dislocatione introrſum facta, & quæ ex neglecta cura jamjam callos contraxit, experimur; quicquid enim hic audemus, caſſa tamen ut plurimum eventu *ac luxatione vertebrarum* ſpes noſtra deprehenditur. Veruntamen, ſi luxatio vertebrarum extorſum aut ad latera contigerit, ſtatim circa initium morbi diligenti ac blanda manuum depreſſione, & cataphractis, aut ſaltim ferrea lamina thoracis parti poſticæ aut laterali inſerta, adhuc reſtitui poteſt, inprimis ſi pro circumſtantiarum diverſitate, modo emollientia pro ligamentis nimium conſtrictis, vel nervina & adſtringentia in harum partium atonia ſimul adhibeamus. Manuali tamen hac operatione ſola non ſufficiente apparatus *Sennerti Prax. lib. V. p. VI. c. V. Hildani l. V. c. 76. Sculteti armament. Chirurg. Tab. 23. & 46.* adverſus luxationem ſpinæ dorſi erit implorandus.

coſtis dislocatis §. XXX. Quoad coſtas dislocatas ſola artificioſa illarum repoſitio remedii loco erit, præprimis ſi ſuperiùs aut inferiùs ſeceſſerint. Jubent enim Chirurgi, ſi aſcenſus coſtæ animadvertatur, ex janua ac ſcala ſuſpendere humerum affecti lateris manuque eminens capitulum deprimere, &, ſi deſcenderit, ægrum ad anteriora incurvare, ac protuberantem coſtam ſedi naturali rurſum committere. Attamen quando introrſum tendit luxata pars, difficillima iterum erit reſtitutio, cum operatoris manus vix quicquam hic conferre poſſit.

§. XXXI. Parum quoque abeſt, quin triſtis hæc prognoſis in depreſſione *ſterno pre[…]* quoque ſterni violenta maneat. Quicquid enim auxilii hoc in caſu ſperandum, id unice à curbitulis cum magna flamma ſupra locum affectum applicatis, vel ab emplaſtro picato, alioque firmiter adhæreſcente in flexili adhuc oſſe, & in magis ſolido, à vecte ſeu elevatorio inſtrumento eſt expectandum.

§. XXXII. Vidimus ſic fornicem thoracis ad reſpirationis negotium ineptum redditum, ex dislocatis ipſum conſtituentibus oſſibus. Inſuper vero iſte, ſi oſſa hæc fuerint diffracta, læditur & quidem adeo, ut non raro ob *ſpin[…] fr[…]* motum harum partium penitus exinde ſufflaminatum superveniat mors ſubitanea. Obſervamus hoc in primis in fractura ſpinæ dorſi, in qua ſimul medulla comprimitur, aut alio modo injuriam pati cogitur: item ſi coſtarum & ſterni extremitates diffractæ loco ſuo ſimul motæ fuerint. Extra vero hos caſus intercipi equidem videmus reſpirationem, quamvis non cum tanto vitæ diſcrimine. Quare emplaſtris adverſus fracturas & faſciis convenientibus, inprimis ſub Soſtratis vinculi aut Cataphractæ vel aurigæ titulis, ab autoribus deſcriptis, adhuc ſuccurrere poſſumus.

§. XXXIII. Sequuntur jam muſculoſæ thoracis partes, præternaturali conſtitutione cauſas læſæ reſpirationis *muſ[…] mia[…] dine[…]* ſuppeditantes. Duplici autem vitio hos laborare videmus. Aut enim impediuntur in ſua actione, aut intempeſtive moventur. Utrumque vero dependet ex fabricæ muſculorum læſione. Primum manifeſto accidit ex pingvedine nimia, quæ incumbens & interpoſita fibris motricibus eas ad inflationem debitam reddit ineptas. Hujus cura tam adverſus chylum & ſangvinem nimis copioſum & laudabilem, quam ad cauſam efficientem nutritionis ſ. Spiritus com-

communi autorum conſenſu dirigitur. Hinc jam motus corporis vehemens, animi pathemata graviora, uti ſunt curæ, amor, ſtudium nimium, ac vigiliæ, it. abſtinentia à cibo, venæ ſectio larga, ſcarificationes & hirudines, evacuantia omnis generis, diæta tenuis, aceti potus, aliaque commendantur plura. Citius tamen Herculi clavam extorſeris, quàm habitum obeſum commutaveris, hiſce ſummo licet ſtudio adhibitis. Sed forte ſolatium adhuc aliquod ex remotione pinguedinis ope ſcalpelli chirurgici expectandum erit? Exemplum tale *Plinius l. XI. c. 37. p. m. 207.* refert, ubi L. Apronii Conſularis viri filio levatum eſſe corpus onere hoc, detracto adipe teſtatur. Aliud quoque exemplum legitur in Birckens Sächſiſchem Helden-Saale / *p. 221.* de Principe Dedone VII. cognomine Pingue, qui anno 1190. antequam Imperatoris Henrici VI. nuptiarum officium celebraſſet in Italia, pinguedinem nimiam exſecari ſibi curaſſe dicitur. Verùm cum operationem hanc Rodericus *a Caſtro de morbis mulierum lib. III. c. III. p. 378.* figmentum Plinii pronunciet, eaque periculoſiſſima & timore maximo plena ſit, rejiciatur etiam per me & è catalogo medicamentorum adverſus corpulentiam nimiam expungatur.

[...]ante ſangui-ne §. XXXIV. Porrò lædit reſpirationem ſangvinis in hiſce partibus ſtagnatio, ſive illa ſine inflammatione, aut cum illa contingat, ſive in muſculoſa tantum hæreat parte, aut pleuram ſimul afficiat. Sacra hic eſto anchora poſt venæ Sectionem apparatus remediorum diaphoreticorum & reſolventium, tam fixorum quam volatilium; horum tamen operatio ſemper efficax magis erit, ſi urgente dolore maritentur cum opiatis, &, prima aut altera doſi non ſtatim proficiente, aliquoties repetantur. Si vero in exterioribus muſculis pectoris cauſa difficultatis ſpirandi lateat, ſimul topica diſcutientia & reſolventia vocentur in uſum.

[...]nis à coagu-[...]rumen-[...]us §. XXXV. Incuſari etiam ut cauſæ muſculis his admodum moleſtæ poſſunt tumores mammarum à lacte coagulato, ac ſcirrhi, item in pectore enata Atheromata, vel ſteatomata (quorſum etiam *Illuſtris Boylei obſervatio tr. de poroſitate* pertinet, qui œdematoſam ſubſtantiam recentem caſeum referentem aſthma chronicum produxiſſe obſervavit) quatenus nempe pondere ſuo motum illorum difficilem reddunt. In primo caſu conveniunt rurſum modo circa finem præcedentis §. commendata attenuandi, & reſolvendi vi prædita medicamenta, ipſis vero non ſufficientibus, illa, quæ ad ſuppurationem ducunt, abſceſſumque rumpunt, inprimis vero ſcalpellum chirurgicum mammam perforans, viamque intus ſtagnanti materiæ parans, ceu tutiſſimum ac celerrimum medicamentum hoc in caſu dici meretur. Et iſtud quoque in ſcirrho mammarum inveterato, Atheromate, ac Steatomate, ac reliquis tumoribus reſolventia externa & interna reſpuentibus, ultimum erit remedium.

§. XXXVI. Sed ſæpe nulla harum cauſarum adeo manifeſta adeſt in muſculis, aut extra ipſos, & nihilominus vix ac ne vix quidem præſunt officio ſuo, id quod in quadam aſthmatis ſicci ſpecie non infrequenter annotatur. Laborant autem tunc potiſſimum intercoſtales, & phrenici nervi, ſpasmoque ſunt affecti. Hinc nec elevatur thorax, nec diaphragma debito modo deprimere ſe in inſpiratione patitur. Nihil vero hic refert, ſive à compreſſione nervi ex vertebra luxata, ſive ab acrimonia ſangvinis, ſive à viſciditate humorum ſpasmus hic oriatur, quamvis ob curam morbi felicem ſpecialis cauſæ cognitio ſemper ſumme ſit neceſſaria. Nam ſi à dislocatione vertebræ reſciveris malum provenire, fruſtrà deſudabis cunctis medicamentis, niſi ad repoſitionem partis è ſede ſua dimotæ devenias, de qua conferatur §. XXX. *Spaſmi* *nervo compreſſo ex luxatione*

§. XXXVII. Aliter autem procedendum, ſi ab acrimonia ſangvinis læſio hæc nervorum proveniat, utpote quo in caſu proficua erunt pro acrimoniæ acidæ, aut ſalſæ præſentia, modo abſorbentia & præcipitantia, martia- *ſangvinis acrimonia*

tialia, alcalia ac terrea, modo diluentia & inviſcantia, utpote à quibus ſalium aculei nervis infenſi vel deſtruuntur penitus & evertuntur, vel diſcontinuantur ſaltim aut involvuntur, ita ut deinde ad actiones edendas ulterius ſint inepti. Cumque penè ſolenniter ſpasmos quosvis concomitetur dolor plus minus exquiſitus, utut non pro principali cauſa depellendus, tamen adverſus hoc Symptoma adjungere opiata, aliaque anodyna quoque convenit.

materia viſcida. §. XXXVIII. Quodſi vero in viſcida materia culpa mali hujus lateat, adhibitis in caſium diluentibus ad acria attenuantia ſimul confugiendum eſt, quæ non minus ac præcedentia in antiſpasmodicorum catalogo reperiuntur. Intelligo autem hic non ſapore aromatico prædita tantum, uti ſunt roſmarinus, ſpica, lavendula &c. Verum etiam ſalſa, hoc eſt, ex acido & alcali enata, inter quæ palmam reliquis præripit ſpiritus aperitivus Penoti & ſuccinatus ille cornu cervi liquor, dummodo in illis ſtudioſe ad punctum ſaturationis usque contraria ſalia permixta fuerint.

motus convulſivi §. XXXIX. Miſſis organis, quæ ſegnia nimium ad officium in motu thoracis exequendum erant, ordine jubente ad intempeſtive agitata in convulſivis diaphragmatis motibus, ſingultu, tuſſi &c. progreſſum facimus. Obſervatur autem in his affectibus omni tempore involuntaria, & interrupta exſpiratio ex frigore vel acrimonia trahens originem. *ex frigore* Priori in caſu thermantica apponi debent, jam actualia, uti hypocauſtum aut ſtragulum calefactum, vel potentialia, quæ ſtimulando ſenſatas partes, & excitando ſpiritus motores operantur, ad quam claſſem vinum generoſum, ſpiritus vini, aromata, aliaque acria referri poſſunt. Poſteriori vero in caſu quid agendum ſit, jam ſufficienter §. XXXVII. dictum eſt.

§. XL. Sic organis immediate læſis reſpirationem turbari vidimus. Veniant nunc ad examen vitia hujus functionis ex aliarum partium præternaturali conſtitutione oriunda. Inprimis autem incuſari meretur nervoſum ſyſtema, nunc in ſenſoriis, nunc in aliis quibuscunque partibus irritatum, aut alio triſti ſenſu affectum. *aut a… pathem… bu…* Non vacat per exempla veritatem hujus aſſerti comprobare, cum notiſſimum ſit v. g. à viſo ſpectro, vel ſigno campanæ incendium indicante auditô &c. admodum inepta reddi reſpiratoria organa. Nec ſolum ab his objectis præſentibus, & externa ſenſoria pulſantibus effectus ejusmodi producitur, verum quoque ab animi pathematibus ſimile quid accidit. Quem enim latet, triſtitia, mœrore, timore, &c. dominante, nunquam non, niſi cùm ſuſpiriis ac gemitibus, & prout vulgus loquitur, ex imo quaſi & profundo pectoris aërem duci; ab ira vero & venereo orgaſmo involuntariam frequenter repetitam, ſæpiusque rhongiſonam plane reddi reſpirationem. Referri etiam huc poſſunt febres, tam intermittentes quàm continuæ ac continentes, benignæ æque ac malignæ dictæ, utpote à quibus ſemper organa reſpiratoria ſimul afficiuntur, & nunc nimium agitata in æſtu febrili tremulo motu affecta, in horrore & ſenſu triſti occupata, aut ſpaſmo correpta, in quamplurimis ex claſſe malignarum deprehendimus.

ratio e… §. XLI. Ætiologiam ſi deſideras, in impetum facientibus partibus irregulariter commotis cauſam latitare primariam ſcias. Iſtæ namque uti per objecta diverſa aliter atque aliter characteriſantur: ita poſtmodum vel ab interioribus ad externa, vel, verſa vice per nervos affluunt, ſicque activitatem aut languorem muſculis impertiunt.

cur… §. XLII. Ad curam ergo hujus difficultatis ſpirandi, quæ ex terrificis objectis naſcitur, ſufficit non rarò ſolùm quieſcere, & corpus dare ſomno, inprimis ſi ratio recta intereà habenas injiciat nimiũ ferocientibus ſpiritibus Quodſi vero firmius jam ideæ iſtæ impreſſæ fuerint, in mœrore, triſtitia &c. inſufficientia hæc ſunt remedia, inprimis ſi cauſæ illarũ removeri non poſſunt.

ſunt. Impoſſibile autem eſt factum infectum reddere, & demortuos e. g. in vitam revocare, aut bona deperdita reſtituere. Quare facundus Rhetor ſacris juxta ac profanis argumentis aliisque dolorem leniendi, animumque blandis demulcendi ſolatiis inſtructus quàm exoptatiſſimum erit remedium. Reliquæ cauſæ modò erigentia animum proſtratum, uti ſunt vinum generoſum, vel alia ex analepticorum ſpirituoſorum claſſe deſumpta, modò ſedativa archeum, ſtylo Helmontianô h. e. refrænantia quodammodo ac coercentia ſpiritus, modò, quæ antifebrilium titulo ſuperbiunt, medicamina ſimul poſtulant.

io ue cti §. XLIII. Pertinet inſuper ad præſens cauſarum caput omne, quod dolorem vel moleſtiam nervis infert, ſive id fiat in principio nervoſi ſyſtematis, ſive in aliqua ejus ramificatione. Veritas aſſerti patet ex aurium, dentium, oculorum, ventriculi, inteſtinorum, renum, uteri, pedum denique ac manuum dolore, utpote in quibus nunquam non, præprimis exquiſite affectis turbatur, & quandoque plane intercipitur reſpirationis negotium. Nihil vero convenientius hic excogitari poteſt pro remotione urgentis adeo ſymptomatis, quàm apparatus anodynorum externus non minus, quam internus, ſpeciatim ſi maritetur cum evacuantibus aut alterantibus principali ac immediatæ cauſæ ſimul adverſis.

m is §. XLIV. Præter nervos, de quibus nunc ſufficienter actum, aliarum quoque partium morbos reſpirationis læſiones per conſenſum parere probant Epatis & lienis vitia, tympanitis, malum hypochondriacum, aſcites, nimia omenti pinguedo, glandularum meſaraicarum tumores. Fatendum tamen eſt, nec modum, nec cauſam, multo minus methodum medendi unam in ſingulis occurrere.

mor §. XLV. Epatis enim tumores ideo, quoniam hoc viſcus ordinariè cum diaphragmate per ligamentum membranaceum latum, quod ſuſpenſorium aliàs dicitur anatomicis, connectitur, aſcenſum hujus muſculi verſus thoracis cavitatem non admittunt, niſi ſummo cum labore. Solatium ergo unice expectandum ab aperitivis, diſcutientibus, aliisq;, quibus obſtructiones reſerantur, quatenus obſtruens materia inciditur ac reſolvitur ab ipſis.

§. XLVI. Quod lienis affectiones anxiam non raro gemitibusque infinitis ſtipatam reſpirationem efficientes attinet, quamvis ex ejusmodi connexione per ligamenta cum diaphragmate deduci ordinariè cauſa non poſſit, nihilominus, cum ſæpiſſime arctè ſatis ſibi invicem adhæreſcentes in cadaverum ſectione obſerventur iſtæ partes, quandoque ex hoc fundamento ratio morbi derivanda erit; extra tamen hunc caſum mole ſuâ inſuetâ obſtans deſcendenti diaphragmati dyſpnœam facilè generare poteſt. Quicquid vero horum ſit, curandi ratio non diſcrepat ab illa, quæ in §. præcedenti eſt propoſita. *lienis affectiones*

§. XLVII. In tympanitide flatu diſtenta non ſolum ſunt ſtomachus & inteſtina, ſed extra ipſa in cavo quoque abdominis talis elaſtica ſubſtantia reperitur, unde ad extremum muſculi abdominis expanſi neceſſaria illâ ad reſpirationem vi contractiva non ſolum orbantur, verum etiam ſepti intermedii pars ad inferiora deſcendere geſtiens in inſpiratione repellitur. Opem igitur impeditæ huic inſpirationi laturus nil quicquam impetrabis, niſi importunum hunc hoſpitem ex inteſtinorum tubo per evacuantia ac carminativa exturbaveris. Ut vero id felicius fiat, nimium ab extenſione dolentibus inteſtinorum fibris, ſimul anodynis, muſculis vero abdominis faſciis convenientibus ac cingulis proſpicies, & ani tandem ſphincterem importune conſtipatum fiſtula convenienti dilatari curabis. *tympanitis.*

§. XLVIII. Quæ a malo Hypochondriaco oritur dyſpnoea, ea cum præcedenti morbo cauſam habet omnino communem. A flatibus enim inteſtini coli incolis, ut plurimum obex ponitur deſcendenti diaphragmati: quanquam & præterea negandum non ſit, ab acida cruditate nervos inteſtinorū irritatos ad ſpaſmum diſponere *malum hypochondriacum.*

nere

nere communes reſpirationi inſervientes muſculos. Quapropter nunc flatus pellentibus, & per ſuperius æque ac inferius guttur educentibus, nunc acidam hanc ſentinam abſorbentibus, & præcipitantibus obviam eundum eſt à Medico.

Hydrops Aſcites. §. XLIX. Quodſi ſerum in abdominis caverna collectum hydropem, ſimulque laborioſam reſpirationem efficiat, ſymptoma hoc ab aqua abdominis muſculos diſtendente, & diaphragmati reſiſtente unice eſt derivandum. Hinc etiam ſuffocatio ex reclinatione corporis tempore decubitus imminens averti poteſt, modo ſeſe erigat æger, inque tali ſitu permaneat. Ferre autem opem ulterius ſi velis, exhibeas neceſſum eſt vel aperitiva communiter dicta, vel purgantia, diuretica, diaphoretica aut ſalivatoria, ſi ad unum aut alterum ex his emunctoriis duci humores hos à natura videas. Quod vero extra vaſa in abdomine hæreat ſerum, per paracenteſin omnium feliciſſime educetur.

Omenti nimia moles §. L. Superſunt adhuc omenti nimia moles & meſeraicarum glandularum ſcirrhi, de quibus videri poteſt *Rhodius obſerv. Med. Cent. II. obſ. 24. & 25.* quæ pondere & amplitudine perinde, ac tumores epatis & ſplenis opponere ſe ſolent, ad inferiora protruſo ſeptô intermedio. Utinam vero & nunc tanta auxilii ſpes adeſſet, uti in præcedentibus! verum ſi cadere illam maximam partem dixero, non peccare me puto. Adduxi ſupra difficultates curandi adipem abundantem interpoſitum thoracis muſculis, quæ, quoad primam cauſam, hic quoque repetendæ ſunt. *& ſcirrhus meſenterii.* Nec aliud manet fatum eos, in quibus meſaraicæ glandulæ tumefactæ in ſcirrhos abiere. Quicquid enim hic omni deoppilantium ac diſcontinuantium apparatu audemus, derelinquere tamen cuncta nos experimur.

§. LI. Mitto nunc tandem thoracem partes ſuas haud implentem, meque converto ad organa transmittentia, & ſuſcipientia aërem externum. *aris, narium &c. obſtructio* Monui autem in præmiſſis per os, narium cavitatem, & meatus in palato formatos, tanquam viam regiam irruere externum illud fluidum. Hinc primo etiam vitia in illis occurrentia contemplationi ſubjici debent. Obſtruunt hunc tramitem terra, arena, cœnum, fimus, aliaque ſexcenta, ſi obruant faciem. *conf. Zwingeri theat. Vitæ humanæ p. 511.* vel mucus narium viſcidus temporis mora inibi collectus, quæ cauſæ tamen vix niſi in junioribus ſubjectis aliisq;, in quibus nec pes nec manus amplius ſuo præſunt officio, locum inveniunt. Modo enim quis recte valeat, facili negotio, & præprimis forti ſcreatu, & diligenti nariũ emunctione cuncta hæc removebit impedimenta. Quodſi tamen infantulis ſpirandi difficultas talis accidat, qui importunum hunc obicem eliminare neſciunt, vel inſtrumentis convenientibus, vel errhinis mitioribus educere illam convenit.

Poly-pus na-... §. LII. Aſt major curationis occurrit difficultas, ſic occupet has cavitates, aëremque excludat polypus. Venit hoc nomine Chirurgis excreſcentia carnea jam mollis, rubicunda, indolens & pendula, jam livida, fœtida, dolens & undiquaque adhæreſcens, aut in oſſis cribriformis proceſſibus cartilagineis radices agens, & pedetentim augmentum ſumens, quousque nares penitus oppleat, ſuperiusque extra ipſas propendeat, aut ad fauces elongetur. Dixi, difficilem eſſe curam turbatæ reſpirationis ex hac cauſa, idque ideo, quoniam ad radices hujus excreſcentiæ planè non, vel maximô labore pervenire licet, quas tamen extirpare neceſſe omnino eſt. Ne tamen ſine omni ſolatio maneant miſeri, vel cauteriis tàm actualibus quam potentialibus, vel inſtrumentis diverſis chirurgicis exerceri hæc maſſa debet, usque donec per nares ad palatum via iterum pateat, quod in priori benigna ſpecie polypi adhuc quandoque, in altera verò cancroſa vix unquam expectandum & promittendum.

Gl[an]d[ularum] ... fau-ciu[m]... §. LIII. Obſtruitur etiam via iſta aërem ad bronchias admittens à glandularum circa faucium iſthmum poſitarum tumore œdematoſo, fauciumque ipſarum & muſculorum cir-

circumjacentium inflammatione, quam ultimam morbi ſpeciem angi- nam dicunt practici. In priori caſu reſolventia & diſcutientia internè juxta, ac externe, nunc ſub forma cataplaſmatum, emplaſtrorum ac gargariſmatum adhibita, ſunt imploranda, ut ſtagnans in his ſpongioſis partibus ſerum vel ad maſſam ſangvineam iterum abigatur, vel ad evacuationem per illarum excretoria oſtia diſponatur. In altero affectu præter venæ Sectionem pro ſcopo externo nunc repellentia, aut ſi his non auſcultet, ſed ad ſuppurationem tendat, talia, quæ promovent maturationem abſceſſus & rumpunt, externa integumenta, imo & bronchotomia in extremo caſu in uſum vocanda ſunt. Interna autem remedia vix auxilium promittunt, cum ſæpiſſime deglutitio omnis ſimul ſit intercepta.

[Lar]yngis [occ]luſio. §. LIV. Ut ut vero hæc obſtacula non adſint, alia tamen præterea ſe ſiſtunt in profundius paululum poſitis locis, & ipſa aſpera arteria. Caput namque ejus larynx dictum ex diverſis componitur cartilaginibus, & muſculis ipſas pro admiſſione & excluſione aëris tempore inſpirationis & exſpirationis neceſſaria nunc dilatantibus, nunc conſtringentibus. Quodſi ergo nunc fiat, ut ad aëris acceſſum non pateat illud oſtium, ſuffocatio imminet, quod accidit primò, ſi aër exhalationibus acidis, ac adſtringentibus turgidus ſenſatiſſimum ejus operculum attingat. Ex hac cauſa, ſine dubio ſuffocantur animalia in famoſa illa Puteolana caverna, Italis Grotta di Cane dicta, quod exemplo Schwalbacenſis cryptæ ſimilis exacte priori probat *Excell. Pechlinus Obſ. Phyſic. medic. l. III. obſ. 44.* utpote in qua (tempore præprimis illo, quo gravior ſubterranea aura imbribus humum aſſidue verberantibus facta,) nebula denſa ad ſenſum ſulphurea, & acida, indigenis propterea ſaure Lufft dicta, exhalans animalia quævis intra horæ minutam proſternit, diutiusque paululum ibidem relicta omnino extinguit. Nec alia videtur mihi ratio, ſi ex carbonibus accenſis fumus exhalans, aliusque metallicus, antimonialis &c. ſuffocationem gignat. *Conf. Hildani Obſerv. Chirurg. centur. IV. Obſerv. XI. Amat. Luſitan. Cent. VII. cur. 33. Nic. Fontan. Exemp. 20. ſ. 67. Schenck. Obſ. medic. lib. 1. p. 234. & ſeq. Horſt. Obſerv. Medic. lib. II. Obſ. XXV.*

& conſtrictio ex acidis ac urinoſis exhalationibus §. LV. Sed non ſolùm ab acidis, verum etiam ab urinoſis exhalationibus atmoſphæram replentibus accidere hoc malum poteſt; Si dubitas de veritate, admove quæſo propius nares recipienti, quod recenter deſtillatum ſpiritum ſalis ammoniaci, aliudve Sal vol. urinoſum capit; obſervabis ſane particulas illas nimium aëri admixtas æque ad conſtrictionem impeſtivam diſponere epiglottidem, ac forſan fumus ſulphuris accenſus, aliusque volatilis naribus ſuſceptus. Facilè hinc credo *Hœchſtettero Obſerv. Med. Dec. III. Caſ. VIII.* quæ ab halitu cloacæ ſuffocationem contigiſſe annotavit.

cura. §. LVI. His itaque ſi ſubvenire cupimus, neceſſum eſt, removere non ſolum tempeſtive ſubjectum patiens ab halitibus hujusmodi, ſed & protrahere illud ad auram liberiorē. Si vero diutius paululum in illa aura permanſerit, ab affuſa aqua frigida, vel ſubmerſione ejus totali reviviſcere, viresque cum vita recipere iterum videbis. Vide pluribus de hac materia differentem modo allegatum *Pechlinum l. c.* Epiglottidi autem jamjam adhæreſcentes acres partes butyraceis ac oleoſis remediis deglutitis, à quibus involvuntur illi ſalium aculei pungentes, removebis.

Aer pulverulentus. §. LVII. Poſt aërem ſalinis ſpiculis inquinatum, ſecundo loco inter cauſas caput aſperæ arteriæ ſtimulantes, & ad intempeſtivam contractionem illud diſponentes referenda eſt atmoſphæra pulverulentis turgida particulis. Experiuntur hinc tuſſim, aliaque plura impedimenta circa reſpirationem iter facientes illo tempore, quando humor nullus deſcendit in agros æſtivo præprimis, it. Cæmentarii, lapicidæ & id genus operariorum. Aſt norunt etiam hi

ſibimet

ſibimet ipſis conſulere, iſtisque ſubvenire moleſtiis ſolo potu largiter ingeſtô, utpote experientia edocti, à nullo citius medicamine auferri irritamenta hæcce.

aſſumta adſtringentia §. LVIII. Tertio loco cauſis læſæ reſpirationis accenſentur aſſumta tam fluida, quam compactioris conſiſtentiæ, præprimis quæ manifeſtâ vi adſtrictoriâ ac ſtipticitate ſunt prædita, uti ſunt fructus hortenſes immaturi, poma citria, mala granata &c. à qvibus largiter aſſumtis ſæpè ſtrangulationem imminere, in vulgus notum eſt. Conducunt igitur nunc diluentia ſtatim a deglutitione aſſumta, aut, ſi malum nimium fuerit pertinax, inviſcantia, h. e. oleoſa & mucilaginoſa, qvæ etiam teſte *Hœchſtettero caſ. III. Dec. III.* in aduſtione gutturis ab aqva forti hauſta admodum proficua fuerunt obſervata.

mucus viſcidus epiglottidi adjacens §. LIX. Liceat qvarto loco huc etiam referre tam mucum viſcidum, qvam alimenta nimium glutinoſa Epiglottidi circumvoluta. Nam & ab his cauſis operculum laryngis intempeſtive, & cum inſigni moleſtia ac periculo occluditur qvoqve. Levant priorem cauſam præter violentam exſpirationem, & tuſſim artificialem ſcreatus repetitus, tandemque gargariſmata, præprimis ex reſolventibus & incidentibus compoſita: & hujus generis medicamenta, intus etiam cum diluentibus calidis aſſumpta conveniunt. Qvod glutinoſa deglutita attinet, curioſam de illis refert Obſervationem aliqvoties citatus *Hœchſtetterus Dec. III. caſ. V.* de ruſtico, qui hauſtô infusô radicis ſymphyti maj. cum vino malvatico factô, penè ſuffocatus periiſſet, niſi ſvaſu cujusdam adventantis, acetum ſubitò in potu eſſet datum.

ſerum ad epiglottidem depluens §. LX. Supereſt tandem qvinto loco accuſandum ſerum ex tunica pituitaria ad epiglottidem depluens. Ex hoc vitio ſuffocatio unicuiqve notiſſima eſt, nec ætiologia obſcura videtur, modo ſenſatiſſimam illarum partium texturam attendere velimus. Qvoad curam, ſi nimium urgeat malum, ad adſtringentia glandularum illarum oſtia nimium patula ſubitò deveniendum eſt. Talia ſunt præprimis acida, & ex his imprimis ſpiritus ſulphuris per campanam factus cum aqva fontana ſufficienter dilutus ad imitationem *Balth. Brunneri Conſil. Med. 34.* Spatium vero aliquod ſi conceſſerint recurrentes per intervalla ſuffocativi paroxyſmi, purgantibus, diaphoreticis & incraſſantibus, tandemqve & opiatis curandi ſunt.

peregr[ina] lapſa i[n] [bron]che[os] §. LXI. Occuparunt hactenus morbiferæ cauſæ caput aſperæ arteriæ, ſed truncus qvoqve cum ſuis ramificationibus obſtruitur, eoqve ipſo ad transmiſſionem aëris ineptus redditur non raro. Injurias vero patitur a corporibus peregrinis ab extra per errorem illapſis, e. g. ſpinis, ficus aut piri acinis, pilo, pilula, caruncula &c. *vid. Camerarii Syllog. memorab. Medicinæ cent. XV. part. 19. & ſeq. Schenck. Obſ. Med. lib. II. p. 231. 232.* Et ſi unqvam, ſane nunc ancipitis omnino aleæ res eſt reſtitutio horum ægrotantium, præprimis ſi hamoſa, aut aculeata ſint iſta corpora, niſi exturbentur, qvantocyus fieri poteſt, ſcreatu freqventi ac violento, tuſſiqve, ſponte excitatâ. Qvod ſi tamen ægro ſemimortuo ab imminente ſtrangulatione ſibi ſuccurrere non liceat, ad imitationem vulgi adſtantes promovebunt opus hoc dorſi concuſſione violentâ, aut immiſſione digiti intra fauces, utpote in qvibus organa reſpiratoria male tractata ita ſæpe commoventur, ut ſubſtantiam illam rurſus exturbent.

§. LXII. Loco ſolidorum corporum, ſi bronchias occupaverit fluidum aliqvod v. g. cereviſiæ, aut vini tantillum &c. ſola tuſſis repetita remedii loco erit. Major tamen ſi copia ſubintraverit, qvod illis accidere ſolet, qvi aqvis ſubmerguntur, promovendus eſt ejus effluxus inverſione corporis, & collocatione tali, ut erectis pedibus, prono capite ad terram reſpiciant ægri. Solo enim hoc ſitu inverſo ſæpius in vivis ſervantur mortuorum numero adſcripti.

egeſta [e] pulmon[ibus] §. LXIII, Sed uti per errorem ingeſta tantas poterant excitare turbas, ita præternaturaliter è pulmonibus egeſta non minus imminentis ſuffocationis ſunt autores. Intelligo ſub hoc titulo non ſolùm ſangvinem ex ruptura

ra vaſis cujusdam regurgitantem ad aſperam arteriam, verum quoque purulentam materiam, ex vomica pulmonum rupta, alioque tempore fruſta ipsa pulmonum, aut ſaltim vaſorum per putrefactionem præcedaneam in phthiſi ſeparata. Summo & nunc in diſcrimine verſatur æger, hinc è plurimis ex hac cauſa decumbentibus vix unus reſtituitur aut alter, inprimis ſi fluida cum impetu erumpant, ſolidorum vero corporum fruſta majora incuneentur bronchiis. Ne tamen plane deſeramus hos miſeros mortisque candidatos, in hæmoptyſi ex ſanguinis abundantia aut ſtagnatione p. n. in pulmonibus, remedii loco inſerviet V. S. larga. Quæ vero ex diſruptione vaſorum oritur, adſtringentia, quæque tandem ex exulceratione, conſolidantia ac balſamica, de quibus fuſius in ſubſequentibus dicendum, requirit. In reliquis cauſis, vires corporis valentes niſi excretionem promoveant, dubia admodum manet vita ægrotantis.

ex- tus læ §. LXIV. Viſis ſic cauſis intra aſperã arteriam hærentibus, pergo nunc ad illas, quæ ab extra tubulũ hunc vel à parte anteriori vel a parte poſteriori comprimunt. Primum obſervamꝰ, quando laqueo, magiſtratꝰ juſſu, fauces alienas opes ſurripientibus ſtringuntur, aut, dum ipſimet furentes guttura ſibi frangere intendunt, de ſalute deſperantes. Revocare hos poſteriores in vitam ſi intendimus, tempeſtive funis præſcindendus eſt, antequam cordis motus penitus ceſſet, & ſpuma ex ore exiverit, qua viſa aliàs, teſte *Hippocrate Sect. II. aph. 43.* ſaluti vix locus eſt amplius relictus. Deinde ſi ſponte non ſpirare inceperit æger, ori ejus halitus à quodam adſtantium, qui nucem moſchatam, cinamomum aut aliud aroma prius ore contrivit, infletur, neceſſe eſt, aut infundatur faucibus acetum cum pipere conditum, aut aqua apoplect. vel aliud quid virtute ſtimulante præditum, collo vero tumenti nimium & rubenti juſſu *Aetii l. 8. c. 4.* oleum calidum, vel emplaſtrum aliud reſolvens circumjiciatur.

§. LXV. Referri etiam ad hoc caput poſſunt ſtrumæ in molem ſæpius adeò inſignem auctæ, ut collum non ſolum turpe viſu reddant, verum etiam pondere ſuo tracheam premant. Ut igitur impedimenta hæc tollas, primo in emollientibus ac ſolventibus externis quæres auxilium. Hæc ſi non ſufficiant, ad potentiora accedendum eſt, inter quæ præ cæteris eminent Mercurius vivus, & cum ipſo paratum emplaſtrum de ranis Vigonis. Nondum verò ſi hiſce abigi ſe patiantur, aliqui Medici ſuppurantia laudant, quæ tamen cum circumſpectione ſemper ſunt adhibenda, ne in carcinomata mutemus benignos hos tumores. Inſuper vero pro uſu externo itidem reſolventia, it. qui ſpecifice operari creditur, pulvis ſpongiæ marinæ uſtæ, inſervient. *Strumæ*

§. LXVI. A parte poſtica bolos ampliores œſophago incuneatos plus minus penitusque ſæpe obſtruere poſſe viam hanc aëris regiam, lippis & tonſoribus notum eſt. Dabis propterea, ad curam imminentis exin ſuffocationis vocatus, operam, ut vel potu largiter hauſto, vel oleo aliisque lubricantibus ingeſtis canalis hicce dilatetur, ſimulque cauſa morbifica deorſum urgeatur. His irritis, ad inſtrumenta Chirurgica deveniendum eſt, præprimis quæ ex balænæ oſſibus flexibilibus facta ſunt, utpote quæ ex hac cauſa juxta ac lævitate egregie ſe commendare omnibus ſolent. Fruſtraneus & hicce conatus ſi fuerit, tentandum eſt, num vomitu provocato elici iterum poſſit bolus. Sique nec tum tuleris opem, ceſſare Medici officium adſtantibus indicabis. *boli majores*

§. LXVII. Venio jam ad cauſas læſæ reſpirationis, quarum ſedes in pulmonum veſiculari deprehenditur compage. Accidit his labes primo à ſangvinis abundantia copioſius affluente, quàm vena, ratione capacitatis in hoc viſcere (quod ſingulare) ab arteriis non diſcrepans, revehere poteſt. Quodſi igitur mederi velimus hujusmodi dyſpnoeis, ad V. Snem aliamque ſangvinis detractionem unicè confugiendum erit. *Plethora*

Aſthma. §. LXVIII. Replentur etiam veſiculæ dictæ à viſcida ac pituitoſa materia, tuncque cum ſtertore reſpirant miſeri, ſimulque nunc tuſſi humida aut ſicca laborant, prout nempe fluida plus minus obſervatur maſſa ſangvinea, aliæque circumſtantiæ ad expectorationem diſponunt corpus aut obſtant. Nervus jam curæ eo intendatur, ut incidantur acribus, ſalinis ac diluentibus calidis cruditates iſtæ, & inciſæ poſtmodum, præprimis ſi copia ſimul hujus ſaburræ adſit, evacuentur.

Peripnevmonia. §. LXIX. Inflammantur quoque organa commemorata in peripnevmonia, dum à cauſa hac ad aëris ſuſceptionem ineptæ omnino fiunt dictæ cellulæ, partim propter dolorem, partim propter fibrarum contracturam. Curaturus proinde hæc ſymptomata morbumque ipſum, pro ſcopo derivationis ſecabis venam, utque ſangvini ſtagnanti & dolori ſatisfiat, adhibebis ſimul reſolventia, antiſpasmodica & anodyna.

cura §. LXX. Salva res erit, ſi tempeſtive & prudenter his uſus fueris, ſin minus, metuendum, ne exinde fiant nodi & vomicæ pulmonum, pariter ac præcedens affectus veſiculas pulmonum comprimentes, & dyſpnœam gravem reddentes. His proinde præſentibus Symptomatibus per emollientia quærenda eſt ſalus, ipſisque irritis (id quod vomicam in ſpecie attinet) in vomitoriis. Obſerva tamen, ut ancipiti prognoſtico te prius munias, cum ſæpe ſolo tranſitu noceat hæc materia aſperæ arteriæ, vel, uti modo dictum, intra caput ejus hærens ſuffocationis celerrimæ evadat cauſa, vel tandem hæmoptyſin gignat periculoſiſſimam.

Pht[hiſis] §. LXXI. Commemoranda tandem venit phthiſis ſive ſuppuratio ſubſtantiæ pulmonum ex ſero extravaſato, nunc per violentam concuſſionem & tuſſim ferinam, nunc per vulnus inflictum, aut acrimoniam cruoris cauſticam, extra ſuós terminos naturales, vaſaque, in quibus antehac movebatur, coacto, proveniens. Optarem vero & nunc, certa ut poſſint à me præſcribi medicamenta, veruntamen cum irrita hæc mea vota ſciam, partim ob ſumme raram, perpetuoque motu vexatam pulmonum compagem, partim ob nimium remotum hujus viſceris ſitum, quorſum vix ac ne vix quidem medicamenta pervenire poſſunt, niſi maximam partem virtute ſua ſpoliata, ideo in tali morbo adulto ac inveterato, omnem conatum Medici irritum pronunciare cogor, ſecus tamen judico de morbo illo, qui nondum adeo profundas egit radices. Etenim nunc acrimoniam abſorbentibus, nunc conſolidantibus & balſamicis adhuc aliquando iſte auſcultat.

T A N T U M.

DISPU-

Disputationum Langianarum Decima quarta: De

PECTORALIBUS AFFECTIBUS ATQUE REMEDIIS.

PRÆFATIO.

Optima ſane intentio fuit Majorum, à Partium morborumque, quibus ſuccurrunt, nomine Medicamentorum formare appellationes; gnaris ſiquidem & probè ſcientia Medica imbutis uno verbo ſignificare ſic potuerunt, quæ prolixam explicationem alias poſtulâſſent; Sed anſa ſic data eſt ſimul ignaris ac Empiricis, falcem importunam immittendi in meſſem noſtram: audito enim uno vel altero hujus vel illius medicamenti titulo, ſe totam medendi artem callere, apparatuque ſufficienti inſtructos eſſe ad Medicinam faciendam ſunt rati. Quantum vero aberrarit eo ipſo à tramite veritatis, & quot craſſos ſæpiusque lethiferos errores hâc ſolâ perſvaſione in perniciem generis humani deteſtanda hæc turba commiſerit, verbis vix deſcribi poteſt, neque etiam mei inſtituti eſt, querelas propterea longas adnectere. Sed ne fruſtra hæc dixiſſe videar, exempli loco ſint Medicamenta, Pectoralia nuncupata, circa quorū adhibitionem nunquam non accuratum, propter adeo inter ſe diſcrepantem naturam, requiritur a Medico judicium ac circumſpectio ſumma: Veritas aſſerti hujus patebit ad oculum ex ſubſequentibus. Annuat Deus cœptis!

§. I.

Explicaturus ergo naturam & differentiam *Pectoralium Medicamentorum*, præmonuiſſe ſufficit, in genere Medicamenti nomine medentibus venire apparatum omnem ad profligationem morborum & præſervationem inſervientem. Qvoniam vero iſta nunc peculiarem & ſpecificam poſſident texturam & virtutem, aut morbis quibusdam ſpecialibus, aut denique certis partibus dicantur, factum eſt, ut triplicem claſſem Medicamentorum fecerint Practici, diverſisque illa ſalutarint nominibus, alia v. g. *balſamica, abſorbentia, vomitoria, &c.* alia *apoplectica, febrifuga, ſpaſmodica, &c.* alia *ſtomachica, uterina, cephalica, & ſic quoque Pectoralia* appellantes. Quicquid enim Organis reſpiratoriis, ipſorumque læſis functionibus ſuccurrit, cauſas morbificas corrigendo, alterando, leniendo & evacuando, id omne ſub titulo *Pectoralium Remediorum*, German. Bruſt-Mittel/ comprehenditur. *Claſſis medicamentorum triplex*

Partes ad reſpirationem requiſita ſunt

§. II. Variæ vero uti ſunt iſtæ cauſæ, ita de ſingulis ſeorſim diſſerere neceſſum erit. Fiet vero illud vix commodius, niſi ubi prius ſingularum ad hanc functionem concurrentium partium uſum explicavero; ſic enim anomalia in iſtis nata mox clarius pateſcet. Sunt autem, ut paucis me expediam, partes iſtæ, thorax, diaphragma & pulmones. Per thoracem intelligo, ventrem corporis noſtri medium, ſeu, ut clarius loquar, illam corporis partem, quæ circumſcribitur à claviculis, diaphragmate, ſterno, vertebris dorſi ac coſtis. Sed uti artificioſiſſima illa eſt compages partium, ita nobiliſſimus quoque & inſignis cunctarum eſt uſus: quædam enim ex illis immobiles ſunt, v. g. ſpinæ dorſi, reliquæ cunctæ motu gaudent, plus tamen & minus manifeſtô. Ad claſſem priorem refero coſtas, quæ in perpetuo obſervantur motu, propter muſculos intercoſtales, ipſis interpoſitos, à quorum inflatione & relaxatione deſcenſus non ſolum & aſcenſus, ſed ſimul quoque expanſio thoracis & conſtrictio perficitur. Ad alteram claſſem claviculæ pertinent & ſternum, quæ nonniſi elevatis coſtis, cum quibus per cartilagines connectuntur, commoventur, & quidem ſatis blande ac obſcure.

thorax

diaphragma

§. III. Aliud reſpirationis organum eſt diaphragma, corpus, ex duplici diſtinctiſſimo muſculo compoſitum; ſuperior adhæreſcit undiquaque coſtis ſpuriis, fibras verſus centrum maximam partem mittens, inferior, ex fibris carneis rectilineis magis conſtruitur, ſi excipias illas, quæ proxime œſophagum in tranſitu amplectuntur, utpote in quibus magis curva ac circularis conſpicitur ſeries. Undiquaque circumdatur à tendinoſa ſubſtantia, parte ſuperioris muſculi, usque donec in partem dextram & ſiniſtram divaricatus, in appendices duos tendinoſos abit, è qibus dexter primæ, ſecundæ ac tertiæ lumborum vertebræ inſidet, alter vero in ultimam & penultimam implantatur. Videatur *Caſpar Barth. Jun. Tr. de nova diaphragm. ſtructura Cap. II. S. 2.* Uſus itaque duplicis hujus muſculi eſt, thoracem anguſtiorem facere, prout in exſpiratione ſurſum propulſum trahit pectus, & inſpiratione deſcendens, permittit, ut à muſculis intercoſtalibus ſine impedimento dilatetur.

pulmones

§. IV. Tertium reſpirationis inſtrumentum conſtituunt pulmones; de quorum ſitu, ſubſtantia, connexione nihil brevitatis ſtudio addo, ne nimium extra oleas vagari videar. Sufficiat igitur duobus verbis de ipſis annotaſſe, texturam ipſorum veſicularem omnem paginam abſolvere in reſpirationis negotio, dum propter ſuam diſpoſitionem admodum elegantem, facile ab aëre incluſo rareſcente inflari, & vice verſa, ab externo circumſtante premi ſe patiatur, unde poſthac magnum illud ſtupendumque oportet exſurgit, quod in- & exſpirationem vocant Phyſiologi.

doctrina reſpirationis

§. V. In ſummam ergo ut contraham totam reſpirationis doctrinam, ſequenti modo concipio illam; dum inflantur muſculorum intercoſtalium fibræ ab influente motus ac vitæ interno principio, nimirum ſpiritibus animalibus, abbreviantur quodammodo, ſicque partes annexæ, hoc eſt, coſtæ attolluntur, eoque ipſo dilatatur thoracis fornix. Relaxatur ergò ex hac cauſa muſculus major diaphragmatis, deſcenditque verſus abdomen, inferiore interea ad ſuperiora & thoracem attracto. Hæc cum fiunt, aër in pectoris cavo concluſus, majori ſic dato ſpatio, recedit à pulmonum exteriori compage, quam antea compreſſerat, adeoque hâcce fuga facit, ut facultatem ſuam elaſticam exerceat pulmonum cellulas inhabitans aër, ex qua contingit expanſio ipſorum, & quidem eo felicius, cum ampliatis iſtis locis, fluidum corpus noſtrum circumambiens, ſponte deſcendat per aſperam arteriam: Sic inſpirationis actus abſolvitur. In exſpiratione vero contrarius plane omnium dictarum partium eſt motus. Diaphragmatis namque circulares fibræ ſe contrahentes aſcendunt iterum verſus thoracis cavum, hocque ipſo retrahunt rurſum in priſtinum ſitum coſtas connexas cum ſuis muſculis, unde anguſtatur concameratio pectoris,

aërque

aërque apprimitur denuo pulmonibus; qui cum pares non ſint ferendo illum impetum, ejiciunt rurſum, quem antehac admiſerant aërem per bronchias.

pecto- rii §. VI. Clare igitur ex his p. n. conſtitutis & variis actionibus læſis eluceſcit, non unum, ſed plures eſſe pectoris morbos, illosque à multiplici provenire cauſa, adeoque remediorum apparatum, adverſus hos affectus eorumque cauſas deſtinatorum, ſemper requiri diverſiſſimum, ſi judicioſe, & dogmatice contraire ipſis velimus.

§. VII. Veniant itaque primo ad examen aſpera arteria, &, quæ divaricatis ipſius ramis adhæreſcere racematim ſolent, veſiculæ pulmonales. *bora* Injuriam autem ac moleſtiam in dyſpnœæ quadam ſpecie & ſuffocatione patiuntur primo a ſangvinis copia, dum major quantitas per arterias affluit ad interiora hujus viſceris, quàm per venas iterum refluat. Inprimis vero tale quid in his contingit locis, quoniam nunquam non remora injicitur ſangvinis circulo à pulmonum ſubſidentia exſpirationis tempore. Magis contribuere ad p. n. ejusmodi retardationem cruoris videntur venæ pulmonales, nimium; reſpectu arteriarum, anguſtæ. Licet enim in aliis partibus ac viſceribus, ad minimum vena quinquies amplitudine ſuperet arteriam, in hoc tamen viſcere nulla occurrit differentia: quid ergo mirum, ſi ob laudabilem diætam, vitamque tranquillam à curis, aliisque principium alias noſtrum vitale deprædantibus animæ pathematibus liberam, paululum luxurians ſangvinis copia coacervetur? Tali ergo in caſu loco Pectoralium remediorum ſtabunt Venæſectio, cucurbitulæ ſcarificatæ, aliaque ſangvinem evacuantia ac educentia; uti enim per iſta, pro lubitu major plus minus copia ex vaſis ſangviferis educitur; ita ſangvis detrahitur certo alicui organo.

ac vi- ſan- is §. VIII. Habet idem remedii genus locum in ſangvinis grumefactione ac nimia viſciditate, utpote a quibus bronchiales rami, veſiculæque pulmonales conglutinantur. Operandi tamen ratio ex alio paululum fundamento, nempe ex revulſione quaſi deducenda eſt, refluit ſcilicet ſangvis è pulmonibus curſu rapidiori cum ipſa cauſa congrumeſcentiæ ac viſciditatis, ſi in alio loco conceditur exitus liber. Magis tamen conveniunt alterantia, reſolventia & incidentia, utpote ex aſſe cauſis his contraria: Pertinet huc univerſus cœtus acrium ac amaricantium remediorum. Ex vegetabili regno *marrubium album, calamintha, pulegium, thymus, origanum, capilli veneris, carduus benedictus & mariæ, ſcabioſa, hedera terreſtris, hyſſopus, chærefolium, tuſſilago, fœniculum, majorana, naſturtium, ſatureja, roſmarinus, ſcordium, ruta muraria, nicotiana, ſem. aniſi, braſſicæ, cumini, ocymi, fœnu græc. nigellæ, rutæ, ſinapi, urticæ, ſileris montani, baccæ juniperi & lauri, cubebæ, caryophylli, zingiber, caſſia lignea, lign. ſaſſafras, gvajacum &c. it. Gummata acria, ammoniacum, myrha, ſandaracha* &c. ſeligi poſſunt. Animale verò regnum *ſalia volatilia, ut Cornu Cervi urinæ, mandibul. lucii piſcis, viperar. cum ſpiritu ſalis armoniaci* ſuggerit it, *ſperma ceti*. A plurimorum vero horum aculeata textura diſſolvitur compages cauſæ morbificæ, & redditur apta ad expectorationem. Inſuper tamen ab illis pectoris ſenſatæ partes irritantur ac vellicantur, unde contractivus motus & exploſio materiæ dependet.

§. IX. Sed eſt præterea alia cauſa, *Vomica* ſæpius pulmonum cellulis admodum moleſta, quam vomicam uno verbo appellant Practici; quando nimirum ex ſangvine heterogeneo, ſ. ut clarius loquar, ex ſero ſangvinis ſtagnante ac corrupto cellula una vel altera infarcitur. Ab hac itaque cauſa, primo notabiliter impeditur reſpirationis negotium, ſine tamen ullo alio ſymptomate manifeſto, usque donec graveolentia oris & febricula, cum inquietudine & mœrore conjuncta, ſuperveniant. Eo autem ſumma cura dirigenda, ut tempeſtive rumpatur iſte abſceſſus, materiaque hæc prava evacuetur. Adhibenda hinc ſunt μαλακτικὰ ſ. *emollientia* remedia, quæ vias, per quas efferri debet materia, lubricas reddunt, fibrasque tenſas laxant, imo & ipſam materiam fluiditate deſtitutam humectant, qualia ſunt: *rad. altheæ, malvæ,*

lil. alb. fol. parietar. tuſſilag. atriplicis, branc. urſin. mercurial. cichorei, endiviæ, pulmonariæ maculoſæ, fl. cham. lil. alb. verbaſc. violar. purp. nymphææ, bugloſſæ, melilot. fructus caricarum pingv. paſſul. maj. & min. crem. hordei & ptiſanæ &c.

§. X. Quod ſi hæcce nihil effecerint, video a Practicis quibusdam commendari vomitoria, quæ licet primario ſtomachi inverſioni dicata ſint, nihilominus, dum egregie ſimul concutiunt reſpirationi inſervientia organa, faciunt, ut ex nimio conatu rumpatur cyſtis materiam concluſam continens. Verum enim vero, maximâ hic opus erit prudentia, ob metuendam ſuffocationem ex violenta dilaceratione capſulæ & eruptione puris ſangvinisque copioſi. Quapropter ad evitandum conſcientiæ vulnus, longè tutiùs eſt, penitus ab illis abſtinere, vel ante illorum uſum de periculoſo & ancipiti eventu ægrotum & adſtantes commonefacere, ne interimiſſe videamur, quem fatum jugulat.

Serum abundans. §. XI. Sic viſcidis humoribus occurrendum; verùm aliis opus erit pectoralibus, quando ſerum ſangvinis abundans replet cellulas pulmonum, aut ſolùm laryngis rimam, vel interiorem ſenſatam bronchiorum membranam irritat, (quod utrumque vitium illis, qui catarrhis vexantur, admodum familiare eſt.) Peti iſta ex evacuantium claſſe commodè poſſunt, quæ per inferius guttur colliquamentum ejusmodi peccans exturbant, quibusque quondam pretioſus hydragogorum remediorum titulus imponebatur. Subſtitui tamen poſſunt quævis alia purgantia, imo & laxativa dicta, dummodo educatur ſuperfluum ſerũ, ſive id blandiori fiat motu & pedetentim, ſive cum majori quodam impetu & brevi horarum ſpatio, perinde id erit. Sunt hæc non ſolum *radix mechoacannæ, jalappæ, eſulæ, gummi de Peru, mercurius dulcis*, ſed etiam *manna, aloe, ſenna, myrobalanorum ſpecies omnes*, aliaque, quæ in diverſis formulis pro ægrotantis conditione ac Medici lubitu adhiberi poſſunt.

§. XII. Verum præter hæc, omnia diaphoretica ac diuretica, aliaque per loca evacuantia, uti alias inſerviunt eductioni abundantis ſeri; ita nunc pectoralia etiam fiunt famoſa. Hujus farinæ ſunt præ reliquis, *lign. ſanctum, ſaſſafras, card. b. rad. ſcorzon. caryophyll. angel. vincetox. leviſtici & ſarſaparillæ decocta*, non tamen cedunt ſpiritus cornu cervi, *eboris, tartari, aperitiv. Penot. ſalia vol. oleoſa ac aromatica*, aliaque ex eorum familia deſumpta; Quoniam tamen tardius longe, minorique in copia, quàm purgantia educunt, illis prærogativa jure manet.

§. XIII. Præmiſſis hiſce, imminutâque paululum nimia ſeri copiâ, ſuccedunt incraſſantia, inprimis glutinoſis partibus prædita, quæ ſuccis his tenuioribus permixta, partes ipſorum conjungendo & inter ſe connectendo, conſiſtentiam ſtabiliorem conciliant. Poſſidet hanc vim decoctum *rad. althеæ, malvæ, chinæ, bardanæ, liquiritiæ, rapar. ac uvarum paſſarum, &c.* it. *Styrax, ſuccin. & ſtrob. pini, gumm. arab. gran. maſtichis, colophon. tragacanthum, aſa dulc. gelatina cornu cervi & eboris, lac, pineæ, piſtaceæ, amygdalæ*, balſamusque ſulphur. amygdalatus &c.

§. XIV. Dantur equidem & alia ab his diverſa incraſſantia, acidæ naturæ, à quibus, teſte *Boyleo tr. de experim. circa naturam ſangvinis*, ad oculum inſpiſſantur fluidæ corporis noſtri partes, v. g. ſi ſpiritum vitrioli aut alium liquorem acidum inſtillemus ſangvini aut ſero, apparebit in momento, utrumque reddi ſpiſſum, & in grumos abire manifeſtiſſimos. Verum enim vero, talia non ad hanc noſtram intentionem faciunt, cum valde inimica ſint pulmonibus. Et licet quidam putent, ipſorum texturam in primis viis inverti, adeoque ipſa nonniſi caſtrata & immutata adportari pulmonibus, hincque non adeo inſigne ex illis incommodum eſſe metuendum: Minus tamen vera illos dicere, ex effectu, h. e. tuſſi, infallibiliter majorem ipſorum uſum inſequente, clariſſime patet.

§. XV. Poſſet equidem dubitationem augere *Balthaſar. Brunneri* Conſ. Med. 33. & 34. ubi ad ſiſtendum affluxum materiæ tenuis ad pulmones, ſpir. ſulphuris per campanam, cum aqua fontana ad gratum acorem mixtum, præco-

præconiis miris extollit; ſic enim ſonant ejus verba: *Sancte affirmare poſ-* „*ſum*, *me cum viderem exhiberi hoc* „ *medicamentum*, *quaſi obſtupuiſſe*, „*nam ſtatim rediit liberior reſpiratio &* „*paroxyſmus non modo tardus accede-* „*bat, ſed mitigabatur ſucceſſive ac ceſſabat penitus.* Sed minime propterea ſententiam muto; ut ut enim non negem, *Brunneri* obſervationem eſſe veram, operandi tamen ratio mihi dubia manet, cum firmiter perſvaſum habeam, non coagulando ſerum fluidū, ſed potius adſtringendo oſtiola glandularum, liquorem illum ſtillantium, operatum fuiſſe acidum hoc ſulphuris, quod allegatus autor ipſe agnovit, dū effectū hunc a refrigerante & adſtringente remedio provenientem adeo ſtupens admiratur.

§. XVI. Refert etiam ad hanc incraſſantium pectoralium turmam celeberrimus quondam Batavorum *Sylvius* per univerſam ſuam praxin innumeris locis narcotica, & ex his in ſpecie opiata; minime tamen primo nominatis ſunt æquiparanda, utpote quæ non niſi ligando ſpiritus, omnis motus in corpore noſtro, adeoque & fluidæ hujus ſubſtantiæ, unicum atque perpetuum motorem, operantur: Hinc palliativa tantum cura, non vera ac radicalis ſequitur, cum vix viſciditas tanta uno aut altero grano opii ineſſe poſſit, quæ adeo inſigni copiæ ſeri tenuis reſpōdeat. Major autem copia tuto aſſumi non poteſt, ne incraſſatio univerſalis & funeſta omnium fluidarum partium ſuperveniat, quale quid ipſi *Sylvio* accidiſſe *Janus Leonicenus Veronenſis in Metamorphoſi Æſculapii ac Apollinis* ſatis ſatyrice refert, cum catarrho tenui correptus, una nocte majorē, quā par eſt, opiati remedii ſumſerit doſin.

[...]ſan- [...]acri- [...]ia §. XVII. Sed hæc obiter & in parentheſi quaſi de opiatis dicta ſunto: Regredior rurſum ad incraſſantia, quæ, præterquam quod inſignem habeant virtutē incraſſandi tenues humores, uti modo dictum, egregia quoq; ſunt, ubi a ſangvinis & ſeri acrimonia organa reſpiratoria punguntur ac vellicantur, eoq; ipſo ad motus p. n. tuſſim puta, hæmoptyſin, aliasq; affectiones, diſponuntur. Nihil ſiquidem magis aculeos ſalium ad actiones ulteriores reddit ineptos, quàm hæc nominata, quæ propterea inviſcantia ab Autoribus quoque vocantur. Quemadmodum enim in ſalib. aculeos diverſos concipere cogimur, a quibus quaſi ſcindūtur ac punguntur ſenſatæ partes: ita horum medicamentorum textura, tanquam tot capſulis vel involucris includuntur, ut eodem modo ac enſis vagina reconditus, agere amplius non poſſint.

§. XVIII. Hinc etiam nullus alius apparatus, quàm ex his propriè ſic dictis inviſcantibus, deſumi poteſt, ſi ſerum ac ſangvis ipſe ſtagnatione diuturnâ corruptus, & in pus ſincerum ac fluidū converſ9, tuſſim in pleuritico & phthiſico pectore excitet moleſtiſſimam. *Tuſſis ex pure*

§. XIX. Poſſunt iſta etiam commendari, ſi ab exhalationibus acribus metallicis, aliisq; fuliginoſis cum aëre inſpirato aſſumtis, pulmones irritentur & lædantur, quale quid Metallurgis accidit, qui toſtioni *pyritæ* & ſublimationi *cobalti* præſunt, aut laboribus chymicis in *antimonio*, *ſulphure*, *& arſenico*; ſtatim enim difficultatem ſpirādi & ſpaſmos organorum reſpirationi inſervientium, incurrunt (quod mihi ipſi aliquando, multisq; ſimul ex meis commilitonibus accidit, cum *Regulos antimonii* diverſos, in laboratorio quodam chymico, fumario deſtituto, funderemus. Jubentur hinc Studioſi chymicæ artis, ut panem butyro multo illitum præſervationis gratia ante comedant, quam laboratoriū ingrediantur; illo inprimis tempore, quo concreta, ejusmodi atomis acribus turgida, ad examen vocantur: Si autem jam fumus ille, vel ut *Helmont.* loquitur, Gas ſylveſtre, devoratum fuerit, lactis calidi potus copioſior præ reliquis proficuus obſervatur. *Exhalationibus acribus*

§. XX. Quemadmodum vero indifferenter cunctis aculeis ſalium, (quos ſatis curioſe *Bellinus Tr. de Guſtûs organo & Lœwenhœck in ſuis Obſ.* microſcopicis deſcribunt ac depingunt) inviſcādis hactenus recenſita ac pingvia ſunt convenientiſſima; ita in ſpecie acidis contraria ſunt terrea abſorbentia, (quorſum cuncta ex animalium oſſibus, cornubus ac dentibus, per calcinationem præparata, omniaque oſtracoderma pertinent) deſtruunt id ipſum; deinde etiam univerſa alcalia *acrimonia ſalſa, acida,*

tam fixa, quàm volatilia, item martialia, quocunque modo præparata: Et tandem diluentia, adeò, ut omnis generis decocta probè diluta, & ſic etiam infuſa, in pectoralium medicamentorum exercitu ſeſe repræſentent.

Scorbutica

§. XXI. Hæc adverſus acrimoniam levem tam ab extra advenientem, quàm internam ſufficiant; ſed opus eſt, ut in acrimonia ſangvinis enormi, qualis v. g. in *Lue Gallica* annotatur, alia præterea quæramus medicamina. Fallitur ſiquidem Medicus, qui ſolis his ſatisfieri putat pulmonũ læſionibus, ex hac cauſa oriundis; Ut ut enim alias optima, nihil tamen ferè operantur hoc in caſu. Hinc ad decocta lignorum, aliaque ſpecificà accedendum, inprimis vero ſalivatoria mercurialia, utpotè quæ ſalia hæcce cauſtica, firmius licet partibus impacta, ex iisdem depromunt, corrigunt & evacuant.

materia tartarea.

§. XXII. Uti vero ab inæquali ſalium textura pulmonũ accidentia corrigere docuimus; ita, ſi gypſea quædam ac tartarea materia in ſubſtantia bronchiorum, vel veſicularum pulmonalium occurrat, vellicandoq; non ſolùm indeſinenter illorũ compagem irritet, ſed quoq; temporis tractu diſcerpat ac dilaniet, (quod contigiſſe, obſervationes Practicorum paſſim teſtantur,) apparatu alio erit opus. Equidem ſi fateri, quod res eſt, velimus, ſatis periculoſa ægrorum conditio hoc in ſtatu dici debet, cum vix accommodatũ hujus cauſæ reperiatur remedium. Quis enim facile calculos in pulmonibus ſubſiſtentes diffringet aut diffractos educet? Nihilominus, ne ſine ſolatiò maneant ægri tales, in morbi hujus principio lubricantia copiosè ſumenda ſunt, imò emetica lenia, quò tempeſtivè ejiciatur materia peccaminoſa, antequàm morâ diuturnâ augmentum capiat. Quod ſi verò dolores jam excitentur ab hac, horum loco laudano opiato utatur patiens, ut lapidis motus præſens ſiſtatur. Aliam quidem methodum adducere poſſem, ſi in principio ſtatim morbus pateret, ſed doleo vehementer, ægrum & Medicum nunquàm tempeſtive initium morbi cognoſcere poſſe; ſed tum demum, quando in tantũ aucti lapilli fuerint, ut ſtimulare & dilaniare incipiant membranulas pulmonum, perque ſcreatum ejiciantur, quo in caſu num tuta ſint emetica, dicere non auſim. Hinc calculi in pulmonibus concreti inter affectus, qui rarius occurrunt, merito referuntur.

ex i… pereg… tract…

§. XXIII. Parum abeſt, quin idem ſentiam de rebus ſolidioribus, acutisque ex improviſo per aſperam arteriam ad pulmones delapſis; neſcio enim, quænam pectoralia adverſus hæcce nominare debeam, niſi forſan exturbationem illorum promoventibꝰ maneat adhuc aliquis locus. Subintelligo autem hìc tuſſim ſpontaneam, & ſcreatum frequenter repetitum; dum enim his ipſis aër violenter ſatis eliditur è bronchiis, ſæpè ſimul protruditur, nondum adeo firmiter impactum peregrinum illud corpus. Quod ſi ægro integrum non fuerit, motum illum violentum pulmonum excitare; (ſæpiſſimè autem id contingit, quatenus materia illapſa ſtrangulare, & ſuffocare in momento videtur miſeros) tum ad concuſſionem dorſi, ad imitationem vulgi, confugiendum erit, cujus ope, organa reſpiratoria ita afficiuntur ſæpius, ut res illapſæ rurſus extrudantur. Concuſſione tamen non ſufficiente, emeticum erit implorandum ex vitriolo albo, utpotè quod omnium citiſſimè operari ſolet, ut calcar addatur his partibus, proprio conatu non ſufficientibus.

§. XXIV. Satis profecto violentum, fateor, ultimum hocce eſt conſilium, ſed ancipiti huic cauſæ conveniens, quæ in extremum periculum non remota celeriter præcipitare ſolet. His mitiora ſunt, quæ adhibentur, ſi molle quoddam corpus aut fluidum intra hiantia bronchia cachinno vel alia cauſa ceciderit, utpote quibus vel ſola tuſſis repetita ſufficit; vel, quod fluidiora ſpeciatim concernit, reclinatio capitis ad loca decliviora. Utimur tali potiſſimum, ſi ſuffocatio immineat ex aqua, quo in caſu, prono capite in terram, manifeſto effluxus ejus promovetur, adeo ut ſolo hoc ſitu ſæpius in vivis conſerventur, qui altero jam pede cymbam Charontis premebant.

§. XXV. Quandoquidem à cunctis modo recenſitis irrritantibus cauſis, tã externis, quàm internis, præter moleſtiam

ſtiam

Hæmoptyſis ſtiam & ſtimulationem, (quibus jam oppoſuimus medicamenta,) non infrequenter extremam, ut ſic loquor, violentiam ſuſtinere coguntur pulmones, vel ab ipſa aculeata textura, vel concuſſione nimia, i. e. tuſſi ferina dilacerantur non ſolum quoad pellicularum, verùm quoq; vaſorum ſangviferorum texturam, unde poſthac hæmoptyſis & ſuppuratio ſequuntur funeſta. Adverſus hæc igitur rurſum nova pectoralia ſumantur ad manus, nempe primo adſtringentia, v. g. *fl. roſ. rubr. balauſt. ſumach. rad. tormentillæ, biſtortæ, ſymph. maj. pelliculæ tegentes immediatè carnem glandium, caſtanearum & avellanarum, terra catechu, ſigillata, bolus armena, hæmatit. terra Vitrioli dulcis, crocus martialis adſtring. vitriolum martis ad rub. calcinatum.* & ex his ultimis præparatæ *Tinct.* it. *Tinct. Antiphthiſ. D. M.* His adde, ſi placuerit, Sulphuris accenſi gas ore exceptum, quod adeò laudat *Simon Pauli Quadrip. Botan.* claſſe tertiâ de *burſa paſtor.* Sed cave, ne nimis citò & indifferenter in omni hæmoptyſi illa adhibeas; quod ſi enim abundantem ſanguinem prudens ſatis Natura per vias has, utut inſvetas, eduxerit, contrariantur ipſi, qui obſtruere illas intempeſtivè audent.

§. XXVI. Poſſem in hoc caſu etiam commendare glutinantia remedia, ut *gummi tragacanth. & Arabicum, amylum, ſuccinum,* aliaque, quæ *Deodatus Panth. Hygiaſtic. l. 3. c. 22. Proſper Alpinus de Med. Ægyptiorum*, aliique infinitis extollunt encomiis, niſi jam ſupra ſufficienter, aliâ licet occaſione, de hiſce actum eſſet, quæ repetere hic nolo. Minimè tamen *Jul. Cæſaris Claudini* Medicamentum, quod in Conſil. 114. laudat ad ſupprimendam hæmoptyſin, ſi nempè ſcrotum immergatur aquæ gelidæ, præterire poſſum; agit namque & illud ſatis potenter in ſpiritus, dum frigiditate inſvetâ ipſorum mobilitatem ad ſtuporem ſæpiùs una cum circulo ſanguinis & hæmoptyſi exin dependente, impedit ac turbat.

Suppuratio §. XXVII. Satis nunc faciendum eſt putridis ac corruptis pulmonum partibus, quæ brevi labem hanc poſt hæmoptyſes contrahunt, & quidem per conſolidantia & balſamica dicta. Ex his inprimis commendo *urticam, bugulam, chærefolium, herbam coſtæ, geranium Robertianum, pyrolam, millefolium*, nunc ſub forma decocti, nunc conſervarum &c. Non equidem ſum neſcius, conſervas has penitus damnari à *Sylvio*, adeoque abſurdam poſſe videri hanc meam commendationem; ſed nimis rigoroſa mihi ſemper viſa eſt illa ſententia, cum ſacharum ſemper vulnerariam virtutem poſſideat, propter intus latitans gluten: Quamdiu igitur ſtomachi robur adhuc ſalvum, nullum video contraindicans. Magis tamen adhuc conveniunt balſamica, tam naturalia, ut *terebinthina, balſ. Peruvianus niger, copayva,* quàm artificialia, *Sulphuris in ſpecie balſamus, tam ſimplex, quàm diverſimode compoſitus*, unà cum integra turma incraſſantium, ſupra adducta. Nihilominus & circa illorum exhibitionem, velim habeatur inprimis ratio frequenter conjunctæ febris, utpote cui robur additur inſigne omnibus hiſce, majori inprimis doſi propinatis.

§. XXVIII. Poſtulat nunc ordo, ut verba quoque faciam de illis pectoralib9, quibus aëris qualitas, pectori noxia, corrigitur. Actum in præcedentibus, datâ occaſione, jam eſt de acrimonia; dicam ergo nunc ſolum de frigiditate & caliditate, nimiaque ipſius rarefactione. Quoad frigiditatem, omnibus nota eſt moleſtia, quam experiuntur hyemali tempore reſpiratoria organa: Huic ergo opponantur calefacientia, utpote contraria. Quicunque enim à frigefacientibus iſtis corpuſculis moleſtiam ſentit & titillationes bronchiorum, in aëre calido, h. e. ad fornacem, inveniet remedium optatum. Potus etiam calidus, pediluvia, ſtragulaque & integumenta mollia, medicamenti vices ſupplent, uti etiam in calefacientibus aromaticis, vinoſis & ſpirituoſis virtus contraria latet, ſatis per experientiam comprobata. *Frigus aeris*

§. XXIX. Similiter, quando aër nimium calidus obſervatur, contrariò is curatur. Tempore hinc æſtivo calidioris climatis incolæ in cryptis & cellis ſubterraneis quærere auxilium coguntur. Roma quondam ſubterranea maximam partem ex hac cauſa, teſte *Æſtus*

teſte Kirchero, erat; hodieque adhuc iſtis in locis vix propter alium finem tantis ſumptibus tot machinæ hydraulicæ videntur exſtructæ, quàm ut hanc aëris inclementiam paululum corrigere molliſſimi incolæ valeant. Qui diutius intra balnea hærent, ſæpius incurrunt lipothymias, ſolùm propter nimium illius loci æſtum, hisque vix quicquam magis proficuum obſervatur, quàm ſi ſupra pavimentum, ubi temperata magis fluidi hujus circumambientis conditio deprehenditur, reponantur, aut faciei frigida aqua adſpergatur.

Aer rarefactus §. XXX. Aërem nimium rarefactum in jugis montium, & quandoque in terræ fodinis vel etiam cellis vinariis, aut ubi cereviſia fermentatur, conſpicuũ, pariter non ferunt pulmones, propter ſummam tenuitatem, quæ ipſi ineſt, quæque intra pulmones ſemel admiſſa ſe iterum expelli non patitur, ſed eosdem diſtentos ad necem usque detinet. Non alium obſervamus effectum in machina *Boyliana*, aliisque pnevmaticis ad hanc methodum confectis, in quibus animalia quævis ſimili modo, exantlatâ aëris copiâ, mortem ſubire coguntur: Medentur autem huic vitio, quæ craſſiores reſtituunt partes. Habent propterea in more, qui cacumina montium ſcandunt, ſpongiâ aqua aut acetô madida, orique appoſitâ raritatem aëris nimiam corrigere, quo modô etiam curantur. Nec alia eſt ratio, quam ob rem nitro vel pulvere pyrio accenſo corrigatur iſta aëris tenuitas in fodinis, niſi quod novæ atomi craſſiores accedant, unde reſtituitur naturalis ipſius temperatura.

Vulnus thoracis §. XXXI. Prout verò non ſolus externꝰ, ſed etiam in thoracis cavo concluſus aër reſpirationi inſervit; ita, ſi hujus activitas impeditur à vulnere thoracis, vel ſanguine, aut pure in thorace collecto, pectoralia fiunt in caſu hoc primo omnia, quæ vulnus illud obturant & conſolidant. Dum enim labia vulneris hiant per dilatatas in inſpiratione coſtas, irruit externus aër ſimili plane modo, ac intra follis cavum, quando parietes ipſius dilatantur, irruptionẽ ejus contingere videmus. Quoniã autem nimium à tali attactu preſſi pulmones expãdi non rurſum poſſunt, in momento labefactatur neceſſarium illud reſpirationis opus. Itaque linteamina complicata, emplaſtra glùtinantia ac faſciæ circumjectæ adhibeantur, donec conglutinatum rurſum vulnus iſtud lege artis fuerit.

hy… th… §. XXXII. In thoracis hydrope, à paracenteſi ſolatium expectandum, non obſtante contradictione quorundam, qui illam tanquam ſummè periculoſam operationem ex operationibus chirurgicis planè proſcribendam clamant. Rationes horum recenſuit *Fien. Tract. 5. 3.* ſed addidit quoque *c. 4.* ſolidiſſimas reſponſiones adverſus iſta dubia; tandemque concludit, ſpem maximam dependere ab ejusdem operationis adminiſtratione, quæ inprimis tempeſtivè, ante viſcerum contractionem à prudenti & Anatomiæ perito Chirurgo adornatur. Hic enim facile evitabit omne periculum, quod aliàs imminet ex inepta operatione, à qua ſola ſuum contraindicans deſumſit *Aquapendens in ſua Chirurgia.*

Abſ… Em… §. XXXIII. Optima ergò cum ſit operatio iſta, non poſſum non hanc quoque commendare, ſi ſeri extravaſati loco, purulenta materia per abſceſſum pulmonum, vel pleuræ ruptum, occupet pectoris cavum in empyemate thoracis. Præterquam quod ſequamur hâc ipſa operatione intentionem naturæ, quæ teſte *Tulpio Lib. II. Obſ. 4.* evidentem non raro protuberantiam intra coſtarum interſtitia format, & digito quaſi locum oſtendit, per quem extrahi debeat materia, certo aliàs hominem miſere interimens: Inſuper & illud commodi accedit, quod decocta vulneraria per ſiphonem immediate ad locum læſum infundi, adeoque ulcus detergi, & ad conſolidationem diſponi poſſit, quod aliàs propter viarum prolixitatem, non niſi maximam partem immutata admittebat remedia.

§. XXXIV. Refert *Williſius Pharm. rational.* cauterium intra homoplatas inuſtum, purulentam hanc materiam ex voto extraxiſſe; ſed ſpecialis tantum eſt caſus, à quo regula formari poteſt nulla: Quæ via enim ex thorace ad ſcapulas datur? Et licet

dixeris

dixeris per poros, & fibrarum interſtitia tranſire hanc materiam poſſe, cùm totum corpus permeabile ſit & perſpirabile *Hippocratis* effato; non tamen aphoriſmo huic ſemper ſe alligari patitur Natura: Hinc rarioribus obſervationibus hæcce puris evacuatio æque annumerari debet, ac ſi per renes & veſicam, aut per ſeceſſum evacuetur ſaburra illa. Ne tamen nihil planè egiſſe videamur, ſi forſan æger reſpuat paracenteſin, excitetur ejusmodi fonticulus, exhibeanturque reſolventia diuretica aut blandè laxativa, ut, ſi forſan per horum quoddam emunctorium deducere pus ſpontè vellet natura, in ſubſidium iſta opportunè adſint.

...natio ...ac di... ...ma... ...is §. XXXV. Sed tempus eſt, ut etiam diaphragmati, muſculisque intercoſtalibus ſuccurramus, ſi ipſorum culpâ impedimentum acceſſerit reſpirationi. Accidit autem tale quid primò, ſi inflammatio in pleura ac diaphragmate (non excluſis ipſis pulmonibus) excitetur. Mirum dictu, quantum tum temporis lædatur functio hæc, propter tuſſim continuam, ſputum ſangvinis & puris, item dyſpnœam ſummè doloroſam, aliaque atrocia ſymptomata, quæ cuncta tamen a ſangvinis circulo, in his partibus impedito, & inflammatione inde orta, trahunt originem. Vices ergò Pectoralium tenebunt primo V. S. novum motum incarcerato cruori concilians, inprimis ſi larga manu celebretur, aut quod quibusdam nationibus ſolenne eſt, frequenter repetatur. Sequuntur hanc diaphoretica ac reſolventia tam fixa, quam volatilia, quorum efficacia major longè erit, ſi opiatis maritentur, & ſi una doſis non ſuffecerit, aliquoties reiterentur. Reliqua expectorationem promoventia, aut quæ hæmoptyſin ſpectant, alia occaſione jam ſunt adducta.

...con... ...i. §. XXXVI. Alterum, quod in his partibꝰ occurrit vitium, eſt, ſi convulſionibus illæ tententur, aut (qui gradus mitior eſt) ſingultus ſaltim adſit. Quod ſi id ipſum contingat per idiopathiam, jam antiepileptica & anodyna pectoralium claſſi annumerari debent, *Liqv.* puta *Cornu Cervi ſuccinatus, caſtoreum, unic. verum, raſ. ung. alc. cinab. antimonii, nativ. ſem. & rad. pœon. viſcus quernus*, aliaque pro intentione prima, ſicut pro altera papaverina ac opiata quævis ſuperant encomium omne: confer, quæ habet *Bernhardus Verzaſcha.* Quando vero per ſympathiam accidat, nunc abſorbentia & præcipitantia, v. g. Cornu Cervi teſte *Hoffm. M. M. p. 321.* nunc inviſcantia, v. g. *Oleum amygd. dulc.* vid. *Foreſtus O. Lib. 18. c. 12.* nunc carminativa, e. g. decoctum *chamomill. & anethi, galanga, ſpic. nard. & Zingiber*, vid. *Vidus Vidius Cur. Lib. 9. c. 14.* nunc alia, pro cauſarum diverſitate, conveniunt.

Spaſmus §. XXXVII. Non aliter obviam ire cogimur ſpaſmo & tenſioni nimiæ harum partium, de quibus teſtantur Dyſpnœa cum Aſthmate & Orthopnœa, affectus oppidò perículoſi, utpotè de quibus *Seneca Epiſt. 54.* affirmat, *ſe, licet omnia penè corporis incommoda aut pericula ſuſtinuerit, nullum tamen magis moleſtum deprehendiſſe, quam hunc ſpirandi conatum difficilem, hincque in reliquis omnibus ſe ægrotâſſe, in hoc verò animam egiſſe.* Subintelligo autem hic Aſthma, quod alias ſiccum ſ. convulſiv. ſalutant Practici, cujus cauſæ ſunt refrigeratio nimia, fumus metallicus cum inſpiratione aſſumtus, epatis ſcirrhus, inflatio ſtomachi ac inteſtinorum, cruditas pituitoſa ejusdem & malum hypochondriacum, aſcites, nephritis, hyſterica paſſio & obeſitas nimia, &c. *Aſthma convulſivum*

ex frigore aut fumo metallico §. XXXVIII. Quæ remedia conveniant, ſi à refrigeratione aut à fumo metallico natales duxerint hi morbi, §. XXVIII & XXIX. jam declaratum eſt, itaque properandum ad ea, quæ in ſcirrhis pulmonum proficua ſunt. Pertinent extra controverſiam iſti in illam morborum claſſem, qui difficulter curam admittunt; nihilominus ne deſeruiſſe videamur ægrotantem ullum, qui, dum ſpirat, adhuc ſperat, interne blande reſolventia ac diſcutientia, & in ſpecie *Tincturam Tartari acrem*, *ſpiritumque Salis Armoniaci Tartariſatum*, it. *rad. gentianæ, ſem. ſinap.* &c. ex commendatione *Euſtachii Rhudii Art. Med. Lib. II. c. 19.* vel *conſervam*

conſervam fl. malvæ arboreſcentis ad unc. j. per 40. dies datam (de qua mira refert *Sim. Pauli Quadrip. Botan. Claſſ. III. p. 389.*) aut *marrub. alb. chalybeataque omnia*, cum *Zacut. Luſit. Lib. II. c. 48. & Ludov. Mercato Tom. 3. Lib. 4. c. 2.* ſeligenda eſſe puto. Externè verò empl. de *nicotiana, fœnugræco, gum. ammon. cicuta & mandragora*, utpote ab Autoribus aliis multis encomiis celebrata.

Flatus §. XXXIX. Quando à flatibus in ſtomacho ac inteſtinis hærentibus difficilis redditur reſpiratio, carminativa adferent auxilium, quorſum *chamomilla, fœniculum, mentha, pulegium, Rosmarinus, ſum. anethi, ſem. carvi, aniſ. cumini, juniperi ac lauri baccæ, cort. aurant. citri, cinamom. acut. rad. Zedoar. Spiritus Salis dulcis, Spiritus Salis Ammoniaci aniſ. carminativus Sylvii*, & qui de tribus dicitur, *ſpir. carminat. Mich.* olea denique deſtillata, v. g. *macis, aniſ. carvi, cariophyll. chamomill.* aliaque quàm plurima compoſita pertinent. Neque ſolum deglutita hæc ipſa conveniunt, ſed etiam, ſi ex illis cataplaſmata, emplaſtra ac unguenta fiunt, externeque ventri applicantur. Poſſunt etiam ſub clyſmatis forma adhiberi, aut, ſi non ſufficerint, fumus tabaci per inſtrumentum conveniens injectus, mirum in modum proficuus erit.

Aſcites. §. XL. Hydropicas aquas in abdomine collectas educere, ſpirandique difficultatem ab illis ortam tollere, evacuantia per ſeceſſum communiter ſolent; Practici alio etiam tempore per diuretica ac diaphoretica illud intendunt. Si tamen hiſce non cedant, ſola ſupereſt paracenteſis abdominis, quæ tutum omnino ſatisque certum eſt remedium, modo opportunitatis momenta longâ cunctatione non fuerint prætermiſſa, nec viſcera interiora corruptionis labem jam contraxerint, quo in caſu ſæpiùs fruſtra & hoc nobiliſſimum remedium advocamus.

§. XLI. Ex renum calculo per conſenſum orta reſpirationis vitia, exigunt lithontriptica. Modò verè talia in pharmacopoliis reperirentur, ſæpiùs ſingultum & dyſpnœas moleſtiſſimas, ex hac cauſa oriundas, una cum aliis infinitis triſtibus ſymptomatibus tolleremus. Intereà nihilominùs ſufficere nobis poſſunt Spiritus Salis *dulc.* Ammoniaci, *Tinctura* & Spiritus Tartari; conveniunt autem cuncta hæcce magis, ſi cum opiatis combinentur, quò ſpaſmus & criſpatura, ureterum aliàs inſigniter obſtans, removeatur, portaque pateſiat calculis.

§. XLII. Et ſic quoque procedendum, ſi ex uterina cauſa ſuffocatio, aliaque ſymptomata, reſpirationi moleſta, proveniant. Fruſtraneus namque labor quivis erit, ſi ſine ſpecificis antihyſtericis aggreſſus fiat. Tenent inter hæc facilè primas, *caſtoreum & liqv. Cornu Cervi ſuccinatus*, quibus ſuccedit univerſus exercitus antepilepticorum ac antiſpaſmodicorum. *Suff hyſt*

§. XLIII. Supereſt obeſitas, difficilis non ſolum reſpirationis, ſed etiam ſuffocationis cauſa. Tali igitur in caſu autores commendant motum corporis majorem, labores, vigilias, victum parciorem, abſtinentiam à potu, V. S. largam, quæ omnia & ſingula erunt emolumento, modò ſtrictiſſimis his regulis obligari ſe patiatur talis, quod tamen vix ſperandum. *Obe*

§. XLIV. Sed ne quid prætermiſiſſe videar, non raró vitioſa contingit reſpiratio a faucium tumoribus œdematoſis ac inflammatione, quam ſpeciali nomine anginam vocant Practici. Hiſce proinde in caſibus ſpes in Gargarismatibus, emplaſtriſque ex reſolventibus, emollientibus ac anodynis, vel repellentibus, prout id ſcilicet circumſtantiæ admittunt, ponenda eſt. Non tamen propterea V. S. negligi debet, cum ab illa humorum derivatio & averſio, à quorum ſtagnatione morbi primaria cauſa dependebat, certò expectanda veniat, & cum medicamenta alia interna, aliàs convenientia, propter faucium iſthmum præcluſum, tum temporis vix admittantur.

§. XLV. Sufficiant hæcce: Prolixiorem equidem, fateor, poſtulaſſet explicationem dignitas argumenti; ſed veniam me impetraturum confido à L. B. qui vires quales quales in elabora-

boratione thematis hujus tentare volui. Conjeci hinc in chartam opiniones, prout illas memoria ſuggeſſit, ſolicitus magis de medica materia, quam verborum pompa, probe memor, non verbis, ſed herbis curari ægros. Quod ſi tamen in quibusdam non veritatis attigi ſcopum, L. B. id mihi condonabit, cum voluiſſe etiam in magnis, juxta communem ſententiam, ſit

S A T I S.

Disputationum Langianarum

Decima quinta:

De

CORDIS PALPITATIONE.

Prooemium.

SI toties Architectura Priſcorum rapimur in admirationem, quoties pyramidum miracula, amphitheatrorum moles, templorum fornices, & ſexcenta hujus generis, etiam ſub ruderum ſolùm facie contemplamur; Multo magis nos attonitos reddere debet cordis fabrica penitus & cum attentione inſpecta. Sive enim in illa partium omnium conformationem plane ſtupendam, ſive motum dilatatorium & conſtrictorium à primordiis vitæ ad ultimum usq; halitum perennem, ſive tandem uſum ſpectes, ad corporis conſervationem abſolute neceſſarium: Non alia ſe offerunt in his cunctis, niſi quæ Lyſippi induſtriam, Apellis penicillum, Phidiæ ſolertiam & Archimedis ſagacitatem multum omnino ſuperant. Nec in naturali tantum ſtatu viſceris hujus talia reperies, quin plura adhuc ſi illud morboſum fuerit, ſe nobis ſubinde ſiſtāt, quibus debite conſideratis pene vileſcunt cuncta jam recenſita: inprimis cum illorum nullus ſit finis, ſed hodienum adhuc dies diem doceat, pluraque ſemper detegantur nova diligenti ſcrutinio in cadaveribus defunctorum facto. Quod ut probem, non cogor eſſe multum ſollicitus. Opportune enim ſe mihi offert affectus cordis, cui titulum PALPITATIONIS impoſuere majores, utpote qui ſuo exemplo, aſſerti huius veritatem negotio facili demonſtrare valet. Nil igitur ſupereſt, quam ut illum absq; ulteriori verborum ambage diligenti ſiſtam examini. Quod uti ſub auſpicio ſummi Numinis ſuſcipio: ita vellem, Lector Benevole, ad Tuum beneplacitum ut perficere poſſem; ſed cum

viribus ingenii neceſſariis carere me ſciam, eâ, quâ decet, humanitate Te rogatum volo, ut veniam mihi des, ſi cuncta in labore tam arduo non acu me tetigiſſe videas.

§. I.

Hiſtoria morbi

Cum omnium primum inter officia Medici ad ægrum vocati ſit, ea nota ſibi reddere, quæ patiatur hic: nil à mea intentione alienum me commiſſurum confido, ſi ad limen ſtatim hujus diſſertationis idem agam, quidque Palpitatione cordis laborantibus accidat, ante omnia perpendam. Conqueruntur itaque illi præprimis de motu ſubſultatorio intra cavum thoracis, & quidem in eô utplurimum loco ſiniſtri lateris, ubi naturalis cordis ſentitur pulſus, eoque nunc ſolitario, nunc cum anxietatibus, doloribusque plus minus exquiſitis, notabili pulſus in extremis mutatione, ſpirandi difficultate, ſudoribus frigidis, lipothymiis, tremoribus artuum, convulſivis motibus, febribus, pluribusque adhuc aliis ſymptomatibus ſtipato.

Etymologia

§. II. Talis proinde ſubſultatorius cordis motus, palpitatio communiter in Medicorum ſcholis dicitur: quæ vox ad ſententiam quamplurium Criticorum à veteri vocabulo latino, palpo, deſcendit, quod indicat, juxta *Perottum*, leviter & quaſi tentando tangere, & juxta *Becmannum de Originibus latinæ lingvæ p. m. 591.* fovere mollius aut blando manus plauſu tangere vel contrectare, ac veluti poppyſmo demulcere; Adeoque etymologicè palpitatio frequentem & aſſiduum, mollem tamen motum exprimit, quod *Plinius l. 28. c. 8.* clare indigitat his verbis: Palpitat certe cor & quaſi alternatim movetur: nec alio in ſenſu à *Cicerone* ſumitur *L. 2. de Natura Deorum*, ubi refert, quod cor animalis cujusdam evulſum ita palpitarit, ut ſua hac mobilitate igneam imitatum fuerit celeritatem. Alii tamen à Græco ὁ παλμὸς cum *Scaligero in l. 2. de Plantis* vocem hanc deducunt, vel à πάλλω, i. e. moveo, quatio, vibro, agito; Et hi quoque non inepte judicant. Num vero adeo commode palpitationis ſignificatus Germanicus zappeln ex voce hac Græca derivari poſſit, ut exiſtimat *Martini in Lexico Philologico*, nempe componi ex Germanico za / h. e. valde, & τῷ πάλλειν movere, judicent alii.

§. III. Patet ſic quidem, quid vi nominis Palpitatio ſignificet; Aſt nondum eô ipsô ſatis motus iſte cordis p. n. in ſic dictâ palpitatione occurrens explicatus eſt. Minime namque ad illum determinandum ſufficit nominaſſe ejus vibrationem aut agitationem; cum eas quoque ſemper obſervemus in naturali cordis motu ex ſyſtole & diaſtole compoſito. Itaque extra omnem plane controverſiam eſt poſitum, plus complecti palpitationis vocem, quam etymon ejus promittit, nec accuratè ſatis declarari voce hac naturam motus illius, quô cor in noſtro morbo afficitur. Varias proinde in ſententias abiiſſe Medicos video, ſpecialius magis iſtum explicantes. Aliqui enim *cum Sennerto Inſt. l. 2. Part. 3. Sect. 1.* quærunt formalitatem ejus in depravatione motus naturalis; alii *cum Mœb. Inſt. l. 2. P. 2. c. 4.* in frequentia; Alii *cum River. Pr. Med. l. 8. c. 2.* & *Fernel. de part. morb. & ſympt. l. 5. c. 22.* in immoderata agitatione. Alii in tremore *cum Colladone*; Alii denique in convulſivo motu *cum Sylvio Ideæ Pr. l. 1. c. 35. Strauſſ. Palæſtr. Med. P. 2. Gymnaſm. 8.*

motu palpi- rius t

§. IV. Dicam quid mihi de ſingulis videatur ſententiis. Quidam ex his loquuntur nimis generaliter: quorſum refero, qui allegant inordinatum & immoderatum motum. Nam nullus ægrorum, utut ſit admodum rudis, ignorat non ordinate ac moderate in morbo hocce agitari cor, modo id ſciverit prius, in naturali ſtatu viſcus illud reciprocos pati ictus non adeo ſenſiles. Adeoque hos dicendo quidem aliquid, revera nil dicere, quod explicare poſſet indolem palpitationis ipſius, firmiſſime mihi perſvaſum habeo. Nec illos puto attigiſſe veritatis ſcopum, qui frequentiam vibrationum cordis incuſant. Utut enim ſubinde ſubſultus illos ſimul accelera-

Au- pin an

tos eſſe facile concedam : Attamen perpetuo id minus contingit, cum in quibusdam ægris morbo hoc laborantibus arteriarum pulſus contractionibus cordis ſolenniter reſpondentes, non niſi longa temporis mora intercedente reciprocentur. Pariter nec ſubſcribere poſſum illis, qui in fibrarum cordis tremore formale hujus affectus quærunt. Nam cum trepidatio talis ſit, juxta Clariſſimum quondam Ettmüllerum, in qua fibræ muſculorum cordis celerrime & quaſi ſemicontractæ ſyſtoles & diaſtoles vices ſubeant : minores & crebriores non ſolum exinde naſcentur pulſationes in corde; ſed quoque arteriarum motus inæqualis, languidus, & quaſi vermicularis obſervabitur: quæ phænomena tamen in palpitatione cordis vera haud apparent. Quapropter etiam à non paucis Practicis ut penitus à noſtro diſtinctus affectus, cordis hæc trepidatio tradi ſolet.

§. V. Et ſic tandem nec illorum arridet opinio, qui rationem formalem palpitationis in convulſivo fibrarum motu quærunt, ut ut iſta reliquas omnes opiniones, intuitu primo, anteire probabilitate videatur. Quid enim notius eſt, quam ſi muſculi contractiones tales inordinatas ac vehementes, vicibus acceleratis, uno verbo, motus convulſivos, patiantur, inde ſuccuti & vibrari annexas non ſolum partes, ſed ipſos quoque muſculos ſubſultationibus manifeſtiſſimis infeſtari. Nihilominus nondum his perſvadeor ad approbandam hanc ſententiam; Cum hujusmodi cordis vibrationes vehementes & ſumme accleratas nil minus, quam palpitationes cordis veras & percuſſiones coſtarum producant, quod in ebullitionibus ſangvinis variis, & præprimis in febrilibus paroxyſmis ab unoquoque notari poteſt.

§. VI. Parum itaque abeſt, quin ſtatuam, cordis carnes ſeu fibras motrices planè non eſſe inculpandas, cum hæ partes ad normam ac regulas naturæ, omnino ſua perficiant munia, tam in ſyſtole ſeu conſtrictione, quam diaſtole h. e. ejus dilatatione. Nam in ſyſtole, etiam maxime aucta ac intenſa, nunquam ſalit cor extra ſuos cancellos, ſed quoniam undiquaque contrahitur, potius occupat ſpatium minus, & ſolenniter à coſtis magis recedit. In Diaſtole v. multo minus coſtarum percuſſio fieri poteſt, quoniam tum temporis cor tantum ad ſitum & magnitudinem naturalem redit. Nihilominus adſolvendus ab omni culpa haud eſt muſculus cordis in noſtra palpitatione; Cum utiq; in illa tumeſcere ad baſin, & vel unum, vel utrumque ventriculum ſurgere in altum, & pulſare coſtas, adeo ſit certum, quam certiſſimum.

§. VII. Quo igitur tandem formalitas hujus elevationis inſvetæ & motionis cordis de loco ſuo naturali innoteſcat clarius, meam facio *Williſii* doctrinam, quam fovet in *Pharm. Rat. Part. I. Sect. VI. cap. III.* ſtatuens, tempore ſyſtoles, ob denegatam viam ſangvinis è cordis ventriculis, repercuſſionem ejus fieri ad parietes internos, cumque mucro cordis, lateraque ſimul, mox nova ſuperveniente ſyſtole contracta, anguſtentur, baſin cum vaſorum radicibus ex ſangvine ibi congeſto & nonnihil hærente ampliari, expandi & intumeſcere cum ſaltu tali, & elevatione ad ſuper impoſitas coſtas. *clarius proponitur*

§. VIII. Aliter enim fieri non poteſt, ſi modo inſpicias fluidum ſangvineum undiquaque preſſum. Nam ſangvis obice nunc poſito è cordis thalamis exire neſciens, premere cogitur utique cum impetu ventriculorum illas partes, quibus infarcitur, imo remeans inſuper ad loca, quæ modo deſeruerat, hoc eſt, ipſos ventriculos denuo elaſticitate ſua & gravitate, quæ fluidis ordinarie ineſt, non poteſt non eſſe importunus motricibus his, in quibus repercutitur, fibris. Ad oculum ſummus iſte fluidorum compreſſorum impetus patet in ſiphonibus, aliisque hydraulicis machinis, quarum beneficio tanta cum vi protruditur ſæpe fluidum illud flexile, ac firmitudine omni deſtitutum, ut non contremiſcant ſolùm objecta corpora ſolidiſſima, ſed non raro penitus evertantur, ac ruant. *probatur*

§. IX. Et ne dubites idem, quod nunc de aqua Machinis propulſa, ejusque im-

impetu dixi, applicari quoque ſangvini cordi infarcto & quaſi incuneato poſſe, provoco ad ordinarium fluidi hujus vitalis circulatorium motum, à machina cordis factum, dum nempe ejus auriculæ, & ventriculi ſyſtolen patiuntur, ſeſeque contrahunt. Tanto enim cum ſaltu protrudi tum animadvertimus humorem hunc, ut nulla etiam remotiſſima corporis noſtri ſit pars, cui non debita in copia afferatur. Probabiliter igitur ſangvinis omnem hunc impetum in naturali ſtatu diffuſum ad univerſas partes, eoque quaſi fractum, nunc ventriculorum cordis parietes, imo longe majorem adhuc, unice coguntur ſuſtinere, cum ſolenniter ictus cordis, ad abſolvendum ſuum opus multiplicentur, & niſu majori fiant in tali ſtatu.

ratio differentiarum in Palpitationibus

§. X. Ex his fuſiùs paululum dictis facile nunc differentiarum palpitationum cordis ratio reddi poteſt, quæ maxima ſemper deprehenditur. Subinde enim ſaltus hic cordis præternaturalis tantùm ab ægro ſentitur, qui à vibratione cordis, alias non adeo perceptibili, nunc afficitur ſenſu quodam triſti, ex alliſione ejus ad thoracis concamerationem, & hæc palpitatio cordis ut frequentiſſima omnium, ita mitiſſima quoque eſt, adeò ut ſæpè per longum retro ſpatium ab ægris negligatur, cum tanta haud videatur ipſis moleſtia inde nata, quæ Medici opem poſtulet. Alio tamen tempore magis ſenſibilis redditur hic cordis ſubſultatorius motus, ita ut manu ſub mammilla ſiniſtra poſita percipi à quovis facilè durante paroxyſmo valeat. Vehementior adhuc tertius eſt gradus, quando oculis ſiſtitur effectus hujus inſvetæ agitationis, dum ſcilicet ſtragula ac veſtimenta ad ſingulos cordis ictus in pectore elevari, & in altum tolli conſpicimus. Superat hunc quartus, in quo auditus beneficio violentas has vibrationes cordis judicare licet, non ſolum ſi auris prope admoveatur loco affecto, ſed quoque in diſtans, imo etiam ſi quis extra januam hypocauſti ac ædis fuerit conſtitutus, qualia exempla *Chriſtoph. à Vega 3. de art. Med. cap. 8. Petrus Vaſcus Caſtellus in Exerc. pag. 843. Foreſtus lib. 17. obſerv. 1.* producunt. Succedit huic quintus, ſi coſtæ, quas tanto conatu verberat intus cor, in ſuo ſitu naturali mutentur, incurventur & foras dilatentur, quod ſe vidiſſe teſtatur *Horſtius Tom. 2. p. 139.* & hi in illa ætate frequenter contingunt, quæ partes has thoracis nondum debita firmitudine præditas, ſed cereas adhuc & flexiles poſſidet. Omnium tandem ſummus eſt gradus, ſi firmiſſimæ compagis hæc oſſa, qualia occurrunt in adultis, frangantur penitus, *cujus* exempla allegant *Aug. Victor. conſ. 97. pag. 415. Fernel. cap. 12. lib. 5. Pathologiæ.*

ratione graduum

ratione temporis

§. XI. Sic igitur differt palpitatio noſtra ratione graduum, ſed differt quoque ratione temporis, dum alia per intervalla ſolum affligere notatur, alia ad ultimum usque vitæ terminum continua eſt, ſineque remiſſione ullâ per annos plures perdurans. Prioris exempla copioſa ſuggerit quotidiana praxis, morbum hunc ex ſola agitatione præternaturali ſangvinis & ſpirituum natum, & tamdiu ſævientem ſiſtens, donec ex toto componantur fluctus illi inſolentes. De altera autem, ut unum ſaltim exemplum adducam, legi meretur obſervatio *Smetii Lib. X. Miſcellaneorum pag. 523.* de quodam mercatore, cujus dexter cordis ſinus totus obſervabatur ſquamoſus & polypo inſigni repletus, unde continuam miſer hic per vitæ tempus totum ſenſerat palpitationem.

ratione ſymptomatum

§. XII. Tertia differentia à conjunctis ſive ſymptomatibus deſumitur. In quibusdam igitur ægrotis præter hunc cordis ſubſultatorium motum nihil prorſus obſervatur, conſideratu dignum; In aliis tamen, uti jam ex antecedentibus conſtat, ſymptomata plura, ſatis ſæpe gravia occurrunt, ſcilicet nunc cordis angores, vellicationes ac dolores, *vid. Brunner. Conſ. 39.* nunc ſpirandi difficultas, juxta *Benedictum Sylvaticum Cap. 2. conſ. 56. 57. Dodon. obſ. cap. 54.* nunc mœſtitia & melancholia, *vid. Hornung. Ciſta Med. Ep. 200.* nunc dolores & tubercula pedum, *conſ. Venuſtus I. P. conſ. 68.* nunc ſyncope, annotante *Epiphanio*, nunc convulſio, & capitis dolor, juxta

juxta *Gvargant. reſp. var. fol. 198.* nunc mors repentina, *juxta Augen. Tom. 11. Lib. 6. Holler. de Morbis intern. Lib. 1. cap. 26.*

...ne ſub-...ti §. XIII. Quarta differentia à Subjecto patiente deſumitur, quæ equidem primo intuitu inutilis plane videtur, cum nemo facile reperiatur dubitans, cordi palpitationem inhærere. Nihilominus cum aliud Subjectum in ſcholis Medicis audiat primarium, aliud ſecundarium, quantumvis concedam cor primariam eſſe affectus hujus ſedem ſive ſubjectum, tamen plures præterea aliæ partes ſunt, in quibus ſecundarium reperitur. Hinc recte diviſio hujus morbi in idiopathicum & ſympathicum à Medicis traditur, cum quotidiana conſtet experientia, ex vitio ſtomachi, inteſtinorum, lienis, uteri, aliorumque viſcerum ſubſultationes cordis graviſſimas naſci, quod fuſius paulò poſt in ſcrutinio cauſarum affectus hujus demonſtrabitur.

...itio §. XIV. Ut ergo tandem in ſummam contraham huc uſque dicta, moneo, nihil aliud cordis palpitationis titulo intelligi, quam viſceris hujus ſaltum plus minus impetuoſum ad coſtas factum, ex ſangvinis libero egreſſu impedito, ac inde oriunda repercuſſione ad ventriculorum parietes natum, utpote ex qua ſola, in ſyſtole cordis, unus vel uterque ventriculorum ad baſin intumeſcit tanta cum ſubſultatione.

...pro... §. XV. Cauſa igitur proxima hujus palpitationis, eſt impetus ſangvinis, ſeu alliſio fortis ad ventriculum vel unum vel utrumque facta, ortum ſumens non ſolùm ex refluxu ac repercuſſione hujus fluidi, ſed quoque ex ejus renitentia & elaſticitate naturali. Imitari igitur deprehenditur nunc ſangvis fluctus aquarum, ad quorum impetum aggeres, mœnia, & quævis repagula oppoſita, non modo potentiſſime verberantur, verum etiam flectuntur, de loco moventur, & ſubinde diruuntur penitus. Atque adeò non mirum eſt, ſi ex longa ac diuturna tali alliſione, ſive appulſu, fibræ cordis & auricularum, utpote flexiles ac extenſiles, tandem deformitatem, ac notabilem conformationis naturalis immutationem contrahant, & ad ſtuporem augeantur. Quod ipſum tam ſolenne eſt, ut rariùs occurrat viſcus hoc in mortuis ex hoc morbo, quod non hujusmodi monſtroſam extenſionem, vel ex toto, vel ex parte in ſe oſtendat. *vid. Theod. Kerckring. Spicil. Anat. obſ. 16. Oſwaldi Grembs. Arbor. vit. integr. et ruinoſ. l. 2. c. 1. §. 8. Heurn. obſerv. 28. Georg. Horſt. lib. 4. obſ. 47. Nicol. Tulp. obſ. 26. l. 2.* Imo non dilatantur ſolum fibræ hæ carneæ, ſed ſæpe impares plane fiunt, ferendis importunis illis, totiesque reiteratis inſultibus; quare diſrumpuntur ac dehiſcunt ſubinde, quale exemplum ex *Harvæo Rolfinckius Epit. meth. cognoſcendi & cur. L. 2. p. 2. c. 1.* adducit.

§. XVI. Quoad cauſas remotas internas non minus quam externas ſeu procatarcticas, conveniunt priores omnes in eo, quod ab illis exitus ſangvinis liber è corde turbetur, unde poſthac illa regurgitatio, ſtagnatio, & importuna extenſio cordis, de qua jam dixi, exſurgit. Variis autem id fit modis, in ſubjectis diverſis. Primo, ſi major copia ſangvinis ad unam, aut utramque auriculam, & annexos ventriculos per venas in diaſtole mittatur, quam per arterias iterum, utpote tam patentibus oſtiis haud inſtructas, effluere in ſyſtole poſſit. Ea propter frequens ſatis eſt palpitatio iſtis, qui Plethora laborant, inprimis ſi corporis aliqualis motus præceſſerit. Propulſus enim copioſus iſte venis inhærens cruor, auriculas & ventriculos replet, præter omnem modum, ita ut copia illa ex toto per ſyſtolen ejici nequeat. Quæ ipſa ratio locum quoque habet in plethora ſpuria, nec non ſangvinis turgeſcentia, ac ſcorbutica ebullitione, ſive à motu nimio corporis & ira, ſive ab aliis animi affectibus proveniant. Nam & nunc partim ob ſumme fluxilem ſangvinem, partim ejus agitationem irregularem, nimium repletæ venæ, ventriculis cordis infundunt molem majorem ſangvinis, quam oſtia arteriarum exitum concedentia admittere aut capere poſſunt.

Cauſæ remotæ (margin at §. XVI)

Plethora (margin)

Vitium conformationis

§. XVII. Magis in aprico hæc cauſa poſita eſt, ſi cor vel ex vitio conformationis, ex infarctu tali ſangvinis jamjam enormiter] fuerit expanſum, qualia plura exempla ſecundo ab hoc paragrapho adduxi. Tum enim unusquisque ſtatim obſervabit, nunquam aliter movere ſe hujusmodi cor poſſe niſi cum palpitatione: quoniam duplo ad minimum, ſi non plus ſuperent tales cordis cameræ, ventriculorum in naturali ſtatu conſtitutorum ſpatia; arteriarum vero diameter non alius, nec major ſe videndum in his offerat.

Obſtructio vaſorum

§. XVIII. Si igitur ob ſolam ſangvinis copiam majorem admiſſam ad cor palpitatio oritur, quid non metuendum erit, ſi exitus ſangvinis impediatur, aut ſaltim obſtruatur quodammodo? Et certe hæc ipſa vaſorum oppilatio, ut frequentiſſima, ita diverſa admodum in morbo noſtro obſervatur. Jam enim tantum ſangvis congrumatus, ac in thrombum concretus occupat ventriculum modo dextrum, modo ſiniſtrum, modo utrumque, obicemque ponit ſangvini molienti exitum ad arterias pulmonalem ac aortam annexas, quam cauſam allegant *Job. Georg. Greiſſelius in Miſc. Nat. Curioſ. Riverius obſ. communicat. Cent. IV. obſ. 21. Williſius Pharm. Rat. p. m. 261. Oswaldus Grems Arb. vit. integr. & ruin. Lib. 2. cap. 1.* §. 8. Nihil autem intereſt, quæcunque ſit cauſa procatarctica hujus coagulationis, ſive humor aliquis peregrinus admixtus, vi coagulandi præditus; quorſum maxime acida referri debent, ſangvinis fluiditati omnino infeſtiſſima, prout elegantiſſimis experimentis comprobavit *Olaus Borrichius apud Bartholin. Ep. de hepat. defuncto*, infundens ſangvini arterioſo canis in diverſis vaſculis collecto acetum, ſolutionem aluminis & oleum ſulphuris; Quibus adde, quæ *Kerckring* habet in *Spicileg. Anat. obſ. 43. & Boyl. in Tr. de Sangvin. natura*; Sive terror vehemens, qualem præceſſiſſe *River. c. l.* teſtatur in viro illo, qui Arelata Monſpelium petens in naufragii periculo maximo conſtitutus, in hoc momento palpitationem cordis contraxerat, ſive tandem inclementia aëris frigida, utpote, cui non minus poteſtas talis fluida condenſandi & coagulandi ineſt, uti in vulgus notum.

ex ſangvine congrumato

caruncu[lis] & exc[re]ſcen[tiis]

§. XIX. Alio tempore carunculæ & excreſcentiæ in corde natæ arteriarum oſtia præcludunt; quales aliquot ad avellanæ magnitudinem accedentes una cum ſangvine coagulato junctas jam citata *obſ. River.* commemorat. Eas autem, ex iisdem plane cum ſangvine congrumato cauſis provenire, non eſt, quod dubitem, imo nil aliud carunculas judico tales, quam nimium incraſſatum, & diuturnitate temporis in ſolidum plane corpus converſum ſangvinem. Quod facile aliis exemplis inprimis tamen ſanguine menſtruo diutius in fœminis ſuppreſſo comprobari poteſt; quippe quas non raro ſolida talia corpora ex pluribus ſatis tenacibus fibris compoſita, una cum ſangvine fluido, reſerata illa ſuppreſſione, ejicere obſervant Practici.

lapid[es] [c]. oſſibu[s] [in] cor[de]

§. XX. Huc etiam vocari debent lapides cum oſſibus diverſæ figuræ intra cor geniti, de quibus conſuli posſunt *Thom. Eraſtus in Conſil. Scholzii, Kerckring. Spicil. Anat. obſ. 78. Horſt. lib. 4. Tom. 11. obſ. 47. Zacut. Luſitan. Pr. admirand. lib. 2. cap. 161. Wierius de præſtig. dæmon. lib. 4. cap. 16. Plater. de Funct. læſion. cap. 11.* Quo majora autem hæc ipſa ſunt corpora, eo facilius ſe oſtiis opponere poſſunt vaſorum; quod etiam metuendum eſt, ſi plures inſint; quale quid de Imperatore Maximiliano citatus *Wierius* literarum monumentis conſignatum reliquit. Solida etiam hujusmodi corpora friabilibus aptiora ſunt, præcipue, ſi inſuper juxta *Heurn. obſ. 28.* villis ſepti intermedii implicata firmiter hæreant. Id quod & mihi ipſi aliquando videre licuit in quodam viro violenta morte interempto, quem cum à magiſtratu requiſitus Excellentiſſimus *Bohnius*, Patronus ac Præceptor meus ad urnam usque devenerandus, ſecaret, reperiebat præter duplicem, ſatisque robuſtum ac plane tendineum polypum utrumque ven-

ventriculum cordis occupantem, binas ex valvulis tricuſpidalibus in ſuis apicibus, columnisque carneis adnexis, ex toto calloſas, pluribusque prætereà arenulis, lapidibusque minoribus infarctas.

fre- r in ſunt §. XXI. Cum jam, obiter licet, fecerim mentionem polyporum cordis, illi fuſius nunc, ut cauſa frequens morbi noſtri incuſandi, & examinandi ſunt. Habent ipſi ſedem fixam in auriculis & ventriculis cordis, & ad vaſa adnexa ramificationibus multifariis ſubinde excurrunt. Plura de illis equidem annotârunt *Tulpius & Barthol.* ſed nemo elegantius Malpighio illos deſcripſit, ex quo principaliora, noſtræque intentioni inſervientia transferre nunc lubet. Videlicet diverſa eſt eorum facies externa, non minus, quam conſiſtentia eorum. Sunt qui adipem referunt; alii compagem membraneam vel tendineam poſſident, alii carnis aſſumunt & conſiſtentiam & colorem; Aliis ſangvinis congrumati color ac textura perfectè ineſt, reliquas ut prætermittam differentias. Nec quoad cauſas conveniunt, priores enim ſolidioris & membranaceæ texturæ, naſcuntur ex ſangvinis partibus fibroſis à miaſmatibus morboſis, acidis, aliisvè, vel animi pathematibus gravioribus condenſatis, ipſisque columellis & ſtaminibus cordis implicantur, & intertexuntur. Poſteriores vero pſeudo-polypi dicti, ſangvinem grumatum referentes, ex ſolo cruore coagulato fiunt, prout id feliciter demonſtravit *Kerckring. in ſuo ſpicileg. Anat. p. m. 145.* Collimant tamen omnes ad unum ſcopum, ſcilicet obſtruendo oſtia vaſorum ſæpè adeo, ut vix anguſtam adhuc viam in illis relinquant. Exempla polyporum horum vid. apud *Wepferum T. 2. de Apoplex. Diemerbrock. Anat. p. m. 403.* quibus addo illam ſingulariſſimam planè obſervationem modo laudati Excellentiſſimi *Bohnii*, qui in ſtudioſo quodam anno ſuperiori polypum trifarium vidit, è quibus bini dextrum & tertius ſiniſtrum occupabant ventriculum; mittebant vero ſinguli de ſe ramos ſatis craſſos, & quidem primus in dextro cordis thalamo poſitus, ad venam cavam tam aſcendentem, quam deſcendentem per longa ſatis ſpatia; alter procurrebat ad arteriam pulmonalem, ejusque diſtributionem, & tertius è ſiniſtro ventriculo ad aortæ arteriæ truncum deſcendentem non minus, quàm aſcendentem, ramosque ejus adſtantes pergebat.

§. XXII. Liceat mihi hâc occaſione inter cauſas palpitationis etiam referre ſanguinem lentum, viſcoſum & glutinoſum, qualis familiaris eſt ſubjectis cachexiâ & catarrhis, vel tumore pedum œdematoſo, vel fluore albo, aliisque ſimilibus morbis laborantibus. Notiſſimum enim eſt, ſæpè in his ut ſymptoma ſatis moleſtum hunc ſupervenire ſubſultantem cordis motum, maximè ſi in extremis aut aliis locis antea hærens hæcce materia, repulſa iterum ad ſanguinem, & tandem ad cor transferatur. Facilè ſiquidem, fibrillis & ſtaminibus intra cor poſitis adhæreſcit ſæpè adeo firmiter, ut valvulæ tricuſpidales dextri ventriculi, aut mitrales ſiniſtri, quæ à dictis columellis reguntur unicè, exitum ſanguini liberum non ulteriùs concedere valeant. *ſangvinis viſciditas.*

§. XXIII. Et has valvulas affici etiam puto, ſi cor inflammationem, exulcerationem, & tumores ſcirrhoſos, aliosvè patiatur, quas cauſas obſervârunt *Holler. de morb. intern. de palp. cord. Grems in Arbor. vit. integr. & ruinoſ. lib. 2. cap. 1. §. 8. Joubertus in Annotat. ad Guidon. Beniven. de abdit. morb. cauſ.* Quemadmodum enim in aliis partibus muſculoſis, ſi talis vel inflammatio vel abſceſſus aut tumor ipſis inſit, facilè cohærentibus partibus ſpasmodicos communicat affectus: ita ex his quoque fundamentis liberum valvularum prædictarum, ſimulque ſanguinis motum poſſe ſic turbari, extra dubium omne poſitum mihi videtur. *cordis inflammatio, exulceratio ac ſcirrhus*

§. XXIV. Nil quoque vetat dictarum valvularum motum læſum incuſare, ſi vermes occupent cor, de quibus obſ. proſtant apud *Marc. Aurel. Sever. lib. 4. de recondit. abſceſſ. natur. pag. 281. Horſt. in Manuduct. ad. Medic.* *vermes*

Medic. P. 1. c. 1. S. 2. §. 3. Schenck. lib. 2. obſ. 119. Hartm. Pr. Chymiatr. p. 147. M. N. C. Dec. II. An. 9. & 10. o. 13. Cum enim inſecta hæc, dubio ſine ſugendi alimenti cauſa, ſuis roſtellis ſæpè ſatis acutis fodicant cor, ex dolore inde orto fibras ad ſpaſmos & criſpaturas diſponi credibile ſatis eſt. Nec aliam ætiologiam admitto, ſi ex vermibus, pericardio ſolùm incluſis, palpitatio proveniat, qualis obſervatio à *Lovvero Tr. de Corde p. m. 107.* refertur. Quod ſi enim fibrarum in corde tractum accuratè velimus inſpicere, patebit, eas, quæ modò in externis viſuntur locis, mox abſconditas & ad interiora delatas cordis formare columellas, muſculosque illos exiguiſſimos regendis & gubernandis valvulis dicatos, quod ſatis eleganter prædictus *Lovver. cit. ſcripto* & *Vieuſſen. Neurolog. cap. 4. & tr. de remot. & proximis mixti principiis in ordine ad corpus humanum ſpectatis Tr. 1. c. 9.* dudum exhibuêre. Hæc ſi non ſufficit ratio, alio adhuc mihi liceat reſpondere modo; nempe dubitando, num vera palpitatio cordis in *Lovveri* hâc obſervatione adfuerit, quamvis concedam tremorem, anxietates, pulſumque intermittentem hanc à verme excitatam arroſionem cordis excepiſſe. Ut verò hoc credam, ab ipſo Autore perſvadeor, qui nullius prorſus palpitationis cordis, ſed unicè prædictorum ſymptomatum facit mentionem, quæ tamen à proprie ſic dicto cordis palmo multum omnino differunt, uti ſuperius jam oſtendi.

Polypi intra vaſa pulmonalia & arteriam magnam

§. XXV. Hæc ſunt obſtacula intra cor potiſſimum apparentia, nunc videbimus ea, quæ vaſa cordis occupant. Ex illis verò non prolixe repetam polypos intra vaſa pulmonalia, arteriamque magnam repertos, ne bis appoſitâ crambe nauſeam moveam. Prætermittere tamen illam obſervationem haud poſſum, quam de his polypis habet *Wepferus in Exercit. de Apoplexia pag. 197.* referens, ſe in arteriâ magnâ fœminæ cujusdam aſthmaticæ, & cordis palpitatione diu laborantis, bina corpora pituitoſa ulnæ longitudinem ſuperantia extraxiſſe. Et licet reperiantur non pauci Medicorum, qui omnes cordis polypos radicari in ejus ſubſtantia credant, non tamen illis poſſum ſubſcribere, cum minera hæcce, quæ in corde producit has excreſcentias, nempe ſanguis nimium fibroſus, idem quoque præſtare poſſit in vaſis, quod elegans illud *Scholion Bibliothec. Anat. Manigetti & Clerckii Tom. II. p. 120.* annexum, confirmat abundantiſſime. Nam cum in muliere circiter quadragenaria ſanguis è brachii vena ſectâ flueret, non tantum ille per ſuarum partium aliqualem implicationem, modo ordinario coagulatus ſtatim primum apparebat, ſed eò ſoliditatis devenerat planè, ut maſſa ſolidior carnoſo-tendinea inde formata, ſimul exire deprehenderetur.

§. XXVI. Nolo etiam repetere obſ. de calculis in vaſis his repertis; illos tamen exiguæ molis è cordis ventriculis ad hæc loca protruſos eſſe, minime vero in vaſis natos, docent Doctores, adeoque nihil differunt ab his, quos jam §. XX. produxi. Pergo proin ad occalleſcentiam vaſorum. Nam eorum compagem alias flexilem & molliorem induratam planè, & in corpus ſolidum mutatam, aliquandò conſtituiſſe cauſam palpitationis cordis, Autor eſt *Dodonæus in Not. ad Cap. 3. Benivenii.* Satis vero hæc cauſa eſt ad obturandas vias non ſolum, quatenùs à tali vitio notabiliter arctantur vaſorum parietes, ſed inſuper quoque quod flecti ulterius nequeant ab appulſo ſanguine, quorum tamen motus conſtrictorius multum omnino ad circulationem ſanguinis contribuere in ſt. n. obſervatur; Quare nunc ex ejus defectu ſubſiſtens ſtatim in limine ſanguis, novo adventanti non poteſt non eſſe impedimento.

Occ... tia v...

§. XXVII. Non alia ratio eſt, ſi oſſeſcant planè vaſa hæc, quale exemplum annotavit *Williſ. Pharm. rat. P. 1. pag. 163.* referens, ſe ſenem noviſſe, tales morbi inſultus crebros pati ſolitum, cujus in cadavere aperto cernebatur arteriæ magnæ truncus, mox à cordis egreſſu penitus oſſeus & tantum non ſaxeus, ejusq; latera valde com-

aut... tia... no...

compreſſa, ita, ut rima tantùm anguſtiſſima relicta in illis fuerit, hincque ſangvis ventriculo inhærens vix ad dimidium expelli potuerit ope ſyſtoles. Quam cauſam in ſenum palpitatione cordis aliquando auguror, cum ſolenne ſit in illis prædicta vaſa temporis tanto tractu primum cartilaginoſa, mox oſſea planè fieri, quod oſſa de corde cervi & boum tanta in copiâ in tabernis pharmacevt. ad uſus medicos aſſervata, facilè adverſus dubitantes probare poſſunt.

...ſus §. XXVIII. Refero quoque hûc abſceſſus in vaſis his conſpicuos, qualem in arteria pulmonali, olim vena arterioſa dicta, allegat *Holler in ſchol. ad cap. 29. lib. 1.* dubio namque ſine vas illud alias inſigniter ampliatum, & penè capacitatem venæ cavæ referens, ut ſcilicet feliciter ex dextro ventriculo ſuſcipere poſſit ſangvinem evibratum, amittit partem maximam amplitudinis nativæ, cum nullus abſceſſus concipi valeat ſine collectione, & ſtagnatione ſeri & ſangvinis, & per conſequens etiam tumore plus minus notabili.

...tio ...ri- ...ſo- §. XXIX. Sed tantum abeſt, pro turbando ſangvinis exitu è corde ſemper tàm manifeſta, & enormi læſione in vaſis his transmittentibus opus ſit, ut potiùs ſufficiat ſæpe coarctatio ſola & conſtrictio meatuum horum; Qualem fieri exiſtimo, ſi flatus nimiâ in copia pericardium inter & cor incuneati hæreant, cujus exemplum in citat. jam aliquoties ſcholiis ad *Holler. prax. lib. 1. cap. 29.* legitur, it. in *Ballon. Paradigm. 96.* Adnaſcitur enim hæc capſula cordis circumquaque firmiter ex corde egredientibus vaſis, dum igtur ea extenditur præter modum à flatibus, non fieri aliter poteſt, quam ut circum circa dicta vaſa ſtringantur non ſecus, ac à vinculo quodam injecto. Taceam, cùm lamella interna dicti pericardii originem ſuam habeat ab integumento vaſorum cordi adſtantium, facilè ſpaſmodicam affectionem vaſorum horum ex injuria capſulæ huic cordis illata, poſſe deduci.

...pe- ...lii. §. XXX. Hæc igitur ſi veritati reſpondeant, non video, quamobrem non alio tempore ſola aqua pericardium ſupra naturæ leges replens palpitationem cordis generare poſſit, quod ſtrenuè impugnatum lego à *Diemerbrock. Anat. lib. 2. cap. 5.* Nam præterquam, quod teſtimonia adſint pro aſſerto hoc militantia, nempè *Caroli Piſonis de alluvie ſeroſ. Sect. 3. cap. 2. Fabr. Hildan. Cent. 1. obſ. 43. Riolan. Art. Med. S. 1. Tr. 2.* aliorumque plurium, ipſa jam dicta connexio hujus membranæ cum vaſis ſanguineis, ſimul pugnat maximè pro illa. Imo nullus dubito ex hoc ipſo planè fundamento deducere etiam palpitationes cordis, ſi humor pericardii putridus, acris, aut alio modo corruptus deprehendatur; de quibus cauſis teſtimonia adducunt *Rondeletius de dignoſcend. morb. cap. 10. Sylv. in Prax. lib. 1. c. 26. §. 26.* Vix enim illa maximè ſenſata tunica impunè feret roſiones tales, quin ſtatim exin criſpata arctabit ſanguinea vaſa, quibus tam firmiter ſociatur. Cumque ſimul hoc ſtimulo fibræ carneæ cordis irritentur, ut frequentiùs & cum impetu majori ſe contrahant, dubio ſine ex hâc duplicatâ causâ exurgens palpitatio coſtas longè impetuoſiùs verberabit, quàm ſi ſimplex conſtrictio vaſorum alio tempore tantùm adfuerit.

§. XXXI. Magis frequens eſt coarctatio horum vaſorum, oriunda ex ſpaſmo nervorum vaſis his implantatorum, non minùs quàm fibrarum motricum, quæ inſunt his ipſis; Imo, quid vetat dicere, univerſas palpitationes cordis ſympathicas unicè hoc modo produci? Præit mihi in hoc defendendo aſſerto magnum illud Medicinæ noſtri ævi lumen *Williſius*, qui in *Neurolog.* ſuâ nervos & propagines nerveas ferè innumeras in pluribꝰ locis, ac præcipuè juxta baſin cordis, arteriarum truncos complecti ac circumligare oſtendit. Cum autem hi nervi ſint propagines paris vagi, quod non ſolum thoracis partibus univerſis, ſed cunctis etiam abdominis viſceribus implantatur, inſuperque intercoſtali nervo, aliiſque ex ſpinali medulla oriundis jungitur; Satis probabile eſt, palpitationis cardiacæ inſultus ſtatim oriri, ipſo trunco aut ramo *Spaſmus nervorum ac fibrarum motricum*

mo quodam (quacunque etiam id fuerit in parte, aut qualis qualis irritans ipſum extiterit cauſa) affecto. Nam ſtatim ob nervos cardiacos paulo diutius ex ſympathia tali conſtrictos, ſangvini è corde egreſſus liber intercluditur.

§. XXXII. Habes ſic, Lector Benevole, ætiologiam palpitationis cordis ex ira, terrore, mœrore, triſtitia, metu, pluribusque aliis animi pathematibus gravioribus aut in longum protractis; Habes ætiologiam affectus hujus oriundi ex tuſſi ferina, aſthmate, ſingultu, cardialgia, colica, hypochondriaco malo, lumbric. ſplenet. affectione, nephritide, ſuppreſſione menſium, aut doloroſo earum fluxu, fluore albo, virulento, geſtatione, hæmorrhoidibus, diarrhœis ac dyſenteriis, alvi quibuscunque conſtipationibus, obſtructionibus ductus choledochi, & ſi forſan in alia remotiori adhuc parte ſedes primaria cauſæ concipi poteſt. Ex his vero partibus cunctis recenſitis multifario morbo laborantibus cordis palpitationes naſci exemplis infinitis, ſi neceſſarium foret, facile poſſem probare, ſed me in re adeò notà præter neceſſitatem prolixiorem præbere nolo.

Valvulæ ſemilunares exeſæ

§. XXXIII. Itaque ad reliquas, quæ adhuc ſuperſunt, cauſas recenſendas, me accingo; è quibus ſe primo offerunt valvulæ ſemilunares conſumtæ & exeſæ. Sunt enim hæ pelliculæ, uti nullum vel leviter ſaltim rebus anatom. imbutum latere exiſtimo, ita ad oſtia tam arteriæ pulmonalis, quàm aortæ poſitæ à naturâ, ut partes ſeu ambitum corporis reſpiciant, omnemque ſic regreſſum ſangvinis ex prædictis vaſis ad cor arceant, adeo ut, quamdiu debitè ſunt conſtitutæ, ne guttula quidem remeare ſemel ejecti ſangvinis rurſum valeat. Iis igitur dilaceratis extra dubium contrarius motus ſangvinis accidet, & ex illo palpitatio hæc noſtra, quod eleganti obſervatione comprobavit *Greiſelius in Miſcell. Nat. Cur. Dec. 1.*

Anevriſmata

§. XXXIV. His ſubjungo vaſorum ſangvineorum enormes dilatationes, quales nunc immediate ad cor in vaſis arterioſis annotarunt Autores cum *Ballonio Paradigm. 73. & Andr. Cæſalpino Catoptri Art. Med. lib. 6. cap. 20.* nunc in aliis remotioribus partibus, quorſum ſpectat palpitatio cordis ex anevriſmate lienis orta, quam pariter exhibet jam cit. *Ballon. lib. 1. Conſil. 109.* Sed dices forſan, quomodo hæ cauſæ ſtabunt cum theoria huc uſque tradita? Nonnè enim quò magis ſunt patula vaſa, eò citiùs exibit ſangvis, quo citius vero exibit, eò minus repercutietur? reſpondeo, ita equidem primo videri intuitu, aſt re penitius inſpectâ, hanc dilatationem vaſorum enormem maxime convenire hypotheſi noſtræ mox patebit clarius. Scilicet regurgitat utique in his caſibus ſangvis ad cor non ſolum, quod in arteriis immediate ad cor dilatatis ſimul expanduntur valvulæ ſemilunares, quod claris verbis in citata hiſtoria annotavit *Ballonius*; Verum inſuper ex hac inſolenti expanſione contractivus motus vaſorum horum ad propulſionem ulteriorem ſangvinis abſolutè neceſſarius tollitur ex toto. Hæret igitur ſangvis in his vaſis non aliter ac in ſacco quodam membranaceo vel canali coriaceo, ſponteque ad ſuperiora loca nunquam, ad inferiora vero non niſi tardiſſime abibit. Atque] adeo aut remeabit ad cor ſponte ſua, aut ſaltim obſtabit novo adventanti, ejusque aditum impediet.

Obſ... pu...

§. XXXV. Sequitur tandem obſtructio & infarctus Pulmonum, utpote à quibus ſæpiſſime planè eodem, ac jam aliquoties monui, modo ſubſultare cor viſum eſt, confer. *Williſ. Pharm. Rat. P. 1. p.* River. *obſerv. 21. Bonnett. in Theſ. Medicin. pract. lib. 3. cap. 88. Fabric. Hildan. Cent. 1. obſerv. 43.* qui non ſolum ex ſangvinis motu, ob coagulationem ipſius impedito in hoc viſcere, ex vomicis, abſceſſibus, & ſuppuratione pertinaciſſimum hunc morbum annotarunt. Nec deſunt obſervationes, illum ex impedito ſangvinis circulo in partibus adhuc remotioribus natum eſſe, e. g. ob vitium teſticuli fœminei, & tibias nimium conſtrictas, de quibus

bus vid. *Foreſt. lib. 17. o. 1. Scholzius in conſil. 104.*

morbi §. XXXVI. Sufficiant hæc circa examen cauſarum, nunc igitur ſigna conſideranda ſunt, tàm cognitioni affectus cauſarumque morbificarum, quàm prognoſi inſervientia. Equidem quod diagnoſtica morbi concernit: qui præſens eſt, vix opus habet illis; Nam ſatis ipſum nobis indicant ægrotantes, imò ſubinde ipſimet facilè tactu, viſu ac auditu pro diverſitate ejus magnitudinis, ac vehementiæ illum dignoſcere poſſumus. Imminentem verò præprimis ſympathicum pulſus mutatione improviſâ, cordis inſolita anguſtiâ, ac reſpiratione difficili ſuſpicari licet, cum ſemper talis ſpaſmus nervorum partibus his inſervientium præcedat, imò ſimul junctus maneat, perdurante paroxyſmo. Quod ſubjectum attinet morbi, ſi cor *ἰδιωπαθικῶς* laborat, magnus ut plurimum, ſimulque continuus & perdurans, ſymptomatibusque variis, & quidem gravioribus ſtipatus deprehenditur; Si vero *συμπαθικῶς* afficiatur, intermittens erit ſubſultus, & non raro in ipſis primario affectis partibus, prius ſenſus triſtis ſe ſiſtet, imò aliquando jam ſuperveniẽte palmo, aut iterum ceſſante non remittet; Adeò ut ex his prudenti & circumſpecto Medico lux maxima ſubinde accedat. Notanter dico ſubinde, perpetuo enim id non contingit, ſed quandoque ex conſenſu licet natus tàm ſubdolè tamen agit, ut etiam exercitatiſſimus Practicus in accuratè determinanda ſede hæreat.

cau- co- cili- §. XXXVII. Quod cauſarum concernit ſigna, ex his quædã facilè; quædam difficilè, quædam difficillimè habentur. In primâ claſſe ponunt aliqui palpitationem à plethora, orgaſmo ſanguinis & quæ per conſenſum ex animi prægreſſis gravioribus paſſionibus, à dolore acerbo quarumcunque partium, infarctu pulmonum, vomica, phthiſi, ſimilibusque ex cauſis in ſenſus incurrentibus provenit, modo enim quis obſervet cum ſtudio in his antecedentia, & conjuncta ſymptomata, ipſisque non ſufficientibus, juvantia & nocentia, non deerunt occaſiones innumeræ detegendi veras ac genuinas cauſas.

§. XXXVIII. Ad alteram claſſem referunt cordis inflammationem, abſceſſum, ulcera, magnitudinem exceſſivam, congrumationem ſanguinis, caruncŭlas, calculos, hydropem, inflationem pericardii atque vermes. difficilium Quod ſi enim inflammatio adfuerit, annotabitur ut inſeparabile ſymptoma æſtus intenſus, dolorque cordis ardens, abſceſſum vero indicabit punctorius ardentem inſequens, & ulcus tandem, ſi roſionem & puncturas inſuper ſenſerint ægri. In cordis vero magnitudinem cadet ſuſpicio, ſi pondus & moleſtia viſceri huic incumbens ſimul annotetur ab ægris; Sicuti in congrumationes ſangvinis, ſi celeriter naſcatur malum à prætergreſſo terrore, metu, acidis aſſumtis, frigoreque intenſo &c. Calculos præſentes ſuſpicari licebit, ſi à ſingulis palpitationibus dolorem experiatur ægrotans plus minus exquiſitum. In verme cordis dolor arrodens notabitur, recurrens ex improviſo ſine ulla alia prægnante cauſa, ſymptomataque conjuncta tùm erunt graviora, ſcilicet tremor, pallor, & refrigeratio totius corporis, lipothymia, ſudores frequentes circa thoracis & cervicis partes, vid. *Alexius Pedemontanus*; quibus ſignis addit *Hartm. Pr. Chym.* excretiones vermium per diverſa emunctoria, & alii Autores, ſi nihil valeat in cura optima cardiaca adhibita. In hydrope pericardii, ejusq; inflammatione enormi ut ſignum ſumi debet, ſi pectus in inſpiratione extenſum non ſubſideat rurſum ex toto, ſed ſuſpenſum maneat à contranitente quadam cauſa intus hærente, ſique præterea continuâ ſpirandi difficultate laborant miſeri, ſuffocationemque perpetuam ſibi imminentem ſentiant. Verum enim vero non ſine ratione de ſingulis monui ſuſpicari nos, & hariolari cauſas has ſolum poſſe ex his ſignis: Quippe quæ non propria ſunt, ſed communia cum aliis affectibus, nec perpetuo obſervantur, ſed quandoque de his cunctis nullum prorſus deprehenditur, cum tamen in demortuis

tuis ſubjectis utique cauſæ hæ ſe ſpectandas poſthac offerant. Hinc plures Medicorum partem earum maximam rectiſſime tertiæ inſerunt claſſi.

difficillimarum. §. XXXIX. Collocantur verò in iſta polypi, arteriarum calli, & oſſeſcentiæ, valvularum eroſiones, vaſorum enormes dilatationes, & anevriſmata &c. In his enim ſtochaſmus ſilet omnis, aut ſaltim adeo eſt inſufficiens, ut nunquam certi & apodictici quid aſſeri de illis valeat. Quare ſolenniter tùm demum edocemur plenariè de illis, ſi poſt mortem cadavera horum ſecare, & læſiones ac anomalias illas, de quibus ne per inſomnium ſæpe cogitare poteramus viventibus ægris, oculis uſurpare concedatur; Imo non raro ne tum quidem ſatis accuratè cauſæ hæ manifeſtantur; cum dubium maneat utique, num v. g. hydrops pericardii, dilatatio arteriarum, anevriſma internum, eroſio valvularum & ſimilia plura, cauſa vel productum morbi fuerint. Hinc in quibusdam caſib9 nec inſpectione cadaverum accedente cauſam detegi poſſe, intrepide aſſero.

Prognoſis. §. XL. Quibus ita ſe habentibus, evidens eſt, nullam palpitationem cordis periculo vacare, & quidem ob præſtantiam partis affectæ, ejusque à ſtatu naturali receſſum; ac demum actionem vitalem, nempe pulſum, adeo enormiter hinc læſam, ita tamen ut illud haud unius, ſed diſparis gradus, ratio atque experientia concipere jubeant. Quæ enim oritur virilibus annis, ex plethora tàm vera quam ſpuria, aut ex ſolo ſpaſmo nervi cardiaci; ex animi pathemat. nec gravibus, nec protractis, vel ex ventriculi, lienis, uteri, aliorumque viſcerum non adeo confirmatis paſſionibus, tandemque per longa intervalla ſine aliis ſymptom. vexat ægrum, curari adhuc & quidem citiùs poteſt, quàm quæ pueros & puellas invadit; & ſine ulla remiſſione moleſta eſt, variis ac gravibus comitatur ſymptomatibus, & ab inflammatione, abſceſſu, ulcere, vermibus, ſanguine in corde & pulmonibus congrumato, vomica pulmon. & phthiſi provenit. Quæ vero eſt a polypo cordis vero, calculis aut oſſibus cordi inhærentibus, hydrope & inflammatione pericardii, ſcirrho ac excreſcentiis cordis, occalleſcentia, aut dilatatione inſveta arteriarum, aut ſi hæc vaſa oſſeſcant plane, vel eroſiones valvularum & anevriſmata patiantur, merito omnium periculoſiſſimis accenſentur, ergo etiam rariùs aut nunquam curari poſſunt.

Cur... §. XLI. Explicata ſic pathologia & ſemiotica hujus ſymptomatis therapia evolvenda reſtat. Cum autem cauſa proxima, h. e. impetuoſa illa alliſio ſanguinis & reverberatio ejus ad cordis parietes non poſſit removeri, niſi ſublatis cauſis remotis, a quibus nempe exitus liber ſanguinis impeditur, eas ut aggrediamur, neceſſe eſt. Uti vero hæ ipſæ ſunt multifariæ, ita ſimiliter non una, ſed multiplex medendi methodus hiſce cauſis reſpondens ad morbi hujus felicem curam requiritur. Melioris igitur doctrinæ gratia, ſingulæ hæ cauſæ reaſſumendæ rurſum ſunt, cumque ex illis primo ſe offerat plethora vera, ſeu abundantia ſanguinis, quid in illa conveniat loco primo dicendum erit. Nullum autem remediii genus adverſus illam magis expertum obſervatur Venæ Sectione largiter celebrata. Quæ enim antea enormiter infarcta notabantur vaſa, ipſa adminiſtrata mox deplentur ad oculum. Nec a larga hujusmodi evacuatione adeo inſigne damnum metuendum eſt, ut ut non negem una cum ſangvine multum ſimul detrahi de ſpiritibus. Nam cum nimia copia fluidi hujus adſit, tantum abeſt, à profuſione ejus langveant ægri, ut potiùs laſſitudines anteà præſentes ex tempore ceſſent. Perantiqua autem hæc methodus curandi cordis palmum eſt, adeo ut *Galen. V. de loc. affect.* ut univerſale, cunctisque cauſis accommodatum remedium eam commendet. Veruntamen hæc ejus aſſertio minimè eſt probanda, cum plures dentur caſus, in quibus non niſi cum periculo ſummo ſangvis mitti poteſt, ut patebit ex ſequentibus. Quod ſi tamen quis eam penitus abhorreat, qualia ſubjecta non raro in praxi medica ſe medentibus offerunt, loco Venæ Sectionis cucurbitæ ſcarificatæ

ficatæ adhibendæ veniunt, quæ locum ejus feliciter tenebunt, cum ſæpe major longè quantitas cruoris earum ope detrahatur, quam ſi venæ fuerint tuſæ. Quapropter non male in laudes earum deſcendiſſe *Zacut. Luſitan. Pr. Med. admir. lib. 1. obſ. 133. & in Medicorum Princip. hiſt. fol. 251.* judico.

[Pal]pitatio [e]x plethora [ſp]uria

§. XLII. Locum habent quoque ſanguinis hæ detractiones in plethora ſpuria, aliiſquè fluidi hujus turgeſcentiis ac ebullitionibus, utut radicitus non tollant malum, ſed tantum paroxyſmos mitigent. Quapropter nunquam non remotioribus ejus cauſis ſimul eundum eſt obviam. Igitur ſi a ſalium enixorum copiâ, quod frequentiſſimè fit, orgaſmum hunc dependere cognoſcamus, convenient inviſcantia ac incraſſantia; quippe quæ non ſolum aculeos horum ſalium involvunt & hebetant; verum quoque nimium diſſolutam ab ipſis maſſam ſanguineam denuo ad conſiſtentiam debitam reducunt. Hinc commendant Practici Gummi Arab. Ceraſorum, Maſtich. Colophon. Thus, aliaque minus acria gummata, nec non mucilaginoſa, gelatinoſa, lacticinia & quæ ſunt plura hujus generis. Quibus non cedunt in hâc ebullitione ſanguinis compeſcendâ, nitrata blandeq; acida, quæ ſuo acceſſu, reſtituendo deperditam in ſanguine fibroſam conſiſtentiam, novis quaſi habenis injectis, ne nimium turgeat inpoſterum, ebulliatque, efficiunt; Quare ſpiritus nitri dulcis & tinctur. illæ acidulæ flor. bellid. roſar. papav. pœoniæ, ſæpenumero reliquis omnibus antiſcorbuticis acribus, ab aliis commendatis, palmam præripiunt, phlogoſesque ſcorbuticorum, indeque ortas palpitationes incantamenti ad inſtar tollunt. Conf. *Wedel. Amœn. Med.*

[Sangu]ine [gru]mato.

§. XLIII. E contrario ſi ſanguis congrumatus ſit in culpa, reſolventia adhibenda veniunt. Qualia ſunt primo ant-acida, & ex his ſalia fixa & volatilia, it. martialia, quorſum etiam acidulæ pertinent, utpote quæ ad maſſam ſanguineam facilius abire, adeoque & in remotis corporis locis cauſam hanc emendare poſſunt, quàm terrea, communiter præcipitantia & abſorbentia dicta, de quibus notum, quod vires ſuas ſtatim in primis viis perdant, & ultra ipſas non niſi mutata penitus ferantur. Neſcio igitur, an adeo magnificè ſentire debeam de priſcis illis cardiacis remediis ex terra lemnia, cornu cervi uſt. margarit. lap. bezoar. atque fragmentis lapidum pretioſorum paratis, cum omnino ratione craſſioris ſuæ texturæ ad effectum iſtum, quem ſibi eorum Commendatores promittunt, præſtandum, minus apta videantur. Quod ſi tamen quis carneolum pulveriſatum, quem non plures tantum ex antiquis, ſed etiam ex recentioribus illuſtris *Boyleus in Tr. de ſpecif. remed.* præ aliis commendat, velit vocare in uſum, per me id licebit: neſcio tamen, num aliam ac majorem virtutem, quam montana cryſtall. gemma hæc teneat.

§. XLIV. Salia interim volatilia modo laudata unà cum acribus aromaticis optima tandem in coagulatione ſanguinis à terrore, aut nimia refrigeratione orta præbent remedia, ſi illa inprimis ſudor ſequatur. Poſſunt tamen tum eo felicius agere illa, utpote ſanguineis grumis altiùs impulſa. Nam quo magis ſanguinis, à partibus diverſis per diaphoreticum remedium irritatis, fit exagitatio, eo majori vi illa quoque poſſunt craſſa hæc corpora penetrare. Placent autem ex his maximè ſalia volatilia oleoſa, ac aromatica innumero hodiè numero compoſita; Utpote in quibus virtutem deſideratam hanc duplicem eleganter unitam habemus. Quod ſi tamen quis ad imitationem *Celeberrimi* quond. *Ettmulleri* his ægris ſimul ſperma ceti, aut ad commendationem aliorum Practicorum ocul. 69. fuligin. ſangv. hirc. rubiam tinctor. crocum, aliaque hujus generis, cum vino acidulo vel aceto propinare velit, habebit quoque in illis, nunc in tertium Sal mutatis, quæ intentioni primariæ ſatisfacere ex voto poſſunt.

§. XLV. Et hunc univerſum apparatum nullus dubito etiam commendare, ſi lentus ac viſcoſus ſanguis peccet, cum ſingulis jam dictis remediis *Sanguinis viſciditate*

inſit poteſtas notabilis reſolvendi & incidendi. Præter vero ea non minus conveniunt diluentia calide ſorbillata ad modum infuſi fol. Thée aut Coffeè, quo genere potus hodie univerſus penè orbis utitur, non ſolum pro cura morborum plurium, verum magis adhuc ex conſvetudine, & ut mori recepto fiat ſatis. Si quis tamen his peregrinis, & ſæpe omni virtute medicamentoſa longo iſto tempore, antequam ex adeo diſſitis locis ad noſtras transferuntur oras, exutis uti nolit, earum loco eventu haut minus felici adhibeat ſic dictos cordiales fl. aut fol. meliſſ. veron. rorismar. ſalv. raſ. lign. ſaſſafras, & alia ex claſſe incidentium petenda vegetabilia. Imo ſi & hæc reſpuuntur, acria antiſcorbutica inſervient, nempe cochlear. naſturtium, piperitis, ſedum & beccabung. dracunculus eſculentus, quæ nunc infuſa ſolum cum vino aut ſero lactis, nunc ſuccus ſaltim eorum expreſſus, facile ac ſine nauſea deglutiri poſſunt.

Inflammatione cordis abſceſſibus ac ulceribus

§. XLVI. In inflammatione cordis, abſceſſibusque ejus non minus ac ulceribus, ſi de illis ſuſpicio naſcatur, prima erit intentio Therapevtica impedito in ſuo motu ſangvini, aut jamjam ex parte corrupto ſuccurrere, nunc Venæ Section. eaque, ſi neceſſarium fuerit, repetita, nunc jam recenſitis diaphor. & reſolv. nunc vero balſamic. ut ſcilicet tali virtute imbutus chylus, & inde conſtructus ſangvis corrigere non ſolum acrimoniam præſentem, ſed etiam ſorditiem ulcerum detergere, conſolidationisque opus promovere valeat. Sub his vero intelligo terebinthinam, & exin parata, v. g. balſ. Sulphur. ſimpl. & compoſ. item balſ. Peruvian. Copayva, de Tolu & Mecha, Tinct. & flor. ſulphur. & tandem potiones travmaticas ex vegetabilibus tali vi balſamica turgidis paratas.

ſpasmis per conſenſum excitatis or te fuerit

§. XLVII. Siſtunt ſe nunc ad curam ſympathicæ cordis palpitationes, in quibus cunctis ſpasmodicam affectionem conjugationis nervoſæ paris octavi, aliorumque cum his connexorum, inprimis conſiderandam eſſe monui in præmiſſis. Adeoque recte me acturum ſpero, ſi prius huic malo in genere, & poſtmodum ſpecialius in adeo diverſis partibus poſitis cauſis oppoſita tradam remedia. Moneo igitur utramque abſolvere curæ paginam antiſpaſmodica, ſub quo titulo non ſolum volo ungulam alcis, dent. equi marin. cran. human. unicorn. lap. Manati, cornu Rhinocerot. ſuccin. cinnab. antimon. & nativ. Verum quoque liquorem cornu cervi ſuccinatum, eſſent. caſtor. & alia plura, præprimis ſi cum judicio anodynis & opiatis maritentur. Quare theriacam & Mithridat. aliasque ſimiles magiſteriales compoſitiones, dudum venerandam antiquitatem non tantum pro uſu externo, quam ſimul interno proficuas obſervaſſe in hoc morbo non miror. Quibus tamen merito antepono Eſſent. Opii, ejusque Extracta ſeu laudana rite parata, item Theriacam cœleſtem genuinam atque non pauca hujusce indolis; Cum farrago reliquorum ingredientium theriacæ & mithridatii non ſolum inutilis, ſed ſubinde noxia penitus in quibusdam caſibus ſit.

§. XLIIX. Sed, uti monui, cum judicio hæc opiata ſunt adhibenda, ne temerario auſu & more empiricorum illa commendemus. Ingenue namque fateor, mihi vix conſtare, quomodo ea in morbo hoc à terrore, mœrore, triſtitia ac metu, it. ex menſium, alvique ſuppreſſione, atque alia ſimili cauſa oriundo inveniant locum, utpote in quibus jam torpidi, & ſegnes, inque ſuo motu naturali impediti deprehenduntur ſpiritus. Proinde potius ſvaſerim, ut his ex animi pathemat: ægris vel analeptica, uti ſunt vinum generoſum, vel aquæ ſpirituoſæ, antepilepticæ, aut apoplecticæ, carbunculi, balſ. Embryon. ac vitæ, reliquæque cum vino vel ardentibus ſpiritibus per abſtractionem vel fermentationem paratæ aquæ, atque ſi ea ferre poſſunt ægrotantes, ambrata, moſchata, aliaque fragrantia adhibeantur. Quorum loco ſubinde conveniunt ſola excitantia, quorſum balſama diverſa, ant-apoplectica, ſimiliaque unà cum aquis prædictis ſpirituoſis, ſalibusque volatilibus refero naribus

bus ſubjecta, vel pulſibus in diverſis corporis partibus applicata.

in reli- Palpi- nis cau- ſis §. XLIX. Semper tamen non his ſolum in caſibus, ſed in reliquis, tam pro diverſitate partium primario affectarum, quàm præcipuè ſpecialis cauſæ morbificæ, apparatu alio, aliove opus eſt. Sic in tuſſi, aſthmate, & ſingultu, cardialgia, hypochondriaco malo, affectibus ſpleneticis, mulierum fluxu doloroſo & albo, nec non menſtruorum ſuppreſſione, cum acidum hoſtile utplurimum vel ſolitarie, vel cum humore pituitoſo mixtum inhæreat his partibus, doloremq; cum reliquis unicuique horum morborum ſolennibus ſymptomatibus, tandemque ſpasmos hujus nervoſi paris ac palpitationem ipſam cordis producat, unicè acido tali adverſa adhibenda ſunt, de quibus in §. XLIII. jam aliquid dictum. Sed poſſunt inſuper in quamplurimis ex his morbis duriora & lapidoſa, uti ſunt corall. mater perlar. ebur uſt. & philoſ. præparatum, cornu cervi, pulvis conch. lap. 69. cryſtallique vocari in uſum, cum nil obſtet nunc, quin viribus adhuc integris ea poſſint aggredi inimicum acidum, quamdiu primas vias iſtud occupat. Aſt ſi in remotioribus locis hæreat, ſalia tam fixa, quàm volatilia loco eorum, vel ipſa martialia adhibentur tutius.

e pi- ſo. §. L. Quod ſi pituitoſus ſimul admixtus ſit humor, equidem a ſalibus volatilibus non minus, quàm fixis, imo & martialibus expectari poteſt effectus felix. Dum enim illa corrigunt acidum p. n. abeunt in ſalſa, hincque virtutem acquirunt reſolvendi & incidendi mucum viſcidum. Imo ſubinde vix ullum aliud remedium convenientius eſt hiſce, ſi præprimis viſcoſitas humorum ab acido dependeat. Nihilominus ſi ab alimentorum gelatinoſorum abuſu, aëreque frigidiori cruditas hæc pituitoſa dependeat, non ſperni debent ea remedia, quæ virtute incidendi, & inprimis aromatica gaudent, imo nec diluentia prætermittenda ſunt, de quibus jam ſufficienter in præcedentibus verba feci.

§. LI. Et ſic ulterius pro circumſtantiarum varietate nunc evacuantia conveniunt, vel quæ per ſuperius guttur educunt e. g. in palpitatione ex cardialgia à bile aut pituitoſo humore, veneniſque aſſumtis orta, vel quæ per inferiora evacuant, qualia locum invenire videntur in quibusdam diarrhœis, lumbricis, alvinisconſtipationibus, &c. Alio tempore venæ Sect. & ſimiles miſſiones ſangvinis ſimul ſunt adornandæ, e. g. in hæmorrhoidibus, menſium obſtructionibus, &c. Tandemque alexipharmaca erunt in ſubſidium vocanda, vel calculum pellentia, vel conſolidantia, balſamica, roborantia, ant-helmintica, pluraque alia, quæ brevitati ſtudens fuſius recenſere nolo.

§. LII. Pergo proinde ad curam palpitationis cordis, ſi ab infarctu pulmonum, vomica & phthiſi oriatur. *infarctu pulmonum & vomica* Ubi in primâ morbi ſpecie omnia ea adhiberi poſſunt, quæ paſſim jam commendavi pro ſangvine congrumato, & viſcido diſſolvendo. Et ſalva omnino res erit, ſi infarctam viſceri huic materiam pravam ad evacuationem diſponere liceat, quod interjectis ſic dictis bechicis feliciter non raro fiet. Quandoque tamen & illa, quæ alvum laxant, non ſine fructu propinantur, quod ægrotantium diſpoſitiones individuales Medicū judicioſum facile docebunt. In vomicarum autem curâ difficultas major ſe oſtendit, nam methodꝰ rumpendi ipſas per vomitoria exhibita nimis violenta, & aleæ omnino ancipitis mihi videtur; Sicuti ex oppoſito illa, qua aliqui Medicorum per emollientia tam interne, quàm externe uſurpata ſolvere abſceſſus hos moliuntur, minus ſufficiens rectiſſime judicatur; Nihilominus malo, ſi res arbitrii fuerit, ultimam, utpote corporibus his ſumme debilibus magis amicam probare, quam ad primam cum tanto diſcrimine ægrotantis confugere; niſi forſan extrema urget neceſſitas, ægrique ac adſtantes de periculo prius admoniti eam inſtanter cupiant ac poſtulent.

Phthiſi §.LIII. Difficillima tandem eſt omnium medela palpitationis ex phthiſi. Quantumvis enim univerſa expectorantia, mundificantia, conſolidantia,

tia, & neſcio quæ non alia adhibeas medicamenta, vix tamen efficies quicquam, ſi malum jam radices egerit, pulmonumque ſubſtantia eroſa ulcera contineat. Tam tenera enim ac ſumme delicata veſicularum pulmonalium textura eſt, ut nec debitè evacuari ſe patiatur pus ex illis, nec facile reſarciri ea ſemel læſa valeat. Prætereaque ob motum ex acceſſu & egreſſu aëris inter reſpirandum excitatũ, brevi ſolvitur de novo id, quod natura operoſa reſtituere longo tempore antehac anniſa erat. Aliter tamen judicandum de phthiſi nata ex ſolo muco collecto aut acrimonia ſtimulante continuo pnevmatica hæc organa: has enim ſpecies, ſi modo in ægros ad dicta noſtra debite auſcultantes incidamus, uſitatis bechicis & lenientibus, non raro ex voto adhuc reſtituimus.

Cura Palpitationis ex cordis dilatatione

§. LIV. Sed videor prætermiſiſſe Therapeiam palpitationum cordis, quæ oriuntur ex viſceris hujus nimia dilatatione, carunculis, calculis, oſſiculisque in ipſo natis, polypo, ſcirrhis, vermibus, callo, oſſeſcentia & abſceſſu vaſorum, pericardii hydrope & inflatione, arteriarum dilatatione, anevriſmate &c. Aſt neutiquàm ex incuria, verùm conſultò id factum eſt. Fateor namque illud antiquorum axioma practicum, quo docetur, morbum, qui non cognoſcitur, nec curari, me impuliſſe non ſolum ad negligendam earum medelam, verum inſuper in ipſis his cauſis, licet ſummo & plane divino judicio eas detegere poſſes, tãta occurrunt obſtacula, ut nulla penitus arte ea removeri poſſe omnes mecum cordati fateantur Medici. Malui itaque ingenuè fateri artis noſtræ inſufficientiam in his palpitationum ſpeciebus, quàm Circumforaneorum more multis verbis ac ſpe caſſa facta, turpiter me dare Viris in arte noſtra peritis. Nam & hic obtinet illud vulgatum:

Non eſt in Medico, ſemper relevetur ut æger:
Interdum docta plus valet arte malum.

Verm

§. LV. Ne tamen ſine omni ſolatio & conſilio dimittamus opem noſtram efflagitantes infirmos, adhibeantur, ſi in cordis vermem ſuſpicio cadat, ex commendatione *Gabelchoveri* ſuccus raphani ruſtican. vel. ſucc. ſcabioſ. quem *Petrus à Caſtro Tr. de peſt. Rom. pag. 137.* laudat, vel ſuccus allii, de quo elegans eſt experimentum apud *Schenck. lib. 2. obſ. 194.* Aut applicetur externe cordis regioni cataplasma ex linaria, tanaceto, abſinth. aceto vini incoctis ad imitationem *Lovveri Tr. de corde pag. 107.* adverſus vero polypos, quoniam vix ullis remediis reſolventibus vulgaribus eſt locus, ſi utique aliquod commendari debet, putarim illud forſan in Mercurialibus eſſe quærendum, utpote quibus viſcidiſſima ſæpe, penitusque coagulata pituita reſolvi & diſcontinuari poteſt, inprimis, ſi venerea acrimonia ſubtus lateat.

F I N I S.

DISPU-

DISPUTATIONUM LANGIANARUM

Decima Sexta:

De

CIRCULATIONE SAN-GVINIS.

PROOEMIUM.

VEteribus verum ſangvinis motum fuiſſe incognitum, prolixe deduci neceſſe non eſt, cum ſcripta eorum id ſatis teſtentur, quatenus diſtributionem ſangvinis per venas etiam, ſeptum cordis pervium, pluraque ex his deducta, hinc & inde aſſerunt. Immortaliter ergo meritus eſt de Republica literaria *Gvilielmus Harveus* Anglus, quod ignoratam per plura ſecula circulationem ſangvinis primus apertè tradiderit ac demonſtrarit. Dubiam equidem hujus inventionis gloriam reddere videntur non modo, quæ *Walæus* habet *in Epiſtola de motu Chyli ad Bartholinum*, ſed etiam illud *Thomæ Cornelii in præfat. progymnaſm. IIX.* Ille quidem, *Paulum Servitam* Venetum inter omnes primum circulationis autorem, imo & Præceptorem Harvei fuiſſe ſtatuit, & ſi mentem ejus ſatis capio, ante *Hieronymum Fabricium ab Aquapendente* valvulas in venis obſervaſſe exiſtimat. Dubito autem, *Walæum* unquam vidiſſe ſcriptum *Fabricii* de venarum oſtiolis; dubio enim procul notaſſet, quæ habet in præfatione, ipſoque tractatus initio, videlicet anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo quarto publice à ſe inventas eſſe valvulas, quas oſtiola vocat venarum. Probabilius igitur eſt ante *Servitam* vixiſſe *Aquapendentem*, imo & hunc nec Servitæ rationem aut cognitionem habuiſſe, cum de uſu horum oſtiolorum ſimpliciter ad mentem veterum loqui, nec motus ſangvinis circularis, quam inde deduxiſſe dicitur *Servita*, ullam mentionem feciſſe deprehendamus. Ut taceam *Tim. Clarck. in A. Ph. pag. 568.* contrarium potius ſtatuere, videlicet, Paulum ab Harveo per Oratorem Venetum primam circulationis notitiam recepiſſe. Eundem hunc *Servitam Cornelius Paulum Sarpam Venetum* nominavit, ſed quæ de *Andrea Cæſalpino* addidit ſimiliter in *Realdo Columbo de Re Anatomica p.m. 411. 330.* leguntur, nec tam circulum ſangvinis, quam ſeptum cordis non pervium, probant. Quicquid igitur ſit, primus eſt *Harveus*, cui nos notitiam motus ſangvinis veram debe-

debemus. Sed nec in hujus Inventoris acquieſcimus cognitione, quin potius in ipſius circulationis ſangvinis rationem, & quidem ſpecialiter in homine extra uterum vivente, inquirere nunc animus eſt. Abſolvetur autem omnis tractatio his tribus quaſi capitibus; quorum primum circulationis ſangvinis principium, alterum Modum, tertium vero Uſum ejus conſiderabit. Quod ut feliciter fiat, à Deo obnixis contendo precibus.

§. I.

cur circulus dicatur

Quantumvis mathematice loquendo fluxus ſangvinis in noſtro corpore non fiat præciſe in circulo, ſatis tamen eſt, ſangvinem ad idem ſemper principium recurrere, ſemperque viam ſemel ingreſſam relegere curſu non interrupto.

cor fluxus principium

§. II. Fluxus autem hic cum non ſit ſpontaneus, ſed ab impreſſo pulſu cordis, proinde neceſſarium erit ante omnia hujus viſceris examen inſtituere, quantum ad hujus thematis dilucidationem requiritur. Requiritur autem plena ejus cognitio adpræſens negotium rite intelligendum; ob motum enim ſangvinis tantùm fabrefactum cor eſſe à natura, quicquid alii ſentiant, mihi videtur.

cordis deſcriptio

§. III. Sed ne prolixus ſim, præſupponam plurima ex Anatomicis nota jam eſſe, nempe cordis figuram conicam, ſitum in thorace, ſedem in pericardio, ſubſtantiam muſculoſam, ventriculos ſeu cavitates binas ſeptumqve intermedium, valvulas tricuſpidales, ſigmoideas, mitrales, & ſemilunares, auriculam dextram ſiniſtramque, arterias ac venas, coronarias pariter ac majores, nervos itidem ex pari vago oriundos, & ſi quæ alia ſunt his cognata. In præſentiarum enim uſum potius cordis, quod Phyſiologi eſt, quàm ſtructuram ejus ex avtopſia addiſcendam tractabimus.

cauſa m[otus]

§. IV. Dixi ſupra cor eſſe principium motus ſangvinis, adeoque cor non cadaveroſum, ſed vivens intelligo. Cauſa ergo principalis hujus motus ſpiritus ſunt, per nervos cardiacos adducti; organica, fibræ cordis carneæ.

ſunt ſpi[ritus]

§. V. Sunt enim ſpiritus particulæ illæ impetum facientes *Hippocrati*, quorum ſtatum & imperium ſicuti omnis in corpore motus ſtricte ſequitur, ita & hoc in paſſu ordinarius eorum acceſſus pulſum præſtat, diſceſſus quietem, affluxus inordinatus & impeditus è contra in animi pathematibus, ira, terrore, &c. nunc tremorem, nunc palpitationem atque ſimilia inducit.

illa Ve[terum] facult[as motri]x

§. VI. Etenim ſpiritus animales ea gaudent facultate, quam Veteres motricem dixere, quibus ſuppoſitis facilis eſt reſponſio ad cæteras de motu cordis opiniones. Adhæc, qui vel ab ebullitione ſangvinis, aut rarefactione alia, vel accenſione pulſum deducunt, ſciant jam ſatisfactum eſſe *à Lowero in tr. de Corde c. 2. p. m. 64. & ſqq. & Th. Cornelio Progymn. VII. de Vitâ p. 292. ſeq.*

& qu[od] inſiti [et in]flu[entis]

§. VII. Monendum autem eſt, utrumque horum in eo convenire nobiſcum, quod ſtatuant, unice à Spiritibus dependere cordis motum. Diſcedit tamen in eo *Cornelius*, quod ſpiritui inſito tantum hoc munus aſſignet, nec influxum è cerebro admittat, quod tamen omnino negandum haud erat.

Corn[elio] r[eſpon]ſ[io]

§. IIX. Videtur enim ratio illius ſententiæ, quam *p. 293.* adducit, tanti valoris non eſſe: ſit ita cor palpitare in prima animalis conformatione, antequam ulla capitis cerebrique rudimenta cernantur: porro cor à reliquo corpore avulſum aliquandiu moveri, quid inde ſequitur, ſane nihil aliud, quam ſpiritum inſitum motui cordis præeſſe: Spiritum interim influum hoc ipſo argumento ab illo officio neutiquam excludit.

§. IX. Utroque enim in caſu cor non perfecte movetur & pulſat, ſed potius palpitat, uti recte loquitur autor. Et quemadmodum à ſtatu imperfecto primæ formationis non licet argumentari ad ſtatum perfectum; ita multo

to minus à mortis tremore ad motum in vita valet conſequentia.

Spirtus in- fluus coopera- tur probatur §. X. Ut autem manifeſtius appareat, Spiritum etiam influum cooperari in cordis motu, adducam experimentum *Williſii Anat. Cerebri c. 24. & Lovveri tract. de corde c. 2. p. m. 91.* Nimirum ligatis in cane nervis vagi octavi paris, obſervatus eſt ilico cordis motus impeditus ac tremulus, indicio, propter Spiritus influi interceptum affluxum hoc accidiſſe. Clarius adhuc id liquet ex iis, quæ *in collegio experimentali Anat. Excell. Bohnius* nobis demõſtravit, ſc. ſtatim à ligaturâ his nervis injecta, omnem cordis motum cum reſpiratione ac vitâ ſublatum.

hinc curſus §. XI. Hæc de cauſa principali motus cordis, ſequitur nunc, ut ejus quoque rationem in organo habeamus. Solet aliàs ab influxu Spirituum in muſculum ſimplex contingere motus; cor autem cum non tam muſculus ſit, quàm muſculoſa ſubſtantia, diverſos in uſus, diverſis partibus gaudens, idcirco nec unus eſt ejus motus.

§. XII. Tria equidem in quovis pulſu obſervari vult *Riolanus in Enchir. Anatom. p. 219. & Bartholinus in ſua Anatom. p. 371.* nempe Syſtolen, Diaſtolen & Periſyſtolen, id eſt, contractionem, dilatationem & quietem cor-*verus tus* dis: Mihi vero cum Periſyſtole in ſano locum non habeat, Diaſtole autem motus per accidens ſit, Syſtole tantùm verus & potior cordis motus dicitur. Loquor autem hic cum veteribus, nec *Regii* ſingularem opinionem in explicandis terminis, quam *in Philoſophia Naturali p. 309.* fovet, attendo, multo minus, quæ in applicatione falſo tradit. Jam enim ſatisfactum eſt huic ſimul & *Carteſio à Backio in Diſſertatione de Corde p. m. 231. 237. & ſeq.*

ſtole tur §. XIII. Ut enim taceam, periſyſtolen, cum cordis quies dicatur, perperam à *Bartholino* referri ad pulſum, ſaltim, quæ avtopſia docet, urgeo, ac proinde de Diaſtole cum *Lovvero p. m. 85.* ſentio.

tio les §. XIV. Res ſic ſe habet: Ventriculi cordis ſangvine repleti influentibus ſpiritibus contrahunt ſeſe quoad ſingulas fibras; ita ut & mucro baſi adducatur, & ventriculorũ ſinus intus comprimantur & anguſtentur, atq; hoc ipſo ſanguis expellitur, è dextro quidem ſinu in arteriam pulmonalẽ; è ſiniſtro in aortam. Hæc eſt ventriculorum cordis ſyſtole.

§. XV. Interna utraq; auricula ſuam patitur Diaſtolen, ſiniſtra equidem ob urgentem ejectumq; in pulmones ſangvinem, qui, cum ſiniſter ventriculus contractus ſit, non poteſt non in auriculam hanc ſecedere è vena pulmonali; dextra autem eodem modo dilatatur, irruente è vena cava cruore. *diaſtole auricularum*

§. XVI. Deinde cum contractionem cordis immediate ſequatur relaxatio fibrarũ, deſcendit conceſſo ſpatio ſangvis in ventriculos, contractis auriculis, ita ut à Syſtole auricularũ depẽdeat diaſtole ventriculorũ, ideoq; ſupra dixi, in diaſtole cor moveri per accidens, nẽpe in relaxatione à ſangvine irruẽte. *diaſtole ventriculorum*

§. XVII. Hæc in corde obſervanda ſunt, cujus motum motus quoq; ſangvinis ſequitur: Itaq; nunc relicto principio ad reliquum curſum explicandũ me accingo. In eo autem tria diſtincte conſideranda occurrunt; Via nempe è corde ad partes, hoc eſt arteriæ; Locus, per quem ſangvis transeat, pori partium; & via ad cor è partibus, ſc. Venæ.

§. XIIX. Eſt autem circulus ſangvinis in duas quaſi partes ſed inæquales diviſus, minor è dextro ventriculo per pulmones ad ſiniſtrum tantũ ſe extendit; major è ſiniſtro ad omnes corporis noſtri partes abit, reditque ab his ad dextrum ventriculum. In priori ergo ſemicirculo ſeorſim obſervanda ſunt, arteria pulmonalis, ſubſtantia pulmonũ veſicularis, & vena pulmonalis. In poſteriori occurrit aorta cum omnibus ramificationibus ſuis, pori omnium partium exceptis pulmonibꝰ, niſi quatenus arteriã bronchialẽ recipiunt, & tandẽ vena cava cum ipſa vena portæ. *Circulus ſangvis duplex*

§. XIX. Sunt ergo arteriæ, per quas abit, pori partium per quos tranſit, & venæ per quas redit ſangvis; cor autem eſt terminus ſive principium, quod recipit eundem & reddit. *via*

§. XX. Ab officio igitur vaſa ſangvifera commodiſſime definire poſſumus, adeoq; arteria eſt vas à corde impulſum ſangvinem ad partes vehens; uti contra vena eſt vas ſangvinem à partibus ad cor revehens. Atq; ideo recte Neoterici vas illud è dextro cordis ven- *Arteriæ ac venæ deſcriptio*

ventriculo cruorem ad pulmones deferens arteriam dicunt pulmonalem, quod Veteres venam dixerunt arterioſam; Venam quidem, quod crederent, ſangvinem venoſum è dextro ventriculo diſtribui; & arterioſam propter ſubſtantiam arteriis ſimiliorem. Similiter ſe res habet cũ vaſe è pulmonibus ſangvinem ad ſiniſtrum cordis ventriculum reducente; id ipſum enim rectiſſime vena dicitur pulmonalis, olim arteria venoſa dicta: arteria, quoniam ſtatuerent è ſiniſtro ventriculo ſangvinem arterioſum diſtribui: venoſa vero propter ſubſtantiam.

tunicæ vaſorum §. XXI. Nec enim hoc diſcrimen vaſorum ſangviferorum, quod à ſubſtantia deſumitur, adeo vanũ eſt: ſed quando Veteres ſimplicem venis tunicam, arteriis duplicem aſſignarunt, mallem ego, poſtquam lymphatica & lactea innotuere, his potius ſimplicem, venis duplicem, arteriis triplicem tribuere.

Diſcrimen firmum non conſtituunt §. XXII. Nihilominus in hac tantum differentiâ acquieſcere nemo tuto poteſt, etenim & arteriæ aliquando tenuiori incedunt, ut ſic loquar, habitu, depoſita quaſi alterâ tunicâ, quales intra cranium apparent ramificationes carotidum ac vertebralium: in contrarium vero vena quandoq; craſſeſcit, ac tunicam quaſi alteram ſuperinduit, quod poſtmodum occaſionẽ quibusdam præbuit, venam portæ, quando hepatis ingreditur ſubſtantiã, arteriis annumerandi. *Vid. Malpighium de Structura Viſcerum p.m. 17. & Pecqueti Diſſert. Anat. p.m. 32.*

diſcrimen aliud §. XXIII. Ejusdem farinæ eſt illud, quod *c. 1. Pecquetus* urget, nempe venas ab extremis ad truncum reducere, arteriasque à trunco ad extremitates, cumq; è venæ portæ trunco ſangvis in ramos minores intra hepar diffluat, exiſtimat eam hac de cauſa inter arterias referendam eſſe.

minus firmum §. XXIV. Verum eſt, omnes arterias per truncum majorem ſangvinem propellere in minores, ſed addendum eſt è corde ad partes: ita & contra fatemur venas revehere per ramos minores (quamvis nec hoc perpetuum ſit, contrarium enim in ſplene hominis obſervamus, adeoque hæc ratio diſcriminis minus bene fundata aut univerſalis eſt) in truncum majorem verſus cor è partibus. Sed nunc videamus, num meliori jure inter venas, an vero inter arterias referatur vena portæ. Sanè nõ ex corde immediate ſangvinem recipit, quod arteriarum proprium eſt, quin potius recta via ex aliis partibus, meſenterio, liene, pancreate &c. receptum cruorem cordi adducit, non immediate quidem, ſed mediate, facta ſc. in diverticulo hepatis translocatione. *Vena*

§. XXV. Sed tranſeat hæc de vena portæ diſceptatio; liberum equidem cuivis relinquimus arbitrium, commodiùs tamen circulationis limites & faciliùs explanari ac intelligi poſſunt, ſi à Veteribus impoſitum nomen retineatur.

§. XXVI. Habent ſe autem vaſa hæc pure paſſive in circulationis negotio, quicquid de motu vaſorum proprio aut periſtaltico alii dicant. Nec obſtat ingreſſam in hepar venam portæ, vel venæ pulmonalis atque cavæ truncum propè cor, & auriculam dextram pulſare, quod ſuo experimento teſtatur *Walæus in Epiſtola de Motu Chyli.* Excipiat has venarum partes qui velit, ſaltem vaſa reliqua arterioſa æque ac venoſa, nil aliud præſtant in ſangvinis motu, quàm ut ab ingreſſo ſangvine dilatentur, notabilius quidem & cum pulſu arteriæ, propter cordis impresſam vim; minus notabiliter venæ, quoniam hic ipſe ſangvinis impetus in poris partium quodammodo refractus eſt. *Vaſa ... ſe ha...*

§. XXVII. Probat hoc noſtrum aſſertum ligatura, quæ ſi venis applicetur, tument quidem infra ligaturã, ſed verſus cor detumeſcunt, & inaniuntur ſupra ligaturam: Si arteria ligetur, infra filum pulſus cum ſangvine decedit, ſupra filum coacervatur cum tumore notabili ſangvis. Si quid tamẽ concedendum eſt, crederem forte vaſa ſangvifera poſt expanſionem ſponte iterum collabi, quemadmodum fibræ muſculorum poſt tenſionem ſua ſponte corrugantur, hic autem motus à periſtaltico toto cœlo differt. *motu... a pe... co...*

§. XXIIX. Obiter hîc pauca de principio vaſorum ſangviferorũ adhuc adjicere placet. Nec vero de arteriis dubiũ eſſe poteſt, earum ortum in corde haberi, pulmonalis quidem in dextro ventriculo, aortæ in ſiniſtro. De venis *Prin... vaſo... gvi...*

nis autem diſceptatum eſt omni tempore. Alii enim pro corde, alii pro hepate pugnant: alii & recentiores quidem poſt cognitam circulationem, ut *Gliſſonius Anat. Hep. p. m. 307. Barthol. Anat. p. 586. Diemerbr. Anat. 825.* potius in partibus, quibus implantantur, principium quærunt.

verſia arum p:is. §. XXIX. Salva autem horum autoritate proponam, quod hanc opinionem non admittit. Nempe confuſio naſcitur inſignis, ſi quis principia e. g. ſaltim arteriæ cœliacæ enumerare velit, dubium enim eſt, num omentum an ventriculus, an lien, an reliquæ partes primo nominandæ ſint, quam difficultatem omnem facile eludimꝰ, ſi à trunco inchoëtur, ac diviſio in ſuos ramos juxta meliorem ordinem conſideretur.

ipio is nis §. XXX. Quantumvis enim ſangvis è partibus in venas capillares primum, ac poſtea in ampliorem truncum remeet, non licet tamen argumentari à principio regreſſus ſangvinis ad principiũ venarum: recte enim ipſe *Gliſſonius p. 304.* principium ſcaturiginis ſolùm liquidis fluidisq; corporibus convenire aſſerit, cujus oblitus in loco ſupra citato idem principium à ſangvine transfert ad ipſas venas.

ar- ri ipiũ n §. XXXI. Ecquis enim adeò abſurdus eſt, ut ſtatuat v. g. principium radicis cujusdam quærendũ eſſe in ſingulis extremitatibꝰ minimis, ideo, quod ſuccus nutritius ab his primum recipiatur è terra, & transmittatur ad truncum. Mihi ſanè longe probabilius videtur mediam radicem eſſe principium ſuorum capillamentorum. Quod ſi enim de ſalice aut vite ramus in terram defodiatur, annon manifeſtum eſt, ex ipſo trunco prodire radiculas, ac obviam qnaſi ire nutrimento; adeo clarum eſt, aliud eſſe principium ſcaturiginis in plantarum ſucco, aliud principium canalium eundem recipientium.

§. XXXII. Adhæc quis ignorat, vaſa majora primùm, id eſt aortam & venã cavam in primâ cordis delineatione, quæ in puncto ſaliente accidit, apparere, eademq; indies augmentum capere, & ſucceſſive ad omnes partes excurrere. Par eſt ratio in adultis, ubi cũ partibꝰ vaſa excreſcũt. Sed de his ſatis.

§. XXXIII. Jam & partes conſiderandæ ſunt, quæ ſangvini tranſitum concedunt. Dixi ſupra, poros partium eſſe illud medium, quod ſanguinem & recipiat ab arteriis, iterumque venis reddat. Diſceſſi igitur ab iis, qui vaſa hæc per anaſtomoſin jungi, atq; immediate ſangvinem ex arteriis in venas tranſire ſtatuunt. Movit me enim hæc cauſa: ſcilicet, vel anaſtomoſis inter vaſa majora, vel inter minora eſt, eaq; aut frequentior & omnibꝰ in partibꝰ, aut rarior in paucis tantum. Sed in majoribꝰ vaſis (loquor de vaſis diverſi generis, ſcilicet arteriâ & vena; anaſtomoſes enim inter vaſa ejusdem generis, inter venam & venam, ſimiliter & inter arterias manifeſtæ ſunt) nulla apparet, ſiquidem oculis hoc in caſu fidendum eſt; minorum autem anaſtomoſes cum viſum ſubterfugiant, ſenſuumque judicium deficiat, malim per certam rationem mihi demonſtrari. *Pori partium.* *Anaſtomoſis an detur in vaſis diverſi generis*

§. XXXIV. Contrarium potius demonſtrabo: nempe anaſtomoſes in omnibus extremitatibus vaſorum eſſe nequeunt. Quem enim quæſo uſum præſtaret circulatus ſangvis in nutritionis actu, ſi ſuis tantum incluſus canalibus (tranſcolatio enim per horum tunicas minus credibilis videtur, minusq; commoda) in corpore circumgyraretur? In paucis autem tales inoſculationes credere, nihil urget; non enim video, quamobrem natura citra neceſſitatem eas amârit, aut generare voluerit. *negatur*

§. XXXV. Longe convenientius eſt in poros partium effundi ſanguinem arterioſum, atq; ex iisdem in oſcula venarum recipi; ne autem exiſtimes, ita eandem eſſe conditionem ſangvinis, cum pororum interſtitia, non aliter quam anaſtomoſes, venas cum arteriis jungant; ſcias, non in quemvis porum inſeri arteriam & venam, per ſingulos tamen ſangvinem moveri. *Pori partium anaſtomoſes dici nequeunt.*

§. XXXVI. Conſpirant enim inter ſe partium pori, quod in pulmonibus v. g. tanquam magis cavernoſis manifeſtius eſt, ita ut ex uno in plures vicinos via pateat ſangvini circulando; quod ipſum brevitatis cauſa plurimis non deducam, ſufficiat unicum indicaſſe experimentũ, quod in *programmate publico nuper d. 6. Febr. Excellentiſſi-*

tiſſimus noſter Anatomicus adduxit, ad eandem hanc pororum communionem demonſtrandam. Ipſe vidi ab eo in binis ſubjectis truncum arteriæ cruralis ligatum, & per transverſum diſſectum, nihilominus per plures dies vegetos canes, apertisque poſtea venis ſangvinem in iis incorruptum fuiſſe, qui procul dubio è ſuperiore cruris parte in inferiorem per poros deſcenderat, denegata per arterias via.

Brevis repetitio circuli ſangv.

§. XXXVII. Sed nunc libera & vindicata ab omni difficultate circulatio ſangvinis exiſtit. Breviter rem omnem repetam: receptum ex auricula dextra ſangvinem contractus dexter ventriculus propter obſtantes valvulas tricuſpidales in pulmones neceſſario ejicit per arteriam pulmonalem, è qua ne remeet, valvulæ proſpiciunt ſigmoideæ; ex pulmonum autem cavernulis egreditur preſſus à ſuccedente novi ſangvinis appulſu, per venam pulmonalem in auriculam primum ſiniſtram, hacque contracta in ejusdem lateris ventriculum; mox hujus ſyſtole expellit hunc ſangvinem, & ſicuti in ventriculo valvulæ mitrales; ita in aortâ, in quam ſangvis protruditur, ſemilunares obſtant, quo minus iſte refluat; hæc demum arteria magna per diverſas ramificationes nectar illud purpureum diſtribuit in poros partium quarumcunque, quæ per venas capillares venæ cavæ vel immediate, vel mediante (quod in inteſtinis, pancreate, liene, omento &c. accidit) hepate reddit, ex hac iterum ad cordis refluit auriculam dextram, unde modo jam recenſito eundem ſemper curſum ad mortem usque repetit.

Exiſtentia ejus probatur rationibus tribus I.

§. XXXIIX. Circulationem autem talem non imaginariam eſſe, ſed veram & in natura fundatam ipſe *Harveus Exerc. Anat. p. m. 86.* ſatis demonſtravit ex tribus præcipue rationibus: Primo, quod longe major quantitas ſangvinis è corde diſtribuatur, quàm quæ ex aſſumtis ſuppeditari poſſit.

§. XXXIX. Etenim qui numerum pulſuum, quantitatem in quovis pulſu ejecti è corde ſangvinis, denique & ipſam quantitatem totius maſſæ ſangvineæ inter ſe confert, ſi ſapit, non poteſt non circumpulſionem ſangvinis admittere. Si enim cũ *Lovvero p. 164.* duo millia pulſuum tantũ, (plura alios obſervaſſe ex *Barthol. Anat. p. 376. diſces*) intra horam numeremus, in ſingulo autem pulſu uncias duas recipi in cor & expelli ſtatuamus, quantitas autem totius ſangvinis vix viginti quatuor libras excedat, facta ſupputatione ter decies per cor circulari in quavis horâ deprehendemus.

§. XL. Quod ſi vero cuiquam dubium circa hæc ſuppoſita naſcatur, ita ut pauciores contra experientiam quotidianam pulſus ſtatuere velit, deinde & unicam ſaltim Drachmam, (ad guttam enim unam nemo cũ *Carteſio in Meth. p. m. 31. deſcendit*, cum arteriotomia aliud monſtret) in quovis pulſu expelli credat, is quidem numerum circuitus impugnat, ipſam tamen circulationem non deſtruit; de ſangvineæ enim maſſæ quantitate cum ſenſibus obvia ſit, non dubitare, adeoq; nec ultra modum eam extendere valet, præſertim ſi experimentum inſtituatur in corpore jejuno, vel potius famelico, ad avertendam affuſi chyli ſuſpicionem.

§. XLI. Secundo urget quoque Harveus majorem quantitatem ſangvinis partibus ſingulis affundi per arterias, quàm quæ in nutritione earum conſumi poſſit, unde ſequitur ejus partem quandam indubitato ad cor remeare. Sangvinem autem affundi per arteriam partibus, ligatura ſtricta ſatis probat. Sani enim hominis ſi brachium fortius ligetur, ita ut & arteria comprimatur, videmus pulſum ceſſare infra ligaturam, non alia de cauſa, quàm quod ſangvinis affluxus intercepto ſit, imo nec venam ſangvinem niſi guttatim effundere, quoniam ab arterioſo non urgeatur.

§. XLI. Liquet hoc magis ex tumore denudatæ in canis crure arteriæ, ſed maxime ex ejus inciſione: infra ligaturam enim ne guttula quidem ex ea prodit, ſupra illam maximo cum impetu erumpit; ac præterea eo ipſo cognoſces, non parce ſangqinem ad partes deferri, cum ſucceſſive omnis ita è corpore ſangvis evacuari poſſit.

§. XLIII. Supereſt, ut tertium quoque *Harvei* argumentum conſideremus, quod à venarum ſtructura deſumtum eſt. Valvulæ enim

enim, quas ſupra laudatus *Hieron. Fabr. ab Aquapendente* primus notavit, ſive ſemilunares, ſive pyriformes & oblongæ, quas *Ruyſch tr. de Valvulis vaſorum p. 31.* obſervat, eæque vel duplices ſeu triplices ſeu quintuplices ſint, quales *Kerckringius in Spicilegio Anat. obſ. 4.* depinxit, cum in venis hinc & inde occurrant, nec ſangvinem è trunco in ramos venoſos retrogredi ſinant, quid aliud indicare poſſunt, quam cruorem è ramificationibus minoribus & capillaribus verſus cor per truncum abire; ligaturam & ſectionem venæ ut taceam, & plura, quæ ab ipſo *Harveo cap. 15.* adducta ſunt.

[exper]imento [Gra]afii. §. XLIV. In gratiam tamen curioſorum illud *Graafii* experimentum adducam, *quod Op. p. 283. habet.* Accipit is inteſtinum aviculæ cujusdam, hujus extremitatibus calamos tenuiores alligat, unumque inſtrumenti hujus extremum arteriæ jugulari apertæ, alterum vero in venam jugularem immittit, utroque vaſe per ligaturam circa calamos firmato, eoque ipſo ſangvinis circulationem ex arteria in venam, viſu tactuque cognoſcendam exhibet.

[...]ſtra. [M]al[pighi]ii. §. XLV. Qui microſcopio fidem non denegat, præeunte *Malpighio in Epiſt. 2. de pulmonibus* : eo inſtructus ranarum pulmones adeat, vel vaſorum diſtributiones meſentericas; deprehendet tum enim contrarium in illis motum, hoc eſt ſangvinis per arterias affluxum, & refluxum è partibus per venas adeo apertè, ut, niſi cœcus ſit, de circulo ſangvinis dubitare nequeat.

§. XLVI. Ne autem fruſtra talem ſangvinis motum à natura inſtitutum credas, en tibi noſtram de uſu circulationis opinionem. Eſt autem is vel univerſalis, qui in omnibus partibus locum habet : vel particularis, qui pro diverſitate partium, diverſus quoque eſt.

[...]lis. §. XLVII. Univerſalis nutritionem reſpicit, propter hanc enim arteriæ omnibus partibus datæ ſunt, ut ſangvinem nutritium adducant; venæ autem, ut effœtum & ſuperfluum inde reducant.

[...]ris §. XLIIX. Particulares plures ſunt, ad binas tamen claſſes non incommode referri poſſunt. Nempe dum circulatur ſangvis per partes, alteratur omnino, vel quoniam aliquid ipſi decedat & ex eo ſecernatur, vel quod aliquid ipſi accedat.

§. XLIX. Secernitur è maſſa ſangvinea pars ejus ſuperflua vel oleoſa ſub nomine bilis in hepate, quæ cum facilius è cruore venoſo ſeparari poſſit, quàm arterioſo & ſpirituoſo ſangvine, idcirco ſingulare eſt venæ portæ in illo viſcere præter conſvetudinem venarum munus in adducendo ſangvine, cum interea arteria minor nutritioni hepatis atque cyſtidis inſerviat. *in ſecretione bilis*

§. L. Vel excernitur pars ſeroſa, eaque vel ſimpliciter excrementitia, quæ nunquam in gratiam recipitur à natura : vel adhuc utilis. Simpliciter excrementitium eſt ſerum, non modo quod ope renum è ſangvine ſecernitur, & ad veſicam ſub nomine urinæ emittendum ablegatur; ſed & illud, quod per glandulas miliares ſubcutaneas in ſudore, vel, quod idem, per inſenſibilem tranſpirationem ſecedit. *excretione.*

§. LI. Lympha non ſimpliciter excrementitia ea eſt, quæ in reliquis glandulis, ſive conglobatæ, ſive conglomeratæ ſint, ſeparatur, pertinet huc & ſuccus pancreaticus, ſaliva atque lacrymæ, quippe quos humores omnes ſub uno ſeri titulo comprehendere non dubito. *& ſecretio lymphæ*

§. LII. Præterea ad hanc claſſem referam ſpirituum ſecretionem in cerebro, &, quæ primum locum merebatur, liquoris ſeminalis elaboratio in teſticulis æque ac proſtatis: in fœminis ſuccus fœtum nutriens addi poteſt, uti & extra geſtationem menſtrua purgatio. *ſecretio ſpirituum, ſeminis &c.*

§. LIII. In altera claſſe lien occurrit, nec enim hic aliqua ſecretio ſucci melancholici obſervari poteſt, quin potius, cum ejus ſubſtantia ex fibris nerveis maximam partem conſtet, nervique inſignes accedant, exaltari in eo ſangvinem ab affluentibus ſpiritibus cum *Sylvio Diſſ. V. §. 10.* aſſerere placet. *Alteratio ſangvinis in liene*

§. LIV. Pulmonum autem uſum *ac pulmonibus*

quis

quis ignoret ? Hi enim præ reliquis viſceribus excepto corde peculiare habent, quod omnis omnino ſangvis per illos circuletur, cumque propter requiſitum motum ſangvis omnis ad cor accedat, hic verò in pulmonibus illius ratio locum non habeat, non immerito de ſingulari uſu hujus tranſitus cogitamus. Certum autem eſt, aërem intra cellulas pulmonum ſangvini admiſceri, hujusque colorem non minus, quàm naturam ab eo immutari, ita ut è pulmonibus arterioſus ac floridus recedat ſangvis, qui antea venoſus obſcurusque ipſos ingreſſus erat. Quam ipſam ſangvinis alterationem ſalvâ aliorum autoritate deducere ex ſpiritu aëreo non erubeſco.

COROLLARIUM.

Circulatio ſangvinis in fœtu duplici modo differt ab ea, quæ in adultis obſervatur: nempe primo, quod extra corpus per umbilicum pergat ad placentam uterinam, & ſecundo, quod in corpore pulmones prætereat. Hoc quidem ob impeditam reſpirationem pulmonumque expanſionem; illud vero ad commodiùs recipiendum à matre ſuccum nutritium accidit.

Soli DEO Gloria.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Decima ſeptima:
De
HÆMORRHAGIA.

§. I.

Etymologia. Cum corticem diffringere neceſſum habeat nuclei cupidus, antequam ejus fruatur dulcedine; idcirco & nos interiora conſideraturi præſentis affectus nominis involucra prius removemus. Deſcendit autem Hæmorrhagiæ vox ex Græco αἷμα, ſangvis, & ῥαγῆναι, quod à Galeno per ἀθρόως ὁρμᾶν, hoc eſt, confeſtim ſive impetuoſe ferri, videantur *Oeconom. Hipp. p. 12. & definitiones Goræi pag. 11. à Mathia Martini* vero, in *Lexico Philologico* per rumpi, à ῥήγνυμι rumpo, explicatur. Apud Latinos ſcriptores civitate donatum reperitur hoc hæmorrhagiæ nomen, quaſi nimirum magis aptum dives hæc lingva ſuppeditare
Synonymia. haud poſſet; attamen neſcio, cur cruentatio, ſangvinis eruptio l. profuſio, non æque accurate omne id, quod ſub hæmorrhagia dicitur, exprimant, præprimis cum Germanicæ appellationi, qua das Bluten / item eine Blutſtürtzung audit, accurate reſpondeant.

§. II. Enim vero in hoc ſignificatu non ſemper hæmorrhagia venit; aliquando enim generaliter, pro omni ſangvinis profluxu, quandoque verò ſpecialiter, pro illo tantum, qui per nares contingit, ſumitur, confer de hac ultima acceptione *Galeni commentarium in librum primum Epid. Hipp. & lib. 6. ſect. 3. Aphor. 15.* item *Hippocratem*, qui ut plurimum narium intelligit cruentationem, hæmorrhagiæ voce abſolute ſine partis adjectione uſus.

§. III. In præſentiarum de hæmorrhagia in ſenſu generali agens, volo tam per nares, os, uterum, & hæmorrhoidalia vaſa, quàm per partes, enſe, fuſte, aut caſu ſauciatas contingentem p. n. ſangvinis profuſionem.

§. IV. Sangvis itaque eſt materia, quæ effunditur in hoc affectu. Non prolixus ero in ſangvinis explicatione, hoſpes enim vel peregrinus ſit in Medicina neceſſum eſt, quem lateat hoc nomine liquorem illum rubicundum venarum arteriarumque, nec non pororum partium incolam, totius vero

vero corporis nutritium intelligi. Nec quicquã refert, ſive ex arteria immediate, adeoque cum impetu & ſaltu, ſive ex vena, vel poris partium non tam magna cum vehementia, nec adeo florido colore, ſed magis atricante tinctus, extra corpus fluat. Neceſſum tamen eſt ſincerus & purus ſit ſangvis, hoc eſt, à nullis aliis humoribus inquinatus, ſecus namque hæmorrhagiæ nomen perdit; e. g. ſi cum ſputo, alvinis fecibus, aut urina ſangvis commixtus excernatur, à Medicis nunquam hæmorrhagia appellatur, ſed ſputum cruentum, dyſenteria, & mictus ſangvineus.

§. V. Quoad formale hæmorrhagiæ, conſiſtit illud in profuſione ſangvinis. Hinc ſtatim intelligitur exſtillationi aliquot guttularum, forſan ex vulnere ab acus cuſpide inflicto, aut levi inciſione digiti, proprie non competere titulum hæmorrhagiæ. Ῥαγῆναι namque, ex quo componitur, juxta Galeni explicationem ſuperius allegatam, non niſi impetuoſam & largam deſignat profuſionem; rectius itaque ſtillicidium vocatur ſangvinis modica hæc cruoris deperditio. Equidem non negaverim, hiſtorias Practicorum & quotidianam obſervantiam, inſignem quantitatis ratione differentiam in hæmorrhagiis annotare, adeo ut jure moderatam aliam dixeris, aliam enormem, quales fuerunt a *Rhaſi Aph. Lib. III. Foreſto l. 13. O. 11. 14. Ballonio Epid. 194. Schenck. l. 1. 33. Rhod. Cent. 1. Obſerv. 98. Heer Obſ. 20. 23. Sculteto Obſerv. p. 35. à Meeckren c. 4. p. 42.* memoratæ, utpote a quibus totum corpus penè omni ſangvine privabatur, ſicut tandem non tam ſangvis flueret, quàm liquor ſubflaveſcens & aquoſus, prout *Miſcell. Acad. N. C. A. 3. Obſ. 243.* narrant, vel juſcula ipſa & medicamẽta reſtaurationis gratia exhibita, quod ante aliquot annos hic Lipſiæ contigiſſe novi. Attamen cum in moderata quoque hæmorrhagia notabilis ſangvinis quantitas profundatur, tum nec immerito titulum hæmorrhagiæ gerit.

§. VI. Aſt ſola non ſufficit profuſio ſangvinis ad conſtitutionem hæmorrhagiæ, ſed inſuper requiritur, ut præter naturam contingat: Excluſum itaque volo ex hæmorrhagiæ catalogo menſtruum & lochiorum in ſequiori ſexu, nec non hæmorrhoidalem fluxum in quibusdam viris, tanquam ſecundum ordinarium providæ naturæ curſum, ſuperfluam aut noxiam futuram ſangvinis ſarcinam è corpore proſcribentem.

§. VII. Declarata ſic materia hæmorrhagiæ progredior ad ſymptomatum tam concomitantium, quàm inſequentium recenſionem. Sermo jam mihi eſt de enormi, (altera ſiquidem ſpecies periculo vacat omni, adeoq; etiam rariſſime curæ committitur noſtræ) tanquam quæ laudabilem iſtum vitæ theſarum prodigè perdit. Hanc itaque excipit faciei ac labiorum pallor ac diſcoloratio, artuum refrigeratio & tremor cum ſudore frigido, anxietas præcordiorum, ſcotomia, animi deliquium, ſingultus, & convulſivi totius corporis motus utplurimum lethales. Quod ſi tamen convenientium medicamentorum ope, antequam graviora hæc ſuperveniant ſymptomata, coercere vales fluxum, liberas quidem à præſentaneo vitæ periculo ægrum, ſed non a languore ſummo, appetitus & primæ digeſtionis proſtratione totali, cachexia & hydrope, quibus nihilominus poſtmodum obnoxius erit. *Symptomata concomitantia.*

§. VIII. Tale itaque horrendum non minus, ac periculoſum Symptomatum ſyrma poſt ſe trahit hæmorrhagia nuda, id eſt nullo alio morbo veſtita: quid credis expectandum, ubi cum malignis, & potiſſimum per exanthemata ſe manifeſtantibus conjungatur morbis? Tum ſane longe magis erit periculoſa, quatenus nimirum ad interiora humores pravos ſummo cum conamine a natura antehac ad peripheriam ejectos revocat; hinc pro peſſimo ſigno hæmorrhagia ſuperveniens in peſte, petechiis, morbillis, variolis & purpura noſtratium, nunquam non habetur. Et hæc etiam, quod in parentheſi ſaltem noto, vera mihi videtur ratio, quamobrem purpura puerperis, primis diebus erumpens, adeo ſit exitioſa. *inſequentia*

§. IX. Sed quicquid hactenus de ſym- *motus critícus.*

ſymptomatibus ſum locutus, ita intellectum volo, prout utplurimum evenire notamus. Non enim me latet in robuſtioribus ſubjectis, & in quibus natura morbi ſolutionem hac criſi molitur, ſæpius inſignem & vix credibilem hæmorrhagiam citra ullam noxam, imo potius ſumma cum euphoria accidere; quapropter etiam de Medici prudentis erit officio, accuratè dijudicare hunc naturæ conatum criticum a ſymptomatico, ne forſan intempeſtive in hoc opere laudabili, ſangvineam ſiſtentibus medicamentis operoſam impediat naturam.

Cauſa

§. X. His præmiſſis ad cauſarum examen me accingo, inquiſiturus, undenam anomalus ille motus ſangvinis extra naturales ſuos fines, originem trahat. Vix autem felicius id impetravero, quam culpam tanti mali quærens partim in ſangvine, partim vero in partibus ſolidis, circulationi ejus naturali inſervientibus, uti ſunt arteriæ, venæ; & denique media illa interjecta ſpatia, ſ. pori partium.

Plethora vera.

§. XI. In ſangvine itaque primo ſe manifeſtat plethora ad vaſa a practicis dicta, ſive abundantia ejus nimia, vaſa ſupra modum copia ſua diſtendens. Hæc enim prout in hominibus ex victu euchymo, tranquillam, ſedentariam & ab omnibus curis liberam vitam agentibus facile naſcitur, ita poſtmodum levi accedente corporis aut animi commotione, per vaſa ad rupturam uſque jamjam turgeſcentia exitum ſibi quærit. Num vero iſte exitus per ruptionem vaſorum contingat, non multum altercabor cum negantibus: ſufficit mihi probaſſe poſſibilitatem plethoræ exquiſitæ ad vaſa, & quidem tantæ, quæ uſque adeo parietes vaſorum diſtendit, ut citra ruptionem nil quicquam amplius poſſint recipere. Interim an trunci majores vaſorum æque, ac forſan extremitates capillares ex hac cauſa ſolutionem continui admittant, id non tuebor, cum ſubſtantia illorum ſatis compacta & craſſa, non niſi ſumma cum violentia, (qualis ab impulſu cordis non ſperanda) disrumpi ſe patitur.

Ratio hæmorrhagiæ poſt ampu-

§. XII. Ex eodem fundamento puto etiam petendam eſſe rationem hæmorrhagiæ narium vel partis alterius, quæ inſequitur amputationem artuum, cujus *Fontanus Medic. Pract. lib. 1. c. 32.* mentionem injicit. Nimirum cum antea notabilis ſatis quantitas ſangvinis parti huic v. g. pedi aut brachio concredebatur, nunc intercepta per extirpationem hac via cogitur ſanguis ad alia vaſa, eaque tanquam jam undiquaque repleta ita infarcit, ut parietes illorum impares hanc diſtenſionem ſuſtinendo, divulſionem tenuium tunicarum in vaſorum extremitatibus ſuſtineant. Similis eſt ratio hæmorrhagiæ tempore ſuppreſſionis menſium, aut hæmorrhoidum, item in obſtructionibus, lienis, hepatis &c.

Pl… n…

§. XIII. Poſt hæc ſangvinis quantitate peccantis vitia, conſideranda venit qualitas, ubi orgaſmus, ſeu quod idem eſt, plethora notha primas ſibi vendicat; ab hac namque cauſa non ſecus, quam ab exquiſita plethora extra vaſa cogitur contentus ſangvis. Unde dependeat illud vitium non una eſt Autoribus ſententia: alii ex antiquis, è quibus nunc ſolum *Capivaccium Oper. p. m. 332.* nomino, illud ex cacochymia, ſive pravorum ſangvinis humorum abundantia deducunt, & rogati de ſpeciali natura horum humorum, bilioſos, pituitoſos, melancholicos, acidos, acres, ponticos, & ſexcentis aliis modis corruptos incuſant. Recentiores vero fermentationi ſangvinis nimiæ, vel ſtylo aliorum, ebullitioni & efferveſcentiæ ex concurſu diverſorum ſalium, acidi nimirum ac alcali, origines hujus orgaſmi adſcribunt, clarius longe rem declaraſſe rati, ſi ab ejusmodi in ſenſus incurrentibus principiis explicationem petant, vid. *Williſii integer Tr. de fermentatione*, ut alios innumeros ejus ſectatores taceam.

cauſa … ſmi ex … one v…

§. XIV. Circa utramque tamen ſententiam dubia mihi quædam ſunt nata, quæ neutram ex his ſcopum veritatis attigiſſe perſuadent. Quoad namque antiquam hypotheſin, errant dum pituitoſum, melancholicum, acidum ac ponticum ſuccum ſangvinis pro orgaſmi cauſa venditant, illi enim in ſe conſiderati contrarium penitus effectum præſtabunt, ſangui-

nem nimirum incraſſando motumque retardando, qualia ſymptomata tota die cachecticorum & melancholicorum concio experitur. Quod ſi vero ex commixtione bilioſorum humorum turgeſcentiam quis acidorum, melancholicorum, pituitoſorum &c. deduxerit, probandum prius habebit, bilem cum acidis & reliquis efferveſcere, quod quidem cum Sylvio hodie adhuc à quamplurimis aſſeri ſcio, nunquam tamen oculis propriis, ut ut crebrius hunc in finem experimenta adornaverim, vidi.

§. XV. Quod Recentiorum fermentationem & efferveſcentiam ex acidarum & alcalicarum mutuo conflictu provenientem attinet, vereor ne temeritatis crimen incurram, ſi opinionem à tanto eruditorum numero hactenus approbatam, in dubium vocitem. Verum enim vero bono me jubent eſſe animo incomparabilium virorum biga, *Johannes Alphonſus Borellus* & *Waltherus Charleton*, qui ex rationibus non contemnendis ſangvinis fermentationem & efferveſcentiam ex ſalinis principiis jam jam ſuſpectam reddiderunt, ille quidem in *tr. de motu animalium*, hic in *anatomicarum lectionum prima of the motion of the Bloud trough de Veins and arteries.* Sed ad rationes dubitandi; Palmarium argumentum deſumo ex ineptitudine ſangvinis; non jam illam loquor, quam *Charleton lib. citat. p. 5.* urget, ſummam nimirum defecationem ſangvinis hinc & inde in diverſis emunctoriis per reiteratam aliquoties circulationem factam, ſed tantum glutinoſitatem ejus naturalem: hac enim præſente ſalium involvuntur ſpicula, ac mutuus infallibiliter intercipitur congreſſus. Alterum medium terminum à deficiente requiſito ad fermentationem & efferveſcentiam ſpatio, aërisque liberiori acceſſu in venas & arterias peto. Tanta vero utriusque eſt neceſſitas, ut teſte citato Charletono muſta quoque, ſi doliis validiſſimis ab omni aëris acceſſu munitis includantur, à fermentatione poſſint ad longum tempus præſervari. Tertio miror, quamobrem continuatam efferveſcentiam extravaſati orgaſmum ſuſtinentis ſanguinis in pelvi v. g. non conſpiciamus. Crediderim ſane, illam, ſi adeſſet, magis augmentum accepturam ab elatere aëris, quemadmodum id in muſto & cereviſia, aliisque liquoribus fermenteſcentibus contingit. Sed forſan inviſibilis eſt hæc ebullitio, qualem *Schuyl* pro veteri Medicina, de pugna acidi ſucci pancreatici & bilis narrat, ut proinde, quod mortalis hominis haud eſt, oculis uſurpare gratis optem.

§. XVI. Igitur cum ſcrupuli iſti circa cauſam turgeſcentiæ ſangvinis adhuc me urgeant, donec mihi eximantur, ſtatuo, orgaſmum provenire ex reſolutione ſangvini innatantium particularum fibroſarum, quæ alias moderare poterant curſum illum nimium ac effrenum, quod idem Paracelſus *in Comment. lib.* 7. §. de gutta innuere videtur, ſynoviam ſc. ſangvinis reſolutam & ſeparatam pro cauſa indicans. Etenim, quemadmodum generoſus equus diſruptis habenis, feroci ſaltu quaqua verſum fertur; ita etiam naturali illo freno ſangvinis diſrupto non mirandũ, ex leviter aucto cordis motu usque adeo totam maſſam ſangvineam exagitari, ut quoque ſepta à natura poſita diffringat & extra illa fluat.

§. XVII. Pro meliori luce huic aſſerto affundenda perpendamus paulum procatarcticas hæmorrhagiæ hujus cauſas. Experiuntur autem talem primo illi, qui diutius, quàm par eſt, ſub ſole moras trahunt, vel balnei aut fornacis calorem longius ſuſtinent; hinc rectiſſimè *Hippocrates ſect. 3. aph. 20.* anni tempora, potiſſimum tamen æſtivum numero externarum cauſarum inſerit. Quid potus cereviſiæ, calidioris naturæ vulgo dictæ, vel vini generoſi, muſti, aut vini aduſti contribuat, notum eſt, poteſt tamen, qui nihil niſi autoritatibus confirmatum admittit, *Foreſtum l. 13. o. 12.* de eo conſulere. Simile quid ab eſculentis acribus & reſolventibus, aromatibus puta, raphano ruſticano aliisque ſperandum eſt, quod ſuo damno ſæpius ſcorbutici experiuntur. Novi divini verbi facundum præconem, qui nunquam impune gammarum elixatum comedit, quin brevi poſt largam patiatur hæmorrhagiam. Quid dicam de motu corporis exceſſivo, ſaltatione, equi-

equitatione, pugillatione, ſternutatione, clamore ac tuſſi vehementiore, veneris exercitio immoderato &c. nonne etiam ab illis ſangvis reſolvitur, ſpiritusque noſtri in motum rapiuntur concitatiorem? exempla vid. in *Hild. C. 9. f. 1z5. Sennerto Epiſt. p. 1174.* Animi pathemata & ex illis in primis ira ſymbolam quoq; ſuam larga, ut ſic loquar, manu ad hæmorrhagiam excitandam conferre, obſervationum par modo citati *Hildani C. V. obſ. 72.* adſtruit, quibus addo propriam, quam, dum hæc ſcribo, annoto in fœmina ob vehementem excandeſcentiam, hæmorrhagiam uteri enormem extra conſvetum lunaris tributi tempus patiente. Tandem & ab æſtu tam intermittentium, quàm malignarum febrium, in corporibus diſpoſitis ſangvinis effuſio excitatur, cujus culpam rurſus ſolis ſpiritibus, enormiter in reſolutam Maſſam ſangvineam agentibus, in acceptis ferendam exiſtimo.

Acrimonia ſangvinis

§. XIIX. Poſt ſangvinis orgaſmum ſequitur acrimonia erodens & exulcerans ſangvinea vaſa, ideoque frequenter in morbis ex tali acrimonia ſangvinis oriundis tanquam ſymptoma ſupervenit eruptio copioſa ſangvinis per varia loca, quemadmodum id annotamus in variolis, morbillis, ſcabie, coryza, ſcorbuto, aliisque pluribus.

Aquoſitas

§. XIX. Denique & nimia ſangvinis tenuitas inculpanda venit, quo nomine intelligo dyſcraſiam aqueam, dum nimirum ob abundantiam ſeroſarum partium, conſiſtentia ejus, ſ. n. paululum ſpiſſa, nimium diluta apta redditur, etiam minutiſſima capillarium vaſorum oſtiola ſine impedimento transeundi, præprimis ſi ab acrimonia admixta portæ reſerantur. Et hanc ſangvinis conſtitutionem, credo, cauſam eſſe cruentationis ſolennis quorundam hominum tempore hyberno, cujus etiam Hippocrates in ſupra allegato loco mentionem injicit; illo enim tempore ob aëris externam inclementiam inſenſilis humorum tranſpiratio impeditur, adeoque neceſſario coacervato ſero in corpore, maſſa ſangvinea ex tenuitatis vitio ad hæmorrhagiam diſponitur.

Partes ſolidæ

§. XX. Atq; hæ videntur mihi genuinæ cauſæ hæmorrhagiæ ex parte ſangvinis, nunc itaque videndum, qualisnam â ſolidis expectanda partibus. Multum hic juvabit in gratiam tyronum præmonuiſſe, ſangvini certos cancellos â natura eſſe poſitos in corpore, in quibus continuo curſum ſuum abſolvit. Etenim qui ex cordis ſiniſtro ventriculo in ſyſtole evibratur, per arteriæ aortæ truncum tam adſcendentem, quam deſcendentem ad omnes corporis partes propellitur, inque illarum poros effunditur. Peracta aliquali mora in hiſce locis, ſuſcipitur rurſus in venarum oſtiola, transferturque per truncos majores ad auriculam & ventriculum dextri lateris, ê quo per arteriam pulmonalem ad pulmonum poros, & ex his rurſus per venam pulmonalem ad ſiniſtram auriculam, & denique in ipſum ventriculum fluit, qui iterum iterumque ſe contrahens, per viam modo recenſitã denuo omnem propellit ſangvinem.

Læſ…

§. XXI. Quod ſi igitur in una ex his partibus læſio aliqua contingat, oritur profuſio ejus, plus minus vehemens ac periculoſa pro diverſitate conditionis ſangvinis & læſionis. Omnium tamen impetuoſiſſima ac periculoſiſſima læſio eſt in arteriis, præprimis in majoribus ſauciatis; cui ſuccedit venæ majoris non minus periculoſum vulnus; tandem vero pororum læſio ſequitur, quæ ſolitarie ſpectata periculo pene vacat.

Speci… læ… ſion…

§. XXII. Sed ad ſpecies & modos læſionis harum partium deveniendum eſt. Antiquitatem ſi de his conſulamus, deprehendimus â Galeni temporibus unanimi conſenſu fuiſſe creditum, vel per ἀναςόμωσιν, vel διαπήδησιν, aut διαίρεσιν illam fieri. Intelligunt autem per anaſtomoſin, (quam Celſus oſculationem appellat) immodicam extremitatum vaſorum apertionem & reſerationem; ſicuti per diapedeſin tranſudationem ſangvinis per vaſorum rarefactos poros; & denique per diæreſin vaſorum ſolutam unitatem, ſpecialiter tamen illam, quæ ab eroſione dependet διάβρωσιν, & quæ â ruptione aut alia violenta cauſa externa oritur, ῥῆξιν dixerunt.

§. XXIII. Placent recenſiti modi, tanquam qui omne in his partibus vitium ſufficienter explicant, notetur ſolum

ſolum anaſtomoſin ex internis potiſſimum cauſis, plethora videlicet vera ac notha, nec non orgaſmo ſangvinis; Diabroſin vero ex acrimonia ſangvinis & aſſumtorum (quorſum aloën refero, ſingulari vi aperiendi hæmorrhoides præditam) vel externis locis applicatorum dependere, & ῥῆξιν ex ex contuſione, caſu, aut alia vulneratione. Conferatur *Riverii Praxis Cap. de Hæmorrhagia.*

Diapedeſis vaſorum §. XXIV. Unica diapedeſis dubium mihi aliquod gignit; Hæreo namque an talis vaſorum læſio tam facile ſit admittenda. Audio quidem raritatem vaſorum juxta ac tenuitatem ſangvinis tanquam cauſas internas, ſolis vero ac balnei calorem tanquam externas incuſari; attamen ignoro quam loquantur raritatem in vaſis adeo compactis. Sane ſi tenuiſſima lymphatica vaſa, liquorem ſuum, ſæpius perquam ſubtilem detinere citra tranſudationem valent, quid non ſperandum de venis & arteriis? Quod ſi vero calori externo tantam rarefaciendi vim attribueris, dic quæſo, cur agreſtes, qui ſæpius à diluculo ad crepuſculum uſque Sirii ardorem perferre coguntur, aut qui prope fornacem diutius hærent, ſudoris loco ſangvinem frequentius non ſtillent, cum tamen cauſa ſufficiens externa adſit.

§. XXV. Tractationem de cauſis hæmorrhagiæ tam proximis quam remotis, excipit loci indigitatio; De quo ſciendum omnem partem corporis noſtri pati poſſe hunc p. n. fluxum. Aſt ne aliquid omiſiſſe videar, nominabo ſaltem loca, & quidem primo conſveta, poſtmodum & inconſveta. Ad conſveta proinde loca in utroque ſexu pertinent nares, in fœminis uterus & maſculis anus, in illis pro menſium & lochiorum, in his pro hæmorrhoidum fluxu. In minus conſvetorum catalogo continentur præter vulnera omnium partium, nunc oculi, teſtante *Bartholino C. 1. h. 2. Schenck lib. 1. f. 197. Meck'ren obſ. p. 41.* nunc gingivæ. vid. *Hild. p. 6. o.* 77. nunc dentis alveolus poſt evulſionem. conferatur *Scultetus Armament. Chirurg. pag. 25. Riverius Obſerv. com. pag. 331. Horſt. Volum. I. p. 2.* de morbis mulierum *pag. 36.* nunc porus narium, obſervante *Salmuth. Cent. II. pag. 20.* nunc pori univerſi cutis, referente *Horſtio lib. 1. p. 2. p. 35.* nunc penis, prout allegat *Hœchſtetterus decad. 1. obſ. 3.* nunc varices pedum ruptæ, videſis *Hildan. p. 92.*

§. XXVI. Progredior ad ſigna, ubi alia requiruntur pro morbo, alia pro loco affecto, alia pro cauſa & tandem alia pro eventu manifeſtando. Signa morbi & loci affecti ex autopſia hauriuntur, ſi in partibus oculis patentibus accidat: Sed ubi ex aliis, quas veſtibus obtectas Deus & natura voluit, contingat, tum confeſſio ægrotantis aut adſtantium ſupplebit defectum. Quod cauſarum ſigna concernit, ex plethora vera judicabis morbum, cum facies colore roſeo picta & vaſa ſangvinea nimium quantum turgida appareant, ægrotus vero de langvore artuum, & fluxu citra ullam notabilem occaſionem accidente conqueratur. Qui ex plethora nothá originem ſumit fluxus, multum habet commune cum vera, niſi quod plerumque ſequatur commotionem corporis aut animi, vel alimentorum acrium vel ſpirituoſorum aſſumtionem. De acrimonia ſangvinis certior fies, ſi ſigna attenderis cacochymiæ, ſcorbuti, & aliarum ſupra adductarum affectionum. Tenuitatis denique te commonefaciet ſerum copioſum, poſt extravaſationem in patina reliquæ maſſæ ſupernatans. Anaſtomoſin vaſorum diſces ex indolente effluxu nulla prægreſſa contuſione aut alia externa violentia, quemadmodum diabroſin, quando cum dolore fluit, & ῥῆξιν, cum injuria ab extra præceſſerit.

Signa

morbi & loci

cauſarum

Prognoſis §. XXVII. Signis prognoſticis tanquam generalis regula inſerviet, periculoſam nunquam non hæmorrhagiam enormem eſſe; majus tamen periculũ imminet, primo ſi ex arteria prorumpat, metuendum namque, ne brevi, impetuoſo hoc ſaltu, in univerſum theſaurus vitæ conſumatur. Secundo augetur periculum, ſi major truncus vaſis ſangviferi fuerit læſus. Tertio periculoſiſſima quoque eſt in morbis cum exanthematibus, ex ratione §. 8. adducta. Quarto triſtis erit prognoſis, cum pallor vel alia diſcoloratio

in facie; extremorum frigus, deliria, lipothymiæ, convulſiones ac ſingultus ſuperveniunt, teſte *Hipp.ſect.5.aph.3.& 50.ſect.7.aph.9.* E contra benignius judicandum de hæmorrhagia mitiori à vaſis minoribus & locis externis, aut in fœminis poſt menſtrua ſuppreſſa, vel cephalalgiam diuturnam.

Cura

§. XXVIII. Abſolutis jam iis quæ ad theoriam hæmorrhagiæ ſpectabant, ad curationem progreſſum facio. Maturanda hæc eſt celerrime, cunctatio enim, ut in omnibus acutis morbis, ita præprimis in noſtro maxime nocet. Erit itaque omnium primum, cauſam ſciſcitetur Medicus, ſine cujus cognitione rationalis therapia inſtitui nequit: Præterea & in ipſum locum affectum inquiret, quo externo quoque apparatu, ſi opus fuerit, ſuccurrat.

Hæmorrhagiæ ex Plethora

§. XXIX. Supponamus itaque perſpectum eſſe medico à Plethora vera oriri affectum, tum omnium Practicorum conſenſu venæ ſectio erit tutiſſimum & feliciſſimum remedium, cum ejus ope naturæ conatus potiſſimum ad liberationem à ſarcina nimia ſangvinis tendens, juvetur. Quæſtio ſolum erit ſolvenda: qua quantitate & quo in loco ſangvis debeat ex ſecta vena trahi. Quoad primum ſi Capivaccium citante *Petræo in Noſolog.harmon. 229.* conſulas, hoc audies reſponſum; ſi ſummma eſt vehementia morbi, expedit confertim ſangvinem usque ad animi deliquium evacuare. Alii tamen præeunte *Galeno lib. de curandi ratione per ſangvinis miſſionem cap. 11.* notabilem quidem una vice ſangvinis evacuationem approbant, ſed non tantam, qualem Capivaccius voluit. Propterea ſi unica phlebotomia non ſuffecerit, jubent ut poſt horarum aliquot intervallum vel ê vulnere modo inflicto, vel ex alio loco, nova ſangvinis portio detrahatur. Conf. *River. Praxis.* Nos quid ſentiamus de hac quæſtione binis verbis aperiemus: Capivaccius methodo ſua cito, ſed non tuto; Galenus autem tuto, ſed non cito curat. Ad alteram quæſtionem reſpondemus, pro ſcopo imminuendi ſangvinis quantitatem nullam eſſe diſcrepantiam ſive in talo, ſive in brachio, ſive alio in loco illam adornes, modo amplum foramen infligatur venæ. Aſt ſi revulſionem ſimul intendimus, neceſſum erit vel in parte adverſa, vel in remotioribus locis venam pertundere, ita v. g. ut in narium hæmorrhagia talum, in uteri vero brachium ſeligamus.

§. XXX. Utut autem hac memorata venæ ſectione â præſentaneo vitæ periculo certo liberari poſſint decumbentes, tamen cum deprehendantur quandoque, qui neſcio quid ſibi vitæ periculum ex illa metuant, illis ſcarificationes, vel hirudines juxta *Rhodium Cent. 3, obſerv. 71.* ſvadendæ ſunt; verùm non tam cito voti reddentur compotes, quàm ubi per venæ ſectionem abundantiam imminui adміſerint. Reliqua adverſus plethoram adhibere ſolita medicamenta, ut ſunt purgatio; inedia planè hic locum non inveniunt, nimis enim tardè operantur.

ex O

§. XXXI. Miſſa curatione hæmorrhagiæ ex hac prima cauſa, examinandam ſumimus alteram, ab orgaſmo oriundam. Equidem & in hac venæ ſectio & modo laudatæ ſcarificationes & hirudines conveniunt, ſed palliative ſolum, minusque ſufficienter, quod etiam de fortioribus frictionibus & ligaturis dolorificis artuum, vel ad imitationem Rondoletii, teſtium, aut juxta *Cratonem & Hild. p. m. 91.* digiti minimi; pariter ac de cucurbitulis, hypochondrio dextro ex commendatione Hipp. aut jubente *Foreſto obſerv. 14. l. 13.* cruribus aut cervici admotis judicio. Cavendum tamen, ne nimiam hanc incarcerationem ſangvinis in partibus periculum ſequatur, prout optime circa ligaturas inprimis *Zypæus fund. med. p. 377.* monuit.

§. XXXII. Adeoque rectius agunt, qui tali in caſu cauſam ipſam orgaſmi h. e. jam ſangvinem ipſum reſolutum, jam impellentes ſpiritus reſpiciunt. Primam intentionem obtinebunt per acida tam ex regno vegetabili deſumta, uti ſunt ſuccus granat. acidus, citri, ribium. berberum, acetum &c. vid. *Hild. pag. 91. 92.* quàm minerali, v. g. ſp. ſalis rectificatus ac vitrioli, cujus operationem ſingularem *Wedelius in*

Miſcell.

Miſcell. Acad. Nat. Curioſ. Ao. III. o. 106. cum eſſentia violarum maritatam extollit: horum etenim ope craſſeſcit & firmiorem in momento conſiſtentiam acquirit tincta non ſolum ſangvinis portio, ſed etiam ſeroſa. Attamen ne fruſtra hæc dici credas, en teſtem omni exceptione majorem, illuſtrem puta *Boyleum, in apparatu ad Hiſt. naturalem ſangvinis humani p. 85.* qui refert ex affuſione ſpiritus ſalis l. Vitrioli ſuper ſerum ſangvinis, albas quasdam concretiones eſſe productas, coagulum caſei exacte referentes.

§. XXXIII. Quod de acidorum facultate coagulativa ſangvinis modo adſtruxi, de aliis adſtringentibus & incraſſantibus etiam nunc confirmandum eſt. Refero autem ad adſtringentium titulum hæmatitem, crocum martis adſtringentem, vitriolum martis ad rubedinem calcinatum, terram vitrioli d. corall. ſacch. Saturni & exin præparata, tincturam hæmatit. Sulphuris, vitrioli, martis adſtringentem, antiphthiſ. & corallorum it. ſyr. berber. & myrtillorum, de roſis ſicc. & ſymph. Fernelii; ſtercus aſini pulveriſatum, quod tanquam excellens remedium adſtringendi vi præditum interne *Rodericus à Caſtro & Zacut. Luſitan. Pr. Hiſt. lib. ultim. p. m. 638.* exhibent, ut nauſeoſum non commemorans. Operandi modum de hiſce ſi petis, ſcias, hamoſas illorum atomos, ſangvini interjectas conciliare ipſi conſiſtentiam magis ſtabilem, motuique adeo veloci minus aptam.

§. XXXIV. Deinde incraſſandi vi ſangvinis orgasmum, & hæmorrhagiam compeſcentibus annumero glutinantia, ſeu quæ viſcidas particulas tenui ac reſoluto ſangvini, pro naturali craſi reſtituenda, addunt. Intelligo autem ſpeciatim gummata minus acria, uti ſunt arabicum, quod *Proſp. Alpinus de plantis Ægypt. p. 5.* ut euporiſton illis in regionibus ſangvinem ſiſtens extollit, vel ceraſorum. tragacanthi, maſtiches, colophonium, bdellium, quæ *Jacobus Fontanus Med. Pr. L. I. c. 32. & Velſchius Mictomin. p. 9. deprædicant.* Non tamen propterea excluſa volo alia concreta glutinoſa, præprimis ſperma ranarum, de quo in ſubſtantia aſſumto Paracelſus *Comment. in lib. 14. paragraph. c. 7.* coagulationem ſangvinis ad decem, imo viginti annos pollicetur, ſed quamvis hoc inſigne promiſſum fide careat, nihilominus ſperma ranarum, & exinde præparata pro remediis habeo egregiis in hoc affectu. Sit inſtar omnium ſperniola *Crollii in Baſilica ejus Chym. p. 474. 475.* deſcripta, notetur modo doſin ab Autore præſcriptam augendam eſſe. Quid enim quæſo gr. iij. vel IV, aut quantitas avellanæ ſemis horum glutinantium remediorum (hæc doſis eſt ab Auctore nominata) ad tot libras reſoluti ſangvinis? Idem judicium eſto de ſpermate ranarum in ſubſtantia aſſumpto, inſufficiens etenim ſimiliter eſt quantitas caſtaneæ, quam *Langius in Epiſt. p. 834. determinat.* Poſt ſperma ranarum glutinantibus ſuccedet lac animalium, vel ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus & minoribus cum aquis appropriatis paratum, attendendum tamen in horum uſu erit, num primæ viæ ab acido peregrino ſint liberæ, ſecus non autor fuerim ut adhibeantur.

§. XXXV. Hoc modo adverſus ſangvinis dyſcraſiam Medicus judicioſus exhibebit medicamenta, ſine dubio eventu optato, modo ſimul ad orgaſmi cauſam, ſpirituum nempe commotionem, reſpexerit, Fiet hoc commode medicamentis refrigerantibus & narcoticis. Refrigerantibus annumero aquas deſtillatas plantag. urtic. centumnodii, equiſeti, endiv. portulacæ, acetoſ. & acetoſellæ &c. deinde nitrum & ex eo parata, Sal prunellæ, de quibus experimenta referunt *Riverius p. m. 128. & Velſchius Mictomim. p. 10.* Sub narcoticis volo papaverina & opium juxta præcepta *Riverii, Miſc. Ac. N. C. Ao. IV. p. 292. Hild. p. 556. Schenck. L. 1. p. 333.* Merito igitur *Sydenham in operibus p. 163.* anodynum ſuum liquidum, & antiquiores Philonium ad unc. ſem. videatur *Matthias de Gradibus ad c. 35. Rhaſ. ad Almanſorem, & Ferdinand. Hiſt. med. 33. p. 104.* interim virium ratio ſedulo habenda eſt.

§. XXXVI. Præterea ſpirituum motum infringunt animi deliquium & terror. De animi deliquio hæmorrha-

rhagiã ſedante jam olim aliquid *Hipp. lib.3. Epid. ſect.* 7. conſignavit his verbis: ſangvinis ſuppreſſiones faciunt animi deliquium &c. cui effato quoque *Galenus* 5. *Meth. c.* 5. & *Riverius Praxeos pag. m.* 128. adſtipulantur, è quibus ultimo nominatus obſervatione eleganti hujus operationis fidem confirmat.

§. XXXVII. Qvoad terrorem res magis in propatulo eſt, vix enim hodie tonſorem aut aniculam reperiri crediderim, qvibus terroris facultas in ſupprimendo ſangvinis effluxu ſit incognita. Vides propterea à tergo ægrotantium ex improviſo bombardam exploſam, aut aquam frigidam inopinato cervici affuſam, ſæpius aliis in caſſũ præmiſſis, incantamenti ad inſtar tollere affectum. Nec rationi repugnant hæc vulgi experimenta, quoniã à terrore illo non tantum concutiuntur, ſed quoq; fugantur ſpiritꝰ, ita ut ſemicoagulatus ſangvis, non ab orgaſmo ſolum, ſed omni pene motu deficiat.

§. XXXIIX. Tandem & huic intentioni inſervit refrigeratio corporis, qvem in finem *Hild. C.3. obſ. 2.* totum corpus in cadum aqvâ frigidâ repletum immiſit. *Riverius vero p.m.132. Fontanus p.170.* oxycratũ vel aquã ſaltem frigidam, regioni frontis, temporum, cervicis, mammarum, brachiorum, teſticulorum aut pedum applicant. Minime tamen omni tempore illorum uſum ſvaſerim, ob metuendam coagulationem nimiam ſangvinis, vel majorem ebullitionem in interioribꝰ locis. Rectiſſime igitur Hildanus, non niſi in robuſtiſſimis juvenilibus ſubjectis, & re ſumme deplorata, Riverius autem in hæmorrhagia ê partibus externis commendat.

Ex acrimonia ſangvinis

§. XXXIX. Sed properandum eſt ad curã hæmorrhagiæ ex ſangvinis acrimonia oriundæ, qvam tertio inter cauſas loco ſupra poſuimus. Quo vero felicius illam obtineamus, ipſius acrimoniæ natura prius debet eſſe perſpecta: Eſto igitur ſalſam te ſuſpicari, qualis in ſcorbuticis, ſcabioſis & coryza laborantibus creditur, tum inviſcantibus ſuperius recenſitis, gumm. nim. arab. maſtiche, colophon. aut emulſionibus ex ſemin. qvatuor frigid. maj. & minoribus, vel lactis potu voti tui redderis compos. Aſt ubi ad aciditatẽ deflectitur ſalſedo, ad terrea, qvæ abſorbendo illud nunc evadunt in adſtringentia, qualia ſunt terra ſigill. lemnia, bolus armena, oſſa microcosmi calcinata, nunc in diuretica, quorſum inprimis lap. carpionum uſus pertinet, juxta *Hild.* & teſtarum ovorum, *juxta Antonium de Heide obſ.35. p.98. ejus Anatome Mytuli annexarum.*

aqu

§. XL. Reſtat adhuc ultimo ex ſangvinis vitio, ſcilicet ſuperflua ſeroſitate provenientis hæmorrhagiæ cura. Rurſus pro hoc debellando confugimus ad glutinantia aliquoties jam nominata. Quandoquidem vero nimium abundare debent aqveæ particulæ, anteqvam adeo diluant ſangvinem, ſ. n. glutinoſum. Igitur facile concipi poteſt, neutiqvam per horum glutinantium doſin unam aut alteram tolli poſſe hanc morbi ſpeciem, ſed neceſſum eſſe ut ſæpius reiterentur, inſimulqve juxta *Hipp. Lib. 5. aph. 2.3. Riv. pag. 136. Rondelet. p. 268. Petræum 233. Zechium 38.* nil niſi cibi incraſſantes, v. g. pedes vitulini, arietis, hœdi, oryza, caſeus recens & pingvis, ova indurata & alia aſſumantur.

ex læſ lidaru part

§. XLI. Hæc arma ſunt adverſus ſangvinis vitia, ſeqvuntur jam ſolidarum partium læſionibus contraria. Conjunctim illa ſiſto, non conſiderata differentia inter anaſtomoſin & diæreſin, revera enim curationis ratione nulla intercedit. Attamen cum inſignem apparatum nobis hic iterum ſuppeditent Practici, eorum obſervationes, ne empyricorum more citra judicium illa arripiamus, certas in claſſes diſtribuemus.

per li ra

§. XLII. In priori itaque hærebunt conſtrictione actuali oſtiola transmittentium vaſorum ſangviferorum obturantia, ſive clarius loquendo, compreſſiones & ligaturæ ſauciatorum vaſorum. Qvoad compreſſiones, qvid notius ſolius digiti admotione ſ. v. vulnus occludi à chirurgis, vel narium hæmorrhagiã ope fabæ, aut argenteæ mone-

monetæ, per faſciam inter cilia arctæ ligatæ, vel radicis narium forti compreſſione ex tempore ſiſti. Neque de ligaturis circumjectis dubium erit, modo faſciis ſ. ſpleniis debitis, parietes vaſorum ſibi approximentur, utut etiam arteria ſit, quæ ſangvinem transmittat, *conf. Job. a Meeckren. p. m. 163. ſequentibus.* Nondum tamen his ſufficientibus ad imitationem *Hildani p. 823.* filo duplicato vas læſum, ſi acceſſum admiſerit, colligetur.

[...]ntia §. XLIII. In altera claſſe ſtant medicamenta, quæ glutine ſuo exitum ſanguinis impediunt. Experimentum hinc certiſſimum arculariis v. g. bibliopegis, aliisq; hujus farinæ mechanicis eſt, recenter inflictis vulneribus gluten inſtillare in formam liquidam redactum. Ex eodem fundamento ſangvis exſiccatus vulneribus aſperſus, vel naribus, ſi ex illis cruor fluat, inſufflatus juvare creditur *a Joele in praxi p. m. 202. & Wed. Amoen. mat. med. p. 507.* quod idem de operatione foliorum ceraſi, externe vulneribus impoſitorum cum *Velſchio Mictom. p. 39.* intellectum volo, aliam materiam medicam huc ſpectantem ut nunc omittam.

[...]noſa §. XLIV. Tertia claſſis præbet lanuginoſa, utpote â quibus ſangvinis exitus remoratur non ſolum, ſed etiam vulnerum labia adducuntur. Sic lanugo ſalicis confert, vel fructuum cydoniorum, platani, bombacis & caſtanearum, prout affirmat *Rondeletius p. 283.* ſic operantur linteorum ramenta & turundæ ex raſili linteorum lanugine contortæ, telæ aranearum, pilique leporis.

[...]antia [...]ſtrin[...]ia. §. XLV. In quarta claſſe locantur ſangvinem in exitu incraſſantia & vaſa conſtringentia. Conjungo duplicem hanc operationem, rarius namque unicam ſolum ex illis a medicamento exſeri deprehendas. Dico rarius; refert enim *Simon Pauli in Quadrip. Botan. p. m. 396.* coagulationem talem ſangvinis ſine adſtrictione vaſorum a menthæ decocto ſub forma pediluvii adhibitam. Etenim illud, cum fœmina quædam pedes immerſiſſet, ſangvinem ita ſuppreſſit, ut ne guttula ex vena ſaphena a chirurgo ſelectiſſimo ſecta effluere potuerit: Igitur non male mentha contuſa naribus *â Riverio p. 196.* intruditur pro hæmorrhagia illarum compeſcenda. Sed magis eſt mirandus effectus Spir. Vini, qui contrario operatur modo, nimirum conſtringendo vaſa ſine coagulatione ſangvinis, quemadmodum id variis in ſubjectis, egregii hujus experimenti inventor Excellentiſſimus *Dn. D. Bohn in Actis Erudit. Lipſ. Anno 1683.* menſe Aprili publicatis, annotavit.

§. XLVI. Sed ad illa me confero, quæ, uti dictum, incraſſantia ſimul ſunt & adſtringentia. Duplici via iterum præſtant hanc operationem, jam auſteras ſuas partes odoretenus & ſub forma miaſmatum, jam reali attactu communicando. Miaſmatum ſub forma ſiſtunt, ſtercoris ſuilli ac aſini odor, manifeſtis nimirum auſteris exhalationibus teſte *Wedel. Amœn. mat. med.* imbutus. Sordities tamen hujus remedii, cum quamplurimos ab uſu ejus deterreat, frequentius attactu operantia exigit. Talia ſunt epithemata & cataplaſmata repellentia dicta ex oxycrato, terra ſigill. bolo, ſangvine draconis, farin. volat. vel ex gypſo, cineribus chartarum luſoriarum, & album. ovor. quale exemplum *Braſſavolas* in *com. ad 23. lib. 5.* evehit. His accedunt ipſis læſionib9 adſperſa terra ſigill. hæmatites, fungus pulverulentus, aliàs lupi crepitus dictus, pulvis gallarum, uſnea cranii humani, & quod omnibus palmam ſi non præripit, dubiam tamẽ reddit, alumen ex *Borelli Obſervat. 50. C. IV.* Fluida ſi arrideant, non deerit unquam ſufficiens apparatus, poteris namque vel ſolum acetũ in uſum vocare, ſive pannum xylicium uſtũ cum albumine ovor. ſubactum, quod egregium ex Wedelii communicatione eſt arcanum, vel atramentũ ſcriptorium, vel famoſum liquorem ex Vitriolo & alumine, cujus deſcriptionem *Act. H. Vol. II. p. 349.* & *Weberus* in peculiari de liquore ſtyptico conſcripto tractatu exhibet.

§. XLVII. Hæc mitiora ſunt, ſuperantur enim multum ab Eſcharoticis dictis, h. e. quæ vaſorum ſangviferorum extremitates comburendo cruſtam inducunt. Nil refert ſive potentialia ſive actualia fuerint. E potentialibus ſiquidem Vitriolum uſtum ſive *Eſcharotica*

chol-

cholcotar*a Riverio p. m. 132. Henrico ab Heer obſ. 23. Heurnio in comment. ad Aphor. Hipp. à Rondeletio* autem auripigmentum, ſandaraca, extolluntur, plura ſi deſideras evolve *Severini trimembr. Chirurg. Heurnii method. ad Praxin & Bartholinum de cauteriis.* De actualibus res magis aperta eſt, quod ſi enim ferrum candens loco affecto admoveatur, ſtatim coagulatur ſangvis, & in eſcharam plus minus duriorem convertitur locus. Apud antiquos hæc ſangvinem ſiſtendi methodus ſummè commendabatur teſte *Hipp. lib. de locis in homine cap. 49. Rhaze lib. 7. c. 20. Avicenna 4. lib. c. 29.* frequentiusque hodie adhuc apud Italos ac Gallos in uſum vocatur. Inſtrumenta ſi deſideras & obſervationes, erunt tibi inſtar omnium *Hild. p. 823. 824. & Severinus in tr. de efficaci medicina p. 265.* qui depicta non ſolum illa, ſed maximis præterea encomiis elata ſiſtunt. Quandoquidem vero noſtri populares uſtionem hanc partium cane pejus ac angve reformidant, neque nos prolixius inhærebimus ejus examini.

Pulvis ſympatheticus Dygbæi

§. XLVIII. Antequam vero finiamus tractationem de apparatu medico, mentio adhuc injicienda eſt celeberrimi iſtius pulveris ſympathetici Dygbæi vulgo dicti, cujus ope feliciter omnis hæmorrhagia, modo ſolum ſuper illum guttula una vel altera exſtillantis ſangvinis mittatur, miraculoſe compeſci poſſe creditur. Deſcriptionem ejus nobis *Dygbæus* ipſe communicat *de pulvere ſympathetico pag. 10.* referens conſtare illum ex ſolo Vitriolo, menſe Julio vel Auguſto à radiis ſolaribus calcinato, cum anatica, vel prout alii volunt ſub decupla parte gummi tragacanthi mixto.

Operandi virtus

§. XLIX. Num ex naturalibus viribus hanc ſuam præſtet operationem pulvis hic, diſputatum eſt hactenus acerrime inter Autores. Nos omiſſa hac diſceptatione quæſtionem potiꝰ facti movemus. Minime autem concedimꝰ ſanationem hæmorrhagiæ certo ac præciſe, utut nihil omiſſum ſit quod requirebatur ex utraque parte, ſequi. Et noſtrum ſi forſan in dubiũ vocites effatũ, en magni *Boylei tentamina phyſica p. 120.* ubi propriam, minus ſecundam adjicit experientiam. Quod ſi tamen eventꝰ optatus inſequatur, quem perpetuo non negavero, tum omnino ex naturalibus cauſis operationem dependere rationibus variis evincit *Wedelius Amœn. mat. med. p. 504.* adeoq; ſalva conſcientia ad hoc remedium confugi poteſt.

Cura ... ſiti...

§. L. An autem citra conſcientiæ vulnus ſolis carminibus poſſimus profluvium ſangvinis compeſcere ad imitationem liberorũ Antolyci hæmorrhagiam Ulyſſis, citante *Langio epiſt. p. m. 705.* ſic curantibus, aut verſibus *Jobi à Meeckren o. p. 40. allegatis*, conſtanter nego, nec mihi cum *Borello Cent. 1. o 94.* perſvaderi patiar in verbis hiſce nudis tacitè muſſitatis tantam occultam ineſſe virtutem, niſi in incredulis potens Satanas ad augendam ſuperſtitionem opem ſuam confert, quod idem judico de modo ſiſtendi eruptionem ſangvinis ê naribus, ſi cum cruore effuſo, fronti ægrotantis nomen, in ſacro baptismatis lavacro impoſitum, inſcribatur, videſis Petræũ *Noſol. Harm. p. 235.*

Cura ... ptom...

§. LI. Unicum adhuc reſtat, nimirum ſymptomatum concomitantium & inſequentium cura. De prioribus obſerva, ceſſante cauſa, h. e. effluxu ſangvinis ſponte ceſſare langvorem cordis, ſudorem frigidum, ſcotomiam, & animi deliquiũ, cum reliquis; adeoq; illa vel planè non attendenda ſunt, vel nõ alia poſtulant remedia, quàm ſi ex aliis cauſis provenirent. Aſt virium proſtratio omnino urget ſubitaneam reſtitutionem; metus enim imminet celerrimæ mortis, aut cachexiæ vel hydropis ex intermiſſa cura. Quo igitur utrumque poſſit evitari, Practici juſculis reſtaurantibus caponum, hordei, confectione alckermes, aliisque confortantibus obviam ire jubent. Optandũ vero, reſpondere infallibiliter promiſſo virium reditum: verum tantum abeſt, quin caſſa ſpe ſæpius nobis jam allegata illudant, dum ne quidem in chylum, multo minus in nutrimentum, converti ſe à ſpiritibus jam deficientibus patiuntur; *conf. obſ. ſupra §. 5. allegata.*

Tran... ſang...

§. LII. Itaque tali in caſu unicum ſupereſſe videtur remedium, atrox quidem primo intuitu, ſed periculoſiſſimo hoc ſymptomate dignum,

gnuin, quod moderni ſangvinis transfuſionem ex animali ſano ac vivente in aliud ægrotum vocant. Non rationi diſſonum eſt illud, celerrime ſiquidem vitæ hic theſaurus ejus ope reſtituitur, qui aliàs nunquam, aut non, niſi per longam temporis moram, ob langvorem virium recuperari poteſt. Neque experientia contrariatur, inſignem namque ejus uſum non ſolum *Tranſactiones Anglicanæ pag. 563.* ſed *Lovver* etiam *de corde p. 186. 203.* & poſtmodum alii egregii Viri loquuntur. Imo ſi parva licet componere magnis, propriis manibus celebratam, hisque oculis viſam in cane experientiam allegare poſſum. Res ita ſe habet: Anno ab hoc altero in collegio privato Anatomico præſentibus plus quàm viginti Philiatris, è canis ſupra tabulam firmiter ligati vena jugulari externa detrahebam omnem cruorem, usque donec miſer ululans antea inſigniter, ac jactitans ſeſe, langvidus adeo reddebatur, ut ſolutis omnibus vinculis ne pedem amplius movere poſſet. Interea in promptu erat alius canis ſimiliter tabulæ proximæ annexus, in cujus arteriam carotidem, ſcalpello læſam tubulum huic negocio accommodatum una extremitate immittebam, alterâ in ſemimortui canis venâ firmatâ. Breve tempus interceſſerat, dum hæc agebantur, cum canis ex orci faucibus ereptus, vivere denuo, hoc eſt movere ſeſe, latrare, finitaque operatione, ſangvinisque fluxu per ſpiritum vini ſuppreſſo, lætus pedibus inſiſtere cœpit, altero die ſuum hoſpitium, quaſi nihil ſecum actum eſſet, ſanus ac alacris repetens. Similia itaque & in homine locum habere ſuſpicor; Satius enim erit in caſu deſperato aliquod, utut anceps, hisque noſtris regionibus minus notum, quàm nullum tentare remedium.

§. LIII. Sufficiant hæc hac vice; Fateor quidem plura reſtitaſſe adjicienda, præprimis circa apparatum medicamentorum; ſed veniæ futurum locum ſpero qui exercitii gratia diſputationem, minime vero perfectum omni ex parte tractatum conſcribere, in animo habui. Deo interim pro conceſſis viribus ſit

Laus & Gloria.

F I N I S.

Disputationum Langianarum
Decima octava:
De
ΙΣΧΑΙΜΟΙΣ
Seu
SANGVINEM SISTENTIBUS.

§. I.

Cum non omnino Doctores de ſignificatu vocis, quam frons diſputationis gerit, inter ſe conveniant, ante omnia vera ejus enucleanda eſt acceptio, quo poſthac differentiæ, modique agendi ſic nuncupatorum remediorum, ſiſti ſine offendiculo valeant. Nam ἴσχαιμα, juxta lexicon Caſtelli-Brunonianum, ſunt illa tantum remedia, quæ ſangvinem præter naturam fluentem vi cauſtica & eſcharotica ſiſtunt; tali enim in ſenſu Fautores hujus opinionis nomen hoc Galenum uſurpaſſe perhibent, ideo, quod omnes formulæ ab ipſo ſub hoc titulo exhibitæ ex urentibus, & cruſtam inducentibus conſtent. Sed hi nimis omnino anguſtis ἴσχαιμα videntur includere cancellis, cum equidem cauſtica & eſcharotica ſub illis, tanquam ſpecies ſub genere, comprehendantur, minime tamen ſola ſunt, quæ arceant fluxum ſangvinis, obicemque ponant moto extra ſua pomœria cruori, quin plura longè, eaque penitus ab his diverſa, huic intentioni inſervientia inſuper dentur. Hinc rectius *a Moebio Epitom. Inſtitut. med. cap. 34.* omnia refrigerantia, incraſſantia, congelantia, adſtringentia & narcotica per ἴσχαιμα intelliguntur, imo & plura adhuc alia ab his diſtincta quoque remedia, ſummo jure iſto ornantur titulo; Et quid multa, cum vox è græco verbo ἰσχύω, quod cohibeo ſignificat, & αἷμα, hoc eſt ſanguis, deſcendat, univerſa ſangvinem ſiſtentia, quæ germanice Blutſtillungen / Blutſtillende Mittel / audiunt, mihi cum *Clar. Wedelio in Amœn. m. m. lib. 2. ſect. 2. cap. 19.* & aliis viris doctis hoc nomine veniunt.

Onomatologia

§. II. Ex hiſce adeoque conſtat, unico hoc ſub titulo multifaria comprehendi remediorum genera, quorum omnium tamen effectus ſemper in id collimat, ut præter naturam ſtillantem è corpore ſangvinem inhibeant, ſiſtant ac ſupprimant. Quo vero id ipſum præſtent modo, & quibus gaudeant nominibus, vix commodius tradi poterit, niſi fluxus hujus ſangvinis cauſæ ad examinis incudem prius vocitentur, ac quodammodo hæmorrhagiarum exponatur ætiologia.

§. III. Proinde ſcire eſt; ſangvinem extra ſuos à natura conceſſos limites ferri nunquam, niſi vis quædam, vel vaſa ipſum detinentia, vel partes aperiat illas, quibus ex arteriis fluens ante inſtillatur, quam à venis ſuſcipitur. Iſthæc vero vaſorum præternaturalis apertura, communi antiquorum ſententia, modis fit tribus: (1) per ἀναςόμωσιν, hoc eſt: notabilem vaſorum quoad oſtia, ſeu extremitates reſerationem. (2) per διαίρεσιν, ſive ſolutam vaſorum unitatem, quam ab eroſione ortam διάβρωσιν dicebant, & ῥῆξιν vel ῥῦσιν, ſi externum rumpens vel ſecans in culpa fuerit. Et (3) per διαπήδησιν, nempe transſudationem per parietes vaſorum extenuatos & rarefactos, quæ tamen omnium rariſſime, imo vix unquam obſervatur, cum potius, ſi quandoque obex ſangvinis

Hæmo- gi-

nis

nis circulationi poſitus animadvertatur, ſerum tantummodo tenue & limpidum, minime vero ſangvis ipſe tunicas ipſorũ transſudare cernatur, quod ipſum eleganti experimento docet *Lovver Tr. de Corde, cap. 2. pag. 124.*

§. IV. Cauſæ ἀναϛόμωσιν producentes, quæque intra corpus unicè hærent, vel mole ſua nimium vaſa diſtendendo, vel relaxando ſaltim, oſtia & extremitates ſolvunt: Priori occaſionẽ dat potiſſimum ſangvis abundans, præſertim, quando in impetuoſum motum & orgasmum concitatur, per affectus animi, motum corporis violentum, ſpirituoſam diætam, balnea, medicamenta ſudorifera, calida, volatilia oleoſa, purgantia draſtica; in partes enim cum impetu delatus, quoniam non libere per venas refluere poteſt, ibi ſtagnat, & diſtenſione ora vaſorum aperit, & qua data porta erumpit. Nec minor ineſt vis cruori, ſi remeare ſaltim ab extremitatibus neſciat, à quodam obſtaculo impeditus. Unde hypochondriaci, hydropici, cachectici, & qui gravioribus viſcerum obſtructionibus, & inflammationibus tentantur, aut contuſionibus affecti ſunt gravioribus, enormes & frequentius recurrentes patiuntur hæmorrhagias. Fere enim ſemper hæmorrhagia, orta à cauſa interna, ex motu ſangvinis liberiori impedito derivanda eſt; quando enim obice in parte poſito, ſangvis minus commode redire atque transfluere poteſt, regurgitat in partes patentes, quas accedente impetu ſangvinis, à tergo tandem p. n. aperit, non ſecus ac in hydraulicis, obſtructo uno canale, impetus aquæ in apertos abit, quos vi interdum perrumpit; Relaxationi vero oſtiorum in vaſis ſangviferis inſervit Dyſcraſia cruoris ſeroſa, quæ in ſubjectis cacochymia, catarrho & hydrope laborantibus; item hyemali tempore, ubi transſpiratio à frigore externo, corporis peripheriam circumambiente, impeditur, ſola ſæpenumero efficit, ut hæmorrhagiæ ejusmodi enaſcantur.

§. V. Sic quod διαιρέσεως concernit cauſas, illæ parili ratione haud raro in corpore latitant, frequentius tamen ab extra advenientes depreheduntur. Conveniunt vero ambæ in eo, quod diſcerpatur ab ipſis, ac ſcindatur partium ſangvinem continentium unitas, Nam dum v. g. æger ſcorbuticus, vel variolis, aliove morbo, qui ſangvinem acrem pro cauſa agnoſcit, correptus hæmorrhagiam patitur, id non tantum impetuoſæ ſangvinis commotioni, ſed & aculeatis, ac rodentibus ſalium ſpiculis, tyrannidem ſuam in vaſorum parietes exercentibus, eosque tandem ſcindentibus, in acceptis ferendum eſt. Quod clarius adhuc, ex fluxu ſangvinis præternaturali patet in ulceribus, utpote in quibus rodens talis acrimonia magis in aprico poſita eſt. Omnium vero evidentiſſima ex his cauſis eſt unitatis ſolutio, per vulnerantia exterius illata, utpote, quorum effectus nunquam non in ſenſus incurrere ſolet.

§. VI. Cum itaque non ſolum primariæ hæmorrhagiarum cauſæ, ſed magis adhuc remotæ adeo diſcrepent, patet clariſſime, pro harum circumſtantiarum diverſitate, judicioſum ſemper ſelectum eſſe faciendum inter hæcce ſangvinem ſiſtentia, dum huic vel illi individuo, hâc vel illa ex cauſa hæmorrhagia laboranti, ea cum fructu applicare conamur. Quare non inutilem me ſuſcepturum laborem confido, ſi in certis capitibus ea nunc ſiſtam, prout ſcilicet ſingulis, nunc remotis, nunc proximis cauſis apta obſervantur.

§. VII. Ergo inter ἴσχαιμα, in fluxu ſangvinis ex plethora nato, primum merebitur locum Venæ Sectio; quod maxime valet in illis, qui ſangvinei ſic dicti ſunt, item qui venas ſangvine tumentes habent, multum comedunt, & parum moventur, quibus ſolennes evacuationes ſangvinis, menſium in fœminis, hæmorrhoidum in ſenibus, narium in juvenibus, ſuppreſſæ fuerint, aut aſſveta ſectio venæ intermisſa. Nullum enim remedium magis adæquatum abundantem tollendi in corpore ſangvinem hac ipſa reperitur, quicquid etiam contradixerint adverſarii ex antiquis pariter ac recentioribus. Etenim, utplurimum in momento, & dum adhuc ſalit è tuſa vena cruor, rivulum vel è naribus, vel alia quacunque *Iſchæma in Plethora V. S.*

ex parte manantem ſiccari obſervamus. Confer. *Jacob. Hollerium in Comment. ad Aphoriſm. Hippoc. Sect. 5. Aph. 50. Rolfinc. in Conſil. Med. Conſult. 2. lib. 3. p. 339.* Opus verò eſt, ut non exigua, h. e. unius Unciæ forſan, aut duarum, aut trium ad ſummum, ſed quantitati ſangvinis ſuperfluæ reſpondens copia detrahatur. Alias, ſi effectus haud ſequatur deſideratus, tuæ id habeas timiditati. Nolo tamen eapropter cum *Capivaccio*, citante *Petræo in Noſolog. Harmon Lib. I. Diſſert. harmonicarum 12. pag. 229.* miſſionem humoris hujus laudabilis ad animi deliquium usque commendare, cum periculoſum, ſimulque crudele hoc mihi videatur conſilium. Potius ſatis puto, ſi unciæ octo, & in robuſto ac firmiori ſubjecto libra j educatur. Et quamvis hoc ipſum pondus nimium videatur quibusdam, eapropter ſvadentibus, ut non uno actu, ſed partitis vicibus ſangvis proliciatur ſuperfluus : vid. præ reliquis *Riverius in Prax. Tom. 2. cap. de Hæmorrhag. & in obſervationibus cent. 1. obſ. 2.* Minime tamen ipſis ſubſcribere poſſum, cum adeo multum interſit, ut, quantocyus fieri poteſt, cohibeatur hæmorrhagia. Vereor itaq;, ne opportunitatis tempora haud prudenter prætermittant, ægrisq; eo ipſo male conſulant, qui per plures ambages attingere ſcopum annituntur, quem recta via, h. e. unica venæ ſectione, cito, tuto & jucunde obtinere valent. *Confer. Galen. lib. de curandi ratione per ſangvinis miſſionem Cap. II.*

Scarificatio §. VIII. Venæ ſectioni hoc in caſu, à non paucis medicis, ſubſtituuntur ſcarificationes & hirudines, cum *Rhodio in Obſerv. cent. 3. obſ. 71.* utpote, quarum ope non minus imminui poſſe abundantem ſangvinem credunt. Nihilominus, niſi extrema urgente neceſſitate ea uſurpare cogamur in hujusmodi ſubjectis, quæ ex naturali quodam vitio, aut ſumma puſillanimitate reformidant venæ ſectionem, non facile iſta ſvaſerim, cum ſcarificatio, cum cucurbitulis, monente *Wallæo in Method. medendi p. 209.* minus amicum, ſed magno cum dolore conjunctum ſit remedium, ſine cucurbitulis vero celebrata, nimis parce ſemper detrahat ſangvinem, ſi non corporis exæſtuatio præcedat, aut in conclavi probe calefacto ea adminiſtretur, quod utrumque tamen, durante hæmorrhagia, haud invenit locum. Taceam, non tam pro univerſali, quam particulari ſangvinis evacuatione, quæ tamen in præſenti caſu nullius eſt uſus, illam inſervire, ut recte jam citatus *Wallæus l. c. p. 191.* quoque monuit. Quod Hirudines vero attinet, *Hiru[...]* præterquam, quod ſæpe fruſtra in illorum applicatione laboret Chirurgus, aut ſaltem terat longum tempus cum ſummo ægrotantium tædio, antequam cuti adhæreſcant, ſangvinemque ſugant, nec illæ univerſaliter & ſufficienter evacuant, quod tamen abſolute ad imminuendam ſangvinis copiam requiritur.

§. IX. Manet igitur inter ἴσχαιμα, pro tollenda hæmorrhagia, quam plethora gignit, palma venæſectionem, *Loci[...] in [...]* imo manet quoque, ſi ab infarctu ſangvinis ea exſurgat. Id notetur ſolum : non promiſcue licere quamcunque Venam tundere, quod integrum erat in Plethora, ſed ſi fieri poteſt, vas inter locum affectum & extrema corporis, â quibus fluit ſangvis, poſitum, pro ſcopo derivatorio, & in aliis remotioribus adhuc locis, pro revulſorio ſecare conveniet. e. g. in hæmorrhagia narium, aut hæmoptyſi vena aperiatur in pede, in menſium nimio, aut hæmorrhoidum fluxu, vena manus, de quo venarum ſelectu videri poteſt ex antiquis *Galenus ſupra citato lib. c. 14. Trallianus l. 2. c. 5. l. 7. c. 1. Zacutus Luſit. Prax. lib. ult. Num. 4.* de Hæmorrhagia, & ex recentioribus *Highmorus diſquiſitionum Anatom. Part. 2. c. 11. Spigelius de humani corporis fabrica lib. 5. cap. 7. Sennert. in Prax. lib. 4. Part. 2. Sect. 2. cap. 6. in Paralipom. ad Inſtitut. cap. 23. pag. 92. Schlegelius* in peculiari diſſertatione, de ſaluberrimo venarum in corpore humano ſecandarum ſelectu. *Bayle Problem. Phyſic. Med. 10.*

§. X. Hujus intentionis gratia etiam non male, ſi venam aperire diſplicet, talia exhibentur remedia, quæ fluores ſangvinis ſuſtinere in aliis locis ad

tempus

tempus, eoque ipſo obſtructiones reſerare præſentes valent, ex quibus *ut experta* ab *Avicenna lib. 3. Fen. 10. Tr. 3. c. 6.* laudantur cucurbitæ ſiccæ non minus quam ligaturæ & frictiones artuum doloroſæ. De cucurbitis ſiccis plurima Autorum adſunt teſtimonia, inſtar omnium ſint *Hippocr. L. 5. Aph. 50. & Galenus in Comm. in hunc locum & c. 5. method. &c.* In ipſis vero adhibendis ſequentes cautelæ commendantur, ſcilicet, ut ventoſæ magnæ cum magna applicentur flamma, quo felicius ſuſpendere, & retinere ſangvinem poſſint. Ratione autem loci variant, pro morborum varietate. Jubent enim applicare mammis, aut immediate infra ipſas, in regione dorſi ad ſcapulas; in brachiis, ſupra hepar, in nucha, hypochondriis, lumbis, natibus, pedibus &c. de quibus videantur præter citatum *Hipp. & Galenum, Sennerti Pr. lib. 4. ſect. 2. c. 6. Riverium Prax. cap. de hæmorrhag. Wincklerus in Ephemerid. Germ. Dec. I. A. 76. obſ. 90. Foreſtus l. 13. obſ. 14.* Cavendum tamen, ne hepatis regioni nimis importune imponantur, ob metuendam inflammationem, qualem ex hac cauſa commemorat *Fabr. Hildanus obſ. Chirurg. Cent. 2. obſ. 47.* qui ea de cauſa locum, ſumme ab antiquis ex falſa opinione præconcepta adeo commendatum, penitus rejicit, atque damnat.

[...]bitæ [...]cæ

[...]turæ

§. XI. Quoad Ligaturas, eas pariter laudibus egregie extulit *Hippocrates lib. 2. ſect. 5.* de morbis mulierum, jubens, ut laquei ſupra genua & cubitos, in nimio menſium & lochiorum fluxu ſtringantur, cui ſubſcribit *Galenus lib. ad Glaucon. c. 14. Aetius de re medica l. 14. c. 25. Paulus Ægineta l. 3. c. 63. Avicenna in cap. de Ligaturis. Zacut. Luſit. Prax. Hiſtor. lib. 3. c. 11. Fonſeca Tom. I. Conſult. 55. &c.* damnarunt e contra illas *Aſclepiades, citante Scribonio Largo, vid. Augenii Ferrerii Caſtigationes c. 27. & Alexand. Bonneti Theatrum Tabidorum, Exerc. 26.* Veruntamen, ſi modo partium ligatarum & ipſius ligaturæ habeatur ratio, non penitus improbari debent; Nam, quis non intelligit, fortius brachia cruraque poſſe ſtringi, quam teſticulos, aut digitum minimum, quos ligare jubet *Rondeletius method. curand. morbos c. 63. p. 281. Crato in Conſil. l. 5. Conſ. 7. Hildanus obſ. Cent. 2. obſ. 15. p. 91.* Deinde obſervetur, ne faſciæ nimis diu locis his injectæ relinquantur, ob metuendam gangrænam & ſphacelum, qui ex nimia ſangvinis ſtagnatione facile naſci poteſt, quod rectiſſime monet *Zypæus in Fund. medic. phyſic. anat. art. xi. p. 377.*

Frictiones

§. XII. Et ſic de Frictionibus partium doloroſis quoque diſſentientes obſervo medicos. Laudat illas egregie citatus modo *Bonnetus c. l.* referens: Ligaturis omnibus in caſſum adhibitis, ſemper ſe proficuas deprehendiſſe eas, inprimis in narium hæmorrhagiis, vomituque cruento, ſed contrarium ſtatuit *Timæus* von Güldenklee/ Caſuum medicin. *Lib. 1. c. 34. & Gvilielm. Fabrit. cent. 2. obſ. 15.* ex hac ratione, quod ab ipſis, ſi aſperæ & duriores fuerint, maſſa ſangvinea incaleſcat, hincque ſubtilior, fluidiorque reddita, ad excretionem magis diſponatur. Aſt modo moniti *Avicennæ lib. 3. Fen. 3. Tr. 3. c. 6. & Sennerti*, quod legitur *in Pr. lib. 1. D. 3. ſect. 4. c. 8.* haud ſimus immemores, hoc eſt, ut frictio fiat deorſum verſus extremitates, tam in pedibus, quam brachiis: utique & ab illis hæmorrhagiam ſiſti poſſe extra omnem poſitum eſt controverſiam. Ante omnia illud meretur attendi, quando in ſuperiori corporis regione eſt hæmorrhagia, frictio in inferiori, & vice verſa, quando in inferiori, in ſuperiori inſtituatur; frictione enim laxatur habitus corporis poroſus, unde major ſangvinis copia ad hunc affluit, quam antea, itaque decedit quodammodo impetus & decubitus ad partem affectam. Eadem eſt ratio: quare pediluvia, ſi ê naribus fortius erumpit ſangvis, conveniant; quando autem ex utero , vel ani venis nimium profluit, immiſſiones manuum in aquam vel vinum calidum præſentiſſimam opem ferunt.

In Plethora ſpuria

§. XIII. Sed miſſis his, progredior ad ἴσχαιμα, cum ſpuria ſic dicta Plethora, ſeu orgamus ſangvinis ad hæmorrhagias magis diſponit; ubi apparatus omnino ſe nobis iterum offert multifarius. Equidem in quamplurimis evacuantia & derivantia modo adducta

Evacuantia & derivantia

cta locum quoque inveniunt, adeo ut vel præmittere, vel mox nominandis ſociare illa ſæpius cogamur. Quandoquidem vero ea ſola non omnem in cura abſolvunt paginam, ſed juvant tantummodo palliative, ad tempus ſcilicet deplendo vaſa nimium turgida; igitur ad novas hujusmodi impediundas recidivas, cauſamque mali penitus removendam, opus erit inſuper in tali orgasmo ſangvinis ſcorbutico adhibere temperantia & inviſcantia, quæ ſua glutinoſa & viſcoſa ſubſtantia, dum involvunt ſalia, ſcorbuti cauſam ad actionem ulteriorem, h. e. tam vellicationem partium ſenſatarum, quam fibroſarum in ſangvine reſolutionem ea reddunt inepta. Quapropter huic intentioni inſervire obſervantur præ aliis alimenta medicamentoſa, uti ſunt lac, farina triticea, amylum, oryza, pineæ, amygdalæ dulces, caſtaneæ, ſem. 4. frigid. maj. album. & vitell. ovorum, butyrum ac caſeus recens cum carnibus animalium juniorum, ac pedibus & capitibus illorum, de quibus videatur *River. Prax. Med. Tom. II. ſect. III. c. 7. p.* 136. *Sennerti Inſtitut. Part. I. cap. 6. p. 829.* Addi his inſuper poſſunt gummata minus acria: ceraſorum, tragacantha, colophonium, maſtiche, bdellium, quæ *Jacobus Fontanus in Praxi Medica lib. I. c.* 32. *& Velſchius Mictomim. p. 11.* laudibus ornare non veriti ſunt. Præ cunctis tamen *Proſpero Alpino de plantis Ægyptiacis p. 5.* gummi arabicum, utpote cujus ope hæmorrhagiam quamvis ab incolis ſanari perhibet, ſummis extollitur præconiis, non ſecus ac ſperma ranarum Vere collectum ac ſiccatum, poſtmodumque ad caſtaneæ magnitudinem exhibitum, de quo vid. *Joh. Langii Epiſt. p.* 834. majora vero adhuc de iſthoc ſpermate ranarum, ejus aliquamdiu continuato uſu, nimirum quod habeat facultatem ita condenſandi ſangvinem, ut per decem imo viginti annorum ſpacium, licet graviter interea vulneretur homo, nil quicquam effluere poſſit, pollicetur *Paracelſus*; quæ tamen veritati conſona mihi haud videntur.

Inviſcantia

Acida

§. XIV. Efficaciora his inviſcantibus à non paucis Medicorum in ſangvinis ſcorbutici fluxu coercendo ſtatuuntur acida adſtringentia; quippe quæ partibus ſuis gravioribus anguloſis, ad motum non tam promptis, ſulphureas volatiles tenuiſſimas ſangvinis figunt & in motu ſiſtunt: Cum enim viderent Practici, à vino, ſpiritu vini, aliisque ſimilibus cauſis, æſtuantem cruorem poſſe compeſci, cum phlogoſi, talismodiq; ſymptomatibus ex ea enatis, v. g. per cryſtallos, aut cremorem tartari, vel ſpiritum ſalis dulcem, aut Julepum acidulum; acida quoque in ſumma hac ſangvinis turgeſcentia ac ebullitione, à qua & ipſa ſangvifera rumpuntur vaſa, ægris propinare didicerunt. Ex vegetabili igitur Regno celebrantur, *Hildano Obſ. Chirurg. pag. 91. & 92.* Citri ſuccus, vel qui ex fructibus ribium, berberum ac granatorum obtinetur, aut acetum factaque cum ipſo acetaria. Ex minerali ſpiritus acidi, ſalis, nitri, vitrioli, clyſſus mineralis &c. vel ſolitarii vel cum tinctura violarum ad imitationem *Wedelii in Ephemeridibus Germ. Decur. I. A.* 3. *obſ. 106.* aut cum eſſentiæ opii tantillo, quod remedium maximo cum fructu a me pluribus exhibitum fuiſſe ægris memini.

Adſtr[ingentia]

§. XV. De adſtringentibus plura adhuc univerſus pene tam empiricorum, quam rationalium medicorum chorus ſibi promittit, hinc ſexcenta hujus generis euporiſta plenis decantant buccis. Nominaſſe ex his ſufficiet, radic. biſtortæ, torment. pimpinell. ſangviſorb. pſeudoireos paluſtr. ſymphyti mai. cort. granatorum. fol. myrti, quercus, cupreſſi, urticæ, burſæ paſt. plantag. millefol. muſcum terreſtr. tegularum ac calvariæ, qui uſneæ titulo alias venit, flores balauſtiorum, roſarum, maluæ arboreæ, gallas, ſumach, cupreſſi nucem, ſangvinem draconis, corallia, terram ſigillatam, bolum, alumen, terram vitrioli dulcem, vitriolum martis ad rubedinem calcinatum, crocum martis adſtringentem, hæmatitem, ſacharum ſaturni, liquorem martialem, tincturam hæmat. terræ catechu, traumaticam *Wedelii* &c. plura deſiderans adeat *Sennerti Inſtit. Medic. p. m. 820. River. Cent. II. obſ. 32. Mœbii epitomen Inſt. Medicin. p.* 603.

com-

compoſitorum vero major adhuc, imo infinitus plane datur numerus, ſub titulis ſyruporum, confectionum, tincturarum, eſſentiarum &c. imo nec excrementa animalium in uſum vocare veriti ſunt. Stercus puta aſininum & ſuillum, quæ ſub forma pulveris, ſyrupi aliaque propinant, confer. *Rodericus à Caſtr. de morbis mulierum l. 1. c. 5. Zac. Luſitanus Pr. hiſt. lib. ult. c. 2. p. 638. Hildanus cent. 5. obſ. 73. p. m. 615.* Wedel. Amœnit. *mat. Med. lib. 2. ſect. 2. c. 19. p. 507.* Aſt ſi fateri velimus, quod res eſt, plane infida atque inſecura ſunt; teſtatur enim experientia, majorem illis narium fieri fluxum, præſertim, ſi ex obſtructione viſcerū, ex ſpasmo partis nobilioris malum oriatur, item, ſi in principio ante debitam venæſectionem, vel purgationem, aut obſtructionum liberationem aſſumuntur: juvant, ſi exortus ſit ex ſero tenui incraſſando ſangvinem, & tenorem vaſis nimium relaxatis fœnerando.

ran- §. XVI. Placent igitur magis refrigerantia, quorum ſub nomine ingens ab Autoribus, ex adſtringentium, acidorum, & ſedativorum catalogo, communiter refertur numerus; quæ tamen hic minime, ut intelligantur, intendo, cum ſermo mihi tantum ſit de frigidis actu, & per ſe facultate tale præditis. Talia autem ſunt: balnea aquæ frigidæ, de quibus *vid. Galen. 5. meth. c. 13. Hildan. cent. 2. obſ. 17. cent. 3. obſ. 2.* Aqua frigida naribus attracta, aut imperialis, prius aquæ frigidæ immerſus, fronti cum faſciis alligatus, vel glaciei fruſtum (quod ruſtici cujusdam eſt experimentum) hyemali tempore capiti ad ſuturam coronalem impoſitū, vel oxycratum, aut ſuccus plantaginis cum linteo manibus, ſpinæ dorſi, & regioni renum admotum, item hæmatitis, vel cryſtalli fruſta majora, aut jaſpis vel carneolus manibus & ſub axillis detentus; tandem ſi ranæ vivæ plantis pedum apponantur &c. quorum omnium ſucceſſum referunt exoptatum: *Hipp. 5. aph. 23. 7. aph. 37. River. Prax. Tom. 2. p. 132. Fontan. Pr. p. 170. Hildan. cent. 6. obſ. 13. Ephem. German. Dec. II. A. 10. obſ. 136. Franc. Redi, in Experim. circa liquorem ſtipticum factis à Caſpar. Bartholino in Exercit. miſc. 7. p. 129.* 103. *Wedel. in Amœn. m. med. loco ſæpius citat. Borellus cent. 4. obſ. 7. Kozak. Tract. de hæmorrhagia lib. 2. c. 12. p. 688. Langius lib. 3. Epiſt. 1. p. 941. Boetius de Booth. lib. 2. de gemmis & lapidibus c. 102. Paracelſus in chirurg. magn. lib. 1. T. 2. c. 10. &c.* Modum operandi horum remediorū ſi quæris, admodum probabile eſt compeſci hæmorrhagias, dum ab his frigidis partes cutaneæ ſenſiles ſpasmodice conſtringuntur, ſimulque cum iis interiores in conſenſum rapiuntur, eoque ipſo vaſis ſangviferis hinc & inde coarctatis, effluxus ſangvinis ſufflaminatur. vid. Diſſertat. noſtra 17. de Hæmorrhagiis §. 17. Circa horum uſum tamen illud vulgatum in auribus medici ſemper reſonare debet:

Eſt modus in rebus, ſunt certi deni-
que fines,
Quos ultra citraque nequit conſi-
ſtere rectum.

§. XVII. Pergo his abſolutis ad alia, quæ tamen rurſum alio ex capite commendari debent; nempe, quod in agens vitale, illius motum retardando vim ſuam exſerere videantur, quo in caſu etiam ſangvinis motus ſimul notabiliter infringitur, ſcilicet, cum extra omnem controverſiam poſitum ſit, ab hujus agentis principii, (quod alias ſpiritus nomine venit) præſentia & motu fluiditatem humorum dependere maximam partem. Primum nunc ſtupefacientia ſiſto remedia, quæ ſedativa *Helmontio in operibus pag. 498.* audiunt, a quibus annotamus ſpiritus in ſuo motu torpidos reddi, &, prout loqui quidam amant, ligari. Inter hæc leguntur à *Riverio in ſua Praxi Tom. 2. ſect. 3. cap. 7. pag. 128.* aliisque pluribus multum commendari Nitrata; ſed quoniam non adeo clarum, num jure iſta ſedativis accenſeantur, potius nominabo ex illis Hyoſcyamum cum papaverinis ac opiatis, de quibus videantur *Jac. Fontanus lib. 1. Pr. c. 32. Timæus a Guldenklee lib. 4. Caſ. 49. Grünlingius cent. 3. Curat. I. Horatius dec. I. Problem 24. decad. IX. Probl. 2. Schenckius obſ. l. 1. p. 279. Hildanus obſ. Chirurg. 46. p. 556. M. N. C. D. I. A. 4. p. 292.* Nihilque intereſt, ſeu ea ſub for- Stupefacientia

forma ſicca, cum *Horatio l. 10. obſ. 3. & Wedel. Amœnit. mat. Med. p. 505.* Aut laudani liquidi, ſeu paregorici *cum Sydenhamo, operum p. 161.* vel ſub titulo diaſcor. Fracaſt. præſertim Amſtelodamenſium *cum Sylvio Pr. l. 3. c. 3. p. 491.* vel Philon. Perſici *cum Matthia de Gradibus comment. ad c. 35. Rhaſes ad Almanſorem & Epiphanii Ferdinandi, Hiſt. med. 33. p. 104.* adhibeas, ſeu ſolitarie, ſeu cum adſtringentibus terreis, aut acidis propines; id enim circumſtantiæ, & ſubjectorum diverſæ conditiones facile peritum docebunt Practicum. Neceſſum tamen ſemper erit, vires ægrorum obſerves, & ad illas doſin remedii ſedativi vel augeas, vel imminuas, cum nunquam, niſi inſequente aliquali languore ægrorum ea operari animadvertamus. Hinc recte Petræus in Noſologia *Harm. p. 232.* monet; quod ſumma cum prudentia aut non niſi urgente ſumma neceſſitate in uſum ſint vocanda.

§. XVIII. Uti vero hæc cuncta vi ſua narcotica habenas ſpiritibus injiciendo ſangvinem ſimul ſiſtunt, ita alio

Amuleta tempore vel ſolis verbis, vel amuletis, aut ore detentis, aliisque ceremoniis ac actionibus eosdem humorum motores coerceri cum ſangvine poſſe obſervare licet. Non enim carmina Homeriana *Odyſſ. l. 19.* deſcripta, aut illa, quibus recitatis Ulyſſis hæmorrhagiam Antolyci liberos ſtitiſſe refert *Langius epiſt. 9. pag. 705.* vel quæ *Joh. à Meckern obſ. med. chirurg. p. 40. & Joel. in operibus Medicis Tom. 6. p. 414.* ex Cardano commemorat; Aut verba illa tacite muſſitata, quorum mentionem facit *Borellus cent. 1. obſerv. 94.* aliter egiſſe credo. Idem judico, dum ſcilicet jubetur bufo ſiccatus, vel muſcus arboreus ſub axillis geri, vel ſanicula, aut fragaria plantis pedum alligari, radix pſeudomelanthi, aut cichorii flore albo in ſigno virginis collecta, vel lapides carpionum ſub lingva detineri, aut uſnea cranii humani manibus ad incaleſcentiam usque comprehendi, vel cingulum ex fol. recentibus hellebori veri circumjici. *confer. Crato lib. 5. conſil. 7. Unzerus de Peſte lib. 3. p. 267. M. N. C. D. I. A. I. obſerv. 24. & Append. ad Annum 7. pag. 144. 154. Sennert. Prax. lib. 1. Part. 3. ſect. 4. c. 8. lib. 4. Part. 2. ſect. 2. c. 6. Simon* Paul. *Q.* P. *B. pag. 94. Hartman. Prax. chymiat. p. m. 204.* Eandem agendi rationem ineſſe puto, ſi ſangvis fluere ceſſet à nomine ægrotantis in ſacro baptismate impoſito, fronti literis latinis cum illo ſtillante inſcripto, juxta *Petræum in Noſol. Harm. p. 235.* aut ſi ad imitationem Agricolæ *in chirurgia parva Tr. 2. p. 93. & Hünerwolfii Ephem. German. Dec. 2. A. 8. obſ. 19.* frons ſequentibus ſignetur literis O. I. P. U. L. U. vel ſi ſangvis effluens ſupra lignum fraxini certo tempore ſciſſum mittatur, aut araneam vivam, talum leporis, culmen ſiliginis in crucis formam ſtratum, cretam, aut pulverem ſympatheticum Digby. *vid. Borell. obſervat. cent. 3. obſerv. 78. Acta Haffnienſium An. 3. obſerv. 18.* Paucis, hæc cuncta phantaſtice ſolum agere, hoc eſt ægrotantis imaginationē corroborare, firmiter mihi perſvaſum habeo, dum ſcil. hæc ipſa ægris ut certa, pluriesque experta, & tantum non infallibilia ab aliis commendantur; inde namque anxii antea, & pene deſperabundi exſuſcitantur rurſum, roburque novum vitali agenti additur. videantur, quæ in ſpecie de pulvere ſymphathetico ſentit *Paul. Barbette in Chirurg. part. 2. lib. 2. c. 7.* Horum autem agendi ratio longe mihi videtur probabilior, ſi quandoque (ſæpe enim imo ſæpiſſime fallunt,) effectus ſequatur exoptatus, quam ſi ad Satanæ adjumentum, & neſcio ad quod pactum cum ipſo ſtatim confugiant. Qui vero quædam ex his appenſis, aut manu detentis juvare putant, quod æthereas partes per poros transmittant, quarum ope placido in motu maſſa ſangvinea conſervari valeat, illos, ut clarius paululum has, quas ſe intelligere videri volunt operandi rationes, eloquantur, rogatos volo, præter nuda enim verba, ut verum fateor, nil ego percipio.

§. XIX. Pro mea ē contra Theſi confirmanda, h. e. ex alia potentiori impreſſione facta, agens vitale ex voto unà cum ſangvine coerceri poſſe, inſuper quoque pugnat Terror, ægris ex improviſo incurſus. Hunc enim turbare dictum agens, nemo, niſi hoſpes & peregri- Te

peregrinus in Phyſiologia facile negabit. Effectũ vero promiſſis reſpondere, res jam dudũ in vulgus nota eſt, ſive etenim percellas illud clamore inſigni, alioque ſtrepitu horrendo, v. g. bombardæ exploſione à tergo facta, ſeu quod vulgi eſt experimentum: aquæ frigidæ perfuſione, aut linteorum aqua tali immerſorum applicatione improviſa ad teſtes, ſi vir fuerit, & ad mammas ſi fæmina poſtulet remedium. Præprimis tamen opem affert præſentaneum terror ſubitaneus gravisque, ſi inprimis animi deliquium eum ſequatur. de quo *vid. Galen. 5. Meth. c. 5. Riv. Prax. p. 128. Panarollus Pentecoſt. obſ. 27.*

§. XX. Satis proinde & nunc dictum de ἰσχαίμοις ſangvinis orgaſmo opponendis. Pergo itaque jubente ſic ordine ad ea, quibus ex dyſcraſia ſeroſa proveniens fluxus inhibendus eſt. Nam tali in caſu ſæpe irrito conatu univerſa huc usque recenſita, inprimis tamen coagulantia ſangvinem implorari, imo ab eorum uſu interdum magis ipſam augeri, palam eſt. Quid igitur hic conſilii? Reſpondeo: ſerum ut removeatur ſuperfluum unice allaborandum eſt. Ergo ſangvinem ſiſtent tunc (1) purgantia, è quibus tamen *præeunte Sennerto Pr. lib. 4. Part. 2. Sect. 2. c. 6.* commendare malo præ fortioribus mitiora, & quæ, dum virtutes ſuas exerunt, maſſam ſangvineam minus agitant. Hinc non diſplicet methodus Cæſalpini *in Catoptro Artis med. lib. 6. 16.* tradita, qui Rhabarbari pulverem ad ſcrupulum unum ſingulis diebus ante paſtum, aut drachmam unam ſemel, aut bis intra ſeptimanam, ſi inprimis æger debilis fuerit, exhibet. Quod ſi tamen horum in loco quis hydragoga quondam dicta, e. g. Gummi gutt. mechoacannam, Jalapp. &c. ſubſtituere velit, non aberrabit facile, modo doſin adhibeat debitam. *Confer. Ephemer. German. Dec. 2. A. 9. obſ. 126. Bonnetus in medicina ſeptentrionali l. 24. c. 32.* Huc quoque faciunt pilulæ Becherianæ, quæ non tantum ſerum educendo ſuperfluum, ſed etiam viſcera obſtructa reſerando & poſtea roborando illorum tonum mirifice à nonnullis practicis tali in caſu æſtimantur. (2) Inſervient huic intentioni diaphoretica terrea, & antimonialia fixa, tam ſimplicia quam martialia, it: decoctum rad. chinæ, de quibus *vid. Sennert. loco ante cit. Zechius Conſult. med. 4. p. 40. Bonnet. in med. ſeptentrion. Vol. 2. p. 32. Wed. Amœn. m. m. lib. 2. ſect. 2. c. 6. p. 344.* Summa tamen, cum illis utamur, adhibenda erit cautela, ne nimium ſangvis commoveatur, quod tamen vix quidem evitari poteſt. (3) Si ſpatium cunctandi ſuperſit, fonticuli etiam, & illa ejusmodi pedententim evacuantia non minus laudem merebuntur, *vid. Zac. Luſit. Pr. admirand. lib. 1. obſ. 72. Rhodius Cent. 1. obſ. 35.* His præmiſſis, ſi ſatis abundans ſerum fuerit eductum, adhibenda quoque ſunt inviſcantia, §. XIII. nominata, aliquamdiu ſi fieri poteſt continuanda, non neglectis tamen incraſſantibus alimentis, juxta *Hippocratem lib. V. Aphor. 2. & 3. River. Pr. I. p. 136. Rondelet. Method. curandi morbos p. 168. Petræum Noſol. Harmon. p. 233. Zechium Conſult. Med. 4. p. 39. &c.*

diaphoretica

fonticuli.

inviſcantia

XXI. Sed præterquam, quod hæc incraſſantia ſeu inviſcantia tenues incraſſent humores, conveniunt quoque, ſi acria ac ſale cauſtico prædita ſalia erodant vaſa, ubi illorum ſubſtantiam aculeatam obtundunt ac involvunt. Acidum tamen ſi prævaleat, quod ſæpiſſime contingit, univerſa antacida, tam terrea v. g. corall. ſpodium, dens Hippopot. teſtæ ovorum lap. cancr. ἴσχαιμα fiunt. *vid. Wedelii Amœn. mat. med. l. c. Antonius Heyde obſ. 35. Anatomiæ Mytuli annex. p. 98.* Idem quoque prædicandum jure de martialibus, vel in ſubſtantia, aut aliis ſub formulis propinatis. v. g. croco martis, Antim. diaph. mart. tinct. mart. Zwelff. vel cum ſucco pomorum parata. aqua extinct. fabr. & acidulis. Num vero & mercurialia tuto poſſint adhiberi, v. g. in hæmoptyſi, ex acrimonia venerea, vix aſſerere poſſum, vereor potius, ne mercurius pulmones jam læſos magis adhuc lædat, & miſeros tales plane ſuffocet, quæ damna ſuffitu ejus jamdudum obſervavit *Fallopius de morbis Gallicis c. 69.*

In acrimonia ſalſa inviſcantia

in acida Antacida

§. XXII. Et ſic tandem devenio ad

In vulneribus V. S.

ad ἰσχαιμα vulneribus inſervientia, quo in caſu commendatur præ omnibus topicis *à Wedel Am. m.m. lib. 2. ſect. 2. c. 19. p. 511.* *Venæ ſectio*, nec ſine ratione: interea enim, dum fluit ex vena aperta ſangvis, vaſa ſauciata, ob imminutum quodammodo ejus egreſſum ſe corrugare poſſunt, quod nunquam contingit, quamdiu ſangvis erumpens ora ſervat diſtenta. Nihilominus per ſolam *Venæ ſectionem* non penitus abſolvitur cura, ſed utique opus habemus inſuper, vel vaſis ſauciatis, vel ſimul ſangvini erumpenti convenientiora opponere remedia.

Conſtrictiones

§. XXIII. Primum ergo dum hiant ora ſæpe ſatis notabiliter, cogitandum erit de remediis, quæ portas has claudant, e quibus, ſi in aprico fuerit læſio, ita, ut per labia vulnerum vaſorum dictorum orificia pateant, ea quæ comprimunt margines dictorum oſtiorum, obicem ſangvini ponere omnium feliciſſime poſſunt. Et licet primo intuitu, ea momentaneum tantummodo afferre auxilium videantur; cum illis remotis, ſæpe redeat hæmorrhagia, tamen ſi diutius oſtia ſibi approximata teneantur, ſponte extremitates vulnerum corrugantur interea. Parum vero refert ſive ſpleniolum tantum ſuperimponas, quod uſitatum eſt in venæ ſectione; ſeu digito aut pollice vulnus comprimas, quale Exemplum *Verulamius Hiſtor. natural. cap. 1. n. 66.* de Principe Gvilielmo Auriaco tradit, cujus cruentatio ex vena jugulari diſſecta, non niſi pollice adſtantis chirurgi per biduum impoſito curari poterat. Quod ſi tamen non ſuffecerit manus, *jubente Hornio in Microtechn.* §. *14.* ferramentis perficiatur labor, qualia itidem commendat *Scultetus Tab. 18. §. 55. obſ. 96.* ſvadens; ut omnes Chirurgi parata ſemper habeant talia, quo in fortuitis carpi vulneribus, ubi locus vix aliis relinquitur remediis, ſuccurrere valeant ægris. Ejus tamen in locum alii argenteam monetam, vel, ad imitationem *jam citati Sculteti*, nucleum mali perſici ſuo adhuc lapideo cortice veſtitum, vel convexam partem corticis durioris nucis juglandis imponunt, & ligatura ſtrictiori muniunt.

Ligat...

§. XXIV. Jucundiora, imo & tutiora hæc ſunt comprimentia deligationibus oſtiorum hiantium cum filo ſericeo, aut cannabino, *de quibus vid. Hildan. de Gangræn. & ſphac. c. 19. 1064. Frid. Hoffm. Pater method. med l. 1. c. 20.* vix enim dici poteſt, quantus dolor ex vinculo circumjecto in vaſis ſangvineis oriatur, quod ſæpe in canicidiis vivis animadverti. Deinde & illud incommodum, imo periculum imminet, quod ex ligatura nimis ſtricta facile ſcindantur vaſa. Pro quibus equidem avertendis *Hildan. l. c.* jubet, ut filum cera obducatur; Alii ex recentioribus reſegmen membranæ, quod Germani Pergament vocant, prius circumjiciunt vaſorum extremitatibus, filoque illi impoſito demum ea conſtringunt. Veruntamen, quamcunque etiam adhibeas enchireſin, laboris tamen & difficultatis pleniſſima manebit operatio dicta, partim ob ſangvinem indeſinenter fluentem, qui oſtia vaſorum continuo ſubducit Chirurgo; partim ob ipſum conſtrictionis modum; quod ſi enim blanda fuerit illa, ſangvinis impetu mox iterum ſolvitur; ſi nimis arcta aut fortis, vel vaſa penitus ſcindit, aut ſummos ad minimum dolores, aliaque graviſſima, uti modo dictu, parit ſymptomata.

§. XXV. Ea igitur evitare offendicula anniſi ſunt antiquiores, juxta ac recentiores aliqui, *ſuturas* venarum arteriarumque diſſectarum præ ligaturis extollentes. Verum quod olim jam adverſus hanc chirurgiam urſit *Galenus lib. 5. Meth. c. 3.* & cum ipſo *Nicolaus Serm. 7. ſummar. 1. Tr. 4. c. 33. Gourmelenus ſyntagm. artis chir p. 125.* nempe: contraindicare tendinoſam vaſorum horum texturam, id noſtrum quoque hic facimus, inprimis, ſi circulares vaſorum horum fibras à recentioribus inventas inſuper conſiderare velimus, utpote nullam plane ſuturam ferentes. Nec dubio huic *Zacut. Luſ.* diſtingvens inter ſuturas, ſatisfacit; nam incarnativa illa recentioribus ſic dicta, quæ vas cum carne adſtante unit, quamque cum *Guidone* ſuturæ ſimplici præfert, nil quicquam obtinet. de qua ille, *de Medic. Princip. Lib. 2. Hiſtor. 42.* legi meretur.

§. XXVI.

§. XXVI. Quapropter, ſi ullum ex comprimentibus adhuc remediis approbandum; erunt *Ligaturæ fortiores. vid. Job à Meckern obſerv. chirurg. p. 163.* quorſum illud quoque remedium referri debet, Gallis *un Tour nequet*, vocatum, cujus mentionem facit *Nuckius in Experiment. & operationibus chirurg. p. 99. ac figura IX eleganter* depingit, quodque ſub Titulo Torcularis, *à Muys Praxeos chirurg. rational. Decad. 5. p. 62.* exprimitur. Commendatur vero hoc vel ideo, quod non tantum ipſa oſtia diſſectorum vaſorum doloroſa, ſed truncos ſimul remotiores, ſub cute carneque latitantes ſtringat. Et licet illo ſolitarie haud abſolvatur cura, attamen interea, dum ejus ope ad aliquod temporis ſpatium ſangvinis fluxus arcetur, chirurgo datur occaſio, alia ἴσχαιμα accerſere, & ex voto applicare. Cæterum, quæ ſupra §. XII. de ligaturis monui, ne ſcil. diutius, quam par eſt partibus circumjectæ maneant, hic quoque repeti debent.

§. XXVII. Satis ſic vaſis ſauciatis ſuccurritur, ſed dantur & alia nunc commemoranda, quæ ſangvini ſimul effluenti obviam eunt, ipſumque retinent, ac ſiſtunt, è quibus primo nominari debent *Cauſtica*, eaque tam *actualia, quam potentialia: ſub actualibus* intelligo ferrum candens, vel aliud etiam corpus ignitum, de quo apparatu diverſo fuſius verba faciens videatur *Mœbius in Epitom. Inſt. med. de Cauteriis, p. m. 694. Joh.* von Horne/ *Microtech. p. 140.* Applicantur vero talia ipſis, ſi fieri poteſt, læſis vaſorum extremitatibus, dumque eæ aduruntur, ſimul corrugari notabiliter, & conſtringi non ſolum obſervantur, verum inſuper etiam Ignis attactu ſangvinis textura egregiè mutatur, ejusque fluiditas in coagulum ſatis craſſum abit. Hinc *ab Hildano o. chir. p. 1034. 1061. ſeqq. Severino in Chirurg. Efficaci p. 265. Fabr. ab Aquapend. lib. 2. de vulneribus, p. 88. Minderero Medicin. militar. p. 319.* remedium hoc omnibus aliis præfertur externis. Aſt profecto, hæc ferri candentis admotio res plane horrenda, & abominanda non paucis videtur, hinc vix dici poteſt, quantum metuatur à noſtratibus, ut neſcio quæ non alia libentius ferant. *vid. James Yonge in Tr. anglico, cujus titulus Currus Triumphalis è Terebintho. p. 13. 14.* Deinde non certum eſt ſemper remedium *juxta Horn Microtech. p.* 137. Memini enim non ita pridem poſt pedis gangrænoſi remotionem illud fuiſſe adhibitum, à cujus applicatione equidem prompte ſiſtebatur cruor, ſed toties ac ferrum retrahebatur, ipſa ſimul eſchara, cum novi ſangvinis profuſione labi videbatur, adeo, ut tandem medicus coactus fuerit, cauterium in loco relinquere aduſto, faſciisque firmare circumjectis, donec inſequentibus diebus ſine cruentatione ulteriori ſe demi pateretur.

§. XXVIII. Seligunt itaque quidam *potentialia.* chirurgorum præ his, cauſtica potentialia, e. g. oleum Vitrioli, aquam fort. aquam regiam, butyrum antimon. lapid. infernal. ſeu lunam cauſticam, mercurium ſublimat. & mercurium præcipitatum, ſandaracham, arſenicum alb. ſal alcali ex lixivio, pro ſapone nigro, paratum, pluraque hujus generis alia. Nam per hæc ſumme acria atque mordacia corrugari vaſorum ſauciatorum oſtia, ſangvinemque fluidum in inſtanti condenſari, animadverterunt. *confer. Barthol. de Cauteriis, Severin. Efficac. chirurg. Part. 2. p. 51. Heurn. lib. 1. meth. ad Praxin. Sennert. inſtitut. med. p. 1191.* aliique plures. Habent nihilominus & hæc ſua, eaque maxima incommoda, præſertim, ſi nervoſæ & tendinoſæ partes ſimul cum vaſis ſangvineis diſſectæ fuerint. Hæc enim corroſiva non ſolum dolorum atrociſſimorum, inflammationum, & ſpaſmorum intolerabilium; verum etiam convulſivorum motuum & plurium præterea graviſſimorum ſymptomatum exiſtunt autores. Imo quædam ex illis plane exitioſa deprehenduntur, quorſum *Wedelius in Amœn. m. m. de* ἰσχαίμοις *& Tr. d. med. c. ſimpl. fac. p. 64.* mercurium ſublim. arſenicum alb. & aquam fortem refert, non obſtante felici illa obſervatione, quam de ultimo ex adductis remediis h. e. Aquaforti aurifabrorum *Plater. o. lib. 3. p. 773.* recenſet.

§. XXIX.

§. XXIX. Adeoque tantum abeſt, ut indifferenter ea ad coercendum ſangvinem ê vulnere quovis ſtillantem commendare valeamus, quin potius, cum haud deſtituamur mitioribus, quibus æque feliciter arctari vaſa poſſint, quam ſangvis condenſari, hæc præ illis commendare non dubitemꝰ. Talia vero ſunt *adſtringentia & vi ſtiptica* prædita. v. g. fruſtum aluminis, in formam penicilli figuratum, vulnerique intruſum. *confer. Borell. Cent. 4. obſ. 50.* vel quod *Diemerbrok in ſuis operibus obſ. 62.* laudat: nempe cretam in forma turundæ, foraminibus vaſorum patulis immiſſam. His ſubſtituantur ad imitationem *Riverii & Henric. ab Heer* Colcothar. ſeu Caput mortuum vitrioli vid. prioris *Prax. c. de Hæmorrhagia p.* 132. & poſterioris *obſ.* 23. *p. 269.* Alii applicant vitriolum cyprinum goſſipio involutum, exoptato pariter effectu. *vid. Ephem. Germ. Dec. 2. A. 3. obſ. 120.* Placet aliis argilla fornacum cum aceto mixta. *confer. Jonſton. Ideæ med. lib. V. Tit. 6. c. 2. Scultet. Tab. chir. 29. pag. 11.* Et qui enarraret univerſa adſtringentia hinc inde ab Autoribus inſigni numero collecta? Unum tamen, adhuc ut nominem, neceſſum eſſe arbitror, fungum nempe Chirurgorum, quem Botanici crepitum lupi, & Germ. Boviſt communiter ſalutare amant, cujus fruſtum vulneri intruſum pene ſolenniter ſatisfacit Chirurgorum intentioni, ita ut nullus eorum ipſo non utatur. Omnem tamen ejus virtutem ab atomis adſtrictoriis, intus in ipſo ſub forma pulveris ſubfuſci concluſis, dependere, egregie probat *Muys Chirurg. rat. Dec. 1. obſ. 1.*

Adſtringentia.

§. XXX. At enim vero, non ſemper opus eſt, ut ſub ſolida & ſicca ejusmodi uſurpentur forma, cum etiam ſub fluida feliciter ſuas has virtutes exſerant. Provoco ad liquores ſtipticos ex vitriolo martis & alumine factos, *in Actis Haffnienſ. Vol. 2. p. 349. Webero de liquore ſtipt. Dolæo Encyclop. chir. p. 1459. & in Cap. de Hæmorrhagia Narium* deſcriptos. Quod ſi enim ſolummodo vel cum linteolis, aut bombace imponantur, vel, ſi profundiora fuerint vulnera, cum ſiphone injiciantur, ſtabit ſangvis ſæpe in momento. Ejusdem virtutis & alii occurrunt liquores v. g. Stifferi *in Actis Laborator. Chym. Part. 3. c. 1. deſcript.* ex ſolutione aluminis ſupra limat: martis digeſta, conſtantes; aut qui ex aqua plantaginis & ſaccharo ſaturni, vel ex aliis adſtringentibus, aut ſpiritibus acidis componuntur, de quibus tamen brevitati ſtudens nil ulterius addo. Minime tamen ſicco pede præterire poſſum, tria iſta ſangvinem egregie ſiſtentia, quorum primum eſt oleum caryophyllorum *ab Hartmanno Prax. chymiatr. p. m. 96.* admodum commendatum. Alterum debemus *Excell. D. Bohnio P. P. Lipſienſium graviſſimo, Patrono & Præceptori meo multis nominibus devenerando*, qui ſpirit. vini rectificatum æque feliciter, ac quemvis alium liquorem ſtipticum ſangvinem ſiſtere obſervavit, prout id docet *in Actis Erudit. Lipſienſ. Ao. 83. menſ. April. & in Programmate publico in Licentiaturam Henſii ſcripto.* Tertium ſuppeditat *James Yonge in Curru Triumphal. à Terebintho à p. 40. ad finem* usque, ſcil. ol. Terebinthinæ, quod univerſis palmam videtur reddere dubiam, non ſolum ex prompta ſangvinis coagulatione, ſed etiam, quod non adeo infenſum partibus tendinoſis, aliisque ſenſatis ſe ſiſtat.

§. XXXI. Reſtant adhuc ex topicis ἰσχαίμοις *Glutinoſa ſ. emplaſtica & obturantia.* Ad priora refertur Gluten vulgare in aqua ſolutum, ac vulneribus inſtillatum, quod vulgi eſt experimentum. it. farina volatica. *ex conſilio Paracelſ. Chirurg. magn. P. 1. T. 2. c. 10. Tabernæmont. Lib. 1. Theat. botan. p. 647.* pulv. rad. ſymph. maj. cum album ovorum. *vid. Franciſc. Redi in Experim. de liquore ſtiptico à Caſp. Barthol. Exercitat. miſcellan. 7. p. 129. exhibitis.* Sangvis calidus alius animalis vulneri infuſus. *confer. Platerus obſ. lib. 3. p. m. 726.* verbo: univerſa emplaſtra ex viſcoſis concretis compoſita, & ad ignem liquefacta, de quibus *vid. Wedelius Amœn. m. m. Lib. 2. ſect. 2. c. 19. p. 507. Zacut. Luſ. Prax. hiſt. lib. ult. p. 629.* ſi fluida hæc diſplicuerint, ſubſtituatur ſangvis ſiccatus ægri, vel animalium aliorum, ſub forma pulveris inſperſus; *juxta*

G.

juxta Tagautium Inſtit. chirurg. p. 646. Joel Prax. Tom. 6. p. 234. *Rondeletium method. curandi morb. pag.* 283. vel Pulvis aloes, ſangv. dracon. colophon. maſtich. &c. quales pulveres ſtegnotici paſſim deſcribuntur à Practicis; Quod ſi horum omnium petas operandi rationem, ſcias, dum beneficio glutinoſitatis ſuæ adhærent vulneribus, exitum ſangvinis eo ipſo impedire. vid. *Sennert. Inſtit. p. m. 829.*

§. XXXI. *Obturantia ſ. obſtruentia* quod concernit, volo ſub iſtis intelligas ſpongioſa & lanuginoſa, tam naturalia, quam arte facta; vel per ſe, vel ſub forma Pilularum, aut turundarum applicata. Ea ſunt ſpongia marina aqua prius aliquoties cocta; fungus coriaceus quernus, lanugo ſalicis, platani, fructuum cydoniorum, caſtanearum, corticis interiori parti adhærens; Pili leporini, Telæ aranearum, muſcus arboreus, linteamina uſta ſive in fomitem converſa, lanugo raſilis linteorum, Goſſipium, charta bibula, inprimis, inter quam folia auri bracteata reconduntur, & ſexcenta alia, quorum vires laudantur *à Rondeletio meth. curandi morbos pag.* 283. *Hornio microtech. pag. 140. Muys in Prax. chir. rat. D. 1. pag. 11. & 12. Ephem. Eruditorum Germ. Dec. 1. A. 5. obſ. 150. Blegny in Zod. Gallico Part. 1. 49. Gehema* in der Feldſcheer-Kunſt. *Dolæo Encyclop. chir. lib. 6. pag. 1458.* Obſtruere autem hæc ſangvinem vi ſuæ lanuginoſæ texturæ palam eſt, cui glutinoſæ partes ipſius cruoris, vel ab aëre externo, vel ſola ſtagnatione condenſatæ, tam firmiter implicantur, ut poſthac exitus ſangvini non concedatur ulterius.

§. XXXII. Et his ἴσχαιμα, non pro materiæ dignitate, sed pro ingenii modulo, levi tantum penicillo adumbraſſe ſufficiat. Quare

Archiatro ſummo ſint dictæ ex pectore grates,
Tantas quod vires ſiverit eſſe meas.
Nunc porro ſerva mentem cum corpore ſanam,
Et ſtudiis noſtris perge favere DEUS.

F I N I S.

Diſpu-

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Decima nona:
De
MEDICAMENTIS SANGUINEM PURIFICANTIBUS.

PRÆFATIO.

Eſt ille apud Principem Coorum, *lib. de Inſomniis, Text. XIII. Edit. Lugdunenſ. Volumin. I. p. 641. egregius locus:* Flumina, *ubi ſcribit, (juxta interpretationem in Editione citatâ legendam, nam Græca ipſa adducere verba ſuperſedeo,)* non ſolito more fluentia (*ſcil. in ſomno viſa*) Sangvinis circuitum ſignificant: Et auctiora quidem fluentia exceſſum; Imminuta vero defectum. Oportet itaque per Diætam, hunc quidem augere, illum vero imminuere. Non pura autem fluentia, turbationem (*ejusdem Sangvinis*) ſignificant: quæ à Curſibus circularibus & Deambulationibus, Corpore per denſum ſpiritum motô, purgatur. *Hunc ipſum, pro aſſerendâ* Hippocrati Circuitus Sangvinis *notitia, Theſibus plus ſeptingentis, per XVII. Exercitationes, enucleans & illuſtrans, maximus Magni Præceptoris æſtimator, idemque maxime de Scriptis Hippocraticis meritus Joh. Antonides* v. der Linden/ *inter cætera, quæ doctiſſimo eo opere uberrime exhibuit, ingenii feliciſſimi ſubactique judicii Specimina, non ultimum ſequenti; ad ultima illius verba,* Commentario *edidit: §. 698. & ſeqq.* Remedium (*hic*) vides: Vides materiam Remedii. Remedium Purgatio eſt. Materia remedii, trochi (i. e. *curſus circulares*) & ambulationes ſunt. Non poteſt hoc non videri mirabile in oculis Medentûm. Quotusquisq; hoc caſu non ad Medicamenta præparantia & Purgantia provolat? &c. Quin plerique hodie adeo ſumus in vacuando prompti & toti, ut jam ſimus vulgo facti fabula. &c. Aſclepiades, auctore Celſo, *officium eſſe Medici* dixit, *ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet.* Quorum nihil præſtant certe Purgatores. Non enim *tuto*: quoniam *aſſveſcit corpus non ali*, ut veriſſime Celſus. Non etiam *celeriter*: quoniam trahitur curatio potius: quanquam cum fructu &c. Non denique *jucunde*: quoniam purgantibus nihil inſvavius, nihil Naturæ adverſius eſt. &c. Quanto prudentius & artificioſius Hippocrates? Prùdentis eſt, quæ victu nequeunt ea demum Medicamentis ſanare, *Aphor. 8. 6.* Artificis eſt nihil non ſecundum

dum rationem agere: *Aphor. 2.52.* Ratio autem jubet incipienti & leviori affectui, quæ Naturæ amica ſunt, etſi forte violenta ſunt, ea in auxilium ſeligere, & rite præſtare. Ejuſcemodi exercitia eſſe, quæ moderari pro arbitrio & valetudinis neceſſitate poſſis, nemo quisquam ignorat. Hoc autem in genere trochos & ambulationes eſſe manifeſtum eſt. *Nimirum notabiliter admodum, & pro ſolito ſuo candore, hoc docet perſpicaciſſimus virorum: Quod in quâcunque etiam ſubnaſcente Sangvinis* ταραχῇ, *ad* Medicamenta *ſtatim* Sangvinem Purificantia, *inprimis* Purgantia, *non tantum contra mentem moremque prudentiſſimi* Hippocratis, *ſed & contra rationem paſſim provolent Medicorum filii: ſufficientibus non raro, dum illa in fieri eſt, Præſidiis Diæteticis, blandioribus æque ac parabilioribus: Motu præſertim Corporis aliquanto vehementiore; quo, per inſenſibilem tranſpiratione͂ auctam ſimul & Exſpirationem concitatam, commode gliſcens impuritas corrigatur. Atque id eſt profecto, quod uti ſua veritas calculo approbat promptiſſime, ita ſuis pariter ſcriptis inculcant præſtantiſſimi quique Medentium: non parum præterea in* Medicamentorum Sangvinem Purificantium *uſu peccari alias, atque adverſæ Valetudinis præſidia conſumi in ſecundâ (contra monitum Celſi L. I. c. 1.) indicantes juxta ac improbantes. Neque eſt tamen eâ de cauſa* Medicamentis modo dictis *laus deneganda ſua: quam, recto quidem eoque ampliſſimo (ad depurandum Vitale illud Nectar, vitamque adeo ac valetudinem firmandam) uſu, mereri ipſa plurimam, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum. Id ut appareat quodammodo, ſimulque de* Varietate *eorum inſigni &* rectâ utendi *iiſdem* ratione *conſtet; vocare illa ſub Diſputationis incudem (ſed breviter & per duo tantum Capita, quorum alterum* priorem *illam indicet, alterum* poſteriorem *hanc oſtendat) propoſitum meum eſt. Sed ingenii tenuitas, Thematisque electi gravitas, faciunt ut in ipſo principio veniam Te rogem, L. B. ſicubi magnis mihi contingat excidere auſis. Audeo enim, fretus Divino auxilio: quod pectore devoto ſupplex poſco.*

CAPUT I.

Medicamentorum ſangvinem purificantium varietatem, quà Operationes, quà operandi modos, indicans & exponens.

§. I.

Cum omnium Medicamentorum in univerſum duæ claſſes ſint, *Evacuantium* altera, altera *Alterantium*; docente inter alios *Excellentiſſ. Wedelio de Medicamentorum Facult. L. II. ſect. I. c. 1. pag. 128.* neutra earum tantæ amplitudinis eſt, ut *Medicamenta* omnia *Sangvinem purificantia*, ſive communiter & vulgo ſic dicta, ſive paſſim apud medicos ſic appellata, aut pro talibus habita vel habenda, complectatur. *Medicamentorum duæ claſſes*

§. II. Sunt nimirum utriusque generis multa, imo ſunt de utroque genere participantia quædam, quæ & eſſe perhibentur, & dicuntur *Sangvinem*, (i.e. Sangvineam, quam alias vocamus, Maſſam, arteriis venisque contentam) vel *purificantia*, vel *depurantia*, vel *mundificantia*, vel *purgantia*. Sunt enim hæc Synonyma Latinis; quibus æquipollet apud Germanos terminus der Blutreinigenden Artzeneyen. Quamquàm *Sangvinem purgantia*, alio ſenſu etiam illa appellentur, quæ Purpureum ipſum ſuccum educunt; αἱμάγωγα & ἀναϛομωτικὰ alioquin dicta: ſub quibus tum *Emmenagoga* comprehenduntur, ſive *menſtruam*, quam vocant, *purgationem cientia*; tum *hæmorrhoidalem fluxum excitantia* aut *juvantia*; tum *narium hæmorrhagias provocantia*; tum κατ' ἐξοχὴν ſic dicta αἱμάγωγα aut *Sangvinem ipſum per alvum evacuantia.* Cujusmodi an *Sangvinem depurantia* *varia ſunt*

ân dentur ? dubitant aliqui. Affirmat cum *Galeno*, *Bruno in Dogmat. Med. Generalibus p. 720.* Quanquam nulli mortalium hodie cognitum eſſe, neque etiam debere, arbitretur cum *Valeſio l. 9. Controverſiarum*, tale quoddam Medicamentum, quale *Galenus lib. de Purgant. Med. Fac. c. 4.* in Thracia Bithyniæ, à venefico quodam caſu inter Vegetabilia repertum, deinde in perniciem hominum adhibitum; hunc vero ea de cauſa ad ſupplicium, ſed clauſis oculis, ne plantam ulli notam faceret, tractum fuiſſe, commemorat,

ex evacuantibus ſunt

§. III. Ex *Evacuantibus* inprimis nomine *Sangvinem Depurantium* celebrari advertimus *Purgantia*, in *ſpecie* & *ſtricte propriéque* ſic vocata. Dico in *ſpecie* ſic vocata. *Late* enim & *generatim* Purgans Medicis appellatur quodvis Medicamentum, quamvis materiam, ex quacunque corporis parte, quòvis modô evacuans. Qua ratione & βηχικὰ ſive *Expectorantia*, Purgantia Thoracis; eorumque effectus ἀνακάθαρσις, juxta *Aphor. 8. L. 5. Errhina* & *Apophlegmatiſmi* Caputpurgia indigitantur: *Sennerto* confirmante *Inſt. lib. 4. P. I. ſect. I. c. 11. p. m. 946.* Sive (uti eſt in *Lexico Caſtelliano Brunonis p. m. 977.*) *Purgans, Græcis* καθαρτικὸν φάρμακον, *late, quamvis rarius, accipitur pro omni evacuante, qua interno, per alvum, vomitum &c. qua externo; ut ita idem ſit ac purificans: dum etiam ulcera ſanari dicuntur, impoſito purgante cathartico, Hipp. 3. de fract. text.* 3. Perinde ſcilicet, uti *Purgatio* κάθαρσις *latisſime ſumitur, pro omni evacuatione; ut idem ſit, quod* κένωσις: *ſive â natura proveniat, ſive arte procuretur*: indicio *cit. lexici p. 978.* At vero, quemadmodum *Purgatio, ſenſu minus lato* eſt, juxta *Lindenium loco in Præf. cit. §. 699. alieni ſubductio*, ſive fluidi inutilis per alvum evacuatio: ita *Purgantia in ſpecie* dicuntur, quæ per ſeceſſum ejiciunt τὰ ἀλλότρια Galeno appellata: indice pariter *Lindenio Selectorum Med. exercit. 12. §. 42.*

Purgantia ſtricte ſic dicta

Purgantia in ſpecie

§. IV. Dico *ſtricte* ſic vocata. Nam quæ in *ſpecie* Purgantia vocari modo indicatum eſt, nempe per alvum Evacuantia, ea, pro materiæ evacuandæ ſede operationisque ratione, plerique iterum in *benigniora* atque *fortiora* diſtingvunt. Quorum illa *improprie Purgantia* dicunt, Græcè ἐκκοπρωτικὰ, ὑπακτικὰ, ὑπαγωγὰ, Latine *laxantia, lenientia* & *Benedicta*, Germanice erweichende/oder den Leib öffnende/it. gelinde abführende Mittel: Hæc *Cathartica ſ. Purgantia ſtricte, proprie & abſolute*, quidam *Elective Purgantia*, Germani quoque purgirende/ it. den Leib recht reinigende Artzeneyen / nuncupant: *Hippocrati* καθ' ἐξοχὴν φάρμακα nominata fuiſſe volunt. Quem vero ut & *Galenum* ὑπήλατα hæc etiam vocaſſe, diſcas ex *Selectis Lindenii l. c. §. 51. p. m. 449.*

Benig… & Forti…

Opera… nignio…

§. V. Atque illorum quidem Operationem inter primæ Regionis limites coërcentes, horum virtutem ad ſecundam tertiamque Regionem extendentes, qui Doctrinam de tribus Corporis Regionibus amplectuntur; non unô tamen modo de iisdem & ſentiunt & loquuntur. Alii enim, nempe *Sennerti* dogmata de triplici Regione publica, *Inſt. l. 5. P. 2. ſect. 1. c. 5. p. m. 117.* propoſita, ſequentes, *Lenientia* definiunt juxta eundem, *quæ citra inſignem agitationem, humores ſuperfluos, ex viis, quæ inter ventriculum & hepar interjacent, per alvum evacuandi vim habent*: aut, juta *Giesvvein. Hodegi Med. p. m. 217. quæ ultra primas vias & cava hepatis vires ſuas non exſerunt*: ſive, uti *Heinricus Martinius in Hebdomadali Med. p. m. 314.* hábet, quæ *molliendo & lubricando communia excrementa & feces, præſertim induratas, excludunt: ſed & primas ſuperfluitates in primis viis contentas propriâ quâdam ratione detrahunt, non tamen ultra menſenterii vicinam regionem vires ſuas exſerunt.* Cathartica autem ſ. *Purgantia proprie dicta* deſcribunt: quæ *ultra hepar penetrant, & penitiores & remotiores partes evacuare poſſunt.* Vid. *Sennert l. c. p. 947.* Alii *Lindenianis* placitis (quæ, *loco ultimo cit. §. 52.* Regionem primam *chylificationis* Organo, alteram *Sangvificationis*, tertiam *Nutritionis* ſ. habitu corporis circumſcribunt) aut *craanenianis â Waldſchmidio in Inſt. pag. 177.* pariter probatis principiis (quæ *pri-*

juxta S… nert…

opera… Fortio…

mam regionem incipere in ore, terminari in corde; ſecundam in corde incipere, & vaſis capillaribus limitari; tertiam partibus ſolidis circumſcribi tenent) innitentes, *Eccoprotica* dicunt, quæ *ab alvo;* propriè vero & abſolute dicta *Cathartica*, quæ *per alvum* purgant. Sive *illorum* nomine ſignant, *quæ inteſtinis ſtercora ſolùm ſubducunt:* aut, quomodo iterum in *Lexic. Caſtellian. Brunonis p. m. 482.* voce ἐκκοπρίζω legitur, *quæ movendi tantùm ſtercoris, & ea, quæ in ſpatiis inteſtinorum primæque regionis viis continentur, dejiciendi vim habent: Horum* vocamine notant, *quæ ad alvum, ceu Cloacam communem, à vaſis & viſceribus depurgant, & per alvum expurgant, peccantes materias; i.e. excrementa, non ea ſolum, quæ à chylo exſuccato relinquuntur, ſed & quæ à ſangvine proficiſcuntur.*

Mœbium §. VI. At vero, qui cum B. *Godofredo Mœbio, Inſtitut. Medic. Lib. V. p. I. S. 3. c. 9. p. m. 548.* & huic ſubſcribente, pariter nunc *B. Excell. Paulo Ammanno, Præceptore quondam meo honoratiſſimo*, in *Parænеſ. ad Diſcent. p. m. 327.* atque ab hoc citato *Bernhard. Swalwe Diſquiſit. Therapeutic. p. 29.* ficulneo fundamento inniti, perque Circulationem ſangvinis dudum ſubverſam eſſe illam, de certis corporis regionibus, opinionem arbitrantur; *Lenientia* eſſe ajunt, quæ feces ex inteſtinis, humoresq; ex meſaraicarum orificiis, molliendo, humectando, lubricando, detergendo, aut etiam moderatè ſtimulando evacuant. *vid. Mœb. l. c. p. 627. Purgantia* autem *ſtrictiſſimè* dicunt, juxta eundem *p. 628.* quæ per alvum, cum inteſtinorum, tùm venoſi generis retrimenta eliminant; ſive è toto corpore evacuant.

§. VII. Hæc ipſa *propriè & ſtrictiſſimè* ſive *abſolutè* dicta Cathartica, *Medicamentorum Sangvinem Purificantium* titulo inprimis celebrari, uti dictum, ita ex dictis etiam quodammodo manifeſtum eſt: & ex eô quoque probatu facile, quod vulgo ferè fieri advertimus. Etenim quid frequentius eſt, noſtro certe in Orbe, apud ægros pariter & ſanos, illos quidem προφυλάξεως, ut ajunt, cauſa, hos recuperandæ Sanitatis ergo, purgari per alvum toto corpore volentes, quàm ut à Medico poſcant *Depurans Sangvinem*, eine Blutreinigung? Nec infrequenter Medicos, ſub ipsô medendi exercitio Purgationem ſtricte dictam molientes, hanc ipſam ſub nomine einer Blutreinigung/ ſvadere ægris purgandis obſervamus. Idem quin etiam nomen aut cum eo compoſita, vel illi ſimilia, E. g. Blutreinigungs-Tranck/ Blutreinigender Kräuter-Wein / Blutreinigende Pulver / Pillen / Zucker ꝛc. ſub formulis Purgantium præſcriptorum, in Officinis æque ac Scriptis medicis, v. g. apud *Rolfinck. in Conſil. p. 782.* paſſim leguntur. Accedit *Galeni* calculus: quippe qui jam olim *Lib. de Purg. Med. Fac. l. c. Ea, quæ purgant, Purgantia paſſim idcirco nuncupari, quod Sanguinem ab inutilibus humoribus purum conſtituant*, docet.

[Cath]artica [signi]ficare [cre]duntur

§. VIII. Sunt vero ejusmodi *Catharticorum* Species à diverſis diverſæ conſtitutæ. *Lindenius proxime citato loco §. 51.* ex Veterum mente, τὰ ὑπήλατα in ἰσχυρὰ καὶ μαλακώτερα, *valida & mitiora*, diſtingvit: quorum illa hodie, auctoritate Barbarorum interpretum Iben Sinæ, *eradicativa* vocari; hæc à *Galeno* ὑπήλατα ἐπιεικέα, i. e. *purgantia lenia*, appellari innuit: Cum his vero eadem faciunt τὰ κατωτερικὰ *Hippocrati* & *Galeno* dicta, quæ *Dejectoria* interpres *Galeni* dixit, & ipſe dicit; quibusve ſecundam, nempe Sangvificationis Regionem potiſſimum purgari cenſet *B. Mœbius l. c. p. 550. ut & p. 628. & ſeqq.* ad mentem plurium anteceſſorum ſuorum, duplicem *Catharticorum* Differentiam afferens; *Alia*, inquit, *ſunt Mitiora*, quæ humores non ſolum è primis viis, ſed etiam ex aliis partibus, ſi ibi hæreant facile mobiles, leniter educunt; Alia *Mediocria*, quæ purgandi virtutem manifeſtius exſerunt; Alia *Fortiora*, quæ majori conatu vitioſos ſuccos totô corpore exturbant. Item alia ſunt φλεγμαγωγὰ, *pituitam* educentia; Alia Species Catharticorum diverſæ

Alia χολαγωγὰ, *bilem*; Alia μελαναγωγὰ, *humorem Melancholicum*; Alia ὑδραγωγὰ, *aquoſos ſuccos*; Alia *Mixta*, *mixtos liquores* evacuantia. Quarum *priorem* non adeo placere ſibi indicat *Jacob. Pancrat. Bruno Lex. Caſtellian. p. 978.* ductu procul dubio *Lindenii*, qui in *Selectis, Exercit. XIII. §. 351.* nullâ neceſſitate inter *valida* & *lenia* interponi *mediocria* exiſtimat. *Poſteriorem*, inde à longô tempore a *Galenicis* receptam, Recentiores multi oppugnant: Ex iis maxime principiis: quod Quaternio ille Humorum carioſo nitatur fundamento, quodque unus ſolus humor ab uno ſolo purgante nunquam evacuetur; ſed omnia omnis generis humores purgent. Vid. præ cæteris *Ammannum in Paræneſ. p. m. 330.* Hoc ipſum vero quamvis teneat *Wedelius* quoque, *Tr. ſupra cit. L. II. Sect. 2. c. 3. p. 139.* doceatque ſigillatim, *quæ bilem evacuant, eadem & melancholiam evacuare; quæ pituitam liquant & evacuant, eadem & ſerum educere, p. 140.* poſſe tamen doctrinæ gratia, nempe ut aliis alia magis convenire noverimus, retineri cenſet terminos hoſce: ex ea cauſa; quod non omnia purgantia æque bene purgent omnes humores; ſed ſint, quæ Serum, ſint, quæ Bilem magis, ſint, quæ magis alvi feces irritent. Cujus ſententiæ, à *Prævotio* quoque jam pridem in *Medic. Pauper.* (ut *Martinius l. c. p. 325.* indicat,) *VValdſchmidio l. c. p. 177. §. 8.* (ſed paulo aliter,) aliisque profeſſæ, uti ſubſcribere minime dubitaverim: Ita quoque in ea ab illo non receſſerim, qua priorem Differentiam, à *B. Mœbio* adductam, ſimiliterque à *VValdſchmidio* agnitam *l. c. p. 175.* pariter recipit. Ex mente tamen *GiesVVeinii l. cit.* non malè *Cathartica* omnia, proprie ſic dicta, diſtribui dixerim in *Determinata*, ſive *elective Purgantia*; & in *Indeterminata*: nempe tum ποικιλοχυμαγωγὰ, quæ vocat *Rolfinck. Conſil. Medic. p. 40.* tum παγχυμαγωγὰ, *Catholica* alioquin & ὁλαγωγὰ appellari ſolita: Atque iſtis in quatuor jam dictas claſſes ſubdiviſis, omnium alia eſſe *fortiora*, alia *mitiora*, alia *mediocria* aſſeruerim.

§. IX. Sed recenſere ſingula horum generum, tam *Simplicia*, quàm *Præparata & Compoſita*, cur ſuſcipiam? quando eo labore jam multi multis modis defuncti ſunt. Quorum præcipuos aliquot cum jam nominaverit *Bruno l. proximè citato*, quid iſtorum quoque commemorationi immorari juvat? Addere ſatis ſit inibi citatis, præter citatos jam tum in ſuperioribus, *Sennertum Inſt. Medic. l. c. p. m. 952. & ſeqq. Martinium l. a. p. 325. & ſeqq. GiesVVein. Hodegi p. 221. & ſeqq.* & laudatum aliquoties *Godfr. Mœbium* in *Inſtit. ſuis inde à p. 629. ad 653.* circa hanc materiam occupatiſſimum; laudatumque pariter Succeſſorem ejus meritiſſimum *Wedelium*, idem negotium *l. a.* tribus integris capitibus *à p. 141. ad 153.* ſtudioſè ſatis agentem: *Gverner. Rolfinckium in O. & M. Cognoſc. & Cur. Febr. General. c. 91. Morellum de Mater. Medicâ p. m. 366. & ſeqq. Tilemannum in Appendic. Aphoriſm. p. 188. & ſeqq.* nec non (ad eandem rem, in *Diſſ. Therapevt. de Medicamentorum Proprietatibus*, Præſide *Viro Celeberrimo Dn. Auguſt. Quirino Rivino, Præceptore meo æſtumatiſſimo*, habita, allegatum) *Frideric. Deckerum Exercit. Practicar. circa M. M. c. 5. p. m. 169. & ſeqq.* imo & *Daniel. Ludovici Diſſert. I. Pharmâcevt. p. m. 55. & ſeqq.* Delectum ſimul præſtantiorum & uſibus medicis ſufficientium, ceu ſunt *Jalapium, Aloë, Sena, Scammonium, Helleborus niger, Colocynth*; & ex his Præparata, *Magiſterium Jalappæ, Extr. aloëticum ſ. Liqv. aloëticus cum Sale Tartar. paratus, Infuſ. Sennar. Pulvis polychreſt. Scammon. vel Magiſter. Scammon. Extr. radic. & fol. Helleb. nigr. per aquam ſ. paratum. Extract. Colocynth. ſimiliter confectum*, ac Compoſita, *ut Pulv. Catholicus, Pil. Cathol. &c. Mercurius it. dulcis prædictorum quibusdam congrue ſociatus, &c.* apte ſatis docentem. Enumer. præſtantiorum

§. X. Nec lubet vero de modo operandi *Medicamentorum Catharticorum* ordiri altius, ſolicitiusque excutere, quæ hinc inde, tum à ſuperio- modus operandi

rio-

riorum annorum Scriptoribus, tum à Neotericis, Corpuſcularem, quam vocant, Philoſophiam ſectantibus, circa thema hoc, erudite non minus quam curioſe propoſita ſunt. Hactenus enim, ut verum fatear, ponderatis omnibus, non aliena adeo a vero mihi videtur *Epicriſis Ammanniana in Paræneſ. p. 329.* his verbis expreſſa: *Quæſtio de modô operandi Purgantium, ut & aliorum Medicamentorum, manet indeterminabilis.* Cui *ejusdem Scriptoris* æquipollentia verba, in eam rem *p. 457.* §. *1. c. 20.* conſignata, conſonant: *Quâ ratione purgantia operentur? adhuc neſcio, & mecum omnes Practici. Nam licet in confeſſo ſit, purgantia chylo & ſangvini permiſceri, nemo tamen ſcit, an hoc fiat corporaliter an virtualiter? Nemo ſcit, quomodo hoc fieri poſſit citra vitæ periculum præſentiſſimum, & citra dejectiones cruentas? Nemo ſcit, quâ ratione tanta humorum ſaburra, quæ purgationibus evacuatur, latere potuerit in ſanguinis maſſa? ideo fateor me neſcire. Et quoniam hæc quæſtio generalis tam anxios reddit Medicos, quid fiet in ſpecialibus?* Interim æquo gratôque animo agnoſcens labores à Viris Celeberrimis *Williſio, Pharmaceut. Ration. Part. I. Sect. III. c. 1. & 11. Wedelio l. c. Pechlino Exercitat. de Purgant. Medic. Facult. Ettmullero in Praxi Med. ubi de Diarrhœâ* agit, *Waldſchmidio in Inſtit. p. 170.* §. *2. Blanckardo Academ. Carteſ. L. IV. c. 3.* aliorumque huic quæſtioni impenſos labores; ſi omnino aliquid de problemate hoc ſpinoſo ſtatuendum, in eorum acquieverim ſententia: qui omnium Purgantium efficaciam conſiſtere ajunt in acrimonia quadam nauſeoſa; ſed illa, quam in Vomitoriis, mitiore: ventriculum juxta & inteſtina, & ad hæc deſinentes ductus humorum excretorios, vellicante; Naturamque, dum in egerendis ipſis plus minus virulentis occupatur, ad ſimultaneam contentorum in primis viis, variæque humiditatis aliæ, egeſtionem concitante. Nam & *mihi*, (ut mea faciam verba *Diſſertationis de Medicamentorum Propr. ſupr. cit.* §. *23. c. 3.*) *ſi non aliis, ſatis eſt & perquam jucundum, intelligere vires remediorum, non hamoſis furcatisque aculeis innixas &c. ſed ex ipsâ ſimplicium naturâ & ſapore omnibus obviô.*

Via per quam.

§. XI. Simili ratione, ſicubi de viis, per quas Purgantium virtute materia purganda in alvum confluit, ſententiam dicere jubear: non equidem hactenus agnitas, nempe ductum Biliarium & Pancreaticum; nuperque additas, nempe glandularum inteſtinalium vaſcula excretoria, improbaverim aut negaverim: Neſcio tamen, nunquid ſalva veritate aſſerere liceat, alias non dari, cùm Hypercatharſis, in qua verum & ſincerum ſangvinem demum excerni compertum eſt, non parum dubii ſubminiſtret. Sed ſatis de Purgantibus.

§. XII. Quamvis autem his ſolis Evacuantibus, aut ſolis tamen his eminenter quaſi, ſic ferente uſu, *Medicamentorum Sangvinem Purificantium* epitheton tribuatur vulgo: vindicare tamen illud etiam ſibi, ſi non æque, attamen jure quodam, videntur *Evacuantia* quævis *alia*: quæ quidem *Univerſalia* aliàs vocantur Medicis: ideo maximè; quod noxii quippiam M. S. univerſa, per varias vias, ſubtrahant. Nempe *Diaphoretica*, *Diuretica & Salivam moventia.* Imo & *Particularia* quædam poſtulare ſibi hoc nomen, quamquam non omnem Maſſam Sangvineam purgent nec omnis generis impuritates amoveant; non temere, opinor, affirmaverim. *Evacuantia Univerſalia*

§. XIII. *Diaphoretica* certe, tam *ſtrictè* ſic dicta, nempe ἄδηλον διαπνοὴν i. e. inſenſibilem tranſpirationem augentia, *diſcutientia* alioquin aut *reſolventia* vocata à Latinis: quam ἱδρωτικὰ ſudorifera aut ſudorem provocantia: (*διαφόρησις enim in genere, omnem Evacuationem, quæ per habitum corporis & poros cutaneos fieri poteſt, ſignificat: non modo inſenſibilem Evaporationem, quæ ἄδηλος διαφόρησις, ἢ διαπνοὴ, inſenſibilis tranſpiratio vocatur, quæ portiones vitioſas ſub ſpecie halitus evacuat; ſed etiam, quæ fit per ſudorem & ſenſibiliter: unde & Medicamenta ſudorem moventia διαφορητικὰ hodieque appellari ſolent:* uti ex *Gvern. Rolfinck. O. & M. M. Sp. L. VI. ſect. 1.* *Diaphoretica.*

S. I. c. I. tradit. I. Panc. Bruno Lex. p. 441.) quandoquidem excludendis ex corpore univerſo, per habitum corporis, variis particulis alienis, dicata jam pridem ſunt à Medentibus: quidni & ſangvinem depurent? Cumque per motus corporis, tranſpirationem augentes ſudoremque cientes, corpus omne & ſangvinem purgari, ex *Hippocratica* doctrina (cujus partem in ipſo introitu delibavimus) non minus quam aliorum aſſertis, certum ſit; quidni à Medicamentis quoque dictis idem fieri affirmem? Aperte ſatis, inter alios ætatis noſtræ Scriptores, hoc profeſſus eſt *Diſputatione de Medic. Diaphoretic. Anno 1683.* Reſp. *Belovio habitâ Excellentiſſ. Dn. Chriſtian. Vater Wittebergenſ. hodie P. P. Ordinarius C. 2. §. 3. Jures* ſcribens, *Diaphoretica dicuntur Evacuantia Univerſalia, quæ non minus, ac Purgantia, Diuretica ac Salivantia generoſa, univerſam Sangvinis & Lymphæ Maſſam, ac conſequenter totum Corpus, à ſuperfluis & recrementitiis humoribus liberant. Materia quidem, quam principaliter evacuant, eſt latex ſ. aquoſitas, ſub cujus Schemate tamen recrementa varii generis excluduntur & rejiciuntur, nec ſemper volatilia, quin etiam craſſa. Præcipue cum ſudore eliciuntur partes Salinæ & Sulphureæ, utpote quorum vehiculum aliàs Serum.* Profeſſus autem & idem jam ante eſt, *Inclytæ Aldorffinæ etiamnum Decus eximium, Mauricius Hoffmannus,* tum alibi paſſim, tum *in Synopſi Inſtit. Medic.* nec non *in Prudentiâ Medic. Diſput. utrobique 23.* Ibi enim, *Sangvinis,* inquit, *attenuationem Sudatio præſtat. Quæ adaucta Diaphoreſi ſ. Tranſpiratione fit: juvatque per fuliginum ob poros occluſos retentarum, ſed per poros apertos recluſos, dimiſſionem. Subinde enim à Flammâ Sangvineâ igneæ quædam portiones ſeu fuligines avolare conantur. Quibus in Sangvine retentis, igneus ille & impetuoſus redditur. Quare mature expugnandæ ante Sangvinis imminutionem aut correctionem ſeu Venæſect. & Purgationem. Iis enim Univerſalibus neglectis, hæc ſola ſæpiſſime ſufficere poteſt. Nam & Maſſam & Flammam Sangvinis minuit ſudor: furioſasq; portiones ejus ita diſtrahere poteſt, easdemque invalidas reddere, ut nullam vim vehementem amplius exſerere queant: adeoq; neq; Sangvini neq; partibus magnifice nocere.* Hic vero, *Sudatio,* ſcribit, *in mutando corporique reconciliando ſanguine quia potentiſſima; meritiſſimo ſuo inter præſidia Univerſalia locum habet, & Inſtitutioniſtas usq; ad unum omnes imperitiæ poſtulat: Sanitatisque ac longævitatis ſtudioſis paſſim Practici longe rectius ipſam ſuaderent, quàm Venæſectionem, Purgationem ac Scarificationem, Vitalem vim Sanguinis ſi intelligerent.* Quamvis jam pridem quoque *Magnus* ſuo merito *Sennertus, in Inſtit. ſuis,* tum Sudorem Univerſalibus evacuantibus adſcripſerit *p. 1107.* tum ſpeciatim è vaſis ſangvinem continentibus noxios humores concitatis ad imitationem naturæ ſudoribus, expurgari poſſe docuerit *Lib. V. P. I. Sect. I. C. 14.* ſic ſcribens: *Sudor & ipſe totum corpus evacuare poteſt. Etiamſi enim primo è corporis ambitu & habitu evacuat: humores tamen è reliquo corpore, & primo quidem è venis & arteriis majoribus, deinde & aliis partibus omnibus evacuare poteſt, è quibus nimirum humores ad venas & hinc ad ambitum corporis pelli poſſunt.* Nec minus *B. Mœbius, Inſtitut. pag. 557. Sudorifera,* ſcripſit, *attenuando, obſtructiones aperiendo, humores ſeroſos ac Tartareos reſolvendo, incidendo, è toto venoſo genere, imo & vaſis lymphaticis & ambitu corporis habituq; carnoſo evacuant.*

§. XIV. Ex quibus quamquam conſtare ſimul quodammodo poſſit, quid Sangvinis, qua ratione evacuent, præſtentque, quam præſtare feruntur & obſervantur, Purificationem illius *Diaphoretica;* attamen expeditam de modo, quo operantur, materiaque, in quam operantur quamve excernunt, rem habere volentibus, pluribus opus eſt. Cujusmodi ut videantur apud *Martinium l. a. p. 367. & ſeqq. Vaterum l. c.* atque ante adductos ſagaciores virtutum medicarum Ruſpatores, *Williſium Pharmac. Rat. P. I. S. V. c. I. & 2. Wedel. de Cognoſc. Medic. Facult. L. II. Sect. II. c. 3. pag. 170.* ut & ejus *Amœnit.* *Modus* ... *ran*...

Mat.

Mat. Med. lib. 2. ſect. 2. c. 4. p. m. 343. Waldſchmidium in Inſtit. lib. 5. c. 15. p. 197. Blanckard. Academ. Carteſ. P. 4. c. 4. in ſpecie vero ut *de Virtute Opii Diaphoretica* erudita *B. Ettmulleri Diſſert. de eadem ſingularis*, una cum acurata, cui nuper acceſſit, *Opiologia Wedeliana lib. 2. ſect. 1. cap. 4. pag. 90.* conferatur; monere me jubet brevitatis ſtudium. Qui interim ſententiam dicere rogatus, addixerim me denuo partibus *Rivinianis*, dixerimque: *Acriora* Diaphoreticorum, ceu ſunt *Salia* imprimis, tam *vol.*, v. g. *cornu cervi viper. tartari. ſuccin. fl. ſalis ammon. ejusque uti & urin.* ac *cornu cervi ſpir.* quam *fixa*, e. g. *ſal. abſinthii, cardb. fumar. arcan. dupl. lap. prunell. &c.* tum quoque *Amara & Aromatica*, e. g. *rad. angelic. bardan. carlin. dictam. alb. gentian. helen. imperator. leviſtic. olsnitii, petaſitid. pimpinell. valerian. Zedoar. &c. Hb. cardb. ſcordii, chamadr. centaur. min. &c.* & ex his aliisq; *Compoſita* e. g. *Ther. mithrid. ſpir. ther. camphor. liqv. cornu cervi ſuccin. miſtur. ſ. & Diaphoretica B. Mœbii* (quæ, ex *rob. ſambuc.* cum *ſp. cornu cervi & vini malvat. paratur,*) *Tinctur. Bezoard. D. Mich.* ſimilesque aliæ, (quas quidem Opio maritatas longe efficacius ſudorem pellere, quàm ſine eô, aſſertum eſt *Opiolog. Wedeliana l. a.*) *Tinctura Corall cum Spirit. Cord. Cerv. & per ſublimationem cum Spir. ſal. ammoniaci*, (ſecundum ductum Q. E. *Corall. Fabri in Myrothec. Spa-„gyric. lib. 3. cap. 22.*) *parata* (quam, „ſi cum eôd. conjuncta maneat, ex-„cellentiſſimum merito Diaphoreti-„cum, omnes peregrinos hoſtes „ſub fuliginum ſpecie ex Microcoſmi „territoriô expellens, nominari „cenſet *Ettmullerus Diſſertat. de Tinctur. Corallor. §. ultim.*) *Eſſentia Lign. D. Michael.* ut & *eorundem Dcta &c.* ad ſudores movendos potiſſimum facere vellicatione fibrarum, tum partium corporis omnium, tum maxime Cordis: quâ quidem à centrô ad circumferentiam maxime commoveri Spiritus, æſtuque, per eos in Sangvine concitatô, motum hujus accelerari, veroſimile: hinc vero neceſſum eſt, ut propter Orgaſmum Sangvinis, turgeſcentibus cunctis, Lympha etiam, cum variis intra ſinum ejus reconditis & ab ipſa ſolutis particulis, per poros glanduloſæ cutis, expellatur copioſius: Minus autem *Acria*, cujusmodi ſunt *antimonium diaphor.* (de quô ſpeciatim conſuli poteſt *Diſſert. Chymic.* de eôd. *Præſide celeberrimo Wedelio* habita Jenæ Anno 1690.) *ſimplex & antimoniale, bezoard. ſ. & antimoniale, Antihect. & ſpecificum ſtomachic. Poterii, ſudoriferum Joviale maximum*, (inter cætera ſelecta celebratum à *Ludovico Diſſertat. I. Pharmacevt. p. m. 155.*) *Cinab. nativ. & antimonii, Fl. Sulphuris, cornu cervi* ejus *Dctum.* & *Pulv. ppti, Unicorn. Grœnlandic. ſive Dens Balænæ Islandicæ* Narval *dictæ* (uti *Fridericus Hoffmannus in Clave Pharmacevt. Schröder. p. 691.* docet,) *Ebur philoſophice præpar. rad. ſcorzoner. Chinæ, ſarſaparillæ*, earumque *Dcta. fl. ſambuc.* eorumque *aqua ſtillatitia, rob. è bacc. ſambuc. ebul. juniperi; Pulv. Bez. Sennerti, bez. alb. Ludovici, &c.* quamquàm eorum aliqua fere inſipida ſint, nihilominus, aut acrioribus quibusdam particulis, ſub reliquarum velamine occultatis, (quales in *cornu cervi, Ebor.* &c. facile oſtendit Chymia,) & in Corpore extricatis, ſimili ratione operari: aut abſorbendo acidum coagulans, & ſerum ſangvinis, reſolutis à menſtruo ventriculi & calore parti-„culis, fluxile reddendo, ad motum, „ad vaporoſitatem elaſticam magis „diſponendo, quodque peregrinis „qualitatibus conſpurcatum eſt atte-„nuando, rarefaciendo, alium cha-„racterem imprimendo, ac per cutis „ſpiracula eliminando, purificare & „defæcare: Quemadmodum ſigilla-„tim de *antimon. Diaphoretico, in Diſſertione cit. de eod. p. 116. & 118.* habe-„tur. Congrue admodum ad ſenten-„tiam *Ludovici*: qua, ex abſentia vel „diminutione, aut præſentia parti-„cularem Salinarum ac Sulphurearum, „actionem ad Diaphoreſin abſentem „aut præſentem, in Medicamentis „ſimpliciter æſtimari non poſſe, arguit„

„exemplo *cornu cervi uſt. calcis con-* „*char.* & ſimilium *Diaphoreticorum:* „*l. a. Diſſert. Pharmacevt.* ubi de *Diaphoretic. Animalibus agit p. m.* 127.

Diuretica §. XV. De *Diureticis* (intellige *proprie* dictis, à quibus *improprie* ſic vocata, *Ureticorum* nomine, diſtingvunt aliqui, cum *Rolfinck. Conſil. Medic. p. 40.*) non aliter quam *Diaphoreticis* ſtatuere, Virtutemque depurandi Sangvinem his pariter atque illis tribuere, jubet utriusque generis Medicamentorum affinitas. Valde enim ſibi invicem atque adeo cognata eſſe, ut una ſæpe eademque Materia Urinam modò, modò Sudores provocet; illam quidem habitu Corporis denſiore, hos rariore illo, ſive per naturam, ſive occaſione aëris ambientis, exiſtente: in confeſſo eſt apud plurimos. Posſuntque in eam rem *Galenus 2. Med. M. c. IX. Sennert. in Inſtit. lib 1. P. 1. ſect. 1. cap. 14. Morellus de Materia Med. p. m. 433. de Sudoriferis. Martinius in Hebdom. Medic. pag. m.* 371. quosque hic ipſe citat, *Walæus* & *Claudinus*, aliique videri. Mihi ſufficit in confirmationem dictorum adſcribere hic verba *Wedeliana*, quæ *in Diatribe de Diureticis, Anno 1667. Jenæ edita c. 7. leguntur. Evacuant*, inquit ibi, *Diuretica Ichorem acrem ſangvinis, quæ evacuatio eâdem fere cum ſudore laude triumphat. Sudorifera per ambitum corporis materiam peccantem, Diuretica ad Veſicam deferunt & eliminant. Hinc eadem materia & urinam & Sudores movere dicitur. conveniunt inter ſe tum intuitu activitatis & virtutis; tum ratione Materiæ, quam exturbant. Eadem quippe ſudoris & urinæ materia. Hinc etiam videmus illos, qui copioſo diffluunt ſudore, paucam omnino edere urinam. Finis idem eſt, ſed modus diverſus.* Quibus illuſtrandis & aſſerendis abunde ſufficient, & quæ *loco c.* pluribus ex *Zacuto Luſitano* & *Baptiſta Montano* adfert, & de *Medicamentorum Facultatibus lib. II. ſect. II. cap. 7.* habet, *laudatus Scriptor.* Quisquis autem diſtinctius intelligere cupit, quid Sangvinis moveant ac emoveant, quæ per urinæ vias Maſſam Purpuream depurant, *ſimplicia compoſitaque* varia; tum *manifeſte acria:* nempe *Salia*, ſive acida, e. g. *ſpir. ſalis, nitri, vitriol.* ſive ſubacida, e. g. *ſpir. iidem, per ſpir. vin. dulcificati; ſive* Alcalica tam *volatilia*, e. g. *urinæ, cornu cervi, tartari*, (peculiari *Diſſertatione celebratum à Ludovico*) *ſpir. Lumbric. terreſtr. Milleped. &c.* quam *Fixa.* e. g. *Ononid. Geniſtæ*, nec non *Lixivia ex omnibus generis cineribus*, eô modô, quem *Mynſichtus Armamentar. Med. Chymic. ſect. 27. p. m. 410.* & Cl. *Sydenham. Tr. de Hydrop. pag. 131.* indicant, *parata;* ut & *ſalſa* omnis generis e. g. *tartarus vitriol. & tartariſatus, Fl. ſalis ammoniac. clyſſus antimonii tartariſatus, &c.* tum *alia:* e. g. *Lap. 69.* Diureticorum apex vocati à *Wedelio, lap. nephritic. judaic.* ac *teſtacea* cuncta, *ſuccin. alb. præp. rad. petroſel. rubiæ tinctor. vincetoxic. Geniſtæ; lign. nephritic. alni*, (cujus *Dctm.* mire commendat *Sinibaldus in Prodromo Hiſtoriarum.*) *turiones aſparag. baccæ junip. ſem. milii ſolis, terebinthina & terebinthinata varia; aqua ſaxifrag. ononid. renum cerv.* quæque ex *betula* vernô tempore colligitur; *Infuſum calidum herbæ Theé, aut aliarum noſtri orbis*, e. g. *veronic. heder. terreſtris; ſpir. aperitiv. Penoti, tinctura tartari, tinctura aperitiva C. Mœbii genuina*, (nam modus præparandi verus hactenus inter arcana Familiæ illius ſervatur,) *tinctura ex tartaro, ſilicibus, Antimon. & nitro clauderi &c.* conſulere ille poterit ſuperius commendatum *Williſium Pharmacevt. rat. Part. 1. ſect. 4. cap. 1. & 2. Blanckard. Academ. Carteſ. P. 4. cap. 5.* Ego, ut Diureticis ſua mundificandi Sangvinem virtus conſtet, calculum tantum adjicere *Mœbianum* ſuſtineo, ex *Inſtitut. pag. 555. Per Urinam etſi humor aquoſus, qui ex potu ſupereſt & cum ſero ſangvinis miſcetur, & præterea præcipue Renes & Veſica evacuentur; per eandem tamen venoſum & arterioſum genus ac viſcera, ad quæ ea vaſa pertingunt, expurgari, ab obſtructionibus, ſuperfluo ſero, tartaro & ſalibus recrementoſis liberari queunt.* Imo & *Swalvianam* adjicio Symbolam, ex *Diſquiſit. Therapevt. General. ſect. I.* Ibi enim, licet ſcrupu-

ſcrupulum aliquem circa univerſalitatem Diureſeos moveat; Non omnes partes per urinam expurgabiles dictitans: dubitetque an Diureticis idem quod Purgantibus poſſibile ſit? Nec non minus, Sudorificis vel Purgantibus, fundere illa ac tenuare humores aſſerat: Attamen, ſicuti nullam Difficultatem eſſe agnoſcit circa Vias urinis egerendis dicatas; (quod nimirum per Diuretica expurgentur:) ita nec univerſum Venoſum ac Arterioſum genus, & per quæ Viſcera Sangvis circulum facit, habere aliquam, promptè largitur. Non contemnenda inſuper adferens, tum de Diureticis in *genere*, tum in *ſpecie* de *Cantharidibus* & *Acidulis*. Has enim cum *Sero Lactis* ad hoc genus Medicamentorum refert, atque utroque modô (quô nimirum & Principalia ipſi, alias *proprie* ſic dicta, & minus Principalia, *improprie* alioqui vocata, Diuretica operantur) valere, & Deterſoriam vim aquoſitati copulatam habere, docet: Non unâ interim viâ, quamquàm præcipuè per urinas, excrementa Sangvinis iisdem exturbari, aperte indicans. Quæ cauſa eſt, ut earum mentionem hoc loco præterire minime debeam. Quippe vel vulgo eo nomine inter præcipua Sangvinem Depurantia *Acidulæ* recenſentur: De *his* vero, uti & *Thermis* ad hunc cenſum referri ſolitis, quisquis volet, plura inveniet apud *Sebizium peculiari Tr. de iisdem. Tabernæmont.* im Waſſer-Schatz / quosque alios deſignat *Bibliotheca Realis Medica Martini Lippenii p. 4. & 451.* nec non *Joh. Hisk. Cardilucium* in der Artzeneyiſchen Waſſer-Kunſt *Tom. 4. Operum*, *Conringium Diſſertation. de Aquis, Reſp. Conerdingio Helmſtad. habit. Anno 1639. Waldſchmidium Diſput. de Acidulis Reſp. Buelio Marburgi Anno 1682. edita, Kalckhof. de Fontibus Soteriis*, cum Recentioribus aliis, paſſim circa hanc materiam occupatis.

mo-
a. §. XV. Et *Salivationis* vero, nempe *Nonnaturalis*, aut (quomodo *Sylvius*, diſtinctionis ergo à *Critica* & *Symptomatica*, vocat, *Lib. IV. Praxeos Tr. III. §. 314.*) *Medicæ*, i. e. arte (quæ veteres latuit) convenienter concitatæ; quâ copioſa colluvies, ſub lentæ viſcidæque Salivæ ſpecie, citra tuſſim aut ſcreationem, aliquandiu per Os egeritur: quamque *Mercurialem* vocare ex eo ſolemus, quod *Mercurii*, quem Chymici vocant, h. e. *Hydrargyri* ſeu *Argenti vivi*, tum quovis modo mortificati, & cum aliis quibusdam ingredientibus, ſeu in Ungventum, E. g. *Neapolitanum aut Mercuriale Rolfinck.* ſeu in Emplaſtrum, *E. g. de Ranis cum mercurio Vigonis*, ſeu in Zonam *E. g. Cingulum Sapientiæ Rulandi* redacti; tum in *Cinnabarin* cum Sulphure ſublimati, *Externa* (per articulorum in Artubus, aut Spinæ dorſalis inunctiones Emplaſtrorum in Nucham Tibiasque impoſitionem, Cingulorum circa Cinctum geſtationes, Suffitus Cinnabarinos Corpore caute exceptos) *Applicatio*; Aut *Internus* ſollicitius dulcificati, vel caute præparati, *uſus* promptiſſime hactenus eandem, ſi non unice, præſtent: Et *Salivationis* inquam, cum ea eſſe Virtus non temere dicatur doceaturque, ut ex intimis univerſi Corporis penetralibus pertinacius hærentes & evacuatu alias difficillimos humores exturbet; Atque heroicè adeo Giganteos & Chronicos fere, Maniæ, Epilepſiæ, Podagræ, Lepræ, Morbos, & κατ' ἐξοχὴν Syphilidis graviſſimam Luem expugnet: Ecquis *Salivantia* etiam *mercurialia* Sangvinem Purificantibus accenſere dubitet? Non dubitavit *Celeberr. Williſius*: quippe *de Anima Brutor. P. II. c. 9. p. m. 245.* Salivationem mercurialem, excitatam in Paralyſi habituali " & non admodum fixa, ſummè prodeſſe dixit, quatenus Sangvinis impu-" ritates tollendo mali fomitem o-" mnem præſcindit. Nec dubitavit *Ex-" cell. Wedelius de Med. Fac. p. m. 215.* de iisdem ſcribens: quod fundendo & proliciendo humores in tota Sangvi-" neâ Maſſâ, totôque adeo Corpore," ut ad Os appellant, ibidemque exi-" tum inveniant, operentur. Modum" ſic ſimul agendi in *genere* indicans: quô coincidunt omnino cum reli-" quis *Salivantibus particularibus*; quatenus nempe fluxile reddunt Serum," & ad

& ad Loca excretoria, nominatim" Fauces, id ipſum promovent. Eum vero in *ſpecie* ſi quis noſſe cupiat, videat ad eundem *l. c.* ut & *Amœnit. Mater. Med. L. 2. ſect. 2. c. 17. pag. 459. & ſeqq.* pluribus circa illum explicandum ibidem occupatum. Videat quin etiam ad *Willis. de Scorbuto c. 3. num. 9.* & ad *Diſſertationes* Singulares *de Salivatione Mercuriali* ſtudioſe ſatis & curioſe conſcriptas: *Joh. Georgii Trumphii*, quam ipſe *Medicinæ Lic.* edidit *Jenæ 1668. Joh. Frideric. Ortlobii*, quam pro *Lic. ſub Præſidio Excell. Dn. D. Friſii Lipſiæ habuit 1684. Georgii Conrad. de Horn*, quam pariter *pro Licentia in Almâ Viadrinâ* ſub *Præſidio Excellent. Dn. D. Albini*, publice exhibuit, Ann. 1689. nec non *Excell. Joh. Mauricii Hoffmanni*, quam *Reſp. Adam. Unzelmann Aldorffi* An. 1692. expoſuit. Mihi, ut tribus verbis me explicem, ſatis proba videntur, quæ *Willis. l. c.* de Salinarum Corporis noſtri particu- „larum, Mercurium minutiſſime ſol- „ventium, cum eodem concretione; „moleſtiam per omnes totius Corpo- „ris partes pariente, & Naturam ad „expulſionem per Oris Emunctoria ſtimulante, attulit.

Emmenagoga

§. XVI. Ut omne adeo Genus Medicamentorum *Evacuantium Univerſalium* Sangvinis Purificativum eſſe & dici poſſe evidens ſit. Ad illud autem ſi, Recentiorum quorundam ſententia, etiam *Emmenagoga* pertinent, quæ alio ſenſu *Sangvinis Purgantia* dici ſuperius §. 2. indicavi: quid vetat & ipſa in Cenſum Sangvinem Mundificantium adſciſcere? Tametſi enim *Sangvis*, quem vocamus, *Menſtruus*, minime Venenum aut venenoſus; ut cum *Plinio*, veluti anteſignano, *H. N. lib. 6. c. 15. & lib. 28. c. 7.* multis viſum eſt: neque, quod *Fernelio lib. 6. Phyſiolog. c. 7.* aliisque placuit, vitioſus per ſe aut quaſi ægrotans: neque Purgamentum quoddam, ut aliqui voluerunt, ſolius Uteri: ſed, juxta *Caſpar. Hoffman. lib. I. de Gen. Hom. c. 25.* bonus & Naturæ amicus Humor, & verus plane Sangvis ſit: confirmante id poſt plurimos alios *Georg. Adam. Logau. in Diſſert. Inaugural. de Sangvine, Erffordiæ Anno 1691. habit. ſect. 1. Problem. 3.* ratione quidem ab *Excell. Dn. D. Bohnio Præceptore quondam meo maximopere ſuſpiciendo*, acceptâ: Quem ſolâ copiâ ſeu quantitate, non itẽ qualitate ſeu occulta, ſeu manifeſtâ, in ſtatu naturali peccare, docuit præter alios *B. Mœbius Fundam.* Med. *c. 20. p. m. 571.* nihil obſtante per locum *Eſa 64. verſ. 6.* Sacrâ Scripturâ; uti in *Diſſert. de Medicament. ex homine deſumptis, ſub Præſidio Brunoniano 1677. Aldorffi habit.* §. 8. oſtendit J. P. Wurffbein: Ut proinde non tam depurari Maſſa Sangvinis, quam imminui tantum illius, uti Naturali, uniceque (juxta *Sylvium Prax. Lib. 1. c. 40. §. 19.*) cum Lochiis tali, per genitalia Mulierum effuſione; ita artificiali, per dicta *Emmenagoga*, evacuatione, videri poſſit: Attamen, quemadmodum ſubinde, ſpontaneô Naturæ inſtitutô, â corporibus fœminarum, quæ dubiæ Sanitatis ſunt, una cum Lunari tributô, variæ inutiles Maſſæ Sangvineæ portiones ablegantur: Obſervantibus quotidie, & confirmari hâc ratione ſequioris Sexus ſanitatem advertentibus, Medicis Practicis; indeque varios Menſtrui Sangvinis effectus, ex parte â *B. Mœbio l. c.* recenſitos, deducentibus Theoreticis: Ita nullum dubium eſt, quin Medicamentorum iſtud convenienter cientium legitimô uſu, non tantum abundans, aut circa Uterum, ex diuturniore morâ vel admiſtione pravorum excrementorum, corruptus Sangvis extrudatur; ſicque metuenda ab hôc univerſæ Maſſæ Sangvineæ inquinatio (quam cum oriundis inde graviſſimis malis iterum loquitur *B. Mœbius in Fundam. l. c. p. 574.*) præcaveatur: ſed &, manſuræ alioqui cum illâ, variæ particulæ heterogeneæ, Sangvinem impurum præſtantes, eliminentur. Horum vero, inſigni admodum varietate (quam plurimi paſſim, nominatim *Prævotius de* Med. *Pauper. p. m. 323. B.* Mœbius *in Inſtit. p. m. 662. Schönbornius* Manual. Med. *Pract. p. m. 202. & ſeqq.* Morellus *de* Mater. Medic. *p. 588. Tilemannus de* Mater. Med. *p. m. 203. Gieſvvein Hodeg.* Medic. *p. 1345. & ſeqq.*

Neſter .*in Promptuar. Macaſ. pag.* 310. *ſeqq.*monſtrant) gaudentium, quomodo *alia*, Vias impeditas expediendo, ut *Aperitiva omnia;* poros anguſtos laxando, ut *Balnea Humectantia* & *Emollientia;* Oſcula vaſorum mucagine oppeſſulata detergendo & reſerando, e. g. *Suffitus colocynthini : Alia Sangvini* ipſi *Orgaſmum* quendam, tum *privative*, correctione & remotione humorum acidorum & pituitoſorum, ipſum quaſi figentium & coagulantium, *e.g. antimonialia &c.* tum *poſitive*, ejusdem rarefactione Spirituumque excitatione, *e.g. Balſamica Volatilia & Media;* tam *ſulphurea*, ceu ſunt *Crocus*, *Myrrha*, *Sabin.* *&c.* quam *ſalina*, ut ſunt *ſpir. ſal. ammoniaci varie aromatiſatus*, *ſal. vol. cornu cervi*, *ſuccin. ſal. artemiſ. abrotan. borrax &c.* *Alia* ſtimulando & vias non minus expeditas reddendo, quam Sangvinem fermentando, *e.g. Aloëtica* & *Purgantia Acriora : Alia*, quavis ratione fluxilitatem illi conciliando, e. g. *Potus calidus Infuſion. Hbæ Theé*, *Thermarum aliarumque Aquarum &c.* operentur: diſcere pluribus licebit ex *Laudatisſimo Wedelio de Med.* *Facult. lib. 2. ſ. 2. c. 8.*

§. XVII. Jam quod *Particularia* concernit *Evacuantia : Emetica* quidem ſive *Vomitoria*, utut vulgo tantum Stomachi everricula habeantur, (unde Plebeii, per ἔμεσιν Medicinam ſibi fieri volentes, poſcunt fere à Medicis eine Magenreinigung) Purificantibus Sangvinem annumerare ſvadet conſtans præcipuorum Medicorum aſſertio: Quod iisdem, nempe *validis* & fortioribus, *Attrahentia* apud aliquos, ſed male, appellatis, tanquam *proprie dictis* Vomitoriis (nam *lenia* illa, & quæ Ventriculum copiâ ſuâ gravando, aut Orificium ejus ſuperius laxando, lubricando, ſimilique ratione Nauſeam & averſationem concitando, movent magis quam promovent *e. g. Aquæ tepidæ* aut *Juſculorum pingvium tepidorum*, *Hydrælei vel Hydromelitis hauſtus*, proprie non ſunt Vomitoria: perhibente *Wedelio de Med. Facult. p.* 156.) præſertim Chymicis, iisdemque probatioribus, (qualia, *Ludovico* judice, *Diſſertat. Pharm. 1.* præ *Vitriolicis* & *Mercurialibus*, ſunt *antimonialia* correctiora, *E.g. Aqua Benedict. Rulandi*, Univerſale & Catholicum, atque in omni cauſa conveniens Remedium, aſſumtu præterea facile & gratum, neque etiam minus quam alia Vomitoria, ſub debitâ Doſi & cautione, tutum, *Martino Hebdom. Med. pag.* 380. dicta, *Tartarus Emeticus Mynſ.* aut *Ludovici*, *Oxyſaccharum Emeticum Ludovici*, *Infuſum croc. Metall. Abſinthiac. Mynſ.* aut *Vitri antimonialis*, *cum Vino acidulo convenienter factum*, *ſapa vomitoria Sylvii*, *mercurius vitæ rite paratus*, raro non ſimul alvum moventia) non tantùm, quamvis primario, ſaburra in ventriculo ſtagnans ejusque latera ſæpe quaſi incruſtans, una cum contentis aliis, excutiatur: ſed è vicino quoque Meſenterio (ut verba *Martinii* & *Wedelii l. c.* habent) ac Pancreate Hepatisque & Lienis receſſibus abdita camarina, in Febribus maxime intermittentibus, *Fernelio Riverioque* indicibus, commode exhauriatur: quin etiam à remotioribus locis & habitu Corporis, conſecutione quâdam, dum ex majoribus vaſis copioſe evacuant, potenter revellatur vitioſa materia; evellaturque penitius etiam id, quod Purgantia intactum relinquunt. Unde parum abeſt, quin ad Univerſalia Evacuantia pariter referantur: imo referuntur à quibusdam. Operari hæc medicamenta per *Anacatharſin*, ut nonnulli loquuntur, *ſolventia* Acrimonia Nauſeoſa, ſed, quàm in Purgantibus, majore, quæ Salino-Sulphureo-Volatilis eſt *Wedelio l. c.* unde vehementer ſtatim ventriculus irritatus convulſusque prorſus evertitur, & in locis ſimul vicinis Bilis ac Succus Pancreaticus commoventur, ut copioſius ad Inteſtinum Duodenum confluant, inverſoque hujus ſimul atque Ventriculi motu periſtaltico eidem ſe ingerant, atque irritationem convulſivam augeant ac continuent: ad mentem maxime *Rivinianam* dixiſſe ſatis habeo. Plura volentem remitto ad *Willis. Pharm. Rat. ſect. 2. cap. 1. & 2. Blancard. Academ. Carteſ. P. 4. c. 2. Wedelium l. c.* ut

& Dir-

& *Diſſert. de Vomitor. rite adhibendis* R*eſpond.* Zopff *Anno* 1676. *habit.*

Lenitiva §. XIIX. Non minus *Eccoprotica* vel *Lenitiva*, quorum ſuperius in genere memini, quæve ſæpius citati Materiæ Medicæ Scriptores, *Morellus*, *Gieſvvein*, *Neſterus* & cæteri, in ſpecie recenſent; tametſi primario expurgent Ventriculum, & Inteſtina, liberentque à fecibus & cruditatibus varii generis: partim conſiſtentiam illarum disjiciendo & fluxilitatem inducendo, E. g. *Serum Lactis* aliaque *Aquea*, *Paſſulæ*, *Ficus*, aliique *Fructus dulces* & *mucilaginoſi*, *Oleum Amygdal. dulc. Lini*, ſimiliave *Pingvia*: partim harum viſcoſitatem & craſſitiem aliasqve conditiones vitioſas, Vi Alcalinâ, E. g. *Sal. Tartari & Tinctur. illius*, aut Acidula, E. g. *Tartarus crudus*, *Crem.* & *Cryſtalli Tartari*, *Tamarindi*, aut Salina Media, E. g. *Sal. Comm. Nitrum ſimpl.* & *antimoniatum*, P*lantæ nitroſæ*; aut alia varia corrigendo, motumque periſtalticum vellicatione fibrarum inteſtinalium citatiorem reddendo, E. g. *Aloëtica*: Secundario tamen ſubducunt fomitem morbificum Sangvini allapſurum: Imo etiam, ex mente qvorundam Scriptorum §. V. citatorum, ad Sangvinem vicini Meſenterii vires ſuas extendendo, talia ſe præſtant, ut Depurantibus Sangvinem adſcribi promereantur.

Maſticatoria §. XIX. Idem judicium eſt de *Maſticatoriis* aliisque *Apophlegmatizantibus*, E. g. *Rad. Pyrethri*, *Iridis noſtr. Zingib. Olsnitii*, *Angelicæ*, *Imperator. Sem. Staphis Agriæ*, *Cubebæ*, *Cardam. Nigell. Sinapi*, *Naſturtii*, *Maſtich.* C*aryophyl.* &c. *Errhinis* item & P*tarmicis*, ſeu *Naſalibus*, tam *ſiccis* quam *liquidis*: E. g. *Rad. Helleb. alb. Betæ rubr. Fol. Salv. Majoran. Nicotian.* F*l. Tiliæ*, *Lil. Conval. Piper.* ex quibus atque aliis mixtis C*ompoſita varia* hodie in vulgus nota & vendibilia ſunt, *Spir. it. Salis ammon. Aqu. Regin. Hung. Balſamsiq. Aromaticis &c.* & ſi quid particularum Evacuantiũ reliquum eſt. Nimirum tametſi Evacuatio, quam dicta Medicamenta acrimonia ſua (ſatis in quibusdam manifeſtâ, faucium, narium aliarumque partium membranas vellicante, Spiritusque ad uberiorem Lymphæ affuſionem, eluendi objecti moleſti ergo, excitante) ferè præſtant, P*articularis* communiter, puta *ſubjective*, (ut *Cl. Bruno Dogmat. Med. Gen. p.* 717. *loquitur*) habeatur: *effective* tamen, ſive ratione effectus ſui, ſimul *Univerſalis* eſt: quatenus *ſucceſſive* totum Corpus evacuat, Maſſamque adeo Sangvinis, iſto comprehenſam, depurat. *Id eſt*, ut *Ortlobii de Salivatione partic.* in ſpecie dicta ad reliqua hujus generis traham, ex *Diſp. ſuperius cit.* §. 3. *Vaſa Salivalia, aliarumque glandularum excretoria, depleta mox novam* Lympham *recipiunt, & humores jam eductos neceſſario alii ſequuntur, & his rurſus alii ſuccedunt: ſimiliter ac per vulnuſculum venæ inflictum, non ſangvis tantum, qui actu intra hanc undulat, educitur, ſed totum* Corpus *ſucceſſive evacuatur.* Qvamobrem, ſuô etiam modô, Sangvinem Depurantia dici eadem Medicamenta poſtulant.

§. XX. Ex *Alterantibus* dein Sangvinem Mundificantia putantur nominanturqve *Temperantia* alioqui appellata: teſte *Blanckardo Academ. Carteſ. l. 4. c. 7.* cujus titulus eſt apud interpretem Germanicum: Von den Mitteln / die man Temperantia oder Blutreinigende nennet. Is vero cùm ſolis *Antacidis* ſive Acidum, Sangvinem coagulans & inſpiſſans, (aut diluendo, uti Aquea blanda, præſertim *Thee & Coffee* potus; aut obtundendo, uti Pingvia, E. g. *Butyr. Lac. rec. & Emulſiones oleoſorum ſeminum lactiformes, Olea ipſa*; ac mucilaginoſa, E. g. *Gelatinæ*; aut infringendo vel invertendo, ut S*alia Alcalica* varii generis; aut abſorbendo, ut *antimonialia* & *Teſtac.* varia, *Terræque*, ac *Lapides* præſertim 69. aut alia, quam ex principiis Carteſianis ſtudioſe declarat, ratione,) corrigentibus, de qvibus alias *Sylvius in Prax. Med. lib. 1. c. 2. §. 16.* & alibi paſſim aptiſſime tradit, competere exiſtimet, ut Temperantia & per conconſequens ſangvinem Depurantia dicantur, non ſatis fundamenti ſuæ hujus Sententiæ habere videtur. Quidni enim & alia ratione, qvã aceſcendo, intemperatus reddi, aliisq; proinde, qvã

Ex A... tibus ... temp...

Anta-

Antacidis, temperari & purificari Sangvis poſſit? Poſſe omnino id fieri inferius conſtabit. Atque adeo nihil cauſæ erit, ſi *Antacida* Sangvinis Mundificantia haberi vocarique fas eſt, quo minus omnis generis Attemperantia eâdem appellatione dignemur. Sed fuſius quidem omne talium genus, quà Operationes, quà Operandi rationes, excutere, propoſito meo minus congruum eſt.

ntia. §. XXI. Quod reliquum eſt, cum in Morbis tam *Acutis*, Malignis ac Peſtilentialibus, aut ex Veneno intus accepto ortis, E. g. Petechiis, Variolis, Morbilis, Purpurâ, variisque Exanthematibus aliis, Lue Caſtrenſi, ipſaque Peſte; quam *Chronicis*, maximeque fœditates cutaneas conjunctas habentibus, E. g. Elephantiaſi, Lepra, Lue Gallicâ, Scorbutô, Scabie, &c. Catarrhalibus item & Arthriticis Diſpoſitionibus; Depurantia Sangvinem, Mittel ſo das unreine und inficirte Geblüte reinigen und ſaubern / inprimis & exigant ægroti, & urgeant Medentes: ceu facilè quemvis quotidiana experientia docet: facilis hinc quidem Collectio eſt, quod *ſpecifica* quævis, ut vocari amant, *Expulſiva, Alexipharmaca, Antivenerea, Antiſcorbutica, Antipſorica, Anticatarrhalia &c.* Curæ præſertim prædictorum affectuũ Univerſali, communiter dictæ, inſervientia; tum *Alterantia* & *Temperantia*, tum *Evacuantia*, tum *utroq; modô operantia*; eô nomine ſimiliter venire. Ex quibus tamen *Decocta*, quæ vocant, *longa Lignorum* aut *aliorum ingredientium*, *Infuſa* item per *Nodulos* facta, *Alterantia* ſimul & *Purgantia*, & his ſimilia, nec non *Viperina* ſpeciatim remedia, præ cæteris als Blut-Reinigungen / vulgò prædicari, attentior quispiam obſervare poterit. Sed omnium quidem horum ſaltem potiora perſequi, tum recenſendo, tum rationem operandi evolvendo, cum mihi non liceat; videre de iis alios licebit: & multa quidem notatu digna apud nonnullos Scriptorum, multoties hactenus laudatorum invenies.

CAP. II.

Medicamentorum Sanguinem Purificantium uſum quodammodò delineans.

§. I.

Tot & tàm variæ Operationis Pharmaca, quæ hucusqve recenſita ſunt, non promiſcui uſus eſſe, nemini non facilè eſt conjicere. Ut multum proin interſit Medentium, noſſe diſtinctè & accuratè, quibus, quô in caſu, quomodò uti conveniat? Et conſtitueram quidem plurimam Diſſertationis partem huic Doctrinæ impendere: Sed quando ita Caput antecedens ſub ipsâ Elaboratione crevit, ut pagellas ſpecimini huic deſtinatas plerasque impleverit, breviores mihi lineas ducendas eſſe animadverto. Itaque compendio eorum, quæ animô conceperam, factô, paucis tantùm, atque ita rem agam, ut *Impuritatis*, quæ in *Sangvinem* cadit, præcipuas *ſpecies* recenſendo, quænam ex enumeratis *Sangvinem Purificantibus* cuique *ſpeciei* conveniant, ſimul indicem; quâve ratione caute adhibenda veniant, breviter inſinuem. Et quamvis ad iſtas tanto rectius determinandas, præſtruere quædam *de Puritate Sangvinis*, tanquam conditione illius *Naturali*, (*Sangvinis enim Vaſorum conditiones*, docente *Lindenio in Meletem. Med. Hip. Phyſ. §. 50. ſunt, ut rubeat, dulceat, caleat, clareat, h. e. purus ſit ut Vinum, limpidus ut Lympha*) planè congruum, nec abs re fore ſciam, ſiquidem de omni materiâ, ex quâ Maſſa ſangvinea naturaliter conſtruitur vel conſtituitur, certas quasdam formaverim & firmaverim hypotheſes: abeuntibus præſertim in diverſa diverſis Phyſiologorum, variamque Sangvinis, quam dicunt, Anatomen, inſtituentibus; ſive partes, quibus conſtare illum volunt, diverſimode deſignantibus: Quemadmodum collatis Veterum æque ac Recentiorum Scriptis, & conſultis tantum (ut paucorum noſtri ævi mentio-

tionem faciam) *Sperlingio in Anthropolog. p 342. Deuſingio de Sangvinis uſu* §. 33. & *ſeqq. Lindenio in Meletem. Med. Phyſiolog. Williſio Tr. de Febribus Cap. 1. Edmondo Meara in Examine Diatribes Williſianæ de Febribus, Illuſtr. Boyle Tr. de Sangv. Human. Jeſſenio à Jeſſen de Sangvine ex Venâ ſectâ, cum Notis Brunonis; Excell. Bohnio in Diſſert. Phyſiolog. Exerc. X,* & *Vatero Diſſ. Phyſiolog. I. c. 3.* &c. deprehendere cuivis facile eſt: Attamen excuſabit me, ſpero, Lectoris benignitas, quod brevitatis amore manum huic negotio non admoveam. Interim in proclivi erit ex afferendis perſpicere, quibus potiſſimum hypotheſibus ſuperſtructa ſint.

Deſcriptio Impuritatis ſangvineæ

§. II. Quemadmodum vero, ubi de quidditate *Impuritatis ſangvineæ* quæſtio eſt, non adeò expeditum hactenus apud Scriptores Medicos deprehendo, cuinam ex Morbis aut (ut loqui quidam malunt, qui Sangvinis Morbos, ideo quod ipſe Cauſa morborum præcipua ſit, non agnoſcunt) Vitiis Sangvinis (quæ non unâ ratione omnes determinant, commodè tamen aliqui cum *Walæo* & *Swalbio Disquiſit. Therapevtic. ſect. II.* & ante citato *Logan Disq. Inaug. de Sangv. Sect. II. Membr. 1. Theſ. 1.* quinario numero complectuntur, dicentes peccare Sangvinem (1) ſubſtantia, (2) quantitate, (3) qualitate, (4) motu, (5) loco; Nec incongrue alii, quos ſequitur *Autor Diſput. ſupr. cit. de Propriet. Med. c. 1.* triplicis generis faciunt, ſc: vel in quantitate, vel in qualitate, vel motu; aptiſſime *Lindenius* ſecundum *generales* ſuas *Hypoth. Meletem. Patholog. P. III.* §. 45; ternario itidem abſolvit, ſolis Similaribus morbis, eorumque tribus duntaxat generibus, videlicet Menſuræ, Materiæ & Motus obnoxium Sangvinem dictitans:) propriè *Impuritatis* nomen competat? Pleroſque interim ſub Qualitate vitioſâ, tum omnem Sangvinis pravitatem, tum ſpeciatim impuritatem ejus comprehendere animadvertens: Ita quà ipſas *Impuritatis Differentias* intricatum adhuc ſatis negotium eſſe obſervo. Neque inveniens igitur veſtigia, quæ tuto ſatis premam, audeo *Impuritatem Sangvinis* dicere omnem à *Lindenio* ſic dictum Morbum Materiæ, quo is corripitur. Quoties nimirum intra Sangvinem eſt vel *concepta* vel *recepta* Materia aliqua, quæ ipſi *aliena* eſt. Sicque *Duo* potiſſimum *Summa Genera* Statûs illius præternaturalis, in quo impurus exiſtit Sangvis, conſtituo. Alterum, *magis propriè Impuritas* dictum, cum Sangvini peregrinum quippiam, neque ullâ ratione ad conſtitutionem illius pertinens, accedit, eumque inquinat: quem Morbum *Materiæ peregrinæ* cum *Lindenio l. c.* §. 18. & *Impuritatem abſolutè, vel Inquinationem ſangvinis* vocaverim. Alterum *minus propriè* tale, cum Sangvinis, quæ vocantur, particulæ, ſive ingredientia Naturalia, diverſimodè alienantur, eumque intemperatum ſimul & minus ferè clarum præſtant: quam, ſi pateris, diſtinctionis ergo à priori, ταραχὴν ſive *Turbationem* aut *Turbiditatem*, ſi placet, *Sangvinis*, vel *Intemperiem varii generis, Craſin ſangvinis mutatam* cum *Steurlino Diſp. Inaugur. de Morbis ex Craſi ſangvinis alteratâ oriundis*, uno verbo δυσκρασίαν nominaverim. Quemadmodum enim *Vinum* duplici ratione puritatem ſuam perdit; dum nimirum aut limpido illi res opacæ, E. g. Pulveres, Succi, Syrupi; aut ſincero Aqua, Spir. Vin. vel alterius generis vina, &c. admiſcentur: vel ipſum in vaſis vitium concipit, ex Elementorum ſuorum disjunctione & confuſione, vappeſcens aut aceſcens, aut alia ratione degenerans: quorum prius cum fit, dicimus Germani: Der Wein iſt unrein/ oder nicht rein und aufrichtig: cum poſterius: Der Wein iſt trübe oder verſchlagen/ lang/ kanicht: Ita pariter cum *ſangvine* res comparata eſſe videtur, quem Vino non abſimilem jam pridem fecit *Willis de Feb. l. c.* Quibus poſitis, poſterius præcipuè Sangvinis, quod dixi, Vitium, *Texturæ vel mixturæ ſangvinis turbatæ* nomen, quo hodie Scriptores Pathologi paſſim utuntur, ſibi vindicare videtur: Tametſi nec priori idem plane negaverim.

§. III.

ejus … io … s & … nis

§. III. Jam vero ut utriusque Generis Species diſpaleſcant: recipi in Sangvinem materiam peregrinam atque adeo *Inquinationem Sangvinis* fieri dico, quando per diverſos corporis meatus, venena, aut venenoſa vel alioqui morboſa μιάσματα ſive contagia, (quæ aliqui cum *Langio*, *Hauptmanno*, *Kirchero* animata eſſe credunt) ſe illi admiſcent. Quemadmodum nimirum ab aſſumtis toxicis, perque morſum canis rabidi, viperæ, &c. in Peſte item, Petechiis, Variolis, Morbillis, Lue venerea, Scorbutô, Leprâ &c. contingit. Quô in caſu, non alia magis ad purificandum Sangvinem apta ſunt medicamenta *Diaphoreticis*; tum in *genere*, tum in *ſpecie Alexipharmacis* ſimul & *Specificis*, *Antivenereis*, *Antiſcorbuticis &c.* Quippe quæ maturè, antequàm texturam Sangvinis turbent particulæ peregrinæ, aſſumpta plurimi uſus eſſe, ad averruncandos ſævos illos & atroces affectus, experientia pariter & ratione ſuffulti docent Medici Principes: raro in iſtiusmodi conſtitutionibus *Purgantibus* & *Vomitoriis* locum concedentes. Certè *Purgantibus* in Peſte & Malignarum Febrium initiis malè miſereque utplurimum Depurationem Sangvinis quæri (quamvis Vomitoriis interdum hic locus ſit,) paſſim inculcant experti Practicorum: quorum vota nunc colligere non vacat. *Diaphoretica* tamen etiam, præſertim *Volatiliora Sulphurea* & *Salina*, caute adhibenda eſſe, tum in affectibus aliis, tum ſpeciatim in Variolis & Morbillis, non fruſtra monent aliqui. In his quidem, quantum ex abuſu talium, quæ *Expulſiva* alioquin appellare ſolent, damni detur miſeris ægrotis, prolixè expoſuit *Sydenham* tùm in *Med. M. Feb. C. IV.* tùm in *Epiſtol.* cui pollicem premunt *Dolæus Encyclopædiæ Med. Pract. L. IV. C. 6.* & *Waldſchmid. in Anchor. Salutis pro Varioloſis.* In iisdem tamen, tanquam Specificum Purgans, & verum veneni variolici Alexipharmacum, locum habet *Mercurius dulc.* quemadmodum ex *Ephem. Germ. An. 3. Dec. 1. Obſerv. 9. & 56. Ettmullerus Valetud. Infantil. c. 2. §. 27.* atque illius pariter & *Bohnii* exemplo, docet *Juncken. Med. Præſ. ſecul. accommod. p. 800.* Et hic etiam eſt, qui purgantibus aliis reſinoſis convenienter ſtimulatus & tempeſtive adhibitus, peregrinum venereum Contagium, quod in Sangvinem ſerpſit, commodè ſatis eliminat: *Dictis* præſertim *Lignorum & antimonialibus Diaphoreticis* adjutus.

§. IV. Quod ad alterum Impuritatis Genus pertinet, Species illi, juxta *Lindenium* ſtatui poſſent, Anemia, Apocriſia, Cacochymia, Diapthora, Hæmotexia & Gangræna. Cacochymia autem rurſus in pituitoſam, Bilioſam, Melancholicam & Seroſam ſubdividi. Sed quando potior hodiè habetur Doctrina, quâ Materia Sangvinis per Particulas activas & paſſivas explicatur; placet ſecundum illam *Diſcraſiam Sangvinis* exponere. Itaque peccare Sangvinem, eumque puritatem ſuam amittere contingit, abundantibus in illô particulis aliàs *Acidis*, aliàs *Alcalicis*, aliàs ex utroque genere enixis ſive *Salſis*, fixioribus aut volatilioribus, aliàs *Sulphureis*, aliàs *Aqueis*, aliàs *Gelatinoſis* & *Terreis*; rarius quidem unius generis ſolis, plerumque ſimul pluribus. *Corruptio ipſius texturæ.*

§. V. Cum primum fit, quod fieri frequentiſſime Recentiorum plurimi non temere arbitrantur; (unde appoſite *Slœtelius in Diſſ. Inaug. de Pravitate Sangvin. Theſ. 18. Si quicquam*, ſcribit, *in Corpore noſtro peccat, quod hodie Medicinæ operam navantibus inviſum maxime eſſe ſolet, Acidum certe Medicos maxime demum hoc ſeculo torquere cœpit: ita ut data operâ, animo prorſus infenſiſſimo, in illud paſſim conſpirare obſerventur.*) hoſtile Sangvinis *Acidum*, aquoſis utplurimum aut viſcidis gelatinoſis partibus junctum; in affectibus pleriſque dolorificis, colica, Stranguriâ, Pleuritide, Arthritide, Scorbuto, Malo hypochondriacô, Lue Venerea, Scabie &c. accuſari ſolitum; purificantibus *Antacidis*, tum generalioribus, tum ſpecificis Antipleuriticis, Antiſcorbuticis, Antivenereis, Antiarthriticis, &c. aggredi convenit: usque dum *acrimonia noxia*, Sangvini acido, ipſorum *ab Acido.*

rum ope, ademptâ, *Evacuationi* locus ſit. Eſt autem in uſu eorum variis cautionibus opus: ex quibus unam alteramve attingere licet. Nimirum cavendum, (1) ne abſorbentium & imbibentium, Præcipitantia alioqui quaſi κατ' ἐξοχὴν dictorum, frequentiori exhibitione, Ventriculum obruamus; Liquoremque primarum viarum digeſtivum per ea enervantes, Anorexias, Cardialgias, aut gravativos Stomachi dolores, Obſtructiones alvi, aliaque primarum viarum mala inducamus. (2) Ne nimia Aqueorum frequentatione, ſimiliter tum Ventriculo noceamus; dejiciendo illum à tonô ſuô, & ſuccos Chylificationis negotio dicatos eluendo ac infringendo: tum accumulata nimis (præſertim cum per Sudores urinasque non convenienter abſcedit) intra Sangvinem humiditate aqueâ, Cachexiæ & Hydropi vias aperiamus. Inprimis copioſior Potus frigidus raro locum invenit; calidô ipsô, (cum tamen calida corpori amica ſint) ſæpe damnum, immoderatô uſu, inferente. Quemadmodum ex abuſu laudatiſſimi aliàs Theæ Potûs deprehenſum eſt, ventriculum, per continuatam tunicarum laxationem & attenuationem, tonum ſuum penitus perdidiſſe, portamque variis malis, denique lethalibus, apertam fuiſſe. (3) Ne alcalica puriora acido vehementiori opponentes, majores in Oeconomiâ Microcoſmicâ tumultus concitemus: prout fieri Practici attentiores ſæpius experiuntur. (4) Quamquàm Evacuantium aliqua etiam temperando Acido inſerviant; iis tamen circumſpecte admodum illud, inter initia maximè curationum, movere & exterminare convenit. *Purgantibus* certe, præſertim fortioribus, adoriri idem minus tutum eſt. Præterquam enim quod, primis præſertim viis ab acido auſteroque muco plerumque obſeſſis, effectum ſuum, (quia mucus iſte energiam eorum impedit) ſæpe non conſequantur: unde Hypochondriacos aliquos & Melancholicos generoſioribus etiam Catharticis vix purgari aliquando obſervatur: non ſine inſigni moleſtiâ, ventrisque acerbis torminibus, ad alvum deducunt, & per illam educunt, integram adhuc aut parum infractam Acrimoniam acidam habentes Humores. Conſentiente *Sylvio Prax. Med. L. I. c.* 2. §. *26, Ubi nulla* ſcribit, *Purgantia præſcribo in fame* (ab acido) *auctâ, quoniam nulla mihi hactenus nota ſunt, quæ humores acidos educant blandè; ſumque præterea edoctus per experientiam multiplicem, irritari quidem, non item, niſi cum ſummis torminibus & noxa majore quàm fructu, evacuari acidos in corpore humores; & inprimis à Medicis de ſuorum ægrotorum dolore ac moleſtiâ parum ſollicitis, aut bardis, aut ſaltem hujus rei ignaris.* (5) Non minus ad Salivationem mercurialem magna cum præmeditatione accedendum. Tametſi enim hæc in tantum emicuit, ut Particularibus Evacuationibus exempta ad Univerſalium claſſem relata fuerit; quemadmodum ex ſupra dictis conſtitit: Attamen nonniſi ſecundum quid hanc claſſem ſubit: monente *Wedelio de Med. Fac. p.* 215. Proinde etiam, *Eôdem* ſvadente, conſultum eſt, ut ante hujus Salivationis uſum & exſecutionem, toti prius proſpiciatur, pro re natâ vel Purgantibus vel Venæſectione, vel, quod potius valet, utrisque. Nempe avertendorum Symptomatum causâ; quæ alioqui ſub ipſa cientur, ſatis multa & moleſta: adeò, ut inde etiam non pauci Salivationem omnino rejiciant. De quibus idem *Wedelius* habet *l. c. p.* 290.

§. VI. *Alcalicis* in Sangvine portionibus prædominantibus, præſertim *fixis*; (nam *volatiles* raro ita abundare videntur, ut obſint; Cum Sal Sangvinis naturaliter conſtituti Volatilis Alcalicæ naturæ eſſe videatur, confirmante id, ſaltim non negante, *Dn. Vatero Diſſ. Phyſiolog. de Partib. Corp. humid. & Spir. c.* 3.) quas in ſecundâ, ab ipſo conſtituta, Scorbuti ſpecie, *Charlet. de Scorbuto p.* 87. *& ſeqq.* in Febribus ardentibus, una cum Sulphureis præternaturaliter motas, *Steurlinus l. c.* §. 8. inque Bilioſis Morbis paſſim alii accuſant: Præter communia omnis acrimoniæ Salinæ Temperantia, aquea & his mixta pingvia ac mucilaginoſa, *acidis* etiam commodè tem-

temperare Sangvinem, purioremque facere licet. E.g. *Succo Citri, Granator. Rib. Ceraſorum, Spir. Vitriol. Nitri, Sulphur. Virid. æris &c.* Præſtat tamen, præ vehementer ex hoc genere acribus, ſubacidis uti. Qualia ſpeciatim Diaphoretica, cujusmodi ſunt *Miſt. ſ. Tinct. Bezoart. &c.* in Febre Hungarica laudat *Celeb. Mauric. Hoffmann, Sciagraphiæ Morborum Contagioſ. Diſp. 19. §. 8. & ſeqq.* ſcribens: *Quod afflictis hôc morbô in primô ſtatim quatriduô ſuccurendum ſit: non quidem purgantibus aut Vomitoriis, Sangvinem, etiam inſalubrem, magis conturbantibus; ſed parca hujus, inprimis Vinoſi, per Venæſectionem aut Scarificationem miſſione: fuliginumque ferocientium caputque petentium, per Alexipharmaca & Sudorifera acida, citâ excluſione: earundemque per acidulum tenuemque victum impeditione.* Nec *Salſis* etiam in ejusmodi ſtatu inconvenienter utimur, Cruditate præſertim in primis viis nidoroſa exiſtente, uti ſunt uſitatiſſima in Febribus ardentibus ac bilioſis Sitis ſolatia, *Lap. Prunell. Nitr. antimoniat. Roſat. &c.* Confer. *Diſſ. cit. de Medic. Propr. C. 2. §. 24. & 25.*

§. VII. At verò *Salſis* ipſis particulis in Sangvine eminentibus; ſicuti deſtructo per abſorbentia & præcipitantia acido, inque Scorbuto etiam, ex Salſorum abuſu frequenter oriundo, contingit: Cum Sudore vel Urina, per *Diaphoretica* atque *Diuretica*, illas eliminare; ex his autem talia, quæ Salſedinem ſimul attemperare poſſunt, præcipuè in uſum vocare; aut aliis aqueis vel incraſſantibus eandem ante demulcere; Laxantibus item & Purgantibus benignioribus, vim demulcendi ſimul habentibus, ad exitum eas ſollicitare congruum eſt.

§. VIII. *Pingvibus* ſive *Oleoſis* aut *ſulphureis* Sangvinis portionibus principatum obtinentibus; (quod rarò fit citra particularum Salinarum concurſum: Unde, pro harum diverſitate, alii aliiq; morbi in Scenam producuntur: uti ſunt, prima Scorbuti Species apud *Charletonum*, Icterus, Febres ardentes, Inflammationes, &c.) debentur, pro conditione dictarum aliarumque, quibuscum conjunguntur, particularum, attemperantia diverſa: atque his præmiſſis, Evacuantia, potiſſimum ex Catharticis Cholagoga, aliquando etiam Vomitoria Antimonialia: veluti Cholagogis, ſi humorum, qui evacuantur, conditionem ſpectes, præ cæteris affinia. Ubi autem oleoſis particulis ſincerioribus & blandioribus turgeſcens Maſſa ſangvinea obeſitatem corporis præternaturalem infert; Diureticorum illæ uſu optime minuuntur. Vid. *Diſſert. de Rore Microcoſmi, ſub Præſid. Excell. Sultzbergeri, Lipſiæ, à Godofredo Fritzſchio editam, Anno 1665. P. 2. §. 2.*

§. IX. Quoties *Aquoſæ* Sangvinis particulæ cæteris præpollent nimium; (nam aliàs in ſtatu naturali etiam aquoſæ Sangvinis partes reliquas ſuperant: Experimentis, quæ *Cl. Vater l. c. c. 3. Theſ. 10,* ductu *Excellent. Bohnii in Circul. Anatomico*, adducit, fidem facientibus:) Inundationibus microcoſmi magis minusque Univerſalibus aut Particularibus occaſionem præbentes: Catharticis *Hydragogis*, Diureticis item ac Diaphoreticis, nec non Salivantibus particularibus, ſimilibusque, depuratio Sangvinis perficienda venit. Nec ſolis tamen Evacuantibus hiſce omne negotium conficitur: Quin accedant, neceſſe eſt, ſubinde, & præcipue in Hydrope, Bilem inertem corrigentia, aliaque Aperitiva vulgo dicta, præſertim Amaricantia. Eſt enim Hydropis Aſcitis Cauſa antecedens frequenter Bilis flava, à Statu naturali deficiens, in acrimoniâ, colore, conſiſtentia, perfectione & ſegregatione. Quemadmodum fuſius docet *Diſſ. de Bile, Joh. G. Greulichius, Theſ. III.* Quem ſi, *in curandi Hydropis vera Methodô*, audire placeat; diſcere ex eo licebit: quod neque in Evacuatione Seri per alvum; cum plerumque, paucis poſt Purgationem diebus, Venter nova Seri colluvie in eandem molem reintumeſcat: neque in Paracenteſi Abdominis: neque in Scarificationibus, gangrænam ſubinde inducentibus: neque in eductione aquarum per urinarios meatus: neque in exſiccantibus internis externisque: Sed in ſolis Aperitivis ſeu deob-

Sero nimio

deobſtruentibus; fiducia aliqua ponenda ſit Curaturis Hydropem. Ut proinde decantatiſſimo inter hæc *Centauriæ minori, Gentianæ Hydropicæ* Synonymum rectè datum ſit, *in Catalogo Plantarum Aldorff: à Mauric. Hoffmanno.* Quem quidem ſolius hujus Plantæ pulveris uſu cum ſemine aniſi, ex cereviſia calida, horis matutinis propinati, nonnullos Hydropicos Sanitati reſtituiſſe; ſcire ſe ſcribit *Zornius, in Herbar. Pancoviano, p. 101.* Sicuti ſolo ac continuo *Abſinthii*, in cibo potuque aſſumpti, uſu famulum cujusdam nobilis Miſniæ, morbo hoc deſperate laborantem; ut & civem quendam Schwinfurtenſem, adjecto tamen ſub finem *Decocto Bellidis minoris*, (Gänſe-Blühmlein/ Feld-Maßliebeln quam tantopere extollit *Mindererus in Med. Milit.*) feliciter evaſiſſe refert *Joh. Mich. Fehr in Hiera picra p. 117:* ſoliusque *Conſervæ Abſinthii* uſu nonnullos Hydropicos ſanatos eſſe, idem ex *Mathiolo* teſtatur *l. c.* quem merito quis huc conferat. Pariterque *Sydenhamium, Tr. de Hydrop. p. 135:* Ubi *Cereviſiam* ex *abſinthio* aliisque ſimplicibus, pro *potu ordinario* & præ omnibus aliis ipſi potiore, parare docet: aliàs etiam plurimum tribuens *Syrupo* de *Spina Cervina*, vulgo *domeſticus* dicto. Cujus commodam præſcribendi rationem, ad methodum *Ettmulleri, in Valetud. Infantil. c. 3. §. 1. & 9.* una cum utendi modo, *Diſp. Inaug. de Suſpirio & Suſpirioſo habita Anno 1689.* à J. C. Kletwich/ *Quat. G. Lit. L.* iuſinuat.

Gelatinoſis ac terreis

§. X. Denique *Gelatinoſis terreisque* particulis intra Sangvinem ultra modum accumulatis; Unde Obſtructionum Myriades, concurrentibus præſertim Salium vitiis, & hinc innumeri Morbi naſcuntur: Præmiſſis Incidentibus & Reſolventibus, Purgantia Phlegmagoga, & reliqua tantum non omnia; Vomitoria quin etiam ſubinde, una cum Evacuantibus aliis, magnum habent uſum. Inprimis plurimam laudem in iſtiusmodi Sangvinis ſtatu habent *Pilulæ Gummatoſæ cum Mercurio dulci*, additis *acrioribus* quibusdam *Purgantibus*, eo, quem *Sylvius in Pr. Med.* paſſim oſtendit, aut alio modo, paratæ. Quippe *Gummi* ſolvendæ incidendæque pituitæ viſcidæ, præ aliis Medicamentis omnibus, aptiſſima ſunt: perhibente itidem *Sylvio L. 1. C. 7. §. 52.* Ad hæc vero poſſis certa ratione etiam *Aloën* referre, cujus vim ſingularem balſamicam & mundificativam Sanguinis, jam inde ab antiquis temporibus, Medicorum Scripta celebrant. Præcellit enim in illa, (quod Te *Ludovicus, Diſſert. de Volatil. ſalis Tartari p 79.* docebit,) *Gummea*, (quam *Alcalinam volatilem* vocare videtur *Juncken. Med. Præſ. Secul. Accommod. S. 11. c. 11. p. 236.*) & ad alvum ſollicitandum aptiſſima pars, *reſinoſa.* Unde aqueis tantum ſuccis, imo ſimplici aqua ſoluta, filtrata & inſpiſſata; aut, ſi placet, adjectâ ſimul *ſcillæ* vel *Ari* non præparati, ſimiliumve ſtimulantium particulâ, extracta; cumque Elixirii proprietatis non acidi, aut eſſentiæ abſinthiacæ alcaliſatæ tantillô ſubacta; & in pilulas minutas, quarum quatuor præter propter unum granum pendeant, redacta; atque trium quatuorve granorum pondere data, ante aut poſt paſtum; felicius longe expectationem Medentium implet, quam ſi cum *Spiritu Vini*, reſinoſas partes magis ſolvente, Extractio tentetur. Nec minus *Liquor ejus*, cum aliquâ *Nitri Antimoniati* vel alterius *Alcali fixi* parte paratus; aut *Eſſentia Alcalica*, ad ductum *Clauderi, in Method. Balſam. Corpor. hum. C. 7. p. m. 206.* cum *Liquore hujus præcipitante* facta; præ calidioribus aliis, cum Spiritu Vini ſimplici aut compoſito paratis, Solutionibus, utiles ſunt. Atque hæc quidem tanto magis, ſi *Eſſentiæ martis, cum Succo Pomorum Borsdorff.* factæ, admiſceatur. Ita enim, perhibente ipsô *Claudero*, non parvum inde ſolatium oritur iis, quibus vaſa Meſenterii humectanda aut lubricanda, alvusque irritanda; vel, Virtus Balſamica concilianda Chylo aut Sangvini impuro; vel, addo ego, hic ipſe, in ſequiori Sexu, Menſibus ſuppreſſis, ad conſvetam per Uterum evacuationem ſollicitandus eſt. Nota quippe eſt *Aloës* vis ἀναϛομωτικὴ; quam uti in ciendis

Hæ-

Hæmorrhoidibus habet, ita in menſtrua quoque Purgatione probat: ſiquidem, perinde ut alia *Emmenagoga*, convenienter, atque habita inprimis temporis ratione, rite adhibeatur. Temporis puta, quo fluere in his illisque Fœminis menſes conſvevere. Hoc enim niſi attendatur, in caſſum pleraque hujus generis adhibentur: Neque deſiderata ſangvinis purgatio & ex purgatio illis obtinetur Natura reluctante. Quod pluribus diſcere volens, conſulat *Wedelium de Med. Fac. pag. 192.* Mihi *Lindenii* verba apponere placet, ex *Meletem. Med. Hipp. Phyſiolog.* §. *147. p. m. 121. Qui naturæ ductum hic non agnoſcunt, faciant curando periculum in defectis à Purgatione ſua, & ſilente Luna* Lucinæ. *Certe vel invitis hoc exprimetur verbum: natura ni juvet, quicquid agis irritum.*

§. XI. Superſunt quidem his allatis addenda, plurima notatu digna: tum de *Mixtis*, ſive varie compoſitis *Sangvinis Impuritatibus*; quas hinc inde, extremis ſaltem digitis, attigi: tum de Remediis ad easdem pertinentibus: inprimis *Purgantibus*, eorumque recto Uſu. In quo, uti gloria Medici juxta Ammannum *in Inſt. p. 171.* ſita eſt, ita in eodem perverſo, Imprudentia Ejusdem inprimis eluceſcit. Arguente *Maurit. Hoffmanno Diſp. 19. Prud. Med.* quæ *de Impuritate Sangvinis Purificanda* agens, merito cum *Corollariis* ſuis huc conferri; ſimiliterque *Waldſchmidius in Inſtit. p. 171.* conſuli poterit. Sed abrumpere telam cogor.

Quare gratias DEO OPTIMO MAXIMO, pro conceſſa hactenus in ſtudiis Gratia, pectore devoto, utut verbis pauciſſimis, exſolvens; in Voto, *plurimum deinceps ſerviendi* DEO & PROXIMO, finio.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Vigeſima:
De
ANOREXIA.

PROOEMIUM.

NEceſſitatem tributorum in bene conſtituta Republica illuſtraturus Phrygius Apologo utebatur ſequenti. Accuſabant ventriculum membra totius fere corporis: quod quicquid anxia ſedulitate multoque labore ſibi acquirebant boni, ſoli non concedendum eſſet ventriculo, qui omni ſolutus cura ex eorum diteſcebat moleſtia. Quid fit? Concluditur: quieti ſe commiſſurum caput, non amplius ambulaturos pedes, non laboraturas manus, cum non ſuum ſed vilis cujusdam inteſtini lucrarentur panem, ſecuta fuit ſententia, ſed quo eventu? eodem quo ſtomachus, momento, totum languere corpus incepit, uſque dum & temeritatem conſilii quodlibet membrum ſentire. Hæc Æſopus: Politicum Apologi ſenſum explicare, ut hujus loci non eſt, ita veritatem ejus literalem nemo non percipit, cum ex alimentis aſſumtis vivamus, alamur, imo & ad functiones omnes alacriores

reddamur. Hinc ſpiritus incrementum, nervi robur, caro ſoliditatem, humores debitam temperiem imo totum corpus ἐνέργειαν nanciſcuntur. Ludit ergo non male Quintus Serenus in Præſago Parnaſſi monte, dum ait: qui ſtomachum Regem totius corporis eſſe contendunt, niti vera ratione videntur. Hujus enim validus firmat tenor omnia membra & contra ejusdem firmantur cuncta vigore. Quanta vero ex adverſo emergant mala, quantæ exſurgant in œconomia animalis miſeriæ, paucis hic nobis dicendum, dum Anorexiam, Famoſum illum ventriculi morbum, exponere aggredimur.

§. I.

Definitio. UT breviter ſed methodice, quid per Anorexiam intelligendum, explicem, dico quod ſit proſtrata ciborum omnium appetentia ſ. Fames deficiens, ex à priv. & ὀρέγω ſ. *Etymologia.* ὀρέγομαι appeto, deſidero, Etymologiam ducens: Duplicis generis occurrunt ἀνόρεκτοι, quidam enim ſimul ac dapes libarunt, velut ſatiati, protinus abſtinent, Græcis propterea *Diviſio.* ἀψίκοροι: alii vero ſunt, qui nihil omnino appetunt juxta Galen. *lib. 1. de cauſ. Sympt. cap. 7.* Germanice: keinen Appetit zu Eſſen haben.

Subjectum appetitus §. II. Subjectum ipſius appetitus quod ſpectat, inquirendum eſt, in quo loco ſenſatio illa moleſta Fames dicta, percipiatur: Veteres ſtatuêre ſedē appetitus concupiſcibilis eſſe in hepate, iraſcibilis in corde &c. Inter recentiores Carteſius appetitum ineſſe menti, tanquam cerebro, & ſpeciatim glandulæ pineali unitæ ſtatuit: his autem opinionibus album adjiciſe calculum quid opus eſt? Sufficit ſenſationem illam moleſtam in ſtomacho clare perſentiri, & in hoc moderni cum antiquis ὁμοθυμαδὸν conſentiunt: Ventriculi ſitus, figura & ſtructura, quoad fibras, vaſa & nervos, conſtant ex Anatomia, ita ut multa hic de iisdem congerere ſupervacaneum cenſeam. Subſtantia ejus fibroſa eſt, membranoſa, nervoſa, (præſertim circa ſuperius orificium) imo & glanduloſa, (*Malpighius vocat ventriculum amplam extenſamque glandulam*) per quam diſſeminantur quam plurima vaſa arterioſa, venoſa & lymphatica: interior ejus membrana valde laxa eſt & plicatilis, ita ut vacuo ventriculo corrugetur & ſenſim ac pedetentim complicetur, dum ſpiritus animales inter fibras ejus ſpongioſas vegetè circumferuntur: In hac autem interioris membranæ corrugatione, vel, ſi mavis, compreſſione, naturam famis & appetitus conſiſtere, defendemus.

§. III. Eſt autem hæc fames duplex, vel per ſe, ſive naturalis, vel per conſenſum, ſive præternaturalis, quæ itidem aliquando dicitur fames canina. Per ſe, cum nullus alius præceſſerit morbus, de qua primario hic eſt ſermo, aſt per conſenſum ex morbo quodam, cum vel turbatio humorum adeſt, quoad proportionem & mixtionem, vel quando melancholia hypochondriaca, cachexia, colica ſimilesve alii morbi ægrum vexant, vel quando bilis in ventriculum ex inteſtino duodeno regurgitat, aut per canalem præternaturalem illuc defertur, tuncque homines illi Græcis vocantur πικρόχολοι. *Fames ple[x]*

§. IV. Objectum autem appetitus quod attinet, dico mediantibus ſpiritibus cibum appeti, nam vacuo ventriculo interiorem ejus membranam per influxum ſpirituum vivaciùs corrugari & comprimi, jam ſupra pronunciavimus: Eſt itaque objectum verum Cibus; per cibum autem intelligimus illud omne, quod corpus noſtrum nutrire & augere valet: Deſumitur autem ex R. Animali & Vegetabili ſolum, Animale dat carnes, lac, butyrum, caſeum & quæ ejus naturæ ſunt alia: Vegetabile dat triticum, Piſa, Fabas, Lentes &c. *Objectu[m] peti[tus]*

§. V. Præ-

§. V. Præternaturalis fames cauſas agnoſcit duas, privativam alteram ſpirituum ſcilicet defectum, alteram poſitivam, cruditatem pituitoſam, nidoroſam, rarius acidam vel ex his mixtam.

famis natu- is

§. VI. Veteres quidem nobiſcum faciunt, quando Famem, tanquam facultatis appetitivæ ſpeciem ad animam ipſam referunt: diſſentiunt tamen multum in explicatione cauſæ Famis, dum ſtatuunt illam oriri ex ſuctione venarum ventriculi, quæ exinanitæ poſt totius corporis nutritionem ſenſationem illam moleſtam, quam nos famem dicimus, producerent: Verum ſponte corruit hæc appetitus cauſa, ſi conſideremus (1) per Venæ Sectionem largiorem aut hæmorrhagiam inſignem appetitum non augeri, ſed potius deficere. (2) corpora plethorica non minus eſurire quam alia exſangvia, (3) tum potiſſimum Famem urgere, quando chylificatio vix abſoluta, ſangvificatio vix inchoata eſt, ut ob inopiam vel defectum alimenti tum fames accidere non poſſit. Denique ſuctionem venarum nemo demonſtrare valet. Recentiorum vero cohors pro excitanda fame fermentum aliquod ventriculi modo acidum modo ſalſum fingit, à quo ſuperius ſæpius orificium ventriculi afficiatur, falſis innititur fundamentis, dum nempe ſupponit ab acidis excitari famem, acidum reperiri in ſtomacho, quo ipſo committunt fallaciam non cauſæ ut cauſæ, vide *Diſſ. Dn. D. Rivini de acido ferment. ventricul.*

alis ex ne Ve- um

iorum

§. VII. Spiritibus autem omnia deberi, probamus potiſſimum ex animi pathematibus, in quibus & motus & ſenſus ſpirituum impeditur e. g. ex terrore, in quo ſubito omnis deſtruitur appetitus, acidum vero non tam cito poteſt elabi: poſita itaque cauſa ponitur effectus: Avocantur autem ſpiritus in ejusmodi animi Pathematibus & juxta novam Ideam impreſſam verſantur, & tum fibræ ſpiritibus deficientibus non amplius ſeſe contrahunt, inde Anorexia, contrariorum enim ſimilis eſt ratio: videre hoc poſſumus in partibus externis, da man erſchrickt/ daß einem die Butter vom Brodt fällt. Firmiter itaque hunc in modum concludimus, quibuscunque abſentibus vel negatis abeſt appetitus, & quibus præſentibus adeſt, illa vera ſunt cauſa ejus: atqui ſpiritus &c. Ergo: Major probatur ex eo, poſita cauſa ponitur effectus. Minor ex allatis probata datur. Objicere autem nobis quis poſſet, nunquam defectum ſpirituum eſſe in ventriculo; emoreretur enim, uti aliæ partes, ubi deficiunt ſpiritus. Reſpondeo itaque, & diſtingvo defectum ſpirituum in totatotalem & partialem, Ubi tempore ſomni partes non poſſunt moveri ob defectum ſpirituum: Inſtet porro aliquis: ſpirituum influxum non eſſe cauſam, quoniam ſæpe influxus nimius adeſt citra ullum appetitum, ut in Febribus ardentibus. Reſp. Nos loquimur de naturali: & quemadmodum militum copia in acie non juvat, ubi confuſe militant, quin potius victoriæ obſunt; ita etiam ab irregulari & confuſo ſpirituum influxu Fames proſternitur, imo ſi prior illa ratio locum haberet, quidni in ejusmodi ſubjectis motus localis, ſtimulus Venereus & multa alia adeſſent, refrenandus itaque eſt in his malis ſpirituum motus.

oris

Anorexiæ cauſa.

§. VIII. Ad cognitionem vero cauſarum ſigna inſerviunt ſequentia: Ubi pondus & dolor aliquis gravativus & inflatio ventriculi obſervatur, ibi certo certius pituita hæret in ventriculo: Ubi vero oris amaror, cardialgia, nauſea ac ructus acidi adſunt ſunt, ibi nidoroſam cruditatem judicabis: ſic ructus acidi, murmura ac rugitus in abdomine acidam cruditatem manifeſtant. Quod ſi hæc recenſita ſigna concurrant, mixtæ erunt cruditates; aſt quando nullum horum ſignorum adeſt, & præterea totum corpus languet, ſpirituum defectus in culpa eſt.

Signa cauſarum

§. IX. Symptomata, quæ anorexiam ſequuntur, ſunt nauſea, vomitus, gravedo ventriculi, emaciatio corporis, virium imbecillitas, ardor ventriculi, ſoda & cardialgia.

Symptomata

§.X.

Prognoſis §. X. Porro obſervanda ſunt ſigna Prognoſtica, in omni enim affectu, in quo appetitus vel etiam ſolito minus vel tantillum conſtat, bonum eſt ſignum: malum, ſi defectus ſpirituum adeſt; pejor vero, ſi ſimul faſtidium adſit, & maneat in morbi declinatione proſtratus appetitus; peſſimus autem, ſi in morbis poſt ſummas debilitates, ſubito vehemens oriatur appetitus. Porro quibus ſine manifeſta cauſa deficit, morbum imminere certum eſt: Quamobrem Podagrici, Nephritici appetitum deficientem tanquam ſignum imminentis paroxyſmi habent, nec perſvaderi poſſunt, affectum ceſſaturum eſſe, antequam is redeat.

Cauſæ externæ. §. XI. Cauſas externas & remotas (ex ſex rebus non-naturalibus petendas) utpote cuivis attendenti obvias, quæque ad priores antecedentes facile accommodari poſſunt, ſicco hic pede brevitati ſtudens prætereo, directe ad curationem tranſiturus. Agedum ergo videamus

Quid valeant humeri, quid ferre recuſent.

Cura in defectu ſpirituum Cura defectus ſpirituum reſtitui debet remediis Analepticis ac ſpirituoſis, qualia in univerſum ſpirituoſa omnia atque fragrantia, Spiritus Vini Rhenan. & ſpiritus per fermentationem parat. pertinent, quæ talia analeptica ſunt, ut ratione particularum ſuarum ſalino-volatilium, quibus ſummam cum particulis aëreis motoriis intercedere analogiam D. *Bohn. Profeſſ. Lipſienſ. in Circul. Anatom. Phyſiol. Progymnaſmat. 19. pag. 306.* probavit: aſt antequam ad recenſionem eorum perveniamus, ipſius ſtomachi vitia conſiderandas eſſe neceſſum putamus. Sunt autem tria 1) Spirituum, 2) Organi, 3) Contentorum: Prius quod attinet, dubium non eſt, quin ſpiritibus defatigatis, id eſt, exhauſtis per labores & exercitia vehementiora, vel abuſu Veneris, aut iisdem ſpiritibus diſtractis, id eſt in motu irregulari conſtitutis, à gravi cura, mœrore & ſtudio inſatiabili appetitum atque ipſam digeſtionem lædi. Quo in caſu nihil aliud requiri videtur, quam Analeptica & Aromatica, abſtinendo ſimul ab omnibus, quæ vires proſternere ſpiritusque à ventriculo avocare poſſunt. Analeptica autem ſunt ſequentia. E.R.V. Spirit. Ceraſor. nigror. (de cujus aqua Johannes Monardus ut & alii autores ſcribunt, quod ſi in os Epileptici infundatur, quoties paroxyſmo laborarit, inhibeat morbum, ſolvatq;) pomorum dulcium, Cortic. Citri, Lilior. convall. flor. Tiliæ, Roſarum, aqua Namphæ, id eſt flor. Citri, Tinctura Cinamomi ſimplex, Cydoniata cum Spiritu formicar. acid. parat. vel in ſubſtantia, aquam Lavendulæ cum vino Meliſſæ, magnanimitatis cum Spiritu Formicar. parat. miris præconiis extollit *D. Rivinus Prof. Lipſienſ.* Famigeratiſſimus in Collegio privatiſſ. ſuper Materiam Medicam, quibus ambra, vel in ſubſtantia, vel in Tinctura commodiſſime aſſociari poteſt: Ad claſſem Analepticorum etiam referri poſſunt Vinum Generoſum ac dulce v. g. Hiſpanicũ, Ilicitanũ vinum (Alacant) cum bolo panis aſſumtum, vel largior ejus potus (admodum proficuus in malignis obſervatus à *Bartholino Centur. 4. obſ. 7. M.N.C. A. 3. obſerv. 145. p. m. 266.* Spiritus Vini Rectificatus cum Ambra & Moſcho inebriatus ad imitationem *Quercetani Pharmacop. reſtit. pag. 381. Riolan. obſ. Med. 4.* item aqua Apopleptica Langii & Kohlreuteri, aliæque compoſitæ infinito numero in diſpenſatoriis congeſtæ & quarum compoſitionem ex Recentioribus videre licet apud *D. Blegny Secrets concernants la beauté & la ſante Tom. 1. pars. 18.* Videndum tamen ſemper eſt, an ferre poſſint hæc ſvaveolentia ægrotantes: ſexus enim ſequior utplurimum & maſculinus non raro illa abhorrent; adeoq, loco illorum aquæ apoplecticæ Acidæ vel cum Caſtoreo paratæ, aut aceta ſaltim Calendular. Rutac. Lilior. convall. flor. Tunic, vel alia magis fœtida, item Salia volatilia, Sal. Volatil. Cornu Cervi, Eboris, Spiritus Sal. ammoniac. cum calce viva, & omnis generis acida, Spiritus Formicarum acidus, Spiritus virid. æris. vide *Praxin. Chymi-*

Chymiatric. Hartmanni Agricolam in Poppium Tract. de Antim. p.163. Crato à Krafſth. obſerv.38. Boyle Chym. Scept. p. m.227. & aceta jamjam recenſita: nunc ſalſa Liquor. cornu cervi ſuccinat. mixtura ſimpl. Spirit. Aperitiv. Penoti vel *à Glaubero Furn. Philoſoph. p.2. c 98.* deſcriptus, nec non Oleum deſtillatum Caryophyllor. Cinamom. Spicæ Major. Salviæ, Thymi, Serpilli ſpirituoſis admixta conducunt & Cataplaſmata nihil non valent regioni cordis impoſita ex Mica panis ſimilagin. Cinamom. Caryophyll. Maciſque pulvere cum Confectione alkermes ex *Gvilielmi obſervat. Chir. cent. 3. obſ. 33.* vel tenella Citri frondium folia ex *Panar. Pentecoſte 3. obſ. 41.* vel Meliſſ. calid. Vino imbuta vid. *Sennert.* ut & Uſnea cranii human. Specific. Cephalic. D. Michael. Lign. Aloes. Saſſaphras, Colubrinum, Rhodii Muſcus clavatus ſ. quod idem eſt Sulphur. Lycopod. item Lunariæ vide *Takium Chryſogonia animali p.165.* Modus his utendi eſt varius: nam & interne exhibentur ſubinde multis modis & externe vel naribus objiciuntur, vel pulſibꝯ cordis regioni applicantur, vel inunguntur temporibus aut membris languidis, ut vellicatæ ab ejusmodi acribus fibræ Spiritus quoque langventes excitent atque in motum naturalem revocent. Aromata autem ſtomacho ſunt grata Cinamom. Nux Moſchat. Macis, Cubebæ Cardamom. Zingib. piper: Inſtar omnium ſit Spirit. Maſtichin. *quem Simon Pauli deſcribit Quadripartit. Botan. p.541.*

ricu-ia §. XII. Ipſius vero Ventriculi duplex eſt Atonia; nimirum relaxatio & motus præternaturalis in Vomitu. In Atonia cum Adſtringentibus exhibeantur Aromatica & Analeptica, aut Carvi cum Cinamom. Miva. Cydonior. Solum tamen Elix. menthæ vel vinum Hippocraticum aut etiam Hiſpanicum in quavis atonia ventriculi, & ipſa Lienteria ſufficit non raro abſque omni adſtringente. Eodem modo recenſita quatenus vellicando fibras ſtomachi Spirit. alliciunt, reſtituunt motum naturalem contractorium. Vomitus quoque ſedant eadem medicamenta, cum quibus Opiata interdum caute miſceantur, præſertim ſi dolor ſtomachi vix quicquam toleret, aut per conſenſum ob dolorem partium vicinarum vomitus contingunt.

§. XIII. At vero ſi in ſtomacho collectæ cruditates vel appetitum deſtruant, vel digeſtionem corrumpant, omni ſtudio procurandum eſt, ut pravi humores alterentur & evacuentur. In acida quidem cruditate ſufficiunt Salia fixa & volatilia, inprimis Terrea & Martialia, ſal. abſynthii, Centaur. minor. Tartari, unde etiam forſan vulgatum illud bitter im Mund dem Magen geſund. Inter ſalia volatilia ſunt Spirit. Sal. ammoniaci, Carminativ. de tribus, Tinctura Tartari, Spirit. cornu cervi volat. vel Terrea, Cornu Cervi & Ebur uſtum *à Joele in Prax. laudat.* Corallia, mater perlar. Cryſtal. montana *Langio in Epiſtol. Medic. lib. 3. cap. 1 laudata.* Dilui & acrimonia poteſt aqueis ad imitationem *Borelli centur. 2. obſ. 27.* namque hæ ſecum per vias urinarias eandem abripiunt. Hinc potus Cereviſiæ dilutæ aut loco ejus aqua ſimpl. vel nivalis utilis eſt, confer *Zacut. Luſitan. Medic. Princip. Hiſtor. p.318.* admodum quoque proficua eſt aqua Thermarum naturalis, ut & aqua Extinctionis Fabrorum copioſe hauſta, nec non decoctum hordei, quorſum voco ſpongias ſambuci in aqua ſimpl. maceratas, vel aqua liguſtri *famoſum illud* Gabelchoveri *experimentum in curandis Aphthis. confer. Act. Haffnienſ. Volum 4. p. 49. M. N. C. A. 4. obſ. 83.* nec certe nocebit potus hb. Thee aut fabarum uſtulatarum Coffée: circulationem enim ſangvinis certo reſpectu & augent & minuunt, nec inconvenientia nonnunquam ſunt pinguia, Oleum olivarum, amygd. dulc. butyrum & jura pingvia gallinarum caponum &c. item capita ac pedes vitulorum ac ſuum: Superſunt adhuc Martialia, inter quæ agmen ducit Tinctura Martis cum ſucco pomor. Borsdorfianorum præparata, cujus egregios ſucceſſus vidimus circa ægrum hypochondriacum horrenda inſomnia de ſingulis noctibus patientem. Nec infimæ virtutis ſunt liquor Martis Solaris, item crocus & limatura ejus, ut & antimon. daphoreticum.

in Cruditatibus

acida

§. XIV.

bilioſa §. XIV. In Bilioſa cruditate præter Terrea præcipitantia e.g. Lap. percar. Judaic. ſciſſilem, Granadum Margarit. Carneolum, Amethiſtum, Oſſa ſæpiæ &c. conducunt etiam acida vehiculo aqueo probe diluta, Succ. Citri, Portulac. Limon. malum punicum Spiritus Vitrioli Philoſoph: Nitr. Sal. Sulphuris, Elixir propriet. acidum, Clysſus mineralis &c. ſic ut pro lubitu exinde componi poſſint Formulæ. v.g.

℞. *Decoct. Hordeac.* ℔j.
Succ. ceraſor. Nigror. ℥ij.
Syrup. Aurantior.
Citri ana ℥j.
Tincturæ Roſar. ℥ß.
Spiritus Sulphur. per campan. q. ſ. pro grata acciditate
M. F. Julepus.

Conferunt etiam in hac cruditate remedia amara v. g. abſinth. vide *M. N. C. A. 4. obſ. 48.* agrimonia & alia jam ſupra commemorata: ſatius tamen eſt evacuaſſe bilem per vomitorium & purgans, Mercur. vitæ Tartarum Emetic. aut G. G. cum arcano duplicato Mynſicht. vel Rhabarb. cum cremore Tartari.

pituitoſa §. XV. In caſu pituitoſo omnis generis enarrata locum habent cum Evacuantibus: in ſubjectis frigidioribus aromatica acria, Serpillum Roſmarin. Salvia Thymus Meliſſa Origanum Majoran. Pulegium, Rad. Caryophyllat. Lign. Saſſaphr. & Gvajac. Rad. Leviſtici Angelicæ, Ari, Galangæ, Zedoariæ, Satureia., Acorum, Cortices Citri & Aurantior. nec non Balſam. Peruvian. item amara ſupra notata; Subjectis autem calidioribus dentur præter acida jam ſupra etiam enarrata vel [illegible], ut ſunt liquor terræ foliat. Tartari, Tartarus Vitriolatus in ſpecie Tachenii, Sal. ammoniacum depurat. Arcan. duplicat. Mynſ. Crem. & Cryſt. Tartari Evacuantia autem in his commoda ſunt, quæ parantur ex rad. Jalapp. & Helleb. nigr. Scammon. Colocynth. ita ut felici ſucceſſu itidem ex illis Formulæ juxta uniuscujusque lubitum componi poſſint. v. g.

R. Reſin. Jalapp. gr. XV.
Subigatur cum ſ. q. vitelli ovorum
adde aquæ Fumar. unc. j.
Edulcoretur parum Julepo violaceo
D. S.

Purgier-Milch auff einmahl. Purgantia ſub hoc formularum genere omnium optime exhibentur; ſedes enim frequentes excitant cum εὐφορίᾳ ægrotantis. Sterileſcunt enim non raro pulveres & potiones purgantes, ut nullo modo alvum ſolvant, quod de Emulſionibus non metuendum, ſed optatus ſucceſſus eorum in praxi ſemper ſine torminibus eſt.

§. XVI. Ex prædictis ergo ſelectam combinare materiam ad mixtam cruditatem neceſſariam cuivis attendenti facile erit; jam enim alcalica cum aromatibus, ſi pituita cum acido commixta ſit: jam alcalica cum præcipitantibus, ſi cum bile acidum eſt mixtum: jam aromata ſunt conjungenda cum acidis; inter hæc præ reliquis virtutem habet *Elixir Vitrioli Mynſichti Armamentar. p. 269. deſcriptum.*

A quo Principium rerum dependet, in ipſo
Principium ut operis fuerat, ſic ſit quoque.

F I N I S.

DISPU-

Disputationum Langianarum Vigeſima prima: De ATROPHIA.

Prooemium.

Laude non minus dignas quam illaudabiles atque ſuperfluas in corpore noſtro, etiamſi in ſtatu naturali conſtituto, particulas eliminari extra ipſum per functiones, id quidem extra omnem opinor controverſiæ aleam eſt poſitum. Quotus enim quisque eſt, (niſi planè hoſpes ſit in arte noſtra) quem lateat, ſerum ſub facie ſudoris extra corpus proſcribi ſolitum, non ſine omnibus excerni partibus Spirituoſis, quæ etiam facilè deſiderantur, ſi paulo nimius iſtius humoris fuerit effluxus? Moventi tamen nihilominus hac de re ſcrupulum, commendatum eo functionem corporis noſtri aliam à jam commemorata non adeo multis paraſangis diſtantem, quæ rerum naturalium Doctoribus ſub inſenſilis Tranſpirationis nomine venit: per quam omnium maxime maximam excrementitiarum & unà cum his multarum laudabilium particularum quantitatem evacuari Autores fidei teſtantur haud proletariæ. Quos inter primò nominari loco meretur *Sanctus Sanctorius*, qui in Medicina ſua ſtatica non veretur pronunciare, ſe experientia edoctum obſervaſſe, unô die naturali tantum exſpirare hominem inſenſibiliter, quantum vix per quindecim dierum curſum excernat per alvum, ut in præſentiarum alia aliorum aſſerta & obſervationes brevitatis ſtudiô ſilentii peplô involvam. Unde ſatis ſuperque eluceſcit, facilique negotio concludi poteſt, ſtupendam illam faberrimi operis Machinam, corpus, facilè collapſum iri atque destructum, niſi tantarum virium jacturæ in promptu remedium eſſet, quodque deperditum reſtitueret. Eum enim ipſum in finem provida natura ſancivit ac ordinavit Nutritionem, quâ alimenta debito modo aſſumta & digeſta partibus nunquam non agglutinantur, & ſic omne, quod perit, ſubinde de novo redit. Ex hoc fonte ſaluberrimo haurit corpus largiter, quicquid ad ſui conſervationem, vitæque ſuſtentationem opus habet. Quod negotium quoq; ex voto ſuccedit, quamdiu ſalva perſiſtit illa Nutritio. Ubi tamen (quod ſæpiſſime) con-

contingit, ut ſcaturigo hæc alias laudatiſſima longeque utiliſſima rivulos ſuos in corporis noſtri partes, quo decebat ac par erat, modô, non derivet atque diſtribuat; non poteſt non damnum exin oriri maximum. Sentit enim non ſine detrimento defraudari genio ſuo, dum, quod partum, perdere cogitur. Verbo: Morbus inſequitur ſatis Sonticus, qui cum invaluerit ſemel, omnem corporis ſtatum turbat atque debilitat, vigorem adimit membris, decerpit vitæ flores, hominemque totum, adeo formoſiſſimum animal, larvam reddit ac umbram, non raro & plane perimit ac tollit, qui Practicis Atrophiæ titulo inſignitur. Quem affectum, in præſenti, animo paulo penitiori contemplari, ingeniique modulo examinare Speciminis loco B. C. D. deſtinavi. Tu vero Supremum in cœlo Numen & lumen, illuminare intellectum meum ſplendidiſſimis ſapientiæ tuæ radiis, & animum Spiritus tui Vigore irradiare ne dedigneris.

§. I.

Etymologia

Atrophia nomen habet ab *α.* privativo & verbo τρέφω nutrio, ut itaque vi vocis nihil ſit aliud, ac ſi dicas, Non Nutritio, ſive Nutritio turbata, imminuta vel plane ſufflaminata.

Synonymia

§. II. Alias etiam dicitur Tabes, Contabeſcentia, Macies, Aridura &c. Ubi tamen notandum, quod Tabes quandoque apud Auctores in ſpeciali ſignificatu ſumatur pro ea, quæ ex pulmonum vitiis exoritur Macie, quo ſenſu legimus penes Medicos priſcos; hinc etiam Germani id, quod per Lungenſucht debebant efferre, exprimunt per Schwindtſucht putantes, Tabem idem eſſe, ac quod Græcis φθινὰς νόσος; quod tamen maxime erroneum.

Formali[...]

§. III. Hujus Morbi Formalitas in eô conſiſtit, quod Nutritio debitô modô non ſuccedat, quo vel plane nihil apponatur partibus alendis, ita ut emaciatæ maneant, uti ſunt, aut ſi etiã præterea id, quod ante agglutinatum erat, rurſus deradatur & abſumatur, quo in caſu corpus indies indiesq; macileſcit.

diviſi[...]

§. IV. Quoniam vero hæc Nutritionis Læſio vel toti corpori, vel uni ſaltẽ aut alteri parti accidit, dividitur Atrophia in Univerſalẽ & Particularẽ.

Univer[...]

§. V. Univerſalis, & quæ in ſtatu, Morbus eſt, talis obſervatur: Facies apparet Hippocratica, lividaque ac plumbeo colore deturpata, tempora collapſa videntur, oculi retro in cavernas ſe abſcondunt, malæ naresq; protuberant, genæ exeſæ ſunt, labia dentes vix obtegunt, coſtæ, ſcapulæ, claviculæ & ſpina dorſi mirum in modum eminent, artus & partes muſculoſæ ſunt excarnes, verbo: flaccida cutis nuda ſaltem oſſa inveſtit, & in corpore vivo quaſi ſceleton repræſentatur ſola cute inveſtitum.

& Pa[...] lar[...]

§. VI. Particularis eſt, quando una vel altera tantũ pars non nutritur reliquis illæſis, & talis obſervatur jam in oculo, jam in manu, jam in dorſo &c. vocaturque Germ. das Schwinden der Glieder.

Dia[...]

§. VII. Signa Diagnoſtica Morbi hujus in ſtatu facillima ſunt, ſcil. ſi totum corpus aut ejus aliqua pars collabaſcat, exſiccetur, attenuetur, vigorem & priſtinum robur perdat. Quodſi vero Morbus adhuc ſit in fieri, ejus cognitio majorem parit difficultatem, cum ſæpiſſime alii morbi latentes vel præſentes actu, aut jamjam præteriti, eundem effectũ producant in habitu corporis.

§. VIII. Ætiologiam quod ſpectat, Cauſa Nutritionis deficientis vel depravatæ quærenda eſt tam in Nutrimento non convenienti & accommodato, quam Cauſa efficiente Nutritionis. Annon & indiſpoſitio præternaturalis interdum adſit in partibus, non negaverim, ſcilicet probabile videtur,

culpam

culpam Nutritionis non ritè ſe habentis hærere penes tubulos partium nutriendarum nimis anguſtos & plus juſto conſtrictos, quippe per quos materia Nutritionis & præſertim roſcida ac gelatinoſa tranſire nequit, hinc fit, ut partibus iſtis nihil accedat ad acquirendam majorem molem. Quæ tamen cauſa, ſi velimus verum fateri, licet de ea ſuſpicio naſcatur, vix ulla arte aut remediis emendari valet, hincque merito à nobis negligitur.

Mate- ritio- §. IX. Quemadmodum autem ſecundum naturam Materia Nutritionis eſt vel remotiſſima ſcil. alimenta, vel remota ſive Chylus, vel proxima ſive ſanguis: ita in ſtatu præternaturali hæ ſingulæ cauſæ Atrophiæ genitores dici poſſunt. Remotiſſimam jam taceamus, (cum alias nimis longe excreſceret Diſſertatio noſtra) aſſumamus reliquarum duarum vitia, quarum utraque peccat tripliciter, quod ſucceſſive exponemus.

-dum cit. §. X. Materia Nutritionis remota ſive Chylus, Atrophiæ cauſa fieri poteſt, (1) quando penitus deficit ex alimentorum inopia, tempore annonæ caritatis, aut quando non ſufficienti copia elaboratur in Anorexia, cacoſtomachia, ubi tandem neceſſario chylum deficere oportet, qui non niſi ex ſufficientibus alimentis elaboratur, aut optime licet præparatus in organis huic negotio deſtinatis à vermibus ibidem nidulantibus depaſcitur.

e non etur §. XI. Peccat etiam chylus (2) ſi debite non moveatur. Motus autem debitus ejus in ſtatu naturali hic eſt: Chylus beneficio extractionis in ventriculo ex alimentis elaboratus, excidit per pylorum in inteſtinũ duodenũ, commixtusq; cum bile ac ſucco pancreatico, per tenuia progreditur reliqua, inſinuans ſeſe periſtomati villoſo vaſisque lacteis primi & ſecundi generis, commigrat tandem ad ciſternam chyliferam ſive receptaculum lumbare, ex quo denique per ductum thoracicum aſcendere cogitur uſque ad venam ſubclaviam ſiniſtram, ſangvinemque in illa hærentem. Vitium ergo in hoc motu obſervatur multiplex, quod cauſa noſtri morbi dici poteſt, ſcil. quandoque nutritius ille ſuccus per periſtoma villoſum & oſtiola vaſorum lacteorum ad cavitatem inteſtinorum aliàs hiantia filtrari non poteſt, propter mucum eadem obſtruentem, aut ob cicatrices à Dyſenteriâ diuturna & exulcerata ibi relictas *annotante Sylvio Prax. lib. 1. c. 16.* quo in caſu unà cum fecibus egeritur inepte materia Nutritionis in alvi fluxu chyloſo, aliisque Diarrhoeis, quas maciem gignere frequentiſſime *teſtatur Foreſt. lib. 22. Obſ. 26. & 28.*

§. XII. Sic a limine ſtatim aberrat chylus; non minus vero vaſa lactea ipſa peccare inſigniter deprehenduntur, dum diſrupta, fluidum ſuum contentum, non in M. Seam, ſed in Cavum abdominis effundunt: aut quando glandulæ Meſenterii a caſeoſa ſubſtantia chyloque obſtruuntur, vel a ſcirrho obdurantur, ut non poſſit penetrare ipſas chylus, ſed ſtagnans in abdomine Hydropem, in ſuperioribus vero partibus Tabem ſatis miſero excitet ſpectaculo.

§. XIII. Verum licet ad M. Seam transferatur chylus; non tamen ſemper agglutinatur partibus, ſed quandoque cum urina è corpore inutiliter perditur, qualis hiſtoria legitur *in Miſcell. N. C. Anno 1. obſ. 89.* ubi omnis chylus effluebat una cum lotio ſub lactea forma, maciemque turpem excitabat. *non unitur*

§. XIV. Ulterius depravatur chylus & ineptus redditur ad ſangvificationem, & conſequenter ad Nutritionem per alimenta inepta, quorſum inprimis pertinēt v. g. dyſpepta, h. e. ex quibus nutrimentum utile extrahi non poteſt, item acida, quæ ſtatim in primis viis præcipitant particulas laudabiles & oleoſas ex menſtruo ſtomachali, faciuntque, ut vel plane non abeant ad M. Seam, vel ſi illuc ferantur, non agglutinentur partibus. Neque minus chyli vitium habetur in ſingulari illo affectu, ubi feces una cum ſucco puriori tranſmigrant ad M. Seam, de quo ſeorſim egit *famigeratiſſimus Lugdunenſis Academiæ Practicus Sylvius*, ad quem L. B. relegamus. Cauſam hujus phænomeni ſi quæras, illa dubio ſine ponenda erit in periſtoma villoſum adeo ampliatum atque diſtenſum, ut partes craſſæ cum tenuibus ſimul tranſeant filtrationis tempore. *aut depravatur*

nunc Materia proxima. §. XV. Hæc ſunt vitia cauſæ Nutritionis remotæ ſive Chyli, à quibus ſi ad cauſam proximam ſive ſangvinem transgreſſum faciamus, eandem penè trigam vitiorum, h. e. reſpectu (1) Motus, (2) Quantitatis, & (3) Qualitatis invenimus.

peccans motu §. XVI. Motu purpureus ille liquor ſive ſangvis peccat, quando juxta leges ſibi præſcriptas non circulatur per totum corpus, ſed vel extra cancellos ſuos deſtinatos extravagatur, quod notamus in omnis generis Hæmorrhagiis nimiis, v. g. Narium, Uteri, Hæmorrhoidum, Menſium fluxu aucto, vulneribus &c. quas à Tabe excipi, ecquid obſecro frequentius obſervatur in Praxi, vel quando in corpore retinetur intempeſtive, qui alias more conſveto excerni debebat, v. g. in Menſium vel Hæmorrhoidum ſuppreſſione, qui facile cachexiam & tandem ipſam Tabem gignere potis eſt, quod olim jamjam teſtatus *Hippocrates sect. 6. Aphor. 12.*

quantitate §. XVII. Quoad vitia ex quantitate oriunda, quæ nimia ſangvinis abundantia rarius Tabem progenerat, ſæpius longè defectu, quando nimirum tanta ſangvinis copia non adeſt in vaſis ſangviferis, quanta requiritur aliàs ad corpus enutriendum & conſervandum. Talem inopiam ſangvinis offendimus in corporibus nimias hæmorrhagias, uberiorem fonticulorum fluxum, vehementiorem Diaphoreſin, largiorem Diureſin & ſimiles evacuationes exceſſivas perpeſſis: utpote per quas illud fluidum laudabile, quod ſecundum ordinarium naturæ curſum debebat agglutinari, præter naturam effluit & dilapidatur.

qualitate §. XVIII. Qualitate demum præternaturali afficitur ſangvis, Dyſcraſiam contrahens, quæ ſi aquea, non nutritur corpus, ſed hydrops oritur, ſi viſcida, non nutritur corpus, ſed Cachexia, Leucophlegmatia, Tumores &c. exſurgunt, ſi Salina, non nutritur corpus, ſed ſcorbutus aliaque ſexcenta mala generantur. Ex quibus tamen omnibus præ reliquis Dyſcraſiam ex abundantia particularum ſalinarum obortam nocere manifeſtum. Verè enim Salia ſunt deprædatores particularum reliquarum laudabilium præprimis gelatinoſarum, pluriumque morborum progenitores infelices.

§. XIX. Huc pertinent etiam exulcerationes pulmonum non tantum, ſed & reliquarum partium internarum; dum enim ex ſero his in locis diutius ſtagnante, putridum omnino fit colliquamentum, illud ſi remeet cum retrogrado ſangvine ad alias partes, ſine ullà morà poteſtatem ſuam exerens, quam poſſidet totam ſucceſſivè corrumpit ipſam M. Seam, hinc Tabem oriri vulgatiſſimum eſt.

§. XX. Et quid quæſo frequentius obſervatur in Praxi, quam quod à ſcabie v. g. & aliis exanthematibus per longum temporis ſpatium ægros divexantibus eorum corpora ita enerventur & emacientur, ut ligno arido ſimilia evadant, daß ſie werden wie ein Kühſtock/ uti Germ. dicunt. Taceam hunc affectum, quem acrimonia luis Venereæ ex eodem fundamento gignit admodum frequenter.

§. XXI. Et tantum etiam de vitiis Cauſæ Nutritionis proximæ. Reſtant adhuc anomaliæ Cauſæ efficientis ſive Spirituum examinandæ, quæ non minus, uti præcedentes cauſæ, triplici ratione veniunt incuſandæ. *nunc nutrit. effici*

§. XXII. Primo enim Spiritus deficiunt in corpore, temporis decurſu tractuque annorum, ex continuo uſu non ſecus ac reliquæ partes conſumtæ, ut mirum non ſit, ſi homines annoſi & ad ſenium vergentes contabeſcere videamus: *vide ſis Joel. Prax. Tom. 5. c. 92.* Sed alio tempore hæc Spirituum penuria cauſas longe alias agnoſcit, quas inter eminent animi pathemata vehementiora, uti ſunt mœror, curæ, ab *Ovidio* non male depopulatores artuum dictæ, it. ſtudium nimium, qua de re Poëta: *quana def.*

Si pallere cupis, ſi cõtabeſcere morbo,
Et vulgo fieri fabula longa, ſtude.

Nec non ex his mixtæ animi commotiones, v. g. invidia, qua, qui vexātur, ſemet ipſos emaciant juxta illud *Horatii:*

Invidꝰ alteriꝰ marceſcit rebꝰ opimis.

Inſuper in vulgus notum eſt, â Veneris deſiderio nimio pronaſci non raro tabem, in homine non ſolum id frequenter, verum quoque in brutis annotamꝰ, exempli loco ſint canes, quos

ſi à

ſi à coitu arceas libidinoſos, notabilter contabeſcunt, quemadmodum contra impinguantur magis, ſi fomes libidinis per caſtrationem remotus fuerit. Et licet Eunuchi quandoque non æque obeſi fiant omnes, nam & horũ libido ab objectis externis adhuc fovetur, quamvis internæ vires non reſpondeant. Exoritur etiam ex deliciis his intempeſtive admiſſis ſingularis Tabis ſpecies, quæ Dorſalis nomine ab Autoribus inſignitur.

§. XXIII. Secundo per ideam peregrinam ſpiritus alterati negligunt Nutritionis negotium, quod accidit, v. g. in morſu viperæ vel aſpidis, it. poſt Philtrum aſſumtum, in Hydrophobia &c. vel ſolo ſpiritu vini immodicè hauſto. *confer. Bartholin. cent. V. Hiſt. 38.*

§. XXIV. Tertio impediuntur Spiritus influxu, quod fit, vel ſi nerv9 aliquis læditur v. g. a pravis humorib9, refrigeratione nimia, motibus cõvulſivis, dolore &c. ex qua cauſa poſt morbos diuturniores Tabes obſervatur: à Luxatione & diſtorſione nervi, cui cauſæ Gibboſorum Atrophia in acceptis eſt ferenda, vel ſi plane diſſecetur à vulnere aut V. Sne non ritè adminiſtrata, quam Aridura manus vel pedis ſæpiſſime ſequitur, in quorum exemplis adducendis citius charta quam materia nos deſtitueret.

§. XXV. Et hæ potiſſimæ ſunt cauſæ, quibus Atrophia pronaſci poteſt.

§. XXVI. De Prognoſi Atrophiæ (ut etiam de hac aliquid inſeramus) notetur, eandem pro diverſarum cauſarum varietate valdè variare: ſcil. bonam ferre poſſumus, ſpemque futuræ reſtitutionis & ſanitatis facere, ſi morbum obortum ſciamus à vitiis ventriculi & primæ digeſtionis, ſive ab obſtructione vaſorum lacteorum non adeo obſtinata, ſive a lumbricis aliisque primarum viarum anomaliis non deſperatis &c. Malam vero ſanitatisque recuperationem nullam, vel tardam ſaltem ac difficilem, ſi à Cicatrice periſtomatis villoſi, aut viſcerum & præprimis meſenterii ſcirrhoſa obduratione, aut plane exulceratione, hæreditaria diſpoſitione, ſcorbutico temperamento aliaque ſangvinis dyſcraſia cachectica, Hydrope, Phthiſica affectione &c. Similiter & aridura ſive Atrophia particularis difficilem admittit curationem, imo plane nullam, ſi à vaſorum ſangviferorum atq; nervorũ diſſectione, quæ vero ab eorundem ſaltem obſtructione, compreſſione prout cauſæ facilius aut difficilius extirpari valent, aut cito aut tarde aut nunquam curatur: Sicut denique, quæ membri imbecillitatem pro cauſa agnoſcit, plus minus facile pro circumſtantiarum differentia ſanatur. Præterea Tabi univerſali ſive totius corporis plus ſemper periculi ſubeſt, præ Particulari cum in iſta hæc vel illa tantum pars afficiatur; in illa vero totius corporis Oeconomia cum maxima virium proſtratione turbetur. Ulterius incipiens quoque, & in fieri hocce malum multo faciliori negotio tollitur, ubi ſcil. non adeo inveteratum obſervatur, quàm conſummatum ſive in ſtatu juxta diverbium:

Tardius ejicitur, quàm non admittitur hoſtis.

Etenim Tabem perfectam non totius tantùm, ſed & particularem ſemper exiſtere incurabilem, experientia certum. Tandem & unum ſubjectum præ altero facilius hujus morbi retibus ſe explicare potis eſt, juvenes ſcil. præ ſenibus, quippe qui certum mortis ſibi imminentis ſignum ex Tabe repente & ex improviſo accidente deſumere poſſunt.

§. XXVII. Sufficiant hæc de Hiſtoria, ſignis & cauſis noſtri Affectus. Cui theoriæ tanquam fundamento jacto nunc quaſi ædificium ut ſuperimponamus ex Regulis Practicis, ordo atque methodus ſuadet.

Signa cauſarum

§. XXIIX. Antequam autẽ ad Curam nos accingamus, perluſtrare pri9 decet ſigna cauſarum, quo ſcil. felicius & inoffenſo pede in ea poſſimus procedere. Habetur autem hæc ex triplici fonte, vel ex antecedentibus, vel præſentibus, vel conſequentibus. Antecedentia nobis in mentem ducunt ea, quæ in Diæta & ſex rebus non naturalibus commiſſa fuerunt. Præſentia ſunt Symptomata morbi, quæ multam in agnoſcendis cauſis fœnerari lucem poſſunt. Tandem ſi hæ duæ claſſes non ſufficiant & cauſa morbi nimis in

intricata ſit, poſtremo in ſubſidiũ vocanda ſunt juvantia cum nocentibus, his igitur probè perpenſis & inter ſe invicem bene collatis, prudens Medicus ad cognitionem cauſarum earumque ſigna pervenire facilè poteſt, quæ omnia prolixè exponere nec tempus nec locus jam permittit. Progrediamur ergo recto pede ad Therapiam.

Cura

§. XXIX. Cum itaque cauſis cura ſemper reſpondeat neceſſum ſit: idcirco remediorum diverſas claſſes diverſis cauſarũ generibus ex oppoſito quaſi & ſuccincte accommodabimus.

chylo deficiente

§. XXX. Accedant igitur primum vitia cauſæ remotæ, ſive Chyli, qui ſi deficiat, commendanda veniunt alimenta laudabilia, à quibus ille reſtitui defectus queat. Talia vero ſunt omnia quæ turgent particulis oleoſis, pingvibus ac ſpirituoſis, inſimulq; digeſtionis ſunt facilioris e. g. juſcula confortativa Die Krafft-Suppen/ gelatinæ, ova ſorbilia, Lac & Lacticinia, animalium juniorum carnes ſucculentæ, it. cremor ptiſan. oryza, amygd. avellan. jugland. Caſtan. pineæ piſtac. Ex Spirituoſis vero vinum generoſum, Spiritus vini, Spiritus ardentes & per ferment. parati, Aqua & Eſſentiæ Spirituoſæ, quarum ingens in officinis proſtat catalogus, ut prolixa eorum omnium ac ſingulorum enumeratione ſuperſedere poſſimus. Circa quorum omnium tamen uſum hanc ſervare cautelam velim, ne ſtatim in principio in magna aſſumatur quantitate, ne ſcil. noceant. Spiritus enim in corpore tabido parci, non rite nec ſufficienter affluunt, neque affluere poſſunt ad Chylificationis negotium, hinc talis modi ex abundantibus primum cibis aſſumtis ſubjecta emaciata ſæpius emortua eſſe ſatis teſtantur Autorum obſervationes. Poſſunt etiam inſuper Odoramenta Spirituoſa Naribus admoveri, ut excitentur Spiritus in corpore aliàs latitantes atque languentes.

ex vermium præſentia

§. XXXI. Si à vermibus ortum traxerit morbus, eorum enecatione non minus ac exturbatione univerſa abſolvitur cura. Enecant autem vermes vel amaricantia, v. g. Abſinth. Centaur. min. Santonic. Tanacet. Scord. Aloës & aloëtica, &c. vel acria, uti ſunt Raphan. mar. Cep. Naſturt. Hyperic. Stœchas citrin. vel terrea & aſpera, v. g. raſ: C.C.C.C. uſt. Succin. limat. Martis; vel acida, qualia ſunt Spiritus Oleum Vitrioli, Tinctura ſulphur. ſucc. granat. acidorum, vel deniq; & omnium optime Mercurialia, ſive exhibeas Mercur. dulc. parat. ſive porrigas potũ Mercurialem Helmontii calidum, perinde erit: Per quæ ſimul & ſemel etiam evacuantur, & ex corpore propelluntur, ut adeoque una fidelia duos dealbare parietes liceat, licet pro ſcopo exturbandi in uſum quoque vocari poſſunt Aloëtica, colocynth. & ex ea parati trochiſci Alhandal cum reliquis purgantibus. Cum tamen ingrata ejuſmodi medicamenta vermes fugere atque per ea interimi vix ſit credibile, quin potius à talibus ſibi caveant, roſtellisque ſuis in inteſtina magis ſe abſcondant, aut ex inteſtinis tenuibus ad craſſa commigrent, majori Medicus prudentiâ videbitur uſus, ſi per guttur inferius injiciat delicatiſſimas illas vermium dapes, Lac puta cum Saccharo edulcoratũ ſub forma Clyſmatis, per portam vero corporis ſuperiorem immittat amaricantia cum aliis ſupra recenſitis: ſic enim à ſuperioribus ad inferiora propulſi per Lactis iſtas illecebras facili negotio elici è corpore poterunt.

Lien[teria]

§. XXXII. Lienteria diverſa pro diverſitate cauſarum remedia poſcit. Ubi enim Atonia ſtomachi obſervatur, fibræque languidæ rejiciunt intempeſtivè alimenta minus digeſta, conveniunt robur deperditum viresq; reſtaurantia non raro cum adſtringentibus combinanda. Ex prima claſſe laudem merentur Analeptica, & quæ Spirituum defectum reſtituere poſſunt, hujus generis ſunt præ cæteris, Vinum generoſum & Hippocraticum, quæ ſequuntur Aquæ compoſitæ ex aromat. cum Vino deſtillatæ v. g. cinamom. cydoniat. borragin. Aqv. vit. mulier. meliſſ. cum vino, carbunc. Aqua Apopl. Kohlreut. & Langii, Anhaltina, Feldheimica, Magnanimitatis, Spirit. ardent.

dent. v. g. ceraſor. nigr. lilior. conval. flor. anth. roſar. it. Spirit. maſtich. compoſ. in. *Quadrip. Botan. p.541. à Simon. Pauli* deſcriptus, Spir. Vin. rectific. de quo *Codſack. in Tract. de Sale* refert, ſe plus quam mille dyſentericos ex debilitate inteſtinorum laborantes eôdem curaſſe, it. Tinct. Corallor. cum ſpirit. Cord. Cervi, Eſſent. Ambræ vel Ambra in Subſtantia, nec non Moſchus & quas hic ingreditur compoſitiones v. g. Confect. Alkerm. Spec. aromatic. complet. variæ &c. Frigus, imprudenter admiſſum ſi cauſa Lienteriæ fuerit, in uſum vocanda ſunt Calefacientia, Spirituoſa, & Aromata, & externa lateres & linteamina vel etiam ſtragula calefacta, quæ ſcil. frigus corpori adeo infenſum propellunt, ejusque productum invertunt. Apoſtemata & Aphthæ ventriculi (ex quorum præſentia etiam Lienteriam obortam obſervationes *Deodati*, *Foreſti aliorumque* teſtantur) Inviſcantia, *v. g.* mucilagines Sem. pſyll. & cydonior. rad. lilior. alb. malv. gelatinas, it. pingvia ex R. A. deſumta v. g. ped. vitul. porci, C. C. ebor. priap. taur. cerv. dent. Hippopotam. cum iis, quæ ſimul Detergentia & Vulneraria obſervantur, *v. g.* balſam. Copaiv. Peruvian. nigr. &c. jure quaſi poſtulare ſibi videntur. Pro corroborandis fibris nimium relaxatis Adſtringentia, v. g. cydon. mala Terra ſigill. catech. cum acidis Spiritibus & Alumine pro totius Curæ ſupplemento in uſum ſunt vocanda.

§. XXXIII. Alvi fluxus Cœliacus, cum vel ex tunicæ inteſtinorum villoſæ, vel ex glandularum meſaraicarum obſtructione contingat: in priori caſu conveniunt omnia pituitam Reſolventia v. g. Diluentia, potus largior aquæ ſimpl. vel medicatæ, Thee, Coffee, Salina e. g. Sal ammoniac. depurat. arcan. duplicat. Tartar. Vitriolat. Nitr. antimoniat. Liquor terr. fol. Tartar. Tinct. Tartar., Antimon. vel Volatilia v. g. Tinctur. Bezoard. Michaël. Spirit. aperitiv. Penoti, Mixtur. ſimpl. Liqu. C. C. ſuccinat. Spirit. ſal. ammoniac. ſimpl. & compoſit. urin. C. C., Sal. Volatil. Succin. C. C. Viperar. & quæ hujus commatis ſunt alia medicamenta alias Reſolventia dicta v. g. acria, uti ſunt menth. abſinth. ruth. quorum innumerus numerus in Medicorum Libris extat. Quod ſi vero à conſolidatis vaſorum lacteorum orificiis perque cicatricem clauſis, aut vaſis plane diſruptis fuerit hic Alvi fluxus, curam certe nullam admittit, ſed tanquam lethalis DEO atque Fato eſt commendandus.

§. XXXIV. Diarrhœa tandem, ſi Atrophiæ Cauſa extiterit, curanda erit tam per ea, quæ Motum periſtalticum præter naturam auctum pacare atque placare valent, quã quæ ſufficiunt pro corrigenda Humorum pravorum Acrimonia, cujus emendationi primum omnino locum concedimus, vel corrigitur, ſi acida (1) Abſorbentibus Terreis & cum primis ſitibundis ſtylo Tacheniano dictis, qualia ſunt uſta v. g. Ebor. uſt. C. C. uſt. oſſa Microcoſmi uſt. Cret. Ciner. Talp. Conch. Mater perlar. ejusque magiſter. it. alia non uſta. v. g. Lap. cancror. carpion. percar. judaic. ſciſſ. Oſſa ſep. Teſt. ovor. Mandib. luc. piſcis Dent. apr. hippopotam. marin. Cryſtall. præparat. Unic. ver. & foſſil. (2) Alcalibus quæ ſunt vel fixa v. g. Sal tartar. abſynth. carduibenedict. centaur. min. fraxin. Oleum tartar. p. d. Liqu. terr. foliat. Tartar. &c. vel Volatilia v. g. Sal. Volat. C. C. mandibul. Luc. piſcis, cran. human. viperar. Spir. Sal. ammoniac. C. C. fuligin. lumbric. terreſtr. urin. ſang. & ſecundin. human. &c. (3) Martialibus v. g. Limat. Martis aperitiv. Tinctur. martis cum ſucco pomorum, Antimon. diaphor. martial. Liqu. martis ſolar. Magiſter. martis aperitiv. Mynſicht. &c. Si billioſa idem fere medicamentorum jam dictorum apparatus uſui Medico inſervire poteſt. Quoad motum periſtalticum inteſtinorum auctum, occurritur ei jam per Calefacientia tam interna v. g. Vina generoſa, & aromatiſata Hippocratica alias dicta, quam externa, lateres vel orbes ligneos calefactos it. fotus ex Spir. vin. aut frument. aut Aq. Regin. Hungaric. & quæ ſunt ſimilia; jam per opiata & Spirituum impetũ ſiſtentia, hujus generis ſunt opium in ſubſtantia Laudan. opiat. hyſteric. Tinct. opii cydon. ſive juxta præſcriptum Lan-

diarrhœa

Langeloti, ſive deſcriptionem Sidenhamii ea ſit confecta, perinde eſt. Sem. papav. alb. Tinctur. papav. rhœad. Extract. papav. rhœad. Theriac. Mithridat. Eſſent. Theriac. & Anodyn. Michael. Diacod. Montan. Philon. Roman. & Perſic. jam vero & tandem per quietem ſolam, ubi ſc. ex nimia Spirituum commotione ortum traxerit Diarrhœa.

miſtione chyloſa. §. XXXV. Mictioni chyloſæ cum tàm ex humorum acrimonia, quam vaſorum laxitate contingere veriſimile videatur, ſuccurrendum erit partim Inviſcantibus, quorum catalogo §. 32. recenſito accenſenda veniũt vitell. & album ovor. Sperm. Ceti, ranar. & ex eo confect. Croll. Gummata minus acria v. g. Arabic. ceraſor. laccæ aſæ dulc. tragac. reſin. abiet. pin. decoct. ptiſan. & rapar. it. oleum oliv. amygd. nucum &c. Lac & flos ejus butyr. non ſalit. partim adſtringentibus eodem paragrapho enarratis.

alimentorum dyſpepſia. §. XXXVI. Ab Alimentis Dyſpeptis & acidis cavendum eſt omni ſtudio, quippe quæ chylum laudabilem progenerare nequeunt, ſed potius cruditates in primis viis & maſſa ſangvinea relinquunt. Quod ſi tamen intra corpus jam aſſumta fuerint, cruditates evacuentur vel per Vomitoria, vel per Purgantia, aciditas vero corrigitur remediis contra eandem ſupra laudatis.

chylo corrupto. §. XXXVII. Quid in illo affectu, ubi feces una cum chylo abeunt ad maſsã ſangvineam, quem ex Sylvio adduximus, ſit agendum, legatur in laudatiſſimi hujus Practici ſcriptis, hujus morbi medelam prolixe exponentibus.

in Anorexia &c. §. XXXVIII. Appetitus non minus ac Digeſtionis primæ vitia, uti ſunt Anorexia ſive fames deficiens, fames aucta, Bulimus, Appetentia Canina; Apepſia, Bradypepſia, Dyſpepſia, Vomitus &c. emendentur ac corrigantur remediis appropriatis, quæ brevitatis cauſa ex Practicis hic præſuppono.

Prægreſſa Hæmorrhagia. §. XXXIX. Sed ſatis de alimentorum atque Chyli anomaliis jam dictum, progrediamur nunc ad remotionem Cauſarum Atrophiæ morbificarum ex ſangvine redundantium. Hic primo ſe ſiſtunt Hæmorrhagiæ, per quas illud, quod corpori nutrimentum ſuppeditare debet intempeſtive extra illud, cum non exiguo ejus detrimento eliminatur. Quod ſi enim â Plethorâ vera oriatur, tum ex omnium Practicorum conſenſu venæſectio erit tutiſſimum & feliciſſimum remedium, cum ejus ope naturæ conatus potiſſimum ad liberationem à ſarcina nimia ſangvinis tendens, juvatur. Quæ vero Plethoram ſpuriam pro cauſa agnoſcit Hæmorrhagiæ, equidem pro Palliativa Cura etiam admittit *Venæ Sectionem*; pro radicali tamen inſuper & alia medicamenta jam ſangvinem reſolutum, jam impellentes Spiritus reſpicientia. Prima intentio obtinetur per acida v. g. ſucc. citri, ribium, berber. granator. acid. acetum, ſpirit. ſalis ac Vitrioli, cujus præſtantiam ſingularem *Wedelius Miſcell. N. C. ann. III. obſerv. 106.* extollit, it. Tinctur. flor. roſar. bellid. &c. quorum ope craſſeſcit ſangvis conſiſtentiamque firmiorem acquirit. Præter hæc acida conveniunt quoque Adſtringentia & Incraſſantia alia, qualia ſunt hæmatit. croc. martis adſtring. vitriol. martis ad rubedin. calcinat. terra vitriol. ſacchar. ſaturni, & quæ ex his præparantur, tinctur. hæmatit. ſulphur. vitriol. martis adſtring. antiphthiſic. Michaël. Quorum operatio conſiſtit in hamoſis illorum particulis ſangvine admixtis, quæ conciliant ipſi conſiſtentiam magis ſtabilem, motuique antea veloci minus aptam. Incraſſantia alia, quæ alias ſub Glutinantium titulo viſcidas particulas tenui ac reſoluto nimis ſangvini pro naturali craſi reſtituenda præſtant, ſunt Gummata jam ſupra laudata, minus acria, inter quæ hoc in paſſu excellit Arabicum *à Proſpero Alpino de Plant. Ægypt. pag. 5.* tanquam Euporiſton illis in regionibus ſangvinem ſiſtens miris modis commendatum, it. ceraſor. tragacanth. maſtich. colophon. *a Jacobo Fontano Medic. L. 1. cap. 32. & Velſchio Mictomim. pag. 9.* ſatis ſuperque deprædicata, it. ſperma ranarum, de quo per ſe aſſumto *Paracelſ.*

Com-

Comment. lib. 14. cap. 7. coagulationem ſangvinis ad decem, quin imo viginti ipſos annos pollicetur. Porro etiam ſpirituum nimium commotorum habeatur ratio medicamentis tam Refrigerantibus quàm Narcoticis. Sub Refrigerantium catalogo inveniuntur Aquæ deſtillat. acetoſæ, acetoſcell. plantag. urtic. portul. endiv. &c. nec non Nitrum & ex eo parata lap. prunell. de quorum effectu teſtantur *River. pag. 128. & Velſchius Miclomim. pag. 10.* Sub Narcoticis internis papaverina opium & opiata cuncta. Huc quoque pertinent animi deliquium & terror ab adſtantibus variis modis excitatus. Ulterius & Acrimoniæ Sangvini, ſi peccat, per remedia jam nota ſuccurri debet. Tandem in Læſione & Vulnere Vaſorum ſangviferorum interne æque ac externe Vulneraria & Adſtringentia debent uſurpari. Interna jam commemoravimus, externa vero ſunt fol. ſalic. urtic. herb. grat. DEI amyl. bol. armen. croc. martis adſtring. colcothar Vitriol. cum alum. & Sachar. Saturn. in Aqua plantagin. ſolut. vel Spirit. Vin. ſimpl. *ex obſ. Act. Erudit. Lipſienſ. anno 1683. Menſ. April. it.* oleum terebinth. quod uſum nunquã ſatis dilaudandũ præbet partibus nervoſis aut tendineis vulneratis.

ne
nte

§. XL. Defectus ſangvinis ſui Reſtitutionem requirit. Ponamus ergo ex Evacuationibus p. n. auctis, v. g. nimia Diaphoreſi, Diureſi, Alvi dejectionibus crebrioribus &c. in corpore ſangvinis defectum deprehendi, hunc reſtituere decet chylo laudabili ex alimentis Eupeptis & Analepticis, v. g. bol. pan. vino imbut. juſculo pingvi &c. modice tamen & quod ſupra dictum, parca primum manu exhibitis, ut debite à ſpiritibus digeri poſſint. Hæmorrhagiæ vero inſigni qui defectus ortum debet, periculo non caret, niſi ſubito hæc ſangvinis jactura reſtituatur. Hoc in caſu fruſtranea fere ſunt cuncta *Analeptica* & nutrientia alimenta, cum ob ſpirituum cum ſangvine dilapidato penuriam digeri haud poſſint. Ultimum hic reſtat remedium, ſcilicet Trunsfuſio ſangvinis è corpore ſano in ægrotans, de cujus adminiſtratione legi merentur *Ephemerid. Gallor. ann. 1667. Tom. 1. 14. Maj. 25. April. & 13. Jun. Lovver. de corde c. 4. Mercklinus de Ortu & Occaſu Transfuſionis ſangvinis.* Lamſvverde *Tab. 11. Ettmüller. Diſputat. de Chirurg. infuſor.*

Sangvine depravato.

§. XLI. Supereſt Sangvinis Dyſcraſia: cura pro illius diverſitate diverſimode adornanda. Etenim Aquea tam per Evacuantia, Purgantia, Diaphoretica, Diuretica &c. quàm Chirurgiam ſive Paracenteſin, ſi nimia ſit, curari deſiderat: Viſcida ſimiliter Evacuantia cum Reſolventibus & Diſcontinuantibus poſcit, ex quibus tanquam potiora in medium profero Radices, Cortices, Herbas, Ligna acria Aromata & aromatiſata cum aliis acribus & fluidis diluentibus, quorum ampliſſimus campus penes Autores invenitur. Salina ſive Scorbutica, prout vel ſalino acida vel ſalino ſalſa, vendicat ſibi vel Abſorbentia, vel Martialia, vel Alcalia, vel Diluentia, vel inviſcantia, vel tandem Antiſcorbutica proprie ſic dicta, cujus farinæ ſunt: cochlear. chelidon. min. naſturt. omne genus, piper, millefol. ſed. vermicular. flammula, raph. ruſtic. bellis min. pratenſ. Sem. Sinap. eruc. exque iis parati Spiritus, Eſſent. & Tinctur. &c. quæ ultima agunt ut Diuretica, hinc circa ipſorũ uſum hoc notetur, velim, ne exhibeantur indifferenter omnibꝰ ſcorbuticis, ſed iis ſaltem ſubjectis, in quibus ſucculentia & viſciditas humorum cum ſal. conjuncta deprehenditur.

ab admixta ſanie

§. XLII. Verum præter Vitia recenſita & aliam quandoque Atrophiæ cauſam cum ſuppeditare ſangvinem conſtet, ſcil. corruptionem ex exulceratione Pulmonum & Phthiſi ortam, par eſt ut & hujus Curam breviter tradamus. Abſolvitur autem quatuor his punctis. Primo ſi ulcus non apertum obſervetur, ruptura ejus molienda eſt cum Emollientibus interne & externe adhibitis, interna dicuntur herb. mercurial. malv. alth. rad. Lilior. albor. flor. verbaſc. &c. externe oleum cortic. Cucurbitar. cujus præparandi modum virtutemque incomparabilem *vid. in Miſcell. N. C. ann. 1. obſ. 10.* cum aliis Emollientibus in uſum vocatis. Secundo aperto Apoſtemate evacuatio puris eſt ſuſcipienda, quæ fit vel decoctis expectorantibus ex Veronic. ſcabios. hyſſop. tuſſilag.

lag. capill. Veneris marub. alb. braſſic. rubra, ruta, ſalvia roremarin. rad. helen. angelic. leviſtic. imperator. lign. guajac. ſaſſafras, juniper. buxi paratis vel Laxativis, ſcilic. rhabar. mechoacann. fol. ſenn. rad. polypod. vel per Diuretica blanda, v. g. petroſelin. heder. terreſtr. lap. cancrorum &c. vel tandem ſi alio modo evacuari recuſet per Thoracis Paracenteſin, de qua Chirurgorum evolvantur volumina. Tertio mundificatio ulceris ejusque conſolidatio eſt inſtituenda. Conveniunt hic cum becchicis vulneraria exhibita, uti ſunt urtica, bugula, plantag. portulac. petroſelin. ſanicula, burſa paſtoris, rad. ſymphyt. major. torment. pimpinell. aut harum plantar. præparata cum Sachar. Conſervæ coſt. flor. ſalv. urtic. & roſar. aut alia Balſamica v. g. Balſam. Peruvian. alb. & nig. Sulphur. in ſpecie terebinth. quæ non minus acrimonia ſua abſtergunt ſordes & leniter partes relaxatas adſtringunt, ac gelatinoſitate reſtituunt particulas. Quarto etiam Symptomatum concurrentium ratio eſt habenda. Hinc Febrili æſtui emulſion. Sem. quatuor frigid. major. Sachar. Saturni, Lap. Cancror. cum Antihectic. Poteri, Sputo cruento & Tuſſi ſubſtituenda veniunt jam Adſtringentia, jam Reſolventia, jam vero Inviſcantia. Et tandem contra Tabem ipſam ex Phthiſi oriundam conveniunt ultimo loco Glutinoſa cum oleoſis maritata, v. g. carnes animalium juniores, ova ſorbil. cum lacte inprimis humano, cujus præ reliquis excellentiam *Platerus Pr. lib. 3. cap. 5. Foreſt. lib. 5. obſ. 10. & Hildan. de Ichor. & Melic. c. 24.* diverſis exemplis confirmant.

Cura in ſpirituum defectu. §. XLII. Tandem quoque & ultimo devenimus ad Curam Atrophiæ ex Spirituum depravatione incunabula trahentis. Eorum igitur defectus, qui in Senibus deſideratur, ex toto non facile reſarciri valet; nihilominus tamen porrigenda his erunt Analeptica, interne pariter ac externe, ſcil. Vini potus iis ſvadendus, quo etiam externe artus illinere poſſunt adhibitis inſimul & aliis confortativis, ſive ſub forma odoramentorum v. g. balſamorum ſive fotuum applicatis. Deinde etiam alimenta his dentur, quæ facilioris ſunt Digeſtionis Chylique laudabilis, *vid. Joel. Prax.* loco ſupra allegato, Animi Pathematibus ſi tribuendus fuerit ille defectus Spirituum, ii virium depravatores peſſimi removeantur per affectus mentis contrarios: ſtudia eo quo par eſt moderamine colantur, Venus cane pejus & angue vitetur: Gonorrhoeæ medicamentis ſuccurratur appropriatis tum purificantibus tum adſtringentibus, & ſic porro.

§. XLIII. Peregrina ſpiritibus impreſſa idea videndum, an cito eximi ipſis poſſit per impreſſionem alius ideæ, quod ſi directe fieri non poſſit, per indirectum iſtud præſtare allaborandum adhibitis Diaphoreticis & Alexipharmacis olim dictis v. g. card. bened. ſcorzoner. ſcord. galeg. ſcabioſ. angelic. petaſit. olſnit. zedoar. pimpinell. vincetox. terra ſigill. bol. armen. unicorn. ver. & foſſil. C. C. raſpatur. uſt & philoſ. præparat. corall. ſpec. de Hyacintho lap. bezoar. it. ther. mithridat. elect. de ovo, mixt. ſimpl. vel tinct. bezoard. Diverti quoq; Spiritus poſſunt per Veſicatoria variis locis applicata, quibus dolore excitato affluunt Spirit. ad tollendum id, quod ſibi ſentiunt moleſtũ, nec non per propinata Vomitoria, Laxantia, ſimiliaq;: ſi ex largiori Spir. Vin. potu & ex eo humorum coagulatione malum habeat natales, conveniunt omnis generis Reſolventia, ſive ſint Diluentia ſive Acria &c. *alter.*

§. XLIV. Poſtremum etiam Spiritibus in fluxu ſuo impeditis remedia reſpondere decet convenientia. Quod ſi igitur accidat, ut Nervus unus aut alter Spirituum affluxu privetur ex relaxatione ab humorum ſeroſorum vel viſcidorum abundantia, convenientiſſima erunt ea, quæ ſeroſitates nimias evacuant, viſciditates attenuant atque reſolvunt, tonumque naturalem partibus læſis reſtituunt. Loquor hic de Purgant. Diaphoret. ſimil. Evacuantib. it. reſolvent. & Nerv. Dolores & Motus Convulſivi ſi in culpa fuerint, commendanda veniunt tum Anodyna in genere, quæ triſtem doloris ſenſationem demulcent, tum in ſpecie ſic dicta Analeptica. v. g. viſc. corylin. & quercin. Sem. pœon. muſc. clavat. ſuccin. cinnab. nativ. & Antimon. flor. Sulphur. & quæ ſunt alia contra hunc mor- *impe fl*

morbum uſitata : Et ſic quoque reliquis Cauſis obviam eatur , Nervi vulnerati , ſi poſſibile reuniantur , Luxationes ſi recentiores, manuali operatione corrigantur , frigus incaute admiſſum expellatur &c. Verbo : Omnibus ac ſingulis cauſis morbificis judicioſe proſpiciatur, omiaque ea, quæ curam Atrophiæ remorantur, omni ſtudio ſedulitateque evitentur.

§. XLVI. Et hæc fuerunt *Lect. Benevol.* quæ pro Themate hoc non parvi momenti dilucidando ex curta ingenii mei ſupellectili prodere valui. Plura equidem reſtare fateor adjicienda ; ſed veniam impetraturum me ſpero , cum omnia, quæ plurimi amplis voluminibus literarum monumentis conſignarunt, huc tranſcribere duxerim haud conſultum. Quod ſi ex his in medium prolatis aliquid emolumenti in Te redundare poterit , habebo certo, de quo mihi maximo gratuler opere ; ſin minus , eâ qua decet ac par eſt animi humanitate peto atque contendo , cogites quæſo, me eſſe hominem , humani nihil alienum à me putantem. Cæterum ſummo rerum omnium Moderatori gratias quas poſſum maximas ago habeoque pro auxilio ſuo largiter conceſſo, humillime bonitatem ipſius implorans , velit & impoſterum res meas ſuo nutu & gubernatione ita dirigere , ut cedant in Sanctiſſimi Nominis ſui gloriam aliorumque & meam ſalutem.

F I N I S.

Disputationum Langianarum Vigeſima ſecunda: De

ANTHELMINTICIS.

§. I

Etymologia. UT in nominis etymon primum inquiram, methodus imperat , hucusque in conſcribendis diſſertationibus pene ſolenniter obſervata. Deſcendunt itaq; Ανθελμινθικὰ à Græcorum ἀντὶ adverſus , contra & ἕλμινς vermis , adeoque ea denotant, quæ vermibus ſunt adverſa ſeu contraria. Equidem non ſum neſcius, haudquaquam omnes vermes , quos in humano corpore generari obſervamus, ἕλμινθας nominari in medicorum ſcholis, ſed certam tantum ſpeciem inteſtinorum tubum inhabitantium, qui teretes ſeu rotundi à figura & à lubricitate lumbrici latinis audiunt. Confer. *Galenus lib.14. meth. cap.17.18. Spigelius cap.2.* de Lumbrico Lato. Verum tamen nec ignoro , minime omnes de vocis hujus ſignificatu ſic ſentire doctores : Quin plures invenias, qui ἕλμινθας genus faciunt, & tanquam ſpecies poſtmodum ϛρογγύλας, πλατείας & ἀσκαρίδας h. e. rotundos, latos & aſcarides ſub illis comprehendunt, prout id videre eſt apud *Hippocrat. in Prognoſt. pag. 138.39. & Coac. prænot. p. 443. aph. Lit. 3. 26. Paulum Æginetam lib. 4. cap. 57. 58.*

Deſcriptio §. II. Duces igitur hos ultimos dum ſequor, anthelminticorum titulo univerſa intelligo remedia inteſtinalibus non ſolum & jam nominatis vermibus contraria , ſed inſuper quoque illa, quæ inimica aliis ſunt, cujuscunque etiam fuerint formæ, quamcunque partem corporis inhabitent , aut qualia qualia producant ſymptomata. Plura namque quoad ſingula hæc capita annotata ſunt à recentioribus ad ſupplendam vermium hiſtoriam, de quibus antiqui ne per inſomnia quidem cogitarunt.

§.III.Nam

Figura vermium varia §. III. Nam formam, vel ſi mavis, figuram & conformationem quod attinet, maximæ parti priſcorum medicorum ſolùm rotundi, lati, & aſcarides fuere cogniti: videatur *Ariſt. Hiſt. Animal. cap. 19. Galenus lib. 3. Comment. in aph. 26.* Alii tamen ex antiquioribus præter hos plures adhuc ſpecies literarum monumentis conſignatos reliquerunt; ſcilicet *Avicenna Fen. 3. lib. 4. Tract. 12. cap. 21. Rhaſis lib. 2. c. 2. Haly Abbas lib. 9. Pract. cap. 60. & 67.* Vermes in brachiis ac pedibus genitos ſub titulo Dracontii vel Dracunculi, Venæ medenæ, Venæ Civilis, Venæ Климатa Sanioſæ &c. deſcribunt ſubſequentes Medici plures adhuc & tantum non infinitos alios, penitus à prædictis diverſos annotarunt, nempe *cornutos, alatos, hirſutos, bicipites*, cum & ſine pedibus: de quibus videatur Amatus Luſitanus, Horatius Augenius, Foreſtus, Hildanus, Zacutus Luſitanus, Sennertus, Schenkius, Bonettus aliique. Imo ſubinde inſecta alia, uti ſunt *Bufones, Ranæ, Lacertæ, Scarabei, Hirudines, Serpentes, Mures & ſimilia* viſa ſunt occupaſſe interiora corporis: conf. Acta *Hafn. Vol. 2. Ephem. Germ. Dec. 2. A. 9. obſ. 66. Cornelius Gemma, Coſmocrit. lib. 1. cap. 6. Geſn. Epiſt. lib. 3. Schenckius lib. 4. cap. de Molis. Zacut. Luſit. l. 2.* Prax. *admirand. obſ. 140. Riverius cent. 2. obſ. ultima.*

Sedes ipſorum in ventriculo §. IV. Quoad habitaculum illorum, creditum eſt quondam, uti jam monitum, vix extra inteſtina vermes occurrere; hinc lites prolixæ de loco generationis motæ ſunt, num ſcilicet credibile ſit & ſtomachum fovere eos poſſe? vid. *Ariſt. l. 4. Meteor. Cap. 3.* Aldrovandus de inſectis *lib. 6. cap. 2. Scaliger. Exerc. 26. Fabr. Hildanus obſ. cent. 2. 72.* nihilominus non in ventriculo ſolum obſervati ſunt, teſtante *Schenckio lib. 3. obſ. 205. Foreſto lib. 9. obſ. 4. lib. 21. obſerv. 26. Barthol. cent. 4. Hiſt. 77. Ephem. Germ. D. 1. A. 3. & 4. obſ. 38. & 80. D. 2. A. 4. obſ. 39. A. 6. obſ. 33. Solenandr. conſ. Med. p. m. 490.* verum in univerſis corporis partibus ſæpe adeſſe illas palam eſt. *Capite ejusque partibus* Nam viderunt tales in Capite *Hildanus cent. 1. obſ.* 16. *Baricellus in Hort. Gen. p. 135. Sachſius in Gammarolog. p. 275. Paræus Chir. lib. 9. cap. 22. Ephem. Germ. D. 1. A. 2. obſ.* 147. Paulini *Cynograph. p. 218. in Capillis, Borell. cent. 1. obſ. 23. Joel. lib. 3. Prax. ſect. 3. §. 11. Warenius in Noſol. Diſp. 21.* In Oculis *Amatus Luſ. cap. 8. curat. 36. Johan. Nicol. Pechlin. lib. 2. obſ.* 35. In Naribus *Hildanus cent. 1. obſ. 8. Foreſt. lib. 21. obſ. 26. Ephem. Germ. D. 1. obſ. 4. p. 35. D. 2. A. 3. obſ. 99. Tulpius lib. 4. 11. Borellus cent. 3. obſ. 45. & in obſervat. Microſcop. 31. Horſtius lib. 1. obſ. p. 139. Hornungi ciſt. med. epiſt. 112. 214.* In Auribus *Eph. Germ. Dec. 1. A. 2. obſ. 24. A. 3. & 4. obſ. 75. Grüling. cent. 1. obſerv. 79. Velſch. cent. 3. Miſc. Med. obſ. 73. Foreſtus lib. 21. obſ. 26. Ruland. cent. 10. obſ. 82. Plinius Hiſt. N. lib. 20. cap.* 14. *Mœnikhen obſ. 16. Panarollus Pentecoſt. 4. obſ. 27. Salmuth. cent. 2. obſ. 39. Barthol. cent. 3. Hiſt. 96.* In Gingivis *Hildanus cent. 1. obſ.* 59. In Dentibus *Act. Hafn. Vol. 5. obſ.* 108. *Dodonæus in Comment. ad Benivenium de abditis Morb. Cauſis obſ. 100. Pechlin. lib. 2. obſ. 36. Bonetus Med. ſepten. ſ. 4. cap. 16. Salmuth. cent. 3. obſ. 32.* in Lingva *Ephem. Germ. D. 1. A. 8. obſerv. 100. Smetius Miſcell. l. 10. pag.* 582. *Schenckius lib. 1. obſ.* 388.

Thor... jusqu... ti... §. V. Nec aliter ſe res habet in Thorace, ſubinde enim vermes hoſpitari in Pulmonibus autor eſt Benivenius de *abd. Morb. Cauſ. c.* 77. *Aloiſius mondella dialog. 6. Fernelius de Pathol. morb. & ſympt. cap. 10. p.* 568. In Pleura & Pericardio *Act. Hafn. Volum. 3. obſ.* 56. *Foreſtus lib. 21. obſ. 26. Schenck. lib. 2. obſ. 194. Sachſius Oceano Macro-Microcoſmico* §. 39. In Corde. *Marcus Aurelius Severinus lib. 4. de Recond. Abſceſſ. p. 281. Horſtius Manud. ad med. part. 1. cap. 1. ſect. 2. §. 3. Schenck. l. 2. obſerv. 119. Hartman. Prax. Chym. p. 154. Ephem. Germ. Dec. 2. A. 9. & 10. obſ. 13. Bonetus med. ſept. C. 2. ſect. 19. cap. 15. Velſchius in peculiari Diſputat. de Verme Cordis.*

abd... §. VI. In ventre infimo nullum quoque viſcus, (ſi lienem excipias, quod verminoſum haud reperire potui) liberum eſt. Etenim corpus vermibus obſitum annotarunt *Wierius de præſtigiis Dæmon. cap. 16. Barthol. Anat. refor. cap. 14. Eph. erud. Tom. 4. p. 85. Crato lib. 6. epiſt. 34. Ephem. Germ.*

D. 1.

D. 1. A. 1. obſ. 50. Borellus Cent. 3. obſ. 33. In fellis veſicula deprehendit *Hildanus Cent. 1. obſ. 60. Mercurial. lib. 4. de Morb. Mulier. Journal. des ſcavans. A. 1668. p. 100. Ruyſch. obſ. 48. Bartholin. L. 1. Anat. reform. Cap. 17. p. m. 116. Hildanus Cent. 1. obſ. 56. Güldenklee Lib. 3. Conſ. 38. Acta Hafn. vol. 5. obſ. 105. Salmuth. Cent. 1. obſ. 49. Ephem. Germ. D. 2. A. 1. obſ. 104. Bonetus Med. Sept. Lib. 3. ſect. 29. obſ. 33.* In Utero *Ephem. Germ. D. 1. A. 9. 10. obſ. 7. d. 2. A. 8. obſ. 24. Panorollus Pent. 4. obſ. 12. Foreſtus lib. 21. obſ. 37. in Schol.* In ſpermaticis vaſis, *Mercurialis lib. 4. de Morbis Mul.* In Teſtibus *Plutarch. lib. 8. Sympoſ. qu. 9.*

§. VII. Nec externus corporis habitus ac ſubtus poſiti muſculi immunes ſunt ab his importunis hoſpitibus. Adſunt enim Crinones dicti, poros cutis in infantibus ut plurimum & ſubinde in adultis occupantes: conf. Hercul. de Saxonia *Lib. 10. Panth. med. Ettmuller valet. infant. Schultzius Vol. 2. epiſt. 27. Reuſnerus exerc. 1. de Scorbuto. Adſt. Sirones l. uti Platerus l. 3. Pract. Cap. 13.* vocat Chirones aut Cirones, volas manuum perreptantes. Conferatur *Reuſnerus de Scorb. cit. loc. Hauptmannus in epiſt. ad Kircherum de viva mortis imagine, Scaliger. exerc. 174. ſect. 7.* Adſunt qui ſub cute latitant, quos ex antiquis Alzaravius in ſua Prax. ſub titulo paſſionis bovinæ exhibet, & illi in bobus & cervis frequenter obſervantur. Adſunt dracunculi, de quibus jam §. III. dictum eſt, vide ſis quoque *Ephem. Germ. D. 1. A. 3. & 4. o. 173.*

§. VIII. Sed ecce vermes quoque in humoribus & quidem *in ſangvine* apud *Kircherum artis mag. Luc. & Umbr. lib. 10. part. 2. c. 2 §. 15. de reſte part. 2. p. 240. Chriſtianus Langius Diſp. de morbillis §. 57. Ephem. Germ. D. 1. A. 1. obſ. 50. A. 2. obſ. 154. Borellus Centur. 3. obſ. 4.* In Urina apud *Nicolaum Pechlin. L. 2. obſ. 18. Acta Hafn. vol. 5. obſ. 21. Solenandrum ſect. 5. Conſ. med. p. 488. Rhodium Cent. 3. obſ. 31. Ephem. Germ. de 1. A. 4. o. 156. Tulpius lib. 2. cap. 50. Henricus ab Heer in ſpadacrene cap. 8.* In Saliva *Ephem. Germ. d. 2. A. 9. 10. obſ. 130.* In Semine *Leuvvenhoc, videantur Erud. Lipſienſ. Ao. 82. pag. 32. Acta Hafn. vol. 5. obſ. 7.* Plura de his vermibus qui deſiderat, adeat *Chriſtianum Franciſc. Paulini Cynograph. ſect. 4. 66. p. 177. & ſeqq. Langium in pathologia animata Cap. 65. Hauptmanum in Epiſt. de viva mort. imag. Tractatui de Thermis Wolekenſteinenſibus inſerta p. 206. Lanzonum in Schol. ad o. 6. Manichenii.*

Symptomata

§. IX. Et ſic quoque, quod ſymptomata à vermibus oriunda concernit, imperfecte & iſta à Priſcis recenſentur. Nec mirum, cum alios vermes vix cognoverint quam inteſtinales. Fuſius igitur clariusq; ea ex recentioribus dabo. Notetur modo, non cuncta recenſenda in cunctis reperiri ægris, ſed alia in his, alia in aliis. Quæ igitur inteſtinorũ ſpectant incolas, ſunt morſus & lancinationes inflationesque ventris conjunctæ una cum alvina ſtipticitate, nunc cum ejus fluxu. Appetitus jam adeſt auctus præter naturam, jam deficit cum nauſea, vomitu crebriori & ſtillicidio copioſæ ſalivæ per os. Malũ ſi ingraveſcat, oris ſupervenit fætor, genæ per intervalla rubẽt, inter dormiendũ dentibus ſtrident & contorquent labia, ſitiunt circa auroram, vexantur cardialgia, lipothomiis cum motibus convulſivis ſæpe univerſalibus. Ab aliis autem & alia proveniunt mala, adeo ut vix morbus reperiatur, ſub cujus pallio non ſuas ſubinde agant perſonas: aut quos non ipſi fabricent. Paucis: ab illis naſcuntur cephalalgiæ, hemicraniæ, agripniæ diuturnæ, ſtrangulationes faucium, tumores lingvæ, motus convulſivi artuũ, ſpasmi, epilepſia, phthiſis, colica, dolores Iſchiadici & arthritici, dyſenteria, contracturæ, tumor ventris, polypus narium, aphonia, deliria, phrenitis, apoplexia, rabies, inquietudines, incubus, odontalgiæ, otalgiæ, hæmorrhagiæ narium, pleuritis, cordis palpitatio, cancer ulceroſus, fames canina, hydrops, atrophia, dolor renum, mictus cruentus, Paſſio hyſterica, inſatiabilis coëundi cupiditas, febres tam benignæ quam malignæ, ſcabies, lues gallica, purpura, variolæ, morbilli, peſtis & quis univerſa enarraret! Plura tamen ſi noſſe cupias: evolve citatum jam *Paulini Cynograph. ſect. 4. Cap. 8. & ſeq.* it. *indicem Ephem. Germ. ad binas prior. decur.*

Cauſæ

§. X. His prælibatis, de cauſis vermium, adhuc binis dicam verbis

bis, ſcilicet me iterum deſerere, in ea determinanda antiquitatem alias venerandam, utpote quæ ope caloris nativi ex humoribus in noſtro corpore putrefactis, naſci hæc animalia uno docet ore. Talis ſiquidem generatio, non ſine ſonticis cauſis à modernis plane negatur, utpote, quæ nec rationi, nec experientiæ ulterius conformis deprehenditur, quod primus omnium ſatis docte demonſtravit *Franciſcus Redi in eleganti Tract. de Inſectis.* Nec obſtat, quod *Pater Philippus Bonanni in obſ. circa viventia in non viventibus* reperta, adverſus hoc aſſertum urget priſcorum philoſophorum juxta ac patrum eccleſiæ autoritatem, nam hæc ex præconcepta opinione majorem fidem non meretur, quã aliis tribuere ſolent ipſi, quorum opiniones haud raro deſerunt. Quapropter firmiter mihi perſuaſum eſt, non niſi ex ſeminali iſta provenire principio, quod ut plurimum ſub forma ovuli intra corpus cum alimentis aut aëre inſpirato, vel in corpore genitum, beneficio vaporoſi caloris fovetur & excluditur. Cum infantes non ſolum incurii magis ſint in aſſumendis haud debite purgatis alimentis, prætereaque debiliorem calorem naturalem geneſi vermium magis faventem poſſideant quam adulti, frequentius in illis, quam in his quoque reperiri animalcula iſta, mirum non eſt.

Anthelminticorum varietas

§. XI. His itaque præmiſſis ad ſcopum propoſitum jam propius pervenire mihi conceditur, adeoque absque ulla ulteriori verborum ambage ipſa Anthelmintica ſub examinis incudem nunc ſumo. Parum vero abeſt, ut, quemadmodum innumeras pene ſpecies vermium & ſymptomatum ex illis natorum, modo recenſui, ita quoque numero infinita dari anthelmintica, dicam. Sed ſaltem citra crimen læſæ veritatis aſſerere nullus dubito, vix ullum genus medicamentorum nominari poſſe, à quo non adverſus vermes apparatum mutuo quandoq; ſumant medici. Veniæ igitur locum futurum mihi polliceor, ſi nõ univerſa hæc præſentibus in chartis, ſed potiora tantum & ſelecta indicavero; plus enim de illorum operandi modo, quã de numero nominibusq; ſollicitum me eſſe jubet inſtituti ratio.

quæ V[...] ſati[...]

§. XII. Ne tamen ſine ordine & methodo rem hanc arduam aggrediar, in quatuor diſtinctis capitibus placet ſermonem inſtituere de ipſis. Primo igitur ſiſto, quæ vermes ſatiant: Admodum famelica namque ſunt hæc inſecta, adeoque potiſſimum pariunt moleſta ſymptomata, dum oſculis ſeu roſtellis ſuis fodiunt ac pungunt partes, quas inhabitant, aut ſaltim cum ſe circumvolutant in illis aut repũt per domicilia ſua quærendæ alimoniæ cauſa. Vera equidem anthelmintica hæc non ſunt, ſed tantum palliativa, nihilominus ſubinde ſe mirum commendant in modum, quod atrocia iſta ſymptomata ex vellicatione ſenſatarum partium oriunda, mitigent leniantque, imo ad tempus plane removeant, dum à morſu vermes avocant. Nec ſine methodo talia adhibentur, nil enim frequentius in Praxi medica occurrit, quàm, ut neglectis aliquandiu morbi cauſis quantocyꝰ fieri poteſt, primariis ac urgentibus ſymptomatibus occurramus.

ſunt

§. XIII. Apparatum hunc ſi ſcire aveas, primo tibi nominanda erunt dulcia, & ex illis ſaccharum & mel, illecebræ iſtæ vermium oppido famoſæ, utpote quæ exhibita tam avide deglutiunt importuni hi hoſpites, ut ſtatim vexare ſenſatas habitaculorum ſuorum partes ceſſent. Audio hic equidem plures mihi reclamantes, dulcia potius generare vermes: & hi provocant ad vulgarem & quotidianam experientiam, & aſſerunt ſaginari, adeoque ad excludenda ſua ſemina, & augendam progeniem aptiores magis reddi vermes dulcium frequenti deguſtatione. Unde concludunt, inconveniens plane eſſe, morbum nutriendo oppugnare velle. Non tamen video, quomodo veritatem aſſerti prioris ſtabilire valeant dogmatis hujus patroni. Quod ſi enim non ex putredine vermes fiant, quod hodie nemo amplius defendit, ſed ex ſeminali ſubſtantia, non aliter ſacharo aut melli prærogativa in producendis vermibus competet, quã aliis alimentis, quibus ſubinde adhæreſcũt hujusmodi ſemina, proinde inanis mihi videtur diſtinctio *Joh. Matth. Cent. diff. Quæſt. 57.* dum liberaturus

ſacha-

ſacharum aut mel à culpa hac, diſtingvit inter dulcedinem in nimia humiditate & ex oppoſito in ſiccidate fundatam, concedens de priori aptitudinem ad gignendos vermes, de poſteriori vero, qualem ſacharata & mellita poſſident, negans & pernegans.

§. XIV. Illis vero, quibus ſacharata & mellita diſplicent, quod ſaginari per ea vermes obſerventur, repono, me iſtud dubium non curare, cum neutiquam enecandi gratia commendem, ſed tantùm ut ſaturentur ipſis, eoque conſopiantur ad tempus. Minime igitut perpetuæ veritatis regulam credo, adductum axioma: ſcil. nutriendo haud oppugnari morbum. Nam contrarium video in raphano aliisque flatulentis carminativis, quæ flatus ſuggerendo, flatus pellunt, non aliter ac unda undam cuneusque cuneum trudit. Si tamen hac reſponſione non contenti fuerint, putarim quoque poſſe quodammodo defendi virtutem ſacharatorum & mellis necandi vermes; quid enim notius eſt, quam dulcia hæc aceſcere & in acrimoniam degenerare ſatis manifeſtam, quæ dubio ſine potis eſt mortem inducendi animalculis his. Adeoque non penitus reſpuenda venit *Scipionis Mercurii opinio de ſacharatorum uſu Anthelmintico:* quæ *in obſtetricum libro Part. 3. cap. 51. p. 89. legitur.* Suffulta enim eſt non propria ſolum, ſed totius gentis Lombardicæ experientia, imo ne dubium remaneat ullum, ſtabilitur hæc ſententia inſuper per *Franciſc. Redi experiment. p. 112. & 113. tradita in tractatu Italico; cui tit. Aſſervazioni, in torno agli animali viveti che ſi truvano negli animali viventi*, qua etiã citatur *à Ramazzino in ep. 1. de morbo epidemico rurali;* nempe lumbricos terreſtres in ſolutione ſachari mell. & ſyr. violarum, citiſſime & in momento quaſi emori.

§. XV. Sed non ſola nominata dulcia ſunt, quæ uſui huic inſerviunt, quin pene univerſa reliqua ex vegetabili regno petita, ſimiles poſſideant vires, plus tamen & minus manifeſtas; è quibus nominandi ſunt ficus, dactyli, paſſulæ major. & minor. tandemque fructus ſebeſten, quorum decoctum ut expertiſſimum medicamentum infantibus ſingulis diebus ante cibum laudat *Sennertus Prax. lib. 3. part. 2. ſect. 1. cap. 6. pag. 420.* Ex animali autem regno prætereundum haud eſt lac, quod vel recenter mulctum, vel cum dulcibus & jam laudatis ſacharatis maritatum vix unquam etiam in atrociſſimis doloribus aut aliis diris ſymtomatibus in caſſum aſſumitur; videatur *Fortis Cent. 2. Conſ. 96.* Miror hinc tanto odio inſons hoc alimentum proſequi quosdam, è quibus inſtar omnium mihi nominandus eſt. *Athanaſius Kircherus in Mund. ſubt. lib. 12. ſect. 2. cap. 1. pag. 357. & Johan. Bettus de Natura ſangvinis cap. 1. ſect. 3. §. 6. p. 25.* qui vermium partem maximam ex lacte eſſe petendam ſtatuunt: utpote quod *ex Kircheri* ſententia, ſeu à vaccis ſeu à nutricibus petatur, omnino turgeat animalculis his. Illud enim ex ſolo nimio amore pathologiæ animatæ, minime experientia aut ratione edoctus, iſta ſtatuit. Valet igitur de ipſo vulgatum illud paululum ſaltim mutatum: Qui amat vermes, vermes putat eſſe omnia.

§. XVI. Sed cum adhuc dubius poſſit eſſe aliquis, num adeo grata ſint dulcia vermibus, ut ad præſentiam illorum fodicare ad tempus habitacula ſua ceſſent, illis pro confirmanda hac hypotheſi ſiſto experimenta, quibus etiam extra corpus & ſua adeo commoda domicilia ab eſca grata externe applicata, protrahi poſſe ipſos quovis tempore demonſtrari poteſt. Certe quid notius eſt? quam crinones melle infantum corpori nudo ad fornacem calidum inuncto, undiquaque ex poris cutis, capita exerere ſua ſub magnitudine ſeminis papaveris, coloris cinerei, quæ novacula vel cruſta panis arida detrũcari ac deradi ſolent à mulierculis, antequam ſe rurſum abſcondant. *conf. Scholzii epiſt. volum. 2. 27. Georg. Kufnerus cap. 12. appendice ad Faventini de morbis puerorum, Paræus lib. 7. cap. 21. chirurgiæ, Ettmuller in valetud. infantil.* Et nonne vermes aurium ficubus aut paſſulis inverſis & antro illorum intruſis, extrahuntur? aut lacte tepido externe cum ſpongia aut linteis impoſita, evocantur? illuſtre tale exemplum refert *Joh. Andr. Stiſſer in Actis Laborat. Chym. Specim. 2. cap. 4.* de quodam caupone, cujus in aurem la-

Vermes dulcibus evocantur e ſedibus.

lacerta ſe reconderat, horrenda ſymptomata pariens, quæ non niſi lacte tepido inſtillato conſopiri per ſex integros annos ſe paſſa erat, usque donec ad caſeum veterem externe applicatum, prodiret. Nec plures deſunt obſervationes: ad alia alimenta grata ex abditis receſſibus provocata fuiſſe inſecta hæc: vid. *Ephem. Germ. D.* 1. *A.* 3. *p.* 530. Ubi beneficio applicatæ tunicæ interioris ventriculi ſuis vermem cruris incolam fuiſſe elicitum, refertur. Huc ſpectat quoque illa plane ſingularis methodus, qua vermi umbilicali ab *Hœchſtetero dec.* 2. *obſ.* 6. der Geitz-Wurm *nominato*, inſidiæ ſtrui ſolent, quæque deſcribitur im Fürſtlichen Anhältiſchen Artzneybuch *lib.* 5. Scilicet infanti fundulus vivus ad umbilicum alligatur, qui elapſo bihorio exeſus in illo latere, ubi umbilicum tangit, obſervabitur. Apponatur igitur ad noctem novus piſciculus & mane totus conſumptus & iſte apparebit. Applica dein medietates corticis lignei, nucis juglandis cum melle & vitri pulvere, idque repete altera quoque vice, & enecabitur vermis ab incauta deglutita tali maſſa, *conf. Foreſtus lib.* 7. *obſ.* 35. *Borellus cent.* 1. *obſ.* 41. *Sennertus lib.* 3. *part.* 10. *cap.* 4. Tandem ne quicquam ſcrupuli remaneat, provoco ad extractionem aſcaridum per inſeſſus ſupra lac tepidum, aut ad ſuppoſitoria ex carne veteri ſalita, caſeo Hollandico, melle inſpiſſato facta, quibus firmiter adhæreſcentes educi feliciter poſſunt. *Vid. Aetius Tetrabib. lib.* 3. *c.* 39. *& ſeq.*

Vermes fugantia.

§. XVII. Mittamus nunc ſvavia hæc anthelmintica, & ad ingrata magis pergimus. Durum namque nodum durus cuneus decet. Quare, cum ſatiati his, antiquum mox rurſus obtineant vermes, ſævitiamque ſuam nativam denuo exerceant, cum maxima importunitate iterum ſenſatas partes ſollicitantes, peſſimi hi hoſpites fugandi & expellendi ſunt amaricantibus datis. Quorum numerum inſignem nobis recenſent Medici. Præ aliis tamen proficua per longa tempora obſervãtur tanacetum, abſinth. centau: min. marub. alb. agrimon. ſcord. ruta ſabina, radix zingib. coſtus arab., rad. cichor. recens, aloe, myrha, cort. aurant. ſicci rad. card. bened. & croc. quib9 accedit *ex O. Lanz. in Ephe. Germ. D.* 2. *A* 10. *o.* 140. pulvis chinæ chinæ.

Modus rati...

§. XVIII. Facile poſſem de ſingulis multifariam afferre experientiam, cum pene à cunctis medicis adiſta tanquam ad anchoram ſacram confugiatur; ſed nolo in re, de qua nemo dubitat, verba prolixa facere; potiꝰ erit neceſſarium, quomodo operentur, exponere. Dixi jam amaris fugari vermes, quod facile patet, ſi ea repetantur, quæ de dulcibus modo monui; Nempe ineſt utique in his inſectis ſenſus & appetitus animalis, ut grata avide expetant & ſugant, ingrata, uti ſunt amara, fugiant ac reformident. Hinc ſedes ſuas deſerere aliaque loca occupare, & ex auribus inſtillato decocto card. ben. aliisque amaricantibus, prorepere & ex ſuperioribus inteſtinis ad inferiora & verſa vice propelli, obſervantur. Adeo ut non omnino contemnenda videatur iſta methodus, ubi per uſum continuatum amaricantium ad inferiora inteſtina propulſis vermibus, enema purgans ſub tegmine lactis, aut liquoris ſacharati injicitur, quo ipſo incauti extra limites œconomiæ animalis facile pelluntur.

§. XIX. Nec in ſolis inteſtinis hærentes per hæc amara in fugã dantur, quin etiã aliarum partium incolæ ſubducere ſe ſolent his adhibitis amaricantibus. *Probat id Ramazzinus in diſſ. de conſtit. anim.* 90. *&* 49. *& rurali epidemico morbo Mutinenſis agri*, in quo malo chinam chinæ non tam ut antipyretum, ſed ut anthelminticum profuiſſe docet. Illuſtrationis ulterioris loco inſervire etiam poteſt obſervatio *in Eph. Germ. D.* 1. *A.* 2. *obſ.* 53. annotata de quodam puero variolis correpto, cui ex uſu theriacæ cum aqua card. ben. poſt inſignes morſicationes, prurigines, & vellicationes, undiquaque minutiſſimi vermiculi è poris cutis egrediebantur, qualem etiam hiſtoriam narrat *Schmidius Gedanenſis, famoſus quondam Phyſicus citatus in Ephem. Germ. An.* 8. *obſ.* 185. cui adde *Henrici ab Heer obſ.* 23.

Experi... ta

Cauti... bibe...

§. XX. Caute tamen ſemper procedendum eſt his remediis, cum vix dici valeat, quam horrenda excitent ſymptomata, ſi nimio amaricantium uſu vexare vermes pergas. Idem enim accidit tum ſæpenumero, quod in hoſtibus

bus

bus undiquaque preſſis notatur, nempe, ut vel quascunque vias legant aut metus vel fuga, in deſperationem aut furorem convertantur. Hinc cum ubique in inteſtinis ingratum obſervent ſaporem, roſtellis ſuis profundiora fodicant loca, ſæpeque inteſtina aliasque partes plane exedunt, cum extremo ægrorum periculo. Ut igitur ea evitentur, cum dulcibus hæc amara commiſcere, vel cum aliis ſapidis alimentis, adeoque alii immediate à paſtu exhibere ea jubent. At enimvero non adeo ſtupida ſunt hæc animalcula, ut ſibi imaginantur hi, ſed vel penitus reſpuunt mixturas has, vel tantùm ex illis, quæ palato arrident, ſeligunt. Hinc recte monet *Wedelius Amœnitat. materiæ med. p. 370.* dato ciborum delectu non facile anthelmintica nocere vermibus.

Enecantia §. XXI. Jam tertiam claſſem anthelminticorum aggredior, quæ enecant vermes. Antequam vero iſta explicanda ſumam, ſatisfaciendum erit illis, qui jam exhibita amara, horum quoque catalogo eſſe inſerenda exiſtimant. Veruntamen ut non penitus negem, tandem & illa poſſe interficere vermes in infantibus tenuioribus, & ubi animalcula hæc non adeo adoleverint. Tamen in adultis ſubjectis, vermibusque robore neceſſario inſtructis, extra dubium effectus iſte deſideratus non ſequitur, ſed ſtatim ac vim medicamenti per os aſſumpti ſentiunt, repunt verſus inferiora & ex inferioribus verſa vice ad ſuperiora, ſi ſub clyſmatum forma injecta fuerint, uti jam antea monui. Et ne ſuſpenſus maneat animus, in his obſervavit *Redi, in citatis obſervat. p. 127.* aquam aloë imprægnatam, per triginta horas & ultra, duos ſervaſſe lumbricos vivos. Ergo non adeo prompte amara enecant vermes, uti ſibi adverſarii imaginantur.

§. XXII. Sed ad rem; Remedia vermium enecantia multiplicia ſiſtuntur ab Autoribus. Primo ſic vocantur terrea: v. g. cornu cervi & ebur uſt. muſcus marinus ſeu corallina, calcanei, ſ. aſtragali bovis vel vaccæ uſti, unicorn. marin. lap. bezoar. tam orient. quàm occident. terra lemnia & ſigill. bolus armena: corall. rubra, ebur foſſile &c. deinde martialia, ut limatura mart. & alia ex iis huc pertinentia parata vid. *Foreſtus obſ. med. lib. 6. obſ. 4. lib. 21. obſ. 25. in ſcholiis, Riverius obſ. cent. 1. obſ. 91. Sennert. lib. 3. part. 2. ſect. 1. cap. 5. Glauberus Furnorum part. 2. cap. 9. 23. Stiſſer Actorum laboratorii chymici part. 2. cap. 4. Alexander Benedictus lib. 21. cap. 2. de his* igitur admodum magnifice ſentiunt, adeo, ut in omnibus vermibus pro compertis ea habeant, nullaque præſtantiora remedia admittant. Alii tamen contrarias tuentur partes, quibus ſe aſſociat *Redi, in obſ. jam citatis p. 118.* qui terram ſigillatam & alio tempore lapidem bezoard. orient. uti etiam occidentalem aquæ admiſcuit, in qua lumbrici ad 20 diem vixerunt incolumes. Non obſtante tamen hac experientia, utiq; facio cum prioribus, quoniam ſemper argumentari tuto à lumbricis terreſtribus haud licet ad illos, qui humani corporis ſunt incolæ. Quod ſi verò aliquando terrea enecent hos, puto fieri exſiccando & abſorbendo humiditates, in quibus hoſpitari ſolent, vel quod cum acido primarum viarum abeant in ſalſum ipſis infenſiſſimum.

§. XXIII. Hæc enim ſalſa ſecundum locum inter vermes necantia merito tenent, & eatenus videntur nocere ipſis, quatenus non ſolummodo viſcoſitates inteſtinorum, in quibus nidulantur, diſſolvunt & abradunt, ſed etiam, ſi deguſtentur, aut ſaltim externe corpora illorum attingant, mortus fiunt cauſa in illis. Norunt id chirurgi, qui ſangviſugis tantillum ſolum de ſale adſpergunt, unde ſtatim ulterius ſugere ſangvinem ceſſant, imo & jam aſſumptum celeriter iterum reſpuunt, quæ ſalis virtus minime latet hortulanos noſtros, utpote, qui cochleas juniores, tenellulorum germinum illam peſtem, non citius enecant, quam ſi areolis gramine fæcundis ſalia ſalſa adſpergunt; ſunt vero ſalſa hæcce, ſal marinum, ſal. gemm. ſal culinar: alumen, ſal ammoniac: tartarus vitriolat9, de quo ultimo videatur *Agricola in Poppium, part. 2. p. 699.* Non quoq; deficiunt experimenta, ſi ſolis his verbis fidem adhibere recuſes: adornavit enim talia *Redi citato ſcripto. p. 141.* cum *Salſa.*

cum aqua marina, ſale gemmæ, ſale foſſ. polonico & æthiopico, vitriolo, alumine &c. & ex tempore perire ab illorum attactu lumbricos vidit, modo aquæ ſufficientem copiam ſalium in ſe continuerint.

Acida. §. XXIV. Tertio acida ſiſtuntur, ſpiritus & oleum ſulphur. vitrioli, clyſſ. mineral. ſpiritus ſalis & nitri, acetum, ſuccus granatorum, berberum, citri, & aurant. acidus. Tinctura flor. violarum cum phlegmat. vitriol. ſpirit. terebinth. &c. videantur *Baricellus in hortulo geniali P. 4. p. 52. Zapata in clave med. p. 15. Foreſtus lib. 21. obſ. 26. & 27. Bartholin. epiſt. cent. 4. 54. Wedel. in Amœnit. materiæ med. p. 365.* Operationem communiter deducunt à virtute acidorum putredini adverſa, ex quo fundamento etiam peregrinantes aquarum vitia inſtillatione ſp. ſalis emendare feliciter poſſe perhibent. Sed cum putredo minime ſit vermium materia ex qua, non adeo arridet dicta ratio. Quare ſtatuo: acida vel coagulando chylum aut lympham, nutrimenta illa vermibus neceſſaria, ut fame pereant, efficere, vel ſua aculeata mordaci ac cauſtica textura ipſis fieri lethifera. Suffulcitur hæc conjectura obſervationibus *Redi p. 119.* quæ lumbricos in vino, ſucco citri, aurant. aliisque liquoribus cum ſpiritibus acidis imbutis, brevi periiſſe, teſtantur. Minime tamen ſvaſerim, ut indifferenter cunctis ægris adhibeantur; Sed illis ſolum, in quibus ſitis urgeat, in reliquis enim facile alia parit ſymptomata, videatur *Sylvius in appendice ad tract. 1. c. 10.*

Alcalia. §. XXV. Sequuntur quarto ſalia alcalia, eaque tam fixa, quam volatilia: Fixa equidem hucusque nondum ſatis pro hoc ſcopo fuere cognita, quantum tamen anthelminticorum poſſideant virtutes, didici experientia & lixivio quodam poſt præparationem tincturæ metallorum, aquæ beneficio ex capite mortuo elicito in puerulis vermes enecare & feliciter exturbare ſoleo. De volatilium vero virtute teſtatur *Sylvius l. c. Wedelius de Medicam. Facult. p. 188. Stiſſerus n actis labor. Chym. P. 1. cap. 10.* facileq; id credere poſſum, cum ſciam ex obſervatione *Joh. Jacobi Willis in Act. Haſſn. vol. 3. obſ. 63. p. 117.* hirudines, ſi ſp. c. c. immergantur, in momẽto mortem ſubire, è contra vero in aquis acidulatis aliisque liquoribus ſimilibus, ſuperſtites manere aliquamdiu. Sed quoniam infantibus ſapor non minus, quam odor illorum ſummopere eſt ingratus, ita ut vix dici poſſit, quam mire ſe habeant ab ipſis exhibitis; prætereaque facile ex abuſu damna poſſint enaſci, eaque ſatis gravia, prout id demonſtravit *Jacobæus in Act. Haffn. vol. 1. obſ. 113.* Cave ne quid nimis, aut ne puerulis, niſi cum quodam Syrupo, aut largo vehiculo, eorum doſin minimam exhibeas.

Ac[ria]. §. XXVI. Jam quinto loco commemoranda ſunt remedia acria: v. g. raphan. mar. allium, cepæ, ſuccus naſt. ſedum minus, hyperici fl. & ſemen, Sp. vini, vinum &c. de quibus cõſulantur: *Sebizius Praxeos T. 1. Part. 4. ſect. 2. c. 2. Witticbus in vademeco p. 344. & ſeq. Hoffman. in methodo medendi cap. 19. Fontananus de morbis intermitt. lib. 2. cap. 5. Eph. Germ. D. 1. A. 6. & 7. p. 248. Acta Haffn. vol. 1. obſ. 40. p. 55. Bartholinus hiſt. cent. 4. 19. Redi obſ. citat. p. 118.* Horum vero ſingulorum pluriumque aliorum ad hanc claſſem pertinentium decantare laudes ſi vellem, non ſufficerent pagellæ hæ. Proinde id ſolum noto: inter principalia ea pertinere anthelmintica non ſolum, quod vi gaudeant incidendi & reſolvendi mucum viſcidum, verum quod ipſi vermibus ſua hac acrimonia vere veneni loco ſint. Confirmat hanc aſſertionem *Obſerv. à Schenckio lib. 2. obſ. 197. allegata* de verme albo, carneo roſtello inſtructo, cordi Principis cujusdam adhærente, qui cadavere aperto exemtus menſæque impoſitus allio adjecto mire ſe aliquamdiu contorſit, paulo tamen poſt odore iſto penitus ſuccubuit.

Ole[oſa &] pi[nguia]. §. XXVII. Sexto his aſſociantur oleoſa & pingvia, de quorũ virtute jam olim Ariſtoteles teſtatum reliquit: omnes eorum attactu interfici poſſe. In ſpecie vero lumbricis & aliis inteſtinorum incolis olea olivarum, amygd. amarar. & nucleor. perſ. aut per infuſionem parata olea hyperici, hyſſopi, abrotani, &c. contraria notantur à

Pe-

Petræo Noſolog. T. 2. p. 143. Fortis. Cent. 2. conſil. 96. in Actis Haffn. vol. 1. obſ. 49. Foreſtus lib. 21. obſ. 28. Si ſcire cupis quomodo agant, puto enecare illa vermes, quatenus organa reſpiratoria, quæ teſte *Malpighio Tr. de Bombyce p. 19.* & paſſim in habitu corporis ſub forma plurium oſculorum occurrunt, viſcoſitate ſua obliterant, adeo ut ob denegatum aëris acceſſum miſeri ſuffocentur, hincq; convulſi aut paralyſi affecti intereant. Quapropter non ſemper conſultum eſt clyſmatibus addere pingvia & olea; tum enim ea averſantur vermes, ex inferioribus ad ſuperiora non ſine ſymptomatum exacerbatione repunt. Quod vero deſtillata olea attinet v. g. tanaceti, ſpicæ, ſuccini, coryli, cornu cervi, tartari fœtidi, quæ his anthelminticis à quibusdam accenſentur, extra controverſiam ea interimunt vermes per incluſa ſalia volatilia, utpote quæ tam copioſe ſibi habent juncta, quod nec tyronibus artis pharmacevt. ignotum eſt, ut teſte *ſtiſſero Actor. Laborat. Chym. Part. I. c. 4.* tota tota in purum nitidumque tale ſal converti poſſint.

Svaveolentes. §. XXXVIII. Septimo huc pertinent aquæ ſvaveolentes v. g. roſar. aurant. puleg. calamenth. thymi, hyſſopi, ſalviæ, fl. ſambuc. &c. miraberis & his me aſſignare vim enecandi vermes, cum tamen teſte *Wedelio de ſimpl. Medicam. facult. p. 178.* aquæ vehicula aliorum remediorum tantum ſint, minime virtute anthelmintica inſtructæ. Verum cum non commendem hæc ut aquea, ſed potius ut ſvaveolentia, veniæ futurum locum ſpero. Nam & ſenſu olfactus eoque exquiſito ſatis dicta hæc inſecta eſſe prædita, lumbrici probant terreſtres ad pluviæ deſcenſum ejusque odorem ſvavem ſtatim è latebris ſuis egredientes, ut exempla plura allegata taceam, nempe inſeſſu parato ex lacte, aſcarides & lacertam caſei veteris odore elici potuiſſe. Cum igitur tenera admodum & ſumme delicata ſit horum animalium textura, à fragrantibus his illorum nervoſo generi inferri injuriam, perſvaſum mihi habeo; idem enim hoc in plurimis fæminis & quibusdam ſexus potioris accidere, nemo non novit; minime tamen negaverim, ſimul hæc ſuaveolentia fieri vermibus exitioſa ob oleum, quod fragrantibus his aquis ſemper admixtum eſt; de quorum virtute anthelmintica §. præcedenti dixi. Aſt ne ſola ſpeculatione inniti hoc aſſertum quis credat: adſunt experimenta cum ſingulis his aquis facta apud *Redi obſerv. citat. p. 120.* Ex antiquioribus autem *Julius Cæſar Claudius in Empirica Rationali lib. 3. ſect. 31. Tr. 2. c. 6.* aquam roſarum & *Riverius* aquam fl. aurantiorum adverſ[us] vermes convenire deprehenderunt.

Mercurialia. §. XXIX. Octavo mercurialia remedia titulo hoc inſigniuntur, & quidem in eminentiſſimo gradu. Unanimi enim conſenſu recentiores medici vivum hoc metallum peſtem vermium aſſerunt, non ſolum in ſubſtantia, ſed etiam ejus decoctum aut infuſum in aqua ſimplici, aut alia deſtillata vel vino, imo & reliqua univerſa præparata acrimonia aut cauſtico ſapore deſtituta, uti ſunt cinnab. antimon. merc. dulc. æthiop. miner. *confer. Anton. Muſæ Braſſavolæ examen Metall. p. 422. Matthiol. in Dioſcoridem lib. 5. c. 78. l. 6. Ephemerid. Germ. D. 1. A. 4. & 5. p. 230. Helmont. ſextupl. Digeſt. p. 180. Poter. Pharmacop. ſpagir. l. 1. pag. 327. Simon Pauli Tr. de febr. malign. Verzaſcha in Riverio contracto l. 10. c. 9. Mayerne in ſua Pr.* Non equidem adeo multum retrò medicamenta hæcce verſus vermes uſurpari cœperunt à medicis; Quondam enim metallum hoc venenis accenſebatur, veruntamen ex quo infinitis experimentis ficta illa mercurii deleteria qualitas poſteris eſt demonſtrata, impune non ſolum, verùm quoque cum maximo uſu illud dare conſveverunt. Sed in aprico non eſt ſtatim, quomodo mercurius agat. Sunt, qui in ejus ſumma mobilitate aut virtute alcalica quærunt culpam, aliisque alia arridet operandi ratio, quibus tamen refutandis inhærere non eſt animus; ne extra oleas, uti in proverbio dicitur, vagari deprehendamur; adeoque quid credam, paucis ſolummodo ſubjungam. Habere videtur mercurius omnis, etiam purgatus, acidum quoddam aut ſalſum deliteſcens in ſe, quod inter alia amal-

gamata metallorum diverſa clariusque adhuc experimentum *Olai Borichii in Act. Haffn. vol. 1. obſ. 67. p. 147.* evincit, quod brevitati ſtudens tranſcribere nolo.

Aqua extinctionis metallorum.

§. XXX. Subjungo nono aquam extinctionis metallorum liquefactorum, videlicet auri, chalybis, ſtanni, & ſimiles, de quibus vid. *Poterius in ſuis operibus, Keslerus in Proceſſ. Chym. & Welſchius in Mictomim. obſ. 90. p. 24.* qui ultimus occaſione obſervationis cujusdam cum aqua, in qua plumbum liquefactum aliquoties extinctum erat, reliqua laudat. Nam Carolo IX, Gallorum Regi, extreme vermibus vexato D. Harlæus aquam hanc cum fructu præſcripſit, quam deinde alii in pluribus ægris optimam deprehenderunt, inprimis in infantibus ex morbo hoc jam morti proximis. Exiſtimo vero pariter, uti de mercurio modo comprobavi, in quibusvis metallis acorem quendam concluſum eſſe, qui liquefacto prius aut ſaltim extreme ignito metallo, ob poros hac methodo patefactos citius exire, & aquæ communicari poteſt, quod ipſum tamen felicius tardiusque accidit pro diverſitate compagis metalli. Imo tandem reiterato hoc labore vera etiam ramenta minutiſſima ab ipſo metallo abraduntur, quod facile ex ſapore communicato aquæ nunc adſtringenti vitriolaceo, aut empyrevmatico, ſimulque ex textura metalli immutata, tandemque ex ſedimento denuo fuſo probari poteſt. *conf. Epiſt. Franciſci Joſephi Burrhi de Oculo ad Barthol. ſcripta, & Joh. Daniel. Major in Genio errante, c. 15. 16. 17. 30. 35.* Inſuper tamen acorem illum augeri ignitione ipſa puto; omnibus enim notum eſt, ignem actualem in ſinu fluidi aut candentis metalli latere, & ſub illo acidum, quod *Tachenius in Hipp. chym. & clave*, ſufficienter demonſtrat. Ea propter igitur evitetur abuſus horum remediorum; exinde enim oriuntur damna diverſa, quæ *Velſchius c. l.* per ventriculi refrigerationem & *Poterius* per vim artubus & interaneis inimicam efferunt.

Pulvis lumbricorum.

§. XXXI. Decimo & ultimo, cum à non paucis catalogo horum anthelminticorum, terreſtrium lumbricorum, vel humanorum pulvis inſeratur, de hoc quoque dicendum eſt aliquid. Putant autem, huic qui favent remedio, ex charactere naturali virtutem hanc haberi poſſe, non ſecus ac ex aliis remediis ope ſignaturæ virtus ſpecialis eruitur. Quapropter juxta canonem illum univerſalem medicum, ſimilia ſimilibus curari dicunt. Veruntamen committunt iſti fallaciam non cauſæ ut cauſæ, cum tantum abſit, ut pellant hi pulveres aut enecent jam in corpore latentes vermes, quin potius certiſſimum ſit: illis dari anſam generationi plurium, dum ſemina copioſa in pulveribus his abſcondita eo ipſo corpori communicantur, quæ progenies nova poſthac, ſi exeat ſponte, decipit incautos. *conf. Wedelius in Amœnitat. mater. med. p. 369.*

Modus ... ran...

Vermes ... ctos ed... tia.

§. XXXII. Sed tempus jubet, ut miſſis his ad ultimam claſſem deſcendam, quibus vermes enecti educuntur. Ubi ſtatim in limine reclamantes aliquos audio, inutilem hunc apparatum eſſe, cum etiam ſine his ejicere cadavera iſta valeat, imo ſoleat natura. Addunt inſuper, utut ſub forma tali non proſcribantur, nullum tamen adeo inſigne damnum inde metuendum eſſe, cum facile ſola digeſtione blandâ in mucum quendam ſeu colliquamentum viſcidum abeant hæc mortua animalia; hinc ſæpe fit, ut poſt enecantia exhibita, ne tantillum de illis cum fecibus prodeat. vid. *Riverii obſ. Commun. p. 308.* Veruntamen cunctis objectionibus haud moveor: Eſto enim, aliquando ſponte à natura ejici vermes, dantur tamen alio tempore caſus, ubi ex relictis & corruptis exuviis horrenda fuerunt nata ſymptomata. Boni igitur medici erit, imitari prudentem belli ducem, qui proſtratos hoſtes vel terræ vel fluviis mandat, ut imminentem exinde peſtem avertat. Quod vero attinet alteram inſtantiam; Concedo, à quibusdam ex enecantibus remediis peracta operatione mortuos evacuari vermes, ideo quod vim ſimul poſſideant purgandi, qualia ſunt ſalſa, acria, mercurius dulcis &c. Sed quid fiet cum reliquis, quibus hæc virtus laxativa alvum non ineſt?

ineſt. Quoad tertium dubium: non valet argumentum: ſponte reſolvuntur vermes in mucum, ergo illos emortuos evacuantia fruſtranea ſunt, cum ſemper, antequam illa totalis vermium reſolutio fiat, putredo cum ſymptomatibus gravibus præcedat, quæ noſtris commendatis remediis omnino evitari poſſunt.

§. XXXIII. Ipſa autem educentia hæc ſi ſcire aveas, deſumuntur ea ex claſſe purgantium, nihilque refert, ſeu per os aſſumantur, vel ſub forma clyſmatis ano injiciantur, aut denique externe ſaltem ventri applicentur; à ſingulis namque idem effectus ſequitur. Nec facile in ipſo remedio aberrari poteſt. Nam mitiora juxta ac fortiora purgantia, modò in debita doſi dentur, ſunt proficua: præ aliis tamen laudatur Aloe & exinde parata. Hinc quoque pilulæ peſtilent: *Ruffi Sennertus lib. 3. part. 2. ſect. 1. c. 3. p. 216.* commendat, *Fortis cent. 2. conſul. 69.* mannam laudat, *Euſtachio* Rudio *artis med. cap. 27. lib. 2.* muſcerda arridet, in Actis *Haffn. vol. 2. Diacathol. & Diaphœnis.* extollitur. Et quis cuncta recenſuerit tam ſimplicia quam compoſita, paſſim à medicis comprobata, neque aliter de clyſmatibus judicandum, ſæpe enim clyſma domeſticum ex jure carnium, lacte aut decoctum quoddam ſimplex cum ſalino ſtimulo ſufficit, aliis tamen in ægris cum colocynth. & fortioribus adhuc ſtimulis præſcribendum eſt, quod ipſum quoque de externis ventri impoſitis moneo. In junioribus enim ſubjectis ſatisfaciunt cataplaſmata ex fol. perſ. & fell. bovis ad imitationem Louiſe Bourgois im Hebammen-Buch *part. 4. c. 13.* adultioribus autem præſcriptum *Dygbæi experimentorum. pag. 114.* pomum colocynth. cum felle bubul. toſtum & umbilico impoſitum vel ungventum de Agrippa, vel oleum ſclareæ infuſum cum colocynthide adhibendum eſt, vid Osvvaldus Grembs Arbore integra & ruinoſa *l. 2. c. 1. p. 208. Paulus Boccon. obſ. 7. p. 130.*

§. XXXIV. Num præſtent ſola hæc evacuantia? vel num cum enecantibus maritari debeant? adhuc diſputant Doctores. Dico tamen reſponſionis loco: ſubinde ſola ſufficere, ſi jamjam mortui fuerint vermes, quod ſi autem adhuc vivant, non male ſocientur enecantibus. Nec audiendus eſt hic Sennertus, combinationem educentium ideo reprobans, quod purgantia non ſinant agere enecantia in inteſtinis, ſed ſtatim, antequam præeſſe munio ſuo poſſint, ſimul cum excrementis ea ejiciant. Non enim adeo longum tempus ad interficiendos vermes requiritur, quod experimentis Redi aliquoties in antecedentibus adductis ſufficienter conſtat. Addo: purgantia ipſa ſæpe vermes ſimul interimere, quod obſervatio in Actis *Haffn. vol. 2. obſ. 47.* adducta probare videtur.

§. XXXV. Subſiſto hic, finemque meis anthelminticis impono, Deoque ſummo pro conceſſa Gratia Gloriam ac Laudes cano, rogitans humillime, velit porro ſtudia vitamque meam dirigere, ut cedant ſemper in Nominis ſui Honorem Proximique ſalutem. Lectorem vero benevolum majorem in modum rogo, ut ſingula hic tradita æquo ſuſcipiat animo, conatibusque hic meis faveat.

FINIS.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Vigeſima tertia:
De
REMEDIIS STOMACHICIS.

PRÆFATIO.

E Ventriculo omnium reliquarum partium ſanitatem dependere, Menenius Agrippa apud Livium L. II. decadis I. eleganti hac fabula demonſtravit. Contigiſſe ſcilicet aliquando, ait, ut reliquæ partes ventriculo in media corporis regione ſemper, prout putabant, otioſo indignatæ, inter ſe convenerint, ne manus cibos ori præberent amplius, neve dentes comminuerent, gulaq; transmitteret præmanſa, quo immemor hactenus laboris ſtomachus, quid artus ad ejus conſervationem facerent, ſuo damno diſcere cogeretur. Hac vero ira dum ventrem domare vellent, brevi ipſa membra una cum ventriculo contabuiſſe, argumento manifeſtiſſimo, inutile ac quietum non ſemper eſſe hoc viſcus, ſed reliquis cunctis ex hac culina unice alimentum eſſe expectandum. Et licet è contra Plinius eundem deprimere auſus fuerit de ipſo L. 26. c. 8. ſic ſcribens: *Plurimum negotii alvus homini exhibet, cujus cauſa major mortalium pars vivit. Peſſimum corporum vas, inſtat ut creditor & ſæpius die appellat; huic luxuria conditur; huic navigatur ad phaſin; huic profunda vada exquiruntur & nemo ejus vilitatem æſtimat conſumtionis fœditate*; nihilominus hoc ipſo vituperio nil quicquam ademit ejus functioni naturali ſatis egregiæ. Extra namque omnem controverſiam eſt, à ventriculi morbis chylificationem, ſangvificationem, nutritionemque, verbo: totam œconomiam naturalem inſigniter turbari & tantum non everti. Igitur inter alias cauſas & hæc quoque me impulit Stomachicorum Remediorum examen in Diſſertatione hac ſuſcipere, cui labori ut ſummum Numen ex alto benedicat, devotiſſimis exoro precibus.

§. I.

UTut ſtatim unicuique, qui non plane hoſpes aut peregrinus in noſtra eſt arte, pateat, quid per Remedia Stomachica velimus; nihilominus ne in leges hactenus ab omnibus diſputantibus obſervatas impingere videar, titulum hunc fuſius paululum explicabo.

§. II. In genere itaque Remedium juxta hypotheſes Medicorum veterum eſt omne, quod corpus noſtrum alterare, & à ſtatu præternaturali ad naturalem reducere poteſt; adeoque opponitur primo Venenis, quæ partes noſtræ *Expli[catio] Rub[ri]*

ſtræ machinæ corrumpunt: Secundo alimentis, quæ illas inſtaurant ac augent. *confer. Sennertus lib. 5. inſtit. cap.* 1. Attamen cum ſæpius ipſa quoque alimenta expugnent etiam morbos, ſanitatemque amiſſam iterum reſtituant, non adeo in rigoroſo ſenſu vocem remedii in rubricâ accipio, ſed inſimul ſubintelligo etiam alimenta medicamentoſa.

§. III. Hæc ipſa autem remedia, quæ ex inexhauſto vegetabilis, animalis ac mineral. regni penu, in ſolatiũ humani generis Benigniſſimum Numen largiſſime ſuggerit, multifarias poſſident facultates ratione qualitatis aut manifeſtæ aut occultæ, vel ut lingvâ recentiorum loquar, conformationis aut texturæ, ex qua non raro cum membro quodam peculiarem cognationem habere creduntur. Et ita factum eſt, ut cum à quibusdam concretis morbos ventriculi curari viderint Medici, ipſa remedia cum additamento ſalutarint Stomachica.

§. IV. Ut in ſummam igitur contraham dicta, per Remedia Stomachica intelligo illa auxilia, quæ ventriculi actionem adjuvant eo fine, ut deperditus ipſius vigor naturalis iterum reſtituatur in integrum. Quandoquidem vero non una eſt læſionis ventriculi ſpecies, idcirco rationalis Medicus utique maximam circa hæc ipſa medicamenta Stomachica cogitur obſervare differentiam, ne quid pro quo, ut communiter dicitur, h. e. inconvenientia pro convenientibus ad morborum curationes turpiter adhibeat. *...nes ven... ...livaria.*

§. V. Quo clarius vero differentia iſta inſignis pateſcat, erit opus è Phyſiologia repetere, ventriculi uſum naturalem eſſe duplicem. 1.) ut in ipſo appetitus alimentoſus ſeu fames excitetur. 2.) ut præmanſi perque œſophagum ad ejus cavitatem transmiſſi cibi, in chylum convertantur. *...ventri...*

§. VI. Utriusque autem hujus functionis expeditio dependet, nunc ex motu ventriculi contractivo, cujus ope non ſolum appetitus, ſed etiam chylificationis negotium quoad partem aliquam perficitur: nunc ex liquoris lymphatici ſive menſtrui Stomachalis activitate, quod alimentis per intima commixtum, ipſa in pultaceam maſſam convertit, ſimulque oleoſas, ſalinas gelatinoſasque particulas ex illis extrahit, abituras mox poſt bilis admixtionem ſeparationemque à fecibus alvinis optimum in chylum omnique ex parte abſolutum perfectumq;. *...ipium ...ns.*

§. VII. Faciam initium à motu Ventriculi læſo, cujus cauſa efficiens extra omnem controverſiam eſt Spiritus per nervos paris vagi & plexus meſeraici in fibras carneas Ventriculi tam longitudinales quàm transverſales neutiquam debite influens. Uti enim omnis reliquus in corpore motus, ſive animalis ſive naturalis vocetur, unice ex hoc principio efficienter dependet, ita tuto nunc ceu fundamentum capitis hujus pono, non tantum ab influxu Spirituum aucto augeri, & imminuto ſeu deficiente deficere hanc ventriculi actionem, verum etiam ex fibris carneis modo ſpaſmo convulſivisq; motibus, modo atonia laborantibus, adeoque etiam ex mala organi diſpoſitione naſci morborum catervam multiplicem. *Læſus ventriculus quoad motum.*

§. VIII. Qui ergo ab aucto influxu Spirituum in fibras Ventriculi dependent morbi, ſunt potiſſimi v. gr. fames aucta, appetentia canina & Bulimus, cardialgia, nauſea, vomitus & cholera. quod ſi igitur Stomachica pro his deſideramꝰ medicamenta principali cauſæ oppoſita, tunc Paregorica, anodyna, & narcotica dicta h. e. talia quæ facultate pollent ligandi Spiritus, convenient: qualia ſunt præprimis opium & papaverina, in quibus omnibus ſulphur tale narcoticum elegans latetabſconditũ. Et ne forſitan gratis me hoc ipsũ aſſerere quis putet, provoco non ſolum ad infinitam experientiam Medicorum, quam habent de opii virtute ſiſtendi dolores omnes in genere, verum etiam ad obſervationes magis ſpeciales. Cardialgiæ enim ſolatium accedere per Opiata, teſtis eſt *Ludovicus Septalius lib.* 1. *Animadverſionum pag.* 221. & *Albucaſis apud Hollerium libr.* 1. *de morbis internis c.* 23. *pag.* 592. Calculum etiam ſuum adjicit *celeberrimus Wedelius in Opiologia lib.* 2. *ſect.* 11. *cap.* 4. ſimulque appetitum nimium & in ſpecie Bulimiam his ipſis optime curari poſſe, citato loco confirmat. Pertinent ad hanc claſſem Stomachicorum quoque requies Nicolai, phi- *Morbi ex influxu Spirituum aucto.* *remedia.*

philonium Romanum, Triphera Perſica, Mithridatium ac Theriaca cum aliis exin præparatis medicamentis. Refero huc quoque Spiritum frumenti vel vini ſimplicem, aut Stomachicum dictum Mynſichti, vinum generoſum ac alias cum vino vel Spiritu vini factas ardentes aquas, modo copioſe paululum hauriantur. Videatur *Zac. Luſitanus Prax. lib. 3. cap. 22. n. 9. Riolanus Enchir. anat. p.* 121. *Riverius Pr. c. 3. p. 85. Platerus tr. de doloribus cap.* 1. *p.* 460. 497. *Eph. nat. Cur. D.* 1. *anno 6. & 7. obſ.* 141. *p.* 201. Hinc non ſine acumine jam dudum Seneca, tanquam Philoſophus naturalis ſcripſit: Vinum bibere & ſudare *Cardiaci* vita eſt, & Plinius: Cardiaco malo ſpes omnis, vel tota eſt, in *vino* repoſita.

Stomachica in refrigerio §. IX. Cogimur quandoque neglecta cauſa principali in his morbis remedia dirigere adverſus cauſas remotas & occaſionales, quatenus ſc. juxta *Barthol. tract. de Nive p.* 187. *Zac. Luſit. M. P. H. lib. 6. p.* 289. ab externa aëris inclementia frigida ortum ſumenti Bulimiæ, Cardialgiis ac Vomitui, opponimus calefacientia ſive actu ſive potentia talia. Hoc itaque in caſu Stomachici titulum merentur etiam lateres calefacti & juxta *Joëlem. lib. 4. pr. ſect. 2. p. m. 99.* manus calida impoſita, aut conjugis venter mollior ventriculo applicatus, (ſed quid fiet de Viduis?) Subſtituantur hic quoque pro uſu externo ex gummatibꝰ acribus oleisque deſtillatis conflata emplaſtra, ſacculique aromatibus aut mentha, majorana, lavendula infarcti. Interne vero juſcula quævis calida, potus Herbæ Thée & Coffée vel jam memorata ſpirituoſa, denique aromatica & acrimonia quadam prædita dentur, quæ magis, ni fallor, convenient, ac ſola Tuſſis, quàm *Fromondus lib. 5. m. c. 5. art. 5.* ut unicum remedium pro expellendo rurſum ſpiritu nivali è ventriculo ac interioribus viſceribus laudat.

in Bulimia. §. X. Paradoxum forſitan primo intuitu videbitur, ſi ſtomachica quoque dixerim non ſolum carnem ſuillam fumo induratam & lucanicas Bononienſes vid. *Rondeletius meth. cur. Morbi cap. 12. pag. m.* 428. verum etiam reſinam abietinam, confer *Sibbaldus Prodrom. hiſtor. natural. ſcotiæ P. 2. ſect. 11. cap. 1.* & terram atque argillam, quam in bulimo hyemali tempore iter facientibus animalibus infundere jubet *Vegetius lib. 3. artis Veterinariæ c. 38.* Etſi enim extra hunc caſum dyſpepta ſint ſatis illa, & quædam ex ipſis planè non intra corpus ſumantur; nihilominus nunc, quatenus ſuâ præſentiâ ventriculi compreſſionem arctiorem doloremque ac moleſtiam inde exurgentem impediunt, catalogo huic utique ſunt inſerenda. Et ſine dubio nullâ aliâ ex ratione, *referente Plutarcho lib. 6. Sympoſiorum q. 8.* cruſta panis adeo egregiè profuit Bruto illi, qui, cum Apollineam per nives copioſas proficiſceretur, Bulimiam ſatis atrocem contraxerat.

Vermiu. præſen §. XI. Alio tempore quando à vermibus, quale quid *Schenckius lib. 3. obſerv. Zac. Luſitanus M. P. H. 68. lib. 2. fol.* 303. *Rhodius obſ.* 73. *Foreſtus obſ.* 19. *lib.* 18. *p.* 161. *Bartholinus cap. 1. hiſtor. anatom. 47. & cap. 2. b.* 33. obſervarunt, aut quod in A. H. V. III. 161. legitur, à pediculis intra ventriculum natis affectuum nominatorum cauſa dependeat, anthelmintica evadunt etiam ſtomachica. Ex his ſunt famoſa mercurius vivus & exin præparata, quorſum etiam cinabrina pertinent. Vid. *Sim. Pauli Quadripart Botan. pag. m.* 107. His adde amaricantia, radices filicis, ariſtolochiæ, gentianæ, Zedoariæ, diptamni, herbas ſcordii, tanaceti, abrotani, abſinthii, cent. minor. myrrham, Sem. lupuli, ſantonici, Sophiæ chirurgorum reliquaque acria, acida, oleoſa, item & purgantia in hoc affectu alias celebria. Adeoque mirum non eſt, Trallianum olim, teſte *Foreſto libr.* 18. *obſerv.* 8. mulierem appetentia nimiâ laborantem ope Hieræ à verme duodecim pedes longo liberaſſe, eamque ſic perfecte reſtituiſſe. Aliorum obſervationes lubens prætermitto.

Ulcer. aph. §. XII. Quoniam vero inſuper ab ulceribus ac aphthis non ſolum aucta fames juxta *Deodatum*, ſed Cardialgia etiam ac vomitus ex obſerv. aliorum proveniunt, rurſus mutari debet Stomachicorum auxiliorum apparatꝰ, adhibendo balſamica, vulneraria, ac conſo-

conſolidantia. Commendat *Alex. Benedictus lib. XII. medic. cap. 15. paſtillos* de carabe *Sennertus cap. 3. pr. pag. 1. 2. 7.* Electuarium ex thure, maſtiche, tragacantha, ſuccino, & ſangvine draconis cum ſyrupo Cydoniorum factum deprædicat. *Scultetus Armam. Chirurg. pag. 80.* terram ſigillatam cum conſolidæ majoris ſyrupo ex *Spigelio* extollit, omnibus tamen facile balſamus Sulphuris Terebinthinatus, aut loco ejus peruvianus niger, in ovo tremulo aſſumptus, reddet palmam dubiam, quod experientia dubitantibus demonſtrabit.

& a- ...us. §. XIII. Sed præter dictas cauſas remotas etiam aſſumpta aut in ventriculo collecta acida & acria non infrequenter ſola irritatione promovent illum auctum influxũ Spirituum, prout hoc ipſum teſtimonia innumera Practicorum confirmant, pro quibus abigendis abſorbentia & corrigentia has cruditates erunt imploranda, de quibus in ſequentibus fuſius.

ven- defi- ...us §. XIV. Hiſce itaque auctus ventriculi motus in naturalem ſtatum iterũ poteſt reduci. Quod ſi vero iſte deficiat in Anorexiæ ac Apepſiæ illis ſpeciebus, quæ poſt morbos graves ſpirituumque conſumptiones aut evocationes, aut ex mœrore, amore veſano, ſtudiis nimiis, Veneris abuſu, cruditatibus pituitoſis & ſeroſis, aut denique poſt crapulam oriuntur, tum analeptica & confortantia, cordialia aliis dicta, incidentia, evacuantia, adſtringentia & Carminativa his Stomachi morbis ſuccurrent.

A- ...a ...oſa §. XV. Eminet autem inter analeptica Spirituoſa, primatumque hic ducit vinũ generoſum modice hauſtum: notanter dico generoſum. Fruſtra enim pro hac intentione aſſumuntur recentia ſpirituq; vinoſo deſtituta; Immo ſæpius damnoſa magis ſunt, quatenus acore ſuo cruditates acidas magis magisque augent. Deinde modicum ſvadeo uſum. Memor enim adhuc ſum me §. 8vo, largiorem potum vini tanquam ſedativum ac ligans ſpiritus remedium laudaſſe. Sequuntur vinum omnia Spirituoſa & per fermentationem aut abſtractionem cum Spir. vini medicamenta tam ſimplicia quam compoſita facta, uti ſunt ſpiritus & aquæ apoplecticæ ac epilepticæ, aqua vitæ Mathioli, Rudolphi, Chemnicenſium, aqua menthæ, meliſſæ, hyſſopi, Roris-marini, carbunculi, cinnamomi, borraginata, magnanimitatis, Spir. Maſt. compoſitus, quem *Simon Pauli quadrip. Botan p. 541.* deſcribit.

§. XVI. Qui ferre poſſunt ſvaveolentia, ſubſtituant & admiſceant his ambrata & moſchata. Ultima debilibus præ omnibus *Plinius hiſt. Nat. Lib. 22. cap. 24.* priora vero *Hoffmannus Meth. med. lib. 1. c. 19. p. 319.* commendant. Ex hoc fundamento quoque non inepte confectio Alkermes completa, h. e. cum ambra in debilitate ſtomachi ex ſenio, Veneris conflictu nimio, lucubrationibus, morboq; graviori, propinatur. Adeo enim Sulphur hujus concreti ſpiritibus noſtris eſt amicum, ut à quibusdam pro unico analeptico, cujus vix ſimile reperiatur in toto univerſo, venditetur. *Svaveolentia.*

§. XVII. Aſt utut quandoque optimis hiſce medicamentis confortantibus ſuppetias tuleris ſtomacho infirmo; tantum tamen abeſt, ut acquirat ſemper robur debitum, præprimis quando à cruditatibus pituitoſis infarctus fuerit, ut ſubinde major ſubſequatur debilitas. Quare tum potius incidentia & reſolventia erunt adhibenda, quorſum omnia Salina tam fixa, quam volatilia, inprimis tamen ex ſalſorum familia deſumpta, puta Sal Ammoniacum depuratum, Tartarus vitriolatus, arc. duplic. Sal. cachecticum chalybeatum Schrœderi, liquor terræ foliatæ Tartari, Spiritus aperitivus Penoti pertinet. *Incidentia & reſolventia.* *Salina*

Miras virtutes detergendi pituitam ventriculi & reſtituendi homini amiſſum cibi deſiderium adſcribit eſui halecum *Tulpius obſervat. Lib. II. cap. 24. pag. m. 140.* Hinc nunquam magis ſterilem dicit eſſe meſſem Medicorum Amſtelodamenſium, quam ſub adventum Soſpitatoris illius annui. Subſcribit huic teſtimonio *Diemerbroeck obſ. & cur. Med. 58.* in annotatione, dum multa experientia ſe didiciſſe affirmat, poſt cœnam & prandium quartam halecis partem, inſigniter anorexia laborantibus prodeſſe. Quicquid tamen ab hoc alimentoſo medicamen-

mento expectandum, ſemper debetur Sali Marino. Quare etiam halec horum teſtimonio, recenter ex muria extracta (aſſata enim aut cocta in duræ digeſtionis cibum degenerat) uſurpari debet.

§. XVIII. Sed relinquamus libenter halecem Batavis, cum noſtratium ſtomachus delicatulus crudum hoc alimentum non facile, niſi admodum recens fuerit, appetat, multo minus ut medicamentum adeo inſigne approbet. Potius ergo alia proponamus magis forſan grata, nempe aromatica & acria. Extollit ex his *Martinus Martini in Atlante Sinico*, & ex eo *Kircherus in China Illuſtr. p. 178.* radicem Ninzin, quæ ſpecies eſt Dauci Javanici, & Zingiber vel ſiccum vel conditum, *Levinus Lemnius cap. 4. de occultis rerum miraculis cap. 26.* Helenii vero radicem *Diemerbroeck citato loco*, & allium exſiccatum *Zac. Luſitanus M.* P. H. *l. 2. c. 2.* commendat. Ab aliis laudantur cubebæ, cinnamomum, Cardamomum, caryophylli aromat. rad. Galangæ, Zedoariæ, ari, ſiliquæ & ſem. piperis Indici, fol. piperitidis, menthæ, meliſſæ, pulegii, ſalviæ, & quæ ex ipſis præparantur eſſentiæ, extracta aut olea deſtillata, è quibus ultimo nominatis extra omne dubium agmen ducit, quod ex corticibus cinamomi acribus conficitur; quamvis obſervante *Excellentiſſimo Noſtro Botanico, Dn. D. Ammanno*, illud, quod ex radice canelæ ſub amœniſſimo camphoræ odore deſtillatur, cujusq; copiam à *Clariſſimo Batavorum Dioſcoride Domino Hermanno* communicatam poſſidet, multum omnia adhuc vulgare ſuperet. Ab omnibus autem hiſce operatio deſiderata perficitur, quatenus aculeatæ ipſorum atomi, non tantum penetrando cohærentes pituitæ partes reſolvunt, ſed vellicando ventriculi tunicas in ſimul ad novum influxum invitant & alliciunt ſpiritus.

Aromatica & acria

§. XIX. Commodiſſime ergò, quæ in his quatuor proximè poſitis paragraphis exhibita ſunt medicamenta, combinari poſſunt. e. g. in vinis Hippocraticis ac medicatis dictis, in chocolata cum vino ſorpta, item in Eſſentiis, Tincturis aut pulveribus Stomachicis, quale quid à Celeberrimo quondam hujus Academiæ Profeſſore ac Practico *Dn. D. Michaële* in pulvere ſuo Stomachico & Eſſentia hujus nominis prudenter obſervatum eſt, ut in pulvere Epatico Dreſdenſium.

§. XX. Si nondum recenſita tuo reſpondeant voto, deveniendum eſt ad Emetica. Nullus enim dubito, quin & ipſa ſint ſalutare remedium Stomachicum, cum illorum uſus penè in omnibus ventriculi morbis habeat locum, ſiquidem ventriculus eſt Belli ſedes omnium Morborum, imo non paucis Medicis adeo videntur eſſe proficua eadem, ut ſine illis vix curam ejus aggredi audeant. Minime tamen propterea ſvaſerim, temerariè ipſa eſſe in uſum vocitanda. Quemadmodum enim ſæpius nec his remediis, ob nimiam copiam aut ſummam viſcoſitatem peccantem pituitam exturbari poſſe conceſſerim facile, ita extra hanc cauſam, v. g. poſt appetitus proſtrationem ex terrore, ineptiſſimum; imo non raro lethiferum quoque ipſorum uſum eſſe, infelix eventus, tota die empiricos, & qui ab ipſis decipi ſe patiuntur, docet.

Evacu

§. XXI. Inveniunt hæcce vomitoria locum quoque in ſeroſa colluvie intra ventriculum collectâ, non obſtante, num ipſa à vitio humorum & catarrhoſa conſtitutione, ſive à copioſius ingurgitato potu dependeat. Et quidem eo magis tunc conveniunt, quo majorem aptitudinem ad ejusmodi evacuationem iſti humores in ſe habent. Hinc ſolius naturæ ope, ſine ullo medicamento adminiſtrato, crapulæ heſternæ ſaburra ſæpius circa auroram, omnisque ſimul Stomachi morbus ejicitur & exturbatur. Quod ſi tamen alterantibus quibusdam adhuc locus concedatur, ſine dubio ex claſſe exſiccantium illa ſunt petenda: quorſum refero abſorbentia terrea ex teſtaceis calcinatis ac aliis concretis parata, item cretam, unicornu foſſile, lac lunæ &c. Hæc enim tanquam corpora ſitibunda promptiſſime humiditates in ſe ſuſpiciunt. Refert tamen *Joel. Pr. Lib. 4. Sect. II. pag. 107.* panem bis coctum carnesque ac piſces ſalitos etiam conferre, & *Binningerus O. C. I. 10.* tradit, ſe hanc ventriculi intemperiem eſu nucum juglan-

in ſer luvie

juglandium aridarum feliciter curaſſe; quod ipſum facile credo, cum ſumma exſiccandi vis nucleis his ſiccis inſit, adeoque etiam ex hoc, ſine dubio, fundamento raucedinem inducant.

ſtrin-tia §. XXII. Felicius autem adhuc colluviem hanc ſeroſam propellunt è ventriculo adſtringentia. Hæc ipſa namque non ſolum corrugant ac cogunt fibras laxas ac molliores atoniam antea paſſas, ſed roborant etiam ſimul glanduloſam tunicam, ne facile lymphæ ſecretionem ſuperfluam iterum admittat. Apparatum ſi deſideras, inſervient Flor. balauſtiorum, roſ. rubr. Radic. tormentill. biſtort. ſymph. maj. pſeudoacori lutei (è qua *Dn. D. Chriſtianus Langius* ſuperioribus annis Profeſſor in hac Phylurea ſatis celebris ſuum paravit Nectar adſtringens, cujus uſum in lienteria egregium in obſ. manuſcriptis deprædicat) gallæ, meſpila ac perſica immatura, ſorbi torminalis & corni fructus, cydonia mala, terra ſigillata, hæmatites, terra catechu, crocus Martis adſtringens, Vitriolum Martis ad rubed. calcinat. tandemque alumen.

a. §. XXIII. In his omnibus manifeſta ſatis, & ad guſtum ſtatim talis conſtringens vis latitat; ſed dantur quoque alia, quæ ſub alio licet tegmine, nihilominus hiſce parum vel nihil cedunt. Loquor hic amara, abſinthium, & agrimoniam, de quibus egregias obſervationes referunt ex *Riverio, Schvvalbe, tractatu querelæ ventriculi pag. 286.* quod nimirum decoctum horum per dies quinque uſurpatum ex inappetente pene furentem reddiderit. Sed velim cum cautione hæc amaricantia adhibeantur. Tantum enim abeſt, omnia præparata ex ipſis id præſtare, quod de decocto allegatus *Riverius & Schvvalbe*, & de ſucco abſinthii *Alex. Benedictus lib. 2, cap. 10. & ſeqq.* affirmat. Etiamſi enim extractum liquidũ cum ſpiritu vini paratum, vel quintam eſſentiam abſinthii propinaveris, nunquam tamen effectum obſervabis ſperatum ab hiſce, quem crudum hoc vegetabile comeſtum, ſuccus, decoctum & infuſum dant. Hujus phænomeni ſi rationem poſtulas, dico, auſteras & hamoſas particulas periiſſe in præparatione, à quibus unice hic effectus inſignis dependebat.

Potus Theæ §. XXIV. Non poſſum non hac occaſione quoq; prædicare ut optimum ſtomachicum *herbæ Theæ* potum, de quo hodie apud exteros æque ac noſtrates tot tantæque circumferuntur laudes, ut parum abſit, quin à quibusdam cum *Bontekoe & Gehema* pro panacéa habeatur. Quod ipſum equidem uti nullo modo affirmavero, ita nihilominus pro roborandis ventriculi fibris, vix magis elegans ac conveniens remedium excogitari poſſe, asſerere haud vereor. Nam adeo manifeſta adeſt adſtringendi vis infuſo Théæ, ut non ſolum (inſtar pulveris gallarum) cum Vitriolo mixtum abeat in perfectum atramentum ſcriptorium, ſed alios quoque adſtringentibus ſolennes ſimul edat effectus, de quibus fuſe ſatis & accurate differens *Pechlinus in tract. Theophilus Bibaculus, ſive de potu herbæ theæ* videri poteſt. Mirum ergo non eſt, ſi brevi ante prandium aut cœnam evacuata aliqua hujus théæ infuſi vaſcula augeant manifeſto appetentiam, heluonesque poſt crapulam matutino ejus potu ſolamen inveniant, de quo ventriculo aut capiti dolenti gratulari inſigniter poſſint.

Acida. §. XXV. Quod ergo potatores noſtri temporis amplioriſque paululum fortunæ ab adſtringente potus Théæ facultate experiuntur commodum, id alii in acidis aſſumptis reperiri gloriantur, dum ovis in aceto frixis, acetariisque devoratis, crapulæ reliquias feliciter diſſipant, & tonum ventriculi amiſſum reſtituunt. Etenim & in plerisque acidis latet adſtringendi vis manifeſtiſſima, adeoque cryſtalli ac cremor tartari, Elix. Vitrioli Mynſichti, propriet. acidum, ſpiritus ſulphuris, ſalis ac vitrioli, communi conſenſu, in hoc caſu appetitum augent. Hinc etiam, ni fallor, illud proverbium eſt natum: Sauer macht luſtig. Quod ſi tamen ex his nondum ſufficienter conſtringi fibras ventriculi videas, aſſume, quæſo, inſuper doſin terrei cujusdam mineralis, & effectum experieris certo optatiſſimum. Adeo enim manifeſtum exin fit adſtringens, ut

ut etiam alumen virtute hac ſuperet.

In flatibus carminativa. §. XXVI. Sed miſſis his atoniam inducentibus cauſis, remediisq; adverſus illas facientibus, ad examen vocare nunc placet flatus, à quibus non ſecus ac à modo recenſitis frequentiſſime cardialgiam, anorexiam, aliaque ſtomachi mala generari in propatulo eſt. Itaque cum hæ ipſæ cauſæ hactenus recenſitis ſtomachicis vix, ac ne vix quidem, cedant, carminativa potius erunt uſurpanda. Equidem non me latet, quoad maximam partem ſub catalogo incidentium ac reſolventium aromaticorum contineri carminativa, & iſta huic quoque intentioni inſervire feliciter, quatenus ſcilic. reſolvendo mucum ventriculi viſcidum, flatus novos generant, qui poſtmodum priores incolas exturbant. At enimvero, cum præter hæc acria carminativa, quoque dentur inſimul anodyna ac lenitiva, prout *Excell. Dn. D. Rivinus, Patronus ac Præceptor Colendiſſimus, in collegio privato ſuper materiam medicam* optime docuit, miſſis prioribus, utpote de quibus jam ſupra, de his tantum aliquid adhuc addam. Dabo autem ex ipſis primo loco chamomillam nunquam ſatis laudandam, quæ præter ſalinas partes (quas ex ſalſo ſapore, vino, ex repetita florum horum infuſione communicato, quàm optime probat *Sim. Pauli quadrip. Botan. pag. m. 255.*) inſuper quoque multas anodynas, teſte jam allegato *Pauli & Foreſto obſ. lib. 18. cap. 20.* continet. Hinc adeo ſtupendos ſæpius effectus præſtat ſimplex hoc decoctum in cardialgiis non ſolum, ſed aliis etiam doloroſis ventriculi & inteſtinorum morbis. Subjungo chamomillæ caſtoreum, incomparabile pariter carminativum hujus generis, de cujus virtute ſtomachica videatur *Francus in Caſtorologia ex obſerv. Marii p. 162. & Wedelius in amœnit. mat. med. pag. m. 157.* quo in loco contra cardialgiam illud divinum vocat remedium. Turget ſc. & hoc tam acri & mordaci, quam ſulphurea & anodyna ſubſtantia, quod facile, ſi opus foret, prolixius demonſtrarem. Poſſem etiam hoc in loco fuſius Meliloti, flor. ſambuci, ſem. coriandri, variarumque eſſentiarum juxta ac extractorum, ſpiritusque nitri dulcis decantare virtutes carminativo-anodynas, niſi à *Wedelio* aliisque abunde id factum ſcirem, quorſum interea remitto Lectorem.

§. XXVII. Abſolutis ſic medicamentis ſtomachicis ad motum ventriculi p. n. reſpicientibus, progreſſum nunc facio ad alterum caput adverſus vitia menſtrui ſtomachalis inſerviens. Ex omnibus enim alimentis tantum partes ſalinas, gelatinoſas, oleoſasque extrahi à lympha ſtomachali, & in hac actione conſiſtere unice univerſum chylificationis opus, ſufficientiſſime demonſtravit, nunquam ſine honoris præfamine mihi nominandus *Excell. Bohnius in Circ. anat. cap. de chylificatione*, cui fundamento totam doctrinam de ſtomachicis inſequentibus, nunc ſuperſtruo. Recedit autem hoc ipſum menſtruum non infrequenter à naturali texturâ, quatenus vel nimium aquoſum & viſcidum aut ſalinum evadit, vel cruditate quadam acida aut bilioſa inquinatur, & ſic ad chylificationis negotium redditur ineptum. *Vitia menſtrui ſtomachalis.*

§. XXIIX. Data in antecedentibus occaſione, qualia in abundante ſeroſa ventriculi colluvie requirantur ſtomachalia remedia, jamjam expoſui. Dictum etiam eſt de apparatu adverſus pituitam in ventriculo coacervatam conveniente. Sed reſtare nihilominus quædam adhuc videntur circa curam nimium viſcidi ſtomachalis menſtrui, quæ nunc ſubjungo. Occurrit hoc vitium manifeſto in tabacibibulis, (liceat mihi ſic loqui) qui per ſputationem crebriorem omne pene fluidum ſangvinis extra corpus excernunt relicta ſaltem inibi viſcoſiore magisque glutinoſa ſubſtantia. Siſtit ſeſe illud quoque in iis, qui per ſudores ac alias evacuationes fluidum hocce laudabile perdunt; & qui vix quicquam potulenti, majorem vero viſcidorum alimentorum copiam deglutiunt. Addo his cauſis vini ſpiritus, aut alius ardentis copioſum potum, acidorumque abuſum, à quibus fluiditas lymphæ manifeſto coagulatur, quod in ſangvinis ſero, ac albumine ovorum conquaſſato, per affuſionem utriusque liquo- *nimiu[m] ſ[…]*

liquoris ad oculum demonſtrari poteſt. Conferatur *Boyle Tr. ſpecif. Med. Fac. item in Experim. circa ſanguinem.*

[Reme]dia hume[ctanti]a & [dilu]entia §. XXIX. Quare iterum nunc aliquot ab antecedentibus diverſa commendanda veniunt medicamenta. Scilicet humectantia & diluentia, quæ priori ex his cauſæ opponi poſſunt. Quemadmodum autem omnis humiditatis principium eſt aqua; ita potiſſimum ab his expectanda eſt cura. Hinc quæcunque partibus aqueis gaudent, ſive illas natura poſſideat, ſive arte, ea conveniunt, tabacibibulis ac abſtemiis à potu. Proinde ſvaderi debet ipſis potus non ſolum copioſior cereviſiæ inprimis dilutioris, ſed quoque loco ejus, aquæ ſimplicis, quæ omnium potulentorum optima ac naturæ noſtræ præprimis conveniens eſt, prout quinque argumētis nititur evincere *Mainwaringus tr. Anglico, cujus contenta recenſent Acta Erud. An. 84. pag. 519.* Patrocinatur huic opinioni de potu aquæ etiam *Bontekoe tract.* vom menſchlichen Leben / Geſundheit / Kranckheit und Todt; addit tamen, potū quo magis calidiorem, eo quoque magis convenientem eſſe ad diſcontinuationem viſcidi ac glutinoſi feri; quapropter præ omnibus aliis ſuam Theam commendat. Conferatur etiam *Marcus Mappus Tr. de potu calido*, qui pariter prolixiſſime in laudes ejusmodi potus diffunditur. Facit quoque huc, quæ *Illuſtris autor medicinæ corporis*, regula tertia inculcat, ſemper poſt aſſumta alimenta aut medicamenta, à quibus noxa expectari poterat, contrarium, adeoque etiam poſt exſiccantia aut viſcida humida aut diluentia debere aſſumi, ſi præſerv. à morbis ac curare præſentes cito, tuto ac jucunde velimus. quod ſi tamen ſimplicis ac communis aquæ potum abhorreant delicatuli nimium ægri, ipſis commendare licet pro potu aquas thermales aut fontium ſoteriorum, quales nuper iterum Hornhuſi prorumpentes, in peculiari tractatu deſcripſit & examinavit *D. Fridericus Hoffmannus, cui titulus:* Kurtzer Unterricht von denen zu Hornhauſen wieder entſprungenen Geſundbrunnen ꝛc. Aſt in quibus ex acidorum abuſu iſte ſtomachalis liquor coagulatus & incraſſatus eſt, illis rurſum diluentia calida, & loco horum aquæ thermalis aut acidulorū potum (ad quas tanquam ad ultimum refugium *Rolfinck. Conſil. L. VI. Cor. 2. pag. 638. & Lælius à Fonte conſ. med. pag. 104.* hos ablegant) commendo, & his deficientibus ſalia tam fixa, quam volatilia, de quibus mox pluribus.

§. XXX. Progredior ad ſalium abundantiam quandoque in hocce menſtruo occurrentem, a qua præter dolores atroces ardor ſtomachi & ipſius chyli vitium multifarium ſtatim naſcitur. Stomachica iterum proinde evadunt primo diluentia, quæ, ſi non, prout optaveras, in ſe ſuſceperint, & per ordinarias vias extra corpus eliminaverint ſalia, mutari cum inviſcantib. poſſunt, à quibus poſtmodum ſalia obtunduntur ac involvuntur. Pertinent huc mucilagines, ſem. pſillii, cydoniorum, altheæ, gelatinæ cornu cervi, eboris, gummata minus acria, tragacanthum, gummi ceraſorum & arabicum, maſtiches, colophonium, lac, terræ pingves ac viſcidæ, glycyrrhiza, paſſulæ, oleum amygd. juſcula pingvia, emulſiones ex amygd. dulc. & ſem. melon. Conf. *Bonnettus Sepulchr. L. III. §. S. cap. 3. pag. 528.* *Salium in menſtruo abundantia*

§. XXXI. Superſunt adhuc cruditas acida ac bilioſa, quæ ſæpenumero ita inquinant ac corrumpunt extractioni alimentorum dicatam ſtomachi lympham, ut ex toto ceſſet chylificatio. In acida hac cruditate iterum diluentia commendata ſunto. Sed id damnū exin contingit, ut è primis viis ſic ejecta aciditas, maſſam ſangvineā ſubintret, ſæpiusque ſtranguriam, aliaq; ex aciditate lymphæ exſurgētia mala gignat. Adhibebis etiam pingvia ac alia inviſcantia juxta Sylvii præceptum, ſed non niſi palliative per illa curabis, ſemper enim quacunque data occaſione tantum incruſtata, & quaſi tot vaginulis incluſa aciditas, ſui juris rurſum facta, denuo agere incipit. Propterea per terrea abſorbentia, martiaiia & alcalia, feliciori ſucceſſu aggreditur hoſtis iſte. Quoad terrea cōveniunt cornu cervi, ebur. lap. cancr. mater perlar. corallia, creta, oſſa ſepiæ, pulvis concharum, potentius tamen longe agunt uſta & calcinata, utpote *Cruditas acida ac bilioſa.*

quæ per ignis torturam omni alia ſubſtantia orbata, ex toto ſunt ſitibunda facta, cum in reliquis ſemper adhuc gelatina aliqua repugnans quodammodo præcipitationi acoris, ſimul ſit abſcondita. Cave tamen de omnibus hiſce, ne nimis larga ac reiterata doſi ipſa præſcribas, alias pondere ſuo novam gignent moleſtiam, ſæpiusque interiores ventriculi parietes cum totali appetitꝰ proſtratione incruſtabūt; quale quid a frequenti Magiſteriorum aſſumptione annotavit *Zwelferus in Appendice ad Animadverſiones Pharm. Auguſtan. pag. 67.*

Stomachica ſunt alcalia fixa

§. XXXII. Si ergo hæc ſymptomata metuas, adverſus aciditatem uſurpabis alcalia præprimis fixa, quæ facili negotio deſtruendo acidum, id ipſum in ſalſum mutant. Inſtar omnium ſit oleum tartari per deliquium, aut ſolutio nitri fixi vel cinerum clavellatorum; utut enim non negaverim, ſpecificam adhuc facultatem ſingulis ſalibus fixis ineſſe, aut prout *Helmontius* loquitur etiam inter alcalia rempublicā reperiri; nihilominꝰ reſpectu hujus intentionis nulla omnino obſervatur differentia, modo extrema calcinatio, ſive alcaliſatio præceſſerit. Iterum tamen & hic cautelam quandam adhibendam eſſe circa exhibitionis tempus moneo, ne, ſi ſtomacho vacuo uſurpentur ex conflictu & efferveſcentia cum acido, ardor inſignis ſtomachi, ſæpiusque lipothymia naſcatur, quod evitabis optimè, modo immediate poſt paſtum, ubi adhuc alimentis infarctus eſt ſtomachus, in uſum iſta vocites.

volatilia

§. XXXIII. Num à volatilibus idem effectus ſperandus, hæſitare videntur quidam autores, inprimis cum ſine ſtrepitu ſpiritum ſalis ammoniaci cum calce vivâ factum, acidis quibusvis commiſceri poſſe obſervent. Aſt nihilominus ſi meam aperire ſententiam de hac controverſia debeam, utique aliqualem, utut non adeo manifeſtam abſorbendi facultatem, etiam his adſcripſerim, edoctus (ut alia taceam experimenta) ab œnopolis quibusdam, qui per Spiritum ſalis ammoniaci cum calce vivâ, acida Rhenana, & alia vina eleganter dulcificare ſimulque ejus colorem ſubpallidum in flammeum magis exaltare norunt.

marti[alia]

§. XXXIV. Superſunt adhuc martialia. Quam optimè etiam ab his curari acorem, ſive cruda, ſive ſub croci aut Eſſentiæ forma aſſumantur, vix ullum ex Medicorum noſtratiū ſcholis fugit. Vides hinc tot verbis commendari hypochondriacis acidulas, & alia quævis martialia, tanquam quæ citiſſimè acida ſuſcipiunt, ſimulque per inferius guttur, ipſum non raro cum aliis cruditatibus educunt. Sed cum non omnis Stomachus iſta ferat, tantum robuſtis ſubjectis commēdari debent.

Crudit[as] [ni]dora[ſa] [bi]lio[ſa]

§. XXXV. Sic acidam corrigas cruditatem Stomachi. In nidoroſa ac bilioſa recurrendum tibi erit ante omnia ad vomitoria juxta *Hippocratis effatum Aphor. L. IV. XVII.* non neglectis poſtmodum terreis ac acidis, tanquam texturæ hujus liquoris ex aſſe contrariis, quorum catalogum, ne toties appoſita crambe nauſeam lectori moveat, ex præcedentibus repeti volo.

Conc[luſio]

§. XXXVI. Patet itaque luculentiſſimè, ut finem denique diſſertationis faciam, ſub generali Stomachici remedii titulo comprehendi non tantū Spirituoſa, ſed aromatica quoque, anthelmintica, carminativa, acida, alcalia, ſalſa, amara &c. Immo ſi verum fateri velim, ulterius huc quoque debuiſſent trahi in morbis Stomachi ex cōſenſu cum aliis partibus nato, nunc uterina, ſplenetica, epatica, pectoralia aliaque; Verum prolixitatem metuens tædioſam, præterea q; ſuperfluiditatē obſervans inutilem, in his ſubſiſtere volui. Modo enim practicꝰ junior ſtudioſe prius inquiſiverit in cauſas morbi, etiam in his paucis pagellis forſan reperiet, quod in ſympathicis illis affectibus uſurpet cum fructu. Cæterum quemadmodum rationalis medicus ſummum judiciū in ſeligendis, & prudentiam non minorem in applicandis medicamentis omnibus adhibere debet; ita in ſpecie utrumque circa Stomachicorum uſum requiretur. Rectiſſime hinc Poëta:

Temporibus Medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

F I N I S.

DISPU-

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Vigeſima quarta:
De
PITUITA PRÆTERNATURALI EJUSQVE CURA.

THESIS I.

CUm *teſte Hippocrate Coo de priſcâ Medicina* innumeræ ac innominatæ ſint particulæ maſſam ſangvineam conſtituentes analyſique difficiles; attamen Chymicorum ſolertia, nuda inſpectio & functionum animalium læſa & integra conſtitutio numerum quinarium, qui principaliora principia abſolvit, detexerunt: *Sal*, inquam, *variarum particularum*, *Acidum*, *Aquam*, *oleum & Pituitam*. Ut autem hoc aſſertum probem, reſolutio ſequens ſubnectenda erit. *Salia* in vulgaribus deſtillationibus evidentiſſime apparent. Salia in corpore noſtro motum fermentativum augent, ſufflaminatum ac debilem reſuſcitant, præterea maximam ſalivæ & humoris gaſtrici portionem faciunt, nec lympha quælibet his caret. *Acidum* ſangvinis quanquam longe parcius quàm ſalia in ſenſus noſtros incurrat, eximius tamen uſus in Oeconomia noſtra id demonſtrat & rationes chymicæ idem evincunt. In ſaliva enim & liquore gaſtrico notas ſuas exiſtentiæ ſatis claras præbet. Lacticinia, quæ extremis tantum ancillæ labiis deguſtarunt, promptiſſime coagulari obſervamus. Fermentum quoque ſtomachale non in avibus modo acoris tam pertinacis eſt, ut ferrum & vitra comminuat, quod docent *M. A. N. C. Decad. 1. Ao. 1. obſerv. 13.* verum in puero quoque *Kerckringius ſpicileg. obſerv. 1.* nummum obſervavit per os ingeſtum adeo fuiſſe contritum, ut vix moneta appareret amplius, cum per anum deponeret eundem, vid. etiam quæ ap. *Sylv. Schwalb. Helmont. Caſtell. Zacut. Luſitan. Quercetan. Hogeland. Walæ. Highmor. Galen. Avicenn.* extant. *Aquam* ocularis inſpectio ſola luce meridiana clariorem reddit, & nutritio corporis noſtri neceſſariam penitus comprobat. *Oleum* copioſiſſimum quidem detegunt Chymici, quod tamen levi ſtudio *Boyleus in Prodrom. Hiſtor. Sangvin. par. 11.* clarum & perſpicuum reddit, ſuccenſis carbonibus inſpergendo ſangvinem exſiccatum, qui flammam illico ſpargit: Recens quoque extracti guttula ſangvinis aquæ inſtillata per illius ſuperficiem ad inſtar olei diſpergitur & partim ſub filamentorum forma fundum petit, quia videlicet pingvia aqueis miſceri nequeunt. Pingvis hæc materia chyli maximam partem conſtituit & ſangvini ruborem conciliat, ea enim quæ gaudent particulis oleoſis, prona ſunt ut rubicundum largiantur colorem, licet alia cum acidis, cum alcalicis tractentur alia. Miſceas oleo aniſi eſſentiali vitrioli oleum, in momento habebis colorem ſangvini ſimilem, cui hoc cum ſangvine commune, ut quemadmodum ille, ita & hoc aëri expoſitum brevi tempore in ſuperficie cœnoſum & lutoſum fiat. Digeras ſaccharum Saturni cum theribinth. oleo, aut hoc cum oleo vitrioli, maxime rubebunt. Tandem potulenta tenui oleo temperata obeſos valde reddere homines videmus & a reſiduo expreſſorum lini ſeminum pingueſcere admodum anſeres, ſues, novimus. *Pituita* oculari inſpectione in lymphæ evaporatione manifeſte videtur, quæ in ſanis æquè ac in ægris gelatinam denſi glutinis inſtar præbet, quod *Bartholinus centur. 3. hiſtor. 24.* teſtatur, ratione etiam glutinis omnia principia ſanguinis involvit & in æquilibrio tenet. Hæc autem præcipua maſſæ ſangvineæ ſunt principia, quæ *ſi figura, mole, aut motu* peccant, fiunt præternaturalia, unde circulus humorum continuus augetur vel imminuitur

vel depravatur. His ita dictis, impræſentiarum mihi incumberet, ut omnia principia præternaturalia facta, eorumque ſymptomata evolverem, ſed ne tractatus integer ex diſſertatione evadat, *pituitam præternaturalem* ſolum pro Themate ſelegi, utpote quæ hiſce temporibus propter maximos diætæ errores maxime familiaris curatuque difficilis exiſtit. Diæta enim principia ſangvinis, à quibus vitæ ſalus dependet, vel in ſtatu ſuo naturali conſervat, vel ea in ſtatum naturalem redigit. *Pituita* itaque *naturalis, ſi motu, figura, mole corrupta fuerit, fit præternaturalis*, quam maximorum morborum auctorem non injuria dixero, quoniam *obſtructiones* inducit pertinaciſſimas; nam ſi quid viſcerum noſtrorum munia deſtruere, variisque modis ſenſim & ſine ſenſu eadem turbare valet, obſtructiones neceſſario ſub hunc venire cenſum nemo ibit inficias.

Definitio nominalis & realis. II. Hiſce præmiſſis *pituita p. n.* ratione molis, figuræ & motus erit *Humor viſcidus, mucilaginoſus, gravis & ad motum minus aptus.* Unde autem hæc vox natales ſuos habeat, non conſtat, nonnulli conjecturantur, ut *Nicolaus Perottus Sypuntinus Pontifex in Cornucop. Epigr. 144.* quod deduci debeat à græco πίασα ſ. attice πίττα, quod picem ſignificat. Græca vox, quâ exprimitur, φλέγμα audit, à φλέγω accendo, uro, inflammo.

Ortus & generatio pituitæ. III. De ortu & generatione pituitæ p. n. veteres plane alienum conceptum habebant; putabant enim, quod cerebrum frigido humidoque temperamento donatum cum pituita magnam habeat affinitatem, eâque nutriatur, ſuperfluum autem nutrimentum in excrementum commutetur, tum propter ipſius partis frigiditatem, tum etiam propter humorem ipſum, qui cũ crudior ſit ſangvinis portio, difficilius concoquatur, quod per nares & os deinde expurgaretur, & quia cerebrum habeat ſitum ſublimem, cujus ratione multi vapores à ventriculo, epate, liene, aliisque viſceribus ſurſum ad caput ferrentur, vapores quoque à frigiditate cerebri condenſarentur; quod tandem comparabant ſpongiæ aquâ turgidæ, quæ ſi comprimatur, humorem emittat, ſic ſi frigus cerebrum comprimeret, Catarrhi in partes ſubjectas defluerent. Hinc *Hippocrates, Galen.* cerebrum metropolin pituitæ, omniumque fluxionum auctorem appellarunt, & ſequens verſus lucem vidit:

Si fluat ad pectus, dicatur Rheuma Catarrhus,
Si ad fauces, Bronchus, ſi ad nares, eſto Coryza.

differen[tia] Inſuper, ſed optime, differentiam ejus ex ſapore & conſiſtentia petebant: ratione ſaporis erat quadruplex, ſc. inſipida, dulcis, acida, ſalſa, & ratione conſiſtentiæ quoque quadruplex, tenuis, craſſa, vitrea à *Praxagora ita appellata*, quæ colore & ſubſtantia fuſo vitro ſit ſimilis. *vid. Linden. ſelect. medic. ſect. 6. c. 9.* ultima gypſea ad lapidis ſ. gypſi fere craſſitiem indurata.

Ex pitu[ita] naſcitu[r] orex[ia]. IV. Hæc eſt pituita p. n. quæ figura ſuâ ſalia humoris gaſtrici involvendo, vel omnino ipſorum è glandulis ſequeſtrationem inhibendo *Anorexiam* parit. Cujus exemplum habet *River. Prax. lib. 9. c. 1. ex Hippocrat. 7. Epid. in Cleomenis* filio cibi faſtidio citra febrim totos duos menſes laborante, ex pituita viſcida. Hæc eſt quæ mole fibris ventriculi ita moleſta exiſtit, ut motus periſtalticus verſus ſuperiora vertatur, quo ſubverſo, horrendi *vomitus* oriuntur. Ita *Panarolus pentec. obſ. 22.* in eo, qui per viginti annos quotidie vomuit, materiam obſervavit fuiſſe lentam, nullius ſaporis, ponderoſam, ut intuenti albumen ovorum præ ſe ferret, in terram vero prolapſa, proceſſu temporis in tartarum converſa lateres corrodit. *Confer. Joh. Conſtant. de Rebecque pharmacop. Helvet. annex. obſerv. medic. 56. p. m. 87. Riverii obſ. 48. cent. 2.* Et *Lienteria*, in qua alimenta cuncta plane non vel parum immutata per guttur inferius egeruntur, huic originem debet, *Lient[eria]* hæc enim lubricando ventriculum infirmius reddit, quominus debite ſe conſtringat, contentaque ad perfectam uſque concoctionem retineat, vel obducendo parietes fiſtulæ inteſtinalis, obſtruendo glandulas meſaraicas, quæ cauſas in tribus ſubjectis *fluxu chyloſo* extinctis ex diſſectione cadaverum annotavit *Fluxus [chy]loſus* *Diemer-*

Diemerbroeck Anatom. p. 67. impedit chyli affluxum ad M. S. ſic chylus purus vel cum excrementis mixtus per anum excernitur. Quandoquidem propter copiam contingit *diarrhœa pituitoſa*, qualem nobis præbet *Riverii Centur. 2. Obſ. 89.* ubi octuagenarius laboravit alvi fluxu, quo multa cruda excrevit: Sæpius etiam receptaculis inteſtinorum, inprimis coli tam firmiter adhæret, ut cauſet *colicam.* Sic *teſte Salmuth. Cent. 5. Obſ. 78.* vidit Peucerus in Italo quodam colicâ conſumpto diſſectoque totum colon pituita obductum, relictô ſaltem foramine, pro fæcum tranſitu, digiti craſſitie. Et *Fernelius l. 6. de part. morb.* etiam coli ex toto pituitâ infarcti meminit, vid. etiam *Stalpart. van der Wiel obſ. 42. p. 266. & ſeq. Bonnet. ſepulc. l. 3. Sect. 14. o. 28. §. 2. Riverii Obſ. 67. Cent. 1.* Hæc eſt, quæ ſi acrimoniâ acido-auſterâ inquinata, ac in colo ſub hypochondrio ſiniſtro, ſive coſtis ſpuriis collecta fuerit, fixum, continuò lancinantem, & quaſi aculeis pars perforaretur atrociter pungentem, aptô vocabulô terebrantem dolorem ſive *malum hypochondriacum* infert, quod vulgò, paſſio ſplenetica vocatur, quod obſervationes practic. oculariter teſtantur, quas illuſtrat *Obſ. 1. Panaroll. pent. 2.* nimirum mucilaginoſæ ſordes à juſculo cum *Sp. vitriol.* attenuatæ ſolutæque fuerunt, unde tranſitu per anum repertô ſpleneticus putatus liberatus fuit. Hoc etiam confirmat *experientia Sylvii*, qui *diſput. de Liene* teſtatur, ſe in cadaveribus longè ultra centum diſſectis, & ex his plurimis per omnem vitam malo hypochondriaco, ſcorbutô, morbis chronicis laborantibus, imò ob morbos exſtinctis, ſemper ſatis ſanum ac floridum obſervaſſe viſcus lienis, nunquam vero induratum, inflatum aut obſtructum. idem docent *Salmuth. Cent. 3. obſ. 24. Hildan. Cent. 1. Obſ. 58. Sylv. prax. c. 14. p. 168. Gabelchover Caſ. 36. Cent. 1.* *Tumores* autem, *Scirrhos, aliaſque obſtructiones lienis*, quæ non raro in morbis Chronicis deprehenduntur, & quidem ſpecialiter in febri quartanâ, non tam radices eſſe horum morborum aut fomites, quam producta morboſa iſtis chronicis ſupervenientia, ac ex vitio primæ digeſtionis orta. Hoc enim M. Sæ. pituitoſos humores interdum ſimul acido-auſteros ſuppeditat, qui contrahendo, corrugando vaſcula glandularum ſtagnāt & obſtructiones faciunt, & quia à tergo ſemper ejusdem commatis humores ſubſequuntur, obſtructio augetur & totum viſcus in molem attollitur, vid. *Malpighius de ſtructura & uſu viſcerum, ubi de Liene. Bartholinus C. 1. Epiſt. 62 p. 254. & cap. 4. Epiſt. 13.* Non raro eſt cauſa *palpitationū cordis*, dum in ventriculis rarior redditus ſangvis tam promptè per Aortam præ viſciditate ſua nequit erumpere, ſic omnis in cordis ſubſtantiam impetus fertur. Adde quod etiam cellulæ pulmonum membranaceæ ac aſperæ arteriæ ramificationes à pituita in tantum repleantur, ut vix aërem inſpirandum admittant, unde in pectore ſonus ſimillimus aquæ ferventi obſervatur, quod *Aſthma* vocatur, *vid. Joh. Conſtant. de Rebecque pharmac. Helvet. annex. obſ. 50. p. m. 71.* Hæc eſt, quæ in corpore ob motum tardum & quaſi ſemicoagulatum in vaſis ſtagnationi fit apta, unde graviſſimorum ſymptomatum *Cachexiæ, Leucophlegmatiæ, Leucorrheæ, menſtruæ purgationis, emanſionis, ceſſationis*, eſt ſyndrome. Meatꝰ autem renales colatorios, collum veſicæ, ureteres obſtruendo *Iſchuriam* creat. Hanc Urinæ ſuppreſſionis cauſam annotarunt *Foreſt. lib. 24. Obſ. 15. & lib. 25. obſ. 12. Bauhin. Theatr. anatomic. lib. 1. c. 22. Hildan. Cent. 5. obſ. 12. Saltzmann. obſerv. p. 64. Blaſ. obſerv. Medic. par. 4. obſ. 1. Bartholin. Act. Hafnienſ. volum. 4. obſ. 34.* Si pelvis ſive cavitas renum à luſu naturæ, ut ita loquar, ejusmodi proceſſum habeat, ita, ut pituita ſalibus infarcta ſe poſſit inſinuare, in eaque morari, *Calculus* generatur; Confirmatur id experientia materiæ, in calculoſis excretæ per veſicam, quæ tenax eſt & glutinoſa, hanc ſi in linteo ſuſpenderis, in calculum ob copiam humoris viſcidi ſaliſque concreſcet. Porro humorum & ſalſorum & acidorum curſum inhibendo, *dolores, ſternutationes, coryzas, convulſiones, melancholias, catarrhos, tuſſes* in ſcenam producit, qui ſi libere moventur noxam corpori

[Margin notes:] …rrhœa pituitoſa — …lica — …n hypochondriacum — …res, …i, aliæ obſtructiones lienis. — Palpitatio cordis — Aſthma — Cachexia, Leucophlegmatia, &c. — Menſium ſuppreſſio — Iſchuria — Calculus — Dolor, ſternutatio, catarrhi, Melancholia &c.

pori non inferunt. Exempla horum deſcribunt *obſ. River. Cent. 3. obſ. 31. Jac. Sponius aph. nov. ex Hippocr. 9. Sect. 2. Galenus ſymptom. Cauſ. 5. m. m. 1.* Arthritis egregiè ſuis à dolore ceſſantibus intervallis hoc demonſtrat, quæ intermittit tantum, non quod è corpore penitus materia peccans ſit expulſa, ſed quod obſtructiones ſublatæ fuerint. Inſenſiſſima hæc eſt rei venereæ, imo *ſterilitatem* aliquando producit; obſtructa enim viſcera ſpiritum ſeminis non admittunt, nec vaſa tam in viris quam in fœminis generationi dicata humores à ſangvine convenientes accipiunt, præſertim cum ſpirituum debilis valdè ex eorum nimiâ paucitate & craſſitie ſtimulus *impotentiam* in viris introducat. Aliquando innatat aqueo humori oculorum, quæ ſi non diſſipatur, ſucceſſu temporis in tunicam duram undiquaque uveæ cohærentem condenſatur, unde *ſuffuſio.* Denique ad organa auditus *tinnitum*, & in nervos auditorios depoſita, *ſurditatem* facit, qualem vidit *Bartholinus c. 4. epiſt. 40.* in ſexagenario. *Phlegmatorhagia* fit, quando nares per aliquot dies ſolâ pituita ſtillant, quam *Bonnet. in Anatom. Pract. lib. 1. S. 70. Obſ. 10. p. 323. & 324.* obſervavit. Hæc eſt quæ longum *morborum omnium ſoporoſorum*, quatenus nervos obſtruit vel comprimit, catalogum abſolvit. Hinc fertur in omnibus apoplexia extinctis deprehendi, ipſorum tum Cerebrum tum corda, tum utraque ſimul copioſam in ſinubus ſuis foviſſe materiam viſcidam *M. A. N. C. Dec. 1. Ao. 1. Obſ. 47.* Magnam quoq; aquæ perſpicuæ quidem, ſed glutinoſæ *Columbus,* & pituitam quoque in eo collectam *Wepferus in tractat. de apoplex.* reperit. His omnibus accedit, quod pituitæ *ſpirituum defectus*, qui, quo inſignior, eo pejor, perpetuus ferme ſit comes; Cum enim ſpiritus per ſubtiliſſimos caroticarum in plexibus cerebri glanduloſis ramos tranſcolentur, ſubſidentibus cerebri & reliquis vaſis, propter fermentationem debilem, Spiritus in ventriculis parciores colliguntur. Qui ſicuti nervorum muſculorumque tubulis implendis non ſufficiunt *affectus ſoporoſos, paralyſes, tremores, laſſitudines, appetit. proſtrat. viſus imbecillitatem* conciliant. Siquidem quoque non ſufficientes in cavitatibus cerebri reperiuntur, ſed omnibus ſoluti legibus hinc & inde volitant, *convulſiones & vertigines ſolent excitare.* Qui fermentationes debiles habent, triſtibus ſolent indulgere affectibus, ſpirituum enim notabilis jactura *triſtitiæ* cauſa eſt. Ab his etiam *rigor* oritur, dum ſolito debilius fibræ corporis noſtri tremunt, æque ac ab aëre frigidiore contingere alioquin conſuevit.

Sterilitas · *Impotentia* · *Suffuſio Tinnitus, ſurditas, Phlegmatorhagia* · *Morbi ſoporoſi* · *Paralyſis, tremor, laſſitudo, anxia, viſus imbecilli[tas]* · *Convu[lſio], vertigo* · *[Tri]ſtitia, ri[gor]*

V. *Cauſa* autem interna pituitæ p. n. eſt *chylificatio læſa.* Fermentum enim ventriculi ſuis acido-ſalinis particulis volatilibus exutum & nimis viſcidum redditum cibum licet dentibus bene contritum, maſticatum, ſaliva permixtum & in ventriculum miſſum, nec dirigit nec ſolvit. Nam qualis eſt ſangvis, talis etiam eſt liquor gaſtricus, proinde etiam ope motus periſtaltici chylus viſcidus in inteſtina ablegatur, in quibus nec à bile nec ſucco pancreatico debitam accipit mutationem, ſed quando chylus ipſis offertur, non ſolum illum à viſciditate ſequeſtrare nô poteſt, ſed etiam ambos particulis ſuis viſcidis obtundit, ut ſuccedente novo chylo jam ſic obtuſi humores viſcidiorem liquorem non poſſint incidere atque diluere, qui ad vaſa lactea miſſus & per ductum thoracicum ad venam ſubclaviam ibique cum ſangvine confuſus, nec non per Arteriam e corde in corporis partes diffuſus, *inq. glandulis ſeparatus noxam ſuam tandem exerit.*

Cauſa p[ituitæ] int[erna]

§. VI. Ad *cauſas externas*, à quibus omnes lacrymæ, tranſeo, quæ *ſex res non naturales* conſtituunt. Inter illas primum locum habet *Aër.* Hujus ad vitã neceſſitatem depingunt *Mayov. in Tract. de Spiritu-nitri-aereô & Hip. lib. de flatibus.* Cum enim continuo inſpiremus, aër ſecundum qualitates & particulas admixtas corpus noſtrum variô modô alterat. Frigidus per inſpirationem in conſortium ſangvinis admiſſus corpori undiquaque circumfuſus poris illapſus circulum ſangvinis retardat & liquores viſcidiores reddit, præprimis ſi longior mora accedat aut homo inſvetus illius fuerit. Aëris exceſſiva qualitas in diebus ſiriis

Cauſa ex[ter]n[a] · *Aer*

riis alioque tempore humoribus no-ſtris maxime contrariatur; ſpiritus e-nim è corpore relegat, ſerum fluxile conſumit, ut reliquum ſpiſſeſcat, quod etiam æſtate appetitus proſtratus, debi-litas virium, ſcotomia, tremor partium teſtantur. *Cibus* quantitate vel qualita-te aſſumtus pituitam maxima in copia cumulat; à copioſe aſſumptis enim ventriculus diſtenditur & fermentatio non rite ſuccedit; quodque etiam menſtruum requirit proportionem debitam, nimiũ enim ſolvere nequit: ita & fermentum ventriculi copioſius aſſumpta nec ſufficienter ſolvere, neç debito modo volatiliſare poteſt. Et qualia ſunt aſſumpta, talis etiam eſt chylus, pituitoſa pituitoſum faciunt chylum, in quorum numero ſunt la-cticinia, de quibus *Timæus* von Güldenklee *in caſ. lib. 3. caſ. 2.* ſcribit, quod fri-gidam intemperiem induxerint; & ob hanc rationem lac capite dolentibus præbere jam dudum vetuit *Hippoc. 5. aph. 64.* Item pultacea, leguminoſa, piſa, lentes, fabæ, caſtaneæ, ſpiræ, ole-ra, de his *Heurnius in comment. ad Hip-pocr. ſect. 1. aph. 1. p. 9.* dicit quod quo-ties raphanum comederit in atrociſſi-mam tractus ſit colicam. Item dulcia ſacharata *vid. Wedel. theorem. p. 4. ſ. 2.* Item pedes, capita animalium junio-rum eorumque inteſtina, partes mem-branoſæ, tendinoſæ, carnes bubulæ annoſæ muriâ conditæ, porcinæ, ovil-læ, ſic quidam quoties carne ovilla veſceretur, toties atrociſſimam pas-ſus eſt colicam, cum pectoris anguſtiâ & vomitu. *Gruling. cent. 2. obſ. 77. in cent. 3. obſ. 7. & 9.* Item caſeus, de ca-ſeo avidius comeſto doloribus colicis quendam corruptũ fuiſſe, *Platerus de ventris doloribus differit.* It. panis cali-dus, recens, albus, inveteratus, furfu-raceus, piſces paludoſi, ut tineæ, ſan-gvillæ, de quibus in Carthuſianis pi-ſcium uſui frequentiſſime indulgenti-bus Iſchuriam obſervavit *Foreſt. lib. 24. 66. ſect. 15.* Item ova ſorbilia, inprimis eorumque album, pingvia, unde refert *Sennert. lib. 3. prax. part. 1. ſect. 2. cap. 2.* de quodam ex Avicen-na, cui per decem dies appetitus fuit proſtratus ex aſſumptâ librâ unâ olei violacei, in quo cera & adeps fuere ſoluta; propter viſcoſitatem enim mi-nus ſunt ſolubilia & fermenti particu-las ſalinas infringunt. *leg. etiam Rive-rii obſervat. 23. cent. 1. pag. mihi 499.* Tempus & ordo aſſumendi præpoſte-rus, ut ſi quis horam conſvetam ciban-di omittat, nocte media & immediate ante ſomnum cibis ſtomachum reple-at concoctionem maxime quoque perdit. His ſuccedit, *potus* aquæ crudæ ſtagnantis, puræ, qui quo frigidior, eo pejor. Item cereviſia no-vella, non lupulata, inprimis ſi quan-titate inter poculorum certamina in-geratur, quæ fermentum diluit & ven-triculi fibras flaccidas reddit, hinc ni-mis diutius in hoc detenta in liqua-men viſcidum transmutatur. Huc ſpe-ctat ſpiritus vini nimius potus, qui M. S. ad ſtatum vappeſcentiæ deducit ſul-phureas portiones agitando & quaſi incendendo, quæ accenſæ deflagrant, & vappam non ſecus ac ſpiritus arden-tes incenſi poſt ſe relinquunt. *Han-neman. de uſu & abuſu ebrietatis.* Ex-emplum tale ſenis à nimio vini aduſti potu defuncti *ſchrœder. dec. 1. obſerv. 6. habet. conf. etiam Johan. ſchenck. obſ. rar. lib. 1. de tremore. Wedel. pathol. me-dic. dogm. pag. 573.* Huic alia ſpirituo-ſa ſulphurea, imo & ſalia volatilia cun-cta continuo uſurpata, juxta *Wedel. theorem. med. pag. 2. & experiment. Chym. nov. de ſal. vol. plantarum cap.* 10. adjungenda. *Motus* immodera-tus & ſtatim poſt cibum ſumptum in-ſtitutus multum quoque contribuit, ut vehemens equitatio, pilæ luſus, pugil-latus, ſaltus, curſus, quorum ope ſpi-ritus ab opere ſuo avocantur, qui aliàs poſt paſtum copioſius ad ſtomachum defluunt; Sangvis etiam celerior & rarior evadit, hincque copioſius per arterias, & glandulas ſubcutaneas ſe-rum affluit, & ſudor deponitur, qui magnam copiam ſimul ſpirituum de-ducit, quod ex langvore poſt motum corporis vehementiorem colligere eſt. Spiritibus itaque ſangvis orba-tus pituitæ imperium relinquit. In hunc cenſum etiam veniunt labores aſſidui, de quibus *Havenreutero Com-pend. phyſic.* ſenectutem etiam placet deducere. Quod *quiete* & otio viſci-di humores in corpore augeantur & ſpi-

potus

motus

ſpiritus torpidiores reddantur, probat obſervatio, quam *ſennert. lib. 3. prax. de Lipſio refert*, hunc ſc. aliquando materiam adeo lentam & tenacem paulatim in tota fiſtula inteſtinali, à vita ſedentaria ac in ſtudiis contabeſcente, coacervatam, ejusque figuram retinentem, per alvum rejeciſſe, ut ſe omnia inteſtina effudiſſe putaverit. Simile ferme quid habent. *Joh. Baptiſt. Montan.* Conſ. 70. *River. obſerv.* 39. *cent.* 1. *ſomnus* longus eâdem ratione nocet; De ſomno autem meridiano *Laurentius* Schultz à Roſenau. *Med. Wratisl. in epiſt. philoſoph. medic. chym. collect. n.* 21. hoc habet: Quæ poteſt eſſe ratio, ut ſomnus meridianus noceat, quem veſtri plerumque medici prohibent, & non noceat is, qui cœnam ſequitur? idem ventriculus, idem homo, cauſa ſomni eadem, idem cerebrum: Sed quod in aſſvetis & quidem in ſubjectis bilioſis ſomnus meridianus uſum & locum, in phlegmaticis autem noxam habeat, exiſtimo. *Vigiliæ* nimiæ & intempeſtivæ lucubrationesque in multas noctes durantes ſpiritus conſumunt, digeſtionem humorum retardant & cruditatem pariunt, univerſum denique corpus alterant, inquiente *Barclajo*. *Evacuationes* inſigniores idem faciunt; Quando enim humorum laudabilium fit frequentiſſima abſumptio & particulæ chyloſæ, quæ in ſupplementum hujus abire debebant, ſimul auferũtur, ſangvinis conſtitutio quaſi vappida evadit. vid. *Foreſt. l 9. o. 26. Tulp. l. 1. caſ.* 23. Sin vero *evacuationes* hæmorrhoidũ, menſium haud excernantur, ſed penitꝰ retineantur atq; in ſangvinem redundent, facile ſpirituũ vigorem valent ſufflaminare. Venus, ut moderata totius corporis habitum floridum conſervat, ſic excedens ſpiritus conſumendo humores conglutinat, potiſſimum à cibo ſumpto, pleniore ventriculo. *Animi pathemata* varias alterationes in corpore noſtro commovent, ita triſtitia & metus humores coagulando & inſpiſſando fomitem pituitæ præparant.

Vigiliæ · *Evacuationes* · *Animi pathemata* · *Cauſæ naturales*

VII. Inter *cauſas naturales* hæreditaria diſpoſitio hic maxime locum invenit, nec ratio nec experientia nos dubitare permittunt, unde recte *Mantuanus*:

Qui viret in foliis, venit a radicibus humor
Et patrum in natos abeunt cum ſemine morbi

Sexus nulla ratione excluditur, fœminas interdum propter vitam domeſticam & quieti deditam tanto vehementius exercet. *Ætatem* quod attinet, nulla ab hac libera eſt, laborant eâdem infantes, pueri & ſenes.

Signa imminentis · *præſentis*

VIII. S*igna imminentis* pituitæ cognitu ſunt difficilia, *præſentis* non adeò. Nempe ſi venter comprimatur, flatus percipiuntur. Excrementa pituitoſa per os, nares & anum cum ſcybalis copioſe rejiciuntur. Serpente autem magis magisque cum chylo in ſangvinem, cutis erit ad tactum frigida, mollis & alba, pulſus debilis cum vaſorum anguſtia, urina tenuis & craſſa, mens torpida, ingenium pigrum, maxima ad ſomnum proclivitas, ſenſuum inertia, & tandem frigidi affectus præſentia, ut paralyſis, apoplexia.

Prog.

IX. Qvod *prognoſin* ſpectat, curatu eſt difficilis, ſangvis enim pituitâ abundans in omnes tubulos ſe abſcondit, & quia hi parvi, obſtructio oritur pertinaciſſima, & quæ â longo tempore contracta maxime contumax ſubſiſtit, quoniam pituita ita areſcit & ſicca evadit inſtar ligni. Tempus hybernum curationi inidoneum eſt, æſtate vero melius ſuccedit.

Cur.

X. Ut autem *curatio* rite abſolvatur, indicatio erit, ut pituita prius incidatur, reſolvatur ſive præparetur, ac deinde per loca conſueta purgetur, quod *etiam voluit Hippocr. 22. aph.* 1. dum ait: *concocta purgare & movere oportet, non cruda.* Præparantia vero ex triplici regno ſumuntur. Ex regno vegetabili ſunt radices *acori, angelic. apii, ari, aſparagi, ariſtoloch. bardan. coſti, cyperi, cucumer. carlin. chinæ, cichor. eryng. fœnicul. fraxinel. galang. gentian. helen. imperator. irid. florent. leviſtic. liquerit. oſmund. petaſitid. petroſel. pyrethri, peucedan. ruſci, rubiæ, ſpic. nard. & celt. ſaxifrag. ſarſaparil. ſcorzoner. ſerpentar. ſcyllæ, valerian. vincetox. Zedoar. zingib. cortic. arantior. chinæ veræ & falſæ, caſſiæ ligneæ, caſſiæ caryophyll. capparid. citr. fraxini,* *Guajac.*

per inc[i]tia

guajac. damariſc. lign. aloes, aſphalt. colubr. guajac. rhodii, ſaſſafr. ſanct. ſantal. Fructus *&* ſemen *antophyll. aniſi, anethi, caryophyll. carvi, cumin. coriandr. cubeb. dauci vulg. Iuniperi, lauri, leviſtici, macis, napi, naſturt. nuc. moſch. nigellæ, oleris atri, piper, ſileris, ſeſeleos, Sophiæ chirurg. ſinap. herb. artemiſ. abrotani, abſinth. agrim. betonic. centaur. min. cochlear. dictam. cretic. Eupator. epithym. hyſſopi major. meliſſ. menth. menthaſtr. matric. marrub. nepet. naſturt. origan. puleg. pimpinell. roſmarin. rutæ, ſerpill. ſalv. ſabin. thym. Theæ. flor. beton. chamomill. croci, cheiri, calendul. lavend. lilior. convall. roſmar. ſalviæ, ſpicæ ſtœchad. tiliæ.* Ex animal. *C.C. cran. hum. canthar caſtor. mumia, moſch. ſperm. cet. ſang. hirci, Zibeth.* Ex minerali *antimon. borax, calx viv. cinnab. ferrum, Mercur. viv. ſal armoniac. nitr. ſulph. vitr.* Ex his equidem varia in pharmacopœis proſtant medicamenta non ſpernenda magiſtralia, attamen decocta, ſine quibus non curari poteſt, ex Radic. Cortic. Lign. Fruct. & Herb. parata hæc omnia ſuperant, quorum etiam beneficiô duos dealbamus parietes, pituita enim reſolvitur & per ſudorem, ſi vires concedant, diſſipatur. In quem finem etiam ad Anaſarcam laudatur decoct. radic. vincetox. quod confirmat *Georgius Tobias Durrius M. C. Decad. II. anno 7. obſ. 38. conf. Scholia Schrœkii* annexa. Ut autem decoct. digeſtiva ex aromatibus, ſalibus muriat. volatil. eo melius agant, in uſum vocentur hiſce præmiſſis *vomitoria*, ut Tart. Emet. Croc. metall. Vitr. antim. & *purgantia*, ut Reſ. Galapp. Scam. Fol. Senn. &c. locum habebunt.

...atio-n.

...tio-n.

XI. Et *Salivatio* Mercurio vivo inſtituta maximam laudem meretur, hujus enim ſalia ſubtiliſſimos mæandros transmeando pituitam aliis medicamentis non cedentem incidunt, reſolvunt, obſtructiones pertinaciſſimas deobſtruunt & reſolutam per glandulas removent confirmante *Zypæô fundam. Phyſic. Anat. 356.* ubi inquit: Salivatio in morbis rebellibus, & ubi cauſa eſt lenta in ipſis partium internodiis, convenit & *Fr. de le Boe Sylvius* *aſſerit Method. Medic. lib. 2. cap. 13. §. de Hydrope. §. 121. 322. 323.* Et poſſet, imo deberet in aliorum quoque affectuum curatione ſalivatio ſimiliter excitari in ſcabie medicamentis non cedente, aliisque affectibus ab humore glutinoſo & acri ſangvini permixto & partibus pleriſque intimè admiſto pendentibus. Obſervationes ſpeciales deſcribunt *Fonſeca Tom. I. Conſ. 56. Rhod. in Animadverſ. ad Septal. M. C. dec. 2. anno 3. obſ. 173. Williſ. de anima brutorum p. 2. c. 15. Rolfinc. in Method. gen. p. 110. Wedel. de facult. Med. Lib. 2. Sect. 2. cap. 12. Sylv. prax. Med. append. tractat. 8. §. 112.*

XII. Inſuper thermæ nitroſæ, bituminoſæ ſulphureæ, calcariæ, ferratæ, vitriolatæ, maxime proſunt, quales erunt Carolinæ, Bohemicæ, Aquiſgran. Aponitanæ in Italia ad Patavium celebres, nec non thermæ artificiales ex ſulphure calc. alum. paratæ. Thermarum luta alii commendant, ſic etiam *Galenus lib. IX. de Simpl. Medic. facult. cap. de therm. differentiis vidit* Alexandriæ quosdam hydropicos Ægyptiæ terræ luto uſos plurimum adjutos fuiſſe. *thermas*

§. XIII. Denique ne error *diætæ* committatur ſedulo proſpiciendum, hôc enim commiſſô omnis labor & medicamentorum præſcriptio elogiô *Celſi* fruſtra erunt; *aër* itaque eligatur purus, calidus, qui tamen in caliditate non multum excedat, impurus & craſſus ſuffitu ex lign. aloës, ſtyrac. calamith. gum. anim. aromatibusque temperetur; hac ratione etiam Ægypti obſtructiones auferebant. *vid. Rat. Philoſoph. Med. Theorem. Pract. Broeckhuſii p. m. 133. 134. Alimentorum* maxima ratio habenda, ut *Hippocrat. lib. de nat. hum.* docet. Carnes concoctu difficiles, niſi ſint aromatiſatæ, vitentur, cibus ſit paucus, alioquin corpora impura, quo plus nutriveris, eo magis læſeris, juxta *Hippocr. lib. 2. aph. 10.* Et porrò rectiſſimè *Hippocr. 6. Epid. §. 4. aph. 20.* ſtatuit, ſanitatis ſtudium eſt non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores. Lactucæ & portulacæ rariſſimus ſit uſus. *Cura diætetica.*

Potus ſit purus, bene fermentatus & lupulatus. *Motus* moderatus non intermittatur, qui ſanitati maxime utilis. *Pechl. pag. 35. Rolfinck. Anat. pag. 680. Pecquet. Diſſert. de circul. Sang. & Chyli motu. pag. 144. Quercetan. in diæt. Polyhiſt.* Qui vult, evolvat, quoad diætam hic obſervandam, *Schvvalb. de querel. & opprobr. ventric. Plemp. de Valetud. tuend. cap. 5.*

F I N I S.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM

Vigeſima quinta:

De

HYDROPE.

PROOEMIUM.

EOdem forſan jure, quo per axioma vulgare iisdem, quibus conſtamus, nutriri dicimur, aſſerere licebit, nutritionis & vitalitatis materiam nobis exitio exiſtere, i. e. fluida noſtræ compagis non raro in morbos nos conjicere ac per hos quaſi ad mortem præparare ſ. diſponere. Inter hæc non infrequens eſt Lympha vitalis, quæ variis & lethalibus aliquando affectibus occaſioni evadit: non tantum ſi abundet aut Craſin ac texturam vitioſam induat, ſed ſi motu pariter ac ſitu peccet, ut in Hydrope obſervamus, cujus affectus formalitatem, cauſas, ſigna & therapeiam loco Speciminis publici, pro viribus, ſub divino auſpicio, explicare per capita inſequentia conabor, conatui autem huic favorem Benevoli Lectoris polliceor.

CAPUT I.

Pathologicum.

§. I.

IN Hydropis delineationis limine duo mox dubia offendo, definitionem, aut potius genus hujus concernentia: Dum alii Scriptores per tumorem, alii per cachexiam, illum deſcribunt, & ſpeciebus illorum accenſent. Vix enim, ut plerumque fieri ſolet, tumor ejus genus conſtitui, ſeu morbus hic inter morbos auctæ magnitudinis referri poteſt, (1) quod hydrocephalus internus ac hydrops thoracis nihil tumoris præ ſe ferant, (2) aſcitica non raro obſerventur per ſectionem cadavera in quorum abdomine, dum in vivis erant, propter craſſitiem & obeſitatem naturalem, nihil tale augurari contingebat; i. e. aquoſitatum in ventre colluvies talis deprehenditur, quæ ſi increviſſet aut increſcat, partes diſtenſiles ſeu molliores demum in tumorem conſpicuum attollit. Multo minus Cachexiæ terminus ipſi quadrat: vel quatenus Cachexia potius ac frequentius illius effectus eſt; vel ut bini effectus ab una eademque cauſa, cacochymia ſcilicet ac viſcerum dyſcraſia, proveniunt; vel quatenus etiam à cauſis evidentibus ſolis, nimirum vaſa Lymphatica & organa urinaria lacerantibus

Genus H[y]drop[is]

bus ac vulnerantibus, hydrops non raro generatur.

ale. §. II. Adeo ut rationi conformius videatur, affectum hunc morbis in ſitu vulgo dictis adſcribere, utpote cujus formalitas conſiſtit in extravaſatione ſeri ſeu mutatione hujus loci naturalis, qua ex vaſis ſuis ad loculos & loca præternaturalia hoc profunditur; ſicque non minus Sangvini, cui p. n. detrahitur, ac parti, quam p. n. occupat, vim infert, ſeu utriusque ſtatum naturalem evertit. Ita ut mihi termino hydropis veniat *extravaſatio & Collectio ſeri in locis p. n. à motu hujus vitioſo eveniens.*

ntia. §. III. Sicut autem hæc aquarum depoſitio ad diverſas corporis partes contingit, & quidem modo ad cavitates ampliores & evidentes, naturales magis, ſcilicet ad cavum abdominis, ſcroti, thoracis &c. modo ad poros atque interſtitia partium exiliora, v. g. ad habitum corporis, veſiculas pulmonum, imo in his hinc inde veſiculas & ſpatiola nova ſibi parat: ita à membris, quæ immediatè magis occupat, ſeu alluit, varias appellationes ſortitur, Hydrocephali nempe, Hydropis thoracis, Pulmonum, Uteri, Hydrocardiæ, cujus exemplum *Hildan. cent. 1. obſ. 3. producit*, Hydrocelis, Anaſarcæ ſeu Hypoſarcæ, Oedematis, qualium ſpecierum obſervationes Autores hinc inde, præter quotidianam praxin, ſuppeditant.

§. IV. Quibus addere liceret hydropem peritonæi, in cujus penes fœminam duplicatura ſeri 125. libras dilutiſſe *Tulpius l. 4. obſerv. 43.* & *Johann à Meeckren obſ. chir. cap. 49.* annotarunt, ac hydropem omenti, qualem *Hildanus centur. 3. obſerv. 62.* teſtatur; Quemadmodum tumorem Lienis aquoſum idem *Meeckren append. obſ. chir. cap. 6.* in Meſenterio *Tulpius l. 2. obſ. 34.* & *Horſtius l. 5. obſ. 33.* ac hydropem Stomachi *Riverius obſ. comm. p. 285.* & *Blancardus obſ. anat. 84.* deſcribunt. Frequentius in fœminis teſticulorum & tubarum Fallopianarum involucra angvem in ſinu alunt, ut videre eſt penes *Schenckium obſ. p. 432. Bauhinum* in append. ad *Rouſſet. obſ. 7. Tulp. 4. obſ. 45.* & *Sydenham de hydrope p. 138.* quemadmodum in ipſo uteri fundo utriculi ſero lixivioſo turgentis ex communicatione *Æicholzii* meminit *Schenckius obſ. p. 622.* Ne tangam hydropem illum veſicalem, ex hydatidum ſeu veſicularum aqua ſcatentium congerie ortum, qualem in abdomine communiter Aſcitem ſpurium vocant, teſtanturque frequentiorem in porcorum abdomine Laniones, in hominum cadaveribus obſervarunt *Eugalenus de ſcorbuto obſ. 37. Cordæus comm. 5. l. 1. de Morb. Mul.* & *Schenck. l. a.* ac quales cyſtides ſeroſas numero ducentas cum levamine ex abſceſſu aſcitici eductas narrat *River. obſ. hinc inde decerptar. 15.* per alvum vero excretas (majores tamen) idem *River. cent. 4. obſ. 48.*

§. V. Functiones autem diverſas morbus hic lædit, & Symptomata moleſtiſſima parit; eaque vel pluribus hydropis ſpeciebus communia, vel huic aut illi magis ſingularia. Communia ſunt laſſitudo corporis, appetitus proſtratus, dyſpnœa, ſitis intenſa, urina pauca, febris lenta, viſcerum corruptio & non minus illarum ac partium externarum mortificatio: quibus accedunt tuſſis ſicca, vigiliæ, alvi induratio, tabes, in aſcite & hydrope pectoris inprimis conſpicua, tandemque ſuffocatio lethalis. Peculiaria v. magis ſibi ſervat hydrocephalus, ſenſuum ac motus voluntarii torporem, Scotomiam & vertiginem, convulſiones, epilepſiam, affectus ſoporoſos, dolorem capitis gravativum, palpebrarum ac ſuperciliorum inflationem: it. capitis magnitudinem auctam; atque hanc quidem non tantum in hydrocephalo externo, ſed interno quoque, non minus in infantum & puerorum puellarumque, ſed etiam adultiorum, ſc. quorum oſſa calvariæ nondum exactius conferruminata, ſed per ſuturas hiant, imo flexibilia & mollia ſ. extenſibilia adhuc ſunt, ita ut in ejusmodi ſubjectis aliquando membranea plane viſa fuerint, prout ex *Hildan. centur. 1. obſerv. 10. centur. 2. obſervat. 19. ac centur. 4. obſerv. 10.* videre eſt. In pectoris hydrope difficultas ſpirandi *Symptomata.*

di noctu magis ingraveſcit, annotante *C. Piſone de morb. intern. ab illuvie seroſa ſ.3.c.7.* & *Riverio pr. l. 7. cap. 5.* qualis dyſpnœa in aſciticis poſt paſtum quemlibet, aut potus tantum, interdum parcam ſatis aſſumptionem, intenditur, ac demum in Orthopnœam abit.

Cauſa §. VI. Cauſam hujus diluvii microcoſmici Schola Medicorum Galenica læſam ſangvificationem pronunciat, i. e. per quam viſcera, huic functioni deſtinata, nunc præter naturam ſe habentia, Epar inprimis, loco ſangvinis laudabilis, nutritii ac ſpirituoſi, seroſum, vappidum & pravum procreent; qualis cum partibus nutriendis apponi atque aſſimilari nequeat, ê vaſis vel per diapedeſin vel anaſtomoſin, vel diæreſin apertis, ad hæc atque illa loca p. n. deponatur. Quamvis hoc in paſſu ab Anteceſſoribus paulo recedat *C. Piſo l. a. ſ. 4. c. 3.* ac *Sennert. pr. l. 3. part. 6. ſect. 2. c. 3.* quaſi nimirum non ſangvis pravus ſeu in seroſitates præternaturales converſus, ſed quales cum alimentis potulentis inprimis hauriebantur aquoſitates, in renibus non rite ſecernantur, ac in genere vaſorum ſtagnantes demum per illorum poros aut extremitates in hanc vel iſtam partem erumpant; ita tamen ut *Sennertus* in anaſarca veterum Doctrinam adhuc approbet, quaſi in hac hydropis ſpecie per Epatis Dyſcraſiam ſanguis frigidior ac aquoſior generetur, qui hinc ad totum habitum delatus, tertiam coctionem lædat & omnes ejus partes tumidas atque aqua quaſi ſuffuſas reddat.

Galeni opinio refutatur. §. VII. Verum dogma hoc Galenicorum dubium faciunt diverſa, quatenus (1) multum adhuc inter ſe diſſentiunt ipſimet Galeni Commentatores, quorum plerique equidem hanc Epatis dyſcraſiam hydropificam in intemperie frigida, alii nihilominus, v. g. *Alex. Trallianus* & *Gvarinonius* in calida, alii in calida & ſicca, v. g. *Cardanus* & *Platerus*, ſibi concipiunt. (2) Diverſi ex Galeni Sectatoribus ſatis fidis *C. Piſo* v. g. & *Sennertus*, ut modo innui, ab hac ej9 ſententia recedunt, ſeu ætiologiam hanc hydropis minus univerſalem aſſerunt, & quidem non ſine ratione, dum (3) ex infinitorum fere Proſectorum autopſia manifeſtum eſt, v. g. *Cordæi l. a. Helmont. ign. hydrops, Paſchalii de med. morb. 1. c. 34. Riverii obſ. comm. pag. 315. Tulpii 2. obſ. 32. Horſtii 4. obſ. 47. pag. 239. Rhodii cent. 3. obſ. 4. Barthol. cent. 3. Hiſt. 2.* in cadaveribus hydrope extinctis, epar integrum & nulla labe ſenſibili deturpatum frequentiſſime extitiſſe, cum tamen ejusmodi intemperies, quæ hydropis cauſa, neceſſario texturæ epatis notabilem valde alterationem inferre debeat, vid. *Sennert. l. a. quæſt. 1.* Accedit (4) quod ex abuſu potius calefacientium, v. g. potus generoſi, Spiritus vini item à febribus acutis, multi hydropici evadant. vid. *Dodon. obſerv. 13.* hinc (5) aliquando refrigerantium uſu ſanati fuerint, vid. *Dodonæus l. a. Smetius Miſc. l. 8. epiſt. 4.* & *Horſt. l. a.* Et cum (6) præſto ſint illorum exempla, quos caſu ſubitaneo, v. g. vulnerato ventre, ab aquoſitatibus liberatos & ſanitati reſtitutos Hiſtoriæ perhibent, v. g. Fœminæ Patavinæ, cujus mentio fit penes *Paſchalium l. a.* difficile dictu, qua ratione œconomia epatis in tantum turbata, poſt aquæ profuſionem, mox ad priſtinum ſtatum redierit, aut reduci potuerit. Porro & (7) Epatis officium ſangvificatorium dudum jam dum à phyſiologis concuſſum & in dubium vocatum fuit, per argumenta ponderis haud exigui. Ac denique (8) aliquando in quibusdam brevi & absq; ullo apparatu morbifico ſ. cachectico, ſaltem à cauſa evidenti, v. g. potu frigido, immoderatius ſub febrili calore aut corporis à motu nimio exæſtuatione aſſumpto, hydrops emergit obſervante *Sylvio pr. l. 1. 17.* & *de hydrope* ac *Wepfero de Apoplex. pag. 285.* epati neutiquam in acceptis referendus.

Sent[entia] Piſon[is] Sen[nerti] §. IIX. Sententiam autem *Piſonis & Sennerti* quamvis quoad partem etiam meam faciam, quod ex congeſtione nimia aquoſitatum asſumtarum, harumque in renibus ſimilibusve emunctoriis haud ſufficiente ac intempeſtiva ſecretione atque ex-

excretione morbus hic aliquando oriatur, vel quod hydrops interdum brevi ac ſubito in potatoribus concitetur, ſuppeditante ejusmodi Exempla bina *Piſone l. 4. obſ. 113. & 114.* vel quod longiore â potu abſtinentia quidam ab hydrope liberati fuerint, teſtantibus *Maſſaria lib. 3. cap. 116. Beneven. de abdit. morb. & ſanit. cauſ. c. 13. & Panarol. pent. 4. obſ. 38. Riverio obſ. comm. p. 323.* vel quod calculi ſimilesve renum affectus, urinæ ſecretionem turbantes, non raro hydropem producant. Minime tamen cauſam hanc univerſalem plane concipere licet; quod vel ſine exceſſu in potu commiſſo notabili, vel ſine vitiis renum, hydropem quotidie fieri, nobis perſvadeat Praxis.

ntii. §. IX. Ætiologiam equidem hanc hydropis renalem recoquere videtur *Helmontius, tr. ſup. alleg.* quaſi cauſa ejus in renibus potius ſubſiſtat, cruor ſcil. extravaſatus, qui virulentiam peculiarem ſeu fermentalem induens renis archæum irritet, ut hic indignabundus laticem ſ. ſerum urinoſum non admittat, vel á Maſſa ſangvinea minus ſequeſtret, donec hoc cumulatum in vaſis hæc perfringat compellando quaſi illud: *Tu latex non vadis, quo te velim mittere, ad eluendum cruorem extravenatum; ego te non dimittam per conſvetos ureteres.* Aſt ne ipſi opponam, quod in Epate hydropis cauſam primariam ſupponentibus objicit, ſcil. in paucis forſan hydropicis, præter Fiſcalem illum Brabantiæ, cujus meminit, cruorem extravenatum obſervari, quatenus nullius ſubjecti ſimilis recordatur *Helmontius*: mirari nihilominus ſatis nequeo, quod idem Scriptor, qui in eodem tr. §. 3. eruditam ſeveritatem oſtenderat. his verbis: *non eſt jocandum in principiis Medicinæ, in regulis, in cauſis morborum, ſi quidem de pelle humana, de evertendis familiis, imo de damnatione animarum, agitur ſerio,* fabulam adeo anilem & tantum non hiſtrionem agat, ſeu Archæum hiſtrionem huncque cum Latice altercantem & rixantem in ſcenam producat, & ridicula proſopopœia negotium adeo arduum decidere contendat. Ipſi vero hypotheſi in §. præced. jamdum ſatisfactum puto.

§. X. Rectius proin illi ſentire mihi videntur, qui in ſeri, tam laudabilis, quam excrementitii, læſo motu ſeu extravaſatione, cauſam hydropis primariam & proximam unice ſibi concipiunt: cui tamen motui vitioſo aliquando vel ſeri, vel viſcerum diverſorum habitudo præternaturalis diverſa anſam ſubminiſtret, ſeu cauſa remotior exiſtat, ut in ſequentibus declarare conabor. *Autoris,*

§. XI. Quippe primo ſerum laudabile ſeu naturale, hoc eſt, quod ſangvinem diluit ac partes gelatinoſas ſeu nutritias fovet, & cum hoc ipſum chylum, aliquando cauſæ continentis ſeu conjunctæ munus in hydrope obtinere, ſvadet (1) quod corporis partes ſolidæ, etiam ſero tumidæ, hydropicorum contabeſcant: ut evidens præprimis fit in aſciticis, quorum abdomen & crura in immenſum tument, marcidis ac exſuccis plane thorace & reliquis partibus conſpicuis, imo in pectoris hydrope laborantibus idem obſervare contingit, in quorum cruribus equidem magnitudo notabiliter aucta, reliquo corpore, thorace quoque, vix oſſibus hærente. Qualis macies ab extravaſatione & collectione ſeri p. n. fieri haud poſſet, niſi hoc ſubſtantiam alibilem intertextam gereret, i. e. niſi hoc non præternaturale, ſeu corruptum, ſed naturale, exiſteret. Ne tamen quis ætiologiam hanc ſibi talem fingat, quaſi ſerum hoc laudabile ſeu ſuccus nutritius, per viſcerum demum dyſcraſiam corruptus ad eruptionem hydropicam diſponatur, accedit (2) experimentum hoc, quod hydropicorum ſerum levi ignis calori, aut candelæ tantum admotum, in gelatinoſam ſeu mucilaginoſam ſubſtantiam congeletur; qualem ſcilic. lympha depravata aut corrupta non continet: Imo gelatinoſa hæc textura in ſero hydropicorum ſæpe adeo manifeſta eſt, ut ſine ejusmodi præparatione, in illo conſpicua fiat, i. e. non ſub aquoſitatis, *qua probatur argumentis quoad ſerum laudabile,*

tis, ſed coaguli glutinoſi, ſpecie compareat hydropis cauſa. Spectat huc (3) autopſia *Williſi pharm. rat. l. 2. ſ. 2. c. 3.* ubi quendam Ictericum, Aſcitem in immenſum brevi adauctum, contraxiſſe ſcribit, ex quo per paracenteſin eductum ſerum nihil flavedinis oſtendebat: E. non ex vaſis ſangvineis & lymphaticis, ſed lacteis tantum ſeu menſenterio particularibus lymphaticis profuſum, ante ſcilicet quam primas vias tranſierat, & in vaſis ſangviferis pravitatem Ictericam receperat. Porro & (4) loco aquoſitatum non raro ipſemet Chylus, ſub forma ſeri lactei ex cavitatibus hydropicorum educitur, dulcedinem quoq; ſeu ſvavitatem aliqualem odore & ſapore exprimens. Ne repetam, quod ſuperius innui, ſc. (5) in ejusmodi quoque ſubjectis, quæ de nulla viſcerum notabili dyſcraſia ſuſpecta, ex improviſo & ſubito admodum, ob levem in diæta v. g. commiſſum errorem, hydropem interdum evenire; Et (6) de quo inferius dicetur, quod arte quoque hydropem fingere ſeu producere liceat, ſine ulla humorum animalis depravatione.

illaudabile, ex urina

§. XII. Quod deinde ſerum excrementitium ſpectat, urinam innuo, etiam hanc aliquando hydropem, ejusque inprimis ſpeciem, quam Aſcitem vocant, producere, adeoque Renes ac Veſicam pariter aliquam ejus cauſam remotam exiſtere, Scriptorum itidem diverſorum teſtimonia evincunt: non corruptivum Latici vel ſero fermentum inſpirando, ſed motum tantum urinæ ordinarium interturbando. Quatenus *Platerus pr. l. 3. c. 3.* ex rene utroque eroſo atque exulcerato in Nobili potatore Aſcitem vidit, *Borrichius* ad *Bartholinum cent. 4. epiſt. 17.* à ſiniſtro rene corrupto & dextro uretere calculo obturato, *Hollerius 1. de morb. intern. l. 1. c. 39.* imo rene uno pariter abſumpto, alterius vero uretere à calculo itidem obſtructo, & *Dodonæus obſervat. 34.* à veſica exulcerata, *Platerus l. a.* rupta, eundem morbum teſtantur: ac ſimile quid à vulnere renum, ureterum ac veſicæ contingere poſſe, vero ſimile eſt.

aut tr... ſpirati... ſuppre... tent...

§. XIII. Per ſimilem ætiologiam tranſpiratio quoque inſenſibilis ac ſudor cohibitus ad hydropem diſponere valent, ſerum nempe, quod per habitum eliminari debebat, cohibendo, ejusque plenitudinem in vaſis augendo. Cujus aſſerti exemplum *Blanckardus cent. 1. obſ. 19.* depromit, ubi in quodam omnis ſudoris excretio eousque intercipiebatur, ut ab hoc aliquot ſeptimanas geſtatum induſium mundum & ab omnibus ſordibus liberum manſerit, ac hydropicus tandem evaſerit idem.

& ex... ſati...

§. XIV. Quibus ita ſe habentibus infero, ſerum utrumque, tam laudabile ſcilicet quam excrementitium, ſi ejus motus eousque turbetur, ut extra vaſa & receptacula ſua in ſpacia corporis præternaturam, ubi minorem offendit reſiſtentiam, profundatur, via nempe naturali intercluſa & præternaturali formata, cauſam hydropis materialem & conjunctam fieri: ſive hoc cum ſenſibili ambitus horum intumeſcentia contingat, v. g. in anaſarca, aſcite & hydrocephalo externo, ſive ſecus & ſine evidenti molis augmento, v. g. in hydrope thoracis & ut plurimum in hydrocephalo interno.

vel per... pedi...

§. XV. Scilicet ſupponendum hoc ſerum, hydropem formans vel per diapedeſin & vaſa quaſi integra elabi, ſangvinis nempe; vel per rupturas eroſiones & plagas horum profundi, ſangvinis pariter ac urinoſum. Quippe ratione modi prioris ex Phyſiologicis conſtat, fibras, ex quibus ſingulæ partes molliores contextæ, arteriis ac venis & lymphaticis intermedias, tubulatas non tantum, quo ſerum nutritium admittant, ſed poroſas quoque, quo hujus fluidiorem portionem tranſmittant, (unde partes omnes, non minus extrinſecus quam intrinſecus, nunquam non madent) exiſtere; quæ earum poroſitas ſi juſto plus laxetur, plus juſto pariter ſeri affluentis per hanc extillat & congeſtum hydropicum format. Qualem quidem tranſudationem hydropificam prolixe probare vix opus puto, quod plerique, ſi non omnes, Scripto-

rum,

rum, veterum pariter, ac recentiorum, in hoc extravaſationis modo conſentiant: Confirmandæ nihilominus ipſi ſufficiet, quod aliquando hydrops brevi ſanetur, aut vix ſenſibiliter augeatur; quale quid fieri non poſſet, ſi a laceratis & ruptis ſemper vaſis malum hoc eveniret, utpote quæ non adeo facile coaleſcunt. Cui accedit experimentum inferius ſubnectendum, quo, prudente venarum Ligatura colluviem ejusmodi in partibus diverſis fingere, ſublatis vinculis eandem ſiſtere, conceditur.

itatem
am

§. XVI. Aliquando nihilominus per evidentiores unitatis ſolutiones, i. e. lacerata vulnerata & eroſa vaſa, ſerum p. n. confluere, vel ex illis, quæ ſuperius de aſcite a renum, ureterum & Veſicæ vulneribus atque eroſionibus monita, concludere licet: vel probabile reddit vaſorum lacteorum & Lymphaticorum exquiſita teneritudo ſeu tunicarum ſumma ſubtilitas; quapropter illa non frequentius rumpi, magis, quàm rumpi, merito miramur.

§. XVII. Quæcunque E. ſerum præter modum ſtagnare, ſeu quo minus libere per vaſa ſua revehatur, faciunt, tam laxitati illi fibrarum, quàm rupturæ vaſorum occaſionem præbent. Inter quæ primo ſunt Lymphæ habitudo, ſeu ſpiſſitudo præternaturalis, cujus intuitu a vaſorum ſuorum & venarum extremitatibus non adeo commode reſorberi, nec ad canalem ſangvinis prompte reduci valet illa. Unde hydropem frequentius concitant morbi, qui cruditatem ſ. glutinoſitatem lymphæ p. n. pro cauſa agnoſcunt, vel hanc producunt, v. g. febres Chronicæ, Scorbutus, hæmorrhagiæ nimiæ, Icterus diuturnus, menſium ſuppreſſio: item potus frigidior, æſtuante corpore affatim hauſtus, ſerumque congelans, utpote a quo vel ſolo, ſine ulla procatarxi morbifica ſæpe numero hydropem generari, quotidiana loquitur Praxis. Imo hunc cauſandi modũ evidentiorem reddit liquor acidus venæ canis vivi infuſus, qualis quemadmodum ſangvinem prompte, tandem ad excidium usque animalis, coagulat, ſic inter anxietates, quales hoc exin patitur, magna ſeri copia per ejus fauces & nares prodit, ac ſenſibilis hujus collectio in cadaveris cavitatibus hinc inde reperitur. Hujus generis, quæ lympham ad hydropis usque productionem inſpiſſant, ex cauſis evidentibus etiam eſt Atmoſphæra frigidior atque humidior, ratione cujus *ab Hippocrate 3. aph. 22.* hydropes morbis autumnalibus accenſentur: item abuſus thermarum condenſantiũ, dum v.g. idem *Hippocrates 5. epid. t 4.* refert, Athenienſem quendam, a prurigine univerſali vexatum, hujus leniendi cauſa Balneis in Melo ſe mancipaſſe, & pruritu deleto hydropicum evaſiſſe. Alimentorum infinita genera ſunt, quæ tenaces ac craſſos ſuccos producendo morbum hunc formant, quorum bina tantum ex potulentis adducere ſufficiet. Aquas paluſtres ac lacuſtres, hinc vappidas, item hyeme nivatas pituitoſiſſimas exiſtere & inter alios affectus hydropes lethales gignere, *idem Cous, de Aëre, Aquis & Locis t. 10. & 11.* innuit. Quibus non immerito additur Sp. vini ſeu aquarum vitæ communiter dictarũ abuſus, à quo multos in hydropem conjici, in propatulo eſt, ac confirmat *Liſterus Exerc. med. de morb. chron. p. 5.* frequentiam hujus morbi in Anglia, quemadmodum *Decker. in pr. Barbetti l. 4. c. 4.* in Belgio, ab hoc depromentes. Quod quidem vel ideo non omnino paradoxũ videri debet, cum eadẽ teſtetur experientia, homines, qui liquoribus ejusmodi ſpirituoſis indulgent, brevi appetitum ventriculi proſtratum pati; ob lympham nempe hinc viſcidiorem redditam, & Chylificationem turbantem: qualem mucoſitatem ventriculi iidem frequentius evomunt, annotante eodem *Liſtero l. a. p. 6. & 7.* At & coagulatoria Spiritus vini vis in ſangvinem hujusque ſerum evidens fit per Experimentum *Celeberrimi D. Bohnii, Patroni, Præceptoris & Promotoris mei ad urnam usque devenerandi & colendi, Actor. Erud. ann. 83. Menſ. April.* inſertum, quo non tantum ſangvinem extravaſatum, cui affunditur, in ſpiſſiorem thrombũ cogi, ſed vaſorum quoq; ſangviferorũ ſauciatorũ hæmorrhagias in momẽto quaſi

occa-
s ſpis-
ex
nque
uſa

quaſi ſupprimi, oſtenditur; Neque in cruore tantum hæc Spiritus vini aut Frumenti, ſed in ſero quoque, ut tali, & ab illo ſecreto vis congelatoria deprehenditur: ſi nempe ad manuductionem *Illuſtris Boylei hiſtor. ſangv. exprim.* ipſi Spiritus hic alcoholiſatus affundatur, unde brevi in coagulum ſeu offam candidam illud faceſſit.

§. XIIX. A quacunque igitur cauſa Lympha fluiditatem ſuam perdiderit, ſtagnatione & congeſtione, ſua vaſa rumpit; vel quo minus prompte transvaſetur, impedit: hinc porulos partium laxiores facile elabitur, aut per hos quoque, qui anguſtia naturali adhuc gaudent, per molem ſui incumbentem & appulſum perpetuum, exprimitur.

abundantia ſeri. §. XIX. Simile quid, ad hydropem generandum, forſan etiam patrat ſeri abundantia, vaſa ad rupturam usque vel diſtendens, vel horum intercapedines copioſius trajiciens: Cum potatores ſeu in potulentis hauriendis minus temperantes, hydropem ſibi frequentius, ac interdum concilient ſubito valde, aut manifeſte & celerius intendant, ut videre eſt penes *Sennertum* & *Piſonem*; Contra, qui â potulentis abſtinere norunt, citius â malo hoc liberantur, ut §. 8. annotatum fuit. Equidem haud ambigo, intemperantiam hanc immediate & per hauſtorum molem tantum tale quid non ſemper præſtare, ſed cruditates demum in ventriculo & maſſa ſangvinea producendo, ſicque forſan hic exceſſus viſciditati Lymphæ, hactenus declaratæ occaſioni exiſtet. Quin tamen aliquando plenitudine tantum ſua, & quatenus canalem ſangvinis præter modum replet ac circulationem turbat, ad hydropem diſponat, mihi perſvadere haud poſſum. Perinde enim ac Plethora communiter ſic dicta ſeu cruoris abundantia, hæmorrhagiis variis & variis harum modis occaſioni eſt: quid mirum pariter, ſi largior potulentorum ſeu aquoſitatum ingeſtio defluxionem aut extravaſationem ſeri præternaturalem augeat, ſeu promoveat; quod eo promptius continget, ſi quacunque de cauſa ſecretiones ejus naturales, v. g. in renibus, turbentur, *vid. C. Piſo l. a. c. 3. & Plater. prax. tom. 3. p. 241. & 242.*

§. XX. Aſt non ab habitudine ſeri vitioſa tantum extravaſationem, hujus hydropicam emergere, ſed vaſorum quoque transvehentium venarum nempe ac lymphaticorum, anguſtiam eidem frequenter litare, & circulationem lymphæ turbando in hydropem conjicere experientia oſtendit. Liceat nihilominus huic mihi addere laxitatem nimiam extremitatum vaſorum ſangviferorum & Lymphaticorum, ſeu (prout *Sylvius de hydrope* §. 37. 38. &c. ſe ipſemet corrigit) potius canaliculorum iis intermediorum, quæ juxta *Blancardum anat. part. 30.* & *de Circ. ſangv. per tubulos*, ipſæ muſculorum fibræ, tubulatæ exiſtunt: ſive ab ortu talis & connata, ſive per morbum contracta, fuerit, ſub duplici tamen ſchemate hic concipienda. *Vaſoru[m] ſpaſi[...]*

§. XXI. Nempe eo ipſo, dum fibræ fiſtuloſæ vaſorum munus præſtant, non ut otioſi tantum canaliculi, & qui in transvehendis fluidis mere paſſive ſe habent, ſed ut coagentes ſimul & per motum ſuum tonicum, illorum fluxum ſimul juvantes ac moderantes: facile conſtat, tonum hunc laxatum refluxum illorum ſufflaminare, ſic ut eorum appulſui minus reſpondeat, hinc exudationi ſeroſitatum extraordinariæ occaſionem præbent. Quamvis ſtrictiorem quoque fibrarum harum tubulatarum texturam ſimile quid efficere poſſe, perinde ac venas & lymphatica anguſtiora, non improbabile ſit: parcius nempe lympham ac ſangvinem transmittentem, ut via naturali intercepta, illa poros eorundem tubulorum villoſorum copioſius permeet; dum ex ſuperius dictis huc repetendum, illos præter canaliculos transvehendo cruori deſtinatos lateralibus poroſitatibus gaudere, quæ ut via extraordinaria, ſerum, quod ad venas & lymphatica transvehi non poterat, transmittant, & quidem aliquando ad exitium usque ſubjecti. *in muſ[...] np. fibr[...] tubula[...] rum*

§. XXII. Verum quoad venarum & lympha-

lymphaticorum anguſtiam præternaturalem i. e. arteriis adducentibus & lymphæ reducendæ imparem, quam modo inter cauſas hydropis procatarcticas recenſui; de hac (quamvis ratione potius, quam Autopſia) ſuſpicari licet, illam aliquando connaſci; qualem *Avicenn. l. 3. fen. 14. tr. 2. c. 4. & ſeq.* annotavit, ita ut per hanc vaſorum & canaliculorum intermediorum disproportionem, diſpoſitio ad hydropem quibusdam individuis naturalis, familiis ſolennis & quaſi hæreditaria, eveniat.

er an-am ex uctione §. XXIII. Quoad aſcititiam vero vaſorum illorum revehentium anguſtiam *C. Piſo* jam dum oſtendit, nec ſubſidentiæ, nec conſtrictioni locum hic concedi poſſe: Sed obſtructionis & compreſſionis tantum aliquam obſervari vim. Verum obſtructionem quamvis omnimode negare nolim, aſſerente hanc communi Scholarum conſenſu: quia tamen vix apparet, qua ratione humor, qui extrema capillaria arteriarum, venarum, atque Lymphaticorum, imo anguſtiores longe partium intermediarum fibras penetravit, in majoribus venarum & Vaſorum ſeroſorum ramis obicem adeo firmum ſangvini & lymphæ ponere queat. Hinc anguſtandi modus non omni dubio caret. Vel, ſi admittatur eo ipſo, dum de viſciditate & ſpiſſitudine lymphæ, quam cauſam ejusmodi oppilationis nuncupant, ſuperius dictum: prolixiore & ulteriore negotii hujus declaratione haud opus videtur.

preſſione §. XXIV. Comprimentia interim eadem vaſa aliquando hydropis cauſam remotam exiſtere, ſ. ſtillicidium ejusmodi ſeri p. n. concitare, vero ſimile reddit Experimentum *Lowveri & Williſii*; quo à ligatura ſ. conſtrictione venæ cavæ aſcendentis aſcitem, venarum jugularium vero hydrocephalum cum profluvio, per emunctoria capitis, nares nempe ac fauces, ſeri enormiore, in animali vivo produci referunt, teſtaturque ejus Praxis. Quicquid itaque morbifici, illa vaſa comprimendo, refluxum lymphæ moratur, hanc extravaſari facit, & hydropem generat, tumores nempe ſcirrhoſi inflammatorii aut quævis concretiones, circa viſcera, Epar v. g. Lienem, Pancreas, Uterum, Pulmones, p. n. congeſtæ, quibus circulatio præpeditur, ut cruor per arterias adductus libere ſatis remeare nequeat, ſerum interim conſortio ejus exturbatum ad cavitates majores minoresve depluat. Cui aſſerto, cum cadaverum, hydrope ſuccumbentium, ſectiones annuant, dictas organorum internorum anomalias plerumque patefacientes; non ſine ratione agit *C. Piſo*, dum ab hac cauſa hydropem longe frequentius, ac à ſangvinis & ſeri dyſcraſia, ſeu Cacochymia, naſci, concludit.

§. XXV. Et ideo quoque minus paradoxum judicari debet, ſi ob diverſorum valde viſcerum indurationes ſimilesq; compagis aberrationes contingat aſcites, contingat hydrops thoracis, Epatis v. g. in uno, uteri & hujus tubarum ſ. teſticulorum in altero, Menſenterii in tertio ſubjecto & ſic deinceps; quodque hinc ſeducti horum Phœnomenorum obſervatores alii Epar, alii Lienem, alii Meſenterium, in hydrope accuſarint. Minime enim culpam gerunt organa hæc ratione actionum ſuarum diverſarum, quibus ad ſangvinem & ſerum perficiendum concurrere dicuntur communiter, læſarum ſeu p. n. ſe habentium; Sed uno eodemque modo ſingula in hydropem conjiciunt, circulationem nimirum turbando, ſine ulla pravitatis fluidis illis facta impreſſione. Perinde ſc. ac annotante *Schenkio obſ. p. 434.* à cruribus ſcirrhoſis aſcites aliquando obſervatus fuit, artubus nempe ſangvinis ac ſeri productioni aut depurationi nihil conferentibus: ſine dubio, quatenus crura hæc ſcirrhoſa parum admodum ſangvinis & lymphæ admittebant, aut transmittebant, hinc latices illi ad vaſa & viſcera abdominis copioſius devolvebantur, quorum plenitudini transvehendæ quia hæc minus adæquata, ſub eorum reſtagnatione plus ſeri ad abdominis cavum tranſudabat, forſan unum vel alterum quoque vas lacerabat. *nunc heic aut alibi turbato ſangvinis circulo*

§. XXVI. Infiniti numeri ac generis phænomena viſcerum ac partium à textura naturali recedentium, & per has *Exempla hydropis ex viſcerum anomaliis.*

has motum lymphæ, ad hydropis usque productionem, turbantium ex Autoribus allegare poſſem, niſi ſupervacaneum & à forma diſſertationis alienum hoc judicarem: paucas harum anomaliarum E. indigitare ſufficiet; Ab epate teſtantur hydropem *Foreſt. l. 19. obſ. 14. Rondeletius Pr. p. 35. C. Piſo l. a. c. 3. Horſt. 9. o. 13. Sultzm. o. anat. p. 37. River. cent. 2. o. 53. Panarol. Pent. 4. obſ. 24.* &c. à lienis pari vitio *Schenckius lib. 3. de hydrope obſerv. 10. Miſc. N. C. dec. 1. ann. 4. obſerv. 148.* quemadmodum à lienis & epatis vitio ſimul natum aſcitem *Platerus obſ. l. 3. p. 634.* aliique teſtantur. A meſenterii glandularum induratione tale quid fieri autopſia docet, *Tulpii lib. 2. obſ. 33. M. N. C. ann. 3. obſ. 180.* Ab omenti glandulis majoribus *Hœchſtetterus decad. 10. obſ. 7.* A pulmonum ſcirrho, duritie & vomicis hydropem pectoris & ipſorum Pulmonum annotavit *Bonnetus anat. pr. lib. 2. obſ. 24. Piſo ſ. 3. c. 7. Hildanus cent. 2. ſ. 1. o. 29. & Heurnius obſ. 6.* ab utero hujusque teſticulis p. n. tumentibus in fœminis quàm frequens ſit aſcites, innuit *Schenckius lib. 3. obſ. 6. & 7. & Horſt. 11. obſ. 7.* ac *Sydenham* de hydrope; Quorſum etiam ſpectant tumores crurum œdematoſi gravidis multis ſolennes, ob Catameniorum ſtagnationem: etiam nonnullas poſt partum ſatis diu moleſtantes. Quales & innumeræ hujus generis viſcerum anomaliæ non alia ratione, quam quod ſangvinis ac lymphæ refluxum turbent, tale quid patrare dixi; quamvis de his quoque dubium maneat, annon aliquando ſeri præter modum evacuati hinc motus circulatorii læſi effectus ſeu productum potius, quàm cauſa exiſtant.

Venæ cavæ coaleſcentia

§. XXVII. Evidentior eſt ætiologia hydropis in caſu, quem *Rhodius Mantiſſ. anat. obſ. 21.* recenſet, Fœminæ cujusdam hydropicæ, cujus venæ cavæ deſcendentis principium adeo arcte coaluerat, ut ne ſpecillum quidem transmitteret. Anguſtia ſiquidem vaſis hujus coaleſcẽtia, aut ſi mavis cõvenientia, inducta, refluxũ ſangvinis ac ſeri eo usque ſufflaminabat, ut vaſa lymphatica huic minus paria illius portionem ad ventrem dimiſerint, modo nimirum ſuperius explicato.

Contuſio-bus &

§. XXIIX. Neque tamen diſtenſio ejusmodi lacerationis vaſorum lymphaticorum & lacteorum exiſtit cauſa ſolitaria, ſed vulnerantia quoque ac erodentia eorum continuitatem ad parem inundationem aliquando ſolvunt, ac utramque hanc ætiologiam confirmat *Platerus Pr. l a.* ubi ex contuſione ventris violentiore quosdam hydropicos factos refert, prioris vero *Bartholinus cent. 2. obſ. 74.* exemplum tradit, ubi in quadam ſub geſtatione ſarcinæ majoris & ambulatione concitatiore ſubitaneum aqualiculum productum perhibet. Quo etiam ſpectat hydrocephalus internus, qualem a tuſſi ferina in viro quodam *Ilmerus M. N. c. anno 1670.* in puero a caſu ab alto & rotatione in dolio *Chiffletius obſ. 11.* In alio pariter itidem ex lapſu in occipitium *Bonnetus anat. pr. l. 1. ſ. 1. obſ. 13.* annotarunt. Quibus addo binas hydrocephali interni a violentia externa concitati hiſtorias, *à Celeber. Dno. D. Bohnio de vuln. lethal. ſect. 2. c. 1.* enarratas, ac quod *M. A. Severinus de Abſceſſ. anomal. p. 185.* de fœtus ſub difficili partu hincque & duriore capitis contrectatione hydrocephalo frequenti teſtatur. Et quid impedit, quo minus ex ductu thoracico aut uno alterove vaſe lymphatico vel lacteo, gladio transfoſſo, lympha cum Chylo profuſa hydropem modo pectoris, modo abdominis, & quidem præcipitem ſatis formet? Quemadmodum non adeo abſonum videtur Apoſtemata & Ulcera organorum internorum aliquando hydropis Autores exiſtere, vaſa eadem erodendo, horumque fluida profundendo, quemadmodum *Tulpius 2. obſ. 32.* quinquies aquam intercutem a ſolo meſenterii ulcere ſe vidiſſe perhibet.

Ratio hy-piſeos ex-rina eju-organ-

§. XXIX. Pergo nunc ad ſecundi generis cauſam materialem, Urinam nempe, quam pariter aliquando ejusmodi illuviem concitare, adeoque organorum urinariorum vitia cauſarum remotiorum munere interdũ fungi, ſuperius dictum: quale quidem fluidum hydropicum ab antecedaneo odore,

dore,ſapore & quod illo minus gelatinoſum ſit, diſcernere licet. Quamvis quoad modum fiendi utriusque generis hydrops hoc commune gerat, quod hic poſterior itidem modo per ſeri hujus transcolationem & reſtagnationem p. n. modo ex apertura renum, ureterum & Veſicæ manifeſtiore profuſionem generetur.

[Exe]mpla. §. XXX. Priorem modum declarant exempla per Iſchuriam pertinacem diluvio huic expoſitorum, v. g. penes *Timæum 3. caſ. 28.* illius potatoris ſtrenui, in quo ab Arthritide & aſcite tandem interemto renes flaccidi & exiliores cernebantur, item quorum renes partim corrupti & conſumti, partim ureteres calculis oppilati, qualium *Bartholin. cent. 4. Epiſt. 17. Hollerius 1. de morb. intern. c. 39. Beverovicius Spicil. de calc. pag. 204. Rolfinckius lib. 9. conſil. 1.* meminerunt, ſingulorum in aſcitem prolapſorum quemadmodum pariter thoracis hydropem ab Iſchuria *Verzaſcha obſerv. med. 2.* teſtatur. In his quippe nec potulentorum aquoſitas, nec ſerum ſangvinis recrementitium, quo decet modo, ob vitioſam renum & vaſorum excretoriorum conſtitutionem, ſecerni, nec ſecretum ad veſicam & è corpore proſcribi poterat. Proin utrumque fluidum ad maſſam ſangvineam regurgitans eam odore ſeu fracedine ſua inficit, adeo ut ejus per os ac nares exhalationem poſt Iſchuriam quinque dierum annotarit *Lotichius l. a. c. 5. obſ. 11.* olidum hinc ſudorem *C. Piſo l. a. ſ. 4. c. 6.* Urinam meram colore ac odore cuivis adſtanti facile agnitam, vomitu à quodam ex Iſchuria agonizante rejectam referat *Bonetus anat. p. lib. 3. ſect. 24. obſerv. 5.* cujus cadaveris cutis inciſa hinc inde parem humorem fundebat; Imo ex *Rhodii centur. 3. obſerv. 28.* conſtat, cujusdam, qui in reddenda urina per 15. dies defecerat, venas ad pollicis craſſitiem intumuiſſe. Quid mirum ergo, ſi plenitudo ejusmodi ſeri præternaturalis vaſorum extremitates perrumpat, ac extravaſata varias hydropis ſpecies producat.

§. XXXI. Alter modus, ubi per organorum urinoſorum unitatem ſolutam urina abdomen irruit, ibique collecta Aſcitem gignit, præceps magis magisque manifeſtus eſt, ſive illa ab eroſione, quod forſan frequentius, ſive à vulnere & ruptura contingat, cujus poſterioris, in Veſica, hincque geniti Aſcitis, exemplum *Roonhuyſen obſ. chirurg. part. 1. obſerv. 4.* adfert, prioris obſervationes ſuperius fuerunt productæ.

CAPUT II. Semioticum.

§. I.

Sufficiant hæc quoad cauſas, progrediendum nunc mihi erit ad Diagnoſin. Ubi notandum, quasdam ſpecies hydropis eſſe manifeſtas per tumorem mollem indolentem, album & intus fluctuantem, v. g. hydrocephalum externum & anaſarcam, aliquando aſcitem, hydrocelen, tumorem pedum oedematoſum & partium externarum reliquarum apoſtemata ſeroſa: Aliàs vero magis latere, hydrocephalum ſc. internum, item thoracis, ac pulmonum hydropem, hydrocardiam, interdum etiam aſcitem, uteri hujusque ligamentorum & cæterorum interaneorum inundationes. Metuere nihilominus tales in genere jubent, ſeu primordia illarum innuunt (1) ſi in individuis, in quibus nulla de organorum urinariorum vitiis ſuſpicio, urina parcior, craſſior & interdum tincta valde emittatur; (2) ſi de eorundem organorum inſigni vitio, v. g. eroſione conſtet, (3) cauſarum evidentium pariter ac latentium præſentia, v. g. febris Chronicæ, compotationum immoderatiorum in ſpecie Sp. Vini, ſangvinis excretionum naturalium ſuppreſſionis, hæmorrhagiæ immodicæ, viſceris tumoris &c. quibus (4) addere licet appetitum ventriculi proſtratum cum Urinæ imminutione hydropis certum præconem. Aſt præſentem magis arguunt (1) facies vividior absque cauſa manifeſta, pallidum ac luridum colorem induens, (2) Tumor pedum ac faciei oedematoſus, ille interdiu & in corpore erecto, hic noctu & in decumbentibus major, cujus phænomeni *Signa imminentis.* *præſentis hydropis.*

nomeni diſparis rationem reddit *Sylvius de hydrope* §.*31, 32*. (3) Dyſpnœa ſine aliorum morborum ſignis, à paſtu notabiliter creſcens ac in Orthopnœam demum abiens, (4) ſitis intenſior ſine calore & (5) fluctuatio ſeu aquarum ſtrepitus ad motum corporis ſenſibilis.

Signa hydrocephali interni.

§. II. Porro quoad ſpeciem & ſubjectum hydropis determinandum, hydrocephalum internum (nam externus ex ſignis tumoris aquoſi generalioribus dignoſcitur) innuit palpebrarum ac ſuperciliorum tumor mollis, coloris, caloris & doloris expers, ſenſuum hebetudo ac torpor, cum dolore capitis tenſivo, quibus temporis tractu in infantibus præprimis, quorum calvariæ oſſium compages ſeu connexio minus firma adhuc, intumeſcentia capitis, plus minus monſtroſa & ſæpe vix credibilis, quales in Pueris duobus & Juvene octodecim annorum deſcribit *Hildan. centur. 1. obſerv. 10, centur. 3. obſerv. 19. & centur. 4. obſerv. 10.* accedit.

hydropis in pectore.

Pectoris hydropem conjecturamus (1) ex dyſpnœa noctu inprimis, & primo ſomni tempore ingraveſcente ac ſub diluculo remittente, quod ſignum pathognomonicum *C. Piſo ſect. 3. cap. 7. & Riverius prax. lib. 7. cap. 5.* ajunt; adeoque paradoxis & rarioribus valde phænomenis accenſendum, quod idem *Riverius obſ. à Rufio commun. 3.* refert, ſcilicet in virgine, diverſis alias ſymptomatibus, ſine tamen difficultate ſpirandi ad mortem usque vexata, thoracem totum aqua viroſa repletum apparuiſſe. Accedit fluctuatio in pectore ad corporis volutationem, cum Empyemate equidem commune accidens; huj9 nihilominus pus ab illius ſero duplici inprimis circumſtantia dignoſcitur: nimirum quod illud inflammationem ac ſuppurationem præcedaneam habeat, hoc ſine illis colligatur, (3) ſuſpicionem hydropis hujus facit, ſi pectori admota calida & calor lecti ſeu foci dyſpnœam & anguſtias ejus intendāt, ſub aquæ ebullientis ſenſu, confirmante hoc *Williſio pharm. ration. part. 2. ſect. 1. cap. 13.* Ac (4) Brachii alterutrius dolor debilitas ac reſolutio cujus cauſam *C. Piſo l. a. p. ſect. 3. cap. 7.* reddere annititur. Quamvis poſteriora bina phænomena, quia in Empyicis etiam aliquando obſervantur, non niſi prioribus ſignis combinata, de hydrope nos certos faciant.

Aſc[itis]

§. III. Aſcitis metum, præter ſigna generaliora incutit Epigaſtricæ regionis tenſio, hincque Diaphragmatis compreſſio ab alimentorum aſſumptione ingraveſcens, quæ paulo poſt tumorem abdominis & ſcroti pediſſequam recipit, partibus cæteris, niſi anaſarca combinetur, marceſcentibus: Simul ad corporis motum fluctuatio aquæ percipitur intumeſcente ſimul evidenter latere, in quod volutatur æger; ſupervenit Tuſſis ſicca & quæ mox in principio moleſtabat, nunc cum Aſthmate ad Orthopnœam usque augetur.

Hydr[ocele]

Hydrocelem tumoris aquoſi phænomena manifeſtant, ita quidem ut penis ſimul infletur ac contorqueatur. In ſpecie tamen, ſi tumor ſcroti æqualis extra teſticulos & in illius cavo; aut ſi inæqualis & teſticulum forma æmuletur, cum cute rugoſa nunc, aut cavitatem ſcroti, tunicam ej9 propriam, nunc vero teſticulorū integumenta occupare diſcamus: ſin demum ſuper teſticulum emineat, cyſti ſ. folliculo peculiari incluſum videtur ſerum.

Hydr[omphali] [...] Anaſ[arcæ]

Hydromphalus ac pudendorum muliebrium hydrops ſigna hydropis communia præ ſe ferunt. Anaſarcam denique quod ſpectat, in hoc totius corporis moles conſpicitur aucta, quæ à cruribus utplurimum incipit, his tamen non perinde, ac in aſciticis, à decubitu ſubſidentibus: & quidem cum habitus colore minus vivido, carnibus ſcilicet laxis, pulſu parvo & urina utplurimum tenui, ſecus, ac in cæteris microcoſmi diluviis; quod ſerum aquoſum ad externa depoſitum, interveniente circulatione aliquatenus cum ſangvine intra vaſa adhuc communicet, adeoque hujus craſſamenta adhuc diluat, & cum hoc ad renes ablegetur.

Prog[noſis] gen[eralis]

§. IV. Prognoſin dum aggredior, ex *Aretæo* præmonendum, quod, quamvis perpauci ſatis ab hydrope liberentur, idque felicitate quadam ac Dei potius, quam Artis auxilio, viven-

vivendi nihilominus cupiditatem & tolerantiam ſingularem hoc correptos, non ex animi alacritate ac bona ſpe, ſed ex ipſa morbi natura, oſtendere: cujus rei quidem cauſam non declarare, ſed mirari tantum, liceat, cum in aliis haud adeo pernicioſis affectibus ægrotantes abjecti ſint animi, triſtes, mortis amatores; in hoc vero & bene ſperent, & vitæ cupidi ſint. Quibus tamen ne nimis applaudam, nec abſoluto prognoſtico linquam, Prognoſin pariter mihi concipere liceat generaliorem ac ſpecialem. Ubi ratione prioris præter *hoc Aretæi*, paucos admodum ab hac ægritudine liberari, *Hippocratis* quoque *de intern. aff. t. 27.* judicium erit attendendum: *Morbus gravis eſt Hydrops & pauci hunc effugiunt*, i. e. naturæ pariter ac artis vires is eludere videtur; ita tamen ut difficultatem hanc minorem majoremve reddant diverſæ circumſtantiæ. Quatenus *primò* plus ſpei pollicetur recens præ inveterato, quod hic præter cauſæ pertinaciam, virium defectum, remediorum faſtidium & viſcerum corruptelas pediſſequas habeat; quod in recente non adeo metuendum. *Deinde* diſpar erit eventus pro diverſitate cauſarum plus minus pertinacium, dum qui à febre, chronicâ perinde ac, juxta *Hipp.* prognoſt. t. 8. acuta, mali ominis obſervatur; quod utraq; vel ſingularem humorum dyscraſiam, vel viſcerum labem, vel utrumque indigitet: qui à vaſorum majorum aut plurium ruptura, induratione ac corruptela viſcerum, eroſione organorum urinariorum ſimiliq; morbo organico, humorum viſciditate aut pravitate enormiore, v. g. Scorbutica, aut nunquam aut difficilius ſanatur illo, qui à transcolatione tantum ſeu diapedeſi aucta viſceribus integris, obſtructione leviore, v. g. Menſium à potu frigido, ac dum *Valeriola 1. obſ. 2.* Dulcem Gradiolam, Uxorem hydropicam cum viſcerum induratione ſanatam perhibet, recte DEI nutui ac indulgentiæ potius, quam præſidiis medicis hoc adſcribit. *6. aph. 14. & de judic. t. 11.* Quam difficultatem & periculum intendunt ac mitigant tertio ſymptomata ipſi ſupervenientia horumque circumſtantiæ. Dum *Hipp. 3. coac. 285.* hydropem incipientem per alvi fluxum aquoſum, citra cruditatem contingentem, morbum ſolvere, *4. v. de morb. t. 34.* fluxus alvi impetuoſiores hydropicis lethales, pronunciat, ſc. morbo inveterato aut crudo ſupervenientes, ita ut ejusmodi ægri ſentientes ac loquentes moriantur. Porro urinam paucam, craſſam & rubicundam præter eundem *Hippocratem 3. coac. 284. Williſius Pharm. rat. part. 2. ſ. 2. c. 3.* malam ait: quemadmodum tuſſiens eidem *Hippocrati 6. aph. 35. & Oribaſio* deſperatus judicatur, quod nihilominus haud univerſale teſtatur *Holler. 1. de morb. intern. cap. 39. in Scholiis, ac Sennertus pr. l. 3. part. 6. ſ. 2. cap. 3.* item, qui convulſionibus corripitur, *3. coac. 287.* & recidivans, *vid. coac. 288. Hollerius & Sennertus l. a.* Nec abſceſſus & ulcera hydropicorum facile ſanantur, ſed his utplurimum mali ominis ſunt, teſtante *Hipp. 6. aph. 8. & 7. eped. 13.* Denique plus ſpei eſt in illis, qui morigeros in remediorum admiſſione & diætæ accuratioris obſervatione ſe gerunt: adeo ut hinc hydropem facilius in ſervis, quam in liberis curari *Celſus 3. c. 22.* ſcribat.

Specialis in Hydrocephalo externo

§. V. Verum, quoad hydropis ſpecierum prædictiones, monendum, hydrocephalum externum cum anaſarca, aſcite, & hydrope pectoris ac pulmonum ſemper minus pericoloſum eſſe; cum remedia facile admittat ac aliquando levioribus cedat; Teſtantibus *Paræo 7. cap. 1. Amat. Luſit. 1. cur. 79. & Foreſto 3. obſerv. chir. 6. & 8. obſerv. 29. & 30. in Schol.* Terminum tamen ejus lethalem ſoporoſi ac convulſivi affectus ſupervenientes intimant, *vid. Foreſtus 8. obſ. 30. & Schenckius obſ. p. 10.*

Hydrope thoracis

§. VI. Pectoris diluvium, quia rarius niſi à ruptis lymphaticis ac viſcerum, frequentius pulmonum, aut cordis hujusque vaſorum morbo conformationis, v. g. Polypo, dependet, & organa vitalia ab ipſo immediate ſupprimuntur, pericoloſius deprehenditur aſcite ac brevius ſuffocat. Quod ſita-

ſi tamen aliquando organis his integris & vaſis tantum minoribus laceratis fiat, & per paracenteſin thoracis lympha extravaſata ſenſim effluat, mitior erit ferenda ſententia, quale quid *Williſius Ph. rat. part. 2. 1. c. 13.* annotavit. Aſt deploratus omnino videtur hydrops talis, ſi anaſarcæ aut aſciti ſuperveniat: non ſecus ac ipſam compagem pulmonum inundans.

Aſcite §. VII. Aſcitis præ Anaſarca difficilioris curationis eſt ſine dubio, quod ut ſuperius innui, ſerum ad ſpaciola partium fibroſarum profuſum cum vaſis ſuis aliquando adhuc communicet, adeoque ejus aliquid ab his reſorberi, digeri aut per excretoria congrua eliminari commodius queat: niſi forſan aſcites Anaſarcæ superveniat, qui ſolitarie majoris ſpei deprædicatur, i. e. illo, qui ab anomaliis viſcerum & vaſorum ruptura emergit; quemadmodum pariter ab eroſione ac laceratione renum, veſicæ &c. niſi organis his læſis promptius coaleſcentibus & urina per vulnus vel ulcus abdominis commode profluente, qualia exempla *Fernelius 5. de part. morb. & Sympt. 13. Benivenius de abdit. morb. cauſ. obſ. 7. Schenckius obſ. p. 507. & 508. ac Bauhinus in app. ad Rouſſet.* recenſent. Aliqua nihilominus ſalutis ſpes eſt, ſi pharmaca propinata aquas copioſe & cum euphoria evacuent, & venter hinc detumeſcat: ſin vero nihil aut parum ab illorum uſu excernatur, ac viſcera hinc irritata cum abdomine magis intumeſcant, aut tumor ſubſiſtens paulo poſt recrudeſcat, omnino deſperandum erit.

Hydrocele §. VIII. Minus periculi ſubeſt Hydrocele, ſi nimirum ejus cauſa particularis extiterit, ſecus, ſi ſerum vel ex abdomine, aliunde hic confluat, aut alteruter hinc corrumpatur teſticulus, ut *Dodonæus exempl. 39. & 40.* perhibet: prioris enim humiditas topicis facile diſcuti aut ſectione educi valet, dum contra, qui ab Aſcite hydrops ſcroti periculum cum illo commune gerit; id quod etiam de Omphalocele judicandum. Tandem hydropes particulares membrorum externorum, vix, niſi aliis ſuperveniant morbis internis gravioribus, aut alii affectus, gangræna v. g. illos excipiat, minime ſingularem metum incutiunt: utut horum tumorum unus altero difficiliùs, vel ratione cauſæ, vel alterius cujusdam circumſtantiæ, ſanetur. Qui vero organa interna afficiunt, v. g. Uterum, hujusve teſticulos, Lienem, Meſenterium &c. nunquam periculo vacant, rariſſimeque curantur.

Ana[ſarca] §. VIII. Anaſarcam denique quod concernit, ſi hæc aſciti & pectoris hydropi, reliquisque internis diluviis comparetur, minus periculoſa eſt, ob circumſtantias ſuperius allatas, niſi gravior aliquis morbus, v. g. phthiſis aut tympanitis ipſi combinetur, aut aſcitem ſequatur. Tutior adhuc eſt minus univerſalis, v. g. crurum, ſub nomine tumoris œdematoſi, modo aſcites non ſimul lateat aut jam jam adſit.

CAPUT III.
Therapeuticum.

§. I.

THerapeiam denique Hydropis ut adjiciam, reſpicit hæc cauſam tam conjunctam quam antecedentem: & quidem utramque removendam, per remedia nunc cunctis hydropis ſpeciebus communia, nunc ſingulis earum propria.

Indic. ſeri ex[travaſ]ſati §. II. In genere ratione cauſæ continentis ſeu conjunctæ ſciendum, illam, h. e. ſerum extravaſatum & quod locum naturalem mutavit, ſui reſtitutionem ad canales & receptacula indicare: quia tamen (1) ſerum â cruore ſecretum non facile cum hoc in gratiam redit, inprimis ſi (2) aliquam corruptelam contraxerit, nec (3) Vaſa ipſius moli rejectæ recipiendæ paria, multo minus (4) de remediis conſtat, quibus ſerum (ſi forſan tumores œdematoſos recentes & exiliores excipias) illis impelli valeat; non tam reductioni, quam eductioni ejus, hic videtur ſupereſſe locus. Quæ quidem eductio quam citiſſime fieri debet, ne ex diuturniore ejus in compage par-

partium retentione tonus harum nimis laxetur, in Ventribus viſcera læ-dantur, erodantur, indurentur, aut quocunque modo corrumpantur, hinc novi morbi prodeant.

Inſtrumenta Pharmaceutica & Chirurgica.

§. III. Inſtrumenta ejus ſunt vel Pharmacevtica, vel Chirurgica; quibus tamen eorum primum locum concedam, ambigo. Dum equidem ſecundum præcepta Practicorum vulgaria ſemper à pharmacevticis, catharticis ſcilicet, diureticis &c. foret inchoandum: eo ipſo tamen, quo ſub horum uſu occaſio præceps operationibus Chirurgicis favens aliquando elabitur, & hydrops ejusque cauſæ ad ἀκμὴν deploratam plane evehuntur; tutius forſan & è re magis ægri non raro videbitur, evacuationem magis evidentem ſeu chirurgicam reliquis anteponere ſeu præmittere, quo *Lyſterum quoque de morb. chron. exerc. 8. ægrot. 8.* inclinare obſervo.

Pharmacevtica sunt Varia.

§. IV. Inſtrumenta pharmaceutica ſunt Catharſis, diureſis, & diaphoreſis, forſan tamen vix cunctis hydropis ſpeciebus harumque caſibus congrua. Ratione catharſeos monendum, illam ſecundum pleroſque adornari tantum κάτω, ſecundum nonnullos ἄνω ſimul, v. g. juxta *Sydenham* de hydrope, qui præ cæteris hydragogis hoc nomine Crocum Metallorum, hujusve infuſum extollit. Deprædicarunt alii idem medicamentum cum aliis vomitoriis, v. g. *Sennertus* cum floribus Antimonii, Mercurio vitæ, Turpetho minerali, Auro vitæ Kegleri &c. quamvis cum hac obſervatione, quod ſibi perſvadeant, emetica in hydropicis fere tantum per inferiora evacuare, quod nihilominus experientiæ repugnare innuunt. Præter infuſum illud antimoniale, Succ. rad. Iridis noſtratis, Elaterium, Sambuci Cortex interior, quæ cuncta hydragoga utplurimum hydropicis non minus ac aliis vomitus movent. Ut mirer, conterraneo ſuo *Lyſterum l. a. ægrot. 18.* adeo fervide hoc in puncto contradicere, qui tamen à magiſterio ſuo Veneris, ſucco Ebuli, Iridis & elaterio vomitus cum Euphoria *in Ægrot. 6. 7. 8. 9. 10. 13. 14.* annotavit: Potiſſimum cum ipſemet ille *Sydenham* non ſine omni limitatione emetica atque cathartica potentiora omnibus propinet, ſed prohibentia eorum ſatis accurate determinet.

Purgantia

§. V. Interim de purgantibus in genere docet Experientia omnium Practicorum, ſine his in medela hydropicorum vix aliquid ſalutare expectari poſſe: adeo ut quorumcunque ſcriptorum evolvas curatorum ejusmodi hiſtorias, ſine multa ac repetita Catharſi iſtos vix unquam reſtitutos fuiſſe, legas, excepto forſan *Sylvio*, *Poterio* ac *Williſio*, qui aquas in cavitatibus congeſtas à purgantibus educi haud poſſe credunt, utut in Anaſarca forſan locum habeant. Nec ſane deſtituuntur hi omni ratione dubitandi, multo minus exemplis eorum, quos fruſtra & ad tumulum usque purgatos teſtatur experientia quotidiana, ſiquidem vix concipere licet modum, quo purgantia ultra tertiam corporis regionem & ad cavitatem thoracis, abdominis &c. vim ſuam exerant. Adeo ut quamvis *Williſius pharm. rat. part. 2. ſect. 1. 13.* in hydrope pectoris catharticis vim aliquam tribuat, haud appareat nihilominus ratio ſufficiens, per quam nunc illam probet in aſcite antea in dubium vocata. Imo forſan cum *Sylvio de hydrope §. 184. & Williſio l. a. ſ. 2. c. 3. & 5.* Ambigere licet, annon hydrops hic magis exacerbetur, i. e. à purgantibus plus moleſtiæ aut noxæ, quàm levaminis ſeu emolumenti veniat expectandum: quatenus per illa ſerum intra vaſa funditur & ad loca affecta magis urgetur, ſicq; quod hactenus cauſa tantum antecedens erat, nunc conjuncta evadat.

Objectiones

Reſponſio.

§. VI. Verum prout monui effectum purgantium in hydrope quovis ſalutarem teſtatur plurium ejusmodi ægrorum hinc contingens reconvaleſcentia. Cujus teſtes ex Modernis deprehendimus Sydenhamum de hydrope & Lyſterum l. a. Utut nec deficiant contrarii ſucceſſus exempla: Et quod non omnibus æque exoptatus eveniat catharticorum uſus, non horum inertiæ, multo minus noxæ, ſed gravitati potius affectus erit adſcribendum; v. g. ſi à ruptura lymphaticorum,

rum, viſcerum induratione &c. ille fuerit. Sane fatendum eſt, latitare nos canales & modum, quibus ex cavitate abdominis v. g. aqua hydropicorum ad Ventriculum atque inteſtina reducatur, ut per hæc è corpore proſcribi queat: *Sed propter deficientem ætiologiam non eſt rejiciendum remedium; cum plurimorum medicamentorum modum agendi ignoremus, experiamur tamen eorum effectus deſideratos quotidie.* Exempli gratia, quoties non contingit, ſangvinem ad cavitatem calvariæ aut abdominis extravaſatum per nares, per Inteſtina, uterum &c. evacuari, ut ut modus, quo hoc fiat, nos lateat. Ut ut ergo naturam non ſemper imitari liceat, tentanda tamen & ſollicitanda illa eſt, donec meatus illos occultos quærat ac inveniat: quod quidem non raro ſine ſucceſſu fieri non tantum ex mole aquarum ſub Catharſi prodeuntium, hincque contingente partis tumidæ ſubſidentia, ſed vel hinc inprimis colligimus, quod illis etiam diebus, quibus à purgatione feriamur, aliquando continuetur non tantum aquarum excretio per alvum, ſed per meatus quoque urinarios earum multum excernatur, annot. *Sydenham de hydr. p. 170.* Et quamvis non raro obſervetur, Ventrem aſciticorum ſub & paulo poſt purgantium uſum aliquando non adeo ſenſibiliter ſubſidere, aut poſt aliqualem ſubſidentiam denuo intumeſcere, quaſi novo aquarum proventu iterum repletus foret, teſtante hoc inprimis *Sydenhamo l. a. p. 121.* Ipſemet tamen *Vir hic celeberrimus addit* ac rationi conſonum videtur, contingere tumorem hunc non tam à colluvie repetente, quam à flatibus & ſpaſmis, ab ataxia ſpirituum, per cathartica concitata, productis, quatenus inflatio hæc paulo poſt & ubi à purgantium uſu ceſſamus, vel ſpōte remittit, vel anodynorū prudentiore propinatione ſedatur.

Catalogus purgantium. §. VIII. Medicamenta hydropicis expurgandis congrua à practicis pronunciantur multa, ſc. ex Vegetabilibus Sambuci atque Ebuli baccarum grana & illorum Cortex interior hujusque decoctum, à *Sydenhamo* præ aliis commendatum; item Ebuli rad. Corticis mediani. Succus, *Lyſtero* in frequentiore uſu, Rhamnus catharticus ſ. ſpina infectoria hujusque ſyrupus à *Riverio* commendatus, à *Sydenhamo* vero & *Loſſio 3. obſ. 41. & 42.* approbatus, in illis ſcilicet, quorū Venter facile movetur. Quibus accedunt Soldanella, Gratiola, Succus Ireos Noſtratis, Gialappa, cujus Reſinam Borellus *cent. 2. obſ. 33.* deprædicat, Eſulæ radix, Elaterium ſ. ſuccus cucumeris aſinini, Gummi Gotte, Scammonium, & Iris Florentina cum tantillo jalappæ ex obſervatione *Mayerni.* Et ex mineralibus Crocus metallorum, *Sydenhamo* maxime æſtimatus, ſeu hujus potius infuſum, Luna hydragoga, poſt *Angelum Salam*, *à Boylæo de util. Phil. Experimental. & Williſio l. a. ſ. 2. cap. 5.* adeo commendata, Mercurius dulcis *Mayernio & Lyſtero* valde æſtimatus, & cum hoc ſubactus Mercurius vitæ ac præcipitatus ſolaris: quibus accenſeo flores lapidis Armeni ſeu ex quovis minerali Venereo, cum Sale Armoniaco ſublimatos *Lyſteri*, quos ens Veneris vocat *& pag. 64.* deſcribit.

§. VIII. Quorum quidem vis in evacuando prout diverſa, ita minus abhorrere debemus fortiora, ſed potius mitioribus hæc anteponenda, cum leniora i. e. quæ vel ſegnius, vel minus potenter, operantur, plus officere quam prodeſſe dicantur, ut videre eſt penes *Heurnium in Hipp. aph.* ubi ait, aquam inter peritonæum & inteſtina fluctuantem, quæque lenioribus evacuari nequit, Elaterio aut Euphorbio educi, *Sydenham*, qui *l. a.* damna mitiorum catharticorum explicat, hinc Elaterium, Crocum metallorum & ſuccum corticis ſambuci fere tantùm commendat, & *Lyſterus*, qui Elaterii radicis Ebuli, Euphorbii, Succ. rad. Ireos noſtratis ſimiliumque violentiorum efficaciam ſalutarem diverſis exemplis non minus, ac rationibus propugnat, ac ab inculpationibus vulgi prolixe ſatis vindicat. *Fortio[ra] proban[da]*

§. IX. Qualia tamen, inprimis Draſtica magis, nec ipſe *Sydenham*, nec alii Practici circumſpecti, in omni hydrope, nec omnibus hydropicis, æque admittunt, v. g. ſi à phthiſi aut viſceris alicujus labe, indura- *non t[...] ubi[...]*

induratione, putrilagine &c. vel a ſangvinis nimia corruptione fuerit malum, aut ſi æger a morbo antecedaneo aut evacuationibus aliis jamdum viribus enormiter fractus fuerit, quod pariter obſervandum de tenerioris texturæ Subjectis, in ſpecie fœminis, ataxiis Spirituum magis obnoxiis. In quibus caſibus à potentioribus catharticis & multo magis emeticis, non tantum non juvabitur æger, ſed viſceribus ac ſangvinis craſi magis debilitatis ac fractis malum augebitur; adeoque tunc ad diuretica potius confugiendum. Neque etiam ſtatim in prima hydropis invaſione i. e. ubi pedes tantum inflantur aut abdomen aliquantulum intumeſcit, opus erit catharticis ejusmodi, ſed ſufficient pariter diuretica atque ſplanchnica ſeu digeſtiva, de quibus inferius agetur. Imo in ejusmodi hydropis primordio emetica aquas non adeo prompte educere *Sydenhamus* expertus ait, at ubi major aquarum copia aggeſta fuerit, ipſam quaſi aquarum molem, dum emetici operatione agitatur ac concutitur, ad ſui evacuationem mire conferre; extra quem caſum ſolis per inferiora evacuantibus agendum foret.

[Diur]etica §. X. Eadem fere ratio eſt diureticorum, i. e. nec horum explicari valet ætiologia, per quamnam in Aſcite, hydrope pectoris aliarumque cavitatum cauſam continentem evacuent, quæ tamen in Anaſarca magis evidens eſt. Eo ipſo tamen dum experientia teſtatur, aſciticos non minus, ac Anaſarca laborantes, ab uſu illorum maxime levari & pro deploratis habitis reſtitui: *Rondelet. Method. part. 1. cap.* 36. & quidem interdum ſolis his in ejusmodi ſubjectis, quorum conſtitutio tenerior purgantibus ferendis impar eſt. Videatur *Mayernus pr. l. 3. c. 10. & Sydenham l. a.* Cavendum tamen ab illis videtur primo in ejusmodi Iſchuriæ cauſis & caſibus, ubi diureticis aliàs non conceditur locus. Deinde, ſi â ſolutione continui membrorum, urinæ ſecretioni atque excretioni vacantium, inundatio abdominis viſcerum evenerit.

Catalogus eorum §. XI. Diureticorum nomine ac virtute quæ polleant, ex Materia medica ſuppono, recenſebo hic magis appropriata, quæ ſunt ex Vegetabilib9, Linaria, Daucus, Geniſta, Petroſelinum, de cujus ſucci in hydrope ſanando efficacia videatur *Riverius obſ. à Famio commun. 5.* Ruſcus, de quo idem vid. *Riverius cent. 3. obſ. 52.* Salvia agreſtis ſeu montana *Mayernio* ſpecifice laudata. Allium, cujus vim deprædicat *Bartholinus cent. 2. hiſt. 74. & Sydenham p.* 105. decoctum Parthenii, Aparines, Epaticæ ſtellatæ, item plantaginis ſuccum cum vino paratum præſcribit *Mayernus l. a.* & hinc euporiſton *Johannis Angli* ex ſuccis his compoſitū, it. quod ſuum facit *Williſ. ph. rat. part. 2. ſ. 2. cap. 3.* Spectant huc terebinthina Balſ. Copayva, Salia alcaliſata Vegetabilium plerorumque, in ſpecie geniſtæ, ſtipitum fabarum, juniperi, abſinthii, tartari aut ex horum cineribus ac liquore appropriato aut vino acidulo parata Lixivia, ſi inprimis his aliquid abſinthii integri, Cortic. fraxini, Ligni Saſſafras &c. addatur, v. g. Lixivium benedictum aut diureticum Mynſichti. Ex Mineralibus hujus loci ſunt Nitrum, quod reliquis ſalibus hoc in caſu præfert *Mayernius l. a.* quod ſitim, intolerabile hoc in morbo flagellum, ſimul compeſcat; quemadmodum *Riverio* ſolo uſu ſalis Prunellæ per menſem integrum ſanatum obſ. hinc inde decept. 9. perhibet: it. oleum terræ, quod cum vino ſumtum urinam, ſudorem & Vomitum movere ajunt, it. ſuccinum & hujus Sal. Ex animalibus Ova formicarum, cum lacte ebutyrato cocta & expreſſa, *vid. Mayernius l. a. pag. 291.* Pulvis apum, Lumbricorum terreſtr. Millepedum, Cãtharides, de quib9 vid. *Riv. p. l. 11. c. 6.*

Sudorifera §. XII. Sudorifera an ex cavitatibus, v. g. Aqualiculi, ſerum educant, merito dubitatur, licet forſan cauſam antecedentem viſciditatem Lymphæ, hincque ortas ſtagnationes ſolvant, ac anaſarcæ cauſæ conjunctæ quoque proſpiciant; imo aſciticis & hydrope Pectoris laborantibus, dum ad ſudorem adiguntur, moleſtias atque anxietates enor-

normes pariunt, ac teſtante *Plat-ro* Febres, Cephalalgias, Vertigines, Lipothymias ſimiliaque Symptomata concitant, abdomine interim v. g. haud ſubſidente, ſed in majorem potiꝰ molem intumeſcente. Horum ſiquidem poteſtas ultra tertiam corporis regionem ſe vix exerit, ſed, uti dictum, cauſam tantum antecedentem in ſecunda ac tertia movent. Ubi tamen ſimul metuendum, quin maſſam ſangvineam fundendo ſerum pariter ad cavitates morboſas ac per habitum externum ejiciat.

Chirurgica ſunt §. XIII. Fida ac evidentior videtur activitas Chirurgicorum præſidiorum in cauſa hydropis conjuncta tollenda; qualia ſunt, Fonticuli, Ligaturæ, Paracenteſis & Scarificatio; quamvis nec hæc omnibus ex morbi hujus ſpeciebus æq; congruere videantur. A nonnullis quoque commendantur Veſicatoria, forſan in anaſarca tantum, ut videre penes *Riverium obſ. a. Jacoz. com. 21. & Williſium Ph. R. part. 2. ſ. 2. cap. 5.* aut ſi ſerum ex abdomine ad crura delabatur, his admovenda. Quarum nihilominus uſus ſuſpectus creditur *C. Piſoni l. a. Septalio animadverſ. pr. l. 7. §. 56. Hildano cent. 1. obſ. 49. Sydenhamo de hydr.* & ipſemet *Williſio l. a.* quod, quia majorem ſæpe colluviem poſt ſe trahendo, ſpirituum activitatem & vitalitatem partium extingvant, ſphacelo lethali non raro occaſioni exiſtant.

Veſicatoria

Fonticuli. Tutiores forſan ſunt fonticuli, a *Celſo, Aetio, Hild. cent. 6. o. 42. & Williſ. l. a.* commendati, ſc. quod lente magis operentur & per eſcharam partem a gangræna defendant; minimè tamen, animadvertente *Capivaccio pr. l. 3 cap. 18. & Hildano a. l.* quia cruribus applicari debent, admoveantur his tumidis, unde etiam *Hildanus a. l.* per ligaturam expulſivam & fotus appropriatos tumidas tibias ad hanc adminiſtrationem praparat. Aſt pariter in Anaſarca potius, quam aſcite & hydrope pectoris, convenire videntur; niſi forſan in his paracenteſeos inſtrumentum præſtent, aut ſerum forſan ad crura ruat. Porro Ligaturæ expulſivæ aliquando inſignis efficaciæ obſer-

Ligatura

vantur, non tantum in tumoribus pedum, ſed annotante *Riverio obſ. à Fomio comm. 6.* in hydrocephalo quoque. Scarificatio pariter aquas tantum, quæ habitum externum inundant, evacuat, nihilq; refert ſive acu tantum communi, quam *Williſius l. a. cap. 5.* commendat, ſive inſtrumento ſcarificatorio Chirurgorum ſ. balneatorum adornetur, modo præceps & nimius iſtarum effluxus inhibeatur. Sic enim ſi colluvies hydropica non ſtatim omnimode exhauriatur, certe in malo etiam deplorato vita ægrorum aliquandiu prolongatur: Quo ſpectat illa femorum inciſio, quam *Lyſterus l. a. ægrot. 1.* adornavit, nimirum femoris utriusq; partem internam longa & profundiore plaga incidendo, hincq; lineamentum tortile penicilli inſtar, unguento Apoſtolorum imbutum, imponendo, ſicq; cum purgantibus repetitis & ſtrictiore potu aquas brevi educendo.

Scar

§. XIV. Paracenteſin vero demum quod ſpectat, præſentaneum aliquando in aſcite ac pectoris hydrope obſervatur remedium teſtantibus hoc in abdomine *Rondel. meth. cur. lib. 1. c. 36. Scult. Chir. tab. 38. Barth. Act. Hafn. vol. 1. o. 8. Riverio o. a Fom. com. 4. ſylvio pr. l. a. cap. 17. ac de hydrope §. 126. & 127.* ac de morbo *epid. Leid. §. 534. Barbet. Chir. lib. 1. c. 14. & Meeckren obſ. Chir. 47. & 48.* & in thorace *Williſio l. a. ſ. 1. c. 13.* ne ejusmodi obſervationes tangam, caſu nimirum Abdomine perforatorum ſicque a ſarcina hac ſeroſa liberatorum, quales *M. Donat. cent. 3. o. 12. Rouſſ. de partu cæſ. p. 44. & Rhodius cent. 3. obſ. 12.* annotarunt. Contra alii adminiſtrationem hanc aut damnant, aut certe minus deprædicant, quaſi nō tantum morbum haud tollat, ſed mortem quoq; maturet, v. g. *River. cent. 4. obſ. 82. Tulpius lib. 2. obſ. 38. Sydenh. l. a. Liſterus l. a. ægroto 18.* Verum hoc remedii genus non tam in ſe, quam intempeſtive ac minus rite applicatum funeſtum videtur, cum vulnera abdominis integumentorum nunquam ſint lethalia per ſe. Hinc non ejus uſus, ſed abuſus tantum, erit damnandus, quod in-

Parac

innuere videntur pleriq; Practicorum & inter hos *Lyſterus* ipſemet *l. a.* & per conſequens cum ſumma prudētia ſvaderi atque adminiſtrari debet hæc Chirurgia.

Cautela in paracenteſi.

§. XV. Cautelas in ejus adminiſtratione attendendas recenſere prolixũ foret & Chirurgi muneris eſt; ſupponã potius hic peritiorem Operatoris manum, ne per hanc eveniat, quod *C. Piſo ſ. 4. cap.* 3. perhibet, perforatum quendam aſciticum altero mox die è vivis exceſſiſſe, Chirurgo non ſatis experto ligamentum epatis præſcindente; niſi forſan dicere malimus, ſcirrhoſum epar potius in hoc ſubjecto cauſam mortis extitiſſe. Potius medico disquirendum, quibus & quando hoc præſidium quadret. Nam vix locum primo habebit in hydrope, cujus cauſa remota non ſolubilis eſt, ubi nempe viſcera indurata, & corrupta, lymphatica, & lactea majora, lacerata, renes eroſi, ureteres rupti aut vulnerata Veſica eſt, item ſi fuerit hydrops veſicalis vel viſceribus ipſis colluvies hæc ſuffuſa, aut, ubi eadem ac humores graviore atonia ac dyſcraſia laborant, v. g. â febre chronica introducta. Contra non ſine omni ſpe adminiſtratur in ejusmodi ſubjectis, quorum viſcera ſunt integra & absque labe notabili, Lymphatica & Lactea vel plane non, vel minores tantum horum ſurculi, lacerata, ſi à cauſa evidente & ſine contumaciore procatarxi prodeat malum, v. g. â potu inordinato intempeſtivo. Deinde nec omni tempore quadrat operatio hæc, ſed in principio & incremento ſaltem morbi; dum vitio hoc magis inveterato, ſerum extravaſatum interranea corrumpit, & quaſi decoquit, horumque texturam variis modis evertit, deficiunt interim ſimul vires, *vid. Panarol. pent. 2. obſ. 17. Fien. tr. Chir. 6. cap. 8. & Sylv. pr. l. a.* Tertio nec adornanda in ſubjectis cachecticis, febricitantibus aut ab aliis morbis enervatis, quæ tuſſi ac fluxu alvi laborant, nec in pueris & ſenibus aut nativitate hydropicis, qualium hiſtorias recenſent, *M. A. Severinus de Abſceſſ. pag. 266. Platerus obſ. pag. 748. & Bonnet. Anat. pr. lib. 3. ſect. 21. obſ. 16. in Schol.* demum nec ſoli paracenteſi innitendum, ſed huic cætera remedia, tam evacuatoria, quam alterantia, combinanda.

Adjungendi Clyſteres.

§. XVI. In ſpecie pro aquis Aſciticorum eliciendis mirum quantum conferunt Clyſteres; & quidem ſine notabili viſcerum atque maſſæ ſangvineæ exagitatione, ex hydragogis nimirum & aromaticis parandi, v. g. ex gratiola, abſinthio, ſoldanella, beta, floribus geniſtæ, centaur. minori, radice Ireos noſtratis, Bryoniæ, cortice medio ſambuci, ſemine cumini, carvi &c. cum urina inprimis decoctis, quemadmodũ *Valeriola obſ. 2.* Urinam in qua modicum fermenti ac tantillum ſem. anethi, aniſi &c. ebullierant, cum melle pro enemate euporiſto commendat, & *Williſius* urinam meram, in qua aliquid Terebinthinæ ac nitri diſſolutum injicere jubet. Clyſmata pariter conficere ſvadet *Mayernius l. a.* ex croco metall. & gummi Gotte, cum vino generoſo ſolutis aut extractis hocque liquore, vel cum hydragogorum & Carminantium decocto, vel cum ſola urina & terebinthina, injiciendo; It. ex radice cucumeris aſinini, vel rad. Ebuli, ſuppoſitoria formare pro eodem ſcopo evacuatorio licet.

Cura præſervatoria: per incidentia.

§. XVII. Quoad cauſam hydropis antecedentem ſeu Therapeiam præſervatoriam lymphæ lentorem corrigunt amara & aromatica, ſalina & Martialia ſcilicet abſinthium, centaurium, marrubium, ſatureja, ſalvia, montana beccabunga, naſturtium, cortex fraxini, tamariſci, rad. amaræ dulcis, gvajacum, ſaſſafras, ſpecies diacurcumæ, rad. ruſci, rub. tinctor. aria, raphan. ruſtic. allium, baccæ juniperi, ſpecies diaturbith. diacubebæ, diarhabarbari &c. tartar. vitriolatus, arcanum duplicatum, ſp. ſal. armoniac. ſimplex & aromatiſatus, tinctura tartari, limatura & crocus Martis aperitivus. De quibus tamen incidentibus ac digeſtivis notetur primo, illa in hydrope recente, i. e. ubi ſerum eruptionem adhuc minatur, & circa extrema vaſorum ſuorum ſaltem ſtagnat, ſine catharticis, aliquando etiam

iam ſine diureticis ſufficere, & his ſolis interdum malum cedere; modo monente *Sylvio* & *Mayernio* ab horum uſu aut ſe in lecto contineat, aut moderato corporis exercitio exponat æger, adeoque utraque ratione diaphoreſin & activitatem illorum medicamentorum juvet; præprimis cum penes *M. Donatum Hiſt. mirab. lib. 4. cap. 21.* legere liceat, quendam hydropicum ab aſſiduo labore, ſine ullis aliis remediis convaluiſſe. Deinde juxta *Sydenham*, quoties vel ſolis his digeſtivis, vel etiam diureticis, in ſpecie alcalicis, morbum aggredimur, ab omni catharſi cavendum; utpote quæ, dum cruditati & viſciditati ſeri ac ſangvinis corrigendæ vacamus, illam auget & recrudeſcere facit, ſæpe adeo ſenſibiliter, ut, qui tumor à digerentium uſu jam imminui cœperat, mox à purgatione ſenſibiliter denuo augeatur. Nihilominus dum aquas per purgantia evacuare contendimus, haud abs re erit, reſolventia illa his ſubinde interponere, ſicque digeſtiones viſcerum reſuſcitare aut conſervare.

Evacuantia

§. XIIX. Ejusdem ſeri abundantiam imminuunt præter evacuationes pharmacevticas hactenus explicatas Veſicatoria & Fonticulos, à Sylvio de hydrope commendata ſalivatio, in anaſarca quovis tempore, in reliquis ſpeciebus in principio tantum morbi, adminiſtranda: quatenus ſalivatio interdum ſpontanea hydropicis Belgis cum euphoria contingit. Quemadmodum ex fonte diætetico ſeri abundantiæ mirum, quantum, derogat potus abſtinentia aut partior tantum ejus pitiſſatio, adeoque hydropem ſenſibiliter hinc mitigari teſtantur omnes uno ore Practici, v.g. *Dodonæus obſ. 116. & 117. Panarolus pentecoſt. 4. obſ. 88. Hildanus cent. 4. obſ. 41. Hollerius de morb. intern. cap. 39. Riverius pr. l. 11. cap. 6. ac obſerv. à Jacoz. comm. 21. Williſius l. a. c. 5. Sydenham. & Liſter. l. a.* Quamvis *Schenckius obſ. p. 434. Panarolus pent. 2. obſ. 24. pent. 2. o. 24. Dodonæus l. a. & Pechlinus lib. 10. obſ. 63.* annotaverint, quosdam per nimiam & avidiorem juſto potulentorum aſſumptionem ab hydrope fuiſſe

abſtinentiam potus.

liberatos: quod quidem non ſine ſummo diſcrimine & per accidens tantum factum videtur, quatenus vel à potulentorum mole, vel ab eorum ſimul fermenteſcentia (v. g. Zythi illius generis, quod in Belgio **Bottel-Bier** ajunt, quoque abutebatur illa virgo aſcitica, cujus Pechlinus meminerat,) umbilici ruptura, diarrhœæ, hæmorrhoidum fluxus &c. contingunt ſalutares, cauſam hydropis proximam evacuantes.

genero[ſi] potu[s]

§. XIX. Potus etiam, qui conceduntur, minus aquoſi ac tenues ſint, ut ut forſan ægri palato arrideant, cum primam æque ac reliquas digeſtiones magis debilitent & aquoſitates in corpore cumulent; potius his præferantur cerevíſia generoſior, vel per vegetabilia acriora, v. g. herb. abſinth. cochlear. ſalv. rad. raph. ruſtic. lignum &c. medicata, aut ipſummet vinũ, itidem vel ſimplex, vel medicatum; ita tamen, ut aliqualis jamdum aquarum ſubtractio præceſſerit, cavendo maxime à Spiritibus ſulphureis. *vid. Sydenh. pag. 182. & 183.* Siti interim fallendæ Nitri, ſuperius commendati, uſus frequentior prodeſt, it. collutiones oris cum aqua ſimplici, Sp. Vitrioli, acidulata, vel tamarindi aut Limonum fruſtulum ore volutata, minime tamen deglutita. Aut tenetur illud palliativum remedium, quo ab omni potu per menſem abſtinens fœmina quædam penes *Liſterum ægrot. 17.* utebatur: nempe particulam panis toſti, Spiritui vini intinctam aliquoties de die in ore detinebat, ad ſalivam movendam.

aperien[tia]

§. XX. Si vero vaſorum ac Viſcerum obſtructiones diluvium hoc inferunt, per diuretica ac digeſtiva diaphoretica hactenus enarrata illis mederi convenit; quamvis, ubi viſcera indurata, parum ſpei ſupereſſe, ex prognoſi pateat. In ſpecie, quæ renum & ureterũ oppilationi quadrent pro cauſarum & circumſtantiarum diverſitate varianda; quemadmodum pariter de illis, quæ Menſium ſuppreſſionem ſolvunt, praxis conſulenda.

tonum [...] rum re[...] entia

§. XXI. Demum partium recipientium tono laxato erit proſpiciendum, cum fibrarum laxitatem p. n. copioſioris

ris ſeri affluxus cauſam aliquando exiſtere, ex ſuperioribus conſtet, i. e. laxioribus ſeu debilioribus membris modo per adſtringentia, modo roborantia ſeu nervina, & quidem tam interne, quam externe, adminiſtrata, ſuccurrendum. v. g. per Decoctum foliorum quercus, cujus ſolitarii efficaciam ſingularem in hydropicis teſtatur *Riverius obſ. hinc inde decerptar. 9.* cujus etiam generis ſunt mala granata, de quibus *vid. Avicenna lib. 3. fen. 14. tr. 4. cap. 13.* Externe conducunt Empl. de minio, in Aſcite abdomini applicandum, it. Spiritus vini, Emplaſtrum Oxycroceum, dia-ſaponis. in pharmac. Londinenſ. deſcriptum, cruribus œdematoſis ac hydrocephalo, de quibus vid. *Williſ. ſect. 2. cap. 3. & 5.* it. acetum cum Charta bibula tibiis tumidis adplicatum, Lixivia cinerum fagi &c. Decoctum Calcis vivæ & reſolventia communiter dicta, v. g. carminantia. Quemadmodum huc referendæ Ligaturæ expulſivæ, de quibus ſuperius dictum.

F I N I S.

****

DISPUTATIONUM LANGIANARUM Vigeſima Sexta: De

ICTERO EX PASSIONE HYSTERICA.

PROOEMIUM.

QVot & quibus nobilis ac decorus Corticis humanæ folliculus vitietur quandoque nævis, quam turpibus afficiatur ſtigmatibus atq; a ſua venuſtate ſæpe non ſine nauſeoſo tædio deturpetur, ubique obſervarunt illi, quibus curæ eſt hominum ſalubritas. Reperiuntur quidem haud pauci, quorum in numero potiſſimum Afri, aliique Climatis Orientalis Populi, quibus præcipue ardor ſolis aerisque injuria ſpurcam fœditatem, quoad nos quidem, non vero quoad illos dicendam, (nam illis niger color ſummum decus honorque maximus ſemper æſtimatur) velamento corporis huic utplurimum infert atque cauſatur. Quid dicam de ſcabie hærente in cutis cancellis, hæc non raro tantum ex contagio ſtraguli veſtiumve tanta cum ubertate homines invadit, ut cum Satyriasmo aut Elephantiaſi certare videantur. Quemadmodum autem hæc ἐπιδερμίδος vitia à quodam malo regimine, vel etiam ſuperſtitioſo faſtu ortum trahunt, ita quoque ſæpenumero contingit, ut Phantaſia matris forti impreſſione multifarium in modum proli nocumenta & haud raro immedi-

medicabilia ſoleat imprimere ſtigmata nævosque. Utut vero præter recenſitas plurimæ adhuc aliæ magnæ hujus Naſſæ mutatæ qualitates ad extra advenientes ſoleant infeſtare corporis noſtri ſuperficiem, attamen multas ſane ex cauſa quadam in maſſa ſangvinea ſtabulante, aut viſcere aliquo interno providam naturam ad habitum corporis protrudere ferme quotidie cernimus. Sed illas ut recenſeam nunc omnes, nec inſtitutum meum, nec anteloquii limites permittunt. Quam ob rem ſicco, quod dicitur, pede ea omnia tranſeo Exanthemata, mitto itidem Ulcera gallica, Varos, Guttasque roſaceas, ipſas quoque Strumas, quas ſolo attactu Reges Galliæ curare (quod & de Regibus Angliæ referunt) ſuperſtitioſe & fruſtra creditur. Certe Carolus Stephanus, notante *Dieterichio in Iatreo numer. 124.* teſtatus eſt, ſe vidiſſe ſtrumas à Galliæ Regibus tactas, ſed an ſublatæ fuerint, ſe omnino neſcire, neque unquam de certitudine aliquid audiviſſe affirmat. Porro intactum relinquo Eryſipelas, Lentigines, Maculas hepaticas, Impetigines Serpiginesque. Relictis his omnibus cuticulæ vitiis atque morbis, meas ſolummodo ad Icterum Flavum, quem ipſe in muliere quadam ex paſſione hyſterica poſt obſtructos menſes obſervavi, directas volo meditationes; Lectorem Candidum obnixe rogitans, ut minus Icteritiis oculis, h. e. ſereno vultu hancce inſpicere & perlegere diſſertationem, ac de eadem placide benigneque judicare, ut & erroribus pro patrocinio humanitatem veniamque concedere velit. Interim ut ſcopum, qui eſt Dei gloria, ſalusque proximi, attingam, humillime ardentiſſimis Divinum imploro auxilium precibus, ut ſua gratia ſuaque benedictione hiſce meis conatibus quam clementiſſime adſit, laborisque præſentis ornet ingreſſum, progreſſum dirigat, egreſſum compleat, quo omnia cedant, ex voto veteri, Feliciter.

HISTORIA MORBI *ſive* CASUS.

MUlier Plethorica viginti novem aut quod excurrit annorum, poſtquam menſes per ſemeſtre ſpatium obſtructos habuit, citra omnem metum, improviſum dolorem in regione hypogaſtrica plus minus atrocem ſentiebat. Præterea ingens ſimul obveniebat dolor & capitis & laterum. Tormina infimi Ventris cum Cholera humida experiebatur. Facies maxime palleſcebat ſyncope ſupervenienteatque cardialgia. Quibus omnibus per medicamenta conve-

convenientia ſedatis, cum omnium admiratione color flavus in oculos, faciem totumque corpus incurrebat. Urina erat craſſa & flammea, linteumque intus madefactum croceum colorem exacte præ ſe ferebat. Scybala maximum in modum albeſcebant. In latere dextro dolor punctorius ſæpe ſatis moleſtus notabatur. Cæterum potum abhorrebat ferme omnem, ſaporque erat amarus. Expetit auxilium.

RESOLUTIO.

§. I.

EQuidem ex hiſtoria hac duo morbi, quibus ægrota fœmina infeſtata fuit ſatis manifeſte occurrunt, alter primarius atque præcedens, qui fuit Paſſio hyſterica à ſuppreſſis menſibus per dolorem in hypogaſtrio, in capite & lateribus, tormina ventris cum fluxu alvi slavi bilioſo, pallore faciei, cardialgia ſyncopeque ſeſe manifeſtans, alter ſecundarius & ſuccedens, Icterus nimirum flavus; Verum inſtituti mei memor ad poſterioris duntaxat pertractationem me converto, in qua de ejus onomatologia & definitione reali more ſolito pauca quædam ſum præmiſſurus. Prioris vero morbi, quem jam debitis remediis curatum fuiſſe ex hiſtoria patet, & propterea ulteriorem declarationem, quantum neceſſe erit, inter cauſas Icteri ſuo loco tantum traditurus.

Onomatologia. §. II. Quod Icterus Græco nomine ἴκτερος, in latinitatis forum recepto, color ille flavus in communibus corporis integumentis occurrens, vocetur, notius eſt, quàm ut prolixa indigeat demonſtratione. Unde vero græca vox originem aut derivationem ſuam obtinuerit, inter ſe non conveniunt. Enimvero ſi ex *Oppiano* certum eſſet, quod avis quædam ἴκτερος, Lat. Galgula vel Galbula, ſive Picus nidos de arbore ſuſpendens, (uti prolixe deſcripſit *Ulyſſes Aldrovand. Ornitholog. lib. 12. cap. 39.* qui tamen nomen Icteri inter Synonyma minime retulit, obiter tantum ex *Plinio* circa uſum Medicum ejusdem faciens mentionem) dicta fuerit à colore flavo, quâ etiam ave ab Icterico ſpectata morbus noſter curari ſoleat, ave quidem moriente, ſed liberato ægro, ita docente *Plinio l. 30. H. N. c. 11.* Quid opus eſſet confugere ad ἰκτῖνα milvum vel ἰκτίδα muſtelam ſive viverram, quorum animalium oculi flavo colore tincti conſpiciuntur. Miſſo ſic græco nomine Latinis morbus Regius vocari ſolet, item Arcuatus & more antiquo, Arquus pro Arcus, Arquatus; Nec non Aurigo, aliis Aurugo, Item Icteritia haud dubie ex *Paracelſo*, in cujus operibus peculiaris *libellus de Icteritiis* inſcriptus habetur, quamvis hæc terminatio neque græcæ neque latinæ linguæ reſpondeat, quarum appellationum variæ rationes proponuntur, verum cum ubique tam in Autoribus, e. g. in *Hartman. in Prax. Chymiatr. Foreſto, Sorbait, Ettmuller, &c.* quam diſſertationibus de hoc Morbo, illas legere liceat, haud operæ pretium cenſeo hic denuo prolixe repetere. Cæterum locum in S. Bibliis apud *Jeremiam cap. XXX. v. 6.* ubi nomen Hebræum à Tremellio explicatum *Jeracon*, quod ſignificet ſpeciem morbi regii vel auriginis, Philologis decidendum relinquo. Quemadmodum & alia rariora nomina, ut κυάθισκος & *Cyathiſcus* apud *Cœl. Aurelian. lib. 5. cap. 20.* quam vocem *Sylvaticus in Pandectis* adhuc magis corrupit per *quiaſciſcon* exprimens. Vernaculo Idiomate dicitur die Gelbſucht oder Geelſucht/ interdum & à *Paracelſo* generalius die Farbſucht.

Deſcriptio. §. III. Ad realem affectus hujus cognitionem pergo, Icterum Flavum ſequentem in modum deſcribens: Icterus vel Aurigo eſt ſymptoma tertiæ claſſis, videlicet qualitatis viſibilis p. n. mutatæ, nimirum color in communibus corporis integumentis & oculis p. n. flavus vel croceus apparens, cum vi-

virium langvore, oris amarore abſque vel cum ſiti, alvi ſiccitate, vel excrementis ejusdem albicantibus, ſine vel cum febre ſpuria morbus viarum bilis ſecretioni dicatarum vel obſtructarum, ſive, uti aliis placet, anguſtatarum, à variis cauſis mediatis & immediatis, lentore præſertim bilioſarum portionum, tanquam cauſa proxima, obortus & dependens.

Genus. §. IV. Circa genus nulla ſubeſt difficultas, cum tres claſſes ſymptomatum dari, Actiones videlicet læſas, Excernenda diverſimode læſa, & qualitates etiam non uno modo vitiatas, ex Inſtitutionibus & fundamentis medicinæ generalibus hodieque notiſſimum ſit. *Subjectum.* Circa ſubjectum vero expediendum erit dubium: quodnam nimirum inter corporis communia integumenta potiſſimum in Ictero afficiatur. Communiter enim ab Anatomicis numerantur quatuor, videlicet Cuticula ſive Epidermis, Cutis, Pinguedo & Panniculus carnoſus, quem numerum & retinet *Barthol. Anatom. Renovat. l. 1. c. 1. ſeqq.* Alii ex recentioribus ternario numero contenti ſunt, haud dubie hanc ob cauſam, quia pingvedo non ubique reperitur, hinc penitus eam excludunt, aut ſub membrana adipoſo-carnoſa comprehendunt. Inter quos merito refero *Excellentiſſimum & Experientiſſimum Dominum Johannem Mauricium Hoffmannum*, quando *in Exercit. I. ideæ machinæ humanæ ſect. 11. §. 3.* recenſet pingvedinem omittens, nihilominus cum Malpighio admittens corpus reticulare mucoſum, arctiſſime quidem cuticulæ cohærens, revera tamen ab illa diverſum, ut ita quaternarius numerus hoc modo quoque defendi poſſit. Quod ſi ergo quæritur, quænam in Ictero ex his communibus velamentis eſt pars affecta? Animus eſt in dubio quid reſpondendū ſit. Si enim cuticula colorem in ſe nullum habet, ſed ſolum tenuis & perſpicua eſt, cutis vero etiam in Æthiopibus non nigricat, ſed nigredo corpori reticulari mucoſo inhæret, qui color per cuticulam transparet; Hinc videtur, quod etiam in Ictero color flavus tantum dicto reticulari corpori cuticulæ immediate adhærenti ſit tanquam ſubjecto attribuendus. At quia coloris in Æthiopibus alia prorſus eſt ratio, ejusque origo potius ab aëris fervore in illis regionibus calidioribus deducenda, veroſimilius eſſe duco, ſi cutis non prorſus excludatur à ſubjecto Icteri, ſiquidem materia colorem flavum gignens ſine dubio per arteriolas una cum ſangvine eo prius defertur, antequam corpus reticulare tingere queat. Interea cum hæc ſubtilitas ſcrupuloſa non impediat, quo minus in cognitione affectus ſufficiente curatione que progredi queamus, in medio relinquere placet.

§. V. Jam differentia à coloris varietate deſumta expedienda, præſertim illa ab omnibus antiquis & recentioribus receptiſſima inter Icterum flavum & nigrum, & an ſpecie differant ambo, ventilandum mihi eſſet, niſi ab hoc labore cancelli hiſtoriæ me liberarent, colorem ſolum flavum exprimentis. *Differe[ntia]* Obiter ſaltem hic tetigiſſe ſufficiat mihi eorum recentiorum ſententiam, qui tantam differentiam ratione partis mandantis inter utrumque Icterum non admittunt, v. g. quod Icterus flavus ſit morbus hepatis, niger vero lienis, quia veteres crediderunt lienem eſſe ſedem ſucci melancholici, quam etiam *Paulus Sorbait in praxi ſua* retinuiſſe legitur. Nam certe obſervationes hactenus contrarium teſtantur, quod in Ictero nigro & Melancholia hypochondriaca lien nihilominus immunis poſt mortem fuerit deprehenſus, v. g. apud *Walæum Pract. Med. c. 12.* Et *Lindanus* teſtatur, ſe in Friſia multos curaſſe, qui ſcirrhos tumoresque lienis habuere, in quibus tamen ægris nullum veſtigium Icteri nigri conſpicere licuit. Si igitur loco flavi coloris, viridis, nigricans, aliusve obſervatur, illud materiæ fluidæ corruptioni magis acidæ quam bilioſæ adſcribendum erit, ita ut Icterus niger de Scorbuti malignitate participare mihi nullum dubium videatur.

Cauſa p[ro]xima §. VI. Ulterius nunc progreſſum facio ad Ætiologiam, cauſas nimirum tam proximas quàm remotas, à quibus

bus Icterus in ægra obortus fuit, expoſiturus. Illas quod attinet, cum ſymptomata ſequantur morbos, ut umbra corpus, immediatæ cauſæ loco erit hic quoque determinandus morbus, & quidem accuſanda venit obſtructio ſcil. viarum in hepate bilis ſecretioni deſtinatarum, præprimis ductuū choledochorum hepaticorum in gibba jecinoris parte potius, quam cyſticorum ad veſiculam felleam in ejus parte ſima excurrentium, quoniam ægram noſtram in dextro hypochondrio de dolore punctorio frequentius moleſtante conqueſtam eſſe hiſtoria refert. Et hic ſine dubio ab impedita bilis ſecretione ſtagnationeque in vaſculis illis ſpicula ſua Sulphureo-Salina in fibrillas nerveas exerente excitatus fuit. Quod paulo poſt ulterius declarabitur, hoc prius præmiſſo, quod ob hanc diverſitatem obſtructionis aut cujusvis anguſtationis ductuum felleorum hepaticorum & cyſticorum *Celeberrimus Dn. D. Wedelius* Icterum in hepaticum & felleum dividere non dubitaverit per illum intelligens, ſi colatorium bilis hepar in ſuis ductibus ſit obſtructum, ſcirrho laboret, aut inflammatione, per hunc vero ſi veſicula fellea, viſcidis humoribus vel calculis referta bilem ſuam ad inteſtinum duodenum non dimittat *Pathol. Med. dogm. Sect. III. c. 13. p. 680.*

[M]ateria [Ict]eri. §. VII. Licet verò Materia Icterum conſtituens & colorem naturalem in habitu corporis & oculis in flavum permutans, urinæ quoque intenſè rubentem tincturam impertiens, quæ aut chartam aut linteamina illâ imbuta flavo colore tingit, bilis communiter dicatur, ſunt tamen alii, qui adhuc in dubium vocant, quorum momenta ſolum paucis ventilare licebit. *[...]ara...* Quod *Theophraſtus Paracelſus* Chemiæ & Chemicorum Anteſignanus & infenſiſſimus Galenicæ doctrinæ hoſtis & oſor ſtatuerit, Icteritiam colorem ſuum citrinum nequaquam ex natura originem ducere, ſed ex re compoſita mutuari; videlicet triplici ſale Entalico, Vitriolo & liquore Sulphuris reſoluti, è libro de Icteritiis ſtatim cap. I. nec non ex aliis locis clare pateſcit. Verum cum hæc & pleraque omnia, quæ de hoc affectu aliisque morbis paſſim in ſcriptis ſuis tradidit, numeris Platonicis & Pythagoricis obſcuriora ſint, neque tanti momenti, ut in illis ventilandis tempus impendam inutiliter, lubens prætereo. Hunc verò ſecutus acerrimus alter Galenicorum adverſarius, *Helmontii.* *Johannes Baptiſta van Helmont* clarioribus verbis Icterum à bile & folliculo fellis obſtructo in corpus regurgitante provenire negans *tr. Scholar. humoriſtar. Paſſiva deceptio c. 5. per totum*, tantum concludens totam bilis inventionem Humoriſtarum eſſe futilem, mendoſam & periculoſam, nidum vero Icteri eſſe à pyloro usque ad finem duodeni, & materiam, quæ corpora Ictericorum tingit, eſſe ſtercoream virulentam, quod per experimentum lucii piſcis ſuperligati ſtomacho ſe ſatis probaſſe exiſtimat. Aſt licet concedi facile queat, non omnem Icterum eſſe ab obſtructione cyſtidis felleæ, quia tamē odio plusquam Vatiniano in Humoriſtas quaſi incenſus ſibi ipſi non ſatis conſtat, vanum quoque diſcrimen inter fel & bilem ſupponens fingit & totam rem obſcuritatibus ſuis magis intricat, quam quod expediverit, haud operæ pretium eſſe mihi videtur, argumenta illius prolixius ſub examen vocare. Sunt quidem adhuc è Medicis hodiernis, quibus Helmontii opinio ob quædam phænomena & dubia arridere videtur, mearum tamen jam non eſt partium, illa ſub incudem vocare, ſed ſolum quæ mihi de materia Icterū gignente veroſimilia videntur, ulteriori exponere ventilationi.

Ortus bilis ac ſecretio §. IIX. Suppono igitur primum, quod etiam hodieque in confeſſo eſt, dari in ſangvine naturaliter portiones quasdam ſulphureo-vel oleoſo-ſalinas ordinarie flaveſcentes, tenues ac fluidiores, quæ veteribus & multis adhuc recentioribus bilis vel fellis (hæc enim duo vocabula recte pro Synonymis habentur, quippe Græco unico nomine χολὴ gaudentia) naturalis nomine veniunt, á *Cl.* vero *Johanne de Muralto in Vade mecum Anatomico ſive Clave Medicinæ Exerc. III.* §. *2. ſeqq.* Alimentariæ Bilis titulo inſigniuntur. An verò adhuc aliæ illis admixtæ ſint

flavæ innominatæ à *Joh. Broen Exerc. Medico-Phyſica de Bile duplici veterum c.3. §. 2.* dictæ, quas per phænomenon unum & alterum demonſtrare quidem auſus eſt, neceſſario ſtatuendæ ſint, certo aſſerere nolo, cum jam mei non ſit inſtituti de hac bile naturali plura verba facere. Cæterum extra dubitationis aleam poſitum eſt, illas portiones bilioſas naturales progreſſu temporis ob longiorem moram & repetitum cum ſangvine fluxum & refluxum excrementitias fieri & effœtas, ac propterea ſecretionem imo & excretionem per & ad loca convenientia poſtulare, quæ bilis excrementitia naturalis vocatur, atque harum major forſan quantitas in hepatis glanduloſo viſcere, partim ad ductus choledochos hepaticos, partim ad veſicam felleam & mediante canali communi choledocho ad inteſtinum duodenum amandatur, tincturam quoque diverſimode flaveſcentem fecibus alvi impertiens. Deinde non exigua ejus portio in renibus colatoriis una cum ſero excrementitio illam diluente ad veſicam ſecedit & urinæ colorem flavum magis vel minus impertit. Licet igitur Viri hodieque clariſſimi negent, urinæ colorem eſſe à Bile, non aliter tamen hoc intelligendum eſſe mihi videtur, quam de Bile, quæ jam in Hepate ſecreta eſt, ſiquidem concedunt tincturam urinæ eſſe à ſulphureo-ſalinis particulis, quæ bilis excrementitiæ materiam conſtituunt. Denique hoc quoque ſupponere libet, quod bilis excrementitia quævis in ſtatu præternaturali variis mutationibus & corruptionibus expoſita ſit, quæ tamen cum naturali excrementitia non ſunt confundenda.

Autoris ſententia. §. IX. His ſuppoſitis veſtigiis Celeberrimorum Medicorum *Wallæi, Williſii, Sylvii, Waldſchmidii* aliorumque inſiſtens exiſtimo, & è colore flavo corporis in ægra, atque oris amarore ratiocinando colligo, materiam communia velamenta in ægris Ictero legitimo minusque maligno correptis, præſertim adultis tingentem eſſe portiones bilis excremētitiæ in ſe quidem naturalis, aſt in ſecretionis colatoriæ motu impeditæ, hinc tenuiores ad ſanguinem retrocedentes & ad cor refluentes ab hujus ſero dilutæ per arterias ad habitum corporis externum diffunduntur, & cum ſint jam effœtæ, inutiles & excrementitiæ, neque amplius exacte toti maſſæ ſangvineæ uniri queant, in glandulis ſubcutaneis miliaribus relictæ ſecernuntur ibidemque tincturam flavam communibus integumentis ac Icteri ſubjecto impertiunt, dum interea particulæ craſſiores & lenteſcentes in vaſis organorum colatoriorum, hepatis puta & cyſtis felleæ, ſangvineis anguſtationem & obſtructionem pepererunt. Interea non velim hoc intellectum, quod cauſam Icteri ſtatuam meram bilem excrementitiam è ſolis ſalino-ſulphureis portionibus, excluſis aliis particulis vel terreis, tartareis, vel pituitoſis, etiam acidis. Minime vero: Etenim quemadmodum cum aliis liquoribus in corpore humano præſentibus, qua utilibus, qua inutilibus comparatum eſt, quod ſint corpora fluida è diverſis particulis mixta; ita quoque ſe res habet cum bile excrementitia, & ſufficit, quod in hac Sulphureo-Salinæ portiones prædominentur. Si vero magis præternaturalis reddita fuerit, contingit, ut propter alias admixtas portiones vel magis lenteſcat, vel quandoque in duritiem fere lapideam permutetur.

§. X. Quod igitur in deſcriptione *Icter inf...* poſuerim, *præſertim Adultis*, occurrere ſtatim volui ſcrupulo illi, qui objici & moveri poſſet de Ictero infantibus recens natis familiari, quo ſordes cuticulæ in utero contractas deponere ſolent & vulgo dicuntur, wann ſich die Kinder mit der Gelbſucht häuten. Icterus namque hic non eſt legitimus, ſed ſpurius dicendus, quippe mixtus è portionibus bilis excrementitiæ & chyloſo-lymphaticis aceſcentibus, unde & eorū excrementa alvi ſæpe flaveſcentia magis, quam in adultis conſpiciuntur & acidum manifeſte ſpirant, amarore haud dubie deſtituta, quod dubium etiam circa bilem primo loco movebat *Vir Nobiliſſim. Excell. & Experient. Dn. Georgius* Heintke/ *in Examine bilis Ephem. Naturæ Curioſorum Academicorum inſerto Dec. II. Ann. VI. Obſ. 125.* Utinam vero mihi liceret, aut inſtituti mei ratio nunc permitteret, reliquis ibi

ibi propoſitis egregiis phænomenis & experimentis circa bilem ſatisfacere! Aſt hoc ad conflictum, ſi fortean mihi in ventilatione dubia ex illis movebuntur, publicum reſervabo.

Cauſæ occaſionales. §. XI. Tandem jam moneor, ut cauſas mediatas Icteri internas & externas ſive occaſionales in medium proferam, ubi quidem relictis aliis, quæ in genere ad illius affectûs generationem ab Autoribus proponuntur, intra limites caſus noſtri ſubſiſtens, quæ in hoc occurrunt, producam. Inter naturales vero præcipue eſt temperies vel intemperies potius Cholerica ſive billioſa, qua ægram præditam fuiſſe, ſi cet expreſſe dictum non ſit, facile tamen ex ætate vegeta & ipſa natura Icteri flavi propria colligi poteſt, qui ſine tali intemperie calida & ſicca, vel totius corporis vel hepatis particulari concurrente oriri haud poterit. Quod etiam aliqua plethora ſpuria conjuncta fuerit, è ſuppreſſo per aliquot hebdomadas menſtruo fluxu facile cognoſcitur. Quæ ſuppreſſio cauſam procatarcticam potiorem præternaturalem conſtituit, dum ab hac varia paſſionis hyſtericæ ſymptomata provenerunt, dolor in hypochondriis præſertim dextro, ut & cephalalgia propter variam ſangvinis ſtagnantis & p. n. retenti ſecundum diverſas ſuas particulas ſulphureas, ſalinas, terreſtres ſubſequentem corruptionem, ad quam etiam ſine dubio liquoris uterini lymphatici vitioſa vel aciditas vel vappeſcentia ſymbolam contulit ſuam, quæ omnia ſigillatim demonſtrare terminos diſſertationis facile excedit. Sufficiat paucis exemplis confirmaſſe, quæ alii Medici quoque obſervarunt, quod paſſio hyſterica & menſium defectus Ictero Occaſionem dederint, *Schenck. P. 3. obſ. 30. p. 785.* è *Cornelio Gemma* Icteritiæ quadruplicem coloris viciſſitudinem obſervatam, quæ ab obſtructis menſibus contigerunt, refert. Similiter *Henricus ab Heer. obſ. 6.* Monialem Ictericam & Cachecticam ex eadem cauſa, nec non *Barthol. cent. 3 hiſtor. 62.* notarunt: *B. Etmullerus* vero ſe ſuo quoque tempore Icterum aliquoties in mulieribus paſſione hyſterica laborantibus vidiſſe in operibus ſcriptum reliquit.

Diagnoſis. §. XII. Verum Semiologia hujus morbi diagnoſin & prognoſin continens exponenda jam ſe offert, ubi quidem diagnoſi per ſigna non adeo opus eſt, cum in ægrota morbi hujus ſignum pathognomicum in viſum incurrat, color nimirum flavus oculorum & habitus externi in facie & ſine dubio in toto corpore, quamvis neque hoc ſignum perpetuæ veritatis eſſe *Dn. D. Vit. Riedlinus* exemplo quodam demonſtravit in *Lineis Medicis Anno 1695. p. 40.* Conjungenda vero alia, ut ſyndrome pathognomonica certam dignotionem efficiat, atque in hoc caſu ſunt, Urina ſaturate rubra, quæ quidem ſola etiam fallit, quoniam febre acuta laborantium & ſcorbuticorum urinæ flammeæ & atrorubentes nonnunquam conſpiciantur, atteſtante hoc *Willis de urinis c. 4.* Sed quia in caſu noſtro urinam croceam lintea quoque eodem colore infeciſſe legitur, fit indubitatum Icteritiæ ſignum. Denique accedunt Alvi feces candicantes, quæ quidem in fluxu chyloſo quoque obſervantur; Verum in hac ægra ſcybala & excrementa ſicciora fuiſſe caſus refert, quod ſignum priora confirmat. Siquidem color ille albicans â deficiente bilis ad inteſtinum duodenum ſecretione originem ſuam traxit. Cæterum ſapor amarus retrogradum in ſangvinem & lympham bilis indicium præbens Icteri præſentiam coarguit. De reliquis communioribus, qualia ſunt appetitus proſtratus, laſſitudo, vel langvor corporis, hac occaſione brevitatis ſtudio nihil dicam, quæ paſſim in Practicorum ſcriptis reperiuntur.

Prognoſis. §. XIII. Pergo nunc ad Prognoſin, quæ profecto ſicut in aliis, ita quoque in Ictero Medicum, præſertim Juniorem, admirabilem reddit, teſte *Botallo de Medici ægrique munere.* De Ictero flavo communiter quidem ſtatuitur, eum carere periculo, & curatu haud eſſe difficilem, imo dari quoque ſalutarem & criticum, teſte *Hippocratis Sect. IV. aph. 64.* quod de Ictero cum febre ſive febri ſuperveniente intelligendum, de quo tamen hoc loco mihi non eſt ſermo, quoniam in caſu nulla febris mentio facta, licet fortaſſis aliqua ſymptomatica febrilis dyſcraſia

præcedere vel concurrere potuerit. Diſtingvendum tamen inter Icterum flavum occaſionalem & habitualem, de illo quidem modo dicta vera ſunt, non vero de hoc, ſiquidem pro diverſitate cauſæ habitualis gravis & periculoſus evadit, ita ut *Celeberrimus Wedelius in Aphoriſmis Aphoriſm. ad Hippocr. locum* notanter ſcripſerit *num. 3.* Icterus ab obſtructione ſcirrhoſa tam extra febres, quam in febribus malus eſt, ſive verus ſive apparens, ab obſtructione ſimplici melior, ſcil. comparative, ita ut nihilominus cum curandi difficultate conjunctus ſit. Hinc *Henricus ab Heer p. 104.* commemorat pulcherrimam Virginem Nobiliſſimamque in primo ætatis flore, cum Ictero laboraſſet flavo, nihilominus ſuccubuiſſe, non quidem vi morbi, ſed per accidens vehementia imaginationis fortioris. Quod Aurigo cum inflammatione hepatis ſpuria ſcil. & cum calculis in folliculo fellis collectis ut plurimum lethalis fuit, confirmant obſervationes, quarum magna copia reperitur in *Theoph. Bonetti Sepulchreto l. 3. ſect. 18.* It. *in Petro Poterio à Friderico Hoffmanno renovat. p. 304.* Quin potius quid de ægra in caſu deſcripta prædicendum ſit, mearum eſt partium indicare. Nimirum exiſtimo prænunciandum eſſe eventum adhuc incertum: licet enim non metuam lethalem plane eventum, quia ægra in flore ætatis conſtituta & color ille Ictericius cum admiratione celeriter irrupit ita ut ſpes adhuc effulgeat, eum quoque mox remiſſurum, cum id, quod cito fit, cito etiam perire vulgo dicatur. Verum cum jam duo præceſſerint affectus haud levis momenti, videlicet menſium per ſemeſtre ſuppreſsio & paſſio hyſterica doloribus variis ſtipata, cardialgia & ſyncope, quemadmodum jam ſupra dictum, per quos morbos vires vitales jam jam magnopere labefactatæ fuerunt, prognoſticon ſalutis vel eventus ſalutaris adeo certum promittere non licet, ſiquidem deficientibus viribus vitalibus nec medicamenta, nec alimenta perfecte operantur, atque ita effectum ſuum edere ſufficientem haud poſſunt; interim ægra minime deſerenda, aut prognoſticis penitus relinquenda, ſed curatio cum ſpe felicis ſucceſſus tentanda erit.

§. XIV. Hæc ut ad normam Methodi medendi rite inſtituatur, dirigenda auxilia neceſſaria erunt ad certos ſcopos, vel indicationes, quæ cauſas Icteri, obſtructionem nimirum vel anguſtationem ductuum bilem ſecernentium, & dyſcraſiam illam bilioſam produxerunt & foverunt, vel tollendas, vel corrigendas monſtrant. *Cura.* Quoniam vero nullum tam validum in Medicina auxilium (ſive Pharmacevticum ſive Chirurgicum) habetur, quod ex ſe ortum commodum præſtare poſſit, ſi reſiſtatur ab iis, quæ circa victum ſunt, aut ab his non adjuvetur, verbis *Galeni l. de Theriaca ad Pamphilian.* quare & ægræ huic præſcribenda erit congrua diæta, per quam *Diæteti[ca]* non ſolum intelligitur cibus & potus, verum etiam reliquæ quinque res non naturales; Præſertim quod *Etmullerus in capite de Ictero* affirmare haud dubitaverit, omnem Icterum, qui febribus potiſſimum ſupervenit, non bilis aut folliculi vitio, ſed diætæ & vitiatæ digeſtionis occaſione ſupervenire, quod & jam dudum ab aliis Medicis annotatum fuit. Sic & *Horſtius l. 4. obſ. 36.* Icterum ab immodico pomorum & caſtanearum eſu provenisſe commemorat *D. Riedlin. Lin. Med. A. 1695. in Jul. lin. 31. p. 225.* ab intemperantia in potu obortum Icterum ſæpius obſervaſſe ſcribit. Quod aër vel frigidior humores incraſſans & tranſpirationem cohibens, calidior vero nimis attenuans & ſulphureas portiones veluti comburens & acrimoniam ſalinam augens, huc quoque facere poſſint, nullum eſt dubium, quoniam Hiſtoriæ caſusque ſingulares iſtud ſatis ſuperque hactenus edocuere. In ſpecie de fervore æſtivo annotavit *Valeſcus de Taranta Philon. Pharmacevt. l. 5. c. 8.* quod in Sardinia pene omnes ſub finem æſtatis Icterici fiant. Reliquarum rerum non naturalium, v. g. motus, ſomni & vigiliarum, excernendorum, & affectuum animi errores ſymbolam ſuam huc quoque conferentes ſicco quod dicitur pede præterire nunc libet. Interim oportet ſcopum hunc diæteticum ad præſentem caſum applicare, ubi certe profecto optandum eſſet, ut etiam rerũ illarum non-

non-naturalium mentio fuiſſet facta, quibus vel ante primum morbum, vel etiam poſt illius curationem ad morbi regii proventum anſam dedit: Nihilominus ægræ & adminiſtrantibus probe injungendum erit, ut illarum rerum non-naturalium, quibus peccatū fuiſſe reminiſcuntur, abuſum intermittant & tempeſtive ſerioque corrigant. Cæterum quoniam valde veroſimile ſit, ægram potiſſimum peccaſſe in victu, & affectibus, præſertim ira aut terrore, ſvadendum, ut alimentis boni ſucci & facilis digeſtionis, non acribus aut acidis, utatur, debito tempore debitaque quantitate. Quæ alimenta qua eſculenta, qua potulenta medicamentoſa reddi poſſunt hepaticis temperatis, cichorio, cherefolio, flor. cordialibus, quales formulas aliunde corradere haud operæ pretium eſſe exiſtimo.

Pharmacevtica. §. XV. His circa diætam præmiſſis reliquum eſt, ut pro præſentis Icterum cauſantis materiæ remotione, de cæterorum quoq; remediorum, Pharmacevticorum præſertim, (de Chirurgicis enim adhuc ſcrupulus hæret) ſelectâ materiâ & congruo utendi modo breviter animi mei ſenſa exponam. Pertinent vero huc medicamenta, partim evacuantia, partim alterantia. Inter illa quidem ab omnibus ferme Practicis commendantur Cathartica etiam fortiora, qualia ſunt Scammoniata, Trochiſci alhandal, Gummi Gotte, Extractum Panchymagogum, ob hanc rationem, quod bilis ob lentorem ſegnior eſſe ſoleat in auriginoſis, nec facile mitioribus evacuantibus cedat. Enimvero hoc conſilium non tantum eſt contra Coi Principis præceptum, quando Ictericos manifeſte illorum ægrotorum catalogo inſeruit, quos non purgare oportet, *Sect. IV. de rat. Vict. in acut. t. 115.* hanc cauſam annectens: Periculo enim expones & nihil juvabis, haud dubie ad malignam & quaſi deleteriam purgantium fortiorum naturam reſpiciens, ut taceam conſequentiæ nullitatem: Materia evacuanda eſt lenta, igitur opus eſt fortiore purgante, cum hoc potius ſequatur, ergo debet prius attenuari & fluxilis ſive diſpoſita reddi ad evacuationē, *argum. 2. aph. 9* ſed etiam quod peſſime agerē, ſi noſtræ ægræ talia præſcribere vellē, cum ſpiritus per priores morbos ſint depauperati viresq; vitales lāguidiores. Interea cum nihilominus neceſſitas vel alvi ſiccitas exegerit inſtituere aliquam evacuationem, fiat illa vel per Rhabarbarum & ex hoc parata varia medicamenta vulgaria aut Chemica, præſertim aperitivis, ſpeciatim Tartareis, mixta. Hinc ſequentem bolum aſſumere poſſet, ſi placeret.

℞. *Elect. è ſucc. roſar.* ʒij.
Rhabarb. el. ʒß.
Cremor. ♀ ℈j.
lap. prunel. gr. vij.
M. F. Bolus inſperg. Sacchar. fruſtulatim mane deglutiendus ſuperbibendo hauſtulum vini albi.

Quamvis aliæ formulæ forſitan gratiores præſcribi poſſint, quales paſſim in ſcriptis Practicis habentur. Vel præſtaret etiam, quando ægra per aliquot dies Decoctum aliquod aperiens & ſimul alvum leniter ſubducens, etſi minus ſuave, aſſumeret, ſiquidem dulcia bilioſis non adeo congrua eſſe paulo ſuperius dictum eſt, v. g.

℞. *Rad. cichor. ſylv. taraxac.* an ℥j.
chelid. maj. ℥ß.
Fol. cichorii, endiv.
fragar. an Mj.
marrhub. alb. Mß.
S. S. S. ʒvj.
Tartari alb. crud. ʒiij. Inciſ. & contuſ. Coq. in aq. ſimpl. & vini alb. an. pond. ij. in Balneo Mariæ, per debitum temporis ſpacium. Colaturæ add. Spir. Tartari rectif. Drachm. Semis M. detur mane & veſperi poculum calide hauriendum.

§. XVI. Quamvis vero Sudorifera vel diaphoretica & Diuretica ad evacuantia pertineant, commodius tamen Alterantibus annumerantur, quia tantum materiam peccantem ad ſudorem vel urinam attenuando, & vias excretionibus illis dicatas aperiendo diſponunt; Quid? quod de ſudoris provocatione valde dubitem, an hic locum inveniat, quia in Ictericis habitus corporis utplurimum ſiccior, pori per portiones bilioſas exſiccatas occluſi illum impediunt ac remorantur. Alterantia igitur, quæ à Medicis pro curando Ictero flavo præſcribi ſolent, ſunt vel aperientia & attenuantia, eaque aut ſale volatili alcalino ſive urino- *Alterantia*

urinoſo ſcatentia, qualia ſunt Spiritus & fl. Salis Ammoniaci, Sal. volat. ſucc. cornu cervi, fuliginis. Ita probe recordor, quod in hoc caſu tanquam ſingulare Evporiſton felici cum ſucceſſu adhibuerim Spiritum Salis Ammoniaci cum calce viva paratum, & ſæpius, verum in refracta doſi, continuatum. Vel etiam fixiora ſalino-terrea, quo pertinent omnia mercurialia & quædam vegetabilia pro ſpecificis etiam habita, v. g. Chelidonium majus, Urtica, Centaurium minus, &c. quorum ingentem Catalogum reperies in *Olai Borrichii tr. de uſu Plantarum indigenar. in Medicina pag. 57.* It. Ebur Philoſoph. calcinat. ocul. Cancror. lign. ſantali citr. & rubr. Vel denique corroborantia ſtomachica & hepatica temperata, tonum viſcerum reſtituentia & propterea haud inepte Tonica hodieque dicta, de cujus nominis ſignificatione emphatica legatur ſæpe laudatus *Wedel. in Amœnit. Medic. l. 1. Sect. III. c. 1. p. 120.* è quibus varias compoſitas formulas in probatis Autoribus legendas nunc producere poſſem, quæ etiam ægræ noſtræ applicari aut commendari poſſent, ſi inſtituti mei ratio permitteret, nec ſupervacaneus labor potius videretur:

§. XVII. Libet tamen exercitii gratia producere unum atque alterum, quod ego commendarem ægræ noſtræ, v. g. pulverem ſ. Trageam ſequentem:

Rec. Pulv. Cachect. Querc. ℥ij.
Ebor. Phil. calcin. ℥iß.
Bezoard. martial.
Fecul. ari. Raphan. ruſt. an. ℈ij.
Spec. diarrhod. abb.
diacurcum. ʒj.
Salis abſinth. junip. an. gr. xv.
Sacch. Cand. ℥j.
M. F. Pulv. d.

Doſis ſit cuſpides quatuor cultri vel ʒß. aut ℈ij. mane & veſperi ſumendæ in vehiculo ſequenti:

Rec. Aqu. Cichor. Fumar. Borrag. Fragor. an. ℥ij.
Sirup. de 2. radic. cort. Citr. an. ʒiij. M.

Plures & fortaſſis concinniores formulæ videantur in celeberrimorum à me hactenus allegatorum Autorum libris, quibus annumerari poſſunt *Laz. Riverius, Thonnerus, Dolæus in Encyclopædia Pract. Lucas Tozzus Archiater hoc tempore Pontificis Romani in Med. Pract. plures & alii.* A pediculis novem per 5. vel 6. dies mane ſumendis facile deterrebit ſorditudo nauſeoſa & lethalis eventus, quem ſecutum eſſe ex *Georg. Hannæi Act. Danic. Ann. 74. obſ. 9.* notavit *Theophil. Bonett. Mercur. Compital. l. IX. tit. Icterus, n. 8. p. 389.*

§. XVIII. Nec fortaſſis inutile foret, ſi ægra Balneum aquæ dulcis quoq; adhiberet, non modo pro reſerandis poris cutaneis & ſiccitate corrigenda, verum etiam pro ſangvinis motu ad uterum ſtato tempore promovendo, ita tamen ut aquæ communi incoquantur eadem vegetabilia p. a. commendata, v. g. ſequentes ſpecies:

Rec. Herb. Centaur. minor.
Fumar. Marrhub. an. Miij.
Rad. filic. Chelidon. major. an. ℔ß.
Sigill. Salom. ℥iij.
Farin. Fabar. Phaſeol. an. ℥ij.

Incid. M. S. Species zum Bad. An vero Tinca viva ſuper ſcrobiculum cordis alliganda ſit, donec moriatur, quod per experientiam comprobatum *Joh. Bapt. Porta Phyſiognom. Sect. 3. c. 6.* laudat, aut Lacerta viva, quam eademvirtute pollere, nec non Araneas, *Joel lib. de Venenis* teſtatur, de hiſce remediis ſympatheticis aut magneticis judicium meum ſuſpendere placet, præſertim cum ægram noſtram hujus generis remedia haud admittere voluiſſe probe reminiſcar.

§. XIX. Tandem in medium producenda eſſent Chirurgica remedia, inter quæ primas tenere creditur Venæſectio, verum an in hoc morbo & præſertim in ægra noſtra locum habeat, valde dubitatur: licet enim *Mercatus aliique* eam in Ictero curando admittant & commendent, hoc tamen prorſus per accidens intelligendum eſſe quilibet è lectione eorum Autorum cognoſcere poterit, quando vel plethora quædam adfuerit, aut inflammatio, cum olim perſuaſum habuerint in omnibus inflammationibus V. S. convenire, quod tamen noſtris temporibus prudentiores Medici minime approbant. Certe Icterus inter morbos cacochymicos perti-

Cura rurg

pertinet, ubi Venæſectionis neceſſitas tanta eſſe nequit. Rectius igitur *Gal. de Purgantium Facultat. c. 2.* ſcripſiſſe mihi videtur: ſi morbo regio laboranti ſangvinem detraxeris, in extremam perniciem egeris. Præſertim in ægra noſtra non amplius neceſſariam eſſe arbitror, quia jam in ſuppreſſione menſium eam adhibitam fuiſſe recordor haud absque inſigni emolumento. An Cucurbitulæ ſive Ventoſæ ſiccæ applicatæ contra dolorem punctorium aliquid præſtituræ ſint, certo promittere non auſim. Frictiones partium externarum pro tranſpiratione inſenſibili recuperanda neque improbare, neque adeo rigoroſe injungere velim; quin potius finem nunc imponens petitionem meam repeto, ut B. L. ſingula, quæ propoſita hic ſunt, meliori modo interpretetur.

Τῷ Θεῷ τρισαγίῳ καὶ τρισμεγίςῳ δόξα.

****

DISPUTATIONUM LANGIANARUM

Vigeſima ſeptima:

De

FEBRE PETECHIALI.

PRÆFAMEN.

SIſto Tibi B. L. *Febrim Petechialem* Thematis loco ventilandam, materiam certe non minus pulchram quam difficilem: quamprimum autem animum eidem conſcribendæ appuli, ſtatim ſubiit laudandum illud hodierni Illuſtriſſimi Societatis Anglicæ Collegii Regii Symbolum: *Nullius addictus jurare in verba Magiſtri*: Præclara enim mihi ſemper & non ſatis utilis ea viſa eſt philoſophandi & diſputandi Methodus, quæ non tam Hominum Autoritate, quam Naturæ luce ſubnixa, ſolute & libere in Vero inquirendo verſatur, iique inprimis mihi laudandi videntur, qui nulli ſapientium ſectæ ſeſe addicunt, illudque pythagoricum Ipſe *dixit* exulare faciunt, ſed veritatem potius magna induſtria ſtudioque conquirunt; nihil enim Viro Erudito magis dignum eſſe arbitror, quam iis aſſentiri, quæ aut vera eſſe, aut quam proxime ad veritatem accedere, ipſa duce ratione cognoverit, itemque ab iis aſſenſum cohibere quæ vel incerta vel falſa eſſe eadem ratio demonſtraverit, jurata ſiquidem fides & iniqua Autorum admiratio per tot ſecula non parum Medicis incrementis obfuit; Quapropter cum & hodie in Medicina adhuc

huc nihil magis arduum ac cimmeriis tenebris involutum reperiatur, quam ipſa febrium præſertim malignarum Natura & Eſſentia; de qua Veterum pariter ac Recentiorum ſcripta ſi conſulantur, diſſentientes, imo quot capita tot ſententiæ inveniuntur, adeo ut quem in hoc labyrintho ſequi debeam vix conſtet, idcirco *nemini*, ut Senecæ verbis, utar, *me mancipavi, nullius nomen fero, multum magnorum Virorum judicio credo, aliquid tamen & meo vendico.* Hinc ſepoſita graviſſimorum Virorum autoritate & mihi integrum fore ſpero libertate philoſophandi frui, meamque circa febrium doctrinam hypotheſin, *Ratione & experientia* tanquam veris & ſolidis principiis ſuffultam proponere, utpote ex qua omnia Diſſertationis hujus phænomena ſufficienter explicari poſſe firmiter mihi perſvaſum habeo, facile autem veniam me impetraturum exiſtimo, ſi in arduo & difficili hoc negotio Eruditorum expectationi ex aſſe ſatisfacere nequeam, præprimis cum adhæc etiam nimia feſtinatio immaturiorem prolem acceleraverit, adeo ut omne quicquid obvium factum ex memoria ſtatim in has chartulas conjicere coactus fuerim, quæ ut B. L. æqui bonique conſulturus ſit rogatum velim. Interim D. T. O. M. ſupplex precor, meis ut adſit conatibus, illisque ex alto benedicat.

THESIS I.

Inter plurimos illos affectus Microcoſmum pulcherrimum Dei opificium deſtruentes, & celeri ſatis gradu ad Interitum perducentes, non ultimum ſibi locum vendicare *Febrem Petechialem* nemo Practicorum ibit inficias, utpote cujus curatio illis ob partem affectam & ſyndromen ſymptomatum ſane multum negotii faceſſit. De iſthac vero dicturo ſtatim Nomenclatura evolvendam ſe exhibet, quo citius cuilibet, quid intellectum velim, innoteſcat.

II. *Febris*, ſi nomen ſpectes, videtur illud accepiſſe apud Latinos à verbo *ferbeo*, quod idem eſt ac *ferveo*, eſt enim veluti fervor quidam ſeu ferveſcentia, quà corpus fervet vel æſtuat; *Petechiarum* vero etymon quod concernit, vocabulum illud barbarum nonnulli autumant, ab Ungarica voce *Betegſeg*, quod ipſis morbum καθ' ἐξοχὴν denotat; Quemadmodum autem plurimæ morboſarum corporis noſtri conſtitutionum denominationes à Græcis ortæ ſunt, ita & hujus vocabuli natales pariter nonnulli ex illorum ſchola agnoſcunt, nimirum à Græco verbo πετάω, *extendo, volo*, quod maculæ illæ per univerſam corporis noſtri peripheriam quaſi extendantur, vel quod ſubito appareant, ſubito etiam iterũ diſpareant; ita ut quaſi avolare videantur. Germ. idiomate vocatur das Fleck-Fieber/Pedecken. *Etymolo[gia]*

III. Circa Homonymias & Synonymias negotium more Philoſophorum impræſentiarum fuſius explicandum, haud ſollicitus ero, ſed ſepoſitis hiſce ambagibus tanquam corticem linquens, ad nucleum potius deguſtandum propero. Definio itaque *Febrem Petechialem, quod ſit morbus ſpiritus noſtri vitalis, in illius imbecillitate, inquietudine & deſperatione conſiſtens, à cauſis modo internis, modo externis oriundus, per maculas diverſi coloris ſe manifeſtans.* *Defin[itio]*

IV. Nolo hic prolixior eſſe in explicando genere Definitionis, ne hiſce minutiis B. L. nauſeam moveam, nullus dubitans, quin quilibet in arte noſtra verſatus ſub hoc titulo ſtatum corporis p. n. complectatur.

V. Suc-

ſtum- nione iorum.

V. Succedit itaque ſerior diſquiſitio de *Parte affecta*, illa autem communi ſuffragio à toto antiquorum choro ſtatuitur *Cor*, cui, quicquid ſanitatis, quicquid vigoris, quicquid denique vitæ reliqua habent viſcera, ſanitatis veluti vigoris ac vitæ ſcaturigini in acceptis referunt; & quemadmodum illud ſit fons caloris nativi, ſic etiam ex eo toti corpori calorem p. n. communicari arbitrati, inibi febris formalitatem concipiunt, vid. *Rolſinck. Method. cog. & cur. febr. gen.* Verum cum nunquam apud me tantum poterit præconcepta opinio, ut etiam ſine ratione valeat autoritas, mihi ignoſcet Veneranda Antiquitas, quod hoc in paſſu illius partes ſectari non liceat. Cordis enim vitalitas & prærogativa præ reliquis viſceribus ab iis ſuppoſita, nondum firmis rationibus demonſtrata eſt, imo plurima experimenta potius evincunt, cor omnem ſuam activitatem & operationem non ex ſe, ſed ex influenti ſpiritu fœnerari, eoque duntaxat nomine vitalitatis reddi particeps; ſi enim influxus illius ſpiritus per paucula temporis momenta ſufflaminetur, à motu ceſſat & æque torpidum ac immobile evadit, ac alia corporis pars, quod experimentis confirmant *Willis Anat. Cerebr. c. 24. Lovver Tr. de Corde c. 7. p. m. 91.* imo idem *in Collegio experimentali Anatomico Excellentiſſimus Bohnius* ad oculum demonſtravit, ubi ſcilicet ſtatim à ligatura nervis injecta omnis cordis motus cum reſpiratione ac vita ſublatus fuit; ſic etiam *Borellus in tr. de Motu Anal. Part. 2 p. 189.* periculum fecit ac Thermometrum Cordi vivo applicavit, exploraturus an ibi notabilis calor deprehendi poſſet, nullam tamen majorem elevationem liquoris à corde quàm aliis viſceribus obſervavit *Honor. Fabri epiſt. 1. p. 47.* Erit igitur non tanta nobilitas cordis, quantam hactenus ſibi quidem perſvaſi ſunt, præprimis ſi verum eſt, quod *Bartholinus* habet *de Pulm. Subſt. & Mot. p. 77.* animalia reſpirare poſſe evulſo corde, & canem, cui cor extractum fuerat, vulnere iterum deligato, latraſſe atque ſuperſtitem fuiſſe. Quoniam itaque cor præ reliquis viſceribus in vitalitate & calore nullam habet prærogativam, prout hactenus demonſtravi, hinc etiam illa huic hypotheſi ſuperſtructa ſponte ſua ruunt.

Recentiorum.

VI. Ex Recentioribus nonnulli pro ſubjecto & ſede hujus febris agnoſcunt perturbatam ſangvinis mixturam; Verum cum & hæc hypotheſis iisdem difficultatibus prematur, nec illi meum apponere poſſum ſymbolum, quatenus *primo* nullis rationibus perſvaderi queo, adeſſe in ſangvine tanquam corpore fluido determinatam particularum relationem & habitudinem ad ſe invicem, cum hæc conditio potius in ſolidis & firmis quàm fluidis corporibus inveniatur, eo ipſo enim quo fluidi conceptum ſibi quis format, atomorum varium motum & miſcelam ſibi concipiat neceſſum habet; aut ſi non velint ut fidem ipſis derogem, demonſtrent rogo, quemnam ſitum & diſpoſitionem in ſtatu nat. hæ ſangvinis particulæ ſervent, & quæ textura ipſis in p. n. competat, quidque ſimul illud ſit, quod eſſentialem illarum modificationem immutare valeat? Nec *ſecundo* intelligo, etiamſi gratis illis hanc ſangvinis mixturam concederem, quî febris inde oriri queat, cum ſæpius in ſangvine efferveſcentiam ſeu tumultuoſum particularum motum annotemus, ſine inſequente febre, imo ab ipſis talia nonnunquam remedia in auxilium vocantur, quæ ſangvinis particulas adhuc magis confundant qualia ſunt ſalia volatilia &c. Nec *Tertio* denique ſymptomatum ætiologiam ſufficienter hujus hypotheſeos Patroni explicare valent.

Autoris.

VII. Perſpectis itaque aliorum opinionibus nunc etiam meam proponam, unumquemque enim ſuo ingenio abundare facile concedere poſſum. Dictum autem fuit §. 3. febrim petechialem eſſe morbum ſpiritus noſtri vitalis, antequam igitur ad ipſa Morbi Penetralia accedam, melioris intellectus gratia pauca de hoc ſpiritu commemoraturus ſum; ſcias itaque non niſi unicum me in homine admittere ſpiritum omnium functionum Rectorem atque Præſidem, neque moveri contraria quorundam ſententia, triplicem

plicem vel quadruplicem ſtatuentium, illorum enim aſſertum partim precario, hinc ruinoſo nititur fundamento, partim etiam Entia præter neceſſitatem multiplicat. De cætero, qui ulterius etiam meam de Natura & eſſentia hujus ſpiritus opinionem, circa quam non adeo levis momenti rationes ſed experientiæ innixæ traduntur, ſcire deſiderat, adeat *Illuſtr. Dn. Boyle Tract. de Atmoſp. Corp. p. 2. Excell. Dn. D. Rivinum, Patronum & Præceptorem ætatem colendum Diſſert. de ſpiritu hominis vitali c. 2. §. 9. 9. Kircher. Iter exſtat. de glob. terræ, Dial. 2. c. 4. p. m. 85. Willis Anat. Cerebr. c. 2. p. 55. Helmont. Arch. fab. §. 4. Charleton Tr. Of. Life p. 404.*

VIII. Quemadmodum autem ſpiritus hic Rector totius noſtræ Machinæ Hydraulicæ & rota quaſi ſuprema eſt, quæ reliquas in hac artificioſiſſima ſtructura circumgyrat, adeoque ſic vitæ omniumque operationum primus exiſtit Autor, ita e contrario ſufflaminata nonnihil illius elaſticitate & inhibito ſeu limitato quadantenus radioſo ejus influxu ceſſat ſenſim ſenſimque Machinæ activitas, & prout hactenus ſtatus n. ſic & poſtea p. n. primarium & adæquatum evadit ſubjectum, in eo ſiquidem fere omnes corporis noſtri morbi, præprimis Archeales, inter quos & febres, præſertim malignas, refero, altas ſæpius agunt radices: Febrium enim Naturam concipio in motu ſpiritus noſtri p. n. jam à peripheria ad centrum, jam à centro ad peripheriam concitato â cauſa nunc materiali nunc ideali oriundó: Jam autem cum Febris Petechialis gradu ſymptomatum ſaltem à cœteris differat, nullam ipſi excogitaveris aliam partem effectam, quæ minores patiatur ambiguitates, & ex quo fundamento omnium phænomenorum inferius dicendorum ratio curatius explicare liceat, quam hunc ipſum ſpiritum.

Probatur ex cauſa occaſionali

IX. Aſt ne gratis hoc meum aſſertum ſumere videar triplici brevi tamen modo illud planum reddam: Urgeo itaque *primò* Animæ pathemata, quatenus Practicorum Obſervationes teſtantur multos nauſeâ, mœrore, terrore, ac ira ſive excandeſcentia hujus ſpiritus in febres malignas incidiſſe; paſſiones autem has animæ, ut facile omnium conſenſum adipiſcar, à corpore ut tali, quippe in functionibus ſuis tantum inſtrumentaliter & paſſive ſe habente, præſtari, nemo affirmare audebit, ſed majori veritatis luce eas effectus principii cujusdam activi & vitalis pronuntiabit; Ego autem, ut ex §. VII. conſtabit, cum præter unicum ſpiritum nihil aliud corpori regendo præeſſe arbitrer, tandem ex infallibili conſequentia eum optimo Jure ſedem & partem affectam appellari colligo.

Sympt... ti...

X. *Secundò* ipſa ſymptomata febrim hanc concomitantia, nil aliud, quam affectum ſpiritum evincunt: Ordine itaque illa omnia, ſimulque eorum rationes breviter exhibebo. Quid quæſo ſubitanea citraque manifeſtam cauſam proſtratio Virium, conjuncta cum anxietate præcordiorum inſigni, inſolitaque inquietudine & jectigatione corporis aliud demonſtrant? quam ſpiritum ſatis imbecillem ac debilem? omnes enim noſtri corporis vires unice ab hoc ſpiritu vitali dependent, ita ut cunctæ, quæ illas diſſipant, ſpiritum etiam deſtruere obſervemus, v. g. Veneris abuſus, motus nimii, hæmorrhagiæ inſignes, dolor, &c. præſertim animæ pathemata, ira, terror, &c. Quemadmodum ipſemet recordor cujusdam, qui ex inopinato gaudio tantum virium lapſum paſſus fuerit, ut animam ſaltem egerit: Cur itaque dubitamus eum pro parte affecta agnoſcere?

XI. Quapropter haud erit difficile omnium ſymptomatum ætiologiam vel ex p. n. ſpiritus vitalis motu, vel illius defectu & deſperatione deducere, ille enim, dum à cauſis mox commemorandis deſtruitur, ſtatim, ubi ſui defectum & imbecillitatem ſentit, anxius & timidus eſt, ne huic malo perferendo impar evadat: omnem itaque navat operam, ut ingratum & moleſtum hunc hoſpitem è corpore ejiciat, idcirco hinc & inde tumultuoſo & tremulo fertur motu, quã continuam & non interruptã motionẽ non poteſt

poteſt non inſolita inquietudo & jectigatio corporis ut & agrypnia inſequi, ſicuti non minus ejus defectus & imbecillitas anxietatis præcordiorum, cardialgiæ ſummæ, ſingultus, ſpirandi difficultatis, cordis palpitationis & tremuli motus, lypothymiæ, ſyncopes, convulſionum &c. Autor exiſtit, quatenus ſcilicet in omnibus hiſce recenſitis ſymptomatibus ſpiritus debilis eſt, & fibris rite explicandis non ſufficit, hinc dictæ partes ſpasmodicam affectionem contrahunt, prout eadem ſymptomata in venæ ſectione, hæmorrhagia larga, mœrore, terrore, ſtudio & amore nimio extremoque ſenio, imè inſtante morte deprehendimus, ibi autem ſpirituum defectum adeſſe quilibet, ni ſtudio contradicere velit, affirmabit.

nedijs. XII. *Tertio* denique dictis non parum roboris accedere videtur, ſi ipſorum in hoc febri remediorum operandi rationes paulo intimius conſideremus. Omnia enim medicamenta vel continuum & irregularem hujus ſpiritus motum ſiſtunt, ſicque quietem ipſi conciliant, vel defectui illius ſub analepticorum nomine medentur, vel deſperabundam hanc Ideam particulis ſuis ſpirituoſis peregrinâ Idea ſignatis, illi eximunt, prout id inferius in curatione videbimus.

nitas conſi- XIII. At cum non omnis ſtatim ſpiritus noſtri vitalis Morbus febrem petechialē conſtituat, ſed ille ſaltem, qui præter ſubitaneum virium lapſum, imbecillitatem ac infirmitatem præcordiorum, anxietatem ac deſperationem & jectigationem corporis ſummam ab inquietudine hujus principii, per maculas & efflorеſcentias diverſi coloris hinc & inde in corpore ſe ſiſtit. In hac itaque ſpiritus conditione febrium malignarum naturam & eſſentiam concipio, malignasque eas dicendas autumo non ob humorum & cauſarum pravitatem, ſed potius ob affectæ partis excellentiam & nobilitatem, nam etiamſi iſtiusmodi hic humorum pravorum exiſtentiam ſæpius per exanthemata & efflorеſcentias ſe manifeſtantem haud in dubium vocem, tamen in quæſtione adhuc eſt, annon potius dicti humores anſam præbeant febribus malignis, aut productum illarum audiant, quàm ut ipſam malignitatem conſtituant, quatenus nonnunquam ſymptomata febribus malignis conſveta ſine omni humorum vitio annotamus, & econtra humorum pravitas ſine hiſce ſymptomatibus obſervatur, ut itaque intuitu horum veroſimilius mihi videatur malignitatem in principio noſtro vitali quærendam eſſe. Plura qui deſiderat, adeat *Excellentiſſim. Dn. D. Rivini Diſſert. de Febr. malign.* temporis enim anguſtia, qua premor, prolixiorem diductionem mihi interdicit & feſtinare jubet.

XIV. Sub malignæ autem febris tanquam generaliori vocabulo cum latitudo aliqua ſeu plures ejus ſpecies deprehendantur, conſtituenda erit differentia, qua noſtra Petechialis à reliquis differat; illam autem in definitione dixi maculas, diverſo ſub ſchemate in corpore noſtro, præprimis vero in dorſo, pectore, cervice & lumbis conſpicuas; partes enim iſtæ dum ſemper calidæ detinentur, tubuli pororum laxantur & ſic patuli magis fiunt, faciliоremque aditum maſſæ ſangvineæ appellenti concedunt, cum è contrario aliæ corporis partes aëris injuriæ magis expoſitæ conſtringuntur, liberiorque ſangvini affluxus denegatur. Modum vero, quo efflorеſcentiæ ſeu maculæ hæ generantur, breviter ſic mihi concipio; nimirum maſſa ſangvinea dum vel à ſufficienti adhuc ſpiritus robore, vel medicamentis reſolvitur ac attenuatur, ſicque ad peripheriæ corporis glandulas miliares circulari apta redditur, ratione ſuæ acrimoniæ ſuperincumbentem epidermidem vellicat, quam vellicationem ob doloroſam ſenſationem criſpatura fibrarum inſequitur & materiæ hujus portiunculam includit, quæ poſtmodum format iſtiusmodi circulum ſeu maculam nunc roſeam, nunc ſaturate purpuream, luteam, viridem, cœruleam, violaceam & nigram prout nimirum ſangvinis maſſa plus minus corrupta eſt. *differentia*

XV. For-

Cauſæ. XV. Formalitatem & ſubjectum Febris Petechialis explicatum nunc excipiunt Cauſæ, quarum evolutionem ad felicem morborum curationem inſtituendam perquam eſſe neceſſariam, nemo cordatorum Medicorum inficiabitur; Quo itaque & ego eo felicius & facilius medicatricem huic morbo admovere queam manum, operæ pretium erit in eruendis hujus febris cauſis eſſe ſolicitum; Duplices autem illius cauſas facio, externas alteras, alteras internas.

externæ. XVI. Cauſas externas conſtituunt animæ pathemata, quæ profecto ſunt illi Depopulatores noſtri principii vitalis, quàm facile enim terror vehemens v. g. à ſpectro, item & excandeſcentia, nauſea concepta, mœror ob jacturam bonorum, conjugis interitum, febres malignas accelerare queant, ſuperius §. 9. dictum fuit, idcirco cum brevitati litandum ſit, ulteriori explicationi ſuperſedeo; *internæ.* Ad internas vero cauſas refero cruditates varias, præſertim autem bilioſas in ventriculo ſtabulantes, vermes, lochiorum ſuppreſſionem, ut & tributum lunare deficiens, cacochymiam ſcorbuticam, & maſſam ſangvineam nunc à jam recenſitis pathematibus aut aliis cauſis v. g. venenis aſſumptis coagulatam, nunc reſolutam; Omnes autem dictæ cauſæ non aliter ſuam operationem exerunt, quàm ut ſpiritui huic Ideam triſtem & deſperabundam imprimant; Ille enim, cauſarum morbificarum acrimonia fibrillas nerveas vellicante, ob moleſtam ſenſationem in motum raptus, omnibus viribus earum remotionem molitur, ſimulac autem materiæ peccantis quantitatem vires ejus excedere, illiusque laborem fruſtraneum eſſe, ac omnia ab eo incaſſum adhiberi, interim vero morbum creſcere ſeqve decreſcere ſentit, viribus ſuis diffidere incipit, & ob morbi diuturnitatem ac moleſtiam nimium defatigatus, animũ deponit & deſperabundus evadit.

Quid de putredine ſentiendum? XVII. De cætero etſi nonnulli harum febrium ſtatuant putredinem, & putridas eas vocent malignamque ibi humorum corruptionem ſibi imaginentur, plane tamen non video, an ulla ratione in maſſa ſangvinea putrefactio concipi queat, dum neſciunt, nunquam liquorem quiete deſtitutum putredinem ſubire, quem autem fugiet maſſam ſangvin. celeriter ſatis ſuum circulum peragere & tam locali quam inteſtino motu moveri? Imò quamvis & hoc tanquam ſuppoſitum ſuis Patronis concedatur, nihilominus tamen nunquam putredo calorem producet, prout id carnes, herbæ, piſces aliaque ſatis teſtantur, quæ omnia quidem putreſcentia moleſta ſatis effluvia olfactui communicant, nunquam tamen in hiſce putrefactis ullum veſtigium caloris obſervabis.

XVIII. Paucis itaque adhuc Recentiorum quorundam ſententias circa febris petechialis ætiologiam mihi proponere conceſſum ſit, quidque veri vel falſi illis ſubſit demonſtrare. *Sylvi* Caput inter illos extollit *Celeberrimus Sylvius, magnum illud Batavinum decus*, is autem *Prax. Med. lib. 1. cap. 33. §. 7. Sal volatile acre pro cauſa febrium malignarum habet, quod glandularum liquorem ſubacidum concentratione noxia enervet.* Verum cum acidus ille liquor glandularũ facilius ſupponatur quàm probetur, & partim ſalis illiꝰ volatilis in corpore humano exiſtentia ſatis adhuc dubia, partim contra illud *cum Excell. Dn. D. Rivino Diſſ. de Febre malign. §. 16.* urgeri poſſint animæ pathemata, idcirco & hujus hypotheſeos cauſam, ſvadente id ipſa Sylviana modeſtia, negligo. Sed doleo profecto talem me elegiſſe materiam, ubi aſſenſum tot & tantis Viris præbere eorumque diſcipulum me profiteri veritas obſtat, ita ut nec *Clariſſimi illius Angli, Williſium* loquor, opinionem amplecti liceat, *ut &* illum enim dum ſanguinem miaſmate venenoſo inquinatum aſſerit, eadem premit difficultas. Cur enim, ſi aër ab omni contagio venenoſo liber, unus vel alter ſaltem ex mœrore aut viſo ſpectro febri petechiali ſuccumbit? Mitto itaque omnes has recenſitas opiniones, donec meliora edoctus, contrariumque ſententiæ meæ mihi demonſtretur.

XIX. Sepoſitis jam cauſis, *Doctrina Signorum* prodeat, quæ veluti faces in itinere Medico accenſæ, ſive qvis *Diagnoſin* *Signa gnoſ*

gnoſin ſive *Prognoſin* reſpiciat, viam monſtrent. Signa itaque *Diagnoſtica* febris hujus malignitatem demonſtrantia ſunt, uti ſæpius jam dum commemoratum fuit, ſubitanea virium proſtratio, præcordiorum anxietas, ut & inquietudo corporis ſumma; Petechiarum autem Pathognomonicum ſignum ſunt maculæ in corporis peripheria prorumpentes. Summa tamen hîc cautione opus eſt, ne ex ſolis maculis in cute apparentibus Medicus judicium formet, easque pro Petechiis vendidet, cum & ſimiles in ſcorbuticis ſubjectis annotentur, imo pulicum morſus interdum etiam illarum faciem mentiantur. Ne itaque & hæ maculæ Medico imponant, ut ipſas pro Petechiis habeat, illarum magnitudinem probe attendat, quippe Petechiæ maculis ſcorbuticis ſemper majores obſervantur, & lentium figuram fere repræſentare ſolent, unde lenticularem febrem etiam dixerunt. Aſt cum hæc ipſa jam tradita ſigna Medicum decipere queant, certior erit, ſi partim propter ſymptomata illa exanthemata hæc antecedentia dorſi ſcilicet & capitis dolores lancinantes, præprimis autem circa veſperam incrementa capientes, conjungat, partim etiam illa, quæ maculas has concomitari ſolent, attendat, dum nimirum in remiſſiori gradu anxietas, inquietudo & cephalalgia &c. adſit. Denique febrem hanc adeſſe Medicus concludet, ſi jam dicta præcordiorum anxietas cum inquietudine aliisque ſymptomatibus redeat.

XX. Sequitur itaque in Ordine *Prognoſis*, quam juxta receptum metiar Ordinem, ubi, quid de Salute ægri ſperandum, ſcrutabor, inſimulque mortis criterium adjungam; Aſt cum morbus hic occurrat periculoſiſſimus, & ſymptomata illius infida & fallacia facile Medicum deludant, idcirco hic ſe prudentiſſimum gerat, nec quicquam de ſignis ſalutis & mortis abſolute affirmet, ſed ſecundum *Senecæ* monitum *libr. 6. de Benefic. c. 16. pro ægroto & famâ artis timeat.* Præſtat igitur hic præſagium potius ſuſpendere, donec vel ſpiritus vel morbi victoriæ indicia certa ſe obtulerint; ſæpius enim tanta ſymptomatum vehementia adfuit, ut mortem præſentiſſimam eſſe quis dixerit, nihilominus optatus ſalutis exitus inſequutus, è contra plurimi mitiorum ſymptomatum præſentia è vita diſceſſerunt, adeo ut in hoc paſſu certi aliquid prædicere velle admodum difficile ſit. Unde nec audienda eſt *Hippocratis* ſententia *Aphor. Sect. II. 24. Sect. 4. 36. 61.* de diebus criticis in morbis acutis obſervandis, omni enim deſtituitur fundamento, & ſanæ rationi æque ac experientiæ contrariatur; Interim tamen negandum haud eſt, ſi ullum adhuc ſalutis ſignum ſuppeditari queat, erit profecto ſymptomatum recenſitorum aliqualis remiſſio, præprimis ſi maculæ rubræ in corporis ſuperficie conſpiciantur, certo enim indicant ſpiritum reconvaleſcere incipere, materiamque morboſam deprehendere vincibilem, hinc ſenſim ſenſimque animum ſumere, ac de eventu felici proſpera quæque ſibi polliceri.

XXI. Quemadmodum autem in determinandis ſalutis ſignis Medicum caute agere oportet, ne ſtatim ex hujus vel illius ſymptomatis remittentia, felicem eventum prædicat: Ita eadem cautione opus erit, ex atrocia ſymptomatum non ſubito mortem præſagiendi, quamvis raro fallant. Sic tanquam prodromi mortis obſervantur, quando proſtratio virium, anxietas præcordiorū, indies magis magisque ingraveſcunt, ſicuti periculoſa admodum, imo lethalis eſt petechiarum retroceſſio, quatenus ſpiritus, qui hactenus ſummo cum ſtudio in iis expellendis occupatus & defatigatus fuit, & ob hanc quaſi reportatam victoriam animum paululum collegit; acrimonia autem hæc ſangvinis, dum de novo genus nervoſum afficit, eumque ibi adhuc infirmum & laſſum ad motum excitat, is doloris ac laboris impatiens deſperatus qua data porta effugit ac diſſipatur; Idem periculum indicant maculæ petechiales livido, violaceo & nigro colore conſpicuæ, ſummam enim ſangvinis corruptionem demonſtrant: Quemad-

Quemadmodum & mala ſumitur prognoſis, ſi patiens de nullo conqueratur dolore, nihilque moleſti ſentiat; item ſi ſyncope accedat frequentior, oblivio, negligens decubitus, denudatio indecens, & motus convulſivi ſuperveniant. Et tandem pro infallibili fere mortis ſigno haberi poteſt ſingultus, aut ſi æger floccos carpat, vel plicas ſuper lectum explicet; cuncta enim hæc ſymptomata ſpiritum ſatis debilem dicunt, eumque mox victas morbo ſuppoſiturum eſſe manus, ſignificant.

Cura reſpiciens

XXII. Jam paucis adhuc *Curatio* Febris Petechialis abſolvenda reſtat: Duo autem indicantia occurrunt; *Primo*, Malignitas, ſeu periculoſus ſpiritus vitalis ſtatus; *Secundo*, Maſſæ ſangvineæ vitium.

Malignitatem,

XXIII. Malignitatis autem formalitatem cum ſuperius in tribus conſiſtere affirmaverim, in ſpiritus ſcilicet noſtri vitalis imbecillitate, inquietudine, & deſperatione, idcirco ſingulis etiam hiſce indicantibus appropriata inquirenda ſunt medicamina; Verum cum talis inprimis hic remediorum requiratur apparatus, qui triſtem ac deſperabundam hanc ſpiritui ideam eximere & delere valeat, iſtiusmodi autem auxiliis cum nos deſtituamur, non miraberis, cur adeo periculoſæ hæ ſint febres, & cur tam raro illius clientes à Medicis reſtituantur; Imbecillitatis igitur hujus ſpiritus, cum jam mentionem fecerim, accedant etiam ea, quæ illi mederi ſolent. Sunt autem illa vulgo ſic dicta analeptica frigida, v. g. omnes aquæ refrigerantes, aq. cord. H. S. roſar. ror. maj. plantag. bugloſſ. borrag. acetoſ. acetoſel. cichor. &c. Item flores & tincturæ harum plantarum, Confect. Alkerm. ſyrup. bacc. cherm. conf. de hyacinth. moſchus & ambra &c. Calida & generoſiora remedia, ſi æger ea appetat, non deneganda ſunt, præſentiſſimum enim inde ſentiet levamen, prout id teſtantur E. N. C. An. 3. *obſerv. 145. Barthol. Centur. 4. obſerv.* 7. cum è contrario in iis concedendis medicus, ſi nimium rigoroſus eſſe velit, plus obſit, quam proſit, ſpiritus enim adeo deſideratæ rei idea characteriſatus eſt, ut omnem fiduciam & ſpem recuperandæ ſanitatis in eadem ponat, eoque ſi non potiatur, animum deponit, omniaque pejora fient.

in ſpirituum imbecillitate

inquie[tudine]

XXIV. Continuum autem illum ſpiritus motum & inquietudinem ſiſtunt partim narcotica, partim etiam refrigerantia: Priora enim ſpiritui vitali torporem inducunt, ſicque ad movendum ineptum eum reddunt, imo multum de concepta idea deprædantur; talia autem ſunt, Theriaca, Mithridatium, Opium &c. circa ultimum autem hoc remedium inprimis monendum, ne doſi excedatur, & ſpiritus plane ſopiatur. Eundem poſtea à refrigerantibus quoque expectare licet effectum, utpote quæ illius motum multum remorantur, officio autem hoc funguntur jam præced. §. laudatæ aquæ refrigerantes una cum ſuccis, acetoſ. citr. cydon. rib. berb. omphac. It. ſpiritus acidi, ſulphur. vitriol. ſalis. Nitrata autem omnem fere hic paginam abſolvunt, nitrum, v. g. purum & antimoniatum, arcan. dupl. &c.

& deſ[pera]tione [...]ſten[...]

XXV. Deſperationi denique ſpiritus vitalis cum quoque remediis debitis obviam eundum ſit, alterum vero indicans, ſangvinis, ſcil. vitium corrigendum, eundem plane quoad curationem medicamentorum apparatum requirit, idcirco una fidelia ſic duos parietes dealbare volui, præprimis cum temporis brevitas & typographus feſtinationẽ Diſſertationis admodum urgeant, hujusq; affectus ſpecialiorem curam tradere haud permittant; quapropter ut utrique ſcopo ſatisfaciam, commendo inſtar omnium Diaphoretica, qualia ſunt terra ſigill. bolus Armena, terra lemn. antimon. diaphor. antihect. Poter. cinnab. antimon. bezoar. min. tam ſimpl. quàm compoſit. &c. inprimis autem ſi cũ acidis, acetis v. g. theriacal. aliisq; ſpirit. acidis propinentur, hoc enim remediorum genus cum ſpiritus priorẽ Ideam febrilẽ deſtruat, & alia eum ſigillet, inſimulque ſangvineam maſſam corrigat, admodum

Cura Sangv[inis]

modum conveniens videtur : Cavendum tamen à volatilibus medicamentis , v. g. mixt. ſimpl. Tinctur. bezoard. aliisque ſalibus volatilibus, quippe quæ ſpiritum ſaltem deſperatiorem efficiunt ; Interim inficias non ibo ab horum uſu Medicum quidem celerius has maculas ad corporis peripheriam eliminare , ſicque citius ſuam obtinere intentionem : aſt cum etiam illarum retroceſſio facile ſit metuenda , quatenus ſangvinem hæc volatilia & calida remedia nimium fundunt & reſolvunt , illeque facillimo negotio ratione ſui celerioris appulſus & fluiditatis maculas has in habitu corporis ſtagnantes rurſus diluere & ad centrum revehere valet , quarum autem retroceſſionem poſtea cephalalgia , dolores dorſi , anxietates , cardialgia pesſimaque ſymptomata & deliria inſequantur , idcirco fixa aliaque ſenſim & ſucceſſive operationem ſuam exerentia hiſce volatilioribus longe anteferenda ſunt.

Retroceſſionis præcautio.

XXVI. Ad corporis tandem peripheriam hiſce maculis expulſis eo Medicus allaboret , ne illarum retroceſſio contingat , interdicat itaque ægro omnem animi commotionem, ut & corporis refrigerationem; retroceſſio enim petechiarum, quæ nonnunquam ex commutatis induſiis ac linteaminibus oritur , inde deducenda venit , quod ægrotantes aëri frigidiori corpus exponant , illeque verus recrudeſcentiæ ſymptomatum Autor exiſtat ; Ultimo denique exulare jubeo omnia illa, quæ alvum laxare queunt , imo ſi ſponte ſua diarrhœa vel aliud alvi profluvium ſuperveniat , quantocyus ſiſtatur. Interim hac vice de Febre Petechiali meam juxta hypotheſin per compendium dixiſſe ſufficiat. Hæc itaque L. B. æqui bonique conſule, aut ſi quid noſti rectiùs iſtis, candidus imperti, ſi non, his utere mecum.

FINIS.

Disputationum Langianarum

Vigeſima octava:

De

FEBRE PETECHIALI EPIDEMICA.

Prooemium.

POſtquam ſuperiori anno hyemem valde placidam lenem, humidamque, vapidam, autumno ſimilem, ventisque auſtrinis ſtipatam, & poſtea tempus vernum humiditate ac calore abundans experti fuimus, & per ſex menſium ſpatium & ultra ſæviter per noſtram urbem variolarum morbus eodem tempore graſſatus eſt; ſub æquinoctium vernale alius in ſcenam prodiit affectus, unde etiam e medio non paucos ſuſtulit. Fuit autem Febris, quam veteres dixerunt putridam, cum petechiis variisque exanthematibus juncta, cujus naturam atque ingenium prout ſeſe nobis obtulit, per attentam obſervationem atque experientiam tam propriam, quam aliorum hic loci celeberrimorum Practicorum paulo ſolicitius deſcribere, pertractare & perſequi ſpeciminis loco divina asſiſtente gratia apud animum conſtitui.

CAPUT I.

complectens

Historiam Morbi.

§. I.

INvaſit hic morbus ratione ætatis maxime juvenes & viros: infantibus tenellis, puerili ætati, & ſenibus pepercit; ratione ſexus, majorem ſtragem edidit in maribus, quam fœminis. Adortus autem eſt præcipue perſonas conſtitutionis ſangvineæ, item ſangvineo-phlegmaticæ, nec non ſangvine copioſo inſtructos, obeſos, habitus corporis laxioris, ſpongioſioris, & qui venas plurimas, anguſtas tamen & minimas habuerunt. Graciliores, cholericos & illos, quibus fibræ partium magis compreſſæ & conſtrictæ, venæque ampliores fuerunt, non tam frequenter hoc malo detentos vidimus. Infenſiſſimus imo lethalis fuit illis, qui ex nimia intemperantia, præſertim abuſu vini generoſi, nimia voracitate, præpoſteris & vehementibus affectibus impuritatem ſangvinis & cacochymiam ſibi contraxerunt, vel morbis prægreſſis aut aliis rationibus vires corporis deſtruxerunt. Quod contagium & modum ſe propagandi attinet non adeo vehementer contagii vis atque activitas ſeſe exeruit in omnes promiſcue, maxime autem in vicinos & diſpoſitos, ita ut plures ex una domo ſimul ægrotaverint, pauca vero exſtant exempla, ubi peregrini accedentes infectionem reportarunt, quin imo ſine contagio ipſum morbum ſubnatum & intus progeneratum fuiſſe experientia frequens edocuit. Subj

§. II. Primum autem recenſendum hic eſt, quæ ſymptomata, quas læſiones, quos effectus produxerit, quæ pro diverſitate ætatis, ſexus, temperamen- Sympt

ramenti, valde fuerunt diſſimilia. Ut ordine procedamus, primo enumerabimus illa pathemata, quæ fere omnibus ſubjectis fuerunt communia, & in quibus merito hujus morbi eſſentia ponenda eſſe videtur. Fuerunt autem illa inſignis & ſubita ſtatim inter initia morbi virium jactura atque proſtratio, unde laſſitudine ſumma & gravitate membra corporis affecta, ut præ nimia debilitate corpus nec movere, nec erecta ſtatura incedere potuerint, protinus enim vertigo, vel leve animi deliquium non ſine inſigni vitæ diſcrimine ſuboriebatur: maxima hæc virium concuſſio permanſit & duravit per totum morbi curſum, & hoc certe ſymptoma fuit præcipuum & individuum fere omnibus, qui febre hac detenti fuerunt. Poſtea etiam in ſingulis ferme ſubjectis deprehenſus fuit pulſus arteriarum imbecillis, parvus, debilis, frequens tamen, modo quod interdum major vel minor celeritas & inæqualitas conjuncta fuerit. Deinceps in omnibus ferme ægrotantibus minor & remiſſior calor cum ſiti parva, urina ſanorum ſimillima annotatus fuit. Et tandem, qui hac febre afflicti fuerunt, vel aſſidua vigilia, aut continua ſomnolentia fatigati fuerunt. In his itaque magna fuit communio & indentitas, cum nullus ferme fuerit, qui non dictis, quæ pathognomonica nobis inde audiunt, pathematibus fuerit divexatus.

di-us. §. III. Inſuper diverſitas ſymptomatum in plurimis quoque fuit obſervata, prout temperamenta & ætates variarunt, vel acceſſio facta fuerit aliarum rerum externarum. In ſangvineis ſymptomatum maxima fuit confuſio & inconſtantia, notavimus autem in illis ordinario dorſi dolorem majorem, anxietatem circa præcordia graviorem, cephalalgiam acutiorem cum faciei & oculorum rubore, vigilia, delirio: maculis quoque rubris conſperſum fuit illorum corpus. In his ubi ſanguis magis aduſtus, vel mobilior aut bilioſior fuit, & habitus corporis ſtrictior, eveniebant plus ardor externus intenſior, vigilia cum æſtu & corporis jactatione ac inquietudine, ſiti: accedebant etiam loquacitas, faucium inflammatio, delirium, quod comitabantur oculi protuberantes, feroces & ſplendentes. Quicunque habitum corporis laxiorem, obeſum, habuerunt, & ſangvinem copioſum ſero viſcido ſcatentem in vaſis cuſtodiebant, non exceſſivo calore nec ſiti nec inquietudine afficiebantur, ſed ſomnolenti, debiliſſimi, moroſe taciturni jacebant; ſomnus autem utplurimum fuit turbulentus, & variis ac interturbatis inſomniis plenus, à quo male ſeſe habebant, & cum expergiſcebantur, ſemidelirii erant. Similia etiam in illis vidimus, qui ad temperamentum ſic dictum Melancholicum accedebant.

§. IV. Dicendum etiam aliquid eſt de excretoriis actibus ſive humorum vel ſangvinis evacuationibus & præcipue hæmorrhagiis, ſudore, alvi fluxu, & urina. Diverſis autem modis in hisce ſeſe exeruit affectus, in nonnullis enim diarrhœa obſervata fuit per totum morbi curſum, & quidem ſpumoſa variegati coloris, moderata tamen neque inſalutaris: plurimis acceſſit circa diem criticum, nonum, undecimum vel decimum quartum cum copioſo ſudore & talis critica & valde ſalutaris notata fuit. In univerſum etiam animadvertimus, non tantum hoc tempore, ſed & alio ubi ſimilis putridæ continuæ febres regnarunt, ſemper melius fuiſſe cum ægris, quando alvus fuerit lubrica & fluida, quam ubi obſtructa & conſtricta, tunc enim majores anxietates, cephalalgiæ, circa fauces affectus inflammatorii, vel etiam purpura alba, malum ſæviſſimis ſymptomatibus ſtipatum ſucceſſerunt. *Evacuationes*

§. V. Sudorum ratio non fuit ubiq; eadem, continui & per totum morbi tractum durantes malitiam morbi, naturæ oppreſſionem, infauſtumque eventum ſignificarunt. Udor autem ac mador per totum morbum continuus, optimum præbuit ſignum: quando diebus ſic dictis criticis nono vel undecimo copioſius inceperunt ægri ſudare, præcedente vel etiam concomitante ſimul diarrhœa, ſymptomata notabiliter, quoad ſævitiem remiſerunt, & major animi vigor, mentis conſtantia, pulſus æqualitas, & maxima recon- *Sudores*

valeſcentiæ ſpes apparuerunt. In univerſum enim obſervatum eos, qui ex hoc periculoſiſſimo morbo evaſerunt, mediante ſudore, vel diarrhœa, vel utraque ſimul excretione, à malo fuiſſe liberatos. Interdum quoque eveniebat, tantam profuſionem ſudoris ſecutam, quæ ad ſeptimanam fere durans, viresque convellens, hecticum morbum minata fuerit.

Hæmorrhagia §. VI. Narium hæmorrhagia largior non adeo bene ceſſit, præſertim ſi per crebras vices iterata fuerit, utpote tali immodico ſangvinis effluxu vires ſimul auferuntur; vidimus tamen & in principio illam copioſam c. diarrhœa ſimul invadentem citra tamen vitæ periculum. Eodem modo menſium fluxus in fœminis ſat largus apparuit, die tertio vel quarto, innoxius tamen. Provocata autem fuit ſangvinis per nares excretio, nimio ſtragulorum calore, vel volatilium ſangvinem exagitantium abuſu inprimis in ſangvineis & plethoricis; hœmorrhoidalis vero ſangvinis ejectio à nemine uti audivi annotata fuit.

Mictio §. VII. Urinæ fluxus & color ac conſiſtentia non eodem modo ſeſe etiam habuit in omnibus, utplurimum tamen urinæ fuerunt ſanis ſimiles, interdum tenues & turbidæ, pallidæ, citra ſedimentum, quod deinde circa diem decimum quartum, imo vigeſimum cum reconvaleſcentiæ ſignis etiam in conſpectum prodiit; vidimus tamen & urinas poſt emiſſionem ſtatim turbidas factas non ſine fœtore. In quibusdam die ſtatim tertio morbi urina in largiſſima quantitate profluxit, ubi gravativus ſimul capitis dolor, torpor, mentis ſtupor atque turbatio ſuccedebant, & quando die ſeptimo copioſus & liberalis ſudor accedebat, ſymptomata dicta feliciſſime evaneſcebant, & ægri ſervabantur. Quidam in parciſſima quantitate ipſam reddebant per aliquot dies, ita ut tantum aliquot guttulæ inſtar aquæ limpidæ cernerentur in vitro urinali, quod evenit præſertim in illis, qui diarrhœa vel vomitione frequenti affligebantur.

Vomitus §. VIII. Tandem dicendum etiam aliquid eſt de vomitu, hunc cum ſingultu obſervavimus per totum ferme morbi curſum lethalem. Conamen ad vomendum ſeſe obtulit frequentius, præſertim poſt medicamenta aſſumpta, vel quando gravis terror ante morbi invaſionem corripuit ſubjecta, vel emeticum in principio morbi fortius aſſumptum. Singulare autem ſymptoma in nonnullis perſonis, & quidem funeſtum quod prænunciavit eventum, occurrebat, nempe poſtquam liquidum quoddam aſſumptum fuerat, & in ventriculum deſcenderat, ſimul ac ægrotus leviter ſaltem corpus commovebat vel erigebat cum murmure & borborygmo in os aſcendebat & regurgitabat humoris limpidi quantitas, quæ ferme cochlearia duo replere poterat: Simile ſymptoma lethiferum cum ſingultu etiam ante dimidium anni in viro honorato febre maligna mortuo obſervavi per aliquot dies durans, ubi poſt inſtitutam ſectionem inventum fuit hepar in concava parte plane putridum, nigrum, inſtar picis, qualis corruptio & ſphacelatio etiam in diaphragmate, inteſtino duodeno & pyloro quoad partem conſpiciebatur.

Exan[themata] §. IX. Quod ipſas maculas, exanthemata & petechias attinet, neque in omnibus idem modus, ſimilitudo aut identitas fuit deprehenſa, etenim quidam illis plane carebant, quorundam autem corpora ipſis erant refertiſſima, in proruptione & emiſſione in cutem etiam non æquale ſervabant tempus, quoniam in nonnullis ſtatim inter initia morbi apparebant, cum de nullo alio ſymptomate, quam de inſigni langvore conquerebantur extra lectum, quod tamen minus fuit ſalutare: In aliis circa diem ſeptimum vel nonum etiam conſpectui ſeſe dabant, quod non erat infauſtum. Ordinario occupabant exanthemata hæc collum, dorſum, femora, in facie rarius viſæ, quanquam & nos ſcimus exemplum, ubi circa frontem, tempora & mentum oculis ſat vivide & rubicunde ſeſe ingerebant; in abdomine, pedibus & manibus parcius ſeſe oſtendere ſolent. Ratione coloris & figuræ diverſæ fuerunt, meliores rubræ

&

& parvæ: pejores magnæ, lividæ & ad viridem & violaceum colorem accedentes.

ura al- §. X. Memoranda hinc quoque venit ſingularis quædam excretio in cute, quæ purpura alba ſive miliaris, quoniam granis milii ſimilis eſt, appellari ſolet, germanice: das weiſſe Frieſel / exanthema hoc mali moris ſucceſſit maxime petechiis, & multos etiam horrendis ſuis ſymptomatibus quibus ſtipatum erat, antequam prodiret, interfecit. Invaſit præcipue illos, quorum alvus erat tenſa & dura, cutemque ſiccam & aridam poſſidebant, inprimis autem die nono vel etiam decimo, poſtquam petechiæ diſparere inceperunt, ægros adoriebatur & quidem cum anxietatibus maximis, ſumma virium animique defectione, extremorum refrigeratione.

nosis. §. XI. Quod ſigna atinet, ex quibus de morbi magnitudine, reconvaleſcentia ægri & morbi eventu formare peritus Medicus judicium poterit, illa etiam, quæ nos obſervavimus, exponamus: rarius nempe reconvaleſcentiam conſecuti fuerunt, qui metu ac formidine mortis continua detinebantur, omniaque reſpuebant remedia: qui porro obeſi erant corporis & venas ſangvine copioſo & intemperato infarctas habebant. Signa autem utplurimum funeſti eventus fuerunt ſudor frigidus cum pulſu frequenti, debiliſſimo, & etiam intermittente, reſpiratione frequenti, parva, deliria, & convulſivi motus ſeu tendinum contractiones in manuum carpis deprehenſæ: hiſce ſymptomatibus plurimi occubuerunt. Delirium futurum præſagiebant feroces oculi cum rubedine, lacrymarum effuſione, ſitis defectus, inquietudo & jactatio corporis, pulſus celeritas, inflatio capitis. Peſſimum quoque & periculo pleniſſimum ſignum fuit macularum retroceſſio, quæ vel admiſſo improvide frigore, vel detento corpore diu in ſitu recto, vel gravi terrore incuſſo, frequentius accidebat, ſubſequebatur mox ſumma debilitas, extremorum corporis refrigeratio, reſpiratio anheloſa & anxietas circa præcordia vehementiſſima. Contra autem fauſta atque bona ſigna fuerunt, quietus corporis ſtatus, mentis conſtantia, ſitis, ſomnolentia & macularum die ſeptimo demum vel nono in cutem progreſſio, alvus liquida, ſurditas circa diem criticum accedens & ad tempus perſeverans, & inprimis habitus corporis gracilis, tenuis & conſtrictus, hæc enim promiſerunt reconvaleſcentiam. Quoad morbi eventum, plurimi mortui fuerunt die undecimo, nonnulli etiam die ſeptimo, quicunque autem cum morbo redierunt in gratiam, die undecimo, vel etiam decimo quarto, imo decimo octavo demum virium collectionem & ſymptomatum remiſſionem experti fuerunt, ita, ut qui evadebant, ſex ſeptimanarum ſpatio, antequam integre ſanarentur, opus habuerint, in cujus medio fere tempore febris ſolvebatur, reliquum medium in ſupervenientibus aliis accidentibus occupabatur, & ad recolligendas vires requirebatur. Unicum adhuc hoc loco merito memorandum eſt idque maximi momenti, cujus plane nulla apud Autores reperitur mentio, nempe obſervatum fuit, non tantum in noſtro, ſed etiam ſæpiꝰ in aliis malignis, quod ſi ægrotantes diutius in erecta corpus teneant poſitura, ſive ſurgendo, ſive in lecto ſedendo, morbi vehementia mirifice mox adaugeatur & increſcat, ita ut etiam mors brevi fuerit ſubſecuta, ſentiunt enim poſt talem poſituram mox debilitatem maximam, animi quoddam deliquium, extremorum frigus, anxietates quaſdam circa præcordia; quinimo maculæ in cute conſpicuæ ſeſe abſcondunt, cum maximo periculo. Vulgariter exiſtimant, ob frigoris admiſſionem ſubſequi gravia hæc ſymptomata; at vero, quod à frigido aëre externo, qui nec aderat, & à quo etiam admodum ægri defenſi erant, id non proveniat, inferius diſcutiemus.

§. XII. Tandem nec ſilentio involvere debemus, quid in cura actum & notatum fuerit, & à quibusnam rebus atque remediis male vel bene ſeſe habuerunt hac febre laborantes; primum omnium autem notandum venit, medicamenta alexipharmaca, *Cura.*

 vola-

volatilia ſalia, bezoardica calida, ſpirituoſa, quæ vulgariter ceu efficaciſſima remedia commendantur, magis nocumentum ac damnum attuliſſe, quam auxilium, præſertim ſi in nimia quantitate, & cum regimine calido ſudorifero exhibita fuerunt. In genere obſervavimus, dicta volatilia, ſudorifera & quæcunque ſangvinem & humores exagitant, in malignis & continuis febribus, etiam affectibus inflammatoriis ſemper fere plus nocere quàm juvare, imo nota ſunt nobis exempla, ubi præſervationis cauſa hæc fuerunt aſſumta, cum regimine ſudoris, ubi mox ipſo contagio corpora infecta fuerunt: nihilominus excipiuntur caſus, ubi dicta hæc volatilia alexipharmaca cum analepticis remixta, & moderate ac caute uſurpata opem ferunt & tulerunt inſigniſſimam, quod præſertim valet, ſi ex macularum retrogreſſione, vel corporis ſive ex terrore, ſive ex frigoris externi admiſſione, aut ſtatura erecta, refrigeratione, anxietates, uti ordinarie ſolet, & debilitates inſenſiſſimæ ſequuntur, tunc enim ſpiritus excitando, & ſangvinem ex centro ad peripheriam commovendo, dictis ſymptomatibus egregie ſuccurrunt.

XIII. Quod venæ ſectionem concernit, hæc præſervationis cauſa, quando nempe morbus irrepſit in domum, in corporibus plethoricis & quibus ſangvinis evacuationes tam naturales quam artificiales conſvetæ erant, feliciter ceſſit, ſicut aliqua communicata nobis ſunt hac de re exempla; minus autem feliciter, quando jam debilitas & virium proſtratio inſignis adfuerit, ſucceſſit ſangvinis emiſſio. Cum vomitoriis res ita ſeſe habuit, in illis, quibus regio prima obſeſſa fuit vitioſiſſimorum humorum copia, lene actutum emeticum, & præſervationis cauſa, & in curationis principio admiſſum, exoptatiſſimam tulit opem; nihilominus adhuc nota ſunt exempla, ubi inter initia etiam aſſumptum vomitorium effectum ſuum edidit, verum circa morbi progreſſum ac ſtatum, vomendi continuum deſiderium, nauſeam, ardorem circa regionem cordis, anxietatem cardialgicam ſuſcitavit, vel potius hiſce malis anſam ac cauſam ſubminiſtravit. Veſicatoria mihi à celebri hujus Urbis Practico maximopere laudata fuerunt, quando nempe in ſtatu morbi, ubi delirium, vel ſopor, convulſiones jam ægrum adoriebantur, cervici fuerunt admota. Opiata omniaque ſoporifera penitus à nobis omiſſa fuerunt, quoniam in hoc morbo motus vitales jam imbecilles ſunt, unde vires magis deſtruendo, motus impediendo, & excretiones retardando, malignitatem majorem efficiunt, & ad mortem magis ægros, quam ſalutem deducunt.

§. XIV. Optima autem & ſecuriſſima medendi methodus in hiſce morbis, quam plus centies ſidam & bonam expertus ſum, ſequens fuit: nempe in principio morbi pulvis bezoardicus, mixtus cum nitro purificato & camphora, remedio maximi momenti, aliquoties exhibitus & reiteratus fuit. Per morbi progreſſum vero & ſtatum, mixturæ ex aquis temperatis, alexipharmacis, diaphoreticis, analepticis, antiſpasmodicis, & pulveribus cordialibus bezoardicis conſtantes fuerunt conſtantiſſime exhibitæ. In potum inditum fuit nitrum vel ſpir. vitrioli philoſoph. & frequens potio decocti cornu cervi citrati, it. rad. ſcorzon. calide & frigide ſumme proficua notata fuit. Circa diem criticum leniora alexipharmaca, & quæ ad ſudorem diſponebant, adjecta fuerunt, hinc vel mixtura vel tinctura bezoardica vel eſſentia ſcordii, mixturis admixta, aut camphoræ granum pulveribus conſvetis bezoardicis adjectum. Hiſce vulgaribus temperatis, lenioribus, benedicente ſummo Numine feliciſſime maxima hujus morbi, item aliarum malignarum febrium vis expugnata ſæpius fuit.

§. XV. Neq; etiam ſileri debet uſus externorum, ita clyſteres lenientes, vel pure oleoſi in alvo nimis adſtricta, vel torminibus ac cruciatibus ventris expertiſſimi fuerunt reperti. Spirituoſa quoque, confortantia, analeptica, theriacalia, aromatica exter-

externe pulſibus & regioni ventriculi applicata, vel naribus ſuſcepta vires reſtaurando auxilium tulerunt exoptatum. Quoad regimen ægrorum commendata fuit aëris uſura ſereni, limpidi, puri, temperate calidi, hypocauſta enim nimis calefacta, vel exceſſivus calor à ſtragulis & lectis ſemper fere depauperando vires, & actus excretorios turbando, nocuit. Cibi præcipue ſolidi nulli admiſſi fuerunt, ſed in declinatione & poſt illam, tantum liquidi & facillimæ ſolutionis exhibiti, in genere enim animadverſum fuit in omnibus acutis & continuis febribus liberalem uſum ciborum etiam nutrientium, juſculorum ſic dictorum confortantium, particulis oleoſis alibilibus ſcatentium, damnum ſemper præſentiſſimum attuliſſe, inprimis circa dies criticos, ſtatum morbi, aut præſentibus evacuationibus criticis, ſiquidem mox major virium jactura, excretionum impeditio deprehenſa fuit. Noti nobis ſunt, ubi poſt declinationem immodicus uſus ciborum ſolidorum recidivam morbi gravem peperit. Et hæc jam de cura ſufficiant.

[Praeſ]ervatio §. XVI. Qui ſibi ab hac lue epidemica metuebant, hi conſilio prudenti medicorum præcavebantur purgationibus levioribus, quem in finem uſurpatæ fuerunt pilulæ ex extractis balſamicis, amaricantibus, rhabarbarinis, & aloëticis compoſitæ. Plethoricis ſangvinis detractiones rite fuerunt adminiſtratæ, decoctum veronicæ & ſcordii, quod ſanguinem fluxilem ſervat, putredinem arcet, dyſcraſiæ & malignitati humorum reſiſtit, ceu omnibus individuis accommodatiſſimum commendatum fuit & commendari meretur. Præterea decens vivendi ratio adhibita & inprimis cibus potusque moderatus, temperatus, nec varius, abſtinentia ab affectibus utiliſſima ſunt & fuerunt, ad corpora cuſtodienda a lue tali diriſſima.

CAPUT II.

exhibens

ÆTIOLOGIAM HUJUS MORBI.

§. I.

FEbrem hanc nominavimus continuam, epidemicam, putridam, malignam, & petechizantem. Febris fuit, quoniam mutatio ſuit in pulſu & calore corporis naturali obſervata; pulſus enim frequētia cum calore præternaturali eſſentiam febris ſufficienter abſolvit. Continua fuit & acuta, quoniam nullas habuit intermiſſiones, ſed ſaltim ſymptomatum remiſſiones, & quia celerem obtinuit motum, citoque ad terminum ſuum ſalutarem, vel exitialem pervenit; morbus enim acutus ſimpliciter ad vigeſimum diem ad ſummum extenditur. Maligna dicta fuit ob plures rationes, primo quia graviſſima & periculoſiſſima ſibi conjuncta habebat ſymptomata, ſecundo etiam quoniam mali moris erat, in eo, quod prima fronte levibus ſignis & remiſſo calore vires occupabat, ut ſecura omnia & tuta apparerent, quo ipſo imperiti & incauti Medici miſere ſæpiuſcule decipiuntur, qui talem febrem pro catarrhali, & hectica frequentius in principio agnoſcunt, ubi tamen ad mortem repentina fit mutatio. Eleganter *Baſſianus Landus* verſipellem hujus febris naturam inſinuat in Jatrologia, inquiens: ad initia medico facilis ſe malignus morbus præbet, ſed progreſſu temporis virus habet, & clandeſtinis inſidiis oppugnat, & nullum de ſe prius judicium fieri permittit, quam exitium paraverit & oppreſſerit; usque adeo incertæ ejus notiones ſunt, ut, dum anima eſt ægrotorum, magnam plerumque ſpem medico faciat. Appellata fuit à nobis petechizans, ſive naturam & morem petechialis febris referens, ſententia enim noſtra non fuit pure petechialis, quia non tam contagioſa, non tam truculenta, peracuta & interficiens fuit, quam pure petechialis, quæ ab Autoribus paſſim peſti æquiparatur, quare etiam Petechiæ dictæ fuerunt quaſi Peſtichiæ à peſte, quod Italis id primum obſervantibus, naturam ejus ratione vehementiæ Symptomatum & contagii penetrantioris æmulabantur; *Fracaſtorio* enim referente Anno 1505. & 1528. in Italia primum apparuere, cum prius notæ non eſſent, etſi

Febris fuit

continua

petechizans

etſi certis regionibus, ut Cypro & vicinis inſulis fuerint familiares, atque ibi diu cognitæ & deſcriptæ ab aliis, quod & fecit *Foreſtus* ſub titulo febris quotidianæ continuæ. Reſervato itaq; hoc nomine atrociori & magis lethifero morbo, petechizantem noſtrum vocavimus, partim quoniam exanthemata petechiis ſimilia in cutim emittebantur, partim quoniam ſimilia cum petechiis ſecum ferebat ſymptomata; differt autem in eo, quod in pechiali major contagii & ſymptomatum adſit atrocia, dum ferme ſine ullo temperamentorum vel complexionũ delectu, in omnia etiam ſaniſſima & robuſtiſſima corpora graſſatur, & tragœdiam ſuam brevi finit, & ſæpius lethaliter ſub maxima ſymptomatum ſævitia; ex noſtra autem febre plurimi evaſerunt, & diſpoſiti, intemperantiæ, crapulæ & ebrietati dediti magis perierunt, neque tanta ferocia vis morbi graſſata eſt in omnes promiſcue, neque morbus fuit peracutus, cum undecimo die plerique occubuerunt. Veteres hanc febrem ſolebant vocare puncticularem, neque ipſi Hippocrati fuit ignota, hujus enim meminit libr. 2. Epidemiorum p. 3. in hunc modum: fiebant autem in febribus æſtivis circa ſeptimum, octavum & nonum diem aſperitudines in cute miliaceæ, culicum morſibus magnitudine ſimiles, non valde pruriginoſæ.

Ratio malignitatis. §. II. In quonam malignitatis ratio in hac febre conſiſtat, certe utile & dignum ſcrutinio exiſtit. Videtur autem diverſus malignitatis gradus nobis in eo verſari, quod in peſte & puris petechialibus, miaſma exiguæ molis activiſſimum immediate afficiat ſpiritus, etiam ſaniſſimorum hominum, horumque craſin ac motum invertendo ac turbando omnes motus vitales & naturales ſecretorios pervertat, totamque œconomiam animalem brevi deſtruat, in putridis autem ſic dictis & acutis febribus malignitas remiſſior eſt, & intus magis generatur ac producitur, & initium ſuum ducit ex ſangvinis & humorum putredine, ſeu potius diſpoſitione ad ſtatum corruptionis. In utroque morbo ſpiritus, qui præſunt motibus corporis noſtri, qui vires motrices cunctis partibus ſuppeditant, affecti ſunt, in peſte magis immediate, in putris dimagis mediate. Antiquiores omnium malignarum ſubjectum non ſine ratione judicabant eſſe cor, quoniam credebant, viſcus hoc principium eſſe & fontem omnis ſpiritus motusque vitalis in corpore. Tametſi autem pars hæc ſolida, principaliſſima & prima omnium fluorum corporis noſtri ſit movens, non enim ut ſolida ſpectatur, ſed quatenus vigorata & actuata eſt tenuiſſimo ſpirituoſo fluido, circulum ſangvinis vitalem efficit, & à putredine corpus præſervat; eluceſcit tamen exinde ſpiritum, ſeu ſubſtantiam impetum facientem in ſangvine contentam tenuiſſimam pati maxime, & affici in morbis malignis, id quod deprehendimus ex ſubito illo virium motricium in membris corporis prolapſu atque jactura, ſcilicet motuum, qui animæ ſerviunt, abolitione, animi in robore ſuo ac vigore actionum defectione, pulſu arteriarum imbecilli, exili, parvo, inæquali, propenſione ad lipothymiam, quæ cuncta deſignant morbi malignitatem & ſpirituum defectum vel deſtructionem.

Ratio putrid[...] cati[...] §. III. Optima ratione priſci medicorum febres tales, e quarum numero noſtra fuit, dixerunt putridas, & ex putredine actiones vitales deſtruente illarum cauſas derivarunt; rectiſſime enim putredo definiri poteſt, quod ſit diſſolutio mixtionis ſive elementorum, quæ ad conſtitutionem certi mixti faciunt, unde putredine quando corpus tangitur, ejus forma, textura, craſis, ſapor, color, odor, virtus, penitus ſimul evertitur. Ad talem putredinem inclinat maxime ſangvis animantium, cum liquor fluidus & heterogeneis variis elementis per ſe corruptibiliſſimis compoſitꝰ ſit; nihil enim magis ad putredinem concipiendam aptum eſt, quam liquor particulis oleoſis, ſulphureis, ſalinis, viſcoſis ſtipatus, quæ cuncta & ſenſus teſtimonio & analyſi chymica docente deprehenduntur in ſangvine noſtro, qui etiam quandocun-

cunque quieſcit, ab aëre circumfluo, calido & humido in motum putredinoſum, fœtidum mox abripitur. Jam autem principalis hic & fundamentalis animantium humor ad putredinem propenſiſſimus, non tantum à putredine ſervatur, ſed & ipſas ſolidas partes ab hac præſervat, idque mediante motu progreſſivo, ſive in circulum abeunte, unde quamdiu ſangvis per partes vel totum corpus, perenni motu ac circulo circumvolvitur, vita fruitur corpus, & putredo amovetur, ſimul ac autem ſtaſis fit in parte, vel motus ille totaliter ceſſat circularis mox, vel partialis ſphacelatio, ſive mors ſeu totius corporis corruptio ac deſtructio præſto eſt. Siquidem quando jugiter ſanguis & motu inteſtino & progreſſivo per tubulos totius corporis vehitur & revehitur, & heterogeneæ, activiſſimæ, agiliſſimæ, aëreæ, ſeroſæ, ſalino-ſulphureæ partes, quæ putredinoſum ſemper motum in corporibus mixtis inchoant & abſolvunt, per debita emunctoria continuo ſequeſtrantur ac ſeparantur, ipſe ad corruptionem tranſire nequit. Quando itaque circulatorius motus imminuitur, & ſpirituoſæ in ſangvine partes deficiunt, nulla ſequeſtratio corruptibilium particularum accidit, hinc facile judicandum, hac ratione cruorem diſponi ad ſtaſin, ſtagnationem, imo ad deſtructoriam ſeceſſionem elementorum ipſum conſtituentium, ſive putredinem.

[...]a eſt [...]vinis [...]atio & [...]olutio

§. IV. Ex dictis itaque dilucidum ac perſpicuum eſt, ex ſangvinis in vaſibus ſtaſi ac diſpoſitione ad corruptionem dependere ac explicari etiam debere omnia febribus putridis & petechialibus familiaria ſymptomata. Staſes vero corruptivæ, inflammatoriæ, ſphaceloſæ ſangvinis in viſceribus & partibus, quæ non tam cauſa morbi, quam potius effectus ejus ſunt, ſufficientiſſime deprehenduntur tum temporis in inſpectionibus cadaverum, ubi ſæpe numero viſcera ſphaceloſa, ſangvine craſſo, coagulato & concreto infarcta inveniuntur, ſicuti memoriæ prodiderunt paſſim Autores & Obſervatores, nominatim *Spigelius lib. de ſemitertiana, cap. 4. Bartholin. cent. 3. ep. 4. Giſelerus obſ. de peſte, 81. Diemerbroeck, lib. 4. de peſte, hiſt. 15. Coiter, obſ. anat. chirurg. p. 110.* Corn. Gemma in deſcriptione hemitritæi peſtilentis, *Hieronym. Cochus, de peſte & venenatis morbis, cap. 15. Riolan. enchirid. anatom. lib. 2. cap. 27.* Ab eadem ſtaſi ſangvinis dependent quoque anginoſæ & pleuriticæ inflammationes, dolores capitis, phrenitici, anxietates circa præcordia, tormina ventris, diarrhœæ, hæmorrhagiæ. Ex eodem fonte, nimirum ſtagnatione ſangvinis & ſeceſſione elementorum ipſum componentium fluunt & fluxerunt quoque in noſtro affectu frequentes ſudores, urinæ copioſæ, tenues, quæ experientia ſuffragante rariſſime in morbis acutis bonum præbent indicium, ſubſequitur illas etiam frequentiſſime delirium; quando enim ſerum ſic ſecedit à ſangvine, reliquus craſſior factus non modo in viſceribus, verum etiam in capite ſtagnat & inflammationem parit, cui ſeceſſui ſeri à ſangvine quoque debentur exceſſivæ debilitantes ad syncopen interdum usque dejectiones per alvum. Interdum etiam accidit, ſalivam in abundantia effluere per os & tuſſi ejici copioſam materiam, quæ dicta maxime explicanda ſunt de excretionibus ſymptomaticis, quæ enim critice fiunt & cum ſalute, illæ magis dependent ex motu ſangvinis circulari, alacri ad partes accedente.

Exanthematum differentia & ratio

§. V. Quod exanthemata, maculas in præſenti concernit affectu, certe bene diſtingui debet inter criticas & ſymptomaticas, criticæ dicuntur, ubi ſuperata ſangvinis putredine motu accedente rurſus vegeto, natura particulas reſtiles putridas ex corpore ad externas partes tranſmittit, & tunc ſequitur ſymptomatum diminutio, & talis die nono vel undecimo ſi accidit, neque nimiæ ſunt vel peſſimi coloris ſalutem afferunt; ſymptomaticæ v. ſunt, quæ copioſæ, & ſtatim primis diebus, ſub colore etiam infeſto, nempe livido, violaceo vel flaveo in cutem mittuntur, illæ enim indicant putredinem & corruptionem intenſiſſimam. Sunt autem maculæ illæ nihil aliud, quam ſalia ſulphurea ſangvinis

nis per putredinem reſoluta; & tales frequentius in petechiis accedunt die nempe non critico & coctionis ſignis aliis non præſentibus, unde morbum non leniunt, ſed potius peſſimum præbent indicium, unde bene concludit *Sennertus lib. 4. de febr. c. 11.* eos non recte ſentire, qui exiſtimant bene cum ægris agi, ſi magna macularum iſtarum copia erumpat; tantum enim abeſt, ut materiam in venis virulentam tollant, ut potius materiæ copiam arguant & periculum portendant. Obſervavimus etiam hoc tempore & ante 6. annos hic graſſantibus febribus petechialibus, quod, ſi paucæ, vel plane nullæ appareant, melius ſit ſignum, & provocari illa magna copia poſſe à medicis imperitis per medicamenta calida ſudorifera ſangvinem multum exagitantia ſive inteſtinum ejus putredinoſum motum promoventia, item intemperato lecti calore. Cognitum etiam habemus poſt mortem eruptas fuiſſe petechias, quod ex putredine adhuc vigente & vapores emittente accidit. Quod dictum eſt de petechiis, etiam tuendum circa purpuram albam, quæ ſoboles eſt ſalis acerrimi cauſtici, mediante ſero craſſo ac vapido ad glandulas miliares ſubcutaneas adducti. Salina corroſiva indoles pateſcit exinde, quod quando retropellitur, diarrhœas, tormina ventris, cardialgias, aphthas, faucium inflammationes excitare ſoleat.

Symptomatum reliquorum ratio. §. VI. Cætera ſymptomata atque phænomena circa diverſa temperamenta & ætates animadverſa noſtro in morbo commode ex diverſa temperie, diſpoſitione, motuque ſangvinis deducuntur. Homines temperamenti phlegmatici, ſangvinei, habitus corporis pingvioris, carnoſioris, laxioris, nec non intemperantiæ dediti, ætatis mediæ, plus lue noſtra correpti fuerunt præ aliis, quoniam in tali complexione major ad concipiendam putredinem illamque propagandam eſt proclivitas, ob ſerum copioſum ſulphureum & habitum corporis flaccidum, quo ſangvinis & humorum circulatio infringitur & labefactatur. Idem valet etiam de iis, qui corpora multum habent debilitata ſive per graviores curas, animi angores, præpoſteros affectus, aut morbos antecedentes longiores, hæc enim omnia ſpiritus conſumunt & exhauriunt, & conſequenter ad motum ſangvinis tardiorem ejusq; vappeſcentiam, excrementorumque retentionem anſam præbent largiſſimam. Cacochymici autem, ſcorbutici & cachectici, enormiter tali in affectu eandem ob rationem patiuntur, illorum quippe vaſa ſuccis turgent pravis, excrementitiis, unde in his ordinario majus vitæ periculum obſervatur, ſimiliter in obeſis, qui rariſſime hoc morbo decumbentes evadunt, quia ipſi corpora habent minus perſpirabilia, venasque anguſtas & compreſſas, per quas difficili negotio ſangvis circulatur, quamobrem videmus in praxi obeſos ad tales morbos, qui a ſtaſi ſangvinis inflammatoria initium ſuum ducunt, eſſe propenſiſſimos; conſentit in hanc rem *Celſus lib. 2. cap. 1.* obeſi, inquit, plerumque acutis morbis & difficultate ſpirandi ſtrangulantur, quam corpore tenuiore præditi, graciles enim corpus habent εὐρεῶν ac perſpirabile. Quare autem noſtra lues infantibus, quæ corpora ſimiliter habent humida & laxa, pepercerit, ratio hæc videtur, quoniam plurimi ex noſtræ civitatis infantibus variolas ante aliquot menſes experti fuerunt, quorum miniſterio illorum corpora depurata & quodammodo defecata fuerunt, accedit etiam, quod febris acuta magis ſit morbus ætatis juvenilis & virilis quam infantilis & puerilis, quoniam circulatio in infantibus, quod etiam ex pulſu cognoſcitur, longe celerior & citatior, tranſpiratio & excrementorum propulſio major quam in aliis ætatibus, ob neceſſarium & urgens forſan nutritionis plenioris negotium.

§. VII. Symptomata ſangvineis familiaria, ut dorſi dolor, capitis acutus, anxietas circa præcordia, vigilia, delirium, teſtantur cuncta de tranſitu ſangvinis difficiliori & impeditiori per venas anguſtas & copioſas, factaque ejus ſtaſi tam in capite quam in pectore. In cholericis obſervatus intenſior ardor, pulſus celerior ac vehementior, ſitis magna, lingvæ inflammatio,

in Ca… m… *obe…* *ratio, c… fantes … prater…* *Sympt… in ſan…* *chol…*

matio, furor à ſuperabundantia ſulphurearum particularum in ſangvine, & inde dependente motu inteſtino citatiori accerſenda veniunt. Continuus ſopor, calor parvus & remiſſior, ſitis defectus, in phlegmaticis & melancholicis ex ſpirituum defectu, ſero copioſo motuque inteſtino depreſſo merito deduci debet. Quibus alvus fuit obſtructa illi majores anxietates, cephalalgias & circa fauces pathemata inflammatoria experti fuerunt, quoniam per diarrhœam ſerum putridum, vapidum, bilioſum, quod ex ſtagnante circa menſenterium ſangvine per glandulas inteſtinales vel etiam pancreaticas ſecedit, tunc ejicitur; id quod, ſi non accidit, ex ſtagnatione majore acrimonia concepta, memorata ſymptomata producit. Urinæ tenues & ſanorum ſimiles, quæ non modo in præſenti lue, ſed fere in omnibus malignis viſuntur, deſignant calorem ſangvinis imbecilliorem, qui partim ab inteſtino, partim etiam à progreſſivo ſangvinis motu impulſuque cordis & arteriarum dependet; ubicunque enim pulſus frequens & vehemens eſt, ibi quoque calor intenſus deprehenditur, quo ipſo ſangvis fluidus fit, humidum multum conſumitur atque tranſpirat, & ita urinæ craſſæ, rubicundæ neceſſario efficiuntur. Quoniam autem in malignis ob deficientem ſecundum veteres facultatem vitalem, ſive potius ob defectum particularum impetum & motum facientium in ſangvine, motus cordis & arteriarum imbecillior eſt, & conſequenter etiam tranſpiratio minor, facile apparet, urinam quoque aquoſam ob copioſum humidum exiſtere debere. Accedit etiam, quod copioſa & tenuis urina, uti jam dictum, à ſeceſſione ſeroſarum particularum à ſangvineis craſſis propter motū ſangvinis progreſſivum tardiorē dependeat.

[...]e lues [...]r evacuationes [...]fuerit. §. VIII. Lues noſtra feliciter ſoluta eſt per diarrhœam, vel per ſudorem, accedentem circa diem nonum, decimum, vel undecimum, teſtatur nempe evacuatio per ſudorem de liberiori ſangvinis facto circulo & quaſi naturæ victoria. Enimvero noſtra non eſt opinio, per evacuationes illas tantum ejici mali cauſam, & ob hanc rationem reconvaleſcere ægrum, ſed potius ſtatuimus, evacuationes tales liberiores & liberaliores deſignare iterum naturæ robur, motum cordis & arteriarum vegetiorem, quo motu poſtea ſangvinis circulus iterum incipit ſecundum naturam fieri, unde corporis etiam ſordes tempore morbi varie conceptæ & retentæ tunc liberius per evacuatoria congrua educantur atq; ejiciantur. Diarrhœæ fieri ſolent, quoniam poris hepatis antea obſtructis jam autem reſeratis particulæ ſulphureæ, bilioſæ, acres, in ſangvine ſtabulantes jam expeditius ſecernuntur & ad inteſtina mediante bilioſo humore amandantur, ſtimulumque talem efficiunt. Plurimi mortui fuerunt die undecimo, quod ipſum denotat morbum noſtrum non fuiſſe peracutum, præcedebat autem mortem ſudor frigidus cum mentis turbatione, pulſu debiliſſimo, reſpiratione frequenti & parva, tendinum contractione, decubitu pravo. *Hippocrates* hinc optime in coacis tit. 9. delirium in ſpiritu & ſudore lethale, ibidem: decubitus incertus, qui à citato medicorum principe dicitur ἀνεμώδης, ubi neſciunt ægri, quo loco corpora collocare debent, malum ſignum eſt. Cuncta enim hæc indicant partim motus vitalis plenariam deſtructionem, partim vires naturæ omnes exhauſtas. Quod autem ante delirium feroces oculi cum rubedine, lacrymarum effuſio, ſitis defectus, capitis inflatio adſit, ratio facilis eſt, delirium enim fit ab inflammatione cerebri, hæc autē à ſtaſi ſangvinis in ejus vaſis, & quoniam ſangvis ſtagnat ſeu impeditius circa caput circulatur, ſerum ſecedit & irrigando fauces ſitim extingvit, perque glandulas oculorum involuntarie effluit; cruor craſſus autem hærens in vaſis illa diſtendit, pulſat ac ruborem ibi parat, tumidumque caput & oculos rubicundos reddit.

§. IX. Quod ſitus & poſitura corporis erecta tam noxia & pernicialis ſit, tantaque pericula poſt ſe trahat, ratio hæc videtur: in malignis cum ordinario ſpiritus & vires deficiant, ſyſtole cordis, qua ſangvis ejicitur in arterias, debilis *Situs corporis erectus quare nocuerit.*

debilis & imbecillis eſt, unde ad ſangvinem perpendiculariter ſurſum movendum ad caput non ſufficit, cum perpetuo motus perpendicularis gravium ſurſum valde ſit difficilis, quandocunque itaque cerebrum ſufficiente ſangvinis affluxu deſtituitur, ſpiritus etiam pauciſſimi generantur & ſeparantur in cerebro, à quorum ceſſante influxu, poſtea cor motum ſuum plane amittere incipit, unde non tantum animi deliquium accidit, verum etiam extrema corporis frigeſcunt, pori conſtringuntur, & ita exanthemata, maculæ & quodcunque per tranſpirationem debebat evacuari, retropellitur, relegatur, & denuo ſangvini nuptum ipſi vehementes novas alterationes inducit, vel etiam ipſam mortem accerſit.

Cur volatilia nocuerint

§. IX. In cura nocuerunt ſudorifera volatilia immoderatius adhibita, quoniam motum inteſtinum putredinoſum adaugent, unde obſervatum, petechias tali ratione in majori copia produci imo generari poſſe, quoniam diſſolutionem elementorum ſangvinis promovent: vel etiam horum magis, quam par eſt, adhibitione, cephalalgiæ, anxietates & inflammationes, vel ſudores copioſi ſæpiuſcule advocantur. Nihilominus horum remediorum uſum & quidem moderatum etiam aliorum alexipharmacorum ſvaſimus ſtatim in principio morbi, quamdiu adhuc circulatio ſangvinis eſt in quodam vigore, ita enim accidit circulatione facta majori, diſſipari magnam portionem materiæ peccantis; neutiquam tamen imperari regimen ſimul magnum ſudoriferum debet, & quando corpora vel plethorica vel cacochymica ſunt, ita enim petechiæ magis in lucem ſiſtuntur. Denique & illud obſervationem meretur, quod bezoardica volatilia, tempore, quo criſis inſtat, vel etiam illa præſente in moderata doſi admiſſa motum jam debilem & langvidum factum denuo ſtimulando evacuationes criticas egregie adjuvent & expediant, in quo tamen etiam cauti & parci debemus eſſe, ne nimios ſudores efficiamus & ad lentas febres ita diſponamus corpora. Cæterum abſtinuimus in cura à venæ ſectione, quoniam illa ipſa plane non eſt idonea putredinem tollere, ſed obſervatur, detracta ſangvinis copia corpora magis debilitari, imparia deinde fieri vincendo morbo. Opiata propter pulſum debilem & vacillantem viresque exiguas, maxime in ſomnolentia plane non fuerunt uſurpata, quoniam damnum & vitæ diſcrimen inferre in malignis ſolent.

Ratio ti…

§. X. Curandi hanc luem methodus optima ponebatur in applicatione remediorum diaphoretic. nec non analepticorum & humectantium, temperata enim ſunt indicatiſſima, ſiquidem cuncta, quæ nimium movent ſangvinem ac humores, vel evacuationes efficiunt, quoniam vires conſumunt, exulare debent, vi enim curari talis morbus renuit, ſed patientia ante omnia & tempore opus eſt, unde cura non præcipitanda. Brevibus autem materiam remediorum, ex qua noſtra deſumſimus præſidia, hic apponere placet, nempe ex aquis in uſum vocavimus aquam florum ſambuci, acaciæ, tiliæ, ulmariæ, roſarum; herb. ſcordii, ſcabioſæ, card. bened. ex ſyrupis acetoſitatis citri, granatorum, julepum roſarum; ex pulveribus: matrem perlarum, antimonium diaphor. lap. cancrorum, ſuccinum, terram ſigill. cornu cervi uſtum, philoſ. præparat. nitrum purificatum; ex alexipharmacis camphor. eſſ. ſcord. ejusque extract. vincetoxic. mixt. ſimpl. tinctur. bezoard. ex acidis: ſpir. vitrioli philoſ. ſpir. nitri dulcem; ex humectantibus: decoct. ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi; ex confortantibus: aquam florum aurant. oleum citri recens cum ſaccharo, confect. alkermes, de hyacintho; balſam. vitæ; ex antiſpasmodicis: eſſ. caſtorei, ſpir. corn. cervi, ſuccin. ſpir. formicarum volat. ſpir. eboris. Ex præfatis mixturæ, pulveres, potiones pro varietate ſympt. & circumſtantiarum confectæ & concinnatæ variæ fuerunt. Quod ſympto-

ſymptomata attinet, ipſis proſpeximus ſequentibus, in nimio vomitu, anxietate præcordiorum, enormibus diarrhœis & ventris torminibus externe theriaca cum oleo nucis moſchat. expreſſ. camph. oleo caryoph. & balſ. peruviano mixta regioni ſtomachali applicata fuit. In diarrhœa etiam nimia vires deſtruente uſi fuimus pulvere bezoard. nitroſo cum momento camphoræ & theriacæ cœleſtis; obſervavimus enim omnia illa, quæ inflammationi reſiſtunt & ſalia cauſtica corrigunt & diſcutiunt in talismodi diarrhœis eſſe præſentiſſima. Ita etiam legimus apud *Riverium centur. 1. obſerv. 24.* delirium & alvi fluxum ſedatum fuiſſe à pulvere ex camphora & nitro compoſitum. In phrenitide & acutiſſimis cephalalgiis, ſpirit. vini camphor. cum aceto roſaceo, & oleo ligni rhodii mixtum externe adhibuimus ſummo cum fructu. In ſopore nimio, nec non delirio naribus fuit oblatus, & temporibus admotus etiam vini ſpirit. camphor. & ſpirit. ſalis ammoniaci, cum oleo rutæ, lavend. ac cinam. mixtus. Pulſibus acetum roſaceum forte cum aqua carbunculi erigendarum virium cauſa applicatum fuit. Ad fallendam & extinguendam ſitim electuarium, quod frequentiſſime in uſu haberi ſolet, compoſitum ex ſaccharo canar. & ſpirit. nitri ſuppetias tulit eximias. Quando extremorum frigus fuit obſervatum cum anxietate, horrore, divinam opem experti fuimus ab alexipharmaco-analepticis, quibus annumerandus ſpirit. formic. volatilis, vel eboris cum balſamo vitæ ſupra cit. qui ad guttas 20 datus fuit, quo calor ad partes externas debitus redditus fuit. Hiſce divina gratia abſoluta fuit cura, quæ & experientiæ multivariæ, & ratiocinio firmiſſimo nititur ac ſtabilitur.

CAPUT III.
oſtendens
ORTUM AC CAUSAS HUJUS FEBRIS PETECHIZANTIS.

PARS III.

§. I.

Sufficienter & clariſſime, ut puto, in ſuperioribus demonſtravimus, rationem formalem noſtri affectus conſiſtere in diſpoſitione ſangvinis, ad deſtructoriam & putredinoſam ejus elementorum ſeceſſionem, hanc autem fieri à ſpirituaſcentia & motu progreſſivo ſangvinis deficiente, atque abundantia & congeſtione impurarum ſeroſarum ſordium; reſtat jam ut disquiramus etiam, quænam diſponant corpus noſtrum ejusque fluores ad talia. Primum omnium notari meretur, motum tam inteſtinum, quam progreſſivum vitalem ſangvinis & humorum dependere ab anima ſecundum veteres ſic dicta ſenſitiva, ſecundum recentiores à fluido tenuiſſimo, æthereo, elaſtico, quod partim in ſangv., partim purum & ſeparatum in nervis continetur, & ſpiritus vel vitalis, vel animalis nuncupari ſolet. Hic ſpiritus motuum, actionum tam voluntariarum, quam involuntariarum, omnisq; ſenſationis autor ac faber eſt, & genuinus vicarius, ac inſtrumentum accommodatiſſimum animæ rationalis, quo ipſa perpetuo in ſuis functionibus perficiendis utitur, cum autem hic ſpiritus ceu principale corporis noſtri movens, originem ſuam atque pabulum ducat ex aëre, tanquam catholico fluido & univerſali animantium movente, quod ab ipſius ſangvinis temperie ac conſtitutione varia diverſimode modificatur; unde facillime ſequitur ac intelligitur, aërem maximam potentiam ac jus habere in corpus noſtrum, id vel alterando, deſtruendo, vel conſervando. Optima ratione & rectiſſime *Hippocrates libr. de morbo ſacro* ſcribit: Aër motum ac ſenſum partibus præſtat, eſt enim revera aër anima animantiū. Latini animam ἀπὸ τοῦ ἀνέμου à vento ſive aëre accerſunt, & Græci ψυχὴν ἀπὸ τοῦ ἀναψύχειν, quod aëris eſt proprium, volunt deductam, & eadem fortasſis mente *Varro* animam definivit, per aërem ore conceptum, tepefactum in pulmone, fervefactum in corde, diffuſum in corpus.

Cauſæ antecedentes.

§. II. Et ut aër vitæ cauſa digne reputari poteſt, ita & interdum mor- *Aër.*

morborum & mortis exiſtit autor, ubi à natura ſua & ad vitam conſervandam requiſita ſalubritate deſciverit; ſi enim bene conſtitutus animalium omnium, maxime, quæ donantur reſpirationis organis, vitam tuetur, multo magis, ſi prave conſtitutus eſt, eorum vitæ incommodum afferet. Conſtat etiam attenta experientia, quod qualis aëris ſtatus fuerit, talis quoque ſanitas, motus corporis, habitudo & diſpoſitio ad agendum, vel obeundas animales functiones. Serenus, purus, fluidiſſimus, uti vitalis eſt, & auram vitalem accendit, ac circularem motum ſecretionesque excrementorum moderatas efficit; ita impurus, otioſus, vapidus, multis humiditatibus repletus, variis inquinamentis corruptus & ratione qualitatum immoderatus, pervertendo motum ac craſin ſpirituum atqve humorum, varios & graviſſimos morbos exſuſcitat. Derivamus hinc merito mala plurima epidemica, quæ ab anomaliis ſubitisque aëris mutationibus ac præternaturali temporum conſtitutione nunquam non oriuntur; hujusque rei fidem facit luculentiſſimam ratio, experientia atque autoritas. Sapientiſſime inquit *Hippocrates ſect. 3. aphor. 8.* conſtantibus anni partibus, ſi tempeſtates convenienter ſuccedunt, bene morati, facilis ac ſecundi judicii morbi; at incertis, male morati maleq; conſtitutis temporibus adverſi, difficilisque incidunt. *Idem* graviſſimus autor §. *1. ſ. 3.* mutationes defectionesque temporum maxime pariunt morbos, & quæ in ſingula anni tempora incidunt, inſignes mutationes frigoris aut æſtus cunctaque alia ſic pro ſua natura.

præſertim in Epidemicis

Pluvioſus ac auſtrinus.

§. III. Cum itaque per totum ſuperioris anni autumnum, hiemem etiam ac ver currentis, continua ferme humiditas, tepor, auſtrinus & pluvioſus aëris ſtatus regnaverit, non potuit aliter fieri, quin humana corpora exinde inſigniſſimam noxam ac detrimentum acciperent, etenim continua tali tempeſtate humida atque imbroſa, ventis flantibus auſtrinis corpora præſertim mollioris ac ſpongioſioris texturæ, conſtitutionis phlegmaticæ, fibræ motrices partium ſolidarum laxantur, & tonum ac robur, quod ad circulum ſangvinis continuandum valde neceſſarium eſt, amittunt. Spirituaſcentia quoque ſangvinis, à qua & inteſtinus calidus & circularis motus pendet, debilior fit, utpote vivida illa elaſticitas & aëris & ætheris, quæ expanſivum motum in viſcoſa illa humorum textura exercet & excitat, humiditate illa nimia labefactatur & retunditur, & conſeqventer hoc modo ſangvis tardius movetur, excretiones ſumme neceſſariæ imminuuntur, & ad putredinem fit diſpoſitio. Quandocunque autem impeditur in circulo ſuo ſangvis, neceſſe eſt, ut accumulentur etiam multæ impuræ, ſeroſæ ſordes, quoniam excrementorum ſecretio a circulari ſangvinis motu principaliter dependet, unde non mirum, ſi poſt longiorem & continuam tempeſtatem humidam, tepidam, excitentur morbi partim putridi, partim à ſeri exſuperantia & ſtaſi dependentes, ſicut ſunt: tuſſes, catarrhi, febres catarrhales, rhevmatiſmi, arthritides, catarrhi ſuffocativi, variolæ, morbilli, diarrhoeæ, febres putridæ, malignæ.

Concl

§. IV. Ex quibus dictis luculentiſſime patet ſolum aërem cauſam præbere poſſe graviſſimorum epidemicorum morborum, & etiam exinde ſubnatum fuiſſe noſtrum affectum, non tantum hic loci, ſed paſſim in quam plurimis aliis. At vero memorandum hoc loco eſt aliquid, quod prompte exinde fluit & ſequitur: quomodo præſervari à vitio aëris tale malum, quod oritur, poſſit: nempe quantum fieri poteſt corpus defendendum & cuſtodiendum ab injuriis iſtiusmodi aëris, & ipſe corrigendus accenſione lignorum, gummatum reſinoſorum, interne autem ſalia volatilia oleoſa, leniora diaphoretica, blandaque purgantia aloetica, rhabarbarina, cum diæta moderata laudabili, abſtinendo à variis cibis, intemperantia, ebrietate, nimiaq; venere, prudenter & circumſpecte uſurpanda, & vires, quantum fieri poteſt, conſervandæ. Qui enim vires ſibi defraudat, tali aëris ſtatu, vel graſſante jam epidemico malo, ille præparat corpus non tan-

tantum ad ipſius luis invaſionem, verum etiam extremo periculo & morti ipſe ſe ſubjicit, corpora enim quo magis ſunt debilitata, eo majori ſunt expoſita periculo & verſa vice. Et hæc jam de præſenti ſufficiant. Nos autem Deo ter optimo ter maximo gratias quas debemus perſolvimus & perſolvemus ternas, utque porro conatibus noſtris benedicere ex alto velit, & in ſui nominis gloriam proximique ſalutem vergere omnia ſinat, devote precamur.

F I N I S.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM

Vigeſima nona:

De

CHINÆ-CHINÆ VIRTUTE FEBRIFUGA.

PRÆFATIO.

EST hic omnium Mortalium, adeoque & Medicorum error, nova quæque & ſubita & peregrina, velut de Cœlo lapſa extollere, & cum in uno alteroque remedium feliciter ceſſerit, univerſæ morborum familiæ velut Panacéam quandam deſtinare, mox iterum ubi præcipiti famæ eventus non reſpondet, elogia in crimen vertere, & quod in uno alteroque caſu fidem non ſervaverit, in totum velut damnoſum proſcribere: ita Excellentiſſimus Pechlinus in Dedicatione Dialogi de Potu Thée. *Experta hanc fortunam præ reliquis eſt hactenus* CHINA-CHINÆ, *experiturque illam ad huncusque diem, dum laudes ejus invidendæ nonnullorum apud alios in calumniam abeunt. Exclamant non pauci:*

Ceſſat Quartana Medicinâ Peruviana:

Nam patefactâ illâ, ſunt

Hydrops, Quartana, Medicorum Scandala vana.

Sed regerunt plures, poſtquam ſcil. illam fruſtra ſæpius propinari, aut recidivas parere, vident:

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Obſervans ergo has Doctorum diſſentientes adeo opiniones, in CHINÆ-CHINÆ, *virtutem ſtudioſius inquirere horis ſubciſivis cœpi, & inde mihi natæ ſunt præſentes theſes. Tu interim Archiatrorum Archiater, æterne DEUS, largire benignus, ut hujus mei laboris lucrum faciam Tuam gloriam, Lecturorum æquitatem, & ſtudiorum meorum incrementum.*

§. I.

TAnta profecto eſt gravitas nominis gentilis noſtræ CHINÆ-CHINÆ, tantaque multitudo cognomentorum, ut vel ex his ſolis quis ejus Excellentiam ac virtutem oppido

oppido ſingularem hariolari poſſit. Dum enim propriiſſimo & uſitatiſſimo hoc nomine ſalutatur, minime arvi natalis indigitandi gratia id fit, qui vulgi & naſutulorum quorundam Myropolarum eſt error, idcirco etiam Corticem Chinenſem, aut Sinenſem dicentium. Multo minus bis repetita Chinæ voce, hoc medicamentum diſtinguere à radice Chinæ in animo fuit illis, qui nomen medicamento huic impoſuerunt; nullus enim facile errori hic locus, niſi quis hoſpes omnino in materia medica fuerit. Verum cum Indis Quinæ appellatione febris ſignificetur, puto, pro exhaurienda egregia facultate pellendi febres duplicatum eſſe nomen, ita ut idem ſignificet apud Indos Quinquina, Kinkina, Kina Kina, Cina Cina, quæ ſynonyma ipſis familiaria, ac nobis Febrium Febris, h. e. maſtyx, domitor, aut everſor hujus morbi ſtrenuus; Hinc Italis, etiam κατ' ἐξοχὴν Corteccia della fiebre, Hiſpanis Palos de Calenturas vel Caſcarilla della Oja, notante *D. Franciſco Redi*, & Latinis Cortex febrilis aut febrifugus, aliisque barbare ſatis, Antiquartius pulvis audit.

Synonyma. Pulvis Comitiſſæ.

§. II. Quoad reliqua ejus cognomina, dicitur pulvis Comitiſſæ, pulvis Cardinalis, pulvis patrum vel Jeſuiticus, medicamentum Talbotii, Cortex Indicus, Pulvis Americanus, Lignum de Lima, Cortex Peruvianus &c. Primum nomen gerit ab Uxore Comitis del Cinchon, Proregis Regni Peruviani, quæ ex febre tertianâ exquiſitiſſima in civitate Limâ dictâ, metropoli Peruviæ decumbens, primum vires hactenus ſtudioſiſſime ab incolis ex odio in Hiſpanos occultatæ CHINÆ-CHINÆ experta eſt, cum omnium Europæorum tum temporis Limam inhabitantium ſtupore ac applauſu, pulveris Comitiſſæ titulo, Medicamentum hoc ſubſequentibus temporibus ſalutantium.

Pulvis Cardinalis.

§. III. Pulvis Cardinalis vocatur à Johanne de Lugo, è Soc. Jeſu, Romanæ Eccleſiæ Cardinali. Indies namque magis magisque creſcente famâ hujus febrifugi experientiſſimi, non ſolum per Indiam & Hiſpaniam (quorſum interea Prorex del Cinchon reverſus erat) ad dictum Purpuratum Patrem Italiam usque ac Romam quoque pervenit (erat enim Patriâ Hiſpalenſis): unde re adeo inſigni, nondum ab ullo alio Medico viſa commotus, copiam ſibi acquiſivit noſtri medicamenti, diſtribuendoque iſtud cum effectu exoptato, effecit, ut quibus profuerat, ab officio eminentiſſimi hujus diſpenſatoris vocaverint hactenus appellatione propria carentem pulverem.

Pulv... trum... ſuit...

§. IV. Ex eodem fundamento Patrum & Jeſuitarum pulvis audit, ſive quod gratis diſtribuerint ægrotantibus religioſis & egenis incognitum hoc remedium, vel teſte *Blegny tr. de Remedio Anglico in Cura febrium*, pro aureo nummo pondus drachm. ij. in uſum divitum divenderint, ſive quod primi ex Italia in Belgium ſecum tulerint febrium & in ſpecie quartanæ hunc domitorem, ex mente *Joh. Jacob. Chiffletii tr. Pulvis febrifugus Orbis Americani.*

Medi... tum T... ti...

§. V. Nec alia eſt cauſſa, quamobrem Medicamentum Talbotii, aliis Talborii vocitetur. Nam Medicus hicce circumforaneus, natione Anglus (hinc quoque à *Blegny tr. cit.* aliisque Gallis communiter medicamentum hoc Anglicum inſcribitur.) Lutetiæ Pariſiorum ob feliciſſimos in curandis febribus eventus ita paucis retro annis inclaruit, ut non ſolum ad Principum Virorum, verum etiam Sereniſſimi Delphini curam, ex febre decumbentium admiſſus ex voto illos reſtituerit, unde non ſolum copioſisſimis divitiis oneratus eſt, ſed famam etiam ſibi acquiſivit tantam, ut ipſius cognomen huic medicamento impoſitum fuerit.

Pulvi... ricani... gnum... ma

§. VI. Quæ reſtant ſynonyma, à terrâ patriâ ſunt petita, nunc generaliſſima, dum Americanus & Indus, nunc ſpecialiora, dum Peruvianus Cortex audit, lignumque de Lima, quam civitatem utpote ſedem Regiam pro toto regno, & lignum pro quavis parte arboris, Rhetorico ſtylo, dubio ſine ſumunt, qui ultimo hoc nomine delectantur. Nam ſi fides habenda eſt illis, qui oculatos teſtes ſe profitentur, (quorum è cenſu inprimis

M. An-

M. Antonius Bollus meretur nominari, mercator Genuenſis, qui per multos annos in Peruvia commoratus eſt, hiſtoriamque CHINÆ-CHINÆ in linguâ Italica edidit ſatis accuratam) in Regno Quitenſi, peculiari quodam loco, ſermone indigena Loxa ſive Loja vocato, intraque montium coronam poſito, ab urbe Quito ſexaginta ad minimum Leucas diſtante, naſcitur ſponte ſuâ arbor, CHINÆ-CHINÆ noſtræ Genitor, ab incolis Gannaperis vel Gannaperide dicta.

ſcriptio boris variat, §. VII. Faciem ejus quod attinet, aliam exhibet *Bartholinus Centur. V. Hiſtor 50. & Jonſtonus Dendrographiæ p. 476.* aliam *Joſephus Donzellus Theatr. Pharmacevtico*, quæ quomodo toto cœlo diverſæ ſint, videre eſt ex *tract. Febris China-Chinæ expugnata, circa initium.* Ne vero iconis diverſitatem ex Chalcographi errore forſan natam ſolum exiſtimes, ſcias etiam deſcriptionem utriusque non concordare. Ita enim Bartholinus: *Arbor magnitudine ceraſum æquat, foliis juniorem quercum refert, cujus itidem fructus cum glande aliqualem ſimilitudinem gerunt. Donzellus* autem frondes, pruni rubei foliis aſſimilat, floresque ejus ex albo & cœruleo mixtos, & fructus cardamomi ſimiles dicit. Cum quâ perfecte convenit deſcriptio à *Johanne Rajo, Hiſt. Plantar. lib. 32. p. 1796.* exhibita, cujus rami Iconem, ex Italia ad regiam ſocietatem Londinenſem miſſam, per *Dn. Goodall. M. D.*, obtinuit. *Nam folia,* ſic ejus ſonant verba, *videntur ſimilia cum his, quæ ſunt prunorum rubeorum, ſcil. nec nimium patulis, nec acuminatis, præterea filamentis intertexuntur, & per lineas finduntur. In floribus videtur convenire cum floribus malorum punicorum, qui caliculum coronatum referunt.* Addit *tamen p. 1797. ſe commonefactum à Tancredo Robinſon M. D. iconem folii arboris febrifugæ in Muſeo Viri Clariſſimi D. G. Courtine aſſervatam, non bene quadrare figuræ D. Goodall.* (quam etiam æri inciſam *Fr. Rhedi, experim. naturalium p. 143.* exhibet) *quia folium non usque adeo acuminatum, ſed acutius & ſubrotundum eſſe videtur, quale fere cernitur in Ponnâ & Tſireou-Ponna Horti Malabarici, quæ Indis appellatur Kina, ex obſervatione ejusdem Robinſoni.*

§. VIII. Cui ergo horum fides eſt habenda? ſi, quid ſentiam, dicere eſt permiſſum, arborem à *Bartholino & Jonſtono* depictam non Gannanaperidem Indorum eſſe puto, ſed caryophyllorum: ſatis enim expreſſis verbis *Bartholinus* Caſſiam Caryophyllatam pro CHINA-CHINÆ venditat, deceptus ſine dubio deſcriptione Corticis hujus minus adhuc cogniti, qualemque etiam *D. Ammannus Profeſſor olim in Lipſienſi Academia Celeberrimus in diſſertatione de Antiquartio Peruviano, 1663.* habitâ, exhibet his verbis: *Quod ſit cortex odoratus in morem caryophyllorum, adeoque deſcriptioni Caſſiæ Caryophyllatæ Piſonis, Mantiſſ. Arom. c. 2. p. 169. omnino conveniens.* Diſcrepantia etiam, quam inter folia à *Dn. Goodall & Rhedi* depicta, & inter *Dn. Courtine* annotavit *Robinſon*, non tanta mihi videtur, ut *Donzelli* Iconem reddat ſuſpectam, cum nunc recentia vel tenera, nunc firma ac corrugata quodammodo folia, diverſis temporibus depicta, anſam huic dubio facile miniſtrare potuerint. *Diſcrepantia tollitur*

§. IX. Et hæc de ſolo natali, ac arbore ſufficiant, nunc de ipſo medicamento. Monui ſupra §. 6. figurate loqui illos, qui medicamentum noſtrum lignum vocant de Lima, cum lignum hujus arboris, uti nullâ amaritie, ita nec vi antifebrili donatum ſit, teſtante *Hieronymo Bado à Mortono Pyretologiæ p. 118.* citato. Verum cortex ſolummodo arbori huic detractus conſtituit illud adeo celebratum febrifugum: hincque obſervavit citatus Bollus, arbores iſtas Peruvianas omni Cortice ſine noxa ab incolis ſpoliari, ſicque exutas non lædi, ſed potius juvari, ut inſequentibus annis cum fœnore reddant adeo deſideratum remedium. Neſcio itaque, qua fronte *D. Spon in libro obſervationum ſur les fievres, & les febrifuges*, audeat dicere, ſe accurata ac diligenti inquiſitione habita comperiſſe, dictum Peruvianum Corticem non trunci aut ramorum arboris eſſe, ſed radicum: hunc *Cortex non lignum eſt.*

enim ſolum amarum, illum inſipidum deprehendi, prout in particulis quibusdam ad ſe miſſis obſervaſſe refert. Quidſi autem alius Cortex inſipidus, aut temporis tractu carioſus, ac iners factus, aut caſtratus jam jam à Myropolà nequam genuino febrifugo fuiſſet admixtus, aut ejus in locum ſubſtitutus: quod fraudis genus *Blegny de medicamento Anglico*, ut admodum frequens commemorat.

Virtus ejus in quo conſiſtat

X. Sed hæc externa tantum ſunt noſtri febrifugi, transeamus proinde ad interna. Qui Peripateticorum in Scholis edocti ſunt Medici, naturam ejus explicantes, partim fugiunt ad qualitates occultas, inque illis Virtutem febrifugam quærunt, quale videre eſt ex *Sebaſtiani Badi Medici Genuenſis tract. cui titulus Anaſtaſis Corticis Peruviani 1663.* edito; partim in qualitatibus manifeſtis quærunt, & hi quoad maximam partem Corticem pronuntiant calidum & ſiccum, & quidem in gradu ſecundo & tertio, illudque ex hoc fundamento, quoniam maſticatus linguæ imprimit ſaporem amarum & acrem, calore manifeſto, non tamen excedente organum hoc guſtus afficiente. *Conf. Rolandus Sturmius, & Gaudentius Brunatius*, de hoc Cortice ex profeſſo ſcribentes. Ex eodem fundamento quoque Profeſſores Placentini & Mediolanenſes, ubi res agebatur Cardinalis Doughi febre tertianâ nothâ laborantis, referente *Bado l. 1. c. XV. Anaſt.* & Medici Londinenſes in caſu Johannis Lucæ Duratii, Legati, Vim corticis febrifugam mordicus ac acriter impugnarunt. Vid. *Morton. loc. cit. p. 125.*

ex opinione veterum.

XI. Sunt alii, e quibus *Rochus Caſſatus à Mortono p. 127.* allegatur, qui frigidum pronuntiant, exẽplo id comprobantes Opii, quod licet amarum ſit, lingvæ impoſitum, adeoque probabiliter calidum, aſſumtum tamen torporem ſpiritibus conciliando, frigiditatem ſuam ad ſenſum ſiſtat.

XII. Non ero prolixus in utriusque hujus opinionis fundamento examinando, quod quaternioni Elementorum, & ex hac reſultantibus qualitatibus primis, jam dudum à recentioribus Phyſicis deſtructis innititur. Id ſaltem liceat adducere, cauſam vulneratam ab ipſismet defenſoribus prodi, dum ex uno fundamento h. e. amaritie contrarias eliciunt hypotheſes. Qui vero ad occultas confugiunt qualitates, aliquid dicendo vere nihil dicunt, ignorantiamque ſuam produnt cunctis, dum ad inſcitiæ hoc aſylum tam audacter decurrunt.

XIII. Sed condonari facile his error iſte poteſt, ex falsâ hypotheſi Philoſophicâ in Medicinam translatus. Dantur vero alii, qui antiquitatis nimiâ veneratione ducti inſanis præceptis medicamenta olim adverſus febres recepta æſtimantes, nova omnia contemnunt, deſpuunt, imo tanquam portenta horrent & averſantur. Ex horum cenſu ſunt inprimis *Jacobus Chiffletius, & Vopiſcus Plempius*, è quibus primus conqueritur de Corticis caliditate, & quod igneus ejus calor corpus exſiccet, accendat, torreatque imbecilla præcordia, nativum calorem diſſipando, vitæque illud pabulum conſumendo, pluraque alia damna in corpore excitando. Alter vero dicit, pleroſque ægros exinde Cachecticos reddi, aut extenuari, & ad phthiſin diſponi, nonnullos vero plane interfici. His tamen reſpondeo cum *Sebaſtiano Bado Anaſt. C. 2. maledicendi libidine, non veritate ductos irruere in innocens hoc Medicamentum.* Nullus enim unquam Medicorum cauſticam illam ac deletoriam qualitatem exceptis his adverſariis obſervavit. Et ſi forte effectus ejusmodi infelix ſecutus fuerit, non medicamento adſcribendus venit, ſed Medico imprudenter pulverem illum forſan adhibenti, prout ex aliis remediis plane inſontibus id ipſum toto die obſervamus, adeo ut commode huc applicari illud Poëtæ poſſit:

Temporibus Medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore Vina nocent.

recentioru[m]

XIV. Mittamus ergo hos, convertimusque nos ad recentiores magis, inter quos tamen rurſum diſſenſum deprehendere licet; maxima illorum pars, ex nimio amore acidi & alcali, quæ cum *Tachenio* pro corporum principiis

cipiis habent, alcalicam naturam occultam quidem, ſed fixo ſali vicinam febrifugo ineſſe ſibi perſvadent, præeunte *Ettmullero diſp. de præcipitantium uſu & abuſu c.3.§.6.* Sed dabunt mihi veniam, ſi illam CHINÆ-CHINÆ noſtræ adſcriptam vim alcalicam mihi perſvaderi haud patiar. Ne tamen ſine prægnanti ratione tot tantisque Viris reclamare videar, apponam rationes hujus mei diſſenſus.

ulleri

§. XV. Cum guſtus vix unquam accurate Salia poſſit determinare, inprimis quæ cum aliis particulis ſunt combinata, affuſione acidi, ſolutione Vitrioli & Mercurii ſublimati, tandemque Syrupo Violarum certius dignoſcere alcalia ab aliis Salibus in Scholis Chymicis didici. Scilicet concreta, quæ alcali in ſe habent, ebulliunt cum acidis. Feci hinc periculum ac ſolutionem non ſolum Chinæ, verum pulverem etiam hujus Corticis cum Spiritu Nitri, Salis, Vitrioli, Viridis æris, aqua Forte, & aqua Reg. Aceto &c. commiſcui, nullamque vidi efferveſcentiam. Et ne forſan ab adulterata aut effœta CHINA-CHINÆ deciperer, ex diverſis officinis uno tempore mihi afferri curavi illam, ſed ſemper idem effectus obſervabatur, h. e. nullus plane ſtrepitus. Asſumſi hinc, quibus ſimilis Alcalica adſcribitur virtus, Corticem Tamariſci, Fraxini, Guajaci, Rad. Tormentillæ, Biſtortæ, Veronicam, Roſas rubras, Theam &c. infudi & hæc in Aquæ q. ſ. verum nec ab his cum acidis mixtis, ullus motus excitatus eſt ebullitionem æmulans.

refuta- er expe ienta.

§. XVI. Alcalia præcipitant, aut ſaltim turbant ſolutionem Vitrioli, axioma eſt Tachenicorum hactenus infallibile. Affudi hinc decoctum CHINÆ-CHINÆ cum aquâ factum ſolutioni Vitrioli, illamque exin obſcure virideſcere & tantum non nigreſcere, minimè turbari, aut præcipitari vidi. Nec tale quid annotare potui ex ſolutione Veronicæ, quæ pariter ſolum virideſcebat, quamvis majori cum nigredine. Infuſum Theæ ſubfuſco tantum pingebat colore dictam ſolutionem: Biſtortæ vero & Tormentillæ ex nigricante violaceum communicabant colorem, ſaltim ex paucis guttis inſtillatis.

§. XVII. Inſidum & hujus experimenti obſervans ſucceſſum, aſſumſi Syrupum Violarum, cujus color cœruleus ab Alcalicis ordinarie in viridem mutatur. Admiſcui ergo ſolutionem CHINÆ-CHINÆ, & ecce viridem aſſumebat colorem in momento, licet non adeo ſaturatum. Inſtillavi Theæ infuſum, virideſcebat & hoc, quamvis non adeo ſenſibiliter, & talem etiam acquiſivit faciem à Veronica, utut obſcuriorem: ex Biſtortæ vero decocto, ac Symphyti Majoris, fuſcum & obſcuriſſimum aſſumſit colorem. Quid ergo ad hæc? non canon ille firmus: Quicquid colorem Syrupi Violarum cœruleum convertit in viridicantem, eſt Alcali? Reſpondeo: eſt omnino firmiſſimus, ſed limito illum, niſi liquor adhibitus flavus colore fuerit: nam ſi tum virideſcat, Syrupus nil probat, cum omni tempore ex cœruleo quovis & flavo pigmento componi poſſit viride.

§. XVIII. Et ne dubites, genuinam hanc rationem transformationis cœrulei ſyrupi in viridem eſſe, feci tandem experimentum cum ſolutione Mercurii ſublimati, quæ alias ab omni Alcali Volatili lacteſcit, à fixo vero rutileſcit plus minus. Sed nullam obſervare potui mutationem in limpidâ hâc & pellucidâ ſolutione, nec à CHINA-CHINÆ, nec Tormentillâ, Theâ, Biſtortâ, Veronicâ, Symphyto &c. Hinc firmiter concludo, Alcali fixum CHINÆ-CHINÆ, & reliquorum Vegetabilium conſimili ſapore præditorum, eſſe mere fictitium quid.

§. XIX. Tranſeat ergo & hæc hypotheſis, accedatque altera à *Williſio, Sydenhamo, Piens, Blegny*, plurimisque aliis approbata, quæ ſtiptico-amarum pronunciat febrifugum. Utrumque horum attributorum linguâ determinari poteſt certiſſime, licet amarities, utpote magis prævalens, impetu majori ſemper feriat guſtus organum, quam ſtipticitas. Quapropter ne gratis omnino illam aſſeri à nobis quis credat, provoco ad documentum adſtrictionis, ita vocat *Pechlinus in Theophilo Bibaculo, ſive de Potu Theæ dialogo*

Williſii, Sydenhami &c. opinio.

go, p. 23. ſolutionem Vitrioli, utpote, quæ ſemper in atramentum faceſſit ſcriptorio perquam ſimile, attactu adſtringentis concreti ex regno Vegetabili. Tale vero quid cum CHINÆ-CHINÆ infuſo contigiſſe, *tertio retro §vo abhinc*, alia licet occaſione indicavi, aliis ſimul adductis experimentis, veritatem aſſerti probantibus.

Dubii reſolutio.

§. XX. Abſit tamen propterea credas, contrariis virtutibus gaudere corticem, deoppilantibus ſcilicet, ratione amaroris, ita ut illæ attenuent reſolvantque viſcidam materiam, morbi fomitem, quæ vulgatiſſima Doctorum eſt opinio, & adſtringentibus, propter ſtipticitatem, à quâ humores rurſum condenſentur & conſtringantur; quicquid enim agit hoc remedium, ſemper per adſtrictorias atomos præſtat, prout in ſubſequentibus fuſius ſum demonſtraturus.

An amara omnia ſint incidentia

§. XXI. Ne vero tibi remaneat ſcrupulus propter amarorem, qualia concreta aliàs communi Autorum aſſerto reſolventium & incidentium catalogo inſeruntur, contrarium ſtatim per Opium comprobari poteſt, quod amarum licet, nihilominus inſpiſſare humores etiam in minutiſſima doſi, ex Catarrhorum tenuium curà patet, quam hiſce incraſſantibus tollimus.

§. XXII. Audio equidem mihi objicientes, compoſitionem & analyſin amari ad oculum demonſtrare præſentiam virtutis cujusdam attenuativæ; componitur vero juxta *Williſium in tract. de anima brutorum Cap. XII. de Guſtatu p. 87. editionis Lugd. Anno* 1681. ex Sale cum Sulphure per aduſtionem, reſolvique in hæc principia per deſtillationem omni horà poteſt; ubi ergo Sal, ibi medicamentũ reſolvens.

an ex iisdem particulis conſtent

§. XXIII. Sed plura longe mihi dubia obſtant, quæ aurem dare his rationibus non permittunt. Cadit ſiquidem in quæſtionem, num cuncta amara ex nominatis partibus conſtentur, iterumque in iſta reſolvi poſſint? pro negativa militare mihi videtur famoſum illud antihydropicum remedium Cryſtallorum Lunæ titulo inſignitum. Fiunt autem iſtæ Cryſtalli ex argento puriſſimo in aqua forti, aut rectificato Nitri Spiritu ſoluto, ubi acidum hoc menſtruum ſtatim ac ſufficientem quantitatem metalli in ſe ſuſcepit, in amarorem abit, Abſinthium, Gentianæ radicem, Colocynthidem, & quicquid demum hactenus ſub hoc ſapore notum fuit, ſuperans infinitis paraſangis; *conferatur Illuſtriſſimus Boyle Experim. & Obſerv. circa Mechanicam ſaporum productionem, experimento V.*

§. XXIV. Si urgeas & in hoc, quamvis ſingulari plane amaro concreto apparere vim reſolvendi, ex Cathartica virtute, quam poſſidet, etiam in minutiſſima doſi aſſumpto. Reſpondeo non valere conſequentiam; cum acidum in metallo concentratum, inteſtina ſtimulans, à virtute humores ſpiſſos reſolvendi penitus differat, quod ex coagulatione ſangvinis & ſeri, quibus tantillum hujus medicamenti admiſcetur, indubitate patet.

§. XXV. Sunt ergo hujus generis amara, quæ ex principio quodam Salino-acido exſurgunt, ad reſolutionem & fuſionem craſſorum humorum prorſus inepta. Quod ſi vero idem de reliquis quoque aſſeruero, paradoxa me loqui primo videbor intuitu illis, qui cum *Bauſchio tr. de Hiera picra p. 172.* omnia amara, quorum catalogum *p. 169. & ſeqq.* recenſuit, incidere, abſtergere & aperire credunt. Nihilominus ad credendum id perſvadeor firmiter, quod nullum viſcidum unquam diſſolvi poſſe viderim ſolis ſalinis amaricantibus. Fiat periculum, & adſpergatur Taurocollæ, alioque glutinoſo concreto amarum quodcunque, non diſſolvetur unquam, niſi aquæ copiam neceſſariam admiſcueris, quæ etiam ſine amaro idem efficiet. Quodſi tamen ab effectu poſt amara deglutita ſuperveniente, h. e. evacuatione viſcidi muci per quæcunque emunctoria, argumentari tibi volupe ſit, falleris egregie, fallaciamque ſecundum non cauſam ut cauſam committis, cum à ſtimulatione organorum unice illa excretio, quod de prioribus amaricantibus in §o præcedenti adſtruxi, dependeat.

§. XXVI. Patefacta nunc ſufficienter textura ac virtute noſtri febrifugi, tranſire ad modum agendi jubet ordo. Ante vero quam id fiat, cogor prius de

de Febribus, illarumque Eſſentiâ, Differentiâ, Naturâ, Ætiologiâ & Therapiâ præmonere aliquid in genere: omnia enim, quæ ad illarum explicationem accuratam pertinent, excutere, nec inſtituti fert ratio, nec chartarum anguſtia, quibus diſſertationem hanc includere cogor.

tale fe- *x opini-* *iliorum* §. XXVII. At enim vero, Eridis omnino pomum Eſſentiam febrium deprehendo, tot, tantarumque diſceptationum in Scholis Medicis argumentum: cuncti enim pene ſuperiorum ſeculorum Medici, præeunte *Hippocrate & Galeno*, illam in quadam præternaturali caliditate; alii recentiorum cum *Helmontio*, in Archæi accenſione, vel cum *Campanella* in pugna naturæ cum cauſa morbifica, aut cum *Hogelando* ac *Williſio* in ſangvinis fermentatione præternaturali, aut cum *Carteſianis* in confuſione liquorem vitalem conſtituentium corpuſculorum, & dehinc præpedito materiæ cœleſtis motu, illam quærunt. Nec aliter de morbifica cauſa judicandum, modo enim bilem, melancholiam, ac pituitam, modo ſangvinis putredinem, diverſorum ſalium concurſum, & exin oriundam ebullitionem, chyli crudioris cum maſſa ſangvinea difficiliorem mixturam, aut ſangvinis ſtagnationem cum modo adductis Autoribus. Conf. *Schelhammerus tr. de genuina febres curandi methodo;* aut cum *Mortono*, peculiare quoddam febrile venenum incuſant.

rentia *ne tem-* *ris* §. XXVIII. Sed mittam ego cunctas has Doctorum opiniones, exhibiturus ſolum ea, quæ ex mente Excellentiſſimorum Celeberrimorum Medicorum ſentiam. Faciam autem initium de differentia febrium, quas duplici ſub capite dabo, ſcilicet ratione temporis Invaſionis, & Symptomatum diviſas. Reſpectu prioris, alia febris unius eſt diei, Diaria ſeu Ephemera dicta, alia plurium, & quidem nunc ſine remiſſione ac nova exacerbatione in Συνεχεῖ ſeu Continente, nunc cum aliquali ceſſatione, novoque inſultu in Synocho ſeu Continua. Quodſi vero cum totali remiſſione paroxyſmi ad tempus aliquot horarum, unius aut plurium dierum ſe ſiſtant, vocantur intermittentes ſimplices appellatione generali, in ſpecie, Quotidianæ, Tertianæ ac Quartanæ. Sed dantur etiam intermittentes compoſitæ, duplicatæ, triplicatæ, & quadruplicatæ quatenus vel ſingulis diebus paroxyſmi plus vice ſimplici iſti recurrunt, vel quatenus diebus intercalaribus redit febris, ſic duplex tertiana, & triplex quartana non raro quotidianam mentiuntur. Omnes autem illæ regulares vocantur, quamdiu vel præciſe ad clepſydram redeunt deſeruntque ægrum, vel anticipando tempus prioris paroxyſmi, aut tardius accedendo, nihilominus conſveto more vexant ægrum. Quandocunque vero nulla determinata hora redeunt abeuntque, adeo etiam ut nunquam tempus febrile accurate ſciant ægri, Irregulares & Erraticæ audiunt.

§. XXIX. Quoad Differentiam febrium ratione Symptomatum dantur, (1) quæ ſolo frigore ægris ſunt moleſtæ, (2) quæ calore ſolo affligunt, (3) ubi tempore paroxyſmi externa frigent, interiora calore aduruntur, (4) in quibus æſtus & frigus ſimul, & eodem tempore vexant ægrum, (5) quatenus nec æſtus aut frigus ſenſibiliter moleſti, ſenſim tamen tabem afferunt decumbentibus, (6) ubi poſt paſtum inprimis calor inſvetus in corpore ſentitur, de nocte ſudorem excitans copioſiſſimum, nutritivamque ſubſtantiam penitus conſumentem, (7) in quibus proſtratio virium inſignis, Cardialgia, Inquietudo, æſtus plus minus manifeſtus, nunc cum cephalalgia & amentia, nunc cum maculis aliisque exanthematibus & eruptionibus cutaneis, bubonibus puta, carbunculis & vibicibus ſe ſiſtunt: quibus ſingulis nomina ſunt data propria. Audiuntur (1) Algidæ, (2) Cauſodes ſive ardentes, (3) Leipyriæ, (4) Epialæ, (5) Lentæ, (6) Hecticæ, (7) Malignæ, nunc ſimplices, nunc Hungaricæ ſeu Caſtrenſes, Petechiales, Purpuratæ, aut Peſtis. Reliquas ab aliis ſymptomatibus cum *Sylvio* deſumptas differentias febrium, v. gr. Tuſſiculoſas, Arthriticas, Famelicas, Cacatorias &c. omitto, ne præter neceſſitatem in infini- *ratione ſym-* *ptomatum.*

fini-

finitum morbum hunc multiplicemus.

de Eſſentia febrium Autoru ſententia

§. XXX. Quod Eſſentiam febrium attinet, exiſtimo in motu præternaturali principii vitalis ſive Spirituum unice illam eſſe quærendam. Quemadmodum enim ab horum influxu placido, ac æquali, efficienter omnis tam ſolidarum, quàm fluidarum partium ad vitæ conſervationem neceſſarius motus dependet, unà cum calore vitali, qui ex motu harum partium tranquillo unicè exſurgit; ita ſi deficit aut excedit, nunquam non effectus morboſus tam in motu harum partium, quam conſequenter in calore illo naturali notatur, dum iſte vel imminuitur, vel augetur. Patet hoc ipſum ad oculum in animi pathematibus gravioribus, præprimis terrore & ira, utpote in quibus pro diverſitate exagitationis ſpirituum nunc faciei pallor, artuum rigiditas, tremor, frigus &c. aut oculorum ac faciei fulgur, & rubedo, calorque manifeſto auctus &c. obſervari poteſt.

ratio ſymptomatum.

XXXI. Probabile ergo mihi ex his animi pathematum effectibus, dum in principio paroxyſmi febris intermittentis ſpiritus exteriora corporis, imo quandoque & interiora viſcera ad tempus deſerunt, vel ſaltim in illarum fibras motrices tremulo motu influunt, laſſitudinem illam, pandiculationes, oſcitationes, horrorem, trepidationem, pallorem, pulſum debilem, ſpirandi difficultatem, nauſeam, vomitum, reliquaque ſymptomata, quæ paroxyſmum præcedunt, aut circa ejus invaſionem ſimul occurrunt, oriri. Quando vero in progreſſu paroxyſmi, ejusque ſummo gradu, alium in motum nempe concitatum & impetuoſum rapiuntur ſpiritus, ceſſantibus modo nominatis ſymptomatibus, alia plane prioribus contraria ſuperveniunt, calor puta auctus, pulſus magnus, & vehemens, ſitis, anxietates & inquietudines, cephalalgia, hæmorrhagia, &c. à quibus vexatur æger, usque donec & iſti fluctus, quos turbo hicce ſpirituum concitaverat, ſuperveniente ſudore fugiant & evaneſcant, redeatque corpori rurſum ſerena ac clemens aura Vitalis.

Eadem febrium malignarum natura generalis

§. XXXII. Similiter & in malignis febribus, cujuscunque etiam iſtæ fuerint indolis, primario laborare Vitale hoc principium, quamvis alio modo, credibile eſt. Puto enim in Spiritibus charactere meticuloſo ac terrifico inſignitis omnē omnino famoſam malignitatem latitare, cum ex hoc fundamento illis ad partes non libere influentibus debilitatem corporis ſummam, ac inquietudines in præcordiis, ſpaſmos ſeu dolores cardiacos, & lipothymiam, in corde palpitationem cum pulſu debili ac raro deducere quam optime valeam. Et ne gratis hæcce à me dici putes, provoco ad timorem, metum & deſperationem ex aliis occaſionibus in nobis excitatas, utpote à quibus cuncta jam enarrata ſymptomata ordine excitantur, modo gravia fuerint, firmiusque impreſſa ſpiritibus hæcce pathemata.

Differentiæ ſpeciales.

§. XXXIII. Non equidem me latet, quæ nunc de febribus benignis & malignis in genere adduxi, ſingulis ipſarum ſpeciebus ſtricte applicari vix poſſe, cum non ſolum ratione temporis, invaleſcentiæ, ſtatus, & declinationis, verum etiam temperamenti ſive conſtitutionis uniuscujusque ægrotantis, errorumque in uſu ſex non-naturalium rerum commiſſorum ſinguli pene paroxyſmi diverſi appareant; nihilominus propterea nil decedit naturæ & eſſentiæ illarum, quamvis ſub hac aut illa larva appareant, quod facile per varia exempla, ni propoſitæ brevitatis eſſem memor, ulterius poſſet deduci.

Cauſa motus inordinati ſpirituum.

§. XXXIV. Pergo itaque ad cauſas inſolentis hujus motus Spirituum examinandas, quas tam in ipſis Spiritibus, quam in fluidis ac ſolidis partibus deprehendo. Spiritus (quos ab Ariſtotelicorum ſenſitiva ac vegetativa anima nil prorſus differre puto) cum ipſum ſint ſenſationis principium, ab objectis externis in ſenſoriis affecti, varias dum ſuſcipiunt ideas, & circa illas verſantur, quid mirum ſi ex improviſo videant febricitantem, horrore ſubſultantem, vel alio ſymptomate vexatum, aut ſi miaſmata febricitantis nauſeoſa ad nares adſtantis ferantur, exinde

exinde febrilem ideam inprimi ipſis nauſeantibus?

§. XXXV. In humoribus plures uti reperiuntur cauſæ, ita frequentius etiam occurrunt in praxi, adeo ut propterea ab Antiquis pariter ac quibusdam Recentioribus in his vitiatis unice culpam mali quæri conſtet. Nihil vero refert, ſive quantitate nunc excedente aut deficiente, ſive qualitate pravâ, h. e. acrimonia, viſciditate, tenuitate &c. ſive motu peccent, dum partibus præter naturam incuneati ſtagnant, vel rapidiori quam par eſt curſu per corpus feruntur. Semper namque dum motui illorum circulari, vel ſolidis etiam ſimul partibus remora injicitur, aut injuria infertur, ægre id ferunt Spiritus, & ad ſeditionem hujusmodi inteſtinam provocantur.

§. XXXVI. Nec aliter ſe res habet de ſolidis partibus, quas modo ab humorum labe injuriâ affici dixi. Obſtruuntur enim his, extolluntur in tumores, vellicantur, eroduntur, relaxantur, aliaque plura patiuntur damna. Sed non à ſolis humoribus moleſtiæ hæ inferuntur; habet etiam aër multum culpæ, intemperie ſua ipſis infenſus, id quod ii e. gr. experiuntur, qui frigidiori auræ æſtuans corpus exponunt incaute. Omnium vero manifeſtisſime nocent, quæ unitatem ſolvunt, aut ſaltem dolores exquiſitos excitant, ab illis enim febres oriri vulnerarias ac alia ſymptomata lippis & tonſoribus notum eſt.

[Feb]rifuga [tri]plicia. §. XXXVII. Ex his itaque præmonitis ultro nunc patet cuncta febrifuga triplici potiſſimum capite eſſe talia. *Primò*, quatenus in ipſos agunt Spiritus, illisque eximunt Ideas illas peregrinas, alias contrarias imprimendo, quorſum pertinet Ira, Gaudium, Terror, item Purgantia, Vomitoria, Diaphoretica, Veſicatoria, & pleraque Amuleta, vel ſaltim remoram injiciunt ipſis tumultuantibus, quorſum Narcotica, aliaque *Helmontio* dicta Sedativa Archæi, referri debent. *Secundo* curant febres, dum cauſas morbificas vel evacuatione aut alteratione removent. *Tertiò* Antifebrilia ſunt, quæ ſymptomatibus primum illis primariis, horrori puta ac æſtui, aliisque exin reſultantibus, ſuccurrunt.

§. XXXVIII. Quodſi nunc quæramus, ad quam claſsē pertineat noſter Cortex, facilis eſſet reſponſio, ſi à *Rocho Caſſato & M. Minot de la nature, & des Cauſes de la fievre*, decantata virtus Narcotica in illo ocurreret, cujus ope in motu irregulari ſiſti ſpiritus, adeoque ex hoc principio curari febres dici poſſent. Verum, cum nullus torpor, ſomnus, aliudque ſymptoma ſuperveniat uſum ejus, qualia alio tempore ſolenniter poſt hujus generis adhibita medicamenta ſubſequi ſolent, merito de hac operandi ratione dubitamus. Riſum hinc potius, quam imitationem meretur cautela cujusdam Practici celebris, qui ad evertendam & corrigendam nimiam Narcoſin à China - Chinæ metuendam, nunquam niſi cum pulvere foliorum Theæ ipſam præſcribit. Multo minus, ac ſic aliam Spiritibus imprimat ideam, credibile eſt; nullâ enim in regione corporis ſentiunt ægri moleſtiam, aut alterationem manifeſtam, etiamſi largâ in copiâ devoretur medicamentum hocce. Et licet quandoque vomitum ſequi, aut alvi ſolutionem, aut diaphoreſin, annotetur in praxi, minime tamen febrifugo per ſe id imputandum, ſed alicui accidenti, h. e. vel nimium delicatis ſtomacho ac inteſtinis, vel vehiculo cum quo datur, vel tempori, aut motui critico, vel humoribus primas vias occupantibus. Simili omnino ratione, ac a Vino, aut Cinamomo vomitus, ac dejectiones, & ab emulſione quatuor Seminum frigidorum majorum in pauciſſimâ doſi datâ, largiſſimam diaphoreſin quandoque excitari annotamus, *vid. quæ habet Morton. loc. cit. p. 141.* *Cortex chinæ an ad primam claſſem,*

§. XXXIX. Hæreo ergo inter prioris claſſis Antifebrilia Corticem referre noſtrum, qui forſan in ſecundam claſſem commodius poni poteſt. Ita equidem ſentiunt, qui præcipitare ipſum acidos præter naturam humores, febrium cauſas, putant. At enim vero, cum ficta tantum hæc virtus fuerit, effectus ab illa ſperari nullus poteſt: vid. quæ §. 15. & ſeqq. monita ſunt. Nec alia opinio eſt illorum, qui cum *aut ſecundam potius.*

cum *Rolando Sturmio P. 2. p. 36.* & *Honorato Fabro tr. de plantis L. 11. p. 172.* operationem quærunt in vi diſſolvente corticis, amaritiei ejus in acceptis ferenda, à qvâ putant cauſam febrium, maſſæ ſangvineæ innatantē colliquefactam, poſtmodum pro aptitudine nunc per inteſtina, urinam, ſudores, & inſenſilem tranſpirationem educi. Sed cum falſiſſimo fundamento, amara ſcil. cuncta vi attenuativâ eſſe prædita, innitatur hæc ſententia, ipſumq; medicamentum non niſi ex accidenti evacuet, uti §. *præcedenti* dictum, neque hi aſſenſum merentur.

§. XL. Sunt alii, quibus fermentationis nomen uſque adeo arridet, ut functiones naturales cunctas non ſecus ac morbos, adeoq; & febres à fermentis dependere doceant. His itaque probabile videtur, febrile hoc fermentum à noſtro Cortice abſorberi, figi, concentrari, coërceri, deſtrui, verbo: ita mutari, ut omnem activitatem, nocendique vim amittat. Et huic opinioni adhærere video quamplurimos Medicos, qui ab *Helmontii* ætate usq; ad hæc noſtra tempora, in quæ occaſus incidit adeo celebratæ hypotheſeos de viribus Chinæ Chinæ literarum monumentis quicquam conſignarunt. E tanto vero numero ſufficiat nominaſſe *Hoffmannum in clave Pharmaceutica, Etmullerum de præcipitantium uſu & abuſu, Protoſpatarium in Epiſt. ad Badum, D. Monginot. tr. de Curat. febrium, D. Jones, & Lanzonum in obſerv. p. m. 368.*

§. XLI. Sed uti hi extingvi credunt fermentum febrile, ita *Williſius* inſuper ſangvinis naturalem fermentationem à febre hactenus inhibitam excitari per Chinam-Chinæ, ſicque reſtituta ſangvini activitate priſtina, è ſolo ejus motu præcaveri, ne materia excrementitia congeratur iterum, alias facile ad paroxyſmum febrilem diſpoſitura denuo corpus.

§. XLII. Ita nimio amore hujus opinionis capti Clariſſimi hi Viri non conſiderant plus tribui medicamento, quàm perficere unquam poteſt. Quod ſi enim, uti ſufficienter in præmiſſis oſtenſum, non alcali in ſe habet, neque ratione amarorum reſolvere poteſt, impoſſibile omnino eſt, unum figat, alterumque excitet fermentum. Taceam ipſa fermenta ob defectū requiſitorum ad fermentiones Chymicas alias ſumme neceſſariorum non minus, quàm ob producti ſeu finis fermentationis abſentiam, aliaque inſuper plura argumenta hodiernis admodum videri ſuſpecta. vid. quæ *Joh. Alphonſus Borellus tr. de Motu animalium* contra afferat argumenta, & *Waltherus Charleton in Anatomicarum Lectione prima Of the motion of Bloud, trough de Veins and arteries.*

§. XLIII. Recens magis eſt *Thomæ Donzelli & Protoſpatarii*, ab autore tractatus, *febris China-Chinæ expugnata in notis ad p. 11.* allegata ſententia, quæ à *Richarto Mortono Exercitatione de Morbis univerſalibus acutis* ſtrenue quoque defenditur, operari ſcil. Medicamentum noſtrum, ut antidotum contra venena, extingvendo nimium venenatum hoc febrile fermentum, quod priores in ſtomacho ſtagnare, ultimus vero maſſam ſangvineam occupare fingunt. Non diffiteor doctum ſatis eſſe diſcurſum *Mortoni*, quem fundamenti loco *tr. alleg. c. 8. p. 147. ſeqq. de Venenis* ad comprobandam hypotheſin de alexipharmaca Corticis virtute præmittit: nihilominus cum toxici febrilis naturam explicare non valeat, non ſatisfacere eruditis naturæ ſcrutatoribus poteſt, deciſionis loco ſolum afferens, miasmata venenata febrem conſtituentia à viribus Chinæ-Chinæ alexipharmacis deleri. Non enim ipſum liberat ab inſufficienti explicatione dogmatis hujusce novi, quod paucis interjectis lineolis addit, his verbis: *De iis, quæ extra Sphæram ſenſuum ſunt poſita ratiocinari, quid aliud eſt, quam erudite delirare.* Si namque perpetuæ veritatis axioma hoc ipſum foret, deliraret univerſus ſapientum orbis, imo & ipſe Autor, alexipharmacum dicens Corticem hunc.

§. XLIV. Valeant itaque & illi, qui adverſus morbificas febrium cauſas inſervire Corticem hunc autumant. Supereſt ergo ſolum tertia Antifebrilium claſſis examinanda, à quibus ſcilicet ſymptomata hujus morbi mitigantur, ac curantur,

aut' ter[...] pertine[...]

tur, videndumque num forſan ad illam pertineat cortex? quam opinionem omnium probabiliſſimam mihi imaginor. *Imaginari autem quandoque cauſas, à quibus effectus propoſitus produci poſſit, ſatis eſt,* effato incomparabilis *des Cartes, Epiſt. 113. P. II.* ſub quo ſcuto, ſi mea hæc conjectura non omnibus arriſerit, tutus delitèſcam.

inſpiſ- ſangvi- & tu- con- ngit

§.XLV. Puto ergo non ſolum humores corporis noſtri ad motum illum irregularem ſuſtinendum, à quo maximam partem horror & calor, primaria illa febrium ſymptomata, dependent, reddi ineptos uſu corticis, verum quoque ipſos tubulos tam circulationi humorum, quàm vitali principio inſervientes, quodammodo anguſtari, & ad admittendum ulterius illorum influxum tumultuarium fieri incapaces, ſimulque ſic reliqua cuncta, quæ exinde aliàs oriebantur ſymptomatum ſymptomata, nunc ſaltim imminui, ſæpe vero penitus tolli. E quibus effectibus poſtmodum febrem omnino, quamvis falſo, ſublatam credimus. Præſtari autem omne id à noſtro remedio poſſe, ipſius ſtipticitas & adſtrictoria virtus, prolixè in antecedentibus adſtructa, ſuſpicari me facit.

ntia atur experi- tiam

§. XLVI. His fundamenti loco ſuppoſitis, ne fabulas me narrare de inſpiſſatione ſangvinis & conſtipatione tubulorum aliquali per Chinam-Chinæ videar, provoco ad experientiam. Scilicet affundatur ſangvini recenter ex Vena extracto aliqualis copia decocti hujus Corticis calida, nigreſcet in momento ad ſenſum craſſefactus cruor; quodſi vero cum lacte idem tentes, caſeſcere illud conſpicies ex tempore. Et licet mihi contradicere videatur propter egregia ſua obſervata microſcopica per univerſum orbem *famoſus Leeuwenhœkius, in continuatione Epiſtolarum ad Regiam Societatem Londinenſem miſſarum p. 119.* ab infuſo hoc guttæ ſangvinis commixto omnes ejus globulos diſperſos adeo fuiſſe viſos referens, ut ſex tales globuli unum naturalem confecerint; fieri tamen id potuit, ab aqua ſimul cum Corticis atomis ſangvini admixtis. Minime vero mihi contrariari ejus obſervationem, ſed potius illam probare docet glutinoſa ac gummoſa ſubſtantia, quam in inſpiſſato ad aërem infuſo vidit. Favent etiam globuli illi ſangvinei ad marginem reliquorum coagulati, itidemque quod obſervaverit, dictum infuſum Spiritu Vini unitum ſtatim inter ſe coagulaſſe exiguas ſangvinis particulas, ut in calcoſam (ita loquitur) transformatæ fuerint ſubito materiam.

§.XLVII. Quoad conſtipationes tubulorum per corticem noſtrum, confirmatur illa à priori, quod flexiles ſint illi canales, in quibus fluctuant humores, & impetum facientes partes, rigidæ vero ac hamoſæ atomi Chinæ-Chinæ, & à poſteriori, quod Vulneribus inflictis ſtiptica remedia ad oculum contrahant, corrugentq; vaſa iſta. Quid impedit ergo à ſtiptico hoc cortice non ſola ſangvinea & lymphatica vaſa, verum quoque poros partium, imo & nervorum tubulos roborari, tali conſtrictione, & a nimia relaxatione, qua antehac vel ob ſolum impetuoſum influxum vitalis principii ac ſangvinis, vel ob alias cauſas magis remotas laborant, eo ipſo liberari & ad ſtatum naturalem ſic reduci.

§. XLVIII. Hæc ſi mihi dentur, concipi facile poteſt, quomodo vel paroxyſmus febrilis penitus ceſſet, vel ſaltim ejus graviſſima & urgentiſſima ſymptomata, calor ſcilicet & frigus, ſufflaminentur ac mitigentur. Videmus enim, ſi Spiritu Vini, aliove adſtringente liquore inungantur prius membra, inclementiæ aëris frigidæ aliquandiu exponenda, quod per manifeſtam temporis moram omnem eludant frigoris impetum, quem alia membra non hiſce inunctionibus præmunita, interea moleſtiſſimum experiuntur. Quod vero æſtum attinet, referunt, qui hiſtoriam noſtri corticis naturalem deſcribunt, incolis ſoli ejus natalis in more eſſe ſolemni, à radiorum ſolarium æſtu caloreque exin dependente, quantitate aliqua hujus corticis devorata ſe defendere, quod ipſum quoque æſtivo tempore his noſtris oris felici effectu tentatum eſſe recordor. *Paroxyſmi inde quomodo ceſſent.*

Probatur ſententia hæc aliis remediis.

XLIX. Et ne ſcrupulus remaneat ullus, probationis ulterioris loco, provoco ad alia, eaqve ſæpius experta antifebrilia remedia, quorum virtus pariter in adſtrictoriis unicè abſcondita latet particulis. In vulgus notum eſt, ab aſſumptâ Nuce Moſchatâ, & anaticâ quantitate Aluminis crudi, infinitas quotidiè curari febres. Ex Alumine crudo, & Magiſterio ſanguinis Draconis paratur antifebrile Mynſichti, in quartana, ut refert, miranda præſtans. Radicis Tormentillæ, Biſtortæ, Iridis lutei, Pentaphylli, Corticis quercûs, Arillorum fructuum Cynosbati &c. vis febres fugandi millies experta eſt. Quæ *D. Alardus Cumenus in M. N. C.* de ſtercoris ſuilli (extra converſiam remedii adſtringentis) antifebrili virtute prolixis verbis recenſet, favere etiam videntur huic noſtræ hypotheſi. Succus Cardui benedicti, Abſinthii, Centaurii minoris, pulvis Radicis Gentianæ & Ligni Colubrini, non aliâ ex ratione titulum febres pellentium remediorum, quàm ex ſtipticitate ſibi acquiſiverunt. Novi à quodam Chymico Mercurium ſublimatum in minimâ doſi datum, pro arcaniſſimo haberi febrifugo. Imò ſi huc quoqve retulero Spiritus vini uſum, à quo nunc ſolo, nunc cum pipere aut ſemine Naſturtii ante paroxyſmum ſumto, toties de fece vulgi homines liberantur ab inſultibus intermittentium, non aberraturum me à ſcopo veritatis ſuſpicor, cùm manifeſtò conſtringat vaſa ſanguinea. Hinc etiam inter ſtiptica refertur remedia ab *Excellentiſſimo Bohnio, Profeſſore Lipſienſi Celeberrimo, in Actis Eruditorum Lipſienſibus An. 1683. menſe Aprili.* Unde quoqve quod obiter noto, eſt, quod tempore æſtivo hauſtus Vini Spiritus, ſanguinis fervorem, ſitimqve exin oriundam, adeò feliciter compeſcat, fallatqve.

China reliquis antifebrilibus antefertur.

L. Cunctis tamen his aliisqve hujus generis pluribus adſtringentibus medicamentis antifebrilibus (quæ ordine recenſere nimis eſſet prolixum) extra controverſiam præripit palmam China noſtra Chinæ, dubio ſine ex ſuâ ſingulariſſimâ texturâ, quæ talis videtur, ut a conjunctis amaricantibus avelli ſe non patiatur, nec in ſtomacho nec in inteſtinis, dum per periſtoma illud villoſum transcolatur chylus, ſed firmiter conjuncta, & quaſi conferruminata maneat, etiamſi in ſanguine jam jam hærens circulari ejus motu, toties per corpus agitetur. Secus ergo accidit noſtro cortici ſtiptico, quod aliis congeneribus concretis familiare admodum eſt, quæ in primis viis ſtatim dubio ſine ob craſſitiem & corpulentiam nimiam, dum intra poros adeo anguſtos admitti non poſſunt, deponunt has adſtringentes atomos, hincqve tubulos inteſtinales coarctant, ac ſtringunt, excretionemqve ſecum eo ipſo intercipiunt. Non malè ergo, *quod Helmontius in tr. Blas. Humanum §. 40. p. m. 179. edit. Francof. de alcalibus* aſſeruit, eſſe ſcilicet inter ipſa rem quaſi publicam, de adſtringentibus adſtruo, ſcilicet ipſorum diſcrepantiam & differentiã notari egregiam, Chinam vero Chinæ omnino ſingulariſſimã eſſe.

LI. Poſſem ulterius hujus hypotheſeos probationis gratiâ ex aliorũ morborum curâ deſumtâ effectum prædictum probare, nî metuerem, nimium me futurum in re adeo evidenti. Duplicem tamen obſerv. præterire non poſſum, egregiè meæ ſententiæ faventem. *Sydenham* jam olim *de Cura Podagræ* antipodagricis accenſuit remediis corticem noſtrum, & recordor aliquoties feliciter in ſimili morbo adhibitũ eſſe illum, *ex Bohnio Lipſienſi Celeberrimo* me audiviſſe. In quâ curâ dubio ſine tàm nimium reſoluta, ſpiculisqve ſalinis turgida Maſſa ſanguinea, quàm vaſorum, nervorumqve tubuli quodammodo conſtringuntur, unde poſtmodum ſymptomatis adeo urgentis, doloris puta, ceſſatio. Nam ab hujus generis remediis externis prudenter adhibitis, non paucos liberari ad tempus ab inſultibus atrociſſimis podagr., frequens docet experientia. Altera obſervatio à Dyſenteriæ curâ deſumpta eſt. Celebrat in illâ præprimis cum febre conjunctâ, egregiè noſtrum medicamentum *Morton in ſua Pyretologiâ*, & antequam lucem viderat publicam tractatus iſte, idem a me cum ſucceſſu felici adhibitum fuiſſe recordor. Iterũ tamen nunc, ſi in rationem operationis in-

Probat

inquiram in humorum aliquali coagulatione, & tubulorum conſtrictione illam reperio, præprimis cum dyſenteria æſtiva ſæpiſſimè ſymptoma ſolummodo febris, non prout communiter putant, cauſa ejus deprehēdatur.

…a non in …ibq febb. …venit. §. LII. Ex dictis nunc ſponte fluit, non in omnibus indifferenter febribus convenire *CHINAM-CHINÆ*, prout rudis Empiricorum cœtus ſibi inepte perſvadet. Cave hinc tibi, adhibeas illam in malignis febribus, ex ſangvinis ſpiſſitudine aut coagulatione ortum trahentibus, aut, quando per peripheriam corporis, excretiones morbificæ materiæ molitur natura; vel in quibus triſti, terrifica, ac meticuloſa idea ſpiritus ſunt characteriſati; ſtares enim contra naturam, cujus tamen miniſtrum Medici titulo profiteri cupis. Nec auſim ſvadere illam in febribus continentibus & continuis, utut benignarum titulum gerant, in ſpecie ſi ab inflammationibus aut obſtructionibus oriantur. Intermittentibus ergo maxime proficuus eſt Cortex noſter, inprimis quæ cum horrore aliquali paroxyſmi ſumunt initium.

…tempore …benda §. LIII. His de febre obſervatis, de tempore exhibitionis aliquid dicendum, in quo diſcrepant rurſum Autores inter ſe. Schedula Romana, quæ Italico Idiomate retro triginta & ultra annis omnium primo de hoc pulvere, ejusque virtute, & modo utendi aliquid patefecit, quamque *Chiffletius*, & ex eo *Jonquetus* in horto ſuo Pariſienſi in latinam transverterunt linguam, jubet, ut incipiente horrore, vel ſaltim quando ejus acceſſus percipitur, detur. *Talbotius*, Medicus ille circumforaneus famoſus, ſub finem exacerbationis febrium, inchoante ſudore propinabat, ad cujus imitationem, non paucis Medicis in uſu hodie adhuc eſt, dare ægris *CHINAM-CHINÆ: conferatur tr. de remedio Anglico, pro curatione febrium à Nicolao de Blegny* publici juris factus, *p. m. 25.* Utrumque tamen conſilium non arridet omni ex parte: facile enim circa invaſionis initium datum ad vomitum invitat nauſeabundos jam jam ægros, in ipſo autem paroxyſmo adhibitum, dum effrenato nimium ſpirituum motui reſiſtit, graviora longe non raro excitat ſymptomata, quale exemplum *Obſervationes ex Adverſariis Domini d' Aquin, circa methodum Talbotii deductæ*, de Sereniſſimo Delphino loquuntur, qui in paroxyſmo ſummo remedio diarrhœam inſignem contraxit. vid. *Blegny l. c.* Magis proinde conveniet tempore apyrexiæ propinare illud, ita tamen, ut, bis vel ter illa die aſſumatur juxta *Lanzonum, in obſ. p. 368.* vel quarta quoque hora juxta *Mortonum l. c. p. 180. & paſſim.* Datur namque interea medicamento debitum ſpatium, ſine turba aliaque corporis moleſtia, expediundi ſuam operationem.

§. LIV. Pergo jam ad determinandam quantitatem Corticis, quæ ad abigendam febrem neceſſaria eſt, in quo puncto iterum non convenire Doctores obſervo. Schedula namque modo citata Romana drachmas duas ſufficere dicit adultis, minorem junioribus; ſed hodie rarius hac doſi curatur amplius febris, quin monente *Domino Monginotto, de la Gueriſon des fievers par le Quinquina, & Mortono l. c. p. 174.* ad unciam unam, & nonnunquam ad ſecundam & tertiam aſcendere ſit neceſſum. Cumque nimia hæc quantitas vel ſolum audita deterrere poſſit ægrum, partitis vicibus, ſinguliſque tribus aut quatuor elapſis horis dando drachmam unam alteramve, quamdiu à paroxyſmo liber eſt ægrotans, commodiſſime exhiberi poteſt. *Doſis*

§. LV. Quamobrem vero noſtra ætate adeo augeri debeat doſis medicamenti, nullam crediderim aliam ſubeſſe cauſam, quam quod vel plane adulterinus, vel ſaltim obſoletus ac iners Cortex in officinis hodie utplurimum reperiatur, in cujus ſcilicet uncia vix tantum deliteſcit virtutis, quantum olim in drachma. Selectus itaque faciendus eſt quam ſtudioſiſſimus Corticis, ne, ſi non ſequatur effectus deſideratus, in Medicum cadat culpa. Diligentiſſime vero annotavit criteria cuncta genui- *ratio doſeos aucta*

nuini Corticis æque aco bſoleti, & adulterini, ſæpius *citatus Morton p.171. Genuinus ſcilicet colorem Cinamomi præ ſe fert, ſaporem jucunde & aromaticè amarum, odorem ſpirat peculiari modo mucidum, ſuavem nihilominus, gratum ac aromaticum, dentibusque attritus friabilis eſt. Effœtus verò ac annoſus omni odore & amarore deſtituitur. Adulterinus denique nunc nigricans, injucunde amarus, acerbus, viſcidus, & glutinoſus obſervatur.* Aliud ſignum certum & diſtinctiſſimum veri Corticis ſuppeditat *Walter Harris in Pharmacologia Antiempyrica*, Anglico idiomate *c. XII. p. m. 189.* quod hic quoque commemorari debet. Jubet, ut ad ſolis radios ſplendentes fruſta Corticis diffracta inſpiciantur, quæ ſi genuina fuerint, ſplendeſcentes Nitri ad inſtar cryſtalliſati atomos intus oſtendent copioſiſſimas, in ſpurio & obſoleto omnino deerunt.

Modus utendi

§. LVI. Devenio nunc ad modum utendi: Schedion Romanum jubet, ut tribus horis ante uſum quantitas determinata in Vino albo infuſa exhibeatur, ſub qua formula *Talbotius* etiam ſuum propinavit medicamentum, quamvis ad fucum faciendum, & colorem non minus, quam ſaporem ejus immutandum, addendo infuſum Roſarum provincialium, aut ſuccum Abſinthii, foliorum Apii, Plantaginis, Lactucæ, Limonum, Pentaphylli, Tuſſilaginis &c. vel loco vini Rhenani, Malvaticum ſubſtituendo, aliam aliamve ejus reddere faciem, colorem, & conſiſtentiam ſolitus fuerit, annotante id *Domino d' Aquin, in obſervationibus ad dictum medicamentum.* Hodie cum ſub pulveris forma vix propter copiam nimiam, ingratumque ſaporem aſſumant febricitantes, commodiſſime ſub Decocto, Julapio, Bolo, Electuario, aut Pilularum, Extracti, vel Tincturæ &c. forma exhibetur, prout ſcilicet hæc aliaque ex his formulis ad ægri palatum obſervatur. Certum tamen eſt, nunquam magis optatum effectum, quàm ſi in ſubſtantia exhibeatur, eſſe expectandum, prout rectiſſime monet *cit. Harris p. 191.*

In recidiva.

§. LVII. Sed licet cuncta hæc obſerves, ut plurimum tamen redit iterum paroxyſmus, mutatus licet ab illo, qui prægrediebatur, h. e. nunc per longum magis tempus protrahitur, alio vero tempore fit brevior, aliisque horis ſymptomatibusque ſtipatus ſe ſiſtit. Videns hæcce, bono eſto animo, nam audacter tunc pronuntiare poteris, aut ultimum omnino hunc, aut ſaltim ſubſequentem paroxyſmum mitiſſimũ futurum, cum ex his figuris exoptata operatio medicaminis clariſſime effulgeat. Quod ſi vero vel ſtatim cedat febris poſt primã vel etiam reiteratas exhibitiones, equidem tunc habes, de quo ſibi tibique gratuletur æger; aſt gaudia hæcce ut plurimum ſunt breviſſima, cum admodum frequenter poſt ſextum, aut ſeptimum paroxyſmum inhibitum recidiva ſuperveniat, infelicem ſcenam non raro ludens. Et quid mirum redire febrem, cum à Medicamento hoc non cauſa ejus tollatur, ſed ſymptomata ſolùm, uti demonſtratum, ſufflaminentur? licet ergo iterum iterumque data una vel altera doſi febrifugi expellas morbum, tamen usque recurret: ita ut à *Mortono* vigeſies licet expugnatam nihilominus ſemper recollegiſſe, annotatum legas.

quid a[...] dum

§. LVIII. Quid ergo ad hæc Medici? Quidam ex illis vomitoria, alii purgãtia, clyſmata, diaphoretica, omnisq; generis alterantia porrigunt ægris, alii venam ſecant, veſicatoria applicant: verbo: occupatiſſimi ſunt removere cauſas continentes febris. Quam intentionem optimam licet non ex toto improbem, utpote rationi admodum conformem, de irrito eventu tamen ut conquerantur, ſymptomatum exacerbatio, febrisque immorigera indoles ipſos ſæpe numero cogit. Quare niſi indicantia adſint evidentia, miſſis his omnibus ſuaſerim potius, continuare uſum antifebrilis hujus remedii ad aliquot inſequentes dies, hebdomadas, aut menſes, donec ſcilicet mutata anni tempeſtate, noxios humores ipſa natura concoquere vel evacuare poſſit.

Cautel[...]

§. LIX. Inculcat hanc cautelam practicam verbis toties adductus *Morton*, experientia edoctus, à Medicamentis cathar-

catharticis (quæ tamen ut plurimum pro repurgandis reſiduis ſordibus primarum viarum à febribus relictis adhibentur) juxta ac aliis evacuantibus, aut ſaltim ſangvinem in nimium motum rapientibus, quam certiſſime revocari paroxyſmos. Hinc unice prophylaxeos gratia repetitam Corticis exhibitionem commendat, ita tamen, ut non tam largiter ac frequenter, ut antehac, ſed poſt intervallum octo dierum bis terve tantum, donec Luna ſtadia ſua ſemel iterumque decurrerit, ſumatur. Interea vero, ut errores omnes circa ſex res non-naturales, ſangvinem nimium attenuantes, evitentur ſedulo, indicari debet ægro.

§. LX. Atque hæc de Chinæ-Chinæ virtute antifebrili exercitii gratia dicta ſufficiant. Nihilque nunc magis exopto, quam ut dexterrime accipiatur hicce meus qualis qualis conatus, cum ultro agnoſcam, quàm curta mihi ſit ſupellex. Hac Tua Benevolentia fretus, Lector Amice, nunc acquieſco, atque DEO, Ter Optimo, Terque Maximo, quod has meas meditationes Sacro-Sanctæ clementiæ ſuæ aura adſpirare voluerit, Laudes & Honorem devotiſſimo cultu retribuo.

Sit nomen ejus benedictum,
Gloriæque ipſius nullus
unquam.

F I N I S.

****

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Trigeſima:
De
PHLEGMONE.

PRÆFAMEN.

NOn incongruæ tam Veterum, quam modernorũ Medicorum videntur eſſe cogitationes, quas circa Hominis naturam, ejusque accidentia, diverſimode oculis obverſantia habent, dum Hominem in omnibus pene toti huic Univerſo ſimilem, atque proin dignum exiſtimarunt, cui reſpectu Mundi Macrocosmi titulo ſuperbientis, Microcosmi imponeretur nomen. Quodſi enim in unam ſaltim ex Mundi partibus, aquam ſcilicet, fluidum illud naturale paulo penitius ac præprimis in ejus motum variis de cauſis ſufflaminatum conjiciantur oculi, haud difficulter eluceſcet, eius vitium in motu dependere vel ab arenæ abundantia, vel ſqualoris cujusdam tenacis admixtione: vel à nimia viarum, per quas moveri debebat, anguſtiâ, vel ab æthere, motum particulis aquoſis alioquin conciliante, ex illis tempore hyemali expulſo, ita ut deinceps in glaciem convertantur: alia ut ſicco pede prætercam phænomena. Iisdem quoque fatis, totoque die obviis laborare corporis noſtri

ſtri machinam, clariſſime, meo quidem judicio, demonſtrant Inflammationes, diverſis in partibus reperibiles, quarumque Cauſæ vel in Circulatione ſangvinis impedita, vel in ſpiritibus, vel in ipſa partium ſtructura læſa & immutata hærere ſolent. Talem igitur Affectum utpote ſatis vulgarem, pauca ſi excipias ſubjecta huius ab invaſionibus libera, mecum conſtitui ex Conſenſu atque Indultu Ampliſſimæ Facultatis Medicæ publicæ eruditorum ventilationi ſubjicere, additis ſimul eius cauſis, ſignis, Methodoque medendi: Largiatur DEUS T. O. M. hiſce meis conatibus eventum feliciſſimum, ut omnia in ſanctisſimi ſui Nominis cedant Gloriam, proximique commodum atque ſalutem.

§. I.

Onomatologia. GRaviſſime omnino in conſvetudinem omnibus retro temporibus ſemper obſervatam impingerem, niſi in limine ſtatim Diſſertationis rubricæ titulum, quidve phlegmones nomine mihi veniat, fuſius explicarem. Vox enim hæc, uti Græciam agnoſcit pro Patria, deſcendendo ſcilicet ἀπὸ τȣ̃ φλέγειν, quod ſignificat incendere, urere: ita Etymologice quemvis affectum ardore p.n. moleſtum deſignat: hincque priſcis temporibus, teſte Galeno, omnis immoderatus calor partium phlegmone dictus fuit: juxta Recentiorum autem dogmata, ex ſcorbuticorum ſalium abundantia & ſangvinis nimium reſoluti efferveſcentia in facie orta φλόγωσις poſt paſtum hoc nomine inſignita eſt.

Definitio. §. II. Stricte tamen & ſpecifice denotat unanimi noſtræ ætatis Medicorum ac Chirurgorum Conſenſu *Tumorem in partibus, ut plurimum carnoſis, cum rubore, dolore ardente, tenſione, à ſangvinis, & reliquorum humorum circulatione impedita exſurgentem:* Latinis vocatur Inflammatio, vernacula lingva, eine Entzündung.

Genus. §. III. Tumorem itaque Phlegmonem dicere, inque Apoſtematum Claſſe primum ipſi concedere locum, nemo ex omnibus, quos mihi hactenus evolvere licuit, Doctoribus, hucusque dubitavit, unicum ſi excipias Dn. D. Bontekōen, opinionum veterum cribratorem ſatis ſtrenuum, qui Phlegmoni ex hoc puncto dicam ſcribere in ſua Chirurgia non eſt veritus. Argumentum ipſius primarium ab Eryſipelate eſt deſumptum, ſpecie extra omnem controverſiam inflammationis, in qua tamen nullum hujusmodi intumeſcentiæ veſtigium ſe ſiſtat. Sed liceat mihi pro venerandæ antiquitatis Autoritate tuenda reſpondere: utique eſſe in Eryſipelaceo Affectu, utut non adeo manifeſtum, nihilominus aliqualem, & niſi præcepta opinione aliquis occæcatus fuerit, ſatis conſpicuum tumorem, quamvis intuitu œdematis, alteriusque aquoſæ aut flatulentæ expanſionis non adeo tumere videatur. Quandoquidem vero juxta communiſſimum Philoſophorum Axioma: Majus & minus non variant ſpeciem: exilis tumor nihilominus vere tumor eſt, propterea rectiſſime generis loco in definitione Phlegmones tumoris vox eſt poſita.

Subjectum. §. IV. Subjectũ ejus dixi partes carnoſas ſub quo titulo præprimis muſculos, h.e. illa inſtrumenta, à quibus animalis motus perficitur, quæque non ſolum ex fibris carneis, tendineisque, (quatenus ſcilicet in caput & caudam dividuntur,) verum quoque ex membranaceis partibus, nervis, arteriis venisque conſtant, comprehendo. Aſt conſulto voculam Utplurimum in Definitione addidi. Utut enim facile largiar, carnoſam ſubſtantiam, omnium frequentiſſime ob diſpoſitionem naturalem affectui huic obnoxiam eſſe: Non tamen propterea reliquas excluſas volo, cum experientia quotidiana

reli-

reliquas quandoque partes primario affectas oſtendat incredulis.

§. V. Occupat autem phlegmone partes tam externas, quam internas. Videmus enim, nunc commune illud corporis noſtri & vere ſtupendum ac mirabile ex minutiſſimis omnis generis villis vaſisque, glandulis ac pingvedine conſtans integumentum, cutem puta, affici: nunc ſubjacentes glandulas, membranas, nervos, tendines, oculos, aures, gingivas, fauces, ungves, imo fere omnia viſcera non tuta ab ejusmodi eſſe tyrannide.

§. VI. Hinc meninges cum cerebro intra cranium; pulmones pleuram & diaphragma in thorace; hepar, lienem, ſtomachum, inteſtina, renes, veſicam urinariam, & in ſexu ſequiori uterum cum annexis partibus ſæpenumero Phlegmone corripi, ex innumeris Practicorum obſervationibus liquet.

…alis in …sdam …bus ap- …tio. §. VII. In quibusdam partibus, nomine inflammationis rejecto, ſuperbit proprio ac ſpecifico titulo: e. g. quæ in oculis ac tunica adnata eſt, dicitur Ophthalmia: quæ in faucibus & partibus deglutitioni inſervientibus, Cynanche, Paracynanche, Synanche & Paraſynanche; quæ in palpebris, Epiphora; quæ in auribus Otalgia; quæ in glandulis pone aures, Parotis; quæ in gingivis, Parulis; quæ in meningibus cerebri, Phrenitis; quæ in membrana coſtas ſuccingente, Pleuritis; quæ in pulmonibus, Peripnevmonia; quæ in diaphragmate, Paraphrenitis; quæ in renibus, Nephritis; quæ in ungvibus Paronychia ſ. Reduvia &c. vocatur. Imo ſi huc trahere vellem phlegmonem cum collectione purulentæ materiæ, aut eroſione cuticulæ aliisque ſymptomatibus conjunctam, ut & Bubones, Anthraces, Perniones, Furunculos, Epinyctides, Herpetes, Achores, Favos, Tineam, & ſimilia, operam non luderem: quorum tamen brevitatis ſtudio mentionem ulteriorem heic facere ſuperſedeo.

…ptomata §. VIII. Symptomata, quæ phlegmonem concomitantur, ſunt: partis calor, rubedo, dolor ac tenſio. Inſeparabilia hæcce obſervantur, adeo, ut nunquam phlegmonem niſi ſyrma ejusmodi comitum indivulſorum poſt ſe trahentem videas. Plus tamen & minus ſævire unum vel alterum ex illis, imo alia adhuc ſecum ducere pro diverſitate loci affecti ac cauſæ morbificæ ſolet, Febrem innuo, quam κατ᾽ ἐξοχὴν ſymptomaticam propterea appellare ſolent Practici, cui ſociatur agrypnia, & quandoque delirium cum ſiti enormi: interdum tumor aſſociatur œdematoſus: nonnunquam veſiculæ in ſuperficie erumpunt ſerum ſatis acre plorantes: quandoque in abſceſſum abit, qui disruptus poſt ſe relinquit ulcus, aut exſiccatus in ſcirrhum aut tumorem durum degenerat, interdum ſupervenit Gangræna & Sphacelus, de quibus fuſius in ætiologia agemus.

§. IX. Antequam vero ad illam progrediar, ne quid omiſſum à me videatur, de ſignis Diagnoſticis aliquid commemorandum erit. Habentur autem iſta omnium certiſſime ex modò recenſitis inſeparabilibus ſymptomatibus, quapropter ſi in aprico hæreat locus affectus, & partis calor, dolor, tenſio, & rubedo apparent, ſufficienter jam patet phlegmonis præſentia: ſed major ſe ſiſtit difficultas, ſi malum in internis hæret, quorſum viſus penetrare non valet, v. g. in cranio, thorace, ac abdomine, &c. Igitur operæ pretium erit, ut probe attendas, num conqueratur æger de interno dolore ardente, pulſatorio, & punctorio, ſine ulla remiſſione ipſum excruciante, cumque febre, ſiti ac interdum deliriis ſtipato, quæ ſymptomata individui ſocii internarum Inflammationum, adeoque etiam ſigna diagnoſtica earum ſunt. Notanter vero dixi, dolorem ejusmodi ſine remiſſione ulla moleſtum eſſe: quod ſi enim ceſſat aliquandiu, & mox iterum redit, pro verâ phlegmone haberi non poteſt: quemadmodum etiam ſuſpicio de ipſa ceſſat, ſi comitibus modò nominatis deſtituta fuerit. *Diagnoſis.*

§. X. Præterea ſigna alii ex pulſu & uroſcopia quoque petere jubent: in Inflammatione ſiquidem pulſum celerem magnumque obſervari, urinæque colorem ſemper flammeum conſpici aſſerunt. Sed quis non inſufficientiam

cientiam maximam horum ſignorum animadvertit? Primo enim non ſoli inflammationi competunt, ſiquidem etiam in febribus, ſcorbuto, aliisque morbis adſunt, nec ſemper obſervantur, niſi forſan febris propter ſummum dolorem ſuperveniat, ubi tamen magis ſymptoma, quam cauſa ipſius, per pulſum immutatum & urinam flammeam indigitatur.

§. XI. Quamnam autem præciſe partem occupet in interioribus hærens malum, primo ex ſitu partium, quem per frequentem cadaverum diſſectionem familiarem ſibi reddere debet Practicus, haberi poteſt: id quod etiam innoteſcet ex functione viſcerum vel ex toto vel ex parte læſa, ex. gr. ſi in regione lumborum dolor ejusmodi cum ſymptomatibus prænominatis ſentiatur, ſimulque urinæ excretio quadantenus ſit læſa, non abs re ſuſpicabitur Medicus, adeſſe Nephritidem: & ſic etiam ex doloris atrocia ac ſpaſmodica hujus vel alterius loci affectione, magis tendinoſas, membranoſas ac nerveas occupari partes concludet, quàm alias.

§. XII. Porro ſi vibices ſe ſiſtant ſimul, quales in peſtiferis Carbunculis frequenter viſas fuiſſe in Excellentisſimi *Dn. D. Rivini*, Facultatis Medicæ Lipſienſis Aſſeſſoris ſpectatiſſimi, Patroni ac Præceptoris mei omni honoris cultu obſervandi, Tractatu de Peſte Lipſienſi Anno 1680. edito me legiſſe memini, tunc ſuſpicio naſcetur, truncos majores arteriarum aut venarum ſimul inflammari: qualem etiam aliquando è pedis talo verſus ſuperiora extenſum à vulnere inflicto in ægro quodam vidi radium, qui præciſe illo in loco, quem venæ truncus aliàs obſervat, conſpiciebatur. Non itaque mirum, quod Vibices Gangrænæ imminentis non abſurda ſint ſigna, canales ſiquidem nutrimentum partibus advehentes, ac iterum reducentes tum ſunt affecti.

Cauſa. §. XIII. Sed ad Cauſarum examen progredior. Dictum eſt ſupra in Definitione morbi, circulationem ſangvinis, reliquorumque humorum impeditam & ſufflaminatam in locis affectis eſſe primario incuſandam. Cum enim naturæ leges interruptum omnino motum humorum & præprimis ſangvinis pro publico æque ac privato omnium omnino partium emolumento ſemper poſcant in ſtatu naturali: ſubito ex tali intercepto circulo turbatur univerſæ noſtræ machinæ vigor, & inprimis ſubjectum phlegmones vexatur primò tumore, dolore, mox ardore, rubedine, ac tenſione. Cum enim Sangvis per minutisſimas fibrillas carneas ex arteriarum vaſis capillaribus egreſſus tranſeat rurſum ad oſtia venarum, (prout eleganter ſatis hoc negotium deſcripſit *Blancardus* in Appendice ad Anatom. Practicam,) & in via intercipiatur, propter continuum arterioſi ſangvinis appulſum fieri nequit, quin locus iſte rubore ſuffuſus intumeſcere cogatur.

§. XIV. Quandoquidem autem ejusmodi dilatatio p. n. tubulorum minutiſſimorum non ſine moleſtia fiat, hinc facile quoque cauſa doloris, circa principium quidem non adeo exquiſiti, mox tamen, quando in diuturniore mora ſeroſæ ſangvinis partes extravaſantur, & motu denegato corrumpuntur, ac acorem manifeſtiſſimum contrahunt, ſatis intenſi & acuti, reddi poteſt. Quæ enim partes prius diſtentæ erant, ac gravativo dolore affectæ, nunc à ſalibus admorſæ, & tantum non dialaceratæ magis ſentiunt hanc injuriam, ſpeciatim ſi nervoſæ, tendinoſæ, ac membranaceæ ſint: tum enim quod intus concluſum eſt impetum faciens principium, quod aliqui Archeum, ſpiritum vitalem &c. appellant, irritatum in ultionem (ut ſtylo Helmontiano utar,) hujus injuriæ ſurgit, unde magis magisque partes illæ conſtringuntur & criſpantur, ita ut inſveta durities, & tenſio maxima poſthac ſuperveniat. *ratio do-ris.*

§. XV. Dum igitur hæc fiunt, ſpiritus intra partes nerveas ac tendineas habitans indeſinenter ſic irritatus, quaquaverſum impetuoſiori curſu ruit, ſuosque ſocios ad univerſalem ſeditionem exſuſcitat, (ſunt iterum verba *Helmontii*,) hincque totius corporis æſtus ac febris cum ſuis ſymptomati- *aliorum ptomati*

matibus dependet : nec eſt mirum, ſi præſertim tempore æſtivo agrypnia, pulſusque magnus & celer, deliriumque ſuperveniant : in confeſſo ſiquidem eſt, ab irregulari exagitatione noſtri impetum facientis principii cuncta hæc phænomena produci. Præterea ægros ſitis inſatiabilis vexat tum temporis : ſecretio namque Lymphæ ſalivalis ob ſpirituum p. n. orgasmum penitus tum temporis ceſſat. Quod vero urina valde rubeat, id ſalinis ac ſulphureis particulis intimius excrementitio ſero per motum ejusmodi ſangvinis auctum unitis, ac exaltatis unice acceptum ferendum eſt.

[T]moris. §. XVI. Tumor œdematoſus, qui quandoque conjunctus phlegmonæ obſervatur, ab abundantia glutinoſarum ſangvinis partium provenit, quæ à fibris nimium debilitatis repelli ad vaſa venoſa haud poſſunt. Veſiculæ vero ac puſtulæ in inflammatarum partium ſuperficie erumpentes à ſeri acrimonia cuticulam erodente naſcuntur, quod ipſum diutius in profundioribus inprimis locis ſtagnare coactum tandem in pus convertitur, abſceſſumque producit. Si autem accidat, ut, quod frequenter ſolet contingere, per Topica nimium refrigerantia, atque ſic ſuccos inſpiſſantia impediatur Evacuatio, quam Natura ſibi relicta alias moliri conſvevit, tunc à materia iſta condenſata ſcirrhoſus exſurgit, & ſæpe pene lapideam ſoliditatem præ ſe ferens Tumor. *[Gang]ræna.* Tandem, quod Gangrænam, quæ diutius protractæ Inflammationi interdum ſupervenire ſolet, attinet, ea nutrimenti ineptitudini, & nimiæ acrimoniæ adſcribi poteſt : ob quam cauſam fibræ non amplius nutritæ denique emoriuntur, quamvis & ipſæ nimium diſtentæ aliquid etiam habeant culpæ, dum hanc ob cauſam nullum amplius nutrimentum admittunt.

[C.]ante-[cede]ntes. §. XVII. Sed ſatis de his phænomenis : regredior ad Cauſas Inflammationis examinandas. Non enim ſufficit incuſaſſe impetum hunc ſangvinis : opus eſt quoque, ut in antecedentes pariter ac concurrentes Cauſas, à quibus ſangvinis circulo remora injicitur, inquiramus. Melioris doctrinæ gratia liceat mihi culpam transferre partim in Sangvinem ipſum, partim in fibras transmiſſioni ejus inſervientes.

§. XVIII. Ex vitio Sangvinis contingit primo, quando is vel ſola copia peccat. *Plethora* Multum profecto huic Cauſæ adſcripſere Veteres, ab illa primario dependere Inflammationem arbitrati : quibus tamen ſe ſtrenuè oppoſuit Celeberrimus, dum viveret, Medicus Dn. D. Bontekoë, im neuen Gebäu der Chirurgiæ *p. m. 294. & 356.* impugnans omnem omnino plethoram, & per conſequens effectum quoque ex illa deductum : cujus tamen placitis ſubſcribere minime poſſum, perſvaſus, ſigna certa hujus affectus, (quæ modo dictus Autor ſibi dari poſtulat,) ipſum à Cacochymia diſtingventia ex enormi vaſorum turgeſcentia vix unquam remittente haberi poſſe : quæ expanſio vaſorum p. n. neutiquam niſi poſt commiſſos in diæta errores, & illegitimum ſex rerum nonnaturalium uſum, motum ſcilicet nimium corporis, ſpirituoſorum acriumque aſſumptionem, aut in animi pathematibus præprimis obſervatur.

§. XIX. Præterea inflammationis ſæpe cauſa eſt ſpiſſitudo inſolens, ſive *Sangvinis craſſities.* p. n. craſſities in ſangvine apparens : id quod evenit quandoque poſt ſudores nimios, Diarrhœam diuturnam, nimiam ſeri per urinam ſecretionem, ſalivationem, defectum potus, unde fit, ut penuria ſeri in ſangvine ſubſequatur, adeoque ſic reliquæ ſpiſſiores particulæ vix ac ne vix quidem per tam exiguos canales transcolari poſſint. Mentionem hujus cauſæ fecerunt antiquiores Practici, utut ſub alio nomine : Quam enim à bile, vel ut alii loquuntur, ab Intemperie Sangvinis ſicca & calida deduxerunt, illam à commemorata cauſa parum vel nihil differre facile unusquisque videt : conſentit ſiquidem vetuſtas cum noſtro ævo in hoc, quod bilem pro ſangvinis parte crasſiore habeat. Non igitur niſi circa no-

nomen ſaltim differentia quædam intercedit.

Grumi. §. XX. Tertium Sangvinis vitium in grumoſitate & coagulatione ipſius latet. Craſin enim naturalem quamdiu obſervat ſangvis, tamdiu ipſi ineſt fluiditas, quæ citra moram per poros minutiſſimos, vel juxta modernorum inprimis Blancardi opinionem, per fibrillas anguſtiſſimas ſeſe prodit: Multas ob cauſas ſangvis hoc contrahit vitium: nunc enim per acidum quoddam vitioſum una cum Chylo per vaſa lactea ad reliquam maſſam delatum grumeſcit cruor, conſimili pene modo, ac ab acido aliquo lacti inſtillato caſeoſam ejus partem à ſero præcipitari obſervamus. Sæpiſſime hinc per V. S. Sangvis in pleuritide extractus hoc ſchemate poſt aliquam temporis moram apparuit, penitus hoc ipſo ab alio extravaſato cruore diſtinctus: de cujus phænomeni veritate ſi quis adhuc dubitet, illi autor ſum, ut recenter emiſſo è venis ſangvini quantitatem aliquam ſpiritus cujusdam acidi inſtillet: ſic in momento tota maſſa omni fluxibilitate depoſita craſſitiem, & piceam ſimul nigredinem acqviret: imo nec tincta ſolum Sangvinis pars per hoc experimentum grumeſcet, ſed etiam ejus ſerum ante tenuiſſimum conſimilem induet ſpiſſitudinem caſeoſam. Conferantur, ſi lubet, Boylei experimenta circa ſangvinis naturam inſtituta.

cauſa grumorum ac coaguli &c.

nunc acidum eſt.

§. XXI. Ex dictis itaque facile patet, quod quælibet acida, v. g. ſuccus citri, ribium, berberum, ceraſorum acidorum, & ſim. quæ ſæpe loco alimenti aut ſaltem condimenti aſſumuntur, valde noxia ſint, immoderate præſertim ingeſta. Referri huc etiam poteſt potus vini, inprimis aciduli, aut ſaltim facile aceſcentis, quod ad Sangvinis coagulationem non parum contribuit: Miror proin, quomodo ſe excuſare poſſit Overkampius im neuen Chirurgiſchen Gebäude/ præſente jam Inflammatione non ſolum vini potum admittens, verum etiam imperans, rationem quidem hanc affert: volatiles vini partes facere ad reſolutionem ſangvinis grumefacti, ſimulque ad ſpirituum reſtitutionem, de quibus nunquam non ſollicitus eſſe debet Medicus. Nihilominus aciditas, quæ ſimul cum volatilibus particulis ſangvini admiſcetur, contra indicans mihi videtur tam validum, ut neutiquam putem, tutum & convenientem ipſius eſſe uſum.

§. XXII. Sed præter hanc aciditatem ad coagulationem ſangvinis etiam facit ſpirituum receſſio ex poris ipſius: Non opus eſſe puto, ut prolixe probem, inexiſtere tale impetum faciens principium, & ab ejus inhabitatione fluxibilitatem conciliari debitam ſangvini: vix enim exiſtimo â quopiam negatri tale internum motus principium poſſe, cum inteſtinus ille motus Sangvinis nonniſi ab ejusmodi activa ac elaſtica ſubſtantia produci poſſit. Suppoſito igitur hoc interno motus & activitatis principio, ſi illud deſeruerit ſangvinem, certo certius in grumos abibit. Probationis loco iterum provoco ad ſangvinem ex homine etiam ſaniſſimo extractum, qui ſimul ac per tantillum temporis in pelvi ſteterit, loco fluoris priſtini maſſæ ſolidæ ac cohæreſcentis formam aſſumit. Sponte ſiquidem, quæ antehac ab ejusmodi activo interpoſito corpore diſtentæ erant fibrillæ ſangvinis minutiſſimæ, poſt fugam Spirituum ſe conſtringunt, hincque ſerum interpoſitum exprimunt, & ad ſuperficiem hujus coaguli pellunt, ſimili pene modo, ac videmus è ſpongia omnem, quam pori ejus antehac ſuxerant, aquæ copiam per compresſionem violentam exturbari & ejici.

nunc S... tuum r... ſio.

§. XXIII. Pellunt vero hanc ipſam Impetum facientem partem è ſangvine duæ potiſſimum cauſæ, nimirum frigus externum & Animi Pathemata. Quoad frigus, in propatulo eſt ejus vehemens atrocia, quam hiemali tempore omnes, inprimis autem Climatis Borealis incolæ maxima cum moleſtia perferre coguntur. Utut vero nemo facile hanc ipſam frigoris vim vocaverit in dubium, nondum tamen a Phyſicis hujus ætiologia ſufficienter eſt explicata. Quidam enim volunt, ex remotione ſola caloris oriri fri-

ex anim... themat... ac frig...

frigus, & ſic realitatem nullam concedi debere frigori putant. Aſt ſi vera hæc eſſet aſſertio, non Entis nullæ quoque eſſent affectiones, hincque nulla poſſet corpori noſtro accedere moleſtia ex ejus inclementia, quod tamen contra experientiam eſt: Alii quærunt in quibusdam particulis ad Salis communis aut ad Acidi cujusdam naturam accedentibus formalitatem frigoris, verum dicunt id ſolummodo, non ſufficienter probant: Rurſum alii ſunt, (quæ omnium recentiſſima eſt opinio,) qui in rectilineo ſolum, ſed impetuoſo atomorum aëréarum motu frigoris eſſe cauſam quærendam defendunt, comprobantes hoc ipſum flatu oris, vel flabellatione aëris, ubi in momento ex tali ad lineam rectam commotione frigus excitatur.

§. XXIV. Sed meum non eſt, has lites componere: ſufficit mihi pro confirmatione ipſius aſſerti Experientia. Certum eſt, vix unquam frequentius vexari partes reſpirationi inſervientes Inflammatione, peripnevmoniâ, pleuritide, & ſim. quam hiemali tempore, quando cum calore foci aut fornacis aërem frigidum frequenter & ſubito mutare coguntur homines.

§. XXV. Quod vero animi pathemata concernit, quæ inter cauſas coagulationis ſangvinis etiam retuli, probe notandum venit, non quasvis perturbationes animi heic â me notari, ſed illas potiſſimum, ubi objectum aliquod malum ſeu triſte animo offertur. Prout vero hic maxima intercedit differentia, tam ratione ipſius objecti, quod plus vel minus adverſum nobis eſt, quàm ratione modi, dum quædam ex improviſo & in præſenti ſiſtuntur: quædam vero in futuro timentur, ita diverſis non ſolum ſalutantur nominibus, verum etiam diverſimode agunt in ſangvinem. Si præſens fuerit, & quidem citra omnem exſpectationem offeratur objectum triſte, terror inde naſcitur, apprime faciens ad coagulationem ſangvinis. Si opus eſſet, poſſem per exempla varia fidem dictorum comprobare, quomodo ſcilicet tonans ac fulminans Jupiter, ſpectri apparitio, explosio bombardæ à tergo, inſperata Incendii relatio & ſexcenta alia per terrorem incuſſum Inflammationem produxerint: Verum hiſce vulgo etiam notiſſimis diutius inhærere nolo.

§. XXVI. Parili ratione, prout â præſenti ejusmodi objecto terror, ita à futuro & imminente pavor, metus ac timor proveniunt, quæ cuncta quid faciant ad Sangvinis ſtatum immutandum, lippis & tonſoribus notum eſt. Triſtitia quoque & mœror non raro inter antecedentes cauſas referri debent, quæ non ſecus ac præcedentia propter objectum minus jucundum, quod animo diutius, quam par eſt, obverſatur, avocant noſtri corporis activas particulas ab excubiis & operationibus naturalibus, adeoque etiam coagulationis ſangvinis cauſæ fieri poſſunt.

§. XXVII. His ita prælibatis pergo nunc ac fibras transcolationi ejus inſervientes: ſupra innui, poroſitatem quandam proportionatam in illis requiri, ut tranſire ſine impedimento valeant humores. Igitur ſi conſtringantur ac criſpentur iſtæ fibræ, ſtatim timenda eſt Inflammatio ob rationes ſupra datas. De cauſis itaque fibras dictas ad contractionem ejusmodi p. n. diſponentibus nunc ſolùm ſolicitus ero, quas modo externas, modo internas obſervo. Primô locô inter externas commemorabo contuſionem, ictum, caſum ab alto, fuſtigationem, & ſimilia, à quibus maxima injuria inferri poteſt fibris quibusvis corporis noſtri, ita ut facile ad criſpaturam diſponantur, inprimis accedente ſpirituum copioſiori affluxu. *Fibrarum criſpatura Inflammationem gignit*

§. XXIIX. Si unitas ſimul ſolvatur, res magis clara eſt; fibræ enim, quæ antehac chordarum ad inſtar expanſæ erant, accurtantur vere aliqua ejus portione disrupta, quod ipſum in nervis ac membranis diſſectis concipi pôteſt, præprimis ſi inæqualiter (quod potiſſimum in Contuſionibus contingit,) dividantur. Sed multum inſuper damni ſauciatis hiſce fibris accedit ab aëris frigidioris acceſſu utpote illis admodum infenſo, quapropter etiam ob ſolam negligentiam levioribus primo intuitu vulneribus Inflammatio non *cujus cauſæ externæ ſunt contuſio*

non raro ſe aſſociat ſatis moleſta ac periculoſa. Pertinet huc etiam nimia conſtrictio vulneris ope faſciarum facta: notanter dico nimiam, ab illa ſiquidem fibris non ſolum manifeſta infertur moleſtia, ſed ſæpius ita conſtringuntur, ut ſangvis retrogredi per viam conſvetam haud poſſit.

læſio quæcunque

§. XXIX. Inter cauſas externas reponere quoque placet quæcunque alia, vel cum vulnere inflicto ſimul corpori illata, vel in ipsô ex quocunque errore genita. Non igitur mirum, ſi globulus plumbeus è ſclopeto exploſus; aut ſi veſtium laciniæ vel arenæ copia, (quando forſan lapide petitus fuit æger,) intus hærentia, poſt ſe trahant Inflammationem. Nec ſola peregrina inter externa refero: nam exiſtimo, huc etiam pertinere fragmenta oſſium, imo etiam ſangvinem poſt extravaſationem coagulatum, â quibus æque inſignis irritatio fibrarum concitari poteſt.

apum & veſparum punctura

§. XXX. Obſcurum quibusdam videtur & difficile explicatu, quod poſt apum, veſparumque puncturam, ſcorpionis ictum, viperæ aut animalium rabidorum morſum, item poſt guttularum aliquot urinæ â glire aut bufone emiſſæ ſupra locum aliquem aſperſionem, adeo celeriter morbus noſter acceſſatur. Sed nulla hic reperitur difficultas, modo acrimoniam plus minus cauſticam ſimul cum ictu inſtillari ſupponamus: de urinæ acrimonia nemo facile dubitabit: quod autem puncturam apum & veſparum concernit, cum ictu ſimul guttulam liquoris cujusdam acidisſimi immitti Celeberrimus Ludovici *M. N. C. Dec. I. Aô IIX. Obſ. 67.* expertus refert. Conferatur etiam *Muys Chirurg. Ration. Dec. III. Obſ. 5.* A viperæ etiam morſu & ſcorpionis ictu ſimile quid contingere Rhedi & Charras Tr. de Viperarum morſu fuſius deducunt.

ſucci vegetabilium

§. XXXI. Poſſem quoque huc referre ſagittas, aut alia quævis arma veneno tincta, quæ inunctione ſuccorum ex certis vegetabilibus expreſſorum inficiunt Nationes quædam Barbaræ: item quomodo Cantharides, ol. Nicotianæ, aliaque deſtillata infinita acria externa noceant, ſed nimis prolixus eſſe nolo.

Cauſæ [internæ] bu[...] acrim[...]

§. XXXII. Pergo hinc ad Cauſas internas, quæ reſtare adhuc videntur. Cogor autem hic rurſum aculeatas particulas vel in ſangvine, vel extra illum in ipſis viſceribus, aliisque partibus ſolidis hærentes accuſare. Humorum igitur acrimonia ſcorbutica aut quævis alia agmen ducit merito: cum enim tum a Salibus ejusmodi hispidis tanquam haſtulis ac gladiolis pungantur continuo loca ſenſata, impoſſibile omnino eſt, ut illa citra criſpaturam & moleſtiam id ferant. Ex hac igitur cauſa ſurgit tumor inflammatorius in dolore dentium, Podagra, Arthritide, Iſchiadico malo, & ſimilibus affligens. Extra vero Sangvinem calculos vel aliam gypſeam ac Tartaream materiam in viſceribus & aliis partibus incuſo: quo magis hæc inæqualis ſunt aſperæ vel petroſæ naturæ, eo magis quoque pungent, & ob ſenſum valde dolorificum commoto ſangvine ad inflammationem diſponent: Exempla ſi deſideras, conſidera Nephriticos dolores, quos non raro inflammatio renum vel aliarum partium vicinarum ſtipare ſolet.

Calc[...]

Verm[...]

§. XXXIII. Non præteriri debent hac occaſione vermes, â quibus etiam productam Inflammationem obſervarunt Schenckius, aliique. Excitant vero illam, quatenus roſtellis ſuis acutis partium poros penetrant, ſæpiusque penitus illas dilacerant & diſcerpunt. Uti vero nulla prorſus cavitas ab his importunis hoſpitibus libera & tuta eſt: ita frequenter contingere ſolet, ut variæ partes ob noxam ab illis illatam Inflammationi ſint obnoxiæ.

Progn[...]

§. XXXIV. Sufficiat hæc de ætiologia adduxiſſe, è quâ facillime Prognoſis formari poteſt. Duplex vero cum ſit morborum eventus, bonus alter, alter malus: Bonus prædicendus erit, ſi materia peccans inſenſibiliter ſe reſolvi patiatur, vel ſuppuretur cum ſpe facillimæ excluſionis. Malus vero metuendus erit, ſi quidem Inflammatio ceſſet, ſuperveniāt autem ſymptomata gravia alia, Gangræna puta, ſcirrhus, & ſimilia. Præterea etiam

ſigna

ſigna eventus boni & mali hauriri poſſunt (1) ex ætate & temperamento ægri. In Juvene enim bonæ Conſtitutionis citius nobis promittimus optatam convaleſcentiam, quam in Sene, Cachectico, aut alio morbo laborante. (2) Partes læſæ conſiderandæ ſunt: In externis igitur occurrẽs inflammatio & præprimis carnoſis, vix quicquam monſtri alit, ſecus autem ſe res habet, ubi internæ, tendinoſæ, membranaceæ ac nervoſæ inflammatæ ſunt. (3) Magna Inflammatio plus minatur periculi, quam levis & parva. (4) Anni tempora quoque ſunt probe conſideranda, quæ enim æſtate ſub æſtuante Sirió naſcitur, citius degenerare ſolet, quam quæ vere & autumno ſub aëre temperatiore producitur.

ſi ex bora

§. XXXV. Sequitur nunc curatio: in hac primarium eſt indicatum ſangvinis ſtagnantis remotio: Conveniet autem ſemper pro diverſitate cauſarum proximarum variare Methodum medendi. Poſitô igitur, adeſſe Plethorã, habebis tum vix unquã magis conveniens remedium, quàm Venæſectionem: utpote cujus ope facile copia ſangvinis nimia pro lubitu imminui poteſt. Ab omnibus præteritorum ſeculorum Medicis hanc commendatam legimus: & licet ex ſola antiquitate veritatis infallibile argumentum minime ſumam: ſiquidem majores noſtri æque ac præſentis ævi Doctores homines fuerunt: nihilominus iſta tot ſeculorum experientia longe me audaciorem magisque certum reddit, adeo ut firmiter mihi perſvadeam, anteceſſores noſtros ratione & experientia ductos generoſum hoc remedium commendaſſe. Veniæ hinc locum futurum ſpero, ſi hoc in paſſu non ſubſcribam Helmontio, Bontekoe, Gehemæ, aliisque, quorum ultimus veſtigia priorum preſſe legens in Tractat. Germanicô, grauſame Mediciniſche Mord-Mittel/inſcriptô, admodum caperata fronte penitus ex foro Medico exterminare audet heroicum hoc præſidium, rationibus admodum debilibus ſuffultus.

§. XXXVI. Non tamen inſervit ſolummodo commendatum hoc remedium pro ſangvinis copia imminuenda, verum etiam, ſi ex alio Sangvinis vitio, craſſitie puta ac acrimonia ſtagnatio orta ſit, locum habet, vocarunt hanc V. S. rectiſſime Majores noſtri Revulſoriam ac Derivatoriam, h. e. avertentem & educentem à locô, ad quem tendit, & cui jam p. n. inhæret, ſimulque impedientem, ne affecta jam & debilis pars ſangvine magis infarciatur.

§. XXXVII. Nec obſtare videtur Circulatio ſangvinis, quam reclamare Neoterici dicunt: ſtante enim & iſta nil impedit, (utut majori paululum cum difficultate fiat,) revelli & derivari ſangvinem hac Chirurgica operatione poſſe, dum enim recedit Sangvinis portio è corpore, deplentur omnino non modo proximæ, ſed remotiori quoque in loco poſitæ venæ: ſicque fieri nequit, quin feliciter contingat Revulſio. Idem fere eſto judicium de Derivatione. Et ne fruſtra hæc dixiſſe videar, ad experimentum Dn. Heidii, quod in Anatomia Mytuli ſtatim circa initium obſervationum legitur, adhuc dubitantes remitto, ex quo per avtopſiam diſcent, quæ turbæ excitentur in vaſis ex Sangvinis detractione pauló largiori.

ſangvinis craſſitie

§. XXXVIII. Quia vero non ſola ſufficit V. S. neceſſe eſt, ut etiam ratio habeatur reliquarum ſangvinis conditionum. Poſito igitur ejus craſſitiem adeſſe, tum autor ſum, ut ad diluentia tanquam ad anchoram ſacram æger confugiat: ſola enim ſæpius Aqua copioſius hauſta, aut locô ejus *Decoctum aliquod medicamentoſum*, quocunque modo dilutum fuerit, conveniet. Si tali in caſu *decoctum vel infuſum foliorum Thee aut fructus Coffee*, famoſarum illarum deliciarum, quas China & Tartaria ad noſtras tranſmiſit oras, adhibere quis vellet, non contrarius eſſem, utut tum maximam partem à particulis Aqueis ſperatum effectum dependere exiſtimem.

Grumis

§. XXXIX. Quodſi de grumoſitate Sangvinis, quacunque etiam ex cauſa antecedente collecta ſuſpicio adſit, reſolventia ac diaphoretica merebuntur laudem. Sunt autem illa vel Fixiora, v. g. *lap. cancrorum*, *percar. raſur. dentis*

dentis apri, mandibul. luc. piſcis, ſangvis birci, rad. rub. Tinctor. Bezoard. Minerale, antimonium diaph. ſ. & martiale, quæ in vehiculo convenicnte & juſta doſi ſumantur; vel volatilia magis, quorſum *Tinct. Bezoardica, Mixtura ſimplex, ut & camphorata, Saliaque volatilia omnis generis*, pertinent: quibus nonnulli addunt olea deſtillata, v. g. *ſuccini, angelicæ, citri, ligni ſaſſafras* & ſimilia ad obſtructiones reſerandas: quæ olea calida an in omni inflammatione æque proſint, in medio relinquo.

ſpasmis §. XL. Ubi vero ſpasmus adeſt, & fibrarum criſpatura ex injuria externa trahens originem, fruſtra niſi ab antiſpasmodicis ſperabitur auxilium. Talia ſunt: *Liq. C. C. ſuccinat. Eſſent. Caſtorei, Rorismarin. Imperatoriæ, ſalviæ: Unicorn. ver. Raſur. Ungul. alcis, cinnab. nativ. præp. & antimonii*, & quæ ſunt alia, quibus majus robur accedit, ſi ubi opus eſt, cum *anodynis ac opiatis* judicioſe maritentur: ut autem à prioribus ob volatilitatem aut activitatem aliam, viæ ab intus concluſo ſangvine obſtructæ reſerentur: ita a poſterioribus obex Spiritibus impetuoſius, quam par eſt, tumultuantibus ponitur.

acrimonia §. XLI. Adverſus acrimoniam Sangvinis acidam, ſi ipſa in culpa ſit, propinanda ſunt abſorbentia & alterantia. Trahendus igitur hic eſt (1) exercitus terreorum, qualia ſunt *C. C. uſtum & ſ. igne præparat. Ebur. uſt. & ſine igne calcinat. mater perlarum, Corall. præparat. Conchæ margaritiferæ, Oſſ. ſep. bolus alba, margaritæ præparat*, & ſimilia. (2) Quæ alcalicæ ſunt naturæ, videlicet Salia *abſinth. Centaur. minor. Carduibenedict. Tartari*, æque ac volatilia *Spiritus Salis Ammoniaci, C. C. eſſentif.* &c. (3) *martialia, Crocus martis aperitiv. Zwelf. Vitriolum martis, liq. martis Eſſent. Vitrioli martis Solare Zwelf.* quæ cum *ſucco Cydon. pomor. Borsdorfianor.* aut *ceraſorum* parata eſt. Pertinet huc quoque acidularum potus, Acidi hujus certiſſimus ac tutiſſimus rhizotomus.

Calculo §. XLII. Ne vero ſine ſolatio maneant, qui Nephritidem ex Calculi aſperitate contraxerunt, illis præſcribenda ſunt, quæ blande hoſpitē illum importunum exturbare juxta, ac factam jam læſionem removere valeant. Præ aliis ſeligo nitrata quævis: nitrum *ſcil. purum, Lap. Prunell. Nitrum. arcan. duplicat.* ex commendatione *Hartmanni, p. m. 249.* aut *ſuccum Oculorum cancrorum fluviatilium* quem valde proficuum in mea Praxi expertus ſum, & Emulſiones ex *ſemin. frigid. 4. major. papav. alb. violarum ſ. q. Aquæ Nymphææ & papaver. factas* cum addito *ſach. Saturni* momento: quibus Joël in ſua Praxi non ſine cauſa facultatem inſignem in hoc caſu adſcribit.

§. XLIII. Laudari à Practicis novi Clyſmata ex Emollientibus plantis ſero lactis incoctis parata, quibus Terebinthina & ovorum vitella admixta: aut pro ſcopo magis anodyno capita papaveris incocta ſunt: quæ licet locum affectum non attingant, adeoque incaſſum adhiberi videantur, non tn. propterea negligi debent, cum ſæpe maximo cum fructu illa adhibita fuisſe teſtetur experientia.

§. XLIV. Similiter ſpecificis remediis curam ſuſcipere cogimur, ſi a vermibus Inteſtina aut alia loca pungi contingat. Præter uſitata amaricantia remedia, *myrrham* puta, *abſinthium, centaur. min. ſem. ſantonic. tanacet. nucl. perſic. ſcord. rad. filicis, hyperic.* etiam *Tartarus Vitriolatus* & varia *mercurialia* remedia heic locum habent, quibus vermes non ſolum ex corpore eliminantur, verum etiam omnis inde reſultans noxa feliciter prohibetur. *Vermi[...] malum venit*

§. XLV. Sufficere hæc remedia poſſunt pro uſu interno. Progreſſum itaque nunc facio ad Topica ſeu externa, quæ pariter diverſis Indicationibus ſatisfaciunt. In morbi principio ex priſcorum placitis Ἀποκρουστικὰ, Latinis *repellentia* dicta, h. e. talia medicamenta, quæ refrigerandi & ſimul adſtringendi facultate prædita, fervorem & affluxum humorum reprimendo, ac poros & meatus claudendo, intumeſcentiā partis imminuunt, & allabentes humores aliorſum pellunt, poſſunt adhi- *Remedia [...]terna Repellen[...]*

adhiberi: qualia ſunt, quæ parantur *ex ſemperviv. umbilico Veneris, portulacâ, lactucâ, ſolano, ſucco cucurbitæ, lent. paluſtr. nymphæâ, phyllio & ſim.* quibus nonnulli addunt *radic. biſtort. ſangviſorb. cort. granat. fol. querc. myrti, ſalicis, flor. balauſt. roſar. rubr. acaciæ, ſem. Sumach, myrtillos & corn. exſiccat: Gallas, nuc. Cupreſſi, Sangvinem Draconis, Bolum tam vulgarem, quam Armenam, terram ſigill. Ol. ſacch. Saturni*, quæ vel in Aceto vel vino auſtero decocta aut ſub Epithematis aut Cataplaſmatis forma loco affecto imponi poſſunt.

§. XLVI. Pertinet huc quoque *ſuccus plantag. acetoſæ, intybi, fol. braſſicæ, atripl. viol.* & ſimilia: quo etiam refertur *Aqua frigida*. Miris convicijs hæc remedia proſcindit Dn. D. *Bontekoe* in ſua Chirurgia, ejusque ſectactor *Overkamp*, qui verbis expreſſis hæc remedia inter abſurdiſſima referunt, Medicos ac Chirurgos iſta adhibentes impoſtorum ac peſſimorum nequam Catalogo inſerentes: ſed hi, quæſo, mihi ignoſcant, ſi nimis durum hoc ipſorum effatum dixero: rationes ſiquidem ab ipſis allatæ levis armaturæ, & non magni momenti ſunt.

§. XLVII. Ipſos ſi adeamus antiquos, videmus, illos non temere & promiſcue hæc Repellentia inculcare: rejiciunt enim iſta (1) in Inflammationibus criticis, in quibus Naturæ ope peccaminoſa materia foras propulſa eſt, alioquin Medicus, qui Miniſter Naturæ eſſe debebat, incaute repellentia adhibendo illius evaderet adverſarius. Negant (2) ipſa habere locum, ſi à cauſa externa venenatâ, v. g. morſu viperæ, aut canis rabidi, phlegmone dependeat. (3) Quando humoribus repulſionem non admittentibus, h. e. pituitoſis ſcatet corpus, quales in Cachexia pituitoſa apparent (4) Quando ſummus dolor ſimul conjunctus, & metuendnm eſt, ne per repellentia magis incraſſata materia firmius poſtmodum inhæreat parti affectæ cum ipſius damno irreparabili. His & aliis adhibitis cautelis tuto vocabit iſta in ſubſidium, nihilque omnino has calumnias curabit rationalis Chirurgus.

§. XLVIII. Fateor tamen ultrò, vix ſola hæc ſufficere, ſed opus eſſe, ut Chirurgus adhibeat etiam *reſolventia*, pariter ac *anodyna*, neceſſitate urgente. Ex prima claſſe ſunt *ſpir. vin. camphorat. rad. Ariſtol. rotund. Bryon. Ireos Florentin. Herb. Marrub. Hyſſop. Rorismarin. Agrimon. Abſinth. fl. Hyperici, ſem. Carvi, Cumini, Aniſ. Aneth. fœn. Græc. Bacc. Juniperi, Lauri.* Alteri ſcopo inſerviunt *radic. Lil. alb. Hyoſcyami. Herb. malv. verben. Paridis, flor. ſambuc. verben. papav. errat. chamomillæ farin. ſem. lin. & lupinorum, crocus* denique, ac tandem, ubi narcoticis opus, ipſum *opium*: Ex quorum natura ſtatim pateſcit operandi ratio: agunt enim quædam in humores viſcidos, qui ſtagnatione longâ coagulati & inſpiſſati ſunt: Quædam vero demulcendo Salia peregrina, aut lubricitando fibras motrices exſiccatas, & denique ligando irritatos Spiritus operationem ſuam abſolvunt.

§. XLIX. Nonnulli Practici heic extollunt *oleoſa*, partibus affectis in morbi ſtatu inuncta, v. g. *ol. Nymph. Roſarum, Cydonior. Lilior. albor. Hyperici, Maſtiches, Lumbr. terreſtr.* &c. Verum de iſtis alii non adeo bene ſentiunt, metuentes ex illorum particulis ramoſis ac viſcidioribus, neſcio quas, obſtructiones pororum, & inde nova damna. Aſt nolim propterea penitus è numero Medicamentorum exturbari illa, quæ cum judicio adhibita utilitatem aliquam afferre poſſunt. Eſto enim, quod oblinant poros, impediantque tranſpirationem Maſſæ Sangvineæ, jamdum viſciditatis vitio peccantis, non tamen ob ſolam hanc cauſam ceſſabit omnis illorum virtus: nam ſi ab acrimonia humorum, ſpaſmoque fibrarum cauſa morbi dependeat, commodè in uſum trahi poſſunt. Vide, quæ de his proferat *Heide* in Obſervationibus Tractatui de Mytuli Anatome annexis.

§. L. Præmiſſis his facili opere erui poſſunt in ſpecialibus caſibus conferentia externa: Quod ſi enim ab aëris frigidioris appulſu vel in partibus integris vel ſauciatis oriri obſervamus phlegmonem, tum ſine dubio convenient, quæ virtutem frigus rurſum e

poris ejiciendi poſſident: qualia ſunt *nervina* modo recenſita, quæ ratione acrium ac activarum ſuarum particularum certo ſe commendabunt. Si a faſciis nimis arcte conſtrictis Inflammationem factam obſervaveris, fac ut laxius paululum illæ circumligentur, ſic impedimentô remotô tranſibit ſpontè Sangvis. Removenda etiam ſunt peregrina corpora vulneribus inhærentia, volſellis, inſtrumentisq; aliis debitis, de quibus conſuli poſſunt Chirurgi, tam antiquiores quam moderni. Cave modo, ne durius, quam par eſt, tractentur iſta loca, aut, quæ adhuc quodammodo cohærent, cum aliis violenter trahantur.

Cura inflammationis ex venenatis ictibus.

§. LI. Reſtant adhuc inflammationes ex Apum ac Scorpionum ictu, viperarumque morſu, ſagittarum, item aliorum corporum venenoſitate & acrimonia vulneribus immiſsâ productæ: quæ videlicet peculiarem methodum medendi poſtulare videntur, cum veneni extractionem indicent, aut ſaltim ejus mitigationem ac cicuratione. Optandũ ſane eſſet, vera ſcripſiſſe *Galen. lib. 1. c. 14. de Fac. Natur.* ubi ſtatuit, quod dentur nonnulla medicamenta, quæ eâdem ratione venenum attrahant, qua magnes ferrum: Sed talia cum hucusque non innotuerint, nihil quoque ſolatii ſpondent.

§. LII. Equidem ſpem ejusmodi antidoti Anno 1662. reduces ex India Orientali *Patres aliquot Ordinis S. Franciſci* denuo fecerunt, curioſos lapides, quos (*Cobras de Cabalo* vocant Luſitani,) ſecum afferentes, ex capite, prout affirmabant, ſerpentis cujusdam exemptos, facultate illa præditos, ut morſui viperarum, aſpidum & quorumcunque aliorum animalium, quæ dentib9 vel aculeo inficiunt, nec non vulneribus a ſagittis venenatis inflictis impoſiti certiſſimum ſuppeditent remedium. Verum & illi lapides fallaci ſpe lactarunt ipſos, prout oculatus teſtis *Fr. Rhedi* in ſuis experimentis circa res naturales ſtatim circa ipſorum initium prolixe refert. Vid. de his pluribus differentem in *Amœn. Mater. Med. p. 339. & 340. Magnificum & Excellentiſſ. Dn. D. Wedel. Conſil. Saxon. P. P. & p. t.* Academiæ Salanæ Pro-Rectorem, Patronum meum omni obſervantiæ cultu ætatem devenerandum.

§. LIII. Igitur pro obtinenda intentione propoſita dilatari vulnus quodammodo, & ſi cruor jam ſtillare ceſſarit, locus affectus confricari debet, quô cum ſangvine exſtillante via pateat veneno intus latitanti: nondum ſi iſta ſufficiant, cucurbitulæ ſupra vulnus affigantur, vel *ſinapios* ſemen contuſum aut cataplaſma ex *cepis*, *allio*, *ruta*, *ſalvia & rad. ſcorzoneræ* factum imponatur. Jubent alii, ut halecis fruſtum ſtatim poſt ictum imponatur, aut urina locus abluatur. Alii ſingularem virtutem *Ligni Gvajaci reſinæ* impoſitæ, & *cineribus cancrorum uſtis* adſcribunt, inprimis ſi a canis rabidi morſu vulnus inflictum fuerit. Procul dubio omnium operandi ratio eſt una: quicquid enim agunt, ab acrimonia ipſorum dependet, cujus ope alliciuntur humores ad vulneris labia.

§. LIV. Neque aliam credo ſubeſſe Curationis Cauſam, ſi Scorpio icens in flagranti delicto deprehenſus, contuſusque vulneri imponatur: aut ſi crines canis rabidi vulneri immittantur: ab utroque enim teneræ vulneris partes irritatæ ac lancinatæ venenum ictu vel morſu communicatum non tam facile ad interiora admittunt.

§. LV. His peractis, ſufficienterque ſic evacuatis humoribus inquinatis, ad reſidui correctionem deveniri poteſt. Triticum hinc aliqui laudant maſticatum, ſi imponatur, aut panis fruſtum oleo imbutum, & quæ ſunt plura, à quibus involvi Salium peregrinorum aculei reſtitantes in vulnere penitus poſſunt.

Cura in... mati... ſuppur...

§. LVI. Sequitur tandem Inflammationis in abſceſſum tendentis curatio, quæ maximam partem in eo eſt poſita, ut acriori ac putridæ lymphæ paretur exitus. Sponte equidem aliquando ſine Chirurgi cooperatione perficit Natura hunc laborem: imbecillior tamen ſi illa fuerit, *emollientibus* Cataplaſmatibus ex *alth. lil. alb. malv. branc. urſin. viol. ſem.*

fœnu

fœnugræc. linique cum ol. chamomill. lilior. albor. ſcorpion. butyro non ſalito factis, vel *Emplaſtro diachylo ſine Gumm.* aut *meliloto* ſuperimpoſitis levatur. Si ab his nondum obtineatur deſideratum ſolatium, ad *Attrahentia* & abſceſſum rumpentia eſt deveniendum: ſunt autem talia: *Emplaſtr. diachylon c. gumm: de Gumm. armoniaco, magnet. arſenical. Ungventum de bdellio* & ſimil. quibus ſi dolor nimium urgeat, *ol. Hyoſcyami & Hyperici, ut & crocata* admiſceri poſſunt.

§. LVII. Si adhuc rebellis maneat abſceſſus, *cauſtica* erunt uſurpanda: v. g. *ſtercus columbin. & gallinaceum, pix euphorb. ſagapen. alcalia cum calce viva uſta, butyr. antimonii,* aliaque: quorum mordacitate pene ignea facile corrodentur integumenta pus concludentia: ſed longe citius ruptionem iſtam impetramus ſcalpelli cuſpide, quæ tumoris parti molliori levi manu immiſſa in momento puri exitum concedit.

§. LIIX. His itaque peractis, nihil reſtat amplius, quàm ut expreſſo prius blanda manu pure ac mundificato paululum ulcere per linteamina carpta ſtylo alligata, *digeſtiva* & *abſtergentia* uſurpentur: : nempe *ungvent. ex vitell. ovorum, terebinthina & ol. roſato:* vel *mel ſimplex aut roſatum,* vel *balſamum Peruvianum nigrum.* Mitioribus his non ſufficientibus *Ungvent. Apoſtol.* vel *fuſcum Felicis Würzii,* imo, ſi admodum rebelle fuerit malum, *Ægyptiacum* etiam adhiberi poterit: quæ omnia exercitati Chirurgi officio committuntur.

§. LIX. Diæta conſiſtit in recto & legitimo ſex rerum naturalium uſu. Diæta. Aër itaque, in quo verſatur æger, temperatus; cibus εὐπεπτ☉ eſto: vitentur alimenta calida, aromatiſata, acria & viſcida: Vinum non concedatur, niſi oligophorum: hujus locum ſuppleat Cereviſia bonæ notæ: Motus non ſit vehemens, ne humores magis accendantur: nec quies ſit nimia ne humores torpidiores & ad ſtagnationem procliviores reddantur. Somnus & vigiliæ, πάντα μέτρια: Animi vehementiora pathemata, inprimis ira, proſcribenda. Alvus quotidie ſit aperta: talis ſi non ſit, lenientia, clyſteres, ſuppoſitoria uſurpanda. Venus cum heic valde ſit noxia, fugienda.

§. LX. Sed manum de tabula: nihil nunc amplius ſupereſt, quam ut veniam errorum, aut non ſufficienter explicatorum à B. L. obnixe exorem. Quemadmodum enim quondam Athenienſium lege cautum erat, ut primitus exhibita nulla exploderetur fabula, quod primo conatui favendum judicarent: ita nullus dubito, quin idem ſim impetraturus à B. L. quem divinæ tutelæ commendo.

TANTUM.



DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Trigeſima prima:
De
PLEURITIDE.

§. I.

Onomatologia. ABsque omnibus verborum & procœmii ambagibꝰſtatim, more hactenus in Scholis ſtricte ſervato, ad ὀνοματολογίαν properamus. Pleuritis autem nomen a loco affecto ſortita eſt, nimirum a pleura, quæ eſt membrana, thoracis cavitatem ſuccingens. vid. *Blancard. Anat. reform. P. 2. p. 274.* aliique Anatomici. Græce dicitur πλευρὰ, latus, ut πλευρῖτις, ſubintelligendo νόσος, Latine morbum lateralem ſignificet.

§. II. Homonymia cum nulla occurrat removenda, paucis tantum ſynonymiam attingamus. Ab Avenzoaris Interpretibus vocatur Pleuriſis: Celſo audit lateralis dolor, aliis morbus coſtalis & lateralis. vid. *Foreſt. lib. 16, obſ. 26. Opſopœus Hipp. Interpres in lib. 6. aphor. 33.*

Definitio. §. III. Sed miſſa nominali hac tractatione, realem potius aggredimur, talemque damus definitionem: Pleuritis eſt dolor lateris punctorius, conjunctus cum febre acuta, tuſſi & hæmoptyſi, ex pleuræ & muſculorum intercoſtalium inflammatione dependens.

doloris natura. §. IV. Conſiſtit igitur moleſtia noſtri morbi in dolore, qui, cum alias multiplex omnino ſit, nunc ardens, lancinans, gravativus, tenſivus &c. determinari utique debuit; hinc conſulto punctorii voculam adjeci, utpote qua ſatis accuratè ſenſationis hujus triſtis natura exprimitur. Vere enim toties, quoties dilatant ægrotantes thoracem, non ſecus, ac ſi ictu gladii vel alius inſtrumenti acuti eſſent tacti, dolorem hunc deſcribunt: es ſticht ſie auff der Bruſt.

Subjectum. §. V. Pars affecta, ſeu ſubjectum eſt pleura & muſculi intercoſtales: impoſſibile enim eſſe cum *Dn. D. Waldſchmidio Pr. p. 387.* duco inflammari poſſe membranam, non inflammatis ſimul muſculis, eos cingentem. Sæpiſſime etiam cum pleura pulmones inflammantur, & tunc Pleuropnevmonia affectus dicitur; interdum etiam mediaſtinum, quod pleura continuata & duplicata conſtituit: aliquando Diaphragma ſimul afficitur & *Salmuth* cum pleura pericardium pure plenum offendit, *cent. 1. obſ. 15.*

Pleuriti[s] cum Pl[europ]pnevmo[nia] confuſ[a]. §. VI. Non equidem ignoro plurimos Neotericorum ſtatuere, ſemper cum pleura ſimul pulmones affici, atque hoc modo pleuritidem & pleuropnevmoniam confundere, multos vero ſolos pulmones tanquam ſubjectum defendere; hi partim autoritatibus *Hippocratis, Demetrii Herophili, Celſi, Fel. Plateri:* illi vero *Joh. Zechii conſ. 26. append. Hechſteteri dec. 7. caſ. 4.* aliorumque; partim etiam rationibus nituntur. Verum enim vero non eo inficias, ſæpiſſime pulmones ſimul contactu infici, & non raro in iis inprimis ſubjectis, ubi pulmones cum pleura cohæreſcunt, morbos hoscomplicari, cujus rei exemplum Nobiliſſ. D. D. J. C. Zopffius, Illuſtrium Comitum Ruthen. Archiater & Phyſicus Geranus, in milite Naundorfi d. 17. Maj. diſſecto animadvertit, in cujus cadavere non tantum pleura cum mediaſtino dextri lateris usque ad ſpinam dorſi a coſta ſecunda ad octavam usque ſeparata, & materiæ viſcidæ purulentæ pondo iiij, & ultra erat referta, ſed mediaſtinum quoque ac dexter pulmonum lobus, qui pleuræ ac mediaſtino adhærebat, pure copioſo infarctus conſpiciebatur. vid. & *Bonet. Sepulchret. lib. 2. ſect. 4. obſ. 20.* Nihilominus ſicut hæc pulmonum & pleuræ cohæſio non eſt perpetua, ita nec pleuræ inflamma-

flammatio cum pulmonum inflammatione ſemper eſt conjuncta.

§. VII. Ne tamen tacuiſſe plane ad argumenta adverſariorum videamur, autoritatibus illorum autoritates *Williſii pharm. rat. lib. 2. ſect. 1. cap. 9. Riolan. anthrop. Lib. 3. cap. 5. River. Pr. Lib. 7. cap. 2. Bonet. Sepulchr. Lib. 2. Sect. 4. obſerv. 14. & 20.* aliorumque opponimus. Ad rationes vero, quaſi materia adeo viſcida è pleura ad pulmones transſudare, nec alio modo tranſilire poſſit, reſpondemus, vias detegiſſe *Miſc. N. C. Dec. 1. An. 3. obſerv. 213.* ſcilicet ex pleura per ἄζυγον in cavam, pronoque impetu per dextrum cordis ventriculum in arteriam pulmonalem, adeoque ad pulmones regurgitare, atque ex his ab aſperæ arteriæ radicibus abſorberi mox per tuſſim rejiciendam materiam. Reliqua à loci anguſtia, puris copia & pleuræ tenuitate deducta argumenta, aliaque, quæ ordine refutare charta non admittit, ſuperius §. VI. allegata obſervatio Anatomica, it. *Riolanus l. c. Sennertus* atque *Riverius* locis ſuis exarmant.

§. VIII. Hæc de Subjecto. Symptomata ſunt in principio rigor ſeu horror, quem interdum elapſis paucis horulis, interdum etiam ſerius excipit dolor punctorius, qui nunc verſus ſcapulas, ſpinam aut anteriora pectoris tendit. Sequitur poſtea calor ſitisque, inquietudo, cephalalgia, agrypnia cum inſomniis turbulentis, delirium cæteraque febrium ſymptomata. Juncta eſt his tuſſis crebra magno cum cruciatu. Sputum ab initio paucum & tenue eſt, ſangvineis ſtriis quodammodo pictum, ſed creſcente morbo copioſius, & magis concoctum, cruoreque egregie tinctum apparet. Febris interea pari paſſu procedit cum ipſo morbo, & prout dolor & ſymptomata creſcunt & decreſcunt, augmentum quoque capit aut imminuitur.

§. IX. Cauſæ morborum, quarum cognitio veros Medicos ab Empiricis diſtingvit, aliæ ſunt propinquæ, aliæ remotæ. Propinquæ iterum duplices ſunt, vel proximæ ſeu immediatæ, vel antecedentes ſeu mediatæ. Antecedens noſtri affectus cauſa eſt affluxus humorum, in pleura, aut quantitate, ut in plethora, aut qualitate, ut in Cachexia &c. peccantium: Affluunt autem humores per arterias inprimis intercoſtales & mammarias. Cauſa pleuritidis proxima ſimpliciter eſt ſangvis intra pleuram & muſculos intercoſtales coactus, ſtagnans & acrior redditus. *proxima.*

§. X. Cauſæ remotæ, occaſionales à *Thomſon acu magn. p. 11. ſeqq.* appellatæ, plures dantur, in tres claſſes à me diſtribuendæ. In quarum prima, naturalium ſcilicet claſſe, ſolam allegabo ætatem. Juvenilis quidem minus juxta *Ballon.* huic morbo eſt obnoxia, plane tamen non eximitur, ſiquidem aliquoties auxilium exquiſivit meum. Conſtans autem ætas, in qua ſangvis abundantior, & per conſequens affluxus p. n. facile fieri poteſt, punctiones has magis ſentit. *Hippocr. aphor. 30. lib. 3.* Imo nec ſenilis ætas hic excluſa eſt, dubio procul propter cruditates viſcidas & pituitoſas, in ventriculo à digeſtione decreſcente collectas & cum M. S. ad pectus delatas. *Remotarum claſſis prima.*

§. XI. Sequuntur in ſecunda claſſe cauſarum remotarum Pleuritidis VI. Non-naturales, ubi primo ſe ſiſtit Aër. Hic quia nos indifferenter ambit, inſigniter alterare corpus noſtrum poteſt, ita ut non modo ad vitam & ſanitatem ſervandam, ſed & ad morbos mortemque ipſam inferendam, plurimum faciat, quod in pleuriticis exemplis manifeſtum eſt. Aër autem non ſolum frigidus & aquilonius, auſtrali inprimis ſuccedens, aut quocunque etiam tempore mutatio ejus ſubitanea è loco calido in frigidum pleuritidem producere ſufficiens eſt; ſed etiam ſubitus calor intenſivus & diuturnum frigus excipiens, qualis inter ver & æſtatem ſæpe contingit. Imo ab hoc illove manifeſto Aëris temperamento Pleuritis Epidemica annotata eſt ab oculatiſſimo *Sydenh. ſect. 5. cap. 5. & ſect. 6. c. 3.* vid. & *Baron. de Peripnevm. in præfat. & c. 1.* *Secunda in qua aer,*

§. XII. Cibi & potus erroribus non parva hic quoque vis ineſt. Quæcunque enim humores viſcidos & acres reddunt, atq; maſſam ſangvineam *cibi & potus*

in

in motum rapiunt vel coagulant, pleuritidis cauſæ eſſe poſſunt. Sic a vino ſumpto lethalē vidit pluritidem *Binninger Cap. 1. obſ. 38.* ex muſti nimio potu *Zac. Luſit. Libr. 1. Pr. Med. obſ. 108.* ex Spirit. Vini aliisque calefacientibus propinatis, *Schenck. libr. 2. obſ. 109. ſeq.*

Somnus & vigiliæ Somnus etiam diuturnior & vigiliæ ſuum ſymbolum addunt: ſicut enim ille humores diſſipandos retinet, atque h. m. non raro Cachexiam gignit; ita hæ Spiritus noſtros atque humores turbant & diſſipant. *motus,* Idem de motu nimio eſto judicium, præterquam enim quod exercitia immodica ſpiritus depauperent, inſimul collectas in primis viis cruditates, præſertim poſt diuturnam quietem aut uberiorem victum ad M. S. & pleuram arripiunt.

Animi pathemata §. XIII. Animi pathemata jure meritoque huc etiam referuntur, inprimis autem Ira ab Autoribus accuſatur, quia ſangvinem in majorem motum concitat, eundemque in majori copia ad pleuræ minora vaſa non ſine ſtagnationis metu detrudit. Sic terror ſæpe Eryſipelas aliasque inflammationes inducit. *& retenta occurrunt,* Retenta acria, quæ natura per alvi fluxum excernere voluit, non raro etiam in pleuritidem nos præcipitant; quemadmodum & narium hæmorrhagia ſuppreſſa & V. S. intermiſſa in plethora, ſi modo hæc materiæ ſalubris & benignæ retenta cum Thomſonio Ac. magn. c. 1. huc mihi transferre liceat.

tertia claſſis, acidum §. XIV. Præternaturales Pleuritidis Cauſæ iterum plures numerantur. Et primo quidem acrimonia acida, cui ſententiæ cum *Helm. Jac. van Nadden de Pleur. Decker. Pr. Barbett. pag. 70.* recentiores plurimi ſubſcribunt. Quodſi enim hæc acrimonia, in aliis corporis partibus reperta, varias coagulationes ſtagnationesque ſangvinis atque inflammationes efficit, quidni & in pleuram ſpicula ſua intendens idem præſtare valeret? Non obſtante, quod *Hippocr. libr. 6. aphor. 33.* eos, qui acidum ructant, non facile Pleuriticos fieri, ſtatuat, utpote quo non eventus rei, annotante ipſo Galeno negatur, ſed raro tantum uſu venire affirmatur. *Salſedinem* Succedit acidæ acrimonia plus minus ſalſa, quæ itidem ad fibroſas & membranoſes partes cum ſangvine propulſa illas irritat, in ſpaſmum rapit, ſangvinisque ſtagnationem gignit.

pituitam viſcidum §. XV. Pituita & viſciditas non minores Pleuritidis cauſæ ſunt. Diſtincte has cruditates cum *Exc. Dn. D. Rivino, Fac. Med. Lipſ. Aſſeſſ. graviſſimo, Patrono & Præceptore meo devenerando, diſp. de Aſthm. §. 11.* trado, quod ſciam, alium humorem eſſe pituitoſum, qui nil aliud, quam colliquamentum crudum chyloſo-viſcidum ex alimentis quacunque de cauſa non rite digeſtis; & alium humorem viſcidum, qui vel a bile glutinoſiore, aut maſſ. ſangv. ob ſeri defectum ſpiſſiore, vel etiam in ventriculo ex alimentis oleoſis ſeu pingvibus (qui Ronnenburgi vulgatiſſimus affectus eſt & dicitur ab ipſis das Bieber) originem ſumit.

aliosque morboſ status c[omplecte] §. XVI. Alii præterea ſunt morboſi ſtatus, à præcedentibus aliis cauſis ortum ducentes, qui facile in pleuritidem præcipites nos dare poſſunt, e. gr. Cachexia, menſium ſuppreſſio, vid. *Foreſt. in Schol. ad obſ. 32. lib. XVI.* Hæmorrhoidum & lochiorum fluxus in puerperis ſuppreſſus, Dyſenteria intempeſtive ſublata. Abſceſſus pone aures intempeſtive conſolidatus, quale in fœmina ruſtica nupera hyeme mihi ſpectare contigit. Contuſio pectoris a lapſu vel ictu, ſeu in parte affecta, ſeu ſana. vid. *Talenton. lib. IV. Recond. rer. c. 1. p. 575.* Vermes, *River. centur. 1. obſerv. 75. Ballon. Epid. libr. 1. pag. 21. Gabucinus de Lumbricis c. 13. M. N. C. dec. 2. An. 5. obſerv. 68. append.*

Sympt[oma]tum §. XVII. Symptomatum cauſas paucis etiam perpendamus neceſſe eſt. Febris continua eſt ab irregulari motu ſpirituum, ad inflammationem in parte membranoſa, ipſis & vitæ inimicam tollendam occupatorum. Inſeri hic poſſet quæſtio, annon pleuritis potius ſymptoma ſit & productum febris acutæ? Non nego equidem eſſe aliquando febrium Catarrhalium, aliorumque morborum productum, qualia æſtate præterita plura deprehendi, ubi quinto demum aut ſexto poſt febrium catarrhalium invaſionem

nem die, dolores thoracis punctorii ſuperveniebant, nullis licet datis volatilibus, quæ materiam febrilem crudam ad pleuram impuliſſent, ut egregie ex conſvetudine ſcribit *Sydenham Sect. VI. C. 3. p. m. 250.* Similem pleuritidem Symptomaticam modo laudatus Autor *Sect. V. c. 5. p. 216.* obſervavit, ubi tuſſi & febribus jam conſtitutis, ab iisdem materia febrilis in pleuram demum deponebatur, nullisque antipleuriticis medicamentis cedebat, niſi quæ huic febrili conſtitutini quadrabant. Statuo tamen utplurimum eſſe morbum eſſentialem, quo poſito, ſequitur paulo poſt febris acuta. Tuſſis eſt à materia, pleuram & muſculos intercoſtales ad expulſionem ſtimulante & ab expanſione thoracis in inſpiratione denegata. Eadem & difficilis reſpirationis cauſa eſt, quoniam enim propter tumorem, & exin oriundum dolorem, extendi non poteſt thorax, atque è materia purulenta & viſcida aſpera arteria, ſecundum radicum ſuarum quasdam ſæpius obſtructa eſt, non poteſt non difficultas hæc ſpirandi contingere. Dolorem punctorium à ſangvine feroque ſtagnante acri, tunicas erodente, ſputum cruore tinctum à rupto vaſe, appetitum proſtratum à dolore deduco. Pulſus durus, inæqualis, ſerratus, tenſioni arteriæ quaſi convulſivæ, pleuræ ſpaſmo reſpondenti, adſcribendus. Difficilis decubitus in latus ſanum cauſa facilis eſt, quia materia intra pleuram & muſculos latens organa hæc admodum reddit inepta.

[Diffe]rentia. §. XVIII. Facile his præmiſſis differentia hujus morbi patet, quæ varia ab Autoribus allegatur, ſemper tamen partim a loco affecto & dolore plus minus vehementi petenda eſt, partim a Symptomatibus. Scilicet Pleuritis dicitur (1) Nunc adſcendens vel deſcendens, ratione loci dolorifici. (2) Nunc ſimplex vel cum peripnevmonia conjuncta, de qua ſupra §. 6. (3) Nunc benigna vel maligna, prout dolor & ſymptomata affligunt. (4) Nunc per eſſentiam vel per conſenſum. Sic vermes & flatus in hypochondriis collecti, item epar laborans & coſtis p. n. copulatum. vid. *Schenck. lib. 2. obſ. Med. 93.* Pleuritidem per conſenſum, præſertim notham, cauſantur. (5) Nunc eſſentialis vel ſymptomatica. Sicut enim hæc febribus catarrhalibus ſæpe ſupervenire modo diximus; ita etiam non raro ſcabiei retropulſæ & variolarum atque morbillorum eruptionem præcedere ſolet, vid. *Sennert. Pr. lib. 2. P. 3. c. 6.* nec non Icteri interdum, quales punctiones non ita pridem in puero icterico hic locorum advertere licuit. (6) Nunc verò audit, vel ſpuria, ſeu notha; quæ differentia quaſi ſolemnis eſt. Veræ definitionem ſupra dedi, ſpuriam vero, quia in praxi ſæpius occurrit, ὡς ἐν παρόδῳ tractabimus.

§. XIX. Deſcribitur, quod ſit ſtagnatio lymphæ vel pituitæ aut flatuum in pleura, accedente dolore raro vehementi, nunc fixo, nunc vago & per intervalla recurrente, ſine inflammatione ſputoque cruento, utplurimum cum tuſſi vexans ægrum. Stagnatio hæc lymphæ ſcorbuticis ſæpe accidit. vid. *Dravviz de Scorbut. tit. 7. & Williſ. Pharm. rat. P. 2. ſect. 1. cap. 9.* Aliquando etiam a flatibus naſcitur, ubi vix ſatis mirari poſſum, quî flatus tam atroces & ferè lethales pectoris dolores conciliare valeant? Annus enim, & quod excurrit, ex quo juvenis ab hora matutina octava punctionibus pleuriticis ſine inflammatione, ſineque febre & tuſſi, adeo defatigabatur, ut, Carminativis, reſolventibus, anodynis incaſſum adhibitis, veſperi vix amplius Spiritum trahentem è Charontis cymba extrahere & ſacculis paregoricis tanto vitæ periculo ſuccurrere demum diſcerem. *Deſcriptio Pleurit. ſpuria.*

§. XX. Sed miſſis his progredior ad ſemioticam. Signa Diagnoſtica noſtri morbi in definitione propoſita ſunt nempe febris continua, tuſſis, punctorius lateris dolor, pulſus durus, inæqvalis. Quo vero Pleuritidem ab aliis, cum iisdem pene ſymptomatibus incedentibus morbis, diſtinguas, locus affectus & ſymptomata plurimum adjuvant. Quod ſi enim pulmones cum pleura ſimul in Pleuropnevmonia, vel ſoli in Peripnevmonia ſint affecti, reſpirationem offendes difficillimam, *Signa diagnoſt.*

majo-

majoremque febrem ac dolorem. Si Diaphragma in Paraphrenitide patitur, delirium & tantum non furor adeſt, & hypochondria cingulo quaſi conſtricta apparebunt. Sin mediaſtinum ſit inflammatum, tunc dolor eſt ſub ſterno, nec adeo punctorius. Nothæ ſigna ex inflammationis, febris continuæ & ſymptomatum remiſſiorum abſentia patent. Pleuritis vero per conſenſum v. g. a vermibus flatibus, a vermium & flatuum ſignis dijudicatur, & ſic porro.

Prognoſis deſumitur

§. XXI. In Prognoſi formanda ſciendum: Pleuritidem quidem, tanquam morbum acutum, ut plurimum periculoſam eſſe, nihilominus, cum pleræque, ſi rite tractentur, facile curam admittant, igitur attendatur (1) ad

ex ſymptomatibus

ſymptomata, quæ ſi gravia fuerint, remediaque reſpuant, ſemper nobis ſuſpectum debent reddere morbum. E. g. ſi febris mox ſummè acuta, tremor, agrypnia, ſitis, delirium, dolor ingens cum ſudore circa caput & cervicem, aut univerſali frigido, vel ſtatim evaneſcens, Convulſiones, reſpiratio anheloſa cum rhoncho & ſibilo, orthopnœa, hemiplegia, vomitus (niſi in principio bilioſus, qui ſæpe ſalutaris) Diarrhœa ſine levamine (nam Criticam cum *Zac. Luſ. Pr. libr. 3. obſ. 116.* non raro bonam deprehendi) tuſſis magna & ſicca periculum ſummum portendunt, inprimis ſi aliquot horum ſymptomatum concurrant, aut pleuræ inflammationi, pulmonum, Diaphragmatis & Mediaſtini inflammationes ſuccedant. *Hipp. VII. 11.* (2)

viribus,

Conſiderentur vires ægrotantium, quæ cum natura morbi collatæ multum lucis Juniori Practico in Prognoſi dabunt. Quando enim vires adhuc firmæ, pulſusque fortis, ſpes de ſalute ægri melior eſt, præſentibus licet peſſimis ſymptomatibus, quam ſi paucioribus & ſegnioribus vires ſint oppreſſæ & pulſus ſit debilis, parvus, frequens, durus, adeo ut Galenus teſtetur, nullum ita conſtitutum evaſiſſe. Sic ſenes communi ſententia ob virium imbecillitatem difficilius convaleſcere creduntur, attamen, ut verum fatear, multi ætate confecti a me ſunt reſtituti, ejusque ratio eſſe mihi videtur, quod ob particulas pituitoſas, molliores & leniores in ſenibus abundantes, inflammatio & dolor non tantus, quantus in junioribus acrimonia ſangvinis magis laborantibus eſſe ſoleat. Tandem Pleuritis frequenter recurrens, quia partes debiles factæ ſunt, imo totum corpus nimium enervatum, peſſima, & ut plurimum lethalis eſt cenſenda.

& ſputi

§. XXII. Ex ſputo Prognoſis, quæ (3) ſequitur, primum locum non immerito obtinere debuiſſet. Hoc enim, juxta venerandum noſtrum Senem *l. 12.* ſi initio ſtatim appareat, brevem fore morbum, denunciat; ſin vero tardius, conſpiciatur, longum. Item ſi ſputũ in principio ſit album, tenue, ſangvine etiam pauco permixtum, & ſucceſſu temporis magis concoctũ, ſalutare illud eſt ſignum; quod ſi vero nullũ plane, aut bilioſum, cruentum valde, glutinoſum nimis, æruginoſum & nigrum ſit, aut procedente morbo, concoctionem expectorationi debitam non attingat, ſed, ſicut in principio, paucu- lum & tenue tuſſiendo educatur, & febris cum reliquis ſymptomatibus non remittat, ægrum procul dubio jugulabit; aut, ſi omnino non jugulet, ſed, quod interdum contingit, ad apoſtema res redeat, quamvis febris ceſſet, in vado non eſt æger, ſed Empyemate ac febre Hectica ſuccedentibus miſer vix evadet, vid. *Hippocr. V. 8. & 15.* Prognoſin ex urina, cum ſit fallaciſſima, & ex ſputis longe accuratius judicium feratur, hic lubens prætereo. Etiamſi enim urina ſatis ſit cocta, ſputum tamen pravum, periculi res plena eſt. Ex ſangvine miſſo autem ſigna ſi quis deſiderat, adeat nunquam ſatis laudandum *Sydenh. ſect. 6. c. 3. p. 215.*

aliisque ... cretioni...

§. XXIII. Circa ſputum tamen & hoc notandum, non omne paucum aut ſuppreſſum malum exiſtere ſignum, ſi modo natura per alias vias materiam peccantem amandet, quarum obſervationum aliquot adducere operæ pretium erit v. gr. per ſudorem *Valeriol. c. 4. obſ. 1.* per urinam *Schenck. l. 2. obſ. 98. 99. Borell. c. 1. obſ. 17.* per hæmorrhagiam narium, hæmorrhoidum, uteri & menſium fluxum *Foreſt. libr. 15. obſ. 35.* Sic materiam purulentam, tenacem, viſcidam a pleuritide recidiva

per

per menſes ſecedentem àque fluore menſtruo facile diſtingvendam obſervavit Experientiſſ. *D. D. Weſtphal.* Phyſicus apud Delizenſes feliciſſimus, per alvum, quocunque etiam id fiat tempore, ſeu in principio, ſeu in ſtatu, ſeu in declinatione vid. *Valer. L. 1. obſ. 4. 5. Amat. Luſ. cent. 1. cur. 7. Zac. Luſ. L. II. Pr. p. 303.* quod etiam exemplis ex mea paucula praxi confirmare poſſum, dum puerulus quinquennis ante biennium, cum morbus in ſtatu & mors in olla eſſent, octidua Diarrhœa purulenta per Clyſma ab initio ſollicitata feliciter à morbo cum Deo per me liberatus eſt. Per coſtas de foris tumore excitato & ſuppurato *Schenck. Libr. II. obſ. 79.* Per aurem, quod confirmat Vir Ronnenburgicus, qui ſtatim à curata pleuritide in molam pauper ſe contulit, rediitque ex eadem gemens, redeuntibus thoracis punćturis. Datis de novo Diaphoreticis, antipleuriticisque ſpecificis, dolor quidem & reſpiratio difficillima intermiſerunt, ſed mox in pertinaciſſimam incurrit Otalgiam, applicatis tandem Cataplaſmatibus Emollientibus pus egregie coćtum per aliquot hebdomadas ex aure evacuatum eſt.

ura §. XXIV. Præmiſſis itaque his, quæ ad morbi noſtri cognitionem neceſſaria viſa ſunt, propius nunc admoveamus pedem, & ad tria Indicantia Curationem noſtram dirigamus: (1) Scil. ut ſangvinis intra pleuram & muſculos intercoſtales ſtagnantis motum promoveamus. (2) ut ſi iſtud non ſuccedat ſuppuratioque ſubſequatur, expectorationem conciliemus. (3) ut Symptomatibus urgentibus proſpiciamus.

licant num per S. obtietur, §. XXV. PRIMUM ſcopum obtinemus e fonte Chirurgico per V. S. Non equidem me latet, Veteres & Neotericos V. S. tanquam inutilem improbare, ex quibus omnibus unicum Helm. acerrimum V. S. impugnatorem, ejusdemque Aſſeclas, Bontekoën & Gehemam adduxiſſe ſufficiat. Scio etiam ex obſervationibus Practicorum propriaque experientia, multos absque V. S. priſtinam ſanitatem recuperaſſe; imo tarde accerſitus & V. S. per introductam conſvetudinem, ac propter Medicaſtros malevolos, ne quid omiſiſſe viderer, concedens, non ſolum nullum exinde effectum me percepiſſe, ſed expectorationem etiam, humoribus & Spiritibus aliorſum derivatis, ſæpius in totum fuiſſe ſufflaminatam. Nihilominus ſumme neceſſariam & nunquam negligendam arbitror V. S. in principio, ne ægri morbo invaleſcente nec V. S. in principio celebrata, inflammationis vi & immani Dyſpnœa ſuffocentur, aut, quod etiam poſt omiſſam phlebotomiam accidit, Empyemate extingvantur miſeri. Audiamus hac in re Experientiſſimum *Sydenh. Sect. VI. c. 3. p. m. 255. ſeq.* ſcribentem, ſe quidem ſæpe in tractando hoc affectu θεραπείας rationem aliquam voluiſſe ſtabilire, quæ citra ingentem hanc ſangvinis jacturam ſubſiſteret, nempe vel humorem reſolvendo, vel expectorationis promotione illum evacuando: ſed nondum eam ſortem ſibi contigiſſe, ut ſuæ praxi parem aliquam reperire potuerit, cujus beneficio ægrum, etiam non moratus expectorationem ab inſultu morbi vindicaret, per ipſum V. ſectæ orificium & Pleuritidi fugam parans & ſanitati reditum. Imo *Güldenklee reſp. Med. 58.* non veritus eſt gravidæ ultimo menſe V. ſecare atque h. m. Matrem & fœtum præſentiſſimo vitæ periculo liberare.

§. XXVI. Quemadmodum autem nulla regula ſine exceptione, ita & hic interdum contraindicantia V. S. disſvadent, qualia ſunt virium imbecillitas ſumma, ætas puerilis & decrepita, convulſiones, it. menſium fluxus, niſi eam parva in quantitate adminiſtrare velis. Interdum etiam malignitas ſumma, tarde inprimis accerſito Medico, Phlebotomiam interdicit. Deinde quoad quantitatem ſangvinis detrahendi notandum, quosdam peccare exceſſu, quosdam defectu. *Binninger. Sydenham* *obſervanda quædam circa V. S.*

aliique ter & quater celebrant, horumque poſterior ad Uncias 40. ſangvinis quatuor diebus ſucceſſive emittit, quod nimium. *Vid. Bonet. Mercurio compital. l. c.* Et quanquam hac in parte certa regula dari non poſſit, tamen quantitas viribus & ægri conſtitutioni reſpondeat, neceſſe eſt.

§. XXVII. Non minor diſſenſus eſt inter Autores circa venæ ſelectum, nam olim ſeculo XVI. diſſidium tam grave propterea exſtitit, ut annotante *Garmero ad Franc. Rubei exerc. 12.* ad Carolum Imperatorem lis ſit delata. Græci parsque Latinorum venam ejusdem lateris inflammati ſecandam ſvadent, quos & plerique Modernorum ſequuntur. At Arabes, nonnullique ex Latinis, oppoſiti volunt. Quoniam autem experientia docuit, utriusque lateris venas inciſas parem attuliſſe utilitatem, ideo uniuscujusque arbitrio hoc opus relinquens, ad alia feſtino, ſi prius adhuc monuero, ſangvinem in pleuritide, à menſium in fœminis & lochiorum ſuppreſſione in puerperis provenientе, è vena brachii ducendum eſſe juxta *Langii monitum Epiſt. 4.* Unde homini, inquientis, maximum imminet periculum, hoc curam ad ſe primum allicit.

§. XXVIII. Reſtant è fonte Chirurgico Cucurbitulæ & Hirudines; à *Celſo & Williſio* commendatæ, inprimis ſi juxta *Aëtium* loco affecto, aut juxta *Joubertum & Heurnium*, natibus admoveantur.

uſus Salium volat. §. XXIX. E fonte Pharmacevtico palmam omnibus præripiunt Salia vol. coaguli potentiſſimi reſolutores & acidi domitores merito appellanda: Sal vol. Cornu Cervi & Spiritus ejusd. eſſentif. Spiritus Salis Ammoniac. c. aniſ. & ſaſſafr. Spiritus fulig. in *Miſc. N. C. dec. II. an. VII. obſ. 218.* deprædicatus. It. Camphora, obſervatis tamen circa hanc cautelis *B. Ludov. Pharm. p. 189. ſeq.* Huc refer qq. volatilia plus minus Salſa: Liqv. Cornu Cervi, ſuccin. Spiritum Tartari Mixt. ſimpl. (inprimis antea commendatis Salibus volat. temperatam ac infractam) elegans hic ruptorium ſeu reſolvens juxta *Eund. Ludov. p. 226.* aut quæ certo reſpectu mixturam ſimpl. ſuperat Tinct. Bez. ut *Scholtz. tr. de Tinct. Bez. p. 103.* ait, Spiritus theriac. camphor. &c. Cuncta vero hæc quoniam potentiſſime in partes inflammatas agunt incidendo & reſolvendo, ideo ſemper cum prudentia & circumſpectione ſunt adhibenda, præſertim cum facile augeantur ab iis febres, & cephalalgiæ & hæmorrhagiæ.

§. XXX. Horum igitur loco diaphoretica & reſolventia fixiora eligantur. Potiora ſunt: lap. cancrorum corall. dens apri, caſtor, mandib. Lucii piſc. reliquaque capitis oſſa non cartilaginea, lingvæ truttar. aliaque prædatorum congenerum dentata oſſicula. Antimonium Diaphor. ſimpl. rite præp. ſumme commendatum in pleuritide, tum vera tum ſpuria, quatenus egregie humores congeſtos diſcutit, adeoque calorem imminuit, dolores demulcet, & expectorationem promovet. *Excell. Wedel. Miſc. N. C. dec. 1. A. III. obſ. 72.* Laudem quoque merentur antimon. diaph. martial. Bez. min. cinnabarina fl. ſulphuris, ſperm. cet. ſangv. hirci, &c. Et ex his pulveres compoſiti Antipleuritici. *Auguſtan. Mynſicht. Wedel.* quem deſcripſit *Opiol. p. 111. ſeq. Ludov. Pharm. p. 226.* aliorumque. Non contemni etiam debent cardui B. & Mariæ Emulſiones, tanquam diaphoretica egregia, totque ſeculorum experientia comprobatæ. *& fixior. pro reſol. do ſang.*

§. XXXI. Quod ſi materia altas radices in pleura jamjam egerit, & reſolventibus adductis evelli non patitur, alia malum aggrediendum eſt via; quod fit SECUNDO Expectorationem debitam promovendo per Bechica, qualia ſunt Decocta cum aqua font. aut hordeat. Herbar. ſcabioſ. veron. tuſſil. ſcord. malv. alth. hyſſop. fl. chamom. vulg. magis, quàm Roman. pap. errat. bellid. Rad. polypod. glycyrrhiz. lapp. maj. tarax. ariſtol. cichor. ſylv. (ejusque ſuccus *juxt. Helmont.*) ſem. aniſ. fœnic. paſſul. min. fic. quæ additione Syr. viol. pap. errat. de eryſim. Lob. capill. Vener. mellis ſimpl. roſ. ſacch. cand. Diacod. aliisq; eleganter acui poſſūt. Laudo hæcce, licet primo intuitu nimium blanda videantur, præfe- *Alterum. dican. bechi.*

præferoque ipſa quibusvis expectorantibus fortioribus v. gr. Decoct. Tabaci, quod *Burnet. theſ. p. 463.* adeo deprædicat, vel potius ſyr. rite præp. vid. *Epiph. Ferdin. hiſt. 32. & 45.* lign. ſaſſafr. Gvajac. rad. helen. pimpin. &c. Majorem enim ſemper æſtum ac dolorem, vel drachmula tantum de hiſce admixta, ægrotantibus meis non ſemel excitavit. Abſit tamen penitus hæcce acria rejiciam, cum in viſciditate ſumma, quæ lenioribus non auſcultat, non ſint reſpuenda, inprimis febre & morbo paululum ceſſante. Exempli loco occurrit in praxi mea virgo quædam, cui, intermiſſa in principio V. Sone, nullo modo viſciditates, decreſcente licet morbo, niſi per hæc fortiora expectorantia, evacuari poterant.

aſſantibus, §. XXXII. Alio tempore incraſſantia, ubi ſc. materia tenuis nimis eſt, etiam locum habent pro meliore expectoratione, ſed non in principio, nec niſi cauta manu; talia vero ſunt: Sulphuris & ex eo parati fl. tinct. balſ. impr. aniſ. Ol. oliv. lin. quod Pleuritidi perſanandæ ſæpe ſolum ſuffeciſſe, ſcribit *D. D. Hagendorn Miſc. N. C. dec. An. 3. obſ. 216.* ol. amygd. d. in magna copia, vel ſolum vel cum ſyr. appropr. in forma linctus ſumptum. Referri etiam huc debet Thus ſ. olib. ad Drach: unam in pomo cocto datũ. Hic ingenue confiteor, mihi in curatione pleuritidis idem, quod *B. Binningero & Excell. Wedel.* (ut magnis parva conferam) accidiſſe, quorum illi, ſangvine hirci porrecto, fœmina ſuffocata fuiſſet, niſi V. Sonis auxilio ipſi ſuccurriſſet, *obſ. 15. cent. III.* Hic vero in *Opiolog. p. 112.* rectiſſime annotavit, Sulphurata talibus caſibus remixta paulo gravius affeciſſe ægros, unde & hactenus majori cum fructu ſe excluſiſſe. Cum enim circa praxeos meæ primordia pulverem antipleurit. Ludov. e Mandib. Luc. piſc. p. ij. ſangv. hirc. & Sulphur. ana p. j. conſtantem aliquoties porrigerem ægris, ſemper longe difficiliorem annotavi reſpirationem, pejoresque præcordiorum anguſtias. Quoniam autem hæc Practicum juniorem vix commendabant, ab iis reliquisque incraſſantibus poſtea abſtinui, alia reſolventia ſpecifica, Opiato combinata, felicius ſubſtituendo.

§. XXXIII. Diuretica, teſte *Heurnio C. 3. Pr. de morb. pect.* non nimis calida, ſed temperata, ſi natura, cujus miniſter eſt Medicus, ad iſtas vias inclinet, (*vid. Schenck obſerv. 99. Libr. II. p. 203. ſeqq. & ſupra* §. 23.) egregia hic quoque ſunt, v. g. Rad. quinque aperient. herb. capill. Vener. chærefol. fœnic. heder. terreſtr. fl. chamom. acoc. cancrorum, nitrum & ſimilia. Hisce enim duos parietes, ut ajunt, una fidelia dealbare, i. e. pleuræ infarcta reſolvere & diureſin movere poſſumus. *diureticis,*

§. XXXIV. Aliquando non ad vias urinarias, ſed ad inteſtina natura materiam pectoris peccaminoſam defert, cui naturæ conamini omnium optimè adjumento erunt Clyſteres, quorum ſalutarem effectum apud infantes, cum plerique adultiores hic loci eadem recuſent, ſæpiſſime adverti. Illi enim quia ob doloris metum tuſſim ſupprimunt, aut ſi quid tuſſiendo expectorant, imprudentes rurſus deglutiunt, quod deinceps per ventriculum cum chylo & Maſſa ſangvinea denuo ad pectus adducitur, niſi per Clyſmata ejiciatur. Mentionem ſupra feci pueri quinquennis, huic agonizanti Empiricus vomitorio (quamvis per inſomnium de infelici eventu eſſet admonitus) ſubvenire voluit: Ego in conſilium vocatus Parentibus, inſomnio ab Empirico ipſis relato perterritis ſuffocationis & motuum epilepticorum metum ex vomitorio oſtendi, & clyſma emolliens admoveri curavi, ex quo tempore cum clyſtere & fecibus alvinis materiam purulentam, ſangvine etiam tinctam depoſuit puer, diesque octo Diarrhœa purulenta & per menſem feculenta perduravit. *clyſmatibus,*

§. XXXV. Ex pudore ſubruſtico abhorrentibus Clyſmata tuto porriguntur etiam Laxantia, ſed leniſſima, alias fient purgantia, inprimis in declinatione. *vid. River. C. 1. obſ. 98.* Feliciter autem res ſuccedit, ſi ſupra commendatis Decoctis bechicis lubricantia, & laxantia: herb. alth. *& laxantibus abſolvitur.*

malv. paſſulæ, polypod. mel, &c. it. fol. ſenn. adjiciantur. Alvus hac ratione utplurimum bis de die ſoluta peccaminoſa eliminat, citiusque ægri cum valetudine adverſa in gratiam redeunt.

quid de vomitoriis ſentiendum.

§. XXXVI. Reſtat, ut etiam quædam de vomitoriis annectamus, quæ *Ang. Sala*, *J. Hartm. M. Rulandus*, *P. J. Faber*, *Thomſon Epil. Chym. p. 30. Macæſius promptuar. M. M.* aliaque magnis laudibus, tanquam citius ſecuriusque agentia, extollunt. Verum ego cum Excell. Medicis eadem plane deteſtor. Ubi enim partes internæ inflammatæ ſunt, noxa major metuenda, teſte *Wedel. Diſſ. de Vomit. rite adhib. C. 2. & P. J. Faber* ſero ſapiens deinceps ab iſtis dehortatur. Dedi, inquit, antimonium meum (Emeticum ſc.) quo multa egeſta ſunt ſupra & infra maxima cum incommoditate propter dolorem lateris, & ni robuſtus fuiſſet, (erat n. ruſticus) dolori, ni fallor, ſuccubuiſſet. Cavendum eſt quapropter maxime à Vomitu in pleuritide excitando, nec hac in parte ſequendus ſum. *Curat. var. 60.*

Symptomata, & quidem dolor opiatis.

§. XXXVII. TERTIO ſymptomatum quoque habenda eſt ratio, quibus rite ſublatis morbum felicius jucundiusque tolli, certum eſt. Primum autem & urgentiſſimum ſymptoma dolor eſt. Hic ad opium tanquam ad ſacram anchoram confugimus, ſive illud ſit liquidum, ſive ſiccum, ſeu crudum, ſeu quocunque modo præparatum, ſeu ſolitarie datum, ſeu cum aliis compoſitum. Anodynis etiam annumerari merentur crocata & papaverina reliqua: crocus in ſubſtantia & extr. ſyr. & tinct. pap. err. ſive vulgo per infuſ. ſeu per expreſſionem e floribus recentibus juxta Deckerum confecta. Diacod. ſyr. pap. alb. emulſ. ejusd. ſem. Extr. pap. errat.

§. XXXVIII. Fugiunt quidam cane & angve pejus Opium, ſicut in tota praxi, ita inprimis in hoc noſtro affectu, tum quod vires proſternat, tum quod expectorationem inhibeat, quale exemplum *Zacut. Luſit. Libr. 1. Pr. adm. obſ. 115.* refert, aliaque graviora ſymptomata, torporem & convulſiones cauſetur, *Williſii* potiſſimum obſervationem de Virgine *p. 110. ſeq. Tr. de Pleur.* aliorumque teſtimonia allegantes. Non dubito tamen cum *Excell. D. Wedel.* illud ſpecificis antipleuriticis accenſere. Hæreo enim, num Opiata, an vero dolor tam immenſus vires magis proſternat? Nec opiata ſecundum *Trallian. Libr. VI. c. 1.* humores eductioni contumaces reddunt, quin potius demulcendo dolorem, tuſſim & conſequenter anacatharſin a dolore impeditam promovent.

æſtus febr. refrigerantibus

§. XXXIX. Alterum ſymptoma non minus moleſtum eſt æſtus febrilis. Huic obviam itur per Refrigerantia, v. gr. Emulſ. amygd. d. ſem. melon. pepon. cucurb. citrull. &c. cum ſacch. & aquis appropr. Inprimis vero per nitrata Nitrum pur. antimoniat. lap. prunell. arcan. duplicat. Sic dato aliquando Nitro puro cum antimonio diaph. martial. exoptatiſſimo cum ſucceſſu ſolo hoc medicamento virgo pauper ſanitatem recuperavit. Similiter puella alia duodecim annorum ex Pleuropnevmonia valde delirans, tribus Nitri antimoniati doſibus, cum notabili ſemper delirii remiſſione in priſtinam ſanitatem reſtituta eſt.

Sitis & [de]lirium [ea]dem re[...] ventur.

§. XL. Eadem hæc ſiti & delirio medentur, niſi forte Diarrhœa contraindicet, cui ſiſtendæ nil æque atque aqua hordeata, ſerum lactis, Emulſiones, aliaque ſangvinem contemperantia & V. S. conducere expertus eſt *Sydenh. Sect. III. C. 3. & VI, 3.* Nec ſtiptica Dyſenterica, ut plurimum etiam antipleuritica, cum Bezoardicis, Theriaca, Diaſcord. & Opiatis hic ſunt prohibita.

§. XLI. Empyema, in quod aliquando Pleuritis degenerat, a Diſſertationis hujus theſibus, tanquam morbum peculiari evolutione dignum, excludo, B. L. ad alios Autores, ex profeſſo Apoſtema hoc tractantes, inprimis ad *Excell. D. D. Rivini* nuperrime habitam *Diſput. de Empyem*, ablegans.

Cura Pleu[ri]tidis ſpu[riæ] intern[æ]

§. XLII. Paucis nunc attingenda reſtat Pleuritis ſpuria, in cujus curatione pro diverſitate cauſarum methodus medendi etiam variat. Nam in SCORBUTICA, quæ a ſero acri eſt, Diaphoretica magni ſunt

ſunt uſus, quibus, quamvis raro Venæ ſectio jungenda, vid. *Dravviz. loc. ſupra cit.* potiſſimum ſi per hæmorrhagias Criticas illa iterum ſolvantur, vid. *River. c. 1. obſ. 73.* Semper tamen admiſceri debent antiſcorbutica. In PITUITOSA reſolventibus utimur, non quidem pulveribus ſupra laudatis antipleuriticis: dent apri &c. hæc enim materiam tenacem magis retinerent, quam reſolverent, ut monet *Grube de ſimpl. cogn. p. 34.* ſed potius expectorantibus atque incidentibus, liquidis inprimis Decoctis Eſſ. & Elix. pect. FLATULENTA carminativis, diaphoreticis, anodynis, diſcutitur, v. gr. Liqu. cornu cervi, ſuccin. ſpir. nitr. antimon. diaph. cujus laudes *Wedel. M. N. C. dec. 1. A. 3. obſ. 72.* decantat. V. Sonem *Riverius C. 3. obſ. 36. Foreſt. lib. 16. obſ. 42.* ſvadet, diſſvadet tamen eam *Heurnius Comment. in aphor. 33. VI.* Si, inquiens, venam pertuderis, necabis. VERMES anthelmintica interna & externa uſualia è medio tollunt.

[Ext]erna. §. XLIII. Agmen remediorum claudunt EXTERNA, quorum virtus partim in humorũ reſolutione, partim in doloris ſedatione, cõſiſtit. Ab Autorib. laudantur ſeq. Ol. ſcorp. verbaſc. lil. alb. amygd. hyoſc. cucurbit. longior. cujus præparationem & encomia vid. *in M. N. C. dec. 1. A. 1. obſ. 10.* pingv. muris mont. Ungv. Dialth. martial. Nervin. c. oleo philoſ. pectorale. Catapl. è pane albo, croco, camphora & lacte. It. è fl. chamom. melil. ſambuc. malva, alth. fœnu græc. itidem cum camphora & croco. SACCULI calidi arena aut ſale communi pleni, ungvent. & oleis ſuperimpoſiti, vel ſola charta calida. EMPL. de melilot. mucilag. Diachyl. ſimpl. de minio, ſperm. ceti. Mihi, licet raro ad externa deveniam, aliquoties mire profuit. Empl. de Galban. ſperm. ran. & oleo hyoſc. à *B. Dn. D. Cramero, in Collegio MS. in M. M.* deſcriptum; aliquando etiam ſacculus è ſolo lino, vel cum modo memoratis in lacte coquendus. FOMENTA & PEDILUVIA etiam ex emollientibus fieri poſſunt. Vid. *Binning. obſerv. 8. centur. 2.* Raphanus abdomini impoſitus aliquando pleuritidem reſolvit. vid. *M. N. C. dec. 2. A. 5. obſ. 30. Victor. Faventinus ſeq.* tanqvam divinum remediũ extollit: Rec. Dialth. duas unc. ol. amygd. d. drachm. ſem. M. Inunge calide, ſuperaſperge pulv. ſubtiliſſ. cymini unc. ſem. ſuperimponendo folium caulis calefactum, butyro prius antiquo non ſalito inunctum. *Empir. l. 1. c. 16.* In notha pleuritide *Wedel.* antimon. diaph. Emplaſtris remixtum laudat *l. cit. Foreſt.* oleum rut. & chamom. *Decker. Pr. Barbet. p. 78. ſeq.* Empl. cumin. & Ireos. Recentiores etiam fortiora reſolventia externe affricant, ut ſpir. ſalis ammoniaci, ſpir. Vini camph.

Diæta. §. XLIV. Diæta tandem ita inſtituenda, ut ægrotantes veſcantur juſculis hordeaceis & avenaceis. Potus ſit tenuis & calidus (frigidus enim enecat) decoctum hordei cum rad. Glycyrrhiz. acetoſ. ſcorzon. Raſp. Cornu cervi, ſpir. ſal. d. lap. prunell. ſyr. pap. errat. aliisque: interdum Emulſiones, & nonnunquam cerevіſia lupulata tenuis. Vitentur carnes & coctu difficilia, item acida atque acidulæ ac calefacientia dicta, vinum, Spirit. Vini. Alvus ſit aperta & Aër circumambiens moderate calidus. Nam & in calore modus ſervandus, ne ſi æger jugiter lecto affigatur, febris & reliqua ſymptomata augeantur, hinc concedendum eſt, ut lecto quotidie, prout vires permiſerint, per horas aliquot eximatur.

Præſervatio. §. XLV. Cura præſervatoria conſiſtit in accurata diæta, utendo Evpeptis & potu bene defecato diluto. Aër ſit temperatus. Somnus, vigiliæ, motus & quies moderata. Alvus ſervanda aperta, ut cruditates inprimis viis collectæ educantur. Abſtinendum ab iis omnibus, quæ ſupramemoratas Pleuritidis cauſas conſtituebant; ab aëre frigidiore ac ſubitanea ejus mutatione, a dyſpeptis & ſpirituoſis immodice ſumtis: vino nimio ſpirit. ardent, & aquis vitæ, it. ab acidis, fructibus horæis, exercitiis nimiis, vigiliis, animi pathematibus, ſolis æſtu, & quæ cruditates acidas, biliosas, ac pituitoſas in ventriculo,

culo, nec non acrimoniam, viſciditates & motus p. n. in ſangvine creant. Breviter: ſex rebus Non-naturalibus neque exceſſu neque defectu abutere, & præternaturale per Diætam ſtrictam & medicamenta appropriata, quantum poſſibile, ad ſtatum naturalem redige.

§. XLVI. Sed ſatis quoque de his. Antequam vero pedem figo, Te B. L. ſi non omnia ad palatum tuum in hac mea Diſſertatiuncula obſervaveris, ingenio tuo accommodaturum ſpero, & ſicubi vitio fragilitatis humanæ ceſpitavero, veniam me a Te impetraturum eſſe confido. Interim Deo Ter Opt. M. pro viribus clementiſſime conceſſis ſit laus & gloria.

F I N I S.

****

DISPUTATIONUM LANGIANARUM

Trigeſima ſecunda:

VALETUDINARIUM PEREGRINANTIUM.

PROOEMIUM.

QUod *relicto Patriæ dulci ſolo regiones locaq; aliena peragrent mortales, res non nova* ſed pene à mundi Primordiis uſitata eſt. Nec una omnium cauſa obſervatur impulſiva, quam ob rem itinera talia faciunt. Alios enim gratia lucri, curioſitatis, conſvetudinis, fallendi tempus, addiſcendarum lingvarum, indagandarum regionum gentiumque, rimandarum interiora rerum publicarum ac ſtatuum, expiſcandarum machinationum aularum pluriumque aliarum cauſarum cupiditate tali ſæpius incredibili ardere videmus; ita ut cum Trajano Imperatore, ſenes licet mortique proximi, adhuc tamen ingemiſcant: *utinam juvenis eſſem viresque ac robur ſuppeteret, profecto in fines Indorum penetrarem.* Poſſem facile, ſi modo inſtituti ratio prolixum admitteret ſermonem, per antiquorū ire exempla & ſtabilire hujus aſſerti veritatem, nominando ex omni genere quosdam hominum, qui univerſos pene mundi angulos inviſerunt, ſpectarunt, perreptarunt, & ne tum quidem libidine hac ſatiati redierunt ad patrios lares. Sed opus id haud eſt, cum numeroſiſſima juxta ac recentiſſima non deſint inprimis de Germanis exempla ad peregrinos polos ineffabili impetu pulſorum, adeo, ut ille quondam Gallicorum Medicorum facile Princeps, *D. Guido Patin,* pro Cathe-

dra publica aliquando pronuntiare haud veritus fuerit; *Germanos peculiari laborare inſaniæ genere*, quā *Peregrinomaniam* dixit. At n. v. facile hæc gentis innocuæ illuſio â Gallo prolata concoqui poſſet, modo ſemper, quos amor exoticorum aut quævis alia cauſa ad peregrinationes impellit, compotes voti redderentur, nec plurimis ſe exponerent moleſtiis periculiſque, dum ſcopum ſibi propoſitum attingere allaborant. Non enumerabo prolixe pericula, quibus anima & fortuna peregrinantium immergitur perſæpe vel ſuffocatur, ſed tantum dicam de iis, quibus male proſpicitur corpori tam quoad vitam, quam ſanitatem. Diffluere autem & hic quoque ſermo facile poſſet teſtimoniis illorum, qui vitæ diſpendio luerunt ſuas has curioſitates. Nec deficiunt ea circa peregrinantium ſanitatis diſcrimina, cum tota die mutilo corpore, laceris membris, fractaque ſanitate elanguiſſe vegetos, emarcuiſſe robuſtos, conſenuiſſe adoleſcentes, aut cicatricibus horridos gutture raucos, pelleque ſquallidos reduces cernamus miſeros, adeo ut non male ceciniſſe poetam conſtet:

Vel mors, vel morbus, vel triſtis vulnera, vultus,
- - - - quodque ſequuntur iter.

Hæc igitur mecum reputans, in cauſas morborum peregrinantibus familiarium inquirere, illorumque curam ſpeciminis loco ſub titulo VALETUDINARII PEREGRINANTIUM Tibi L. B. ſiſtere decrevi. Ut vero ex voto illud fiat, ſummi Numinis auxilium ardentiſſimis precibus exoptamus.

CAPUT I.
ORIGINEM MORBORUM IN PEREGRINANTIBUS DECLARANS.

§. I.

Cum aliam vivendi Conſvetudinem à Patria ac domeſtica penitus diſtinctam inire cogantur, qui ad regiones exteras excurrunt, non mirum vel ex hac ſola occaſione citius morbis quibusdam illos fieri obnoxios, quos vel plane non perferre debuiſſent, ſi nulla peregrina humus ipſos vidiſſet. Eſt namque mutatio omnis juxta proverbium periculoſa, ſed augetur ſine dubio periculum creſcitque notabiliter, ſi obvios hos non evitare ſcopulos, nec ſapere icti poſſimus. Igitur ſi alio tempore unicum peccatum in uſu ſex ſic dictarum rerum non naturalium commiſſum luere morbo aliquo gravi haud raro cogimur, quid non metuendum erit, ſi modum in plurimis haud ſervare valeamus? vitam autem talem peregrinantes vivere in propatulo omnino eſt. Res enim illæ, quarum genuinus uſus corpus noſtrum in ſtatu naturali ſervare ſolet, vix & ne vix quidem legibus ſe apud peregrinantes ita alligari patiuntur, quin toties permutatus aër, inſvetus cibus, potuum diverſa genera, motuum importunitates, vigiliarum continuationes, pluriumque animi pathematum vis & alii plures ſpecialeſque errores diverſas maximeque pernitioſas inferant mutationes. *Mutata vivendi conſvetudo.*

§. II. Liceat mihi fuſius errores hos ad examen vocare, quo clarius pateat, ex his originibus morbos peregrinantibus familiares exſurgere unice. Et

ne confuſio aliqua in hac dilucidatione mihi oriatur, incipiam ab aëre, à cujus continua ſuſceptione intra pulmones, & paulo poſt facta eliſione ſalus totius corporis ex conſenſu omnium dependet. Quod ſi itaque fiat, ut vel ratione caloris aut frigiditatis, humiditatis vel ſiccitatis recedat à norma naturali fluidum hoc, eo ipſo variis ſuggeritur morbis infauſta occaſio. Haud enim pro lubitu ac commoditate ſemper iter ingredi licet, ſed vel occaſioni, opportunitati, comitibusque ſæpe eſt inſerviendum, nulla habita ratione num cælum ſit frigidum aut æſtuoſum, aſperum vel flagrans, turbidum aut ſerenum, numve imber defluat, aut nix aut nebula, vel quiſcunque terræ anhelitus repleat atmoſphæram eamque ingratam aut gravem reddat. Nec has tantum devorare moleſtias debent in via conſtituti, ſed ſæpe etiam in hoſpitiis ipſis, dum gurguſtium aut domum nudam vel ruinoſam impolitamque, nullis vel feneſtris, ſtragulis aliisque rebus adverſus injurias aëris inſervientibus inſtructam ingredi, inque eo diverſari coguntur.

quoad aërem

§. III. Sunt vero iſthæc ſingulæ aëris conſtitutiones intemperatæ corpori inimicæ inſigniter, plurimosque pariunt morbos, uti mox fuſius videbimus. Scilicet ſi frigidus aër aliquandiu circumambiat corpus; conſtipantur pori partium & ſiſtitur tranſpiratio, cujus beneficio alias evacuabatur ſolenniter corpori noxia ſeroſitas haud parva in quantitate, prout ex obſervationibus Sanctorii, quæ in ejus Medicina ſtatica habentur, facile demonſtrari poteſt. Itaque non mirum, ſi ex hac colluvie coacervata artuum laſſitudines, defluxionesque ad varias partes fiant, quæ generali catarrhorum titulo vel pro partium, quas occupant, aliarumque circumſtantiarum varietate lippitudo, tinnitus aurium, coryza, tuſſis, dyſpnoea &c. appellantur. Nec corrugantur ſolum partes cutaneæ externæ ab aëre tali, ſed ſæpius altius penetrans vis illa dolores plus minus exquiſitos & motus contractivos hinc inde parit, unde arthriticæ affectiones, odontalgia, colica, ſtranguria, diarrhœa, teneſmus & plura hujus generis mala ſuboriuntur.

frigidum inprimis.

§. IV. Ex frigoris quoque importuno attractu famem augeri præter modum in peregrinantibus res nova non eſt, inprimis ſi nix copioſius delapſa iter moretur reprimatque. Exempla vid. *apud Thom. Barth. de Nivis uſu Cap 33. pag. 187.* Cauſam vero in halitibus nivium ad ſtomachum tranſlatis, inibique pungentibus & convellentibus ejus tunicas ſenſatas non male quærit *Frommondus Lib. V. met. Cap. 5. Artic. 5.* Inſuper tamen & calorem ſeu rectius loquendo corporis noſtri principium activum materiale, quod alias à Phyſiologis ſpiritus dicitur, cogi ob corpus frigore conſtrictum intro, cum *Plutarcho Symp. L. 6. quæſt. 8.* credo, inde enim motum fibrarum ſtomachalium inſigniter, imo ad dolorem uſque augeri facile mihi concipere poſſum. Auctior adhuc ſi fuerit frigoris gradus, iterque facientes per longiorem moram morſus eos moleſtos ferre cogantur, humoribus corporis inſigne omnino imminet periculum, quatenus rigeſcunt ab illo, & ſæpe penitus congelaſcunt, unde Pleuritis, Peripnevmonia, Aſthma, Perniones, Phlyctenes, Contracturæ, Sphacelus externarum partium, imo ſubinde & mors ipſa oritur; Nam circulari ſangvis congelatus nunc in quibusdam partibus tantum, nunc in toto corpore deſinit.

§. V. Non prætermitti hac occaſione debet viatores hieme oculorum lumine non raro privari penitus, aut ſaltem aciem illorum perdere notabiliter, ideo potiſſimum, quod intenſa nivium lux tunicas oculi lædat, quamvis inſuper & frigoris morſus non ab omni culpa immunes eſſe, ſed oculos vere ab ipſis aduri cum *Olao Magno lib. 1. cap. 19.* credam, qui frigus & nivem non aliter oculis, quam acidum dentibus & ſpina pedibus nocere, imo ex hac potiſſimum cauſa non raro lupos ſuppolares reperiri oculis privatos *Cap. 22.* docet.

§. VI. Miſſis ſic occaſionibus morborum, quas frigidum cœlum ſubminiſtrat peregrinanti, aſſumamus jam æſtuoſum, à quo turgeſcentiæ ſangvinis

ſum. nis ſeu ebullitiones tantæ ſæpe naſcuntur, quæ non ſolum copioſum ſudorem excitant, verum etiam ſitim plus minus moleſtam, quatenus ob ſeri dilapidationem ſaliva deficit, aut ſaltem magis ſpiſſa, acris aut mordax, quam par eſt, redditur, ex quibus ſalivæ vitiis tantus ſæpe ſenſus moleſtus ac triſtis oritur, ut omnes alios dolores multis paraſangis poſt ſe relinquant, vixque ſolis verbis exprimi queat, conferatur omnino *Pechl. obſ. Med.-Phyſicis L. III. 39.* Naſcuntur ex hac quoque cauſa non raro febres inprimis cauſodes, dum maſſa ſangvinea depauperata per ſudorem seroſitate, ob nimiam ſpiſſitudinem ad circuitionem ulteriorem per corpus inepta penitus redditur. Inde enim nimium in hoc opere perficiendo commoti ſpiritꝰ noſtri, excitant æſtum plane inſvetum, cum oris ſiccitate aliisque anxietatibus ex eadem cauſa reſultantibus febrilibus ſymptomatibus; cujus exemplum egregium vide apud *A. G. von Stammern in Itinerario Orientali C. 4. pag. m. 91. ſeqq.* Sed antequam ad illam extremam ſpiſſitudinem à calore externo deducantur noſtri humores, prius ebulliunt ac tument ſæpius præter modum, & ad orgaſmos diſponuntur tales, quæ laſſitudines, palpitationes cordis, dolores artuum nunc fixos, nunc vagos, cephalalgias aliosque dolores poſtea gignunt oppido moleſtos. Imo ob nimiam turgeſcentiam non raro tunicas vaſorum vel in interioribus narium, aut pulmonibus aut aliis in partibus diſrumpit ipſe ſangvis, & hæmorrhagias ſæpe ſatis enormes excitat in ſpecie, ſi corpora fuerint ſcorbutica & ſalium ſalſorum copia luxurient.

§. VII. Quod ſi tamen vias hujusmodi inſvetas ſibi haud paret turgeſcens ſangvis craſſior, tamen ſtagnationes hinc inde producit & inflammationes, quæ nunc ſolo æſtu partiumque rubedine & dolore, nunc vero ſymptomatica ſimul febre accerſita & exulceratione, ægris ſumme moleſtæ & periculoſæ eſſe ſolent. Ex hoc fundamento etiam non infrequenter alviobſtructiones ſatis moleſtas contrahunt iter facientes, ſerum enim in ſangvine nunc deficiens per glandulas inteſtinales non ſecedit, unde defectus lubricitatis neceſſariæ inteſtinorum, ſimulque craſſities fecum nimia oritur. In aliis vero ſubjectis penuria hæc ſeri vocem raucam, planeque clangoſam gignit, dum fiſtula reſpiratoria quoad internā faciem arida relinquitur, unde nec refringi aër, nec debite modificari & in ſonum formari poteſt.

§. VIII. Poſſem facile plura commemorare damna ex iſthoc aëris vitio oriunda. Ni quoque ad noxam ejus ex humiditatum abundantia natam pergendum foret, quæ ſe frequenter manifeſtat in externo corporis habitu, relaxando integumenta, ſicque humorum refluxum impediendo, & laſſitudines dolores gravativos & lancinantes, ſtagnationesque varias humorum generando. Augentur vero hæc aëris damna notabiliter, ſi frigida ſe inſuper aſſociaverit inclementia v.g. ſi imber verno aut autumnali tempore dierum aliquot ſpatio cadat copioſus, aut à nive reſoluta ſolis calore, aliove terræ anhelitu tumeat atmoſphæra, aut ſi diverſoria in uliginoſis aut paludoſis locis ſita, vel dormitoria recenter mœniis cincta aut noviter calce inducta fuerint. *humidum*

§. IX. Quod ſi nunc ex ſolo hoc externo attactu excedentis humiditatis aëreæ adeo moleſta oriantur ſymptomata, quæ quæſo ab ipſa communicata viſceribus non expectanda erunt, utpote quorum tonus eo ipſo deſtructus non raro univerſo corpori exitium adfert! ſed ne forſan quis credat, me cum larvis pugnare aut umbras metuere, cum non adeo in aprico ſit via, per quam humidus aër ad interiora penetret, moneo, utique haud parvam copiam fluidi cum aëre in pulmones deponi reſpirationis tempore, & ex illis poſthac cum refluo ſangvine, cordis ventriculo ſiniſtro tandemque univerſis partibus communicari. Si dubitas de aſſerti veritate, en mihi aſſentientem *Pechlinum in Part. 1. Medico-Phyſico obſerv. 52. Poterium obſerv. cent. 2. 62. Joh. Baptiſt. Scaramuccium in M. C. Decur. 2. Anno. 9. obſ. 204.* qui curioſiſſimis obſervationibus dudum demonſtrarunt, ex hoc fonte inſignem copiam ſeri illius excrementitii, quod per inferius guttur

&varias urinarias ſubinde in Diarrhœa & Diabete excernitur, unice eſſe petendam. Adderem his viis aditum per poros cutis, ſi vulgi pluriumque Medicorum opinioni ſubſcribere vellem. Verum cum pelliculæ ſeu valvulæ ſingulis oſtiolis cutaneis adſtent ex obſervatione *Malpighii de Tactus organo*, mittam hunc tramitem, ſimulq; intentata peregrinantibus ex humiditate aëris damna, & aſſumam ejus ſiccitatem.

ſiccum. §. X. Equidem vix, & ne vix quidem abſolutam in aëre ſiccitatem nobis concipere poſſumus, ita ut humore omni careat, nam ſine eo interſperſo aër vitalis haud eſt, ſed illam ſolum ſiccitatem intelligimus, quando neceſſaria humiditas deficit, aut ſaltim præter modum diſſeminata & diſperſa eſt, unde fit, ut aër talis acquirat diſpoſitionem avide rapiendi humiditatem aliunde, & eo ipſo exſiccandi quaſcunque res humectatas. Vocat hanc aëris conſtitutionem illuſtris *Baco de Verulamio T. 2. de vita & morte operum Edit. Lipſ. p. m. 535.* deprædatoriam, deſiccat enim imbribus madefactam terram, lintea lota, herbas, & omne quicquid aquoſitatem in ſe habet; multo vero magis hoc facit, ſi vel extreme calidis vel frigoriferis partibus ſimul turgeat, aut ventis moveatur, quamvis non omnibus ventis hanc vim adſcripſerim, ſed inprimis Euro ſeu Subſolano, vulturno ac Boreæ, quibus tempore verno ac æſtivo, inprimis tamen Menſe Martio, vis hæc manifeſtiſſime ineſt. Hinc etiam artifices inſtrumentorum muſicorum ad ligna deſiccanda hocce tempus anni ſolum ſeligunt. Habendus itaque maximo jure ventus hic pro malefico eſt, nam ſpirans vere adulto & circa æſtatis initium, non vegetabilibus ſolum, ſed animalibus quoque nunquam non eſt infenſus. Quid igitur mirum, ſi ab hujusmodi aëre peregrinantium corpora exſiccentur, & aquei atomi fluidarum partium abripiantur ſummo cum damno totius œconomiæ animalis, adeo ut fauces aridæ fiant, nares, labia & cutis faciei & manuum dehiſcat, vox aſpera & clangoſa reddatur, tuſſis excitetur, febres, inflammationes, tumores, contracturæ aliaque plura graviſſima ſymptomata naſcantur.

§. XI. Sed ſatis de his. Nunc reliqua vitia aëris morbosq; exin peregrinantibus accidentes rimari libet. Turget quandoque aër ſalibus peregrinis corpori noſtro admodum inimicis, qualia ſunt quæ mare ſuggerit, quorumque collectio in aëre navigantibus & accolis imprimis Balthici, hoc eſt Friſiis & Danis certo ſcorbutum affert, qui poſtmodum Prothei ad inſtar præter ſymptomata iſta pathognomonica ſcelotyrbes & Stomacaces titulo à veteribus ſalutata, pleroſque morbos mentitur, & cum eis complicatur, uti in ſuo *Tr. de ſcorbuto* eleganter deducit *Eugalenus*, utpote in ejus morbi cognitione patriæ ſuæ endemii maxime exercitatus. *Salibus* *gidum*

§. XII. Occultiora, minime tamen mitiora ſunt illa ſalia, quæ cum nebulis aut poſt imbres delapſos quibusdam in locis replent athmoſphæram. Equidem quod nebulas concernit, non omnes vitio illo inquinatas aſſero, obſervantur enim quæ particulis mere aqueis conſtant, hincque vix, præterquam quod humectent aut aërem obſcurent, noceant, ſed ſolum illas intellectas volo, quæ fœdas quasdam impuritates antea à terra elevatas in ſinu fovent, & hæ interdum tetro odore, aut aliis manifeſtis pravis accidentibus malitiam ſuam ſtatim produnt, relinquendo in via, quæ aëri conceditur ad pulmones, ſpicula talia ſalina, unde tuſſis, ſpirandi difficultas & plurium aliorum morborum caterva. Nec aliter ſe res habet cum miaſmatibus, quæ poſt pluviæ caſum aëri admiſcentur una cum halitibus aqueis radiorum ſolarium, aut ſolius aëris ſiccioris ope ſurſum raptis, qualia in Gvinea & aliis quibusdam Africæ Provinciis poſt pluvias delapſas ſolenniter obſervantur, ſic ut nemo domo egrediatur tum temporis, niſi qui vitæ diſcrimina ſpernit. Et talia imminent etiam in tractibus quibusdam maritimis, ſic ut advenæ vix ejus limites ingreſſi ſtatim intermittentes febres patiantur. Huc refero etiam febres ardentiſſimas, caput potiſſimum infeſtantes, quas ſolenniter contrahunt euntes Roma Neapolim a menſe Junio ad exitum usque æſtatis, imo ad bonam autumni partem, de quibus videri poteſt

poteſt *Quercetanus in Diætet. Polyhiſt. ſect. II. cap. 1.*

[...]us in[...] [...]atum §. XIII. Huc ſpectat quoque aër caſtrorum ſordibus inquinatus, cujus adverſæ exhalationes plures ſæpe è militibus ac peregrinis adventantibus paucos intra dies jugulant, quam gladii acies aliquot menſium ſpatio, item aër in tractibus maritimis, præſertim prope æſtuaria aut paludoſa loca, cujus damna ſatis gravia hoc ipſo anno in Hungaria ad expeditionis initium miles noſtras expertus eſt, prout amica manus menſe præterito mihi reſcripſit. Vel qui Alexandriæ in Syriæ maritimis occurrit, ubi peregrinantes mercatores aliique, qui per negotia ibi aliquandiu commorari coguntur, brevi febribus putridis implicantur. Taceam ægyptiacum, qui quotannis febres peſtilentiales ab hyeme ad Solſtitium æſtivum uſque generat; & Indicum in Malacca, Bantam, Java, Petir, Sumatra, Mozambique & locis aliis, ubi piper creſcit, utpote advenis pene cunctis abſolute lethalem, aut ſaltim admodū exitioſū, ob febres ardentes, colicas, phrenitides, lipothymias &c.

[...]atio- metal- [...]efer- [...]n. §. XIV. Nec aliter ſe res habet cum aëre circa fodinas & furnos metallurgicos, nam quis neſcit exhalationes ſulphureas, vitriolicas, arſenicales & alias cauſticas atmoſphæræ ubertim communicatas non ſine periculo præſentaneo inter reſpirandum pulmones attingere, ſangvinique per eas partes continuo fluenti admiſceri. Inde enim unice morbi illi metallurgis proprii, aſthma puta, phthiſis, & tabes origines ſuas ſortiuntur. Et quid quæſo Londini Anglorum aliiſque pluribus in locis aërem adeo inimicū pulmonibus facit, homineſque ad exulcerationem pulmonum diſponit, niſi gas, ut ſtylo Helmontiano loquar, lithanthracum, quæ lignorum in locum ad ignem parandum focumque excitandum ſolent ſubſterni ab incolis.

[...]d cibum §. XV. At enim vero nunc urget tempus, ut, quid cibus & potus peregrinantium in producendis morbis culpæ habeat, conſideremus. Peccatur *[...]ntita- [...]e* vero & hic primo quantitate. Equidem de hac deficiente rarius his noſtris in oris conqueri habemus neceſſum, cum tanta illorum penuria haud laborent cauponæ & diverſoria, ut periculum aliquod immineat exinde peregrinanti. Aſt qui per mare longis itineribus aut per loca deſerta aut devaſtata eunt, ſæpe in graviſſima imo mortis ipſius pericula incidunt, dum ſcilicet nihil plane ipſis occurrit, quibus ſtomacho latranti queant ſatisfacere, exemplum vide apud *Lerium in ſua Navigatione* & paſſim apud alios.

§. XVI. Longe igitur frequentiora mala expectanda ex ingeſta alimentorum abunndatia, unde in tantum ſæpe augentur partes laudabiles chyli & ſangvinis, ut ſpiritibus reſiſtat & moveri per canales conſuetos deſinant, ex quo laſſitudo totius corporis, capitis dolor, febres, Epilepſiæ & Apoplexiæ ſubitaneæ ſubinde oriuntur. Nec hoc ſolum contingit, ſi indies euchymis eupeptis & polytrophis cibis impleatur ſtomachus, verum etiam unicus error præprimis poſt inediam aut diætæ tenuis uſum commiſſus ſumme noxius etiam deprehenditur, quod ſi opus foret, exemplis & rationibus poſſet illuſtrari facile.

§. XVII. Alio tempore gulæ hæc peccata diverſis viarum primarum cruditatibus ſubminiſtrant occaſiones infauſtas, præprimis ſi impediatur aſſumptorum converſio in chylum à motu nimio corporis immediate ſupervenientе paſtui. Hinc regulis peregrinantibus obſervatu ſumme neceſſariis inſerunt, qui præcepta tradunt, & hanc, ut ſibi potiſſimum caveant ab alimentorum copia in prandio, in cœna enim ſi usque adeo velint indulgere genio, veniam adhuc eſſe expectandā, cum ſomno & quiete per noctem conceſſa ingeſta hæc moles poſſet iterum reſolvi. Veruntamen nec hanc cautelam ut catholicam admittere poſſum, cum cunctis notum ſit, cœnam prolixam ſemper parere turbulentum ſomnum & excitare inſomnia moleſtiſſima, imo ſæpe ni robuſtiſſimus omnino fuerit ſtomachus, aurora ſubſequente adhuc ſentiri heſterna alimenta.

§. XIIX. Et tales cruditates viarum primarum imminent etiam peregrinantibus ex qualitate vitiata ciborum, adeo ut acida copioſius ingurgitata ſaburram acidam, pingvia & ſalſa nidoro- *& qualitate peccantem.*

doroſam, dyſpepta & gelatinoſa pituitoſam non ſolum in ſtomacho & inteſtinis facile generent, ac proinde occaſiones præbeant morbis plurimis. Inprimis nimium ſalita edulia vel ad aërem aut fumo indurata nocent, inducendo ſcorbutum & cachexias. Nec minus frigida abundanter aſſumpta haud conveniunt cum ſtomachi tono, utpote quem certo lædunt, ſimulque ventriculi menſtruum condenſant, unde poſthac cacochymia, inteſtinorum tormina, nec non diarrhϾ ſæpe numero fiunt graviſſimæ. Et hoc quoq; de nimium calefacientibus & enormiter aromatiſatis cibis monendum eſt, quod eos ſæpe exæſtuationes ſangvinis, inflammationesque viſcerum & ardores pede preſſo ſoleant inſequi.

item tempore incongruo aſſumtum. §. XIX. Sed tandem impingitur quoque à peregrinante circa tempus aſſumptionis alimentorum, ubi equidem id monendum eſt, nos neutiquam poſtulare, ut ſtata hora meridiana ac veſpertina prandeat cœnetque, nam ſæpe reprimitur iter, ſexcentaque ingruunt impedimenta introitum hoſpitiorum præcludentia. Nec menſa ſtatim, utut hoſpes acceſſerit debito tempore, unicuique ſtrata eſt, quin adhuc plures hodie reperiantur pantochei, quales *Deſiderius Eraſmus Roterodamus in ſuis colloquiis* graphice deſcribit ſub titulo diverſoria. Adeoque illos errores tantùm incuſare volo, quando nondum priore abſoluta chylificatione nova iterum ingeruntur alimenta, quæ in cruditates mutata doloribus gravativis & lancinantibus pluribusq; aliis ſymptomatibus infelicem dant anſam. Aureum hinc eſt monitum *Avicennæ illud, nil eſſe in corpore deterius, quam quando nutriens ſuper nutriens, quod nondum digeſtum, demittatur.*

quoad potum parciorem §. XX. Quæ de cibis nunc monita ſunt, de potulentis etiam intelligi debent. Nam nocet potus parcius aſſumtus, quod ſicciora alimenta non diluantur debite in ſtomacho, ſed craſſa ſpiſſaq; ſemper maneant, unde poſthac nec chylus laudabilis ſeparari, nec fæces alvinæ feliciter excludi poſſunt, quare non mirandum, ſi cephalalgiæ, Agrypnia, ſomnus turbulentus, ſpirandi difficultas & plura alia mala exinde reſultent. Deinde nocet etiam potus largius & ad ebrietatem aſſumtus, dum infinitis omnino periculis ſatis imprudenter ſe ebrioſi ſubjiciunt, quæ evitare feliciter poterant ſobrii. Præ reliquis vero ebrietas à vino aut ſpiritu vini evitanda eſt, cum horum potulentorum textura ſtomacho non ſolum & inteſtinis, ſed aliis quoque, ad quas transfertur partibus ſumme ſit inimica, utpote dolores lancinantes in artubus non minus, quam cephalalgias, artuumq; tremores &c. pariens. *largio*[…]

corrup[…] §. XXI. Non minora ſunt damna, quæ ex qualitatibus pravis potulentorum emergunt. Potus ſiquidem cereviſiæ acidulæ vel non probe defæcatæ colicis torminibus & diarrhœis dat occaſionem, quamvis alio tempore hæc ſymptomata ex diverſis potulentis etiam naſcantur, adeo ut peſſime ſibi conſulant peregrinantes, qui nullam tabernam prætermittunt, è qua non potum petant. Nil enim certius eſt, quam quod ex diverſis his potulentis ingurgitatis colica tandem aut diarrhœa, vel aliud grave ſymptoma ſit expectandum. Item notetur de muſto & vino novo nec ſufficienter fermentato, (quibus haud aſſveti ſæpe numero ſapore grato allecti enormiter ſe replent) ex eorum abuſu præter prædictas affectiones, inflationes abdominis vel urinæ ſuppreſſiones ſumme periculoſas conſequi ſolere.

aqu[…] §. XXII. Haud aliter ſentiendum quoque eſt de Hydropoſia ſeu aquæ potu: niſi enim quis aſſvetus fuerit, ne tantillum aquæ impune deguſtavit ob ſedimentum limoſum ordinarie fluido hoc admixtum, quod non ſecus ac priora nominata potus genera brevi vel ventris tormina, aut dejectiones alvinas excitare ſolet; ſpeciatim ſi gelida fuerit hauſta, & iter faciens incaluerit prius. Quo in caſu inſuper inteſtinor. inflammationes parit cum febribus ardentibus, aut obſtructiones lacteorum vaſorum tandemque hydropem. Et hæc mala ſequuntur quoque, ſi quis nivalem hauſerit aquam, aut paludoſam, fœculentam & ſemiputridam, quales è ſtagnis & ciſternis excipiuntur, vel putealem, quæ mineralia quædam ut plurimum habet ſecum; unde juxta

Hipp.

Hipp. Lib. de Aere, Aquas bibentibus ſplenes fiunt magni, ventres redduntur duri, attenuantur humeri & facies, creantur Peripnevmoniæ hyeme & æſtate dyſenteriæ.

...a con... umtem- hauſtum §. XXIII. Denique potus morbis dant anſam extra conſvetum tempus hauſtus, utut cœteroquin nullam in ſe habeat corpori noſtro adverſam qualitatem, adeo ut recte jam olim cecinerit Poëta:

Et data non apto tempore vina nocent.

Sub tempore vero iſto haud apto potisſimum venit matutinum, aut ſi ante prandium aut cœnam vacuo ſc. adhuc ſtomacho is infundatur. Equidem *Kozac. L. V. Horn. 7. Microcoſm. fol. 103. Tr. de ſale fol. 432.* contrarium defendere nullus dubitat, ſerio ſvadens ut quocunque tempore quis ſitiat potum aſſumat, nec qui ad auroram faucium ſentit ariditatem, ad prandii usque tempus expectet, ſed quantocyus fieri poteſt potus ſufficiente quantitate hauſta moleſtum illum ſenſum tollat. Veruntatem quotidiana reclamat experientia clarè demonſtrans ſtomachi tonum una cum appetitu deſtrui ex potu hoc intempeſtivo. Pariter & potus inimicus eſt ſtomacho nocte media & circa gallicinium adhuc aſſumtus, qui digeſtionem lædat corpuſque tandem ad cachexiam & hydropem diſponat.

...d mo- ...um §. XXIV. Sed miſſis & his occaſionibus morborum, pergo nunc ad illas, quæ ex erroribus circa motum & quietem emergunt. Equidem vix ex quiete nimia videtur imminere periculum peregrinantibus, ſeu equo ſeu pedibus ſeu curru vel rheda pergant, cum nunquam non ſatis defatigati, imo ſi longa, aſpera aut inculta fuerit via, enormiter laſſi & langvidi, ob nimias corporis concuſſiones paſſas hoſpitio ſe dent. Potius igitur motus *...ſivum* exceſſivus ipſis eſt infenſus; utpote qui immediate largum jentaculum aut prandium excipiens, uti ſupra dictum, chylificationem vel penitus turbat, vel crudum chylum nondumque ſufficienter à fæcibus repurgatum, vi quadam vaſis lacteis intrudit, unde tandem, ſi cumprimis ſæpius hæc cauſa ſe ſiſtat, dyſcraſia ſanguinis & cachexia emergit.

§. XXV. Hicce importunus corporis motus anſam etiam dat inflationibus inteſtinorum, dum cum alimentis aſſumptis aëreæ partes à ſuis, quibus hactenus detinebantur, compedibus, liberatæ commode excludi nunc non poſſunt, unde inteſtinorum cellulæ ac mæandri infarciuntur ſæpe cum ſumma moleſtia & dolore hypochondriorum. Imo non raro de ſedibus ſuis nativis penitus turbantur inteſtina, unde enterocele ſeu hernia inteſtinalis, utplurimum in inguine aut ſcroto ob relaxatam aut penitus diſruptam peritonæi tunicam, quæ impar erat diutius his concuſſionibus & preſſionibus reſiſtere.

§. XXVI. Patitur etiam ex inteſtinis illud, quod rectum vocatur, ſæpe numero haud levem injuriã circa exitum, ſi iter faciens rheda vehementius concutiatur. Exinde enim ſphincter ani notabiliter læditur, venæque ipſum perreptantes à ſangvine in motu ſuo impedito vel replentur ac tument cum ſatis inſigni dolore, vel rumpuntur ac dehiſcunt, ſanguinemq; plus minus copioſum fundunt, ſub titulo hæmorrhoidum tumentium ac fluentium. Qui equo vehuntur ſucuſſorio non raro iisdem obnoxii fiunt ſymptomatibus, frequentius tamen adhuc teſticulorum intumeſcentias & inflammationes patiuntur ex compresſione illorum violenta, dum equum conſcendunt ephippiatum, aut quando caballus ceſpitat aut refractarius inducere frenum ſibi recuſet. Alio tempore ex hac ipſa cauſa, ſphinctere veſicæ & perinæo compreſſo maxima infertur injuria, mictusque excitatur cruentus, & ob glandulas proſtatas nimium compreſſas gonorrhæa ſimplex, vel quandoque cum inflammatione penis moleſtiſſima conjuncta.

§. XXVII. Merentur ex hac cauſa oriundis ſymptomatibus etiam accenſeri attritiones cutis in regione perinæi & prope poſitis partibus, ſumme haud raro doloroſæ, adeo ut ne commode progredi, multo minus ulterius inſidere equo miſeri hi valeant, Germani affectum hunc vocant den Wolf. Abradunt etiam inter equitandum non raro ocreæ, & inter ambulandum calcei

calcei cuticulam nunc circa talos aut pedum digitos vel in alia ejus regione, aut ſaltim ita conteruntur integumenta externa, ut extravaſatum ſerum intra cutem colligatur, veſicasq; ſatis doloroſas excitet, à quibus poſtmodum remora ac moleſtia inſignis injicitur viatoribus.

§. XXVIII. Præterea experiuntur in pedibus & ſubinde in ingvinibus, & ſub axillis etiam aliud quoque ſymptoma importunum ex ſudore iis in locis ſtillante non raró ſatis fœtido ac adverſo, adeo ut non ſolum ipſorum viatorum ſed comitum quoque nares inde moleſte feriantur. Inprimis vero adverſus obſervatur

Quem pedis à digitis diffundit ruſticus hoſpes.
Qui longum pluvio tempore fecit iter.

Ejus vero cauſa eſt, quod ſordes has vel plane non aut inſufficienter removere ſtudeant, unde poſtmodum fit, ut ſalia in ſudore latitantia à continuo exercitio pedum agitata ſulphureis partibus ſociata, fœtorem hunc ſpirare incipiant, qui indies nova accedente materia augetur & accreſcit, imo ſæpe intra digitos pedum ſita cutis eroditur penitus cum dolore oppido moleſto.

§. XXIX. Tandem à motu illud etiam derivandum eſt ſingulare ſymptoma, quod quidem experiuntur rhedæ inſidentes, dum vertiginoſi fiunt nauſeamque ac vomitum incurrunt. In cauſa vero eſt objectorum viſivorum ſubitanea remotio novorumq; æque celeris repræſentatio, unde ſpiritus agitantur præter naturam, ſtatimque per conſenſum reliquos, inprimis per nervos ad ſtomachum fluentes ſimili abſurdo motu afficiunt. Nec aliunde deducenda ſunt navigantium hæc ſymptomata, quamvis in hoc caſu exhalationes maris adverſas aliquid ſimul habere culpæ admittant.

quoad excreta & retenta. §. XXX. Sed prodeant nunc in ſcenam damna ex excretis & retentis, ſeu ut alii loquuntur ex excernendis & retinendis oriunda. Maximam vero præ aliis moleſtiam graviſſimaque ſymptomata generant alvinæ fæces diutius retentæ, parum cedunt his malis flatus in inteſtinis incarcerati, quin ſæpe ſyrma graviſſimorum ſymptomatum trahant poſt ſe, de quibus jam olim *Schola Salernitana:*

Quattuor ex vento veniunt in ventre retento
Spaſmus, hydrops, colica & vertigo incommoda magna.

Imo ſubinde ſoli hi flatus firmius impacti inteſtinis mortis miſerrimæ fiunt cauſa, quale exemplum *Theodor. Zvvinger in Meth. Apod. L. III. fol. 281.* refert. Utrumque autem malum ex ſeſſione diuturna ſeu curru ſeu equo iter fecerint, facilè deduci poteſt. Et ſic excernenda ſi retineantur, morbis dare cauſam poſſunt, id quod etiam verſa vice obſervatur, ſi retinenda excernantur. Exempli loco ſit, ſi alimenta è ſtomacho per vomitum aut per alvum adhuc indigeſta, vel ſerum laudabile per habitum corporis, aut ſangvis per diſrupta vaſa expellantur, aut ſi denique à compreſſione regionis perinæi glandulæ proſtatæ ad ſtillicidium intempeſtivum liquoris ſui diſponantur.

§. XXXI. Devenio nunc ad errores in ſomno & vigiliis, ubi equidem vix ſe ſiſtunt morbi à nimio ſomno excitati, cum haud inveniat iter faciens occaſionem peccandi in illo. Nihilo tamen minus aliquando illis ſomnus fit cauſa morbi, dum inter dormiendum aut ſaltim occaſione decubitus ſcabie aut lue gallica contaminantur, quoniam in eodem lecto cubitare cum infectis, aut ſaltim horum lectum occupare coguntur, in quo quieti ſe haud ita pridem dederant tales ſcabioſi, unde miaſmatibus his contagioſis ad cutem humoresque translatis, morbis ſimilibus poſthac datur anſa. Et hac occaſione pediculi quoque nunc vulgares; capitis puta ac veſtium incolæ, vel palpebras, barbam & pudenda loca occupantes dormientibus communicantur. *quoad ſ[omnum]*

§. XXXII. Quod vigilias attinet, frequentius in iis delinquunt peregrinantes, inprimis ſi maximis itineribus & curſim (quod per poſtam dicunt) pergant aliquo. Exhinc enim non ſolum languor corporis manifeſtus cum appetitus proſtratione, verum tanta ſæpe confuſio & perturbatio ſpirituum *vigilia[s]*

um oritur, ut amentes penitus fiant, quale quid Anno ſuperiori nuntio cuidam iter ſuum in ſextum usque diem ſine interpoſito ſomno facienti contigiſſe recordor.

[An]imi pa[the]mata. §.XXXIII. Supereſt adhuc, ut animi pathemata etiam tanquam morborum conſideremus cauſas in noſtris peregrinantibus. Rariora equidem iſta, quæ curarum triſtitiæque nomine veniunt, ſunt iis, qui fortunæ bona largiter poſſident divitiisque abundant, ubique enim ipſis ex nummorum copia bene eſt. Aſt qui tenuioris ſunt fortunæ, quibus æs & nervi rerum gerendarum deſunt, frequentius iis ſunt obnoxii, indeque labores, ſomni defectum, appetitus proſtrationem, & tantum non cunctorum functionum læſiones contrahunt. Nemo mortalium, utut vel albæ foret gallinæ filius, immunis eſſe poteſt à terrore, metu, ira, & hujusmodi affectionibus, quas fortuna & caſus ſæpe ex improviſo excitare & ex illis inflammationes, febres, convulſivos motus, pluraque alia ſymptomata producere ſolent.

CAPUT II.

CURAM MORBORUM PEREGRINANTIUM SISTENS.

§. I.

Cum igitur noſtrorum iter agentium res ita ſe habeat, ut inſcii & inviti pluribus hiſce morbis præbeant occaſiones triſtes, magno ſemper cum ſtudio contra invigilare debent corporis ſui tutelæ, non ſolum ſcopulos, quibus impingere poſſent, evitando, verum etiam quantocyus fieri poteſt removendo cauſas morborum jamjam infauſte admiſſas, antequam ſcilicet profundas agant radices, rebellesque poſthac ac ſumme immorigeras ſe ſiſtant. Ut vero voti hujus compotes fieri poſſint, ad ordinem in priori capite circa recenſitionem cauſarum obſervatum, nunc apparatum ſingulis morbis convenientem ſubnectere placet; Brevibus tamen ut id expediam neceſſum habeo, ne præter modum creſcat Diſputatio, adeoque inprimis talia nominabo remedia, quæ experta non ſolum novi, ſed impetratu etiam facilia.

Remedia contra aërem frigidum. §.II. Aëris itaque inclementiam frigidam & cuncta exin eminentia damna avertet peregrinator veſtibus laneis texturæ ſpiſſæ, aut ſpoliis ferarum lupinis, vulpinis aliisque l. ſaltim goſſypio aut ſerico crudo ſubtectis indutus, è quibus femoralia, ſubuculæ, læna, manicæ, chirothecæ, perones, ſculponeæ, pro capitis, infimi & medii ventris, manuum denique ac pedum tutela ſpeciali parari poſſunt. Tuentur etiam pectus & pedes, ſi ipſis chartæ ſcriptoriæ aliquot folia arcte circumligentur; non enim frigus tam facile poros corporis hujus pertranſire poteſt, quam panni aut corii etiam compactiſſimi. Per longius adhuc temporis ſpatium pedes muniri contra has injurias poſſunt, ſi calcei lintei furfure calido, aut ſetis equinis infarcti induantur. Juvat etiam ſi ex commendatione *Tilemanni de mater. Med. fol. 133.* lixivio ex ſtercore columbino parato, vel ſpiritu vini rectificato abluantur loca aëri expoſita, aut ſi pingvedine quacunque aut oleo olivarum, vel linimento ex calce viva & oleo facto inungantur, de quo *Agricol. in Chir. parva fol. 669. & Keslcr. in Proceſſ. Chym. fol. 522.* videri poſſunt. Quod ſi tamen iſta nondum ſufficerint, motu corporis excitato pelli poteſt rigor ac ſtupor artuum, hinc equites aliquandiu pedibus iter conficere ſolent, frigoris moleſtiam ſentientes, ſi ſuccuſſorio equo non vehantur. Tandem ſi venter probè cibo calido repletus, aut vino generoſo aliisque potulentis ſpirituoſis corroboratus fuerit, vel ſi juxta Avicenn. allium aut cepæ comeſtæ ſint, diutius feret quis frigus, quàm ſi ſtomacho vacuo ejus ſævitiæ ſe commiſerit.

Defluxiones §. III. Quando vero à frigore obſtructis cutaneis poris defluxiones ad varias partes jam natæ fuerint, opus erit, ut iter ad diem unũ aut plures intermittatur ſi præſentia ſymptomata in tempore abigere, & pejora futura avertere velit. Interea aëre tepido utatur, ſtragulisq; corpus ſtudioſe & ad ſudorem usque cooperiat, ut denuo relaxatis poris cutaneis exitus paretur coacervatæ lymphæ, quod ſi nec his mediis

exire velit, vel laxativis aut diaphoreticis, vel pro loci affecti diverſitate errhinis, maſticatoriis aliisve evacuantibus ejiciatur. Dolores vero ſi ſimul excitentur, per Thermantica ſeu calefacientia Actualia & Potentialia, tam pro uſu externo quam interno convenient. Experta ex his ſunt in lancinatione artuum frictiones partis læſæ cum panno lineo calefacto, prævia inunctione ej9 cum ſpiritu vini rectificato ſimplici, Aqua Reg. Hung. vel alia Apoplectica, Epileptica, aut ab aromatibus vel aromatiſatis abſtracta. In odontalgia hac ipſa ſpirituoſa, aut alia acria in ore detineri, externeque genæ inungi debent. In colica lateres calefacti vetri impoſiti euporiſti ſunt, in ſpecie ſi vel cereviſia actu calida, vel hauſtus ſpiritus vini ſimplicis, vel à menth. cort. aurant. zedoar. aliisque aromatibus abſtractus ſimul ſorbeatur. Et hæc ſimili ratione adhibita curant etiam feliciter diarrhœas, ſtranguriam ac Teneſmum, ſolum quod in ultimo nominatis affectibus vel regioni inguinali, vel ano externè calefacientia applicanda ſint ſimul.

Bulimum

§. IV. Bulimus proveniens à frigore hyberno, ex voto non ſolum impeditur, ſed quoque curatur repleto ſtomacho. Notum id jam olim fuit militibus M. Bruti, cum enim Apoliniam obſideret cadentibus per plures dies nivibus, & ex hoc morbo frequenter animo deficeret, ad muros hoſtium accurrerunt & ab excubitoribus panis ſaltim fruſtum efflagitarunt, quo hunc ſuum ſupremum Ducem recrearent. Imo quo magis dyſpeptum fuerit alimentum, eo magis conveniet. Laudantur igitur præ aliis à *Rondeletio in ſua Praxi* Lucanicæ Bononienſes. *Sibaldus* autem *in Prodrom. Hiſt. Natural. Scoticæ* reſinam deglutitam convenire perhibet, & *Veget. in Arte veterin. l. III. c. 38.* in jumentis ſola terra largiter faucibus intruſa hunc pelli morbum docet. Nam quo diutius alimenta hæc moram trahunt in ſtomacho, eo felicius dolori & ſyncope ex ſtomachi parietum compreſſione oriundis reſiſtit. Non tamen nego ab ipſis etiam partes frigoriferas ad ſtomachum transmiſſas abſtergi, quæ *Bartholini* eſt ſententia §. 4. c. 1. citata: citius igitur his adhibitis effectum deſideratum eſſe expectandum credo, quam ex ſola vehementiori tuſſi, cui *Frommondus* ad excuſſionem harum atomorum primum locum offert, non enim in tuſſi ex ſtomachi interioribus eliditur aër, ſed potius è pulmonibus & aſpera arteria. Tandem addi his remediis cunctis illud *Michael. Savanar.* etiam debet, qui *Prax. Tr. VI. c. 13.* laudat, nempe Bucellam panis aſſati vel bis cocti infuſum in vino generoſo.

reſpirationem difficilem

§. V. Si Pleuritidem, Peripnevmoniam aut Aſthma à frigore quis contraxerit, ne longa ſtagnatione ſangvinis in his reſpiratoriis organis functio hæc abſolutè ad vitam neceſſaria penitus ſufflaminetur, ſubitò ſecanda eſt vena, ut redeat ſangvini circulatorius motus ſuus. Quo facto coagulationi jam præſenti ſalia urinoſa volatilia & ſalſa, v. g. ſpirit. C. C. Eſſentif. ſpirit. bezoard. Buſſii, tinctura bez. Mich. aut Terrea diaphoret. mandib. luc. piſc. raſ. dent. apr. antimonium diaph. ſimpl. & martial. lap. cancr. & C. C. uſt. &c. opponenda ſunt. Cui intentioni etiam inſerviunt actu calida potulenta, quæ præ cunctis ſudorem elicere deſideratum ſolent, & quidem ſatis largum, ſi in loco debite calefacto asſumantur, ſtragulisque neceſſariis cooperiatur corpus. Non malè externe quoq; lintea calefacta, aut ſacculi quibusdā vegetabilibus infarcti, vel veſica bubula lacte aut Aqua calida repleta ſupra locum dolentem ponuntur, & dolore nimium urgente ſimul papaverina & opiata adhibentur.

Perniones Stupores &c.

§. VI. Perniones, Phlyctenæ, ſtupores & contracturæ poſtulant tractari interne per diaphoretica tam fixa quam volat: aſt externe circa principium omnia calida reſpuunt penitus, & deſiderant e contrario frigida, quapropter ante etiam, quam hypocauſtum diverſorii peregrinator ingrediatur, affricando nivem partibus à frigore tactis, aut immiſſione in aquam frigidam fugitivos e partibus ſpiritus non ſolum advocabit, verum quoque ipſas atomos frigoriferas rurſum expellet, quæ alias caloris externi ope magis ad interna cum omnimoda tubulorum ac villorum dilaceratione pelluntur. Quibus factis pro

reſol-

reſolvendo congelato ſangvine Petrol. vel oleum pini a. ceræ deſtillatum inungatur, vel externe ſola terebinthina applicetur, vel loco horum ſpirit. ſalis Armon. & C. C. tandemque ſperma ceti, quod præ omnibus deprædicat *Muys in prax. chir. rational. Dec. V. p. 82.* Si tamen jam emortuæ ſint partes læſæ, nec his reſolvi poſſit congelatus ſangvis foveantur membra calido Decocto rutæ, ſcord. abſinth. ſeminisque urticæ in vino facto, aut fricentur ſpir. vin.camp. præmiſſa ſcarificatione, applicatione hirudinum. Aſt ſi ne dum quidem vita redeat, ſed necroſis cum fœtore partis læſæ appareat, exſtirpari debet ea, ne aliæ vicinæ, hucusque ſinceræ eodem malo afficiantur.

…nolentiam.

§. VII. Nimia autem frigoris ſævitia ſi iter faciens torporem artuum& propenſionem ad ſomnum ſentiat, ſedulo ipſi eſt cavendum, ne indulgeat ſomno, utut urgeat is ſummopere, actum enim eſt alias de vita ejus, ſepelieturque certo certius æterno ſomno brevi, ni reſiſtat pro virili tentationi huic: moveat itaq; ſeſe, ſubſultet cum ſummo niſu, & ſi ipſi vires non ulterius ſufficiant, comites ejus in ſe ſuſcipiant illud extremum charitatis officiū ut admoneant, ne ſtupori aut ſomno cedat, ſi verba non juvent, trahant invirum protrudantque, quo miſerum à præſentaneo lethi periculo eripiant.

…iſus læ… …m aver… …dam.

§. VIII. Viſui ex ſplendore nivis imminens periculum averti poteſt, ſi quis pannum nigrum vel alium colore obſcuro tinctum ante oculos in via gerat, quod profuiſſe militibus *Xenophon Autor eſt Lib. IV. exped. Cyri. Nurenbergius* vero affirmat incolas rupium regni Tibet adverſus cæcitatem ſe defendere ocularibus non vitreis, ſed ex quodam retium genere contextis, prout videre eſt in ejus *Hiſt. Natural. C. 69.* Aliis tamen Paropia vitrea ſuffeciſſe, quibus alias æſtivo tempore pulveris irruptioni in oculos occurri ſolet, experientia conſtat. Quib9 tamē jamjam malum hoc cum oculorum inflammatione & dolore accidit, illis applicentur tepida ophthalmica uſitata.

…aſmum …ngvinis …caven…dum & tollendum

§. IX. Ebullitio ſangvinis ex cælo nimis calido nata pene ſolenniter prævaveatur, ſi quantum poſſibile ſolarium radiorum importunus attactus evitetur. Solent igitu prudentiores Viatores antelucanis temporibus & cælo albeſcente derelinquere diverſoria, iterque facere uſque ad meridianas horas, & poſthac curſum inclinante die, donec ſe primæ intendant tenebræ, curſum tenere propoſitum. Ceſſante enim cauſa, juxta Canonem vulgatiſſimum, etiam effectus ceſſat ut plurimum. Remanente tamen ulterius orgaſmo tali opponenda ſunt vel actu frigida, v. g. Aër aut potus gelidus, cavendo tamen ſummo cum ſtudio, ne quid nimis fiat, vel acidula, uti ſunt Succ. Citr. Tinct. Fl. Beliid. Roſar. Papav. Tunic. &c. aliaq; aciditatem non adeo manifeſtam in ſe habentia. Et talia etiā in ſiti nimia ex hac cauſa aucta pro cura non minus, quam præſervatione ſufficiunt. Inſuper tamen remedia commendantur ut ἄδειψα, quæ volutata in ore vel ſola motu alliciunt ſalivam, qualia ſunt globuli plumbei, lapilli exigui, cryſtalliq; fruſta vel quatenus, dum maſticantur, maxillas ſimulq; ſalivales ductus exercent, quorſum *ex Theophr. relatione in Hiſtor. Plant. L. IX. C. 13.* hyppace Scytharum maſticata pertinet, quo nomine *Dioſcorides L. II. C. 25.* Caſeum equinum intelligendum eſſe docet; *Plinius* vero *Hiſt. Natur. L. XXV. C. 8.* vegetabile aliquod. Simile quid ſperandum quoq; ab hauſtu Spiritus Vini, qui ſua acrimonia non ſolum elicit obſtructam ſalivam, ſed quoque ob virtutem ſedativam ebullientes humores & ſpiritus ad tempus refrænat.

contra Febres ardentes

§. X. Febrium ardentium, ex hac ſangvinis ebullitione oriundarum, impetus refrænari poteſt haud felicius, quam refrigerantibus & diluentibus, uno verbo: liberali aquæ frigidæ potu, quem non ſolum à *Galeno* commendatum legimus, ſed in Italia alioque ſub climate fervido quotidie æſtatis tempore cum fructu adhiberi deprehendere poſſumus: Conf. *Smet. in Miſcel. Medic. L. III. p. 161.* Confirmat etiam efficaciam hujus remedii *Arnd.* Gebhard von Stammern in der Morgenländiſchen Reiſe-Beſchreibung *c. 4. p. m. 91.* proprio & Comitis ſui exemplo, qui ambo largius ingurgita aqua, ſomnum non ſolum advocarunt huc-

hucuſque abſentem, ſed eo ipſo febres ſumme ardentes profligarunt. Poſſunt tamen in illis, qui ſibi à ſimplicis aquæ cruditate metuunt, julapia ex aquis deſtillatis refrigerantibus facta, ſimulq; remedia nitrata ſubſtitui commode.

Hæmorrhagias

§. XI. Cedit his Nitratis non raro etiam hæmorrhagia talem orgaſmum ſangvinis ut cauſam agnoſcens, nimia tamen ſi ea fuerit & compeſci ſtatim ſe haud patiatur, V. Sectio eſt adminiſtranda larga, intus vero & Terra ſigill. Bol. armen. Raſ. Dent. Apr. it. Hippopot. Teſt. Ovor. Corall. vel Spiritus Salis aut Vitrioli cum opii Eſſentia maritatus dari poſſunt, utpote quibus partim ſangvis avertitur, aut quodammodo coagulatur, eoq; effrænus ejus motus ſedatur. Minime tamen ſtatim à principio hæmorrhagiæ accedendum eſt ad hæc remedia, cum ſæpe pluribus aliis imminentibus non minus, quam actu præſentibus graviſſimis affectib9, hicce laudabilis naturæ conatus præſcindat anſam. Inprimis vero inflammationibus, quæ talem eductionem ſangvinis remedii loco pene ſolenniter una cum remediis diluentibus & blande reſolventibus poſtulant.

alvi obſtructionem

§. XII. Et hæc utramque etiam abſolvunt paginam in cura alvinæ adſtrictionis, quæ à feri dilapidatione dependet. Nam ſi modo potum tenuem largiter his exhibueris, non raro inde levamen ſentiri obſervabis. His tamen non ſufficientibus laxativa implorari debent; ſc. fol. S. S. S. vel in ſubſtantia vel in infuſo, Tamarind. Caſſ. fiſtul. Mann. Calabr. aut mellita vel Saccharata quævis, it. paſſulæ, pruna, uvæ & ſimilia. Quoniam autem ſæpe nullum horum acquiri poteſt, ſi ſcilicet peregrinator in pago diverſari cogatur, ex domeſticis remediis ſequens allegabo, cujus effectum felicem obſervavi aliquando in itineris mei ſocio. Laborabat hic pertinaci per plures dies ſtipticitate alvi, cum alter ex comitibus poculum vitreum fumo tabaci repleret & immediate poſt cereviſiam infunderet, hauſtumque hunc epotandum daret noſtro ægro, in momento pene ipſi alvus aliquoties cum ſummo levamine ſoluta eſt. Huc etiam ſpectat oleum olivarum cum juſculo aut cum pane largiter aſſumtum, de quo videri poteſt *Borellus Cent. II. Obſ. fol. 116.* Et his ultimis remediis etiam raucedini obviam itur, vel ſi loco eorum lohoch. & ſyrupi de farfara, Eryſimo Lobelii, violis, jujubis, ſebeſte, papav. &c. vel mel cum nuce Moſchata aut medulla crurum vituli butyrumque non ſalitum cum Sacharo mixta, tandemque ſuppoſitoria adhibentur.

Aſthma, tuſſim, dolores artuum

§. XIII. Devenio nunc ad aëris humidioris damna, quæ ſe per laſſitudines, dolores artuum, Aſthma, tuſſim, manifeſtant, pro quibus avertendis ea nunc commendari debent, quæ ſangvinis has ſordes educunt tempeſtive cutis per poros, ſimulq; frigiditati reſiſtunt. Aſſumat igitur peregrinans jentaculi loco juſculum calidū, vel bibat tantillum vel ſimplicis vel aduſti vini, aut deguſtet fruſtulum de rad. Galang. Zedoar. Coſt. Cinnamom. Zingib. & Nucibus Moſch. in India conditis, aut de conſerva l. confectione aliqua aromatica. Svadeo quoq;, ut veſtibus compactis corpus muniat contra frigiditatem humiditati junctam, & ſi hoſpitii fert conditio, focum accendere luculentum jubeat, aut Suffumigiis aëris hanc qualitatem pravam corrigere ſtudeat prius, quam dormitorium ingrediatur. Nunquam tamen, ut cubiculum recenter muris cinctum aut calce incruſtratum occupet, autor ſum, aut ſaltim ne undiquaque ſomni tempore illud claudatur proſpiciat, majus enim tum imminet periculum, quam ſi aëri liber acceſſus adhuc relinquatur. Ubi vero jamjam corpus occupavit prava hæc humiditas, exſiccanda eſt Evacuantibus Catharticis, Diaphoreticis, Bechicis, aliisque.

remedia aeris ſiccitate

§. XIV. Ex oppoſito ſiccioris aëris noxæ humectantibus corrigantur, quorſum non ſolum juſcula tepida, potusq; frequens Thee ac Coffee faciunt, ſed quoque mucilaginoſa, utpote à quibus irretitæ humiditates tam cito ſe abripi ab aëre ſicciore haud patiuntur, ſpeciatim tamen inſerviunt partibus externis, ne dehiſcant ab iſto aëris attactu, ſi facies frequenter lacte abluatur, vel labia unguento de pomis albo camph. aut ſimili inungantur, ſic enim aliquandiu ſine læſione attactum

hunc

hunc aëris ferent. Quæ vero ex his remediis contra raucedinem, inflammationes & reliquos morbos ex abſentia ſeri oriundos, aut adverſus caliditatem vel frigiditatem aëris inſerviunt, ſuperius jam expoſita ſunt.

ſalibus ſcente §. XV. Quando aer nimium Salibus turgeſcens deprehenditur, præſervatoriis remediis vix & ne vix quidem iri poteſt obviam iis, quos producit effectib9: cum enim fluidum hocce externe noſtrum corpus circumambiens reſpirationis tempore intra pulmones ſangvi, ni è cordis ventriculo dextro illuc miſſo, commiſcetur, corrumpitur ſtatim, ejuſq; mobilitas nativa deprimitur ita, ut penitus vappeſcat ac aceſcat brevi. Quicquid igitur hic agi poteſt, id omne ad tollendam ſangvinis hanc texturam læſam dirigi debet. Cui intentioni præprimis ſatis faciunt cuncta Antacida aliaque Reſolventia acria, uti ſunt ſedum min. beccab. chelid. min. cochl. naſturt. bell. min. dracunc. eſcul. piperit. fol. rec. ſilig. & Imp. rad. armor. Ex Animali Regno ſalia volatilia ſimplicia & oleoſ. non contemnenda ſunt, ſc. ſpir. cornu cervi Eſſentif. ſpirit. urinæ, ſalis arm. aniſat. lavend. ſuc. ſaſſafrat. &c. Nunquam tamen cunctis his hanc malam ſangvinis conſtitutionem emendabis ex voto, ni aërem hujusmodi miaſmatibus ſalinis imbutum penitus cum alio humidiori commutes. Hinc enim unice eſt, quod navigantes ſymptomatibus miſerrime vexati in Inſulis oceani S. Helenæ & Bermudes dictis, ſubito & ſponte ſua reconvaleſcant.

§. XVI. Ad evitandam tamen malitiam illorum ſalium, qui ſæpe numero cum pluvia ac nebulis delabuntur, pinguia ac illinentia fauces conveniunt. Recte hic agunt iter facientes, ſi juſculum pingve antequam in viam ſe recipiant, aut ſaltim panē butyro largiter illitum aſſumant, vel ſorbeant cochlear unum aut alterum olei oliv. aut amygd. dulc. recenter expreſſi, vel ſolitarie vel cum ſpiritu vini, quod ultimum veterani cujusdam peregrinantis, qui ſexagenario major pene continuo iter egit, præſervatorium remedium eſſe ejus ex ore habeo. Si tamen neq; his fidendum, maneat in diverſorio peregrinator, ſi modo arbitrii ſui fuerit, donec diſſipatis his miaſmatib9 inſons rurſum reperiatur aër. Hoc etiam obſervabit monitum, ſi aliis inimicis exhalationibus turgeſcere aërem noverit, tardius ejicitur quam non admittitur hoſtis, caveatque ſibi hac ratione, ne infauſtus ſequatur eventus, & atrociſſimorum remediorum ingruat neceſſitas, qualia licet adhuc exiguæ ſpei, *Quercetanus* illis, qui febres ardentes contraxerunt Roma Neapolim menſe Junio, Julio & ſqq. euntes, commendat, ut ſcilicet caput crebris inciſuris ſcalpri, aut cauteriis tam actualibus quam potentialibus aperiri ſibi patiantur.

§. XVII. Reliqua quod attinet Aëris vitia, certiſſime emendantur mutatione ejus, quod etiam de miaſmatibus ſcorbuticis jam monitum eſt, optime igitur ſibi conſulunt, qui effluviis putridis, acribus, metallicis, ſulphureis, aliisque turgidum aërem relinquunt penitus, locaque ac terram aliam quærunt. Olim id ſtudioſe obſervarunt Romani phthiſicos ſuos & aſthmaticos ad Tabias, locum ſicci aëris, & ſereni in Campania prope Veſuvium, vel quorum vires & rationes longinquam navigationem ferebant, Ægyptum ablegantes. Hodieque nil frequentius eſt, quam ut lithanthracum, aut aliarum fumoſarum exhalationum damna mutatione locorum cum rure ex voto curent. Cæterum ex perſpecta accurate natura vitiatæ atmoſphæræ, alius aliusque quærendus eſt aër, non enim indifferenter tantum ſoli verſio pro cura ſufficit, exhalationes humidæ ac putridæ locum exigunt arenoſum aut cretaceum, vel habitaculum in altiori loco poſitum, miaſmata acria ac fervida ſolum lutoſum, aut hujus terra pingvis & nigricans exhalationumque frigidarum ac craſſiorum fœcunda ſit. Quod ſi tamen circumſtantiæ inevitabiles hanc mutationem loci haud admittant, conſuli poteſt vitio cuilibet artificioſa ſuffumigatione, de qua *Chriſt. Bonett, in Tab. Theatr.* videri poteſt, ubi talem ſuffituum ac halituum apparatum operoſe ſatis tradit.

aut vaporibus metallicis impræ gnato.

§. XVIII. His abſolutis conſideranda ſumo

contra damna cibi da fumo damna cibi & potus. Equidem ſi plane deſint alimenta, remediis nullis latranti ſtomacho fieri poteſt ſatis, adeoque utplurimum poſt diem ſeptimum miſere pereunt, quibus alimenta cuncta denegantur, quamvis teſte Plinio fuerint inventi, qui ad undecimum imo diutius adhuc perdurarunt. *ſi deficiat* Dantur nihilominus remedia ἄλιμα, h. e. quibus in uſum vocatis tolerabilis fit fames, & tale eſt teſte *Nicol. Manandes Hiſt. ſimpl. Medicam.* quod Indi in foliis tabaci cum teſtis concharum in pilulas formatis inveniunt, utpote quarum maſticatione ac comeſtione per aliquot dies ſe a fame & ſiti præſervant. Idem obtinebitur a tuberibus aſtragali ſylvatici in aqua maceratis & dentibus comminutis, quibus Scoti venationi intenti famem & ſitim per quatuor & plures adhuc dies arcere ſolent, vid. *Sibaldus in Prodrom. Hiſt. Nat. Scot. Part. II. p. 11.* ubi fuſe probare annititur hanc radicem illud alimenti fuiſſe genus, de quo Dio in vita Imperatoris Severi, cujus ope Britanni ab hoſtibus preſſi, aliquot per dies famem ſitimque tolerare potuerunt. Confer. etiam *Blegny in Zod. Gall. Anno III.* Faciunt huc quoque butyrum præſertim recens & bonum, item catapotia ex adipe vaccino liquato aut cum oleo olivarum & melle facta l. epar ovillum aliudque aſſatum & comeſtum, vel amygdalæ manducatæ modo ſolitarie, modo cum ſacharo mixtæ & in fumo coctæ, quæ panis Marcius & vulgo Marcipan vocantur. Tandem compeſcitur ad tempus fames, ſi faſciæ vētri arcte circumjiciantur, de quo experimento meretur legi *Baricell. in Hort. Genial. ex Aul. Gellio* referens Tauram. Philoſophum dum fame maxime moleſtabatur, compreſſis hypochondriis, & ventris ſtrictione, ipſam feliciter inhibuiſſe.

copioſius aſſumptus. §. XIX. Ne noceant largius aſſumta alimenta juxta regulam à nobiliſſimo Autore Medicinæ corporis & mentis traditam, ſemper quæ ſapore & natura diſcrepant alternatim ſumantur, v. g. humida cum ſiccis, pingvia cum macilentis, ſapida cum inſipidis, calefacientia cum refrigerantibus, ſapida cum inſulſis, acida cum dulcibus, quo priorum vitia per ſubſequentium qualitates contrarias ſtatim emendentur, deſtruantur. Hinc igitur eſt unice, quod copia horariorum fructuum aſſumpta non æque noceat, ſi panis fruſtum ſimul comedatur, nec ſalſa v. g. haleces aut caro ſale condita ſitim excitent, ſi ſtatim panis fruſtum poſt eſum illorum deguſtetur. Quod ſi vero jam natæ ſint laſſitudines & gravativus langvor artuum, capitisque dolor, ea excitatus ſudor largior aut inedia unius vel plurium dierum, vel parcior ſaltim uſus ciborum tollet. Tutiora non minus quam certiora ſunt hæcce præ aliis evacuantibus inprimis purgantibus ac Venæ ſectione, quæ à quibusdam pro avertendis his ingluviei damnis commendantur, nam particularia tantum ex inteſtinis ſaburram, & ex venis ſangvinem evacuant, adeoque non primariæ morbi cauſæ ſatisfaciunt.

§. XX. Cruditatibus primarum viarum ex alimentorum copia vel qualitate prava, aut inſveto tempore aſſumtis ortis, ſuccurritur pro ſaburræ hujus diverſitate nunc Ant-acidis, ſi nempe aciditas præternaturalis adſit, qualia ſunt (1) terrea abſorbentia v. g. lap. cancr. & eb. uſt. l. philoſoph. ppr. oſſ. ſep. mat. perl. pulv. corall. conch. cret. bol. alb. teſt. ovor. (2) Salia fixa tartari, abſinth. cent. min. &c. volatilia ſpirit. cornu cervi, ſalis Armon. urinæ, (3) Martialia Lim. mart. croc. mart. aperitiv. Tinctur. mart. cum ſucc. pomor. borsdorff. vitriol. mart. Zwælff. Liqu. mart. ſolaris. In cruditate Nidoroſa rurſum ad terrea prædicta confugiendum eſt, & ſi iſta non ſuffecerint, acida implorentur, è quibus inſtar omnium Elix. vitriol. Mynſicht. & propriet. acid. aut ſaltim acetoſitatem mali citri commendo. Conveniunt etiam vomitoria, imo ſæpe tantæ ſunt efficaciæ, ut omnes moleſtias incantamenti ad inſtar removeant, tempeſtive in uſum vocata. Et hæc quoque laudem merentur, ſi à dyſpeptis, aut nimium gelatinoſis alimentis pituitoſum natum ſit colliquamentum; poteſt tamen & iſtud ſalino-ſalſis remediis aliiſque aromaticis ſubinde curari, ſi nempe in tempore vocitentur in uſum. A frigidis alimentis

cruditat[…] primaru[…] viarum […] duxeri[…]

vero

vero ſi calor ſtomachi debilitatus fuerit contrariis actu calidis, aut ſaltim calefacientibus cibis ac remediis ſuccurrendum eſt, quo vini generoſi potus in ſpecie calidus, aut cum aromatibus conditus ſub titulo vini Hippocratici & claretti pertinet, aut hauſtus vini aduſti, aut alimenta largiter aromatibus præparata &c. Et ſic verſa vice noxa ex abuſu hoc calidorum, aut calefacientium refrigerantibus tollitur cum regimine, hoc eſt pedetentim aſſumtis. Nata vero jam inflammatione, per V. S. & diaphoretica corrigendum eſt morbificum hoc productum.

[...] da- [...]x po- [...]ectu.

§. XXI. A potus defectu ſeu parciori uſu quæ ſequuntur ſymptomata, copioſiori aut tenuiore aſſumto utplurimum abiguntur, adeoque ſi potus in quibusdam locis ordinariis forſan non ſit ad palatum peregrinantis, hauriat interea infuſ. Theé & Coffeé, quod ultimum ſaltim ad bina vel terna pocula frigide ſorptum elegans eſt ſolutivum. Inſerviunt præterea alimenta laxativa, è prunis, pomis, uvis, paſſ. ficub. & coctis oleribus parata. Nullus tamen ſi ab horum uſu ſequatur deſideratus effectus, uſurpantur ſtimulantia ſupra indicata §. 12. Noxa à potu nimio inprimis inebriativo imminens, evitabitur omnium feliciſſime, ſi abſtineas ab ipſis; magiſque expertum eſt conſilium hoc, quam ſi ad evitandam temulentiam ex juſſu Fontani braſſicæ folia grandia in frigida macerata, capiti inter potandum circumliges, aut oleum olivar. vel amygd. dulc. vel braſſic. decoctum aut lactis copiam prius epotes, vel ſpir. ſal. aut ſalis armon. inter compotandum aſſumas. Ne tamen ſine ſolatio maneant inebriati, ad abigendum iſtud ſymptoma ſvadente *Langio in ſuis Miſcellan.* frontale applicetur ex capite mortuo vitrioli & aceto roſaceo, aut teſticuli immergantur mixturæ ex ſucco ſempervivi, maj. aceto acri & nitro, aut tandem immediate poſt Theé infuſum calidum hauriant largiter.

[...] nimio [...]bria- [...]o.

[...] acido [...] inus [...]cato.

§. XXII. Si cereviſiæ acidæ aut non probe defecatæ potus colicam aut diarrhœam peperit, acidum præcipitantia §. *hujus Capitis 20.* indicata inſerviunt, aut Nux Moſch. cum pane toſto ſumta, aut alia ex aromatibus, præ reliquis Coſtus, Caryophyll. aromat. Cinnamom. Nec amara ſperni debent & ex illis præ aliis abſinth. quod euporiſton præſervatorium eſt, ſi ejus extractum cum vino geroſo bibatur. Et hoc quoque optimum eſt, ſi quis muſto aut vino recenti vel aqua hauſta inteſtina irritaverit, carminativa quoque & quæ alvum ſubducunt, in ſpecie Clyſmata, tandemque urgente ſcilicet nimio dolore, opiata quoque imploranda ſunt. Quando vero ex frigido potu poſt enormem corporis excaleſcentiam aſſumpto febres aut inflammationes enatas videas, tempeſtive diaphoretica, venæſectio, aliaque quibus ſtagnans & coagulatus ſangvis reſolvi, & ad motum novum diſponi poteſt, uſurpata adeo convenient, ut ſine iis vix evitari poſſit periculum vitæ. Tandem damna metuenda ex potu inſolenti tempore aſſumpto regimen diætæ magis accuratum avertet. Quod ſi tamen quis ſomni tempore ſolenniter ſitiat, illi autor ſum, ut ſedulo occaſiones omnes, unde ſitis naſci poteſt præſcindat, quod fiet ſi evitaverit ſalſa viſcidaque alimenta. Aſt ſi ne tum ſtimulus iſte ceſſat, conſilio auſcultet Hippocratis in Aphoriſmis, quod tale eſt, qui de nocte bibendi ſunt appetentes, hos admodum ſitientes juvat adire ſomnum.

frigido

inſueto tempore aſſumto.

§. XXIII. Nunc ſequitur cura morborum ex erroribus circa motum & quietem ortis, ubi præcautionis gratia, ne ſcilicet motus corporis nimius dolores lumborum ac laſſitudines pariat, faſciæ circumjectæ regioni lumbari conveniunt. Ad evitanda autem alia ſymptomata, vel non immediate à jentaculo aut prandio itineri ſe det, vel ſi arbitrii res illud non fuerit, ſaltem minorem copiam alimentorum aſſumat, tandemq; ſi jam cruditates & cachexias ex neglectis his monitis natas obſervet, reſolventibus remediis aut ſudore & inedia emendare hæc vitia allaboret, flatibus vero inde genitis pandat portam interiorem per alium ſitum corporis, aut carminativa & laxativa remedia ſuperius indicata.

Cura morborum ex erroribus circa motum.

§. XXIV. Herniam ſi paſſus ſit, eo allaborabit, ut repoſitio illapſi inteſtini fiat citiſſime, quam manu vel propria vel Chirurgi cujusdam experti obtinebit,

Hernia.

bit, ſpeciatim ſi capite declivi natibusque paululum elevatis æger ponatur, niſi forſan vel flatus vel fæces inteſtinis infarctæ obſtent, quibus in caſibus internis carminativis & laxativis aut externis fotibus ac cataplaſmatibus obſtacula prius removenda ſunt. His factis deſideratoque regreſſu inteſtinorum viſo nil reſtat, quam ut ex tempore adſtringentibus impoſitis, & convenienti ſubligaculo adhibito, impediatur novus egreſſus illorum.

Hæmorrhoidum. §. XXV. Tumoribus hæmorrhoidum expectandis ex diuturna ſeſſione & concuſſione ani præſcindi occaſio poteſt, ſi iter faciens inſideat molliori tomentitiæ culcitræ, aut quæ magis accommodata eſt, cujus inferior pars gyriſtas ferreas habet affixas, quarum elaſticitati incumbens in æquilibrio ſemper detinetur, immuniſque eo ipſo fit contra importunas jactationes corporis. Jam vero excitatis his tumoribus lenientia imponantur doloremque ſedantia, ut ſunt ungvent. de popul. alb. camph., de ceruſſa aut minio, vel oleum hyper. lib. alb. verbaſ. aut lini, vel medulla crur. vituli cum butyro non ſalito. Accedente vero inflammatione deveniatur ad vinum calidum cum ſalvia & major. decoct.: vel ad aquam Reg. Hung. aut vini ſpirit. Camphoratum, quæ ipſa in teſtium partiumque reliquarum adſtantium contuſione ſumme quoque proficua ſunt. Cave modo ne nimia acrimonia dolores exaſperet, quare ſi id metuendum temperanda & diluenda ultimo nominata per alia mitiora eſt. Quod ſi tamen ſtillicidium ſangvinis ſeminisq; non deſinat, adſtringentia tam interna quam externa, & præ omnibus ſiphonis ope in urethram calide injecta ultimam abſolvunt paginam.

Attritæ cutis. §. XXVI. Cutis attritio inunctione ſevi cervini aut alius certiſſime tollatur, quæ vero ex eroſione & emollitione cutis à nimia ſudorum excretione fit, aquæ frigidæ aut tepentis frequenti abluitioni auſcultat, quo remedio

Sudoris fœtidi. ſudori fœtido pedum aliarumve partium etiam occurritur, ſi nimirum ſingulis diebus, potiſſimum tempore decubitus, labor iſte repetatur, aut ſi commodum peregrinanti non fuerit adeo ſtudioſe abluere loca hæc, mutentur ſaltem indies induſia aut calcei linei, interſtitiiſque digitorum in pedibus adſpergatur adſtringens aliquis pulvis ex foliis Theé Rad. torment. fol. roſ. rubr. ſcoriis ferr. aut limat. aurichalci.

§. XXVII. Qui nauſeam & vomitus ex motu continuo rhedæ patiuntur, iis quandoque ſuccurri poteſt, ſi iter aggrediantur ſtomacho haud jejuno, ſed tum demum, quando juſculum cum aromatibus conditum aut fruſtum rad. Galang. Zingib. Nuc. Moſch. condit. aut panis mellaginei cui aromata incocta, aut mali cotonei vel citrii tantillum prius comeſtum, vel hauſtus vini aduſti aut cretici, canarienſis, malvatici, aut abſinthitis ſaltim deglutitus fuerit. Alios juvat maſticatum quodcunque aroma, alios, ſi non undiquaque vehiculum fuerit clauſum, alios, ſi balſamicis apoplecticis nares & lingva fricentur. Qui vero navibus eunt, à ſymptomatibus his ſe immunes reddere poſſunt, ſi aliquandiu, antequam ſe credant mari, aquæ hujus tantillum ſingulis diebus cum vino epotent, quod etiam teſtatur Poëta: *Nauſea & vomit[...]*

Nauſea non poterit quemquam vexare marina.
Antea cum vino miſtam ſi ſumpſerit illam.

Deinde navigans occupet locum prope malum navis, ibi enim fluctuationes & jactationes non tam ſenſibiliter percipiuntur, quam ad proram, puppimque. Verulamius ſuadet, ut ſacculum croco infarctum ad ventriculi regionem gerat, quod ipſe quibusdam profuiſſe memini.

§. XXVIII. Ex ordine dicendum jam eſſet de Excernendorum & Retinendorum culpa, quæ nunc ſtipticitatem alvi flatuumque collectionem, ſangvinis inſpiſſationem, involuntariumque liquoris ſeminalis ſtillicidium generare dicta ſunt: verum cum apparatus adverſus cuncta hæc ſymptomata exhibitus ſit alibi, crambem bis coctam apponere nolo. Adeoque ad errores in ſomno & vigiliis commiſſos propero. Ubi ſe offerunt *contra [...] res in ſ[...] commi[...]*

ferunt occaſione ſomni communicata ſcabies tam benigna & vulgaris, quam maligna, quæ Hiſpanica vel Gallica aliisque venereus morbus audit. Scabies vulgaris à contagio tali nata remediis externis & quidem acrimoniam hanc corrigentibus à principio ſtatim, & antequam profundas agat radices impugnanda eſt, quo ſpectat frequens manuum lotio cum aqua & ſapone, aut cum lixivio, cui additum eſt tantillum Salis Armon. Vel fiat linimentum ex ſapone nigro, ſulphure trito & oleo ligni rhodii ad imitationem Blanckardi in Collect. Medico-Phyſic. Aſt univerſum corpus ſi malo hoc laboret, ex herba Fumariæ, Saponaria, fol. Nicot. rad. Helen. Bryon. Lapath. Maj. Sulphure, Vitriolo & Tartaro in aqua decoctis & ſub forma balnei adhibitis, levamen eſſe allatum ſcabioſis, didici à meis Præceptoribus ad cineres uſque colendis. Præ omnibus tamen laudem meretur Aqua iſta Mercurialis ex Mercurio ſublimato in Aqua ſimplici ſoluto facta ad præſcript. *Zapat. in Clav. Med.* Simul tamen cum his per inferiora nunc purgantia, nunc diaphoretica ex fixis ſeu præcipitantibus compoſita, ſemper pro rei exigentia poſſunt vocari in uſum. Scabies vero Hiſpanica ſ. venerea decoctis lignor. uſualibus, illisque non ſufficientibus mercuriali ſalivatione abigi debet, cujus debitam adminiſtrationem à Medico aut experto Chirurgo æger petere miſer cogitur. Ne vero morbi hi contrahantur, iter faciens aut plane non in lecto tali ſuſpecto, vel ſaltim veſtibus lineis indutus decumbat.

...vatio ...culis. §. XXIX. A pediculis præſervare ſe poteſt, ſi induſia & veſtimenta frequenter recenter lotis mutet, amant enim inſecta hæc mirum in modum ſorditiem à ſudore relictam, imo cum admodum ſint fœcunda, brevi tempore calidi hujus vaporis beneficio ex lentibus ſeu ovulis illorum nova & infinita progenies exſurgit. Enecantur vero pediculi, ſi ſacculus croco infarctus ſub axillis vel camphora de collo ſuſpenſa geratur, vel ſi induſia ex aqua ſalſa vel marina, aut ex decocto ex Bacc. Lauri, Tamariſc. foliorum ſemin. Staph. Agr. lota gerantur. Pellit quoque illos Lavend. Scord. & All. odor. hinc Judæi, qui ſæpius allium devorare ſolent, utut admodum ſquallidis indumentis utantur, rarius tamen imo nunquam divexantur pediculis. Omnibus tamen præripit palmam Mercurius in unguenti formam cum quadam axungia aut ſaliva redactus, veſtiumque fimbriis ſaltim illitus.

§. XXX. Reſtant adhuc ſymptomata ex nimiis vigiliis prognata, quibus cunctis quies & ſomnus mederi ſolet. *contra Vitia ex vigiliis nata.* Vidi id in ſupra allegato nuntio, qui ex nimiis vigiliis amens factus reconvaluit ſtatim per diem integrum noctemque ſubſequentem dormiens. Si tamen, quod non infrequenter notari ſolet, haud ſponte ſopor ſequatur, papaverinis & opiatis eſt provocandus.

§. XXXI. Atque ſic tandem ad animi pathemata devenio, traditurus etiam adverſus illorũ exorbitantias remedia. *Remedia morborum* Præſuppono tamen ut certum a metu & terrore, h. e. a ſenſu triſti ex malo quodam vel imminente vel actutum præſente nato, *ex Terrore ac metu* ſpirituum ſangvinisque motum expanſivum figi & coagulari, unde tremores artuum, cordis palpitatio, inteſtinorum ac ſtomachi motus inſolens, contractivus pallor faciei ſæpiusq; ceſſatio omnium ſenſuum externorum & ſyncope oritur. Adeoq; partim ad ſpiritus in cura reſpici debet, partim ad ſangvinem, quamvis ſæpe una fidelia, ut in proverbio eſt, duos dealbare parietes poſſimus, ſpiritus vero perterritos & meticuloſos erigimus admonitionibus haud raro, imo ſubinde conſiderata rerum ſerie & concatenata omnium neceſſitate, ſponte ad ſe redeunt, expanduntur & agitantur. Sangvis autem in motu ſuo impeditus, aut ab exceſſivo terrore ſæpe penitus coagulatus Reſolventia tam ex claſſe calefacientium quam volatilium & fixorum exigit, quibus commotus rurſum cruor ad novas circulationes aptus redditur.

§. XXXII. Aſt in ira aliter procedendum: *Ira* cum enim ad amoliendum malum intentatum robur univerſum conferant ſpiritus, humores omnes, & quicquid eſt fluidi in corpore, imo & partes cunctas ſolidas; in ſpecie vero motus organa in hujus mali averſio-

verſionem adhibeant, aliter haud fieri poteſt , quam ut in univerſis pene partibus tremores & expanſiones, præprimis tamen bilis effuſio plus juſta obſervetur. Iterum igitur & nunc dilatationi ſeu elaſticitati nimiæ ſpirituum primo ſatis faciendum eſt admonitionibus ac remonſtrationibus, quibus effræni ſpiritus in gyrum rationis quandoque ſe revocari patiuntur. Succedit his quies & ſomnus, & ſi nec ab his in rectam viam exorbitantes reduci poſſunt, ad ſedativa h. e. papaverina & opiata fiat progreſſus. Adverſus vero orgaſmum ſangvinis ejusque ſymptomata , Refrigerantia Nitrata & acida conducunt. Inter domeſtica igitur remedia adverſus hæc ſymptomata iræ , pomum citr. comeſtum non male refertur, quamvis & aliis acidis laus ſua atque honos quoque maneat , v. g. Elix. proprietat. acid. Elix. vitrioli Mynſichti, clyſſo miner. Tincturis florum bellid, roſar. papav. cum phlegmate vitrioli paratis. Tandem ne bilis ad ſtomachum & inteſtina effuſa partes eas lædat, vel alterantibus terreis ac acidis, vel evacuantibus tam vomitoriis quam laxativis corrigenda & educenda eſt.

§. XXXIII. Et hæc in univerſum ſunt, quæ pro extruendo hoc Peregrinantium Valetudinario Muſæ meæ ſuppeditaverunt hactenus. Tu B. L. condona quæſo, ſicubi in hoc labore quædam me penitus omiſiſſe aut inſufficienter vel erroneè deſcripſiſſe deprehendas. Et quod ſupereſt, precare mecum, ut ſumme miſericors DEus omnes, qui ſumus viatores, hoſpites & peregrini, quamdiu ſolum hoc incolimus , ubi nulla conſiſtendi firmitas, perpetua vero agitatio corporis animique eſt, tandem in æterna tabernacula, cæleſtemque Patriam confecto noſtro curſu placide commigrare, inibique ſine fine quieſcere jubeat. Interea Ille ſit benedictus pro omnibus indies conceſſis beneficiis in Seculum Seculi.

F I N I S.

DISPU-

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Trigeſima tertia:
De
LAPIDE MANATI.

MEMBRUM I.
DE NOMINE, ORTU ET DIFFERENTIA LAPIDIS MANATI.

BOno cum DEO aggredior contemplationem hujus concreti. Antequam vero ejusdem vires in Examen vocitem, ordo jubet, ut prius partim de nomine, partim de ortu, aliisque qualitatibus externis hujus concreti ſim ſollicitus. His cognitis facilius longe licebit inſpicere tum illius naturam, tum Vires quoque.

II. Lapidis nomen gerit, & ab Autoribus quoque in illam ſeriem, ubi agunt de Lapidibus, refertur. Sed quam minus bene ipſi conveniat Lapidis nomen, rectiſſime aſſerunt *Joh. de Laet. l. 2. de Gemmis & lapid. c. 6. & Wormius in Muſeo l. 1. ſect. 2. c. 8. Jonſt Hiſt. nat. de Piſcibus l. 5. c. 2. art. 7.* ſcilicet, non niſi improprie ipſi convenire Lapidis nomen ob duritiem inſignem, proprie vero Os aliquod Calvariæ eſſe, ex ſubſequenti deſcriptione clarius pateſcet.

III. Manati appellationem obtinuit à Piſce Manati, ex quo peti ſolet hoc concretum. Cum vero à nonnullis quoque minus accurate dicatur Lapis Tuberonum ſ. Tiberonum, ideo, quod ejus originem quoque ſtatuant ex Tuberone Piſce; neceſſe erit, ut confuſionis evitandæ gratia; inter Lapidem Tuberonum, & Manati, pauca ſubjungam, quæ faciunt ad differentiam Piſcis Manati, & Tuberonis, tanquam ſubjectorum diverſiſſimorum, ex quibus Lapides quoque, forma & conſiſtentia a ſe invicem non nihil differentes annotante *Joh. de Laet l. c.* habentur.

IV. Confuſionis nunc citatæ Autor eſſe *Cluſius* accuſatur ab *Anshelmo Boetio à Boot. l. 2. c. 187. Cap. de Lapid. & Gemm.* & commentatore ejus *Joh. de Laet. l. c.* nec non, quanquam benignius, ab *Olao Wormio in Muſeo loco ſupra allegato.* Sed licet *Cluſius* accuſatus, *l. 9. Exoticorum c. 32.* ubi in Manardem, Lapidem & Piſcem Tuberonis deſcribentem, commentatus eſt, forte poſuerit hæc verba, quod Manati deſcriptio pleraque cum Tuberonis hiſtoria communia hâbeat: Interim tamen non unum eundemq; dicit Piſcem eſſe, Manatum & tuberonem, uti magis adhuc ab hoc errore imputato Cluſium abſolvunt propria ejus verba, quæ extant loco cit. Ubi expreſſe Icone addito Lapidem vulgo Tuberonis creditum, rectius Manati Lapidem appellandum eſſe docet, ex ratione in deſcriptione laterali addita: quod ſtatuat, autoritate forte *Hernandi & Acoſtæ, quam citat Wormius l. a.* in Piſce Tuberonum nullos dari ejusmodi Lapides, qui vulgo habentur pro Lapide Manati.

V. Clarius vero tam quoad ipſius Nominis Manati Etymologiam, quam quoad falſum Tuberonis cognomentum illuſtrandum, omnia adhuc pateſcent, ſi, uti ſupra pollicitus ſum, aliqualem mentionem faciam Piſcium binorum diverſorum Manati & Tuberonis, quantum eorum deſcriptio ex Autoribus hauriri poteſt. Sequar autem ubique deſcriptionem *Cluſii l. 6. Exotic. c. 18. & l. 9. Exot. c. 32. Fran-*

ciſci Lopez. de Gomara, c.31. Hiſtor. gener. Conſalvum Ferdinandum Oviedum l. 13. Hiſt. Gen. & naturalis Indiæ c. 7. & 10. Olaum Wormium l. c. Jonſthonum Hiſt. nat. de Piſcibus l. c. Boetium à Boot & Joh. de Laet. l. c. nec non Joh. Raji ſynopſin Methodicam Animalium quadrupedum, & Serpentini generis, qui ultimus ex *Hernando* excerpta quædam huc pertinentia tradit.

Etymologia Manati. VI. Vocis Manati Etymologiam *Oviedus l. 12. Hiſt. Gener. & nat. Ind. cap. 10.* ſatis ingenioſam & veriſimilem deducit, nempe: Quod Hiſpanis conſvetudo ſit, omnium quadrupedum anteriores pedes manus appellare; & cum piſcis iſte circa pectus, capiti proxima bina crura brevia habeat, inſtar manuum; inde dictum fuiſſe piſcem hunc manatum, quaſi dicas manibus præditum.

Synonymia. VII. Synonyma hujus piſcis *Cluſius l. c.* duo tradit. (a) Vacca marina dicitur: quale nomen à Belgis, cum ab his caperetur, ob caput & carnem Bovi haud abſimilem, excogitatum fuit. (2) ab eodem Cluſio haud accurate Phocæ titulo exprimitur, cum dicit: Piſcem hunc ad Phocarum genus haud dubie referendum eſſe, ſed longe majorem eſſe Phoca. Verum differentiam inter Phocam noſtrumque animal, *Rajus cit. ſynops. quadruped. p. 194.* ex *Hernando* citat talem: quod Phoca animal rapax, & piſcibus præcipue veſcatur. Manati vero Piſcem nullo morſu nocuum eſſe, herbisque ad littora creſcentibus & fucis marinis paſci. Adde quod Phoca animal quadrupes, noſtrum autem bipes, pluribusque corporis partibus diverſum ſit à noſtro, de quibus *vid. Jonsthon Hiſt. nat. de Piſcibus l. 5. c. 2. artic. 6.* An Bos ſit Ariſtotelis? qui ab eodem Autore inter Cetacea reponitur, & deſcribitur *l. 6. Hiſt. Anim. c. 11.* vix certi quid cum *Jonſthono l. 5. c. 2. Art. 7. Hiſt. nat. de Piſcibus*, determinare poſſum.

Deſcriptio IIX. Sequitur deſcriptio piſcis immediate his ſubjungenda: quod ſit animal cetaceum, amphibium tamen, ex mari adverſa fluminum ſubiens, juxta *Oviedum* vero non egrediens aquam, ſed ſecundum ripas, quas apprehendere poteſt herbas depaſcens; Utribus, in quibus Medinæ del Campo & vicinis locis muſtum vehitur, haud abſimile: capite Bovis ad inſtar, ſed majori, macilentiore tamen ore, & craſſiore mento: Oculis fere caninis, admodum exiguis pro corporis mole, quæ variat, nunc juxta *Cluſium* αὐτόπτην in longitudine pedes decem & ſex cum ſemiſſe: in ambitu vero pedes ſeptem cum ſemiſſe comprehendit, juxta *Gomaræ* vero relationem, ad viginti pedum longitudinem accedit: adeo ut juxta *Jonſthonum* jugo boum opus ſit, pro vehendo uno: Auribus (ſcilicet externis,) caret, habet tamen exigua foramina aurium loco. In ejus capite vel Cerebro, juxta *Oviedum & Jonſthonum*, reperiuntur bini lapides ſeu oſſa potius, magnitudine pro piſcis mole variantes, de quibus infra in ſpeciali deſcriptione Oſſium horum: Penem equinum habet, moreque humano coit, viſcera taurinis reſpondentia: Fæminæ duo ubera habent in pectore, binos catulos (juxta *Hernandum unum* ſaltem,) pariunt & lactant; binis gaudet cruribus craſſis & rotundis prope pectus, quibus natat, in quorum extremitate lata, inſtar pinnarum, conſpiciuntur ungves quatuor: juxta *Hernandum* humanis, juxta *Gomaram* elephantinis, haud abſimiles. Ab Umbilico ad caudam gracilior fit, quæ informis & lata totaque ad extremum dicitur nervoſa, cujus motu celeriter nataſſe, *Cluſio* relatum fuit. Cutis eſt ſimilis uſtulati porci corio, ad digiti craſſitiem denſa & dura, brevibusque & raris pilis, ex cineraceo fuſci coloris. Paucis: fœdiſſimi eſt aſpectus bellua, juxta omnes autores, inpr. ubi majorem molem acquiſivit.

IX. Ab hac deſcriptione pauliſper recedit *Petrus Martyr in deſcript. Inſulæ Hiſpaniolæ*, ubi inter alia quoq; Piſcem manatum deſcribere voluit, cujus excerpta de hac re vid. apud *Joh. Euſebium Nierenbergium Hiſt. nat. l. 11. c. 9.* Dicit Autor ille, animal eſſe

eſſe teſtudineæ formæ, quadrupes, ſquamis tamen, non concha, munitum, corio duriſſimo, ita ut neque ſagittam vereatur, mille verrucis armatum, tergo autem plano, & capite penitus bovino. Verum cum priora hujus deſcriptionis verba plane contrarientur unanimi cæterorum Autorum relationi, e quibus Cluſius αὐτόπτης, merito ſuſpicandum eſt, Autorem hunc aliam Belluam pro Manato vidiſſe & deſcripſiſſe.

...rentia ...ati & ...ronis X. Videndum nunc erit, quantum à noſtro animali Tubero piſcis differat. Eſt a. Tubero, ſeu Tibero nil aliud juxta *Joh. de Laet. l. 2. de Lap. & Gemm. & Jonſthonum l. 5. Hiſt. nat. de Piſcibus c. 2. art. 8. c. 6.* quam canis carcharias, cujus deſcriptionem ſatis accuratam una cum Icone æneo vid. apud *Jonſthonum lib. 1. Hiſtor. natur. de Piſcibus cap. 3. art. 2. puncto 1.* Aliter equidem paulo deſcribitur Tubero Piſcis, non ſub Carchariæ nomine, ab *Hernando* apud *Nierembergium*, tamen licet ſingularia *Hernandi* deſcriptio contineat, quæ vulgo de Carcharia piſce, non habentur, tamen non adeo contrariatur deſcriptioni Carchariæ à Jonſthono datæ, ſed quibusdam attributis voracitate & rapacitate, it. faucium rictu amplo, & dentibus præacutis, (à quibus Carchariæ nomen: καρχαρὸς enim idem ac aſper ſignificat) cum ea convenit. Et magis apparet, veterum Tuberonem eſſe recentiorum Carchariam, quia jam ab *Acoſta* Tubero alio quoque nomine Haye nominatur, quale nomen Haye etiam recentiorum Carcharias gerit, uti videri poteſt ex *Job. de Läet l. c.* Obiter hic inſerere libet: Piſcem hunc Tuberonem, ſeu Carchariam, videri fuiſſe illum, à quo Propheta Jonas deglutitus fuit, ita ſatis egregie demonſtravit *Bartholinus Tr. de morbis biblicis c. 14.* & præterea probabilitas hujus rei ex Anatome faucium ampliſſimarum, ventriculi & inteſtinorum, hominibus loricatis intra ejus ventriculum inventis apud *Nieremberg. in excerptis Hernandi & Acoſtæ*, & apud *Jonſthonum* in deſcript. Carchariæ notata deſumi poteſt.

XI. Dum igitur ex his actum eſſe videtur, Tuberonem eſſe Carchariam, cujus Synonyma: Canis *Ariſtotelis*, Galeus canis juxta *Oppianum*, Canicula ſecundum *Plinium*, Scylla, it. Lamia &c. facile nunc quilibet ex deſcriptione Carchariæ apud *Jonſthonum*, oppoſita deſcriptioni Manati ſupra datæ, perſpicere poteſt, Tuberonem & manatum animalia eſſe diverſiſſima. Adeo, ut vix operæ pretium fuerit, Tuberonis delineationem huc tranſcribere ex Autoribus.

XII. Melioris vero fidei gratia liceat pauca ſaltem, & notatu digniora ſaltem quidem, hic de Tuberone allegare, quo magis cognoſcatur hujus diverſitas à manato. Præivit hoc in opere jam *Olaus Wormius, in Muſeo l. c.* qui ſequentia pro diverſitate demonſtranda allegat. Dicit, manati Piſcem eſſe amphibium, docilem, mitem, hominum conſvetudine gaudere, Herbas depaſci: Tuberonem vero cetum ferocem, maleficum, Hominum devoratorem: Manati tam in fluminibus, quam in mari capi teſtatur *Oviedo:* Tuberonem vero eſſe Piſcem cetaceum juxta *Hernandez* tantum Oceani; juxta *Theophraſtum* vero *l. 4. Hiſt. Plant. c. 8.* etiam maris rubri incolam: dum narrat Autor nunc citatus mare hoc Belluis refertum, plurimasque καρχαρίας habet, in tantum, ut mare tutum non ſit. Pergit *Wormius:* Manati pedes habet, Tubero nullos, Manati Bronchias nullas habet, Tubero utrinque quinque. Addo: Manati caput inſtar Bovini eſſe oculis parvis præditum & macilentiori ore: Tuberonis vero plane alius figuræ, cum roſtro ranæ ad inſtar, ſubrotundo rictu amplo, oculisque magnis. In Manati Hiſtoria nulla mentio fit faucium tam amplarum, per quas, ſicut in Tuberone experientia docuit, deglutiri poſſet homo loricatus. Tales enim nec reperiuntur in Balænis Grœnlandicis & Islandicis longe majoribus, Teſte *Bartholino Tr. de Morb. Bibl. c. 14.* quippe quibus fauces tam anguſtæ, ut vix Brachium Hominis capiant: multo minus in noſtro Manati tanquam longe minori quam Balænæ:

Tuberonis ſ. Carchariæ ſynonyma

næ: inteſtina habet Taurinis ſimilia; Carcharias vero unum Inteſtinum amplum, quo contineri poteſt Homo loricatus.

XIII. Et ſic, niſi fallor, ſatis clare innotuit: Piſces eſſe diverſiſſimos Manati & Tuberonem, ideoque exſurgit exinde probatio: Concretum, de quo nobis ſermo, non indifferenter poſſe ſimul lapidem ſeu os Manati, & lapidem ſeu os Tuberonis, appellari.

An os ſimile reperiatur in Tuberone

XIV. Si quis vero objiciat: licet demonſtratum fuerit, Manati & Tuberonem animalia eſſe diverſa, interim nondum dubium ſublatum eſt: an oſſeum concretum, quod vulgo pro Manati lapide habetur, ſolitarie à Manati Piſce, an vero etiam ex Tuberone eximatur tali ſub figura? Hoc dubium proponit *Wormius in Muſeo loco citato*, qui clare fatetur: Tum ex Manato, tum ex Tuberone, tum etiam ex Balænis ipſis Os tale, quod ibi Cochleam auris nominat, plane æqualis figuræ eximi, ita ut unum præ altero non cognoſci queat. Igitur vi dubitationis hujus aliquem, citra erroris diſcrimen, poſſe hoc concretum appellare vel Manati vel Tuberonis Lapidem, donec ſatisfactum fuerit ſufficienti autoritate, quantum figura vel conſiſtentia aliæque qualitates Lapidis Manati differant à Tuberonis Lapide.

XV. Pro hoc diſcutiendo dubio neceſſe erit, ut concretum noſtrum ſecundum ſingulas circumſtantias ſupra dictas examini ſubjiciamus. Et cum de nomine ejus, & ortu, pluribus jam in antecedentibus actum: Supereſt illorum mentio, ex quibus deſcriptio accuratior concinnari queat, quæ differentiam oſtendat inter Lapidem Manati, & Tuberonis: paucis: ut appareat, quid Manati & quid Lapis Tuberonis vulgo dictus.

Lapis Manati in capite reperitur.

XVI. Pro deſcriptione iſthac debita efformanda pauca reſtabunt, de ortu hujus concreti ſpeciali magis adhuc notanda. Satis equidem obſcure ab Autoribus hactenus allegatis hic explicatur. Cum *Oviedo* enim *l. c.* tantum non omnes Autores præter *Wormium in Muſeo l. c.* referunt: in Piſcis Manati capite, (quod ſpecialius adhuc) in ejus cerebro, reperiri Lapides vel oſſa bina, qui pro hoc concreto noſtro haberi ſoleant. Certus igitur ejusdem ortus in capite eſſe pateſcit. Sed dubium ſimul exſurgit, an oſſa hæc exiſtant in cerebro, juxta Autorum quorundam aſſertum, an vero eruantur ex Calvariæ oſſibus, quorſum inclinat *Wormius l. c.* aliique recentiores quidam, ex quorum ore poſteriorem, eamque veriſimiliorem mihi audire licuit ſententiam.

XVII. Circa dubium hocce leviſſimum reſolvendum non multum deſudabimus. Notum enim eſt ex experientia multifaria, Cerebro vix ineſſe poſſe corpora ejusmodi duriſſima tantæque molis citra ſtuporem totius corporis. Præterea nec unquam in animali aliquo naturaliter conſtituto, etiam Balænis ipſis longe majoribus noſtra Belluâ, Lapides ejusmodi *intra cerebrum* repertos fuiſſe conſtat. Vera igitur manet poſterior aſſertio, quod oſſa hæc inter *Calvariæ* oſſa locum habeant.

XVIII. Cum vero Tyroni etiam Anatomes notum: Calvariam pluribus oſſibus eſſe conflatam; merito urget accuratus rerum naturalium Scrutator: ut, quodnam ex Calvariæ oſſibus ſit noſtrum, aliqualem mentionem faciam. Et ſic rurſus diſſentientes occurrunt. Novi, quosdam habere hoc concretum pro oſſe petroſo, contra vero *Wormius l. c.* (licet de Tuberonis Lapide inprimis ibi diſſerens, idem tamen etiam de Manati Lapide ſentiens arbitratur,) eſſe nimirum os ad auditum ſpectans, quod in omnibus Cetis auditum habentibus reperiatur, dicique ab Anatomicis cochleam, cavitatem cochleatam, buccinatam, antrum buccinoſum: gyros enim habere ſe mutuo excipientes, atque tenuiſſima membrana eſſe ſuccinctum, non ſecus ac cochlea in aliis animalibus ab expanſione nervoſa à pari quinto & ſeptimo, illiusque ramo duriore, invicem coëunte inſtar membranæ inveſtitur.

XIX.

XIX. Satis hæc pro explicatione ortus dicta eſſe poterunt; libentius ſpecialem hujus oſſis denominationem, qualem inter calvariæ oſſa gerat, relinquimus dubiam, cum deficiat hic ſufficiens certitudo hiſtorica, ſine qua vel centum quoque rationes, licet admodum probabiles, incertæ manent. Properamus igitur potius ad figuram, cæteraſque qualitates explicandas.

Figura XX. Figuram cum *Oviedo lib. 13. c. 7. & 10. Part. I. Hiſt. Gent. & Natur. Ind. Occident.* plures Autores unam eandemque profitentur. Dicunt: Figuram Oſſis hujus convenire cum illo oſſe, qui in baliſta tenſum nervum retinet, non tamen eſt orbiculare. Magnitudo hujus ab *Oviedo* dicitur inſtar pilæ palmariæ ſeu luſoriæ: interdum vero grandior, pro piſcium corporis magnitudine. Additur Color, à *Joh. de Laët*, quod in quibusdam oſſibus candidiſſimus, in aliis dilute rubens inſtar loturæ carnis; refertq; prædictus Autor: rubentia oſſa, à fœmellis, candida vero ex maſculis, peti, cujus rei fides ſit penes Autorem. Compagem hujus concreti idem Autor, inſtar Lapidis, duriſſimam dicit: *Iconem l.c.* adjici curavit, quæ cum figura oſſis quod poſſideo, ſatis egregiè convenit, adeo ut non amplius dubitandum, hanc deſcriptionem ex *Oviedo & Ioh. de Laet* deſumtam eſſe genuinam Lapidis Manati.

[Ex]amen [spu]riorum XXI. Juxta hanc deſcriptionem fundamenti loco poſitam feliciter examinari poſſunt ſpurii lapides ſeu oſſa manati. Ex his primum occurrit Lapis Tuberonis, ſtudioſiſſime, uti ſupra præmiſi, a lapide manati diſcernendus. His, quomodo ratione ſubjecti differat â manati oſſe, ſupra demonſtratum fuit; breviter nunc agendum reſtat, quantum hic lapis per ſe, quoad figuram, aliaſque qualitates, differat â manati oſſe. Sufficiet hic autoritas *Ioh. de Laet*, quippe qui αὐτοψίæ beneficio lapidem Tuberonis ſeu carchariæ, quem ſæpius a nautis ſe accepiſſe refert, quoad primaria momenta, quibus diſtat a Lapide Manati, deſcripſit.

XXII. Differt autem os Tuberonis juxta laudati Autoris exhibitam deſcriptionem (1) quod non ſitum habeat inter auditus oſſa, uti Manati lapis, ideoque ad auditus oſſa à *Wormio* malè, & citra ſufficientem experientiam, refertur. Narrat enim citatus *Ioh. de Laet* tanquam αὐτόπτης: eximi hoc os ex carchariæ piſcis capite, quem noſtrates Haye vocant, ſupra oculos, & quaſi in fronte, quæ capitis regio haud commode ſuſtinet auditus organa. Præterea inter auditus oſſa vix eſſe poſſe perſvadet oſſis hujus mollities & friabilitas, facile in pollinem ſubtiliſſimum redigendi; quibus apparet & (2) compage maximopere differre â manati oſſe, quod duriſſimum inſtar lapidis, ſeu oſſis petroſi. (3) Juxta *Boetium à Boodt*, qui ex *Manarde* excerpſit, differt quoque magnitudine: dicit enim, eſſe magnum & ponderoſum, adeo ut duarum librarum pondus æquet, qualis magnitudo & pondus nunquam in Lapide Manati obſervata fuerunt. (4) Juxta eundem autorem, differt quoque numerus oſſium talium in capite Tuberonis exiſtentium, cum tria vel quatuor in Tuberone, in Manato vero piſce duos ſaltem reperiri lapides, ſeu oſſa, doceat. Nullum igitur eſt dubium, quin vel ratione ortus, vel etiam per ſe, hæc bina concreta â ſe invicem ſint diverſiſſima.

XXIII. Nec cum genuino Lapide Manati convenientiam habet alterum illud concretum, quod vulgo pro Manati lapide â mercatoribus & Pharmacopolis venditur, figuram cochleæ habens, & juxta deſcriptionem *Wormii*, dicitur eſſe os duriſſimum duplo majus vulgari pila luſoria, ex majori piſce deſumtum, duarum librarum pondere circiter, intus cavum, in gyros converſum, ſe ipſos excipientes plane ejus figuræ, quam Anatomici tribuunt cochleæ auris ex Balænis deſumtæ; ita ut idem Autor haud immerito, & recte quidem, videatur ſuſpicari: cum videret ex Balænis prope Spitzbergam captis plane ſimilia oſſa adferri â Mercatoribus, illa eſſe ex cetis vulgaribus Islandicis & Grœnlandicis. Tuta igitur *Wormii*, qui in

locis illis degit, ubi Balænarum anatome felicius haberi poteſt, autoritas erit, ex parte pro demonſtratione: Oſſa illa majora, vulgo pro Manati oſſibus habita eſſe plane aliquod diverſum. Non enim conveniunt cum genuino lapide manati (1) figura plane diverſisſimâ: (2) nec pondere, triplo aut quadruplo majori: (3) nec colore, qui in Manati oſſibus eſt albicantiſſimus, in Pſeudomanati lapide, eſt obſcure albicans, (4) odore, quando leviter teritur hic, odorem ſpirat fœtidum, inſtar gari ſeu axungiæ ceti, id minus in Manati lapide occurrit; licet enim raſpetur aut fricetur ad incaleſcentiam, ut pſeudomanati lapis, nullus tamen odor adeo adverſus obſervatur. Juxta Autorum enim recenſiones ineſt Manato piſci pingvedo puriſſima, quæ frixa difficulter rancorem contrahit, contrariũ vero palam eſſe in pingvedine Balænarum ſatis fœtidâ: qualis odor etiam ineſt Pſeudomanati oſſibus tanquam copioſa pingvedine fœtida turgidis. His addere liceat (5) Teſtimonium certius: quod ex mercatore, qui mercaturam apprime faciebat rebus ex Balænis deſumtis, percepi, qui referebat: ex Balænis vulgaribus Grönlandicis eximi hæc oſſa â nautis, quibus id præmii loco admittatur â mercatoribus. Quæ ſingula conjunctim rite perſpecta utique aliqualem lucem accendunt, qua innoteſcit, aliud ratione ortus concretum eſſe Lapidem Manati, aliud Tuberonis, aliud Pſeudomanati lapidem, quæ vulgo invicem confunduntur, licet ratione virium, uti ſinguli Autores fatentur, magis fortaſſe conveniant.

XXIV. Et hujus ipſius ſententiæ eſt præcipue *D. Stahl*, qui, quoad effectum nihil inter ſe invicem inſigniter differre hos lapides, pro certo habet. Neque hoc tantum, ſed ſuſpicatur ſimul, illos eosdem Manatos piſces, quos in Orientalium æque ac Occidentalium Indiarum tractibus oceanus ſuſtentat, eſſe ejusdem plane generis, cum Septentrionalibus illis Hippopotamis, quos vulgus nautarum Walrusſen appellat. Licet enim in Manatis noſtris, hactenus recenſitis nulla apud Autores mentio fiat dentium, & præcipue quidem inſignium, & grandium illorum, qui interdum ad mediocris brachii craſſitiem accedunt: Coincidit tamen reliqua totius animalis deſcriptio, adeo apte cum Manato, ut parum dubii ſubeſſe videatur, quin unius ejusdemque ad minimum generis, ſi non ſpecialiſſimæ ſpeciei, exiſtant.

XXV. Illud ſatis compertum habet, quod effectus illi, qui a Manati Lapide expectantnr, in Hippopotami quoque dentibus ſatis active ſeſe exſerant. Et hoc quidem adeo vero conſentaneum putat, ut etiam multorum aliorum Cetaceorum quædam partes hos eosdem effectus præſentiſſime exhibeant. De quo infra, ubi de effectu, plura.

MEMBRUM II.

DE NATURA, ET USU MEDICO LAPIDIS MANATI.

I.

EXterioribus hactenus ſaltem Concreti hujus perſpectis liceat interiora ejus introſpicere, & primum examinare, ex quibusnam partibus conſiſtat; quo accuratius demum definiri queat, quibusnam cauſis morbificis, ſeu morbis depellendis ſit adæquatum remedium, quomodo vires ab Autoribus decantatas exſerat, & quibus remediis pro uſu medico commode admiſceri, & intra corpus aſſumi queat.

II. Docet autem vel analyſis ſuperficialis ſaltem, concretum hoc conſiſtere ex plurimis particulis terreis, gelatinoſis, & ſale volatili; haud ſecus, quam aliæ partes oſſeæ ex animalibus deſumtæ. Manifeſtæ ſunt particulæ terreæ, ex ſimplici aſpectu, vel levi tritura, & ſapore nullo evidenti. Gelatinæ ex firmiſſima compage particularum terrearum, vel, quod melius, ex coctione Raſuræ hujus, quemadmodum Raſura Cornu Cervi, Eboris &c. decoqui ſolent, pateſcunt. Sal volatile ejus equidem nulla occaſione mihi per deſtillationem elicere licuit, verum cum partium gelatinoſarum præſentia probata fuerit, quis denegabit huic *Natu*

huic concreto Sal volatile? Salia enim cuivis inſunt corpori naturali, ſive volatilia, ſive ſalſa, ſive etiam acida fuerint: licet propter ſubtilitatem, aut involucra varia non ſemper ſenſibus pateant. Quod ſi ergo tale concretum junctum habeat Sulphur, cujus naturæ ſunt Gelatinæ, certiſſimum eſt, à Sulphure præſenti in deſtillatione chymica abripi Salia illa, volatiliſari, & in altum attolli, unde ſal volatile. Id patet ex odore penetrantiſſimo ſalium volatilium, qui non aliunde quam à partibus ſulphureis, Sale imprægnatis, dependet.

III. Præterea, citra etiam analyſin chymicam, præſentia Salis Volatilis in noſtro concreto innoteſcit à poſteriori, ſcilicet virtute anti-ſpasmodica, à recentioribus multis modis, licet non ſcriptis publicis, celebratiſſima. Requiritur enim in ſpaſmo aliquid motum vel ipſum, vel cauſam ejus mitigans. Quod ſi ergo concretum noſtrum eſſet mere terreum, neutiquam effectum talem præſtare poſſet, niſi forte acidam aut bilioſam cruditatem abſorbendo, unde ſpasmodica affectio orta, & tamdiu continuata fuerat, donec accederet illud removens cauſam morbificam ſpaſmi. Verum hac ratione, ſed maxime improprie antiſpaſmodicum eſſet remedium aqua ſimplex, diluens acrimoniam acidam vel bilioſam, item Martialia, &c.

IV. Hæc ſunt tria illa principia, è quibus coagmentatus videtur noſter Lapis Manati: Sed cum ſint generaliora ſolum, quæ ipſe utique communia habet cum omnibus aliis oſſibus quorumlibet animalium, fruſtra forte fuerit, deducere ab ipſis magis immediate efficaciam ejus ſpecialem circa varios effectus, quos ipſi adſcribit Autoritas Practicorum. Sunt vero illi, (1) Effectus antiſpasmodicus, & adeo antepilepticus: (2) Anticolicus, (3) Diuretico-Lithontripticus.

V. Solet quidem hic vulgus Practicorum, vel potius Theoreticorum recentiorum totam horum generum efficaciam in hæc eadem principia rejicere; Cum enim cauſas Spasmorum modo in obſtructionibus nervorum, modo in vellicationibus ponant: Putant examuſſim convenire talibus cauſis, tum terream, tum ſalino-volatilem, tum gelatinoſam ſubſtantiam: Ut abſorbendo, reſolvendo, obtundendo & demulcendo effectus hos aſſequatur tale concretum. Idem ſtatuunt de Colicis pathematibus: Idem de Nephitricis, imo ipſo Calculo: Cum enim omnia in genere irritationi, roſioni, vellicationi adſcribant, putant, in talibus concretis abunde eſſe, quod mala talia promptiſſime tollat, & quidem per viam hanc ſimpliciſſimam.

VI. Sed ſunt duo, quæ regerimus, quæ quidem præcipue *D. Stahl* ſemper maximi momenti eſſe ducit. Primo enim, ſi talia concreta non agant, niſi è talibus principiis, nuce caſſa viliora habenda fuerint; Cum non modo talia concreta, quæ Principia hæc, etiam liberiora, & velut in promptu juncta poſſideant, inter noſtratia ante pedes ſint; Sed etiam principia talia veluti puriora ſtatim propinari valerent, adeoque præſentiſſima efficacia, &, quod ajunt, per brevem manum tolli poſſent omnes ejusmodi affectus.

VII. Sed abſunt longiſſime otioſæ tales ſpeculationes ab effectu, quando in præſenti diſcrimine adhibetur tale generale medium. Si enim v. g. perpendatur, (1) quantum temporis requiratur, donec duriſſima talis materia ſaltem emolliatur in ventriculo patientis: (2) quid deinde terrea ſua, & gelatinoſa ſubſtantia efficere poſſet ad rhombum, (3) ſiquidem, qui actuale Sal volatile in hujus generis duris partibus animalium ſupponunt, ne reſponſione quidem dignos putat *D. Stahl*: Et his applicet efficaciam talium terreo-gelatinoſorum jam liberiorum, aliunde petitorum ad tales affectus: Conſideret etiam tempus & quantitatem, qua talia vel nihil, vel vix modicum quidquam, perficiant: Tunc facile concluſionem ſecuturam arbitratur, quod etiam noſtrum concretum, vel nihil effatu dignum præſtitu-

ſtiturum ſit, adeoque ullam ſpecialem conſiderationem non mereatur. Vel quod, ſi utique aliquid præſentius, & certius, quam terrea, gelatinoſa, volatilia, ſeorſim aut conjunctim, liberiora aut commixta perpetret, undecunque potius aliter, quam a tali generali & pure materiali habitudine id ipſum dependeat.

in Hæmorrhagis. IIX. Ut itaque toti negotio juſta interpretatio adhibeatur, monet hæc *D. Stahl* (& ſunt eadem mihi quoque nota ab experientia Viri alterius Celeberrimi.) Princeps effectus, quem Lapis Manati, neque ille ſolum, ſed & Dens Hippopotami, edunt, eſt Sangvinis ad fluxus commoti, ad eruptiones ſpectantis cohibitio. Unde quidem Lapis hic noſter ab Excell. *Dn. D. Rivino*, ad hæmorrhoidalem præcipue fluxum adhiberi ſolet. Et commendat eodem ſcopo Dentem Hippopotami, tum ad hanc, tum quaslibet ſimiles Hæmorrhagias *B. Michaelis*, *in notis ad Ideam Med. Pract. Jonſton.* paſſim: Et notat *Wormius in Muſeo & P. Boim*, (citati uterque à *Dn. Frid. Hoffm. in Clav. ad Schrœder.*) quod Goæ Dens talis valde efficax aſſervetur in Noſocomio Regio, cujus vim ſi monſtrare cuipiam velint, venæ ſectæ eundem admoveant, quo ipſo illa ſtatim fluere deſinat. Quemadmodum & ipſe *B. Michaelis* uſum annulorum, è dente tali paratorum, ſummopere laudat. *Bartholinus Hiſtor. med. c. 2. obſerv. 11.* mentionem facit Sirenis, & annumerat hæc monſtra marina Phocarum generibus. De efficacia globulorum, è coſtis talis animalis formatorum notat, quod præſentaneum remedium adverſus dolorem hæmorrhoidum exiſtant, ejusque rei teſtem *Joh. de Laet* in ſuo ipſius corpore illud expertum affert. Corollas quoque ex hujusmodi Phocæ oſſibus, Romam delatis, carpo applicitas Hemicraniam ſedaſſe & vertiginem, quæ illis depoſitis recurrerint, Autorem adducit *Caſſianum à Puteo.* Tandem vero concludit, Sirenum talium circa Goam captarum dentes atque oſſa accurato ſtudio *P. Enrici, Soc. Ies. & Medici* Pro-Regis de Goa, obſervata eſſe ejusdem Virtutis, quæ ſit in Hippopotamo: At vero qualis hæc in Hippopotamo exiſtat, ut rem illic locorum notiſſimam, e ſupra citato dente Hippopotami Goæ aſſervato, ad ſiſtendum ſangvinem præſentiſſimo, & ex ipſa frequentia horum animantium in iſtis locis abunde concludere licet, ex allegati *P. Boim* relatione, qui ad Mozambiquen totos Gerffes Hippopotamorum, in lacubus Sinus Marini ſeſe volutantes conſpexit.

Spasm. IX. Alter effectus, cujus nomine Lapis Manati celebratur, eſt, quod ſpasmos cohibeat. Quid revera hic præſtet, Experientiam quam interponam, fidam & indubiam fateor me non habere: Illud vero quam maxime ſcio, adhiberi ipſum à Viris Celeberrim. hac intentione: Sed ſemper diſtinguendum inter intentionem Medici, & effectum medicamenti: De Hippopotami vero dente ſubminiſtramus locum, ex *Theodori Tabernæmontani* Waſſer-Schatz / cujus verba libet transſcribere, quæ extant pag. 121. Zu dieſem Gebrechen (dem Krampff/) habe ich nichts bewehrters funden / denn ein Stücklein von einem Zahn von einem Meer-Roß / an bloſſer Haut am Halß getragen / wie ſolches der Durchlauchtigſte / Hochgebohrne und Chriſtlichſte Fürſt und Herr Herr Friedrich Pfaltz-Graff bey Rhein / des Heiligen Römiſchen Reichs Ertz-truchſes und Churfürſt / Hertzog in Bayern / ſeeligen Gedächtniß / mich gelehret hat / und Sein Churfürſtl. G. ſolches an vielen probieret haben. Es nannten Ihre Churfürſtl. Gn. denſelbigen Zahn / einen Zahn von einem Meer-Roß / der ſich ſonſt auswendig und inwendig an der Farb einem Elephanten-Zahn vergliche / allein daß er krumm und gebogen war / wie ein Zahn von einem wilden Schwein: iſt ſehr hart wie ein Stein / auch ſchwerlicher zu ſchneiden denn ein Elephanten-Zahn / in der Dicke eines gemeinen Arms. Cum itaq; *D. Stahl* cenſeat ejusdem efficaciæ eſſe Lapidem Manati & Hippopotami partes; non ſecus atq; Sirenum oſſa cum Hippo-

Hippopotami partibus convenire, allegata obſervatio Gos facta confirmat: poteſt proinde illi quoque uſui adhiberi noſter Lapis.

X. Ex hoc eodem fine dubio capite, nempe ut antiſpasmodico effectu, Lapidem Manati vel mederi, vel ad minimum deſtinari Colicæ, nulli dubitamus.

ope- li- XI. Rationem medicam horum effectuum, ex mente *D. Stahl*, ita connectimus, ut quia ſpasmi plerique, præcipue vero ſpontanei illi, (non à terroribus aut gravioribus doloribus excitati,) à ſanguinis commotionibus pendeant, & veluti cum illis reciprocentur; propterea mirum non ſit, ſi remedium uni horum affectuum eximie conducens, alteri quoque egregiam opem præſtet. Et cum ſpasmi frequentiores, communiſſime moliminum hæmorrhoidalium conſectaria, imo veluti Inſtrumenta exiſtant, cohibita ipſa ſive turgeſcentia, ſive qualicunque commotione ſangvinis ipſius, ſpasmos etiam, quatenus illarum vel effectus, vel inſtrumentum eſſe debebant, inde ſupprimi atque ſiſti, nihil mirum fuerit.

XII. An vero vere epilepticis motibus convulſivis revera opituletur, alterius fuerit quæſtionis: Nos certe luculentam aliquam experientiam, quam interponamus, non habemus. Non diſſimulat vero *D. Stahl*, quod hic admodum diffidat. Hoc vero præcipue monet, ut impoſterum, datis occaſionibus circumſpectioris obſervationis, exploretur efficacia illa horum concretorum antiſpasmodica, à ſolo ipſorum externo uſu amuletico; utpote qui interno multis modis præferendus fuerit in variis caſibus: Non ſecus ac eorundem efficacia ſangvinem ſiſtendi, ſolo externo uſu, pariter longe præſtantior fuerit, quam interna exhibitio. Hanc enim internam arbitratur præcipue longe majorem effectum edere, & quidem talem non raro, qui ſæpe adhuc longe graviores paſſiones atque noxas poſt ſeſe trahere, ſed non ita facile iterum abolere, valeat.

XIII. Ex ratione prorſus eadem, nempe connexione, ſeu communicatione atque conſpiratione motuum ſpaſtico-hæmorrhoidalium cum nephritide, deduci debere videtur lapidis noſtri, quicunque demum eſt, effectus antinephriticus: cujus præcipue nomine celebrari eundem novimus. Et cum progreſſus Calculorum è renibus per ureteres ad veſicam fiant ſpaſtico motu ureterum; Cauſa vero quaſi procatarctica frequentiſſime ſit congeſtio aliqua ſangvinis circa renes: Lapis vero noſter & ſangvineis & ſpaſticis commotionibus mitigandis inſerviat: Poterit utique ex hoc capite uſum hic habere. Ad frangendos vero, conterendos calculos eundem exhibere, ſpectat ad ſupra taxatas bonas intentiones, ſed ab effectu alienas.

XIV. Hanc adducimus rationem operandi Medicam. Phyſicam qui efflagitat, rejicimus ad Phyſicos; vel antiquiores, qui dicent actum illum à ſolo externo contactu præcipue eſſe à qualitate occulta: vel Recentiſſimos, qui laudabunt tales poros, & particulas hujus concreti, & partium fibroſarum & nervoſarum, quæ inter ſe mutuo proportionem Mathematicam figurarum habeant, ut particulæ aliquos poros obturent, fibras trudant: aut motu peregrino majorem niſum in ipſa parte exſuſcitent: aut talem ætherem per ſui poros transcolent, qui fibras ſpecialiter pellat: (uti ille, qui per magnetem curſitat, ferrum:) vel denique Medios illos, qui Spiritus irradiativo quodam actu affici, ſymbolice impelli, aut a Salina Sulphurea, Terrea, noſtri concreti proſapia fibras vellicari, ſpiritus incitari, & in furorem agi, &c. dicent. Nobis jam otium non eſt, his immorari.

XV. Progredimur potius ad modum utendi. Diximus de hoc, quod non modo interne, ſed & omnino externe effectus ſuos eximios edat. Interne itaque datur ſub raſuræ tenuiſſimæ, aut pulv. præparati forma: externe in fruſtulis, juxta *Tabernæmontani* *Modus utendi.*

tani experientiam: aut in globulis corollariis, juxta *Bartholini* obſervationes: aut in annulorum forma, ſecundum *Michaelem.* At ſi quis monile quoddam inde ſculpere, aut nodulos pro induſiis firmandis inde elaborare ſinat, eaque ita ſuper nudo corpore geſtet, poterit ſine dubio eodem effectu exinde quoque potiri.

XVI. Illud conſideratu non indignum eſſe putamus: quod tum *Ouiedus*, tum *Laet*, tum *Boetius*, & *Jonſthonus* ipſe memorent, ad Diuretico-Nephriticos uſus interne efficaciorem eſſe Lapidem noſtrum uſtum: Et tunc demum per aliquot dies ita uſurpatum operæ pretium facere. Sic enim non tam ſpecialiſſimus amplius, ſeu ſpecificus noſtri Lapidis effectus habendus iſte eſſet; cum etiam alia uſta non obſcuram in hoc genere exhibeant efficaciam. Ut enim taceamus Vegetabilia, è quorum cineribus (& in ſpecie Dipſaci, quod remedium à Celeberrimo quodam Practico in Hydrope & œdemate pedum efficaciſſime adhiberi ſolitum, cum vino tamen, ſcio) inſignis diuretica vis obtinetur: Nota eſt ipſius quoque Leporis uſti, & ſimilium ad calculum commendatio. Unde ſi quæ lapidis noſtri utilitas contra Calculum fuerit, amuleti, aut præparati pulveris forma, merebitur laudem ſuam ſpecialem: Sin minus, jam ſane valde generalem tantum.

XVII. Doſis non æque determinatur, ſed drachmæ unius pondere *Doſis* communiter commendatur: Imo ad unciam ſemis progreditur *Schrœderus* & è quibus transſcripſit, Autores. Ad illos affectus, ad quos revera efficax eſt, etiam parciorem quantitatem ſufficere, monet *D. Stahl* in effectibus dentis Hippopotami illud expertus, quos cariori & rariori huic hactenus ſubſtituit.

Sufficiant autem hæc circa noſtrum negotium: DEO Ter-Optimo terque maximo, qui hæc etiam alicujus utilitatis Practicæ eſſe jubeat, ſit Laus & Gloria ſempiterna.

F I N I S.

Disputationum Langianarum Trigeſima Quarta: De

COCHINILLA.

L. B.

LAtitare in rerum ſcientia naturali adhuc quamplurima, ne dicam innumera, abſtruſa, quorumque notitia accuratior ad nos nondum pervenit, nemo, opinor, inficiabitur, perpendens, quod iſtud doceant & commonſtrent tot temporum noſtrorum inventa nova, quorum tamen catalogum hic pertexere minime allubeſcit: contentus ero, ſi ſub eorum cenſum in præſenti COCHINILLAM vocare liceat, quippe quæ ſeculo XVIto primitus innotuit, ſic ut antea, quod ego quidem noverim, vix ulla mentio illius apud autores occurrat. Quotquot autem poſt hæc tempora de Cochinilla aliquid literarum monumentis conſignarunt, hi varias ſemper in partes abierunt, aliter aliterque de ejus eſſentia ac natura ſentientes. Iſtas vero opiniones dum tibi jam exhibeo, noli, quæſo, me audaciæ incuſare, ſicubi alienam a Viris quibusdam celeberrimis me fovere videas opinionem: cum enim veritati eſſet litandum, iniquum putavi nudis inhærere autoritatibus. Potius illa, quæ ex lectione recentiorum Doctorum, & poſt varia tentamina, experimentorumque pericula, animadverti circa Cochinillam veritati reſpondere, Tibi nunc in his pagellis ſiſtere placuit. Æqui igitur bonique conſulas, decenter rogito, auſus hos qualescunque; qui ſi non ex omni parte Tibi arriſerint, memor eſto illius vulgati: *Et velle in magnis ſat eſſe.* DEUS T. O. M. interim cœptis annuat, iisdemque ſua gratia clementiſſime ſuccurrat.

CAPUT I. De NOMINE COCHINILLÆ.

§. I.

DUm autem examen *Cochinillæ* ſuſcipio, mox occurrit, ex Græco hoc ejus nomen Hiſpanienſe defluxiſſe: in quo conſentientem habeo *Joh. de Laet*, qui L. V. deſcription. Americ. *c. 3. p. 229.* pretioſum Cochinillæ granum à κόκκῳ Veterum dici indigitat. Cui ſuffragatur *Franciſc. Hernandez*, Medicus in orbe novo primarius, *L. 3. theſaur. rer. medic. nov. Hiſpan. c. 45. p. 78.* ita inquiens: Cochinilla ab Hiſpanis fortaſſis à cocco, ſive grano, appellari ſolet. Et paulo poſt: pertinent hi ver-

vermiculi ad genus coccineum, unde fortaſſis nomen Hiſpanienſe emanavit. Hinc ferme in eam opinionem prolapſus eſſem, quaſi hoc Cochinillæ nomen eodem modo enatum foret ex cocco, ac illa Arabum vox *Chermes*, quæ à Latinorum vermis, pro qua ætas barbara dixit *guermis*, detorta videtur *Claud. Salmaſio* exercitat. *Plinian. p. 676.* niſi *Nehemias Grevv muſ. p. 241.* me edocuiſſet, Cochinillam diminutivum eſſe τȢ Cocci.

§. II. Ut tamen clarius pateat dictæ denominationis cauſa, *Coccus* ipſe paululum excutiendus eſt. Monendum vero, iſthoc nomine non unum, ſed plura concreta venire. Subinde namque medicamenti iſtud genus, quod ſub titulo *Catapotiorum* ſive *Pilularum* in tabernis Pharmacevticis proſtat, hac appellatione inſignitur; cujus rei teſtem voco *Alexandrum Trallianum*, qui, annotante *Scapula* ſub voce κόκκ☉, ſic loquitur: Ἡ κάθαρσις, ἡ διὰ τῶν κοκκῶν, ἐχόντων τὴν κολοκυνθίδα, h. e. purgatio, quæ fit per pilulas, quas ingreditur Colocynthis. Aliis dictione hac deſignatur fructus inſularum Maldivenſium *Tavercare* dictus, ſive nux medica Maldivenſium, de qua prolixe agit *Bauhin. in pinac. p. 458. Piſo in mantiſſ. aromat. p. 203.* aliique. Porro nomen hocce gerit *granum*, quod in Thymelæa herba naſcitur, & *Cnidium* audit, monente laudato *Salmaſ. exercitat. Plinian. p. 213.* Non ſecus ac excreſcentiæ, quales in ceraſis Eboraci vidit *Rajus*, monſtratas ſibi à *Liſtero*, quarumque mentionem facit in *hiſtor. plantar. p. 1392.* Denique eadem hac nuncupatione ſuperbiunt illa *rubra granula*, ſeu veſiculæ, quæ radicibus piloſellæ, herniariæ, ſangviſorbæ, ſiliginis ſeu olyræ, polygoni Polonici, aliisque plantis circa feſtum S. Johannis Baptiſtæ adnaſcuntur, uti videre eſt ex *Matthiol. in Dioſcorid. de mat. med. lib. 4. c. 43. Braſſavol. Bauhin. & Sim. Pauli Q. B. p. 114.* nec non *Ephemerid. Germanor. D. I. A. I. O. 8. & A. III. O. 104.* ubi *Carol. Seger. & Domin. à Bernitz* ſub *cocci Polonici* titulo ex profeſſo illarum hiſtoriam exhibent. Sed omnium uſitatiſſime, imo καθ' ἐξοχὴν, Cocci ſalutantur *iſtæ bacculæ*, quæ in *ilice frutice*, colore rubro, figura rotunda, magnitudine piſorum minorum proveniunt: quibus in pluribus partibus Cochinillam reſpondere mox fuſius videbimus. Reliqua, dum nempe ipſum fruticem, cui iſtud rubens granum innaſcitur, tandemque βάμμα, ſeu tincturam, quam dicti cocci ſuppeditant, exornare ſolent hoc cognomine aliqui autorum, lubenter omitto, ne in nominalibus reperiar admodum prolixus.

§. III. Sic igitur *primo* à facie externa cocci, ſupra ilicem fruticem prognati, Cochinillæ nomen formatum fuiſſe ab Hiſpanis, a vero adeo alienum haud videtur. Cui primæ rationi accedit *altera*, a modo creſcendi utriusque hujus concreti deſumta. Provenit alias Coccus baphicus in variis terrarum orbis partibus, diverſisque illarum regionibus, quod, præter *Plin. hiſtor. nat. loc. variis & Dioſcorid. de mat. med. loc.* antea citat. ſimiliter atteſtantur *Canepar. de atrament. p. 326. Strobelberger de confect. Alkerm. c. 6. Eduard. Brovvn. itinerar. L. II. P. III. c. 7. Petr. Pomet. L. 1.* libri Gallice conſcripti, cujus rubrica, *le Marchand. ſincere, c. 26.* it. tractatulus in Germanicam translatus, cui titulus: Gründlicher Färb-Unterricht/ *pag. 282.* Aſt, creſcit ſemper ſupra *ilicem fruticem*, (illa namque grana, quæ *ilici arbori* adhærent, nil præter externam formam commune habent cum cocco baphico, judicante eodem *Salmaſ. hyl. iatr. pag. 92.*) & quidem primo ſtatim vere ramulis duriuſculis, ubi in brachia diſcinduntur, adnaſci viſuntur exiles, rotundæ & albicantes veſiculæ, quæ temporis ſucceſſu augentur, colorque illarum albus primum in cinereum, tandem in nitidum purpureum, vel potius coccineum convertitur, tumque bacculæ granis aſparagi hortenſis præmaturis plane ſimiles evadunt, quoad colorem & magnitudinem. Conf. *Quiqueran.* apud *Cluſium l. 1. hiſtor. ſtirp. rarior. c. 16. Raj. hiſt. plant. p. 1392. Strobelberger. tr. cit. c. 2.* Nec alia obſervatur origo noſtræ Cochinillæ, nam & iſta inſidet cuidam vegetabili, inibique creſcit ex minimo

mo

mo corpuſculo, donec faciem acquirat baccæ, coloremque purpureum.

Si non diſplicet, & tertiam adducam derivationis rationem; quoniam ſcilicet hæc bina concreta etiam inter ſe conveniunt ratione effectus, ſeu virtute tingendi. Hac enim de cauſa jamdudum coccum hunc vocarunt Græce κόκκον βαφικὴν, teſte *Matthiol. in Dioſcorid. ſup. allegat. loc.* &, hos ſecuti Latini coccum baphicam, (an recte, disquirant alii,) item granum infectorium, quia iſto ævo à pictoribus tinctoribusque deſtinabatur rebus inprimis, quas colore eleganti rubro imbuere geſtiebant, cujus tamen loco dicti mechanici hodie conſveverunt ſubſtituere Cochinillam, aut exin paratum pigmentum, vulgo *Carmin* dictum, ſimili ad minimum, ſi non magis exoptato effectu, prout id quotidiana confirmat experientia, latiusque legi poteſt in modo citato illo tractatulo germanico, Gründl. Farb-Unterricht.

§. V. Succedit *quarta* ratio, petita ab utriusque & cocci, & Cochinillæ conformatione & facie interiore. Quamvis autem hic abs invicem diſtare primo intuitu dixeris hæc duo concreta, cum Cochinillæ grana non æque, veluti Cocci veſiculæ, ad maturitatis ſtatum evectæ, h. e. ſucco eleganti rubro jam turgeſcentes, ſcateant integra caterva vermiculorum ſumme exiguorum, ſangvine quaſi tinctorum, qui poſtmodum mutantur in muſcas, atque avolant celeriter, nihil niſi folliculos relinquentes vacuos, inanes inertesque; parum tamen diſcrepantiæ, vel eam non adeo inſignem, intercedere videbis, advertens, & in Cochinillæ quovis grano deliteſcere vermem, in ſcarabæum ſuo tempore abiturum, prout hæc omnia in ſubſequentibus ex profeſſo ſum demonſtraturus.

§. VI. Sed ſatis de nominis origine: jam ad Synonymiam Cochinillæ devenio. Vocatur etiam ea ab Hiſpanis, veluti monitum, *Cochinilla:* Latinis *Cochenilla, Cochenillia & Cochinilia*, nec non *Coccionella, Coccinella & Cotonella* dicitur: à Gallis nuncupatur *Cochenille & Coſenelle*, ab Anglis *Cochanele, Cocheneal & Cocheneil:* noſtro idiomate effertur Conzenilla / it. Conzenille / & ſubinde Grein (dubio procul à Latinorum grano) quo titulo ſalutatur à *Joſeph. de Acoſta hiſt. natural. Ind. L. IV. c. 23. p. 127.* Tandemque ab Americanis, ſuis popularibus, *Nocheztli* appellatur, vid. *Hernandez. l. c.* Atque hæc circa Onomatologiam monuiſſe ſufficiant. Pergo eapropter ad ipſam hiſtoriam naturalem Cochinillæ.

CAPUT II.

DE LOCO NATALI COCHINILLÆ, ET PLANTA, CUI INNASCITUR.

§. I.

PAtriam itaque Cochenillæ, ac natale ipſius ſolum determinaturus, extra omnem dubitationis aleam poſitum arbitror, quod unice novus orbis, quem vulgo *Americam* ſalutamus, nobis transmittat has nobiles merces, & quidem ſtupenda plane in copia. Quodſi enim fides allegato de *Acoſta* eſt habenda, A. C. 1587. claſſis Hiſpanica ejusdem evexit ſexcentas ſeptuaginta ſeptem ſupra quinquies mille arrobas: (eſt autem *arroba* ponderis ſpecies, 25. libras civiles pendens) & tanta plus minus illius quantitas quotannis, hunc usque in diem, ſolenniter exportari ſolet. Habetur vero in variis regionibus & ditionibus hujus novi orbis proventus ille largus Cochinillæ. Præprimis famam exin aſſecutum eſt regnum *Peruanum*, quod *Lacuna* olim docuit, & ex illo repetitur in *Ephemerid. Germanor. D. I. A. III. O. 104. p. 168.* Non cedere huic regno *novam Hiſpaniam*, autor eſt Anton. *Herrera*, citante ipſum *Joh. de Laet deſcription. Americ. p. 127.* referens, maxima terræ illius ſpatia cerni, nonniſi arboribus Cochinillæ enutriendæ ſacratis referta. Idem *Laet p. 253.* hoc etiam affirmat de regione *Tlaſcalenſi*, eamque maxime feracem eſſe Cochinillæ perhibet, ita, ut ſin- *Locus natalis.*

gulis

gulis annis ducentorum millium ducatorum pretio hanc mercem in urbem Tlaſcalam mittat. Sed omnium celeberrimus ager *Mexicanus* eſt, teſte eodem *l. c. p.* 237. & *Miſteca*, provincia hujus regni potentiſſimi: hæc etenim præſtantiſſimam Cochinillam dat, quæ cunctis reliquis, ne ipſa quidem Tlaſcalenſi excepta, palmam præripit extra controverſiam omnem; recenſente id pluries jam nominato *Laet L. IV. c. 25. p. 261. Hiſtor. citat.*

§. II. Si hac in re *Pometi* quoque fide nitendum, colligitur itidem Cochinilla ad *lacum ſalſum regni Mexicani*, non minus quam *Leodegannæ* Gallorum, vid. ipſius *lib. ſup. cit. p. 30.* Sic pariter ex inſulis ad continentem poſitis, *Jamaica* dicta, eandem fert, quod lego in *Transaction. Anglican. T. XVII. n. 193.* & apud *Hans Sloane*, *catalog. plantar. Jamaicæ p. 195.* annotatum. De *Dominica* inſula ſimiliter id aſſeverat *Franciſcus Plumier*, Pater Minimus, Regiſque Galliæ Botanicus, qui primum ſe in hac inſula reperiiſſe illam gloriatur apud *Pomet. p. 32.* hocque ſuum inventum acriter defendit contra antagoniſtam T. XXII. *Journal des Scavans p. 312. ſeqq.* quas tamen illorum lites noſtras non facimus. Plumier certe, ſi ex America, quorſum regio juſſu abiit, redux factus promiſſis ſuis ſteterit, ipſe ſe defendet feliciſſime, munitus ſine omni dubio teſtimoniis invincibilibus.

Planta, cui innaſcitur. §. III. Viſo ita natali loco, ſequitur jam examen plantæ, cui innaſci obſervatur Cochinilla. Indigenum illius nomen eſt *Tuna* vel *Tunal*, item *Nopal Nocheztli* aut *Nocheztli Nopalli*; & à Botanicis noſtris communiter vocatur *Opuntium majus ſpinoſum fructu ſangvineo*, nec non *Ficus Indica rubra*: gallicè audit *Raquette*, à figura, quam cum palmula luſoria pene communem habere ajunt, & *Cardaſſe*, ob copiam ſpinarum, quibus undique obſervantur ejuſdem folia: *conſ. Laet deſcription. Americ. p. 229. Hernandez. theſaur. rer. medicar. L. III. c. 43. Piſo de re natur. utriusque Indiæ p. 188. vid. Rochefort. hiſtor. natural. inſular. Antill. p. 107. Pomet. l. c.* Hæc planta ſingularis eſt conformationis, excreſcitque in magnitudinem arboris minoris, ſive fruticis, adeo, ut quibusdam autoribus, è quibus inſtar omnium nominandus *Acoſta L. IV. hiſt. Ind. c. 3. p. 127.* propterea etiam arbor audiat. Talis vero ipſius eſt facies: nimirum erumpit primo ex tellure folium unicum, pingve craſſumque, aculeis infinitis horridum; ex hujus latere aut in apice alterum exſurgit, ex quo tertium, pluraque deinceps, imo innumera pene nova ex aliis hinc inde prognatis oriuntur. Semper tamen, ac nova enata ſunt folia, vel in apice, uti dictum, vel è lateribus, ſubtus poſita pedetentim incraſſeſcunt, donec figura folii propemodum ex toto depoſita caudicis cujusdam formam induant. Qua de cauſa ab adventantibus, & obiter ſaltim hoc vegetabile intuentibus, quorſum idem *de Acoſta* haud immerito referendus, habitum illud eſt pro cardui cujusdam ſpecie, adeoque Carden / wild Carden appellatum. Conferatur *Gonzales Ferdinandus de Oviedo* in ſummariis *hiſtor. Ind. occid. c. 81. p. 69.* & in hiſtoria ipſa *L. VIII. c. 25. p. 143. ſqq.* qui pariter ob ſumme aculeatam foliorum texturam Tunas ad carduos refert, hocque nomine easdem ſalutat.

§. IV. Prolixe magis clariusque hanc plantam depingit *Pomet lib. cit. p. 30.* his forte verbis: planta, cujus granum, ſive ſemen eſt Cochinilla, duos tresve pedes in altum (imo, ſi ſoli bonitas faveat, ad hominis ſtaturam, teſte *Plumiero* apud eund.) extollitur. Ejus folia, quæ duos pollices craſſitie adæquant ſua, læta viriditate rident, ſpiniſque quamplurimis undique verſum armantur. Emittunt hæc in ſummitate, ſi ad magnitudinem juſtam pervenerint, flores amplos, colore pallide roſeo (vel luteo, juxta *Transaction. Anglic. loc. ſup. alleg.*) ſuperbientes, quos excipiunt fructus condiformes, ex viridi flaveſcentes, tandemque rubentes; in quibus latent ſemina innumero numero, variæ figuræ, coloris ab extra gry-

gryſei, intus ſangvinei. Et quo melius dicta pateant, en! iconem plantæ, quemadmodum ab Autore hoc æri inciſa exhibetur.

§. V. Sed nondum ſic omne ſublatum eſt dubium circa hanc plantam, cum, evolvens alios hiſtoriæ Americanæ ſcriptores, non ſolum figuram ejus obſervaverim diverſam, verum quoque deſcriptionem ab hac multum diſcrepantem. Nec mirum, quoniam non una *Nochtli*, ſic enim vocatur in nova Hiſpania, aut *Tunarum*, quod nomen ipſis in inſulis imponitur, reperitur ſpecies. Teſtem voco *Laetum loc. ſæp. alleg. Franciſc. Hernandez theſaur. nov. Hiſpan. L. III. c. 4. & Franciſcum Ximenem*, cujus verba apud *Marcgrav. L. III. hiſtor. Braſil. c. 15. p. 127.* in notis adſcripta leguntur. Uterque autem ultimo nominatorum Autorum differentias Tunarum exponit, aſſeritque, diſtingui illas ſecundum florum diverſitatem, quos alias candidos, alias rubros, alias foris ſubluteos & interius ejusd. cum fructu coloris gerere referunt. Deinde differre easdem ajunt magnitudine & forma foliorum, quorum alia ſunt grandia, alia exigua, alia oblonga, alia rotunda, alia breviora. Quod poſtea fuſius probant. Nam primam ex his appellari perhibent *Tztacnochtli*, quia illius fructus albus ſpinoſus eſt, folia rotunda, parva & lævia, aut paucis ſaltim ſpinis aſpera, flos flavus. Secunda *Coznochtli* nuncupatur, quia fructum fert flavum, folia lata & rotunda, plena acutiſſimis ſpinis, florem rubicundum, fructus raros. Tertiam ſalutant *Atlatocnochtli*, i. e. Tunam, quæ ab albo colore vergit ad ruffum, foliis longe acutis, anguſtis & ſubpurpureis. Quarta *Tlapalnochtli*, foliis longis & anguſtis, brevioribus tamen ac minus ſpinoſis, quam præcedens minore flore, cujus color ex albido ad rubrum tendit, fructu exiguo, coloris ignei ſeu coccinei. Quinta *Tzaponochtli*, ob ſimilitudinem ejus cum fructu *Tzapotl*, foliis horridis & deformibus, ovalibus & valde ſpinoſis, floribus ex candido ſubflavis. Sexto loco ponitur ſylveſtris Tuna, *Tzacunochtli*, in arboris molem hæc ſolet adoleſcere, foliaque gerit minora, rotunda, flores flavos. Septima ſpecies *Xochinochtli*, quæ licet præcedenti ſit figura ſimilis, tamen excedit cæteras omnes foliis & fructibus, unde illi nomen.

§. VI. Hæc ideo prolixe adducere placuit, quoniam ex his Hernandis & Ximenis verbis conformibus facile poſſunt conciliari allegati paulo ante Autores, qui in tradenda hiſtoria non ubique convenire videbantur. Deinde id inde diſcimus, non unam Tunarum ſpeciem deprehendi, Cochinillæ educationi & nutritioni ab incolis dicatam, quamvis ea propter haud asſeramus, omnem Tunam aptam eſſe natam huic uſui, quin illas, quæ rubros fructus ferunt, ob copiam ſucci ruffeſcentis, quo luxuriant, magis utiles obſervari præ aliis carentibus illo, ultro admittamus. Et hinc præter Tunam à *Pometo* delineatam, illam quoque, quam *Marcgrav.* dicto loco ſub nomine *Jamacaru*, & *Piſo Cumbebæ* deſcribit, quanquam penitus diverſa ſit tam foliis, quam floribus, fructibusque, tamen itidem Cochinillæ feracem eſſe, ambabus, ut dicitur, manibus largimur.

§. VII. Ita vero, ne quid deſit noſtro ſcopo inſerviens, delineant iſtam *Piſo* ut quintam, & *Marcgravius*, ut quartam inter *Jamacaru* ſpeciem. Ex radicibus tenuibus, haud profunde intra terram latentibus, exſurgunt triangularia, aut etiam quadrangularia folia, unum, duos, tres, quatuorve pedes longa, quibus alia hinc inde adnaſcuntur, uti in ficu Indica. In anguloſis extremitatibus aculei adſunt, unum, duos, tresque digitos longi, æquali magnitudine juxta ſe poſiti. Folia hæc ſunt viridia, flos etiam talis, minor tamen, fructus tres digitos longus obſervatur, quatuor in ambitu craſſus, figuræ ovalis, cute conſtans craſſa, ſucculenta, egregie rubra, continens pulpam albam, & ſemina copioſa, ſimilia aquilegiæ ſeminibus, æque tamen ac pulpa maxime ſapida.

§. VIII. Hæc autem rubedo, quæ dictis fructibus ineſt, ſummam habet tin-

tingendi efficaciam; nam non ſolum, quod refertur in *Transaction. Anglic. n.193.* manibus contrectantium, veluti mororum fructus, purpureum colorem communicant, verum etiam comeſti efficiunt, ut lotium excretum inſtar ſangvinis compareat. Idcirco adventantes, qui rei hujus adhuc ignari ſunt, non raro lectum petere obſervantur, perſvaſi, interiora renum aut veſicæ eſſe rupta, vel eroſa: prout recenſet non tantum *Rochefort p. 108. hiſtor. inſular. Antill.* ſed de ſe ipſo quoque narrat *Oviedo loc. ſup. alleg.* Cum enim aliquando equo per campos vectus in bene multos hujuſcemodi fructus incidiſſet, atque eorum, ad imitationem ſodalium, aliquot cum palati oblectatione deguſtaſſet, non longe poſt pruritum micturiendi ſentiens, urinam ſangvinolentam profluere obſervavit, ex quo attonitus & anxius factus de vita finienda jam jam cogitabat, donec à Medico, quem adiverat, de fructuum horum proprietate ſingulari admonitus, metum omnem abjicere juſſus eſſet.

§. IX. Sed dum circa plantam hanc deſcribendam verſor, non alienum abs re fore arbitror, *multiplicationem* ejus, quæ duplex eſt, adjicere. Fit nempe ea primo & ſolenniſſime, per folia hujus plantæ, quæ ad medietatem usque terræ mandata deſubito radices agunt, & in ſummitate ejiciunt recentia atque novella folia; ſicque frutices novi complures numero propagari poſſunt leviſſimo negotio, inprimis ſi tellus faveat. Hinc in inſula Barbados ex ſumme aculeata hac planta fortalitia ſtruuntur ab incolis, quæ inexpugnabilia ſunt hoſti nudo corpore pugnanti. Sed harum plantarum copiam ſuppeditant quoque ſemina, vel granula minuta fructuum vel ficuum horum; nam & ex his, non adeo longa interjecta mora, vel integram ſylvam Opuntiarum ſibi quis parare poteſt: quod referunt *Transaction. Anglicanæ T. XVII. n. 193.*

§. X. Hucusque omnium Autorum, quotquot certe mihi evolvere licuit, conſenſu tantummodo Tunam, ſeu Opuntium, pro nutrice & altrice Cochinillæ habitam eſſe patet, ſi ſolum excipias *Plumierum* apud Pometum, qui eandem quoque reperiri docet in arborum generibus aliis, Acaciis præcipue, illisque, quos incolæ Gallorum poteſtati ſubjectarum inſularum Ceraſos nuncupant. Veruntamen cum ipſe Autor ſtatim addat, vix unquam in his arboribus enutritam Cochinillam imbui iſto elegante purpureo colore, cujus ſolum gratia expetitur, ſed ſemper opus eſſe, ſi voti velint fieri compotes inſulani, ut fruticibus Opuntiorum, quæ fructus rubros gerunt, imponant hæc animalcula, quo ex iis nobile iſtud alimentum ſugant, pateſcit exin clare, hoc ejus aſſertum non adeo eſſe paradoxum, cum Tunas non penitus ab officio enutritionis Cochinilliæ excludat, utut pullitiem horum inſectorum in aliis vegetabilibus enutriri aliquandiu poſſe, autor ſit.

CAPUT III.

DE DUBIIS OPINIONIBUS CIRCA QUIDDITATEM COCHINILLÆ.

§. I.

Cum dictum in cap. præcedente, Opuntiis rubris ſpinoſis Americanis ſolenniter inhærere Cochinillam; non mirum, a quibusdam naturæ conſultis illam ad Vegetabilia fuiſſe relatam, & vel pro fructu memoratæ plantæ, vel ſaltim pro ſemine, ſive grano fructus, aut ficus, habitam. Defenſum vero hoc dogma ſtrenuè eſt ſuperiori ævo, iſto præſertim tempore, ubi transportari primitus cepit hæc merx ex novo orbe. Non enim iſti Doctores alium ſibi poterant formare conceptum, quam quod Cochinilla ſit fructus, ſive bacca cujusdam vegetabilis, cum audirent ex rerum naturalium novi orbis ſcriptoribus, ejus generationem fieri in Opuntiis. Edocti tamen poſtea ab aliis, plantam hanc ferre fructus figuræ oblongæ, facie ſua pirum adæquantes, & in ſe habentes gra-

granula infinita, haud amplius pro fructibus integris venditari poſſe Cochinillam animadverterunt, hinc acinulos harum ficuum, ſive grana in iisdem concluſa eam eſſe reputarunt.

§. II. Verum enim vero non diu floruit hæc opinio, poſteaquam *Joſeph. de Acoſta* Americam ſuam divulgaverat; in quo libro claris verbis, tanquam αὐτόπτης teſtis, ad cenſum vermiculorum pertinere Cochinillam perhibet. Ab illo enim tempore ad animale regnum transferri cœpit, magno Doctorum applauſu; quamvis nondum exacte iſtius vermiculi aut animalculi delineata eſſet facies. Penitus tamen rejecta prior ſententia haud eſt, ſed obſoletum illud & primitus defenſum dogma aliquoties recoctum fuit ab aliis naturæ ruſpatoribus, quorum anteſignanus merito conſtituitur *Caneparius tr. de atrament. c. 10.* Graviter namque & amariſſimis plane verbis invehitur in contrarium aſſerentes, ex hoc capite potiſſimum, quod reclamet experientia, cum nempe Cochinilia, ſicciſſima licet, intumeſcat denuo, priſtinamque ſuam, ovalem puta, faciem & formam baccæ alicujus recuperet ad oculum aquæ tepidæ injecta per breve temporis ſpatium; nulla è contrario, ne quidem minima, parte animalculum quoddam referat.

§. III. Huic ad latus jungitur *Pometus*, qui etiamſi olim pro animalculo ſe habuiſſe Cochinillam fateatur, in libro non una vice allegato, nihilominus nuntium huic opinioni remiſit, admonitus, uti indicat, ab amico mercatore, *Rouſſeau* dicto, inſulæ S. Dominici incola, à quo ſe certo habere ſcribit, Cochinillam nihil eſſe aliud, quam granum, intus extusque eleganter rubentis Indicæ ficus, quod evidentiſſime demonſtraturum ſe pollicitus fuerat nominatus mercator, per plantam memorati grani, quam integram cum ſuo ſemine ſimul ſe transmiſſurum promiſerat. Viro igitur huic fidem cœco impetu adhibens noſter, ulterius annititur ſuam probare ſententiam, illo ipſo Caneparii jam adducto argumento: aſſerens ſcil. primo, Cochinillam gerere omnes ſeminis notas; & ex adverſo nulla animalis vel inſecti veſtigia comparere in ipſa, quia nec alæ, nec pedes, nec caput, nec ulla alia pars detegi valeat in iſtiusmodi grano, ſtudio utut maximo quæſita. Quibus argumentis tertio ſubnectit, à partibus ſuis ſtantem autoritatem Virorum aliquot maximæ autoritatis, qui in Cochinillæ loco natalitio vixerunt, ejusque hiſtoriam naturalem ſcriptam tradiderunt, & ex illis nominat *Piſonem & Ximenem.*

§. IV. Veruntamen à veritate quam longe divagantur hi, imo prorſus à certitudinis aberrant tramite. Nam quod *Caneparii* rationem attinet, tantum abeſt, ut illa ſuffulciat hanc ejus opinionem, ut potius notæ quædam ſive ſigna, non equidem integri & jam perfecti animalis, aſt tamen futuri & mox prodituri, ſeſe offerant in ipſis iſtis inciſuris & circulis, qui manifeſte viſuntur in Cochinilla, & poſt emollitionem hujus grani adhuc melius in conſpectum prodeunt, prout uberius in ſubſequentibus ſum oſtenſurus. Nec aliter de *Pometi* rationibus judicandum puto: quamvis enim in iſto Cochinillæ globulo, ſive corpuſculo, ex ſucco & informi, poſt novam illius intumeſcentiam, per infuſionem in aquam productam, non veniant in apricum enarratæ partes, (quod nihilominus nonnulli ſtatuunt cum *Paulo Ammanno manud. ad mat. med. p. 154.* aſſerentes, hac emollitione impetrari poſſe, ut crura corrugata rurſus explicentur & conſpectui denuo ſeſe ſiſtant) tamen nondum ſic demonſtratum eſt ſatis, ad Animalium claſſem non pertinere Cochinillam.

§. V. Ex profeſſo horum argumentorum debilitatem exponit *Plumier jam ſup. cit. T. XXII. Journal des Scavans p. 315. ſeqq.* admonens lectorem, velit modo ſine præconceptæ opinionis peplo Cochinillam intueri; ſic enim fore pleroſque non dubitat, qui levi opera inſecti characteres ſint evoluturi & explicaturi. Erit è re, loquentem audire ipſum. Quæſo, ait, quid iſtæ rugæ exiles, quæ ventrem una cum dorſo per transverſum ſecant,

cant, & in limbulum concurrunt, ventrem circumcirca ad thoracem usque cingentem? nil ſane ſunt aliud, quam genuinæ inſectuli notæ, ſeu, ut clarius loquar, articulationum & ſectionum diſtinctiones, quæ ope infuſionis longe curatius ſeſe conſpiciendas ſiſtunt, quam ipſa neglecta. Et ſic quoque ſecundo Pometi dubio, quod nimirum nec alæ, nec pedes &c. in Cochinilla cernantur, opponit primo inſecta ἄποδα, qualia ſunt lumbrici terreſtres & inteſtinorum; deinde, animalculum, ſive inſectulum iſtud Americanum, incolis infeſtiſſimum, *Chique* dictum, quod alis pedibusque ſemper caret, & à principio adeo exiguæ molis eſt, ut nudis oculis uſurpari vix valeat; poſtquam vero pedum digitis ſemel irrepſit, tumefactum brevi piſum ſuperat ipſius corpus, veſiculamque refert lendibus omnino plenam, infinitas tunc ſuſcitans moleſtias.

§. VI. Tandem & autoritati ab adverſario adductæ, quod tertium illius eſt argumentum, reponit non modo aliorum fide digniſſimorum virorum autoritatem, videlicet *Joſephi de Acoſta* & *Franciſci Hernandez*, qui clariſſimis verbis adverſæ favent opinioni; verum & inſuper, nec illos ipſos viros, quos pro ſe allegaverat *Pomet*, à partibus ejus pugnare commonſtrat. Cum enim *Ximenes* & *Hernandez* (cujus ſcripta in ordinem redegit *Nardus Antonius Recchus*) plane conformi ſerie Tunas deſcripſerint, fluere exin indigitat, alterum alterius dicta aut interpretatum tantum eſſe, aut unum ex altero hæc tranſſumpſiſſe. Quoniam igitur *Hernandez* totus totus huic opinioni contrarius eſt, non alia etiam *Ximenem* de Cochinilla habere conjicit, quæ annotare facile potuiſſet *Marcgravius*, modo in recenſitione verborū *Ximenis* ulterius perrexiſſet. Imo, quia idem hic Autor *L. III. hiſtor. Braſil. c. 127.* ſtatim ac deſcriptionem ſuæ *Jamacaru* dedit, eamque eſſe eandem plantam, quæ in nova Hiſpania Cochinillam fert, pronunciavit, lectorem ad *Ximenem* remittit, ex eo quoque ſe ad credendum induci perhibet, *Ximenem* contrariæ opinioni minus favere. Hinc obſtrictum ſe *Pometo* futurum promittit, ſi in ipſo *Ximene* ſibi oſtenderit verba expreſſa, quæ faciant ad probationem aſſerti; ſuos etenim oculos hactenus ſubterfugiſſe illud ſcriptum, candide fatetur. De *Piſone* autem hoc animadvertit, nuſpiam eum determinaſſe, an ad Vegetabile regnum ſit referendum, an vero Animalium ordini accenſendum hoc noſtrum concretum, ſed tantummodo ipſum docere, *Cumbebam* & *Marcgravii Jamacaru* eſſe illam Tunarum ſpeciem, quæ in nova Hiſpania Cochinillam nutrit & dat.

§. VII. Hactenus *Plumier*. Tametſi autem hæ ejus reſponſiones ex parte maxima ſatis ſint robuſtæ, pro refutanda adverſantis opinione, nihilominus inſtantia, à lumbricis & animalculis iſtis exiguis ſuſcepta mihi non quadrare videtur; quoniam utique pedibus, alis & capitibus gaudent animalcula, quæ nobis Cochinillam largiuntur, uti mox dicendum erit fuſius: neceſſario itaque debebant adeſſe in Cochinilla, ſi ipſa ab illis animalculis provenit. Propius proinde attigiſſe videtur rationem defectus harum partiū *Antonius à Leeuvvenhoek in continuation. epiſtolar. ad Societat. Reg. Londinenſ. p. 114. ſeqq.* referens, ſe quoque ab initio in eodem luto hæſiſſe cum illis, qui pro fructu habent Cochinillam, & quidem potiſſimum ex his fundamentis, quod ſemper minutiſſima, & plus quam centum muſtelini coloris granula, propriis membranulis involuta, appareant in cavo cujusque Cochinillæ, immerſa fluido cuidam rubenti: quod granula illa notæ videantur certiſſimæ alicujus vegetabilis: & quod ex oppoſito nulla pars animalis deprehendatur in hoc corpuſculo, licet illud ſummo cum ſtudio examini traditum fuerit; quod ipſum tamen cum indole animalculi cujusdam plane non ſtat. Sed cum admonitus per literas ab Heinſio, nomine Boylei, ex Anglia miſſas, iterato pericula circa hanc rem inſtituere cepiſſet, ſenſim opinione hac rejecta, alterā,

quæ

quæ animalculum dicit Cochinillam, magis à ſe fuiſſe approbatam. Docet ideo, Cochinillæ granum non niſi particulam eſſe animalculi, h. e. ventrem inferiorem: caput cum thorace, alis ac pedibus, vel ſponte, quod alias in inſectis ſimilibus poſt mortem fieri conſvevit, decidiſſe, vel tanquam inutile quid à truncis his ſeparata fuiſſe ab ipſius collectoribus, vel à mercatoribus, qui repurgatam hanc mercem majori pretio divendere ſolent. Nec aliam opinionem fovent *Transaction. Anglic. T. XVII. n. 193.* nimirum inſectum Ficus Indicæ, ſi jam excreverit in magnitudinem debitam, ſuffocari fumo craſſo, poſtmodum ad radios ſolares ſiccari, tandemque blanda manuum conteritione, alis, pedibus ac capite privari, ſolo ſervato trunco.

§. VIII. Sed minime veritati, hinc nec mihi hi ſatisfaciunt. Nam utut facilis ipſis concedam, ad Animalia pertinere, à figura ſic dictum granum Cochinillæ; tamen nondum ea propter admitto, poſticam inſecti partem, ſive infimum illius ventrem, eſſe Cochinillam. Et quo clarius pateſcat mea dubitandi ratio, paululum attentius inſpiciamus inſectulum, cujus nempe pars poſtica habetur pro Cochenilia: ita enim ex ejus hac perluſtratione exactiori innoteſcet quam clariſſime, ſine fundamento iſta dici.

§. IX. Eſt igitur inſectum hoc κολεόπτερον, quaſi dixeris, vaginipenne, uno verbo, ex familia ſcarabæorum minorum, qui corpore pene rotundo, inferius plano, ſuperius convexo, non minus quam colore rubello, flavoque, cui guttulæ aliquot nigræ adſperſæ ſunt, ſe nobis commendant: Latinis nominantur *Violæ*, vel *Canthari rubri* aut *flavi punctati*, *Urtico-canthari*, *Beſtiolæ Domini* & *animalcula Mariæ*, vulgo autem dicuntur Gottes Kühlein oder Kälblein / belgice *Gouthaantjes* & *Compolie*, item *onze Heerens* & *onze Vrouvvens beeſtjes*, anglice *Ladybirds and Covvladies*, gallice *Chevaux de Dieu*, &c. Hos vero noſtros ſcarabæolos adeo exacte referunt animalcula, quæ Cochinillam pariunt, ut ovum ovo vix poſſit eſſe ſimilius, ſolum ſi excipias magnitudinem, qua Americanus cantharus noſtrum ſuperare obſervatur, & colorem, qui non viride rubeus aut miniaceus vel luteolus cernitur in iſtis exoticis cadaverulis, verum obſoletus & tantum non brunnus eſt; tandemque punctula ipſa, quibus notantur vaginæ, alas ſive pennas, ſcutulorum ad inſtar, contra quaſcunque injurias obtegentes, quippe quæ non nigra ſunt, ſed rubent, magisque diffuſa ſive extenſa conſpiciuntur præ illis, quibuscum noſtrates canthari exornantur. Hæc autem cuncta, quæ nunc retuli de hujus ſcarabæi conformatione ac facie, ne habeantur pro ſimplici ingenii partu, facile probari poſſunt αὐτοψίᾳ: nam ſubinde ejusmodi arida animalcula integra, utplurimum tamen avulſis capite & pedibus, Cochinillæ reperiuntur intermixta, aut ſaltim, quod frequentius accidit, ſcutula, ſeu vaginulæ una cum granis efferuntur. Ipſe de his animalculis aliquot inveni integra quoad partem maximam, quæ ſimilitudinem exactam gerebant cum illis jamjam deſcriptis: ita, ut omnis occaſio dubitandi de veritate hiſtoriæ naturalis dicti Americani ſcarabæoli hoc ipſo mihi fuerit adempta.

§. X. Quodſi tamen hoc meum proprium teſtimonium non inveniat fidem plenam, en! tibi *Paul. Ammann. in manuduct. ad mat. med. p. 154.* qui integrum tale animalculum ſe quoque reperiiſſe refert. Et ſi forſitan nec hic ſuffecerit, habe *Leeuvvenhoek. l. c.* & *Tyſonem*, è quibus prior itidem à ſe reperta hujuscemodi inſectula ſub eadem facie delineat; à poſteriori vero *in transact. Anglic. n. 176.* ſcarabæus Cochinillæ exhibetur æri inciſus, cujus iconem cum meis inter Cochinillam ad inventis quam proxime convenire dices, habita imaginum, ſive figurarum, collatione: etenim in tabula appoſita ſub *lit. f.* tibi offero unum ex iſtis, quos mihi reperire contigit, una cum noſtris urtico-cantharis, quod utriusque diverſitas, juxta ac convenientia, oculis eo melius fiat obvia. Doctores plures, huic opinioni ſubſcribentes, ſcilicet *Blancar-*

dum im Schauplatz der Raupen / *Daleum* in Pharmacolog. &c. lubens omitto; ſunt enim mihi inſtar omnium præfati duumviri, Leeuvvenhoek atque Tyſon.

§. XI. Satis ſic perluſtrato in hoc qualiquali diverticulo animali, ſive inſecto, ex quo oritur Cochinilla, in viam iterum, unde digreſſus ſum, redire cogor. Videlicet demonſtrandum mihi incumbit, opinionem *Leuvvenhoekii* & Hiſpani illius Anonymi, cujus mentio fit in *Transaction. Anglic. num.* 193. applauſum haud promereri. Nam prorſus alienum eſt ab inſpectione oculari, ventrem infimum hujuſce ſcarabæi, ſi ſcilicet pedibus cum capite, cruſta denique vaginali & alis privatus, ad juſſum modo dicti *Leeuvvenhoekii* fuerit, exacte Cochinillam repræſentare. Potius quam longiſſime diſtat figura harum partium poſticarum iſtius inſecti à Cochinillæ corpuſculo, utpote quod *primo* mole ac magnitudine utplurimum maxime excedit ventrem inferiorem memorati ſcarabæi, prout vice non ſimplici expertus ſum, poſteaquam ſcarabæolis his integris, inter Cochinillæ grana inventis, detraxeram cum ſtudio illa alarum tegmina ſolida, & quicquid adhuc trunco inferioris ventris erat adnexum.

§. XII. *Secundo* hanc diſcrepantiam quoque notavi, eamque ſatis inſignem. Infimus ſcarabæorum venter nunquam pluribus, niſi ſex, ad ſummum ſeptem, annulis ſeu circulis diſtinctis deſcribitur; ſed horum numerus in omni Cochinillæ grano ſolenniter ad 12. aſcendit, qui in illo, felicius tamen adhuc in emollito per aquam, poſſunt conſpici nudo oculo, clariusque ac magis diſtincte, ſi iſte armatus fuerit microſcopio. Quo ipſo etiam ſimul ſeſe viſui dabit *tertia*, certe non minoris momenti, quam præcedens, differentia. Nimirum obſervabis unicujusq; globuli partem dimidiam, anteriorem puta, aliquibus eminentiolis, ſub quibus latitant prodituri inſectuli pedes, inſtructam eſſe, his autem in totum & ſemper orbatas eſſe poſticas ſcarabæorum partes, extra omnes dubitationis limites ponere jubet avtopſia. Adde his *quarto*, quod hic ſcarabæoli infimus venter, nullo plane colore purpureo prægnans ſit, atque ideo intentioni primariæ, cujus gratia ex tam diſſitis oris exportatur hæc merx, minus reſpondeat. Etſi enim quosdam ex his inferioris ventris truncis ſubjecerim periculis diverſis, nunquam tamen vel punctulum ſaltim exoptati coloris conſpicere in illis mihi licuit, cum ex adverſo ſumme exigua quævis Cochinilla abunde ſatis, & in momento eundem de ſe dimittat. Et ſic tandem ultimo loco contra hoc aſſertum urgeo, in ſcarabæi hujus ventre nuſpiam, nec unicum granulum ſive ovulum me potuiſſe invenire, ſtudioſiſſime licet ea de cauſa inquiſiverim, qualia alioquin, uti ſuperius etiam monitum, numero copioſiſſimo in quovis Cochinillæ grano ſeſe offerunt cunctis, quibus eadem disrumpere placet poſt prægreſſam aliqualem macerationem.

§. XIII. Concludo ergo ex his equidem à præfatis ſcarabæolis derivari debere Cocheniliam, verum hanc non eſſe partem aliquam illorum, qui potius, quando ad eam perfectionem pervenerunt, ut ſub ſcarabæi forma ſeſe ſiſtant, penitus tingendi virtute deſtituuntur, nulloque jure ulterius Cochinillæ nomine inſigniri merentur, cum purpuram ſuam (unde præcipue Cochiniliæ nomen) qua antea plane abundabant, omnem ſemper deponant in ultimo hoc metamorphoſeos ſuæ actu. Quod meum asſertum phænomena, circa hiſtoriam naturalem cocci baphici ab aliis annotata, inprimis probant. Quamdiu enim in cocco hoc vermium ſub facie apparent animalcula incluſa, tamdiu adhuc bacculæ iſtæ turgent ſucco coccineo. Hinc ruffeſcentes hos vermes, ſolis calore è ſuis folliculis provocatos, vel manuum compreſſione interimunt, & in unam maſſam, quam poſtea *Vermeillon* dicunt, cogunt; vel ante excluſionem vermiculorum ipſas bacculas deſiccant, eoque pariter colorem deſideratum ſervant per

enectos

enectos ante transformationem vermes. Nec aliter ſe res habet cum cocco Polonico, qui plurimarum herbarum radicibus, quas *C. I.* §. 2. recenſuimus, adhæreſcere fertur; corpuſcula etenim hæc, ſive bacculæ rubræ, ſimiliter ſtato tempore convertuntur in alata inſectula, quod præter ibidem citatos Autores etiam refert *Martin. Bernhard.* in deſcriptione horti Regii Varſavienſis, *a S. Pauli Q. B. p. 114.* allegatus: nam ſimul atque hæc inſecta avolant, omni tinctura orbata apparent non ſolum ipſa, verum etiam cortex, relictus poſt fugam, nihil de colore priore retinet ulterius.

CAPUT IV.

DE PROBABILIORI SENTENTIA, QVID SIT COCHINILLA.

§. I.

Vidimus hucusque, quid non ſit Cochinilla: reſtat igitur, ut ex promiſſo probabiliorem proferamus ſententiam de ipſius quidditate. Facile vero ex hactenus dictis hariolari aliquem poſſe autumo, quorſum tendat noſtra opinio. Cum enim in cunctis his coccis iſta rubra tinctura omnino pereat, ſtatim ac inſectum concluſum pervenerit ad ultimam perfectionem, h. e. vel in muſcam, vel ſimile alatum animalculum fuerit transformatum; neceſſum eſt, ante iſtud tempus, & quando adhuc turgent ſucco hoc, accipiantur & colligantur illi. Loquar clarius, χρυσαλὶς ab *Ariſtotele*, μελολάνθη ab *Euſtachio*, Nympha à *Svvammerdamio*, & ab aliis Aureola, Pupula, it. Folliculus, Matrix, ſive Larva ſcarabæoli futuri eſt aſſumenda, quippe quæ unice & ſemper conſtituit capſulam hanc, cui pretioſus ille color ineſt. Ut pateat aſſerti hujus veritas, mihi nunc probandum erit, ſub facie cujusdam grani, ſive baccæ, animalculum Cochinillam ſuggerens ante apparere, quam transformetur in ſcarabæum, ultimamque hoc modo obtineat ſuam perfectionem. Id autem me effecturum confido, partim obſervationibus & teſtimoniis Autorum, partim analogiſmo noſtratis urtico-canthari, ſive ſcarabæi lutei, vel rubelli, qui punctulis nigris ſignatur, & tandem illis vermibus, nondum in nymphas mutatis, qui non raro Cochenillæ veræ intermixti reperiuntur.

§. II. Quod proinde primum attinet punctum, legi meretur *Joh. de Laet deſcript. Ind. occid. L. V. p. 229.* utpote meæ opinioni admodum favens. Ita vero loquitur ex *Herrera*: eſt autem vivum animalculum, vel potius inſectulum, cum primum plantæ ſe applicat, pulice paulo minus, è ſemine erumpit acari magnitudine &c. hoc ipſum poſtea transformatur in *granum*. Et paulo poſt: quo recentiores ſunt plantæ, eo præſtantius ferunt *granum*. Et iterum: neceſſarium eſt, ut ab injuria defendantur quorundam animalium, quæ *grana* hæc devorare ſolent. Item: utuntur incolæ caudis vulpinis, ad detergendas plantas, ne *novella inſectorum ſeminaria* lædantur. Et in mox ſubſequentibus: pluribus modis adulteratur *granum*. Rurſum: optimum *granum* dat Tlaxcala. Laeto huic, toties grana ex inſectulis facta loquenti, adjungo *Joſeph. de Acoſta*, cujus verba in deſcript. *Americ. L. IV. c. 23. p. 127.* hæc leguntur: die Grein/ ſind Würmlein/ ſo an den Blättern kleben.

§. III. Ex hiſce teſtimoniis id nunc evidentiſſime conſtat, ex animalibus minimis, aliquandiu in ſupra deſcriptis vegetabilibus enutritis, per quandam metamorphoſin fieri grana, h. e. pupulas, nymphas vel larvas, faciem granorum ſeu baccularum referentes, quæ transformatio hujus generis inſectis admodum familiaris eſt. Granum iſtud externe tegitur tunica quadam tenui, quæ intus concluſum continet animalculum, in ſcarabæum mox transformandum. Hinc illa *Herreræ* & *Laeti* toties nominata, non minus ac *Caneparii* & *Pometi* falſo reputata grana, vere nihil aliud mihi videntur & ſunt, quam larvæ, ſeu matri- *Animalculum eſſe.*

matrices, aut nymphæ, continentes vermes ad quietem diſpoſitos, ultimamque ſuam perfectionem expectantes: quarum figura ovalis, piſumque haud ſuperans mole, baccam quandam, ſeu granum, exacte ſatis refert; uti ad oculum patet in Cochenilia, per aliquot temporis momenta in aqua tepida macerata.

§. IV. Inquis: ſed loquuntur dicti non ſolum Autores, verum & reliqui omnes, modo ut teſtes adducti, viventia animalia, dum foliis adhuc cohærent aut inſident, ſuffocari ab incolis. Verum, licet hæc concedam omnia, quæ de ſuffocatione hac adducuntur, nondum tamen ea propter ſententiam mutare me cogit neceſſitas. Tantum enim, rogo, obſervet quis erucarum omnium, hincque & bombycum nymphas & chryſalides, easque leviter ſaltem inſtrumento aliquo tangat, & illas movere ſe ſubinde atque manifeſte ſubſultare obſervabit. Suffocari igitur novella hæc futurorum ſcarabæolorum ſeminaria, h. e. vermes illi intus concluſi, & tempeſtive colligi debent ante nativitatis diem, ne, quod ſupra jam monitum, coccineus color perdatur & pereat.

Probatur. §. V. Ad detegendam vero ulterius veritatem, & ad illuſtrationem hypotheſeos meæ uberiorem facere poſſe, putavi ſecundo transformationem ſcarabæorum noſtrorum miniaceorum atque flaveſcentium punctatorum, utpote qui ſatis firmo affinitatis nexu conjuncti obſervantur cum Americanis illis. Hinc, ut fierem certior de hac re, evolvi *Johann. Gœdarti*, pictoris illius Medioburgenſis famoſiſſimi, libellum de inſectis, quem aliquot retro annis *Martin. Liſterus* in ordinem meliorem congeſtum denuo emiſit. *Gœdartii experimentis.* Recenſet hic *p.* 274. tali modo illud negotium abſolvi: primo ex ovulis nigricantibus, in orbem ad folia ribeſiorum depoſitis, æſtivi aëris fotu progigni animalcula, quæ immediate ab excluſione vix ſe movere poſſint, donec aliquot dierũ ſpatio interpoſito paululum proſerpere, tandemq; late diſcurrere diſcant. Hæc inſecta poſthæc obſervata fuiſſe pellẽ exuere, ſerpentum more, ſi temporis aliquali progreſſu mole creverint, idque factum eſſe quatuor vicibus diſtinctis; ubi demum ultimam conſecuta fuisſent cuticulam rubram, maculis nigris variegatam. His recenſitis addit autor, non indignum eſſe obſervatu, hos cantharos, quotiescunque exuvio ſe exuant, pedes firmiter affigere loco, quem occupant, atque prorepere è cuticula, quam totam ſub naturali figura relinquunt, ita, ut adhuc unum animalculum iſthic conſiſtere primo intuitu jurares.

§. VI. Hæc legens, vix dici poteſt, quantum fuerim contriſtatus: ſpes enim ante concepta prorſus ruebat, cum nihil in hac animalculi verſura ſe offerret, pro adducta aut ſtabilienda ſententia. Parum itaque aberat, quin opinionem meam ex toto mutaſſem, ni tempeſtive aliud quid edoctus fuisſem longe à Gœdartianis diſtinctis experimentis, circa generationem & transformationem hujus inſecti factis, & ſufficientiſſime de die in diem deſcriptis ſequenti ordine. *Experimentis propriis.*

§. VII. Nimirum, menſe Junii in urticæ majoris folio reſupino, lutei coloris ovula exiliſſima obſervantur firmiter agglutinata. Ex his ſponte paulo poſt excluduntur vermiculi nigricantes oblongi, infra pulicis magnitudinem, ſex tamen pedibus in anteriore corpuſculi parte inſtructi. Langvent aliquandiu inſectula hæc à partu, & de loco vix moventur, donec aliquot dierum ſpatio emenſo vires acquirant neceſſarias, ubi huc illucve diſcurrentes victum, quoad obſervare licuit, ex rore colligunt ſibi, quousque elapſis præter propter tribus vel quatuor ſeptimanis perveniant ad magnitudinem debitam. Quo ultimo tempore à latere aliquot punctulis flaveſcentibus eleganter exornantur, & color illorum antea magis obſcurus in cinereum convertitur, præſertim ſecundum longitudinem dorſi. Nunc ad metamorphoſin ſeſe hic vermis celeripes accingit; hinc tardius primum vagatur, mox gradum plane ſiſtit, affigiturque caudæ beneficio foliolo cuidam, & corrugatur, atque ſenſim, devolutis ad poſteriora

ſteriora exuviis, abit in pupulam vel nympham. Vivit vero hoc in medio ſtatu poſitum inſectum, quod ex motu hujus larvæ diſcitur, ſi ſcilicet attingas illam. Et ſub hac facie manet usque ad diem 10. & non raro 12. quo rumpitur involucrum, & prodit, nido relicto inerte, ſcarabæus, initio admodum debilis, & albicans, qui tamen ejus color dehinc intra paucas horas permutatur in flavam aut rubentem, tumque & punctula nigra in apricum veniunt ſupra vaginulas alarum:

§. VIII. Ex his in urtico-cantharis factis obſervationibus nunc liceat colligere, haud abſimilem eſſe metamorphoſin Americanorum ſcarabæolorum: h. e. & illos ex ovulo primum prodeuntes ſub cujusdam vermiculi forma comparere, poſthac, ubi debitam ad magnitudinem excreverint, ſuccoque illo Tunarum purpureo ſaturati fuerint, transformationem aggredi, & in pupulas ſeu nymphas demum abire, granulorum, ſive baccarum faciem referentes. Dubium vero ſi forſan adhuc tibi maneat hoc aſſertum, audi, quid porro obſervaverim, ad confirmandam hancce meam opinionem. Cum aliquando magnum ſatis acervum Cochinillæ perluſtrandum concederet amicus aliquis mercaturæ addictus, granis illis intermixtos reperi plures vermes, nondum omnimode in pupulas converſos, coloris ex cinereo purpuraſcentis, qui immerſi aliquandiu aquæ formam aſſumebant, non diſſimilem illi, qualem animo conceperam. Hinc mihi ſuſpicio, ſub hac facie vermem cochinillæ apparere, antequam quieti ſe det. Ad hanc enim familiam certo pertinere illum, mihi perſvadet color purpureus, quem non ſecus ac ipſa Cochinilla in aquam dimittit, cui immergitur. Nam cum non una præciſe die univerſa horum inſectorum ovula excludantur, utique probabile ſit, nec uno momento omnes hos vermes in nymphas transformari, & ex his ſcarabæos prorepere: quapropter dubio procul, inſtante harum pupularum meſſe, complures vermiculi, antequam ad medium hunc ſtatum devenerint, nec minus aliqui ſcarabæorum, qui præcoci partu excluſi jam ſunt, ſimul decutiuntur de Tunis & una interimuntur. Unde etiam ſolenniter optimæ Cochinillæ & vermiculos tales, & ſcarabæolos integros, aut horum alas ſaltem admixtas, majori plus minus in copia cernimus.

§. IX. Sed præter prædictos vermes inter Cochinillæ hæc grana vacuas etiam reperii larvas compluſculas, faciem calicis quodammmodo præ ſe ferentes, quarum quoque mentionem facere video *Pometum pag. 34.* Cumque ex una parte hiatum, ac cavitatem quandam nonnullæ oſtendant, in qua grana quædam Cochinillæ minora latent, faciliime aliquis habere poſſet iſtas pro larvis vacuis, excluſo ſcarabæo Cochinillæ relictis. Et fateor, me ipſum primo id crediſſe, cum meæ hypotheſi admodum favere viderem. Sed curatius poſthac penſitans, quod memorati calices minima tantum caperent Cochenillæ granula, animadverti, ex accidenti ſaltem hæc corpora illis fuiſſe illapſa, larvasque has longe diſtinctum quid à vacuis pupulis eſſe, e quibus prorepſit ſcarabæus Cochinillæ. Primo namque deficit capacitas neceſſaria pro ſuſcipiendo ſcarabæo, qualis eſt Americanus. Deinde, non unicum tantummodo, ſed plura Cochiniliæ grana ſubinde tenent. Atque demum, quod nodum hunc omnino ſolvit, in non paucis firmiter adhuc clauſis folliculis muſca invenitur perfecta, parum abſimilis à noſtris megalocephalis. Et hæc ſatis dicta ſunto de magis probabili quidditate Cochinillæ.

CAPUT V.

DE CULTURA ET METHODO COLLIGENDI COCHINILLAM.

§. I.

REm ſane aggredior arduam, dum de cultura Cochinillæ, methodoque eandem colligendi,

gendi, verba facere mihi ſumo. Usque enim adeo Hiſpani occultare ſolent hoc lucroſum arcanum, ut, perhibente *Pometo*, nemo alienigenarum crucis pœnam effugiat, qui fruticeta, in quibus Tunæ Cochinilligeræ excoluntur, ſpeculandi gratia aperte ſalutare, aut clanculum perveſtigare audeat. Veniæ idcirco locum futurum mihi promitto, ſi tantum, quæ hinc & inde penes Autores de hac materia deprehenduntur, manca ſæpius ſatisque mutila hic exhibuero.

§. II. Solliciti itaque incolæ omnium primo ſunt de cultura Tunarum, quibus ſemina vermium imponere geſtiunt. Plantantur iſtæ, inſtar vitium in vineis, per ordines & ſeries certas in locis temperatis, apricis, & à pecorum armentorumq; invaſione, vel à natura, vel per ſepimenta, tandem & præſertim ab aquilone præmunitis, quippe cujus inclementiam maxime infenſam obſervant pullitiei inſectorum. Deinde curant cum ſtudio indefeſſo has Tunas, omnes prope poſitas herbas ac zizania funditus exſtirpando ac evellendo. Amant autem inprimis plantas tenellulas, cum in ipſis, quod ſupra etiam ex *Laeto* relatum, longe felicius creſcant, elegantiorique ſucco repleantur vermiculi, quam in adultioribus & ad ſenium tendentibus. Atque hiſce plantis, diligenti ſic cura præparatis, ſemina ſcarabæorum ſuperiori anno collecta, ſolerti ſtudio imponuntur. In quibusdam vero locis incultis, ſolius naturæ inſtinctu, iſti ſcarabæi ſua ovula Tunis agglutinant, futuræ geneſi inſervitura. Excluditur ita radiorum ſolarium calore progenies minutiſſimorum inſectulorum numeroſiſſima, adeo, ut arborem integram, imo univerſum hortum brevi impleat illa. Nam ſi fides non deroganda *Plumiero* apud Pomet. adeo prodigioſe fœcunda ſunt hæc inſecta, ut matrum centenæ millena natorum millia facillime dent. Quod creditu etiam difficile haud eſt, modo ſemina ſive rectius ovula pupulis, ſeu granis Cochinillæ incluſa ſpectemus, quorum certe copia vel in unico grano vix numerari poteſt.

§. III. Perquam vero exilia ſunt hæc inſectula circa nativitatem, cum ſub acari magnitudine appareant, *Laeto* & *Plumiero* atteſtantibus: quando autem ad pulicis pervenere magnitudinem, cerni ab unoquoque poſſunt ſub colore rubello, & facie vermiculi oblongi, poſthæc augetur & creſcit usq; ad molem, capite præcedente §. VIII. delineatam. Qua adepta, ad ultimam ſuam perfectionem obtinendam properant, ad quietem ſe componentes, dum inferiori foliorum parti firmiter adhærent, ubi brevi poſt tenui pellicula inducuntur ſive, rectius loquendo, abeunt in nymphas ſeu pupulas ſatis ante deſcriptas, quæ ſunt celebratiſſima illa Cochenillia, uti loquitur *Bauhin. Pinac. p. 458.* Quamdiu autem in hoc medio ſtatu maneant, antequam demetantur ab incolis atque colligantur, non potui reperire apud ullum autorum: id tamen majori annotarunt diligentia, quod iſthoc tempore maxime ſit invigilandum his pupulis, cum variis atque pluribus periculis expoſitæ ſint. Nam illis avidiſſime inhiant primo formicæ; pro quibus avertendis hortos ſuos & plantas circumdant foſſis, aqua poſthac implendis, quo ipſo arcent hos hoſtes, excluduntque à mœniis, & ſic ſervant atque tuentur teneram Cochinillam, ſeu, ut *Laet* loquitur *l. IV. p. 229.* novella inſectorum ſeminaria.

§. IV. Inſectantur porro easdem gallinæ, cupide devorantes hæc grana, teſtante eod. *Laeto:* hinc ne volucres adeo infenſæ hortos ingrediantur Tuniferos, maxima vigilantia prohibere allaborant. Et ſic alia quoque inſecta nociva removent caudis vulpinis, quibus etiam ſordes detergunt, & pulveres, externe granis adhæreſcentes, pullitiemq; in accretione ſua impedientes. Atque inter has incolarum curas perpetuas pedetentim adoleſcunt vermes, donec ad magnitudinem deveniant a natura deſtinatam, tandemque nymphæ formam induant, & ſatis ſucco iſto purpureo tumentes cernantur: dum enim hoc animadvertunt incolæ, meſſis deſideratæ jam felix auſpicium faciunt.

§. V.

§. V. Primus itaque labor eſt, ut interimant folliculo, ſive involucro, incluſa animalia: (vivere enim iſta in hiſce clauſtris, ſeſeque ad oculum movere, ex comparatione noſtrarum pupularum cum nymphis his exoticis, in *præced. cap.* §. *IV. & VI.* innui.) Variis id efficiunt modis. Duplicem deſcribit *Laet*, ſcilicet, vel magna cura è plantis dejecta grana interfici, adſperſa frigida: quod facile credo, cum ſupra jamjam monitum ſit, inimicum aquilonis attactum ſedulo excludi debere, utpote tenerrimis Cochinillæ vermiculis infenſiſſimum. Vel cinere ſuperinſtrato extingvi eosdem perhibet, poſtmodumque rurſus illum pulverem ablui. Sed frigida enectos his præſtare. Alium modum tradit *P. Plumier apud Pomet. p. 32.* his forte verbis: quando tempus colligendi hæc inſecta appetit, cum virgulis, conſulto ad hoc opus coaptatis, eadem dejiciunt in vaſa, plena cinere & aqua, è quibus poſtea ſuffocata retrahunt & deſiccant. Lego etiam apud *Pometum p. 28.* calcis & ignis torturam cogi Cochinillam ſuſtinere: quod, qua fide proferat, ignoro. Ratio ſane ab ipſo addita nullius momenti videtur, quoniam falſam præſupponit ſententiam, ac ſi granum hoc ſit ſemen plantæ Cochinilliferæ, quod cauſticis his ſpoliari ſua virtute vegetativa debeat, ne & alibi, præprimis in Gallia terræ commiſſum germina emittat ac creſcat.

§. VI. Adhuc aliam methodum vitis horum inſectorum ſtruendi inſidias exhibent *Transaction. Anglic.* loco aliquoties allegato, licet de cætero erroneam non minus, quam Pometus, opinionem foveat autor, qui illam exhibet. Refert autem fumo, ex quacunque materia combuſtibili accenſa excitato, & beneficio venti propulſo in frutices, queis adhæreſcit Cochinilla, ſuffocari animalcula hæc, & poſthinc ſola Tunarum ſuccuſſione deturbari in veſtes ſubſtratas. Sed quaqua demum via interficiantur Cochinillæ, ſemper poſthac, ne putreſcant, proſpiciendum eſt, quod obtinent plenaria folliculorum horum exſiccatione. Aliqui incolarum ideo ſupra arenam, aut pavimentum lapideum, ad æſtum ſolis radiorum, opus hoc abſolvunt. Alii in pelvi ænea & profunda exponunt radiis ſolaribus has larvas, citiusque ſic voti ſui fiunt compotes. Rurſum alii tantum ad umbram easdem pedetentim deſiccant, metuentes non ſine cauſa, ne nimio calore iſte coccineus corrumpatur color. Omnes vero tandem hanc mercem fictilibus recondunt, & ad aliena, longeque diſſita loca, ut dehinc vehantur, procurant.

CAPUT VI.

DE DIFFERENTIA ET USU COCHINILLÆ.

§. I.

Jamdudum conqueſtus eſt *Laet*, à mercatoribus adulterari Cochinillam. Plures etenim dantur ſpecies hujus grani, nobilitate inſigniter diſcrepantes. Ignobiles itaque cum nobiliori commiſcent, labore admodum nequam, ſolum ut lucrum inde captent iniquum. Quatuor autem citatus autor, & ex ipſo *Jonſton. dendrograph. p. 54.* exhibent: unam ſcilicet, quæ nullius pretii colorem fundit, utpote agreſtis & inculta; alteram, quæ nigrior, atque etiam ſponte, absque cultura, provenit; tertiam, montenſem, quam Chichimecam vocant, inferioris quoque notæ: quas omnes quartæ, quæ ſtudioſe colitur, & optima cenſetur, permiſcent. Sed optimam hanc generare Tlaxcalam, quam tamen adhuc Miſteca ſuperari jam ſupra indicavimus. *Differentiæ à loco natali*

§. II. Veruntamen hæc differentia nimis videtur generalis: namque haud ſufficienter exponit notas bonitatis atque vilitatis horum granorum. Rectius ideo ab aliis diſtingvitur in illam, quæ ſtudioſe colitur in hortis, & eam, quæ in locis montanis & incultis ſupra Tunas, fructus vel nullos, vel ſpinoſos ferentes, aliasque earum ſpe- *à cultura deſumtæ*

ſpecies, ſucco rubro plane non turgidas, provenit. Illa enim ponderoſa eſt, & craſſa, nullis commixta impuritatibus, habet in ſe conſiſtentiam ſiccam, colorem ex bruno albidum, nonnihil ſplendeſcentem, ferme ad inſtar argenti; ſique ore detinetur, & paulo poſt dentibus confringitur, mox inficit ſalivam eleganti purpura. Hæc vero, incultam intellige, prorſus exarida eſt, leviſque, & deſiderato colore pene ex toto expers obſervatur.

ſpecies aliæ. §. III. Conditionis adhuc magis deterioris ſunt ſpecies à *Pometo p. 34.* recenſitæ, *Campeſchane*, *Tetrechalle* & *Silveſtre*: ſiquidem *la Campeſchane* nihil aliud continet, præterquam ſordes & recrementa Cochinillæ Miſtecæ, ſeu quiſquilias, quas inter quamplurima grana exſucca, & in univerſum arida cernuntur, nec non larvæ illæ, vel caliculi, de quibus Cap. IV. §. IX. locutus ſum, item conchulæ, & perſæpe animalcula, ſive ſcarabæoli ipſi. Quinimo ipſa Cochinilla Miſteca, quæ ſemel jamjam ab infectoribus ad colorandos pannos fuit adhibita, adeoque, quoad partem maximam hac nobili tinctura exuta eſt, iterumque ſiccata, *Campeſchane* huic autori dicitur. *Tetrechalle*, altera ipſius ſpecies, vilitate vincit adhuc priorem & denotat ſolum terram, admixtam Cochinillæ, quæ dum per cribrum ſeparatur, pulverem, vel ramenta quædam Cochinillæ ſecum rapit. *La Silveſtre* denique plane non videtur quicquam commercii habere cum noſtra Cochinilla: deſignat namque hac appellatione autor, non ad Tunarum quandam ſpeciem pronatam Cochenillam, ſed ad radices Pimpinellæ hærentia grana. An igitur ſub hac Cochinilla intelligat ipſum coccum Polonicum, quem vulgo ſylveſtrem vocant, quemque ſimiliter radicibus his inhærere ſupra Cap. I. §. II. monui, vix auſim determinare: quamvis id ferme colligi poſſit exin, quod granulatim, vel ſub granorum forma ſuam ſylveſtrem, ſub quali etiam coccus Polonicus ſe ſiſtit, comparere aſſerat.

§. IV. Sed difficilius adhuc mihi perſvaderi patior, hanc Pometi Cochinillam ſylveſtrem unam eandemque eſſe cum iſta, cujus *Hernandez theſaur. rer. medic. L. III. c. 4.* meminit, quando famam eſſe refert, apud Peruinos vermiculos rubros innaſci radicibus pampinulæ teucriique; cum non plura præter hæc pauca verba de ipſis reliquerit iſte autor, nec etiam ullus reliquorum ſcriptorum Americanorum de hac re quicquam indicet. Certe ſunt mihi tres diſtinctæ, & admodum quoad faciem externam diverſæ ſpecies Cochinillæ ſylveſtris, quas partim ex liberalitate quorundam Patronorum obtinui, partim vero à mercatoribus coëmi, quarum tamen nulla granulorum faciem monſtrat; ſed glebulis, albo & rubello colore variè imbutis obvoluti ad invicem ſemper complures vermiculi cohærent, genuinæq; Cochinillæ pupulis, excepta magnitudine, non adeo abſimiles. Nihiloſecius nec hos ſtatim Peruinorum *Hernandis* vermiculorum conterraneos effingere decet, cum de ipſorum patria nil certi nobis compertum ſit; omnes enim ſuper iſtis quæſiti nunc dicunt, ex America, aut India Orientali afferri. Veniam hinc mihi polliceor, ſi dubius hæream circa quidditatem veræ ſylveſtris Cochinillæ, eamque ideo in medio relinquam, præprimis cum Cochenillam veram ſcrutari mihi ſumſerim. Tantum id coronidis loco ſuperaddo, has omnes *Pometi* ſpecies, una cum ante enumeratis vilioribus *Laeti* nunquam adeo ſublimiter tingere, & hinc etiam lanæ duntaxat, aliiſque levioris pretii mercibus impendi ab inſtitoribus novimus. Facillime vero fucum, & ſi genuina adulteretur adjecta una vel altera ſpecie ex his, detegere poſſumus vel ſola inſpectione, aut, ſi quis obſervet ſigna §. II. tradita.

§. V. Claudat demum hactenus inſtitutum ſcuritinium uſus, quem præſtare obſervatur noſtra Cochinilla. Adhibetur omnium frequentiſſime ad opera tinctoria, quocirca ex his mechanicis præ reli- *Uſus in ... gendis ... ni*

quis

quis iſti, qui lanam non minus quam ſericum ſplendente coccino imbuunt, hancque ob cauſam vulgo Flammearii, germanice die Schön-Färber/ ſalutantur, prægrandi non raro pretio eam ſibi comparare coguntur, utpote ſine qua pannus inficiendus vix ac ne vix quidem illum pertinacem, ſummeque floridum acquirit colorem. Quomodo vero & quibus encheireſibus adhibitis id efficiant, nolo recenſere in præſenti; nec methodum dabo, qua alia colorum genera per additamenta diverſa ex Cochinilla parantur: cui enim hæc noſſe volupe fuerit in *ſup. citat. tract.* gründl. Färb-Unterricht/ & apud *Canepar. de atrament.* aliosque de arte baphica ſcribentes, prolixe eadem deſcripta reperiet.

ndo. §. VI. Infectoribus ſubjungo pigmentarios. Ex Cochinilla enim non tantum à quibusdam paratur Lacca, dicta Florentina; ſed quoque elegantiſſimus ille colorum, Carmeſinus, vulgo *Carmin*, nominatus. Prius pigmentum vel ex coccino imbutis lanis detonſis, vel ex ipſa Cochinilla præparatur, quatenus in lixivio forti decoctis alumen additur, ſicque præcipitatur purpureus tenuiſſimo pulvis, cum creta alba dein commiſcendus, & in trochiſcos minores efformandus. Vid. *Canepar. de atrament. p. 334. Pomet. p. 34. & tractat. gallic. de la mignature.* Alterum quod attinet, nondum methodus comparandi hoc genus pigmenti pulcerrimum innotuit in vulgus, ſed inter arcana adhuc à mechanicis & Chymicis curioſis refertur, hincque ſtudioſe reticetur, quandoquidem lucrum exin non leve capi poſſe norunt.

icis §. VII. Pigmentarios excipiant formam fuco aut lenociniis augentes non ſolum fœmellæ, ſed etiam, proh pudor! viri effœminati. Nam in his non modo buccas ceruſſa, ſed & coccino fluere, tota notamus die. Deſtinare quippe ſolent his fœdis criminibus varia pigmentorum genera ſub formis diverſis, è quibus ſaltim nominare placet Tornam ſolis finam, ſeu Pezzettam, ex Luſitania & Conſtantinopoli allatam, & chartam *di Spania* dictam, item globulos vel maſſas ſolidas, quas Belgium dat, quarumque tincturam nunc lignum Braſilianum, nunc radix Anchuſæ, baccæ Amaranthi, ſeu Bliti Indici, fructus Urucu, Coccus Polonicus, grana Chermes, tandemque etiam noſtra Cochinilla ſuppeditare cogitur. Fuſe autem hæc ab *Alexandr. Pedemontano*, *Weckero*, *Johan. Bapt. Porta*, *Johan. de Laet*, *Caneparío*, *Boyleo*, *Ammanno*, *Pometo*, & in *Ephemerid. German. D. I. A. VI. pag. 188.* in append. tradita legi poſſunt.

§. VIII. Reſtat nunc uſus Medicus, qui peculiarem requireret tractationem, ſi in Cathedra Medica ſtare jam voluiſſemus: Pace tamen eorum, pauca de Cochinillæ in Medica Arte uſu referre tantum hic placuit. *in arte Medica.* Equidem de illo non adeo magnifice ſentit *Paul. Amman. manud. ad mat. med. pag. 155.* dum Cochinillæ ſemper aliquid viroſi ineſſe, ideoque nunquam tuto adhiberi poſſe pronunciat. Aſt longe aliter de ea judicare lego *Franciſc. Hernandez. qui Lib. V. cap. 4.* theſauri ſui huic concreto virtutem tribuit cephalicam non minus quam cordialem: cui adhæret *Samuel Dale*, *Pharmacolog. P. III. c. XVII.* ut ſudoriferum, alexipharmacum & antifebrile, quod ſcilicet omnes, quantumvis malignas febres, ac petechiales, peſtemque ipſam ſanare valeat, eam commendans. Ex quibus effatis, ni fallor, non minus quam colore purpureo eleganti, aliqui pharmacopœorum auſi ſunt granis chermes æquiparare, imo in confectionis alkermes præparatione ipſis ſurrogare, quod tamen vehementer improbat *Ammann. l. c.* Adſignat deinde modo citatus *Hernandez* Cochinillæ virtutem adſtrictoriam, hinc in vulneribus, laxitatibus gingivarum illam laudat, ſi cum aceto adhibeatur.

§. IX. Hos encomiaſtas Cochinillæ ſummos ſequitur *Joh. Egidius Euth. M. D. in epiſtol. ad Blanckardum*, *hujus theatr. erucar.* annexa, eandem in pluribus morborum generibus, Stranguria puta, Colica, nec non Morbillis,

lis , ut evporiſton & prorſus inſigne remedium extollens, ſive in ſubſtantia & tantum pulveriſata, ſive ſub tincturæ ſvaviter rubentis forma exhibeatur: qualem tincturam à quodam celebri Practico ſolenniter in puerorum Variolis & Morbillis, cum fructu propinari conſtat.

§. X. Non minor virtus contra calculum adſcribitur noſtris granis à *Martino Liſtero*, in Diſſertat. de Calculo, exercitationi tertiæ conchyliûm bivalvium adnexa, *p. 42.* Septicam namque facultatem, ob quam cuncta ex Regno Animali petita remedia lithontriptica agunt, in Cochenilia adeo eſſe temperatam, ac mitem, ait, ut palmam facile reliquis dubiam reddat. Nihilominus ipſa excellens eſt pro comminuendis calculis intra renes & veſicam concretis, uti elegantiſſima obſervatione confirmat *Johann. Andr. Stiſſerus, in Actis Laborator. Chemic. Specim. II. c. 6.* Puer enim novem annorum, qui calculo laborabat veſicæ, ſolo magiſterio Cochinillæ tinctorum ter ſingulis diebus, per ſpatium quatuor hebdomadum, exhibito, una cum quodam liquore ex calce viva & nitro parato, perfecte reſtitutus eſt. Nam poſtquam primis diebus copia viſcidæ & mucaginoſæ materiæ cum lotio prodierat , ſubſequentibus diebus ſquamulæ ſive cortices arenoſi friabiles, tandemq; lamellæ craſſiores cum fragmentis calculi ipſius grandioribus notabili in quantitate profluxerunt, perfecta ſanatione ſequente in miſello, qui nil aliud niſi mortem, aut lithotomi crudelis ſcalpellum expectaverat.

§. XI. Nec reticenda denique eſt hujus concreti inſignis efficacia in curanda Iſchuria , nata ex Gallicæ luis contagio, & Gonorrhæa virulenta, de qua omnium primo obſervationes ſuas erudito orbi communicavit jam adductus *Liſterus, in tr. de morb. Chron. p. 176. ſeqq.* Exhibuit namque viro graviter ex aliquot annis priore affectu laboranti Eſſent. compoſitam Cochinillæ, & fœminæ , ardore urinæ cum condylomatibus cancroſis in labiis pudendi vexatæ, apozema ex Cochinill. paratum, & in utroque caſu effectum annotavit voto ex aſſe reſpondentem.

§. XII. Poſſem de facili plura addere de laudibus noſtræ Cochinillæ. Sed nolo longius excurrere; cum hæc præprimis ad meſſem ſpectent Medicam, cui intempeſtivam falcem in præſenti immittere merito religioni duco. Siſto ergo crenam, imo eam penitus dimoveo, DEO T. O. M. pro viribus hucusque benigne conceſſis laudes decernens debitas. Ejus nomen ſit, maneatque benedictum in ſeculum ſeculi.

F I N I S.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Trigeſima Quinta:
De

NATURA ET DIFFERENTIIS ANT-ACIDORUM PER EXPERIMENTA DEMONSTRATIS.

PRÆFATIO.

NOn unius ejusdemque indolis, ſed multum à ſe invicem diverſa eſſe & Acida & Alcalia, unum quodque etiam Acidum ſuum appropriatum & ſpecificum habere Alcali, ſive Medicamentum, à quo deſtrui patiatur, prolixe admodum, ut alii, ita inprimis *O. Tachenius Clav. Hipp. Chym. p. 150. ſeqq.* inculcare allaborat, aſſerendo, aliud Acidum in Liene non niſi Marte, aliud in Febribus ſpecifico Cornu cervi uſto, aliud in ſtrumis Lapide Spongiæ omnium feliciſſime, aliud in Gonorrhoea Coralliis optime removeri, &c. Et ſane ſi non nimis rigoroſe & ſtricte Differentiam Acidorum ac Alcalicorum, Curamque iſtorum ſpecificam ſumere velint Majores noſtri, ut ſcil. in hoc vel illo affectu morboſo taliusmodi ſibi fingant acidum, quale in nullo alio caſu præſens eſſe poſſit, & hoc vel illud Ant-acidum non niſi unico morbo conducere credant, nequaquam à veritatis ſcopo aberraſſe ipſos, experientia ſatis teſtatur. Differunt enim omnino maxime à ſe invicem partim ipſa Acida in corpore noſtro, mox ratione gradus, mox ratione particularum ipſis admixtarum, pituitoſarum, bilioſarum &c. mox iterum ratione membrorum & viſcerum, quibus infixa hærent; Diſcrepant ſic quoque partim ipſa Remedia Ant-acida, & ita quidem, ut non tantum gradu abſorptionis alterum ſuperet alterum, verum inſuper ſimul ſingula ipſorum genera ſingulares quasdam & ſpecificas præ aliis in ſe alant particulas atque facultates; Quotidieque hinc etiam ob tantam hanc diverſitatem & Acidorum & Alcalicorum in Praxi noſtra obſervamus, alia Edulcorantia in hoc, alia in alio caſu magis feliciter omnibus reliquis conducere; alia nimirū in mitiori acido ſufficere, in potentiori vero alia requiri,

non quævis præſentibus multis cruditatibus effectum deſideratum præſtare, & quædam coagulatæ Bili præſertim deprehendi accommodatiſſima, alia iterum in Morbis Vaſorum Urinar. & Spermat. eſſe præſtantiſſima, quæ tamen non æque bene Affectibus Nervorum Spasmodicis ab acido oriundis mederi valent. Cum autem maximum interſit Practico, ut cuilibet acido morboſo appropriatiſſimum ſemper propinet Medicamentum Edulcorans, omnibus ſane viribus eò allaborandum venit, ut utrorumque tam Acidorum, quam Alcalicorum Naturam, Differentias, omnesve ipſorum proprietates quotidie magis magisque nobis reddamus cognitas atque familiares. Quapropter nemo, ut credo, mihi in malam interpretabitur partem, poſtquam ipſorum Acidorum ulteriori examine aliis relicto, Medicamenta Ant-acida, â multis etſi jamjam pertractata, nihilominus & mihi explicare hac vice ſumſi. Præſertim, ſiquidem non ad vulgarem methodum ſolis ſcilicet Rationibus, ſed potius variis & firmis inſtitutis Experimentis Naturam & Facultates Abſorbentium fui perſcrutatus atque expiſcatus. Quoniam nempe hujus generis Remedia, contra acidum in corporibus noſtris præter naturam agere, hujusque virus deſtruere debent & ſolent, aſſumſi eapropter omnia Medicamenta, quibus vis aliqua Ant-Acida ab Autoribus huc usque fuit adſcripta, tam Officinalia, quam quæ alia nonnulla mihi obvia fuere, & miſcui ipſa, haud ſine cautelis probe obſervandis in patina quadam cum acidis, & præſertim cum Spiritu Salis acido; atque ſic ab extra ſenſibus meis ac oculis clariſſime cernere habui, quæ mente ſaltem ac rationibus in corpore noſtro occluſo contingentia hactenus fuimus perſecuti, num ſcilicet etiam omnia vulgo Abſorbentia credita viribus ſuis deprædicatis vere turgeant, quomodoq; forte inter ſe ipſa diſcrepent partim in naturali ſuo ſtatu, partim quoq; deſtructo ſuo oppoſito acido. Ideoque & impræſentiarum ante omnium non minus oculos clariſſime exponere valeo & volo, 1. Quæ pro Ant-acidis quidem huc usque habita, plane tamen non vere taliusmodi ſunt, quæque palliative ſolummodo Acidorum aculeos obſcurant, nec non tandem, quæ certo acida penitus deſtruunt, abſorbent, edulcorant, annihilant. 2. Simul demonſtraturus ſum, quo gradu quælibet acidum abſorbeant. 3. Quo operandi modo illud ipſa præſtent, 4. Quas præter vim edulcorantem ſimul & alias, adnatas & commixtas manifeſtas quidem particulas, hincque & vires & qualitates apertas à natura

in ſe recondant ſingula. Quasve 5. deſtructo acido novas facultates & naturas eadem aſſumant. Quibus accurate cognitis tandem 6. per ſe ſtatim eluceſcet uſus cujusque Ant-acidi ſpecificus, & in quibus caſibus alterum præ altero genere magis accommodatum eſſe poſſit & ſit. Ut vero in examine hoc adeo copioſiſſima ingredientia decenti nihilominus proponantur ordine, Differentia, â figura & facie externa Ant-acidorum deſumta, mihi ſchematis generalis loco eſſe debet, ut explicem illa omnia, ſub titulis 1. Terreorum, 2. Salium Alcalium, 3. & 4. Aqueorum & Viſcidorum.

Faxit modo DEUS T.O.M. ut omnia in ſui nominis gloriam noſtrumque fructum feliciſſime ſuccedant.

CAPUT I.

De NATURA ET DIFFERENTIIS ANT-ACIDORUM ET QVIDEM TERREORUM.

§. I.

quibus ant-acidorum nomen conveniat?

PRiusquam autem Differentiam demonſtrare mihi ſumam, quæ ſub ipſo Ant-acidorum Nomine in Diſp. hac venire debeant, paucis exponere incumbit. Ad Ant-Acidorum enim claſſem nimis prolixum, nec minus ineptum & falſum eſſet trahere omnia illa Medicamenta, quæ forte ſymptomatibus acidum ordinarie concomitantibus, iisque ſolitariis medentur. Talia ſcilicet ſunt partim, quæ cum ſolis cruditatibus, in quibus ſtabulatur acidum, rem ſuam habent, hasque modo reſolvunt, incidunt, attenuant, verbo Reſolventia cuncta vulgo dicta; partim, quæ easdem has Impuritates, ideoque & una intus abſconditum acidum ex corpore noſtro per accidens eliminant, omnis generis nimirum Vomitoria, Purgantia, Laxantia, Salivatoria &c. Partim ulterius etiam, quæ Antiſpaſmodicorum & Nervinorum ſimplicium titulo venientia, non niſi ſpasmos nervorum, præſente acore communiter ſimul affectorum, relaxare valent, & ſic porro. Sed ea ſolummodo proprie vi vocis & nominis ſui dici merentur Ant-acida, hincque & a me in præſenti opere ſola vera talia dicenda, quæ ipſum acidum hujusve ſubſtantiam aggrediuntur, illudque totaliter deſtruunt, abſorbent, edulcorant, ac ita invertunt, quod ſemper cum Efferveſcentia, aut tamen cum ſtrepitu contingit, ut idem hoc acidum omnibus ſuis qualitatibus naturalibus acidis, ſapore, figura, totaque natura penitus depoſitis longe aliud poſtmodum repræſentet corpus, nec in priſtinam conſtitutionem acidam ullo modo reducibile. Horum itaque Ant-acidorum Naturam & Differentias explicaturus, quæ ſub forma terrea nobis extant, primo omnium loco examini noſtro ſubjicere debeo, utpote copioſiſſima & familiariſſima. Et quoniam ex omnibus tribus Regnis Terrea Abſorbentia deſumi poſſe vulgo creduntur, ex Vegetabilibus, quæ pro Edulcorantibus Autores hactenus habuerunt, prima vice examinare atque per experimenta probare placet. *de terreis.*

§. II. Duplicis generis vero Ant-acida in Regno hoc vegetabili contineri, Scriptorum codices loquuntur, alia nempe Vegetabilia ſale quodam Alcalico mox volatili, mox tantum fixo turgida & alia ob naturam ac texturam terream acidum deſtruentia. Quoad primum, præ reliquis *O. Tachenius Hipp. Chym.* Sal tale Alcali & quidem Volatile latitare ſtatuit in pluribus Herbis, nominatim in Cephalicis v. g. Roſm. Lavend. &c. ac in Chelidonio præprimis adeo mirabile Alcali, ut propterea Quintam hujus herbæ Eſſentiam à Paracelſo & Lullio nondum ſatis laudatam, pro Cæli plane dono exiſtimandam cenſeat. Et ne

regni Vegetabilis.

ex plantis cephalicis.

ne ſine fundamento hæc dixiſſe videatur, allegat Autor *l.c.p.32*, experimenti & probationis loco, ſolutionem Mercurii ſublim. ex qua mediantibus illis herbis harumque decoctis admixtis particulas præcipitari vidit rubicundas, ſibi imaginatus, particulas has eſſe partes Mercurii, hincque exin argumentatus, herbis illis neceſſario ineſſe Alcali Volat., quod acidum Mercurii ſubl. abſorpſerit, ut poſtmodum Mercurius ſub tali forma rubicunda ſubſederit. Verum quam infirmum hoc præſens ſit experimentũ, ſufficienter eluceſcit, poſtquam (α) idem experimentum & ego inſtituens, ipſum ejusdem fundamentum plane non ita cum veritate conſonum deprehendi, particulas ſcilicet illas præcipitatas nequaquam eſſe mercuriales, ſed non niſi puros putos flocculos herbarum flaveſcentes, vi adſtrictoria Mercurii ſubl. ad fundum turbatos. Deinde, (β) etiam ex præcipitatione tali facta ad præſentiam Alcali & Acidi ſtatim concludere minime licet, cum & omnia adſtringentia eandem concitare valeant; ſicuti & quibuscunque inſtillatis adſtringentibus in Decocta herbarum iſtarum, easdem mox præcipitari particulas vidi. Et (γ) tandem neque leviſſimum modo abſorptionis ſignum, nullum ſcilicet ſtrepitum, multo minus efferveſcentiam aliqualem; nec minimam edulcorationem acidi Mercurii ſublim. in mixtione illa facta cernere potui.

Tachenii experimentum refutatur.

ex plantis refrigerantibus.

Poſt has 2. Herbas Refrigerantes æquali Alcali Volat. gaudere idem *Tachenius l.c.p.147.* credidit; perſvaſus, hujus generis herbis poſt exſiccationem nullius amplius uſus obſervatis, vires ipſarundem conſtitiſſe in Alcali Volat. tempore exſiccationis in auram avolanti. Aſt quis hodie neſcit, vim herbarum iſtarum unice conſiſtere in Aquoſitate refrigerante ſua copioſa? qua evaporata & exſiccata omnino omnes vires ſimul periiſſe neceſſe eſt.

oleribus.

Quam ob eandem Aquoſitatem refrigerantem etiam 3. Olera univerſa, ante ſtrenuam vini compotationem aſſumta, ab inebriatione quodammodo præſervant, exæſtuationem ſangvinis, tanquam primariam inebriationis cauſam, ex parte compeſcentia; non vero ob Alcali Volat. in Oleribus his latens, acidum vini obtemperans, judicante ita modo dicto Scriptore *l.c.p.153.* Sic porro neque 4. in Herbis Vulnerariis, quarum magnum numerum etiam *Bocone in Obſ. Cur. p.257.* inter Alcalia fortiſſima haud ſatis accurate refert, nobis Alcali Volat. comprobare Autor noſter *pag. 144.* valet ex eo, quod mediantibus herbarum harum ſuccis ex Sachari Saturni ſolutione partes Saturni præcipitentur; nam non ſola Alcalia, ſed inſuper etiam omnis generis Adſtringentia, inter quæ locum quoque habent Vulnerariæ illæ herbæ, imo & ipſa acida fortiora ob vim ſuam adſtrictoriam Magiſterium Sachari Saturni ex illa ipſa ſolutione ſub manu Pharmacopœorum quotidie præcipitant.

vulnerariis.

Quale idem judicium 5. de Corticibus Granatorum, nec non Fructibus Gallarum dari debet. Experimentum enim, ubi *Tachenius p.124.* Pulverem Gallarum cum ſolutione Vitrioli Cypr. miſcens, ex ſuborta nigredine ad fructuum horum Alcali, magis quidem Fixum, quam in antecedentibus herbis concludit, æque irritum dicimus; quotidiana experientia certiſſime edocti, in ſolutionem nominatam inſtillato Alcali vero Fixo pulverem præcipitari ex flavo virideſcentem, & affuſo Volatili mixturam ſemper cœruleo colore, nunquam autem nigricante obſcuro inquinari, ſed tum demum ſuboriri nigredinem, Adſtringente aliquo Vitriolis admixto; quale eſt Pulvis Gallarum, uti in præparatione Atramenti, & Tincturæ Vitrioli Martis Solar. cum ſucco Roſar. abundanter conſtat. Et etiamſi Cortices Granatorum aliquando Obſtructionem Menſium in Fœmina quadam aperuerint, non tamen propterea, uti Tachenius facit, ad præſentiam Alcali in his Corticibus argumentari poſſumus, experti, ſæpiſſime quidem Obſtructionem taliusmodi ab acido oriri, & per Alcalia optime curari, non infrequentius tamen etiam ob fibras Venarum nimium laxas, tono ipſarum deperdito, nec non ægra admodum debili, ſangvinem ſtagnare ac conge-

Corticibus Granat. & Gallis.

congeri, nec Cordis vi ad exteriora pro evacuatione ſufficienter protrudi; quali ultimo in caſu ſine controverſia felix remedium eſſe potuit Cortex ille, vel ſimile adſtringens, absque ullo Alcali. Tandem & 6. Fungus cynosbati tantum abeſt, ut à *Bocone l. c.* ſub alio equidem nomine Sanotodos & Bedequare, Magnum illud Alcali Vegetabile exclamari, ut potius plane nullum tale majori & optimo jure dici mereatur. Nam ſi quidem fungus ille contra rabiem, ictum ſerpentum, Maniam, Hæmorrhagiæ dolorem &c. adeo excellentes uſus dederit Autori Bocone, quales tamen experiri aliis egregiis Practicis nunquam licuit, omnes ſane non niſi ex vi ſua adſtrictoria, quam cum Fructibus Cynosbati communem habet, & aliqua conjuncta anodyna præſtare valuit. Et ſic quoque alterius generis Vegetabilia, quæ ob Terream ſuam texturam, veris abſorbentibus terreis haud diſſimilem, acida edulcorare poſſe vulgo creduntur, hincque & ab *Exc. Etmullero Diſp. de Præcip. p. 13.* aliisque inter Præcipitantia relata, neque vel minimam vim Ant-acidam exercere posſunt. Peruvianus enim Cortex, Antifebrilis ille famoſus, acidum in Febribus intermitt. omnino quidem non raro ſatis manifeſtum minime tamen abſorbere valet, ſed irregularem ſolummodo Sangvinis & Spirituum motum, tanquam proximam cauſam febrilem vi ſua adſtrictoria compeſcendo febres tollit; ideoque & manifeſto peccante acido in ægris palliative ſaltem morbos hos curare ſolitus. Eodem modo Cortex Gvajaci Anticachecticus Antivenereusque, & Winterianus Antiſcorbuticus Anglis adeo egregius, non niſi vi ſua ſerum coagulatum & pituitam reſolvente, nec non vaſa urinaria & ſpermatica ad ſuperfluæ humiditatis & acrimoniæ evacuationem ſtimulante operantur. Ad quam eandem Reſolventium & Incidentium claſſem ex Ant-acidorum cohorte recte etiam dimittendæ ſunt Feculæ Radic. v. g. Ari, Bryon. &c. item Fuligo atque Magiſteria Veget. & præſertim ſolennia illa, Ant-epilepticum & Cordiale Michael. in ſpecifico ſuo Cephal., aliaque acido jamjam deſtructa. Quemadmodum & Succi Vegetab. inſpiſſati, ut herbæ Iſatidis Color Cœruleus, Indigo nova dictus, item alii Terrarum nomine venientes, ut Terra Catechu, Orleana &c. ſuos ſpeciales uſus, nunquam autem Ant-acidos habent. Et quando Viſcos illos, Quernum, Tiliaceum, & præ cæteris laudatum Corylinum; prætereaque Sulphur Lycopodii, tanquam ſolitaria & ſimplicia Antiſpaſmodica & Nervina, non minus extra fines Abſorbentium ponimus, nemo nobis inficias ibit. Ultimo denique nec durioribus & quaſi oſſeis Vegetabilium partibus Putaminibus nimirum & Nucleis Fructuum, ut Ceraſorum, Prunor. Dactyl. Meſpil. Jugland. & Avellan. Nucum, Arillis Junip. Sambuc. & ſic porro, cum allegato Etmullero locum inter Ant-acida concedere debemus. Probe etenim de omnibus his adductis Terreis notandum eſt, concreta, ſi quæ deſtruendo acido apta eſſe velint, requiri non tantum dura & ſolida, alias ſiquidem & vitri pollinem & arenam ſilicesque pulveriſatos acida enervare obſervaremus, ſed unà quoque illa eſſe debere poroſa vacuaque juxta Tachenium, imo non minus friabilia, ut ab aculeato acido perfodi atque arrodi poſſint; qua tamen textura plane deſtituuntur Vegetabilia hæc, etiamſi ſatis dura atque compacta. Sed ne Aliorum ſolummodo Rationes & Experimenta pro comprobandis Vegetabilium Ant-acidis producta refutasſe videar, certo nunc quoque ſciamus, me omnia huc usque recenſita Vegetabilia & in Pulvere & in Decoctis, partim cum Spiritu Salis aliisque mitioribus acidis inſtillatis, partim etiam aliis experimentis, quibus alias vis corporum alcalica ſtatim in conſpectum venire ſolet, fuiſſe experimentatum, nunquam tamen vel leviſſimum abſorptionis & præſentis virtutis Ant-acidæ ſignum, nullum nempe ſtrepitum, multo minus efferveſcentiam minimam, nec edulcorationem aliqualem affuſi acidi expertum. Quibus rebus ſic ſtantibus plane certe non aliud de Regni hujus Veget. ingredientibus

Putaminibus & nucleu fructuum.

Marginal notes (left, partly cut off): *…cynosbati.* / *…binæ.* / *…Guaj. …nter.* / *…um de … a… …ue.*

entibus ferre licebit judicium, quam quod nullum ex his nobis extet Medicamentum ſub forma terrea; acida vere abſorbere potens. Elaborantur quidem & præparantur ex Vegetabilibus vera & ſatis potentia Ant-acida, Salia nimirum Alcalia tam Fixa, quàm Volatilia, mediantibus Operationibus Chymicis, Incineratione & Deſtillatione; præmiſſa Fermentatione ac Putrefactione &c. Aſt ſalia hæc Alcalica ſicuti nequaquam à natura ſua Vegetabilibus jamjam inſunt in forma ſua, ob quam tamen ſolam acidum deſtruere ſolent, ſed puræ ſaltem & ſimplices particulæ acres & volatiles in quibusdam extànt: ita certe nec in ventriculo noſtro poſt aſſumtionem Herbarum generari eadem ſalia poſſunt. Hincque deficiente cauſa h. e. Sale Alcali in crudis & naturalibus Herbis, deficit quoque ipſorum effectus ſc. alcalicus & Ant-acidus. Quemadmodum ex plurimis Animalium partibus v. g. ex Cornu cervi Salia quidem Volatilia deſtillari videmus, potentiſſime acidum abſorbentia, cum tamen propterea crudum Cornu Cervi & in naturali ſuo terreo ſtatu nequaquam acidis ſit contrarium.

Terrea ex Animal. improprie Ant-acidis annumerata.

§. III. Ex reſtantibus itaque binis Regnis potius vera nobis colligamus Ant-acida Terrea neceſſe eſt; & quidem præſenti vice ex Animalibus. Sed æque non paucis ex Regno hoc nobis extantibus non niſi fictis & a terrea ſua ſubſtantia ſaltem ſuppoſitis Abſorbentibus, quam ad vera pertingamus, illa prius removere conducet. In officinis enim, ut ſtercora Brutorum in Scriptoris illius Dreck-Apothecke adeo commendata, & minime acidum edulcorantia, recenſione ne quidem hic dignemur, potius nobiliores ſolidæ partes tam ex homine, quam ex brutis magna in copia aſſervantur, & quidem primo Crania, præſertim Hominis violenta morte defuncti; deinde Cornua v. g. Alcis, Cervi, Rhinoc. imo ſvaſu quorundam interdum Bovis, Vaccæ, Hirci &c. Et Cornuum nòmine non raro venientes Dentes, ut Elephantis, alias Ebur dictum, item Lupi, Apri, Canis &c.; poſt hos Ungulæ primario Alcis & Lyncis, quibus tamen eodem cum fructu adjungi poſſe & Rhinocerotis & Cervi, Exp. Stiſſerus Lab. Chym. per Spiritum ſuum egregium ex Ung. C. deſtillatum, erudite probat; præterea Calculi tam ex Renibus & veſica, Humanus ſc. atque è Felle Bovis Lapis, quam etiam ex Ventribus quorundam Animalium deſumti, qualis eſt Lapis Bozoard. Orient. & Occid. & hoc longe præſtantior in Simiarum Ventriculis reperiundus, teſte Bontio, in Not. ad Garc. ab Orto *p. 44.*; Porro Os de Corde Cervi; atque anticolicum illud ac in Partu difficili aniculis adeo ſpecificū Talus nim. Leporis; Inſuper & omnis generis Oſſa, præ reliquis Hominis fatali nece denati, â Kœnigio Regn. Anim. frequenter in uſum vocata; Tandemque & ex Fluidis Quadrupedum partibus Sangvis Hirci exiccatus, in congrumato Sangvine vulgo euporiſton; Nec non ultimo ex Marinis innumeris Terrea, uſitata Oſſa Temporum petroſa Tuberonis ac Manati, item & Lapides illi in Piſcium nonnullorū minorum capitibus extantes, Lapis nempe triangularis Carpionis, ejusque alii bini ſupra oculos reſidentes, atque Lapis Percarum, Sturii, Truttæ aliorumve ſimilium; Quemadmodum non minus Piſcium ſpinæ & ante omnes multum â quibusdam laudata Spina Muſtelæ Piſcis, pluraque alia hujus generis huc referenda. Quæ omnia ac ſingula ſine ulteriori alia prægreſſa Operatione pharmacevtica, ſolummodo pulveriſata vel raſpata, etiam cum Aq. ſ. præparata, etiamſi à Schrœdero Pharmac. aliisque Celeb. Scriptoribus vulgarive plurimorum applauſu tanquam potentiſſima Abſorbentia multis laudibus celebrata, omni tamen jure meritoque ex Ant-acidorum Claſſe excludi debent; Utpote cuncta in pollinem redacta cum inſtillatis acidis & Spiritu Salis acido ne mitiſſimum quidem ſtrepitum, ne poſtulem effervescentiam, concitantia, nec minimam etiam acoris hujus portionem edulcorantia; niſi forte ob viſciditatem ſuam palliative ſaltem & exiguiſſimum tantum acidum quodammodo involventia. Cauſa vero, quod hujus generis Terrea

Animal.

Animal. cum acidis plane non congrediantur, dependet unice ex Gelatina copioſa ipſis inſita, ſiquidem hac per coctionem extracta, corpora ſtatim apparent admodum ſitibunda cumque acidis effervescentia. Poſſet hic quidem aliquis contra denegatam Terreorum horum vim abſorbentem inſurgere, ſtatuendo, partes has Anim. quanquam in experimentis ratione terreæ ſuæ ſubſtantiæ non acida deſtruerent, nihilominus tamen vim alcalicam in corpore noſtro poſt asſumtionem illas ipſas vere exercere; dum nempe beneficio caloris in Ventriculo particulæ volatiles & ſubtiles, quæ eſſent alcalicæ, ex iis extraherentur: Verum mediante calore nequaquam vim Ant-acidam adipiſci Terrea illa, ex ſeq. clare conſtabit Experimento. Pulveres nimir. Terreorum horum in Cochleare recepi cum tantillo admixto aquæ ſ. & his ſuper candelam incaleſcentibus ſuperfudi guttulas aliquot de Spiritu noſtro Salis acido, nequaquam autem magis certum aliquod aut manifeſtius abſorptionis ſignum ullo modo expertus; præter bullulas quaſdam aquæ ferventi proprias. Et quanquam mediante deſtillatione ex partibus illis Anim. producatur Sal Volatile maxime Alcalicum, hoc tamen minime in Ventriculo & corpore noſtro ex iisdem elaborari poteſt. In deſtillatione enim illa *α.* nullum aſſumitur menſtruum, vel tamen ſaltem ſimpliciſſimum aqueum; *β* fortiſſimus ſemper ignis ſupponitur, ut vi & impetu ſummo caloris particulæ ſubtiliſſimæ & volatiles ex concretis aſſumtis expellantur; & tandem *γ.* his ſub forma nebularum in Vaſa Recipient. aſſurgentibus accedit aer frigidus externus, easdem in corpuſcula taliusmodi ſalina duriuſcula & poroſa conſtringens atque cogens. Quorum tamen neutrum in Ventriculo noſtro obvium eſt, nec unquam contingit; ſed menſtrum ſtomachale extrahit ſolummodo ex Terreis illis particulas Volat. & ſubtiliſſimas, & ſub ea quidem etiam forma, qua ipſis à natura inſunt, ſcil. potiſſimum oleoſas, gelatinoſas, flexiles molles. Hincque molleculis his in ſtomacho elixivatis deficiente illa ſalina textura, figura & conſiſtentia duriuſcula ac poroſa, nequaquam certe effectus aliquis alcalicus ab ipſis his in corpore noſtro exerceri poteſt; cum ob ſolam hanc ſalinam texturam acidum deſtruere ſoleant Salia illa Volatilia; ſicuti ante oculos obſervamus, nubeculas illas inter diſtillandum ex Anim. partibus aſcendentes priusquam in Salia congelaſcunt, ne minime quidem cum acidis admixtis congredi, aut horum aculeos abſorbere aut edulcorare. Quapropter uſus Terreorum horum Animal. nunquam Ant-acidus, ſed ſemper ſaltem Alexipharmacus & Nervinus judicandus venit; ſiquidem particulæ ipſorum volatiles in Ventriculo caloris beneficio extractæ, maſſam ſanguineam admodum exagitando Tranſpirationem & Sudorem promovent, & gelatinoſæ eorundem partes Nervos leniunt relaxantque ſpaſmo affectos.

§. IV. Miſſis ſic Terreſtrium Animalium nonnullorumque Marinorum partibus, plane non acida deſtruentibus, vera nunc Terrea Abſorbentia in ſcenam deducam, Marinorum ſcilicet adhuc aliorum nonnullas partes, Ovorumque ex Pennatis involucra. In fluminibus etenim præſertim marinis copioſa ſalia fluctuantia Piſcibus non adeo largam concedunt gelatinam, ut eapropter nonnullæ ipſorum partes magis poroſæ inanes & friabiles acida facilius edulcorare valeant. Duplicis tamen nihilominus generis Terrea hæc vera ant-acida obſervantur. Alia quippe aliquales adhuc particulas gelatinoſas & volatiles cum antecedentibus habent communes; Alia vero iis omnibus penitus deſtituta unice acidum deſtruere ſolent, Fixa ideo magis & ſimplicia ſaltem Abſorbentia dicenda. Ad poſteriorem hanc Claſſem pertinent ex omnis generis Pennatis Ovorum teſtæ ſeu involucra, ex omnibus tamen non niſi Gallinarum officinalia. Hæ autem Teſtæ quantam cum Nitri & Vitrioli Spiritu concitent effervescentiam, ſufficienter jamjam nobis annotavit *Exp. Grevv. Exp. Cur. de Mixt. Corp. p. 175.* Sicuti quoque maximum

Terrea vere abſorbentia.

omni gelatina deſtituta.

ximum congreſſum acidorum cum involucris his jucunde admodum demonſtrat *Bartholinus Hiſtor. Cent. IV. pag. 271.* quando ovum vino acidulo per tempus prius immerſum, tartarea poſtmodum cruſta inveſtitum extrahit. Quamobrem nec mihi minus vim ipſorum Ant-acidam ſatis fortem cernere licuit, Scrup.ſem. eorundem pulveriſatorum Spiritus Salis acidi guttulas L. maxima cum efferveſcentia & ſtrepitu deſtruxiſſe experto. Poſt hæc ex Marinis allegari debent Oſſa Sepiæ, ſub eadem Scrup.ſem. doſi guttulas LX. Spiritus acidi ejusdem haud mitiori ebullitione abſorbentia. Deinde & Teſtacea, in Praxi communi quidem non adeo uſualia, fortiſſime nihilominus acidum invertentia. Nam ex Univalviis quanquam Blatta Byzantina ad guttulas tantum XXIV. uſque efferveſcat, reliqua tamen longe copioſiores edulcorant, ita ut Dentaliorum verorum Scrup. Semis Spir. Salis guttulas XL. Entaliorum Officinalium eadem doſis guttulas L, Pſeudodentaliorum, nec non umbilici Marini ſive Cochleæ Cœlatæ guttulas LX. Stalachidis LX-LXX. & Cochleæ Hortenſis Domiportæ dictæ certe C. guttulas penitus deſtruxerit. Eadem etiam potentiori virtute abſorbente gaudent quoque Bivalvia. Conchæ etenim vulg. marinæ ſub ordinaria doſi ad guttulas usque LXXX. & Teſtæ Oſtrearum ad CXX. usque maximam continuarunt efferveſcentiam, fœtore inter abſorbendum ab his binis aſſurgente admodum putrido. Ut plura hac vice non adducamus, ex his jamjam exemplis de vi hujus generis Terreorum Ant-acida ſatis ſufficienterque certi facti. Poſt deſtructionem vero acidi ſal ſalſum enaſcitur ab omnibus ſemper fortiſſimum; non tantum ex liquore ſaturato maxime ſalſo guſtu dijudicandum, verum quoque inſpiſſato hoc liquore in ſubſtantia tale vere ad Scrup.ſem. quidem quantitatem acquirendum. Omnia enim acida & præſertim Spiritus à natura ſunt ſalia, modo acuta, ſcindentia ac hamoſa; quando hinc eadem in Terreorum ſubſtantiam duram agunt eamque arrodunt, aciem tunc ſuam naturalem amittunt ac obtunduntur, ſicque figuram magis obtuſam & craſſam, ſalium nimir. Salſorum, aſſumunt & induunt. Uſus itaque hujus Claſſis Terreorum idem ferme eſt ac Lapidum inferius explicandorum; propter terream nempe ſubſtantiam acidum removent, & propter ſalia ſalſa enata pituitâ & viſciditates acido conjunctas incidunt, reſolvunt, attenuant, nec non Vaſa Urinaria ac ſpermat. potenter ſtimulant, hincque omnibus iis caſibus optime conducunt, ubi qualitates hæ neceſſariæ ſunt, & in quibus lapides in ſequentibus paragraphis commendabuntur. Nunquam autem ſudorem ab his moveri cernimus; etiamſi ægris poſt aſſumtionem ipſorum per totum diem lecto affixis; ut eapropter haud judicioſe nonnulli ſtatuant, & Diaphoretica & Diuretica ejusdem eſſe naturæ, & eodem plane modo utraque operari, ita, ut & ab illis & ab his mox ſudor, mox urina moveri poſſit, prout ſcil. corpus noſtrum vel ſtragulis cooperiretur, vel aeri frigidiori, poros cutis externos occludenti, exponeretur; quanquam à Diaphoreticis Terreis nunc in ſeq. §o examinandis uterque effectus provenire ſoleat promtiſſime.

Gelatin… liquali… denti…

§. V. Alterius enim Claſſis Terrea Marinorum Animal. præter naturam ant-acidam & inſequens ſal ſalſum, gelatinoſas ſimul quoque & volatiles particulas à natura poſſident conjunctas. Vim quoad antacidam, illam imprimis ſtatim ſumus experimentaturi, & quidem cum Spiritu noſtro ſalis acido. Nam Dens Monocerotis, alias Unicornu verum dictus, ſub Scrupuli ſemis doſi ſpiritus ſalis guttulas XX. & Oſſa ac Mandibulæ Lucii Piſcis guttulas XXX. edulcorare valent. Cancrorum & Gammarorum non niſi cauda, referente Saxio in Gammarol. differentium, Lapilli ſ. Oculi nec non Teſta (ultima tamen hæc ratione uſus rectius priori Fixorum Terreorum Claſſi inſerenda) guttulas L, & Chelæ paululum adhuc viſcidiores, tam difficilius quam etiam ſaltem guttulas XL. deſtruxerunt. Porro Perlæ & quidem Orientales ſub ordinaria doſi guttulas LX. & Occidentales non pauciores,

ciores, quin potius ob molliorem ſuam texturam abſorbendo acido magis aptæ, copioſiores adhuc guttulas, nempe LXXX, perfecte abſorpſerunt. Mater vero Perlarum, etiamſi à *Lyſtero de Cochl. part. 1. p. 104.* vix inferior ipſis Perlis credita, circa guttulas tamen L. ſtatim omnem ſuam ebullitionem & ſtrepitum finivit. Ultimo tandem huc referendos habeo Dentem Hippopotami ſ. Equi Marini, atque Dentem Lupi Marini aliàs Bufonites vulgo minus recte vocatum, quorum doſis non niſi guttulis LXXX. Spiritus Salis inſtillatis penitus ſaturari patiebatur. Et his experimentis vis antacida Terreorum hujus claſſis ſufficienter, ut credo, fuerit demonſtrata; Quemadmodum & ſal ſalſum poſt deſtructionem acidi ab his terreis factam non minus quoque exoriri fortiſſimum & copioſiſſimum, ex eo certe ſatis clare apparebit, poſtquam Liquore, in quo ſcrupul. ſem. ocul. cancr. à guttulis LX. Spiritus ſalis fuerat ſaturatus, filtrato ac evaporato, perfecti ſalis ſalſi quantitatem accepi, ſcrupuli ſemis pondus adæquantem. Sed quod tandem attinet Gelatinoſas & Volatiles partes, quibus præſentis ordinis Terrea ſimul turgere, antecedentia autem deſtitui ſupra dixi, manifeſtiſſime etiam & illas demonſtrare poſſum, partim ex conſiſtentia ipſorum gelatinoſa, primis illis Anim. partibus maxime gelatinoſis haud diſſimili; partim ex Operationibus Chymicis cum præſenti hoc terreorum genere inſtitutis, ſiquidem & Gelatinam & Particulas Volatiles ex iisdem faciliimo labore adipiſcimur, nec non exempla de gelatina & ſale volat. v. g. ocul. cancr. apud *Charras Pharm.* aliosque Autores copioſa extant; partim denique quam maxime ex uſu eorundem Terreorum horum. Quotquot enim de hiſce Terreis ſcriptores evolvimus, v. g. *Andr. Baccii integrum Tr. de Unicorn. ver. Saxii Gammarolog., Helmontium de Lithiaſi, Schrœderi Pharm. ejusque Clavem Hoffmanni, Ludovic. Pharm. Junk. Not. in Not. Agric. & Popp. Kœnig. de Regn. Anim.* & alios, ubique certe infinitis laudibus ſemper hujus commatis Terrea extolli legimus, & quidem non tantum ubi acidum removendum, & pituita ejus incidenda eſt, verum quoque iis omnibus in caſibus, ubi & Nervina & Alexipharmaca conjuncta maxime requiruntur; In Febribus nim. Malignis, Motibus Convulſ., Pleurit. Vertig. Colica, Malo Hypoch., Torminibus Ventris, Renum & Veſicæ ſpasmodicis Affectionibus, Partu difficili, Gravidarum ſymptomatibus, Spaſmo Nervorum crural. atque lumbar., Doloribus poſt partum & ſic porro, feliciſſima nunquam non conſtituunt euporiſtà. In quibus iisdem vero Morbis antecedentia illa Terrea magis fixa & ſimplicia Ant-acida, nunquam deſideratum talem præſtare valent effectum. Cum itaque ſæpius nominata hujus claſſis Terrea tam Ant-acidorum ſimplicium, quam etiam Nervinorum & Alexiph. illorum ſolitariorum facultates & vires poſſideant compoſitas & conjunctas, omnium ſane ex hac cauſa Terreorum reliquorum Abſorbentium optima hæc jure dici merentur; utpote una fidelia, ut ſic loquar, duas ſimul parietes dealbare, acidum nempe edulcorare, & nervos præſente acrimonia ordinarie ſpasmo affectos, una feliciſſime relaxare potentia.

§. VI. Hæc tamen in naturali ſuo ſtatu acidum ſtatim Abſorbentia ſi cui nondum ſufficiant, omnes quoque primæ illæ Terreſtrium Animal. partes a natura acidis non contrariæ, in eum ſtatum facile deduci poſſunt mediantibus Operationibus Chymicis, ut non minus ac reliqua cum acidis manifeſte efferveſcant; contra illos, qui omnis generis Præparata ipſis crudis longe ſemper poſtponunt, vel etiam penitus tanquam inutiliſſima nimis præcipitanter rejicere audent. Nam ille quidem labor, qui ſolidas Animal. partes interveniente Spiritu quodam acido in Magiſteria præcipitat, tantum abeſt, ut conciliet, ut potius ipſis terreis exuat omnem vim ſuam alcalicam imo non raro acidum vere iisdem inſinuet ac relinquat. Deinde Pharmaceutica illa, & ſtricte ſic dicta Præparatio, quæ cum aqueo liquare fit, neque quidem vel minimam virtutem *Abſorbentia ope Chymiæ Præparata.*

ant-acidam conciliare Terreis plane illa deſtitutis, nec augere aliquali vi alcal. jamjam gaudentibus, potens eſt, nihilominus tamen hoc hæc præſtare valet, ut vera abſorbentia terrea tali modo præparata ob molliorem ſuam acquiſitam texturam longe citius, facilius & majori etiam cum effervescentia acidum deſtruant nudis quidem illis ipſis pulveriſatis, prout id exemplo Oculorum cancr. præparatorum & pulveriſatorum in Experimentis meis ſatis clare obſervare licuit. Sed reliquæ operationes, calcinationes nempe, tam Philoſophica quam vera ſ. Uſtio, in partibus Animal. iſtis certo vim ant-acidam proferre atque generare aptæ ſunt, ita, ut omni vi alcalica penitus deſtituta Terrea in vera Abſorbentia, aliqualem vero jamjam a natura poſſidentia in multum potentiora convertant. In Calcinatione enim Philoſophica aquæ ferventis ope omnes gelatinoſæ particulæ ex partibus Anim. terreſtrium illorum promte extrahunt, ut ſuperſtitia corpora admodum poroſa vacuaque facta cum acidis manifeſte poſtmodum effervescant, doſisque eorundem, v. g. Cornu Cervi Philoſ. præparati ſcrupulus ſemis de Spir. Sal. guttulas XX. & XXV. & plures, prout vel magis vel minus gelatina fuerit ablata penitus edulcorarit ac in ſalſum converterit. Sic non minus in uſtione viſcidæ Terreorum iſtorum partes comburuntur ac in auram dimittuntur, remanentibus corporibus friabilibus ſitibundisque, quæ v. g. Cornu Cervi uſt. quanquam ordinarie paululum mitius, guttulas ſc. tantum XIIX. Spiritus ſal. deſtruentia, nihilominus tamen, annotante Etmullero l. c. per longius, quam ordinarium tempus calcinata eo facile deduci patiuntur, ut longe fortiora ipſis phil. præparatis deprehendantur. Quæ autem Terrea a natura jamjam aliquali vi ant-acida pollent, quantam hæc augmentationem virtutis ſuæ alcalicæ ex taliusmodi Uſtione nanciſcantur, ſufficientes teſtes ſunt ſpecifica illa Antifebrilia, Strobelbergeri ſc. ex Matre Perlar. & Crollii ex Conchis Marin. vulg. calcinatione exſtructa; illius enim doſis ad guttulas usque C. & hujus ad C. & XX. usque maximam ſuam effervescentiam continuare ſolet, cum tamen crudam Matrem Perlar. ſolummodo pulveriſatam non niſi guttulas LX. & Conchas vulg. non plus quam LXXX. deſtruxiſſe inferius audiverimus. Qua ex cauſa quoniam Teſtæ Oſtrearum crudæ reliquorum omnium Concharum fortiſſimæ fuerunt, fortiſſimum quoque omnium Antifebrile novum adipiſceremur, ſi hæ æque, ut illæ in Officinas introducerentur uſtæ. Præter naturam hanc abſorbentem, etiam alias inſuper ſimul qualitates in ſe recondunt Præparata hæc; & quidem primo philoſophic. præparata, etiamſi gelatinoſis & volatilibus particulis plurimis inter coquendum exuta, virium tamen Alexiph. & Nervinarum non minorem partem adhuc poſſidere, experientia conſtat; ad proxime antecedentium Terreorum claſſem ideo ratione virium referenda. Uſta vero Terrea inter calcinandum plane novas & ſingulares qualitates, partim nimir. igneas, ut eapropter affuſa ipſis aqua inſtar Calcis vivæ ebulliant, partim quoque vires adſtrictorias aſſumere ſolent; propter has hinc etiam reſpectu uſus multum a reliquis omnibus Terreis diſcrepantia, & in Febribus intermitt. præſertim maximum fructum præſtantia. Cum enim hæc acidum præter naturale in corpore noſtro, Febrium plurimarum cauſam antecedentem, potentiſſime removeant, ſimulque ob enatum fortiſſimum ſal ſalſum cruditates præſentes optime reſolvant, ac acrimoniam una cum Urina evacuent, prætereaque etiam ſudorem movendo humores iterum in priſtinam Circulationem reducant, nec non ultimo Nervorum & Spirituum irregularem motum vi ſua adſtrictoria decenter compeſcant, omnem ſane Febrium nominat. curam feliciſſime abſolvunt; non male ideo inter Polychreſta & ſpecifica Antefebrilia vulgo numerata. Et hæc de Terreis ex Regno quoque Animali impræſentiarum ſufficiant.

§. VII. Et progredimur nunc ad tertium Regnum, Minerale puta, quæ ex hoc nobis præſto ſunt Terrea Abſor- *Ex R. M. Abſorbentia ſunt.*

bentia, perſcrutaturi. Tria autem præcipua hic deprehendimus genera, Terras ſc. Lapides & Metalla, ex quibus Practici communiter deſumere annituntur ant-acida. Quæ velim per Terras, ut ab his incipiam, definitio *Conringii Diſp. de Terris §. 1. à Galeno Lib. 9. de Simpl. Med. Facult. c. 2.* mutuata ſatis clare intimare debet, ea nimir. Terrea, quæ hoc habent commune, ut addita aqua penitus ſolvantur, & in lutum abeant. Omnis generis vero Terras, quotquot modo & ex quacunque etiam regione illas habeamus, nil plane inter ſe differre, nonnulli quidem ſibi imaginantur, tam ex priori ſeculo ſcriptor ille de Re Metallica Encelius *lib. 2. c. 29.* omnes exoticas terras reſpectu virium in noſtris non minus locis reperiri credens; quam Recentioribus *Ludovicus Pharm. p. 317.* quamlibet puram modo Terram promiſcue in uſus noſtros aſſumendam judicans: Verum quantum diſcrimen inter ipſas, ſi ad virtutem ant-acidam attendamus, adſit, in examine meo ſufficienter intellexi; alias Terras aridas plane nullo modo acidis contrariari, alias magis pingves inviſcando quodammodo tantum palliative acrimoniam obſcurare, alias iterum tandem acidum etiam potentiſſimum & cum effervescentia quoque notabili totaliter edulcorare expertus. Cretæ enim vulgaris albæ ſicuti fortiſſimus ſtrepitus & effervescentia, qua acidum deſtruit, ex præparatione Phoſphori Balduini Chymicorum Tyronibus obvia eſt, ita quoque excellentiſſima ejusdem vis abſorbens ex eo clariſſime conſtat, poſtquam ſcrupulus ſemis illius non niſi guttulis C. ſpiritus ſal. inſtillatis perfecte ſaturari potuit; de cujus adeo egregia virtute edulcorante olim etiam jamjam nos certiores fecit *Helmontius*, Aquam Fort. & Aq. Reg. addita creta fieri inſipidas referens, *Lib. Compl. ac Miſt. p. 89.* Creta tamen Hiſpanica germ. Stein-Kreide vocata, item & Creta illa Nigra, ne leviſſimum quidem ſtrepitum cum acidis concedunt. Quando autem præter Cretam illam albam plane nullam aliam Terram cum acidis effervescere affirmat aliquoties allegatus *Etmullerus l. c. pag. 67.* non adeo conſentire debeo, & Terram Sigill. Melitenſem ſub ordinaria doſi Spiritus ſalis noſtri guttulas LX. maxima cum effervescentia deſtruxiſſe non neſcius; Quemadmodum & ex Argilla alba noſtra vulg. ſtrepitum & aliqualem turgeſcentiam ad guttulas uſque XII cernens. Poſt deſtructionem acidi à Terris his factam ſupervenire vim adſtrictoriam, communis eſt ſententia, & etiam certiſſima, modo ſimul notemus, non illam ſolam, ſed præterea quoque verum ſal ſalſum indubitato exoriri; utpote illud ipſum non tantum in liquore ſaturato Terræ Melitenſ. magis ſalſo quam adſtringente, guſtu maxime cognoſcendum, verum etiam ex liquore ſaturato Cretæ poſt evaporationem certò acquirendum; quanquam exiguum ſaltem in ſubſtantia, à terreis viſcidis particulis in tantum involutum & obſcuratum; Particulæ enim terreæ conſtituunt ſaporem adſtring. & ſal ſalſum evenit ex acido immutato. Hinc ſi uſum ſpecificum Terrarum harum dicere debeamus, conveniunt præſertim, ubi acidum removendum liberum eſt, humoresque reſoluti, nec non fibræ viſcerum laxæ & extenſæ extant. Sed plures præter nominatas Terras huc usque obviæ mihi non fuerunt, acida vere abſorbentes. Pingves etenim & viſcidæ Terræ ſigillatæ ſcilicet ut Sileſiacæ, Jaweravienſis flava ac rubra, Goldbergenſis alb. & rubr. Strigonienſis hepatici coloris, Gehnwicenſis rubr. &c. item Turcica illa Lemnia alba, flavaque & quæ plures nominari poſſent; nec non Boli rubra, alba, ac armena, prætereaque Marga ſ. Lac Lunæ, Geſnero Fungus Petræus ac Agricolæ ſteno-marga nuncupata, ut plures non recenſeam, ad unam omnes experimentis meis ſubjectæ, ob viſciditatem ſuam & glutinoſitatem acidorum aculeos quodammodo quidem involvere, ac ita abſque ſuperveniente ſtrepitu obſcurare valuerunt, ut guttulæ VI. Spiritus ſalis acidi cum ſcrupulo ſemis ipſarum permixtæ plane non à lingva mea dijudicari potuerint: Verum mixturæ huic poſtmodum ſuperſperſo pulvere ocul. cancror. præp. effervescentiam ſtatim mani-

manifeſtam exſurgere vidi; clariſſimo ſane argumento, acidum nequaquam à Terris his vere deſtrui ac inverti poſſe, ſed potius plane incorruptum ſemper illud permanere, hincque ſicuti in Terrea appropinquata, ita non minus in partes corporis noſtri, in quibus idem hoc acidum ſtabulatur, continuo agere, hasque arrodere; præſertim autem accedente Terris his aſſumtis aliquo Diluente vel viſciditates ipſarum Reſolvente. Ut male eapropter meo judicio faciant, qui Lac Lunæ acidum abſorbendo in mammas lac maternum iterum reducere & regenerare fingunt. Incongruis ſic Viſcidioribus, multo minus Aridas Terras, Terram ſcilicet vulg. ut quasdam nominem, Terram Batavorum Turf nomine venientem, terram vitrioli dulcem à quibusdam inter Abſorbentia relatam, item Ochram nec non Cremorem Thermarum Carolinarum, alias ſal acre & tamen non mordax à Bauhino vocitatum, pluresque alias inter vera Antacida referre licebit, quippe quæ omni viſciditate penitus deſtitutæ ne quidem duas vel tres guttulas ſpiritus ſalis involvere ac inviſcare ſub ordinaria doſi ſunt potentes, quin ſtatim guſtantis lingva doloroſe ab acore præſente feriatur pungaturque.

vel Lapidoſa, impropriè antacida. §. VIII. Quod dixi de Terris, idem quoque & de Lapidibus nunc non poſſum non profiteri, copioſiſſima Terrea etiam ex his plane inertia expiſcatus. Lapides enim pretioſi tam minores, quam majores vulgo vocati, Rubinus nempe, Hyacinthus, Saphirus, Smaragdus, Cryſolithus, Cryſtallus, Jaſpis, Carneolus, Nephritis, Amethyſtus &c. ad unum omnes, etiamſi in pollinem ſubtiliſſimum redacti, ne vel unicam tamen veſiculam, aut minimum ſtrepitum affuſo ſpiritu ſal. dederunt, remanente integro ſemper acidi acore. Exceptionem hic quidem facere videri poſſet Cryſtallus cum additamento Mineralis & Montana, cum Lapidis hujus præparati ex Officinis allati ſcrupulum ſemis guttulas XXX. ſpiritus ſalis perfecte edulcoraſſe reticere non poſſim. Verum enim vero probe hic ſciendum venit, Cryſtallum taliusmodi Officinalem præparatam nequaquam ut Lapidem naturalem, ſed potius ut purum putum terreum uſtum in abſorbendo acido operari. Sæpius enim & in diverſam etiam Cryſtallum crudam, & ſine omni alia prægreſſa præparatione ſolummodo pulveriſatam inſtillavi ſpiritum acidum, ne ſemel tamen ſubſecuta minima ebullitione, aut aliquali ſaltem acoris edulcoratione. In Officinis vero ante præparationem ſuam ordinarie & ſemper Lapis hic prius per tempus calcinatur, pro facilitanda nempe inſequente pulveriſatione ac præparatione; & ab hac itaque uſtione demum vim ſuam abſorbentem adipiſcitur Cryſtallus; ſicuti Alabaſtrum, Gypſum, Lapides Ferrarios, aliosque, à natura ſua minime cum acidis efferveſcentes, poſt calcinationem inſtitutam vere acida deſtruere cognovi, & à Lapidibus pretioſis uſtis eundem effectum futurum ſpero. Quapropter uſtam Cryſtallum ſimplici pulveriſatæ longe anteponendam rectiſſime cenſet & Zvvingerus & Königius. Et quo diutius illa calcinatur, fortiorem hoc nunquam non acquirit naturam alcalicam; ut hinc octies ſvaſu Kœnigii ignita, & iterum toties extincta, egregium omnino acidos humores temperans, nec non contra Bilem coagulatam Teſte *Langio Ep. l. c. 4.* adeo evporiſton eſſe poſſit; quanquam non-calcinatæ Cryſtalli pulvis in coagulo bilis per affuſum prius acidum facto, ne minimam quidem alterationem aut edulcorationem aut reſolutionem bilis mihi oſtenderit. Quibus rebus ſic ſtantibus, Lapidem hunc non niſi per accidens fieri ant-acidum, neutiquam vero per ſe & à natura virtute tali præditum pronunciare debemus; quemadmodum Cornu Cervi vel Ebur crudum pro-

propterea non inter Ant-acida referimus, quanquam uſta eadem vere acidum abſorbeant. Poſt pretioſos Lapides idem judicium quoque ferent ex Non-pretioſis & Vulgaribus Lapidoſa multa alia, de quorum tamen vi præcipitante vix quispiam huc usque dubitavit. Loquor nimirum hic omnis generis Oſſa & Cornua Animalium petrefacta, Ebur præprimis & Unicornu Foſſilia, Gloſſopetram, & quas modo brutorum partes petrefactas habere licet; Deinde huc refero Marmor cum ſuis ſpeciebus, Alabaſtro, absque calcinatione præmiſſa ordinarie præparato Gypſo, Porphyrite atque Ophite; Tandem Rubricam Fabrilem ac Fiſtulas Terreas, quibus ſugitur fumus herbæ nicotianæ, tam albas & recentes, quam à diuturno uſu jamjam nigredine inquinatas; ultimoque Lateres coctos & Terram Fornacum ad colorem ruffum uſque uſtam. Omnia enim hæc ſubtiliſſime pulveriſata plane non cum acidis effervеſcere, aut acorem horum edulcorare valuerunt. Ut hinc à veritatis ſcopo multum aberraverit Dioſcorides, bina illa ultima, Lateres ſcilicet coctos & Terram fornacum ejusdem indolis ac Teſtacea, potentiſſima antacida, dijudicans. Sicuti & Alabaſtrum in æſtu & acrimonia præternaturali à Viro quodam Exc. magnifice commendatum, nec non Fiſtulas Tabacinas nigras, plebi adeo egregias antidyſentericas, longe alia ex ratione, quam acidum abſorbendo, uſus ſuos præſtare diſcimus. Sed nondum deſino ficta removere Ant-acida, ex ipſis veris Lapidibus officinalibus nonnullos adhuc incapaces non neſciens. Silices enim, de quorum Alcali *Glauberus in Furn. Phil.* prolixus eſt, etiamſi per tempus calcinati, item Lapis Calaminaris non niſi vi adſtrictoria præditus, tandemque Ætites ac Pumex præparati, plane non acidorum naturam deſtruunt. Quemadmodum nec Lapis Sciſſilis; nam quanquam non poſſim non fateri, Lapidis hujus Sciſſilis mineram ex certa quadam fodina modo extractam, ſub ſcrupulo ſemis ad guttulas uſque XL. Spiritus ſalis manifeſtam continuaſſe effervеſcentiam, nihilominus tamen, cum Lapidem ipſum ad experimenta mea receperim, uti vulgo habetur in Tabulis conciſis, ne ſemel quidem vel minimam ebullitionem aut ſaltem ſtrepitum aut edulcorationem acidi affuſi ab ipſo cernere potui, experimento etſi aliquoties inſtituto, & quoque cum diverſis tabulis, tam quas pro inſcribendis literis habui manuales, quam quibus domus fuerat tecta. Quapropter ultimi hi bini Lapides, ſciſſilis ſcilicet & Pumex in ſtrumarum Cura juxta non paucos ſpecifici, nequaquam acidum removendo in glandulis ſtagnans ad vulgarem opinionem, ſed ſolummodo viſciditates glandularũ incidendo ac reſolvendo ob aſperas & acutas ſuas particulas operari recte creduntur. Quibus his denique & Lapides alii, vitriolicis partibus ex obſervatione autorum turgidi, Magnes nempe, Hæmatites & Pyrites; nec non Lapides Martiales, ex quibus ferrum conficiunt, adjungendi veniunt. Et ultimo multominus Lapides illi bini, ſpecularis nimir. alias glacies Mariæ dictus, atque Lapis Amianthus ſ. Alumen Plumoſum in Abſorbentium claſſe ſtare debent, potius ex ipſorum Lapidum numero non ſine injuria relegandi.

§. IX. Remotis itaque imaginariis & ex Lapidoſa tantum ſubſtantia ſua creditis Edulcorantibus, veri nunc tandem Ant-acidi Lapides recenſeantur ordo jubet: Omnes tamen gradu multum à ſe invicem diſcrepantes. Lapis enim Lazulus ſub ordinaria ſcrupuli ſemis doſi ad guttulas ſaltem usque XII. ſpiritus ſalis effervеſcit, multo relicto pulvere, plane non reſolubili, liquoreque ſuperveniente ſaporis adſtringentis ac vitriolici; ad argumentum, lapidis hujus ſubſtantiam non totam totam eſſe terream & ab acidis deſtructibilem, verum vitriolicis vel venereis partibus ſimul impregnatam; à quibus etiam ſapor adſtringens ſubortus, & vis Lazuli laxans *magis proprie & vere antacida.*

non immerito deducenda venit. Hinc magis abſorbere valent ſeq. puriores Lapides, ſiquidem Fulminaris guttulas XX. & Lap. Spongiæ atque Gypſum Coralloides Boetii æquali gradu guttulas L. deſtruxerunt. A quibus nec minimo gradu differebat Lap. Piſolithus, alias ſtagmatites & ſtalactites germ. der Erbſtein vocatus, & ſparſim ſaltem hinc inde, & in Thermarum Carolinarum Cementerio ex muro ſacri ædificii conquærendus; ex cujus ejusdemque tamen generis Lapidibus magnis & quadratis totum murum XX. ulnarum longitudine exſtructum vidi ante portam oppidi Kœthen, non longe à Lipſia diſtantis, nec differentibus à Thermarum illo, niſi majori impuritate & colore magis ſubfuſco. Multum vero his nominatis antecellunt Tophus Thermarum, ex iisdem Carolinis in officinas noſtras receptus, ac Lapis Oſteocolla vel Oſſifragus, ambo quidem majori jure ſalia concreta quam Lapides nominandi, item Corallia tam alba, quam rubra, utpote æquali gradu guttulas LX, nec non ulterius Lap. Judaicus guttulas LXX. & Lap. Lyncis guttulas LXXX. maxima cum effervefcentia abſorbentes. Et omnium potentiſſimos obſervavi, de quorum vi ant-acida altum huc-usque manſit ſilentium, nec quidem in officinis uſualium. Pro primo enim Lapides Calcarii, priusquam uſtione diuturna in Calcem vivam convertuntur, copioſius acidum deſtruunt. Ille quidem, ex quo in pago Segenberg Hamburgenſes calcem vivam parari curant, plane non cum acidis ebullit, Gypſo maximam partem ſimilis; reliqui tamen omnes, tam Halæ Magdeb., quam aliis in locis collecti maxime acidis fuerunt inimici, ita, ut alius guttulas XC. alius guttulas LXXX., & iterum alius adeo durisſimus, ut etiam in furnis calcinat. maximo cum clangore in partes minutiſſimas diſſiliens minime ad conſtituendam calcem vivam aptus ſit, præ reliquis copioſiſſimas guttulas, ſcil. C. & XXX. penitus edulcoravit. Qui Lapides cum vi ſua Ant-acida omnes officinales non parum ſuperent, viliorique pretio extent redimendi, quidni eosdem majori cum commodo in praxi noſtra illis officinalibus ſubſtituere videmus. Ad latus his immediate nunc pono ex ipſis præſentibus Lapidibus præparatam Calcem vivam. Novi quidem non paucos inter Salia Fixa Alcalia hanc referre; verum certo nil niſi Lapis uſtus illa eſt, quales forte obſervamus Gypſum, Alabaſtrum, aliosque Lapides Calcinatos. Quanquam enim non ad partes ſtare poſſim illorum, qui cum *Le Mery Curſ. Chym. pag. 318.* nullo nec diligentiſſimo labore ſal aliquod Fixum in forma ſua ex Calce viva extrahi poſſe credunt; ſiquidem ſimplicisſimâ & primâ ſtatim operatione inſtitutâ, elutritione ſcilicet cum aqua ſ. ac inſequente filtratione, Cremorem tenuiſſimum & album ſalinum coronare lixivium deprehendi, cum acidis manifeſte effervefcentem: Nihilominus tamen neque propterea inter Salia Fixa illam referre, Saliumve in claſſem alcalium, uti non pauci jubent, translocare eandem licet. Nam quoad primum minimum tantum ex calce viva acquiritur ſal tale fixum, & adeo exiguum, ut vix attendi mereatur. Deinde 2. & ex reliquis quoque calcinatis omnis generis, & animal. partibus v. g. ex Cornu Cervi uſto, ſal tale tenue fixum extraxerunt Chymici nonnulli, atque ex Conchis calcinatis ac ſpecificis illis antifebrilibus copioſius adhuc elui poſſe, non ſine experientiâ loquor: quis vero ea propter Terrea hæc inter Salia alcalia numerare unquam voluit? Tandem 3. nec effectus, quos in operationibus Chymicis quibusdam dare ſolet Calx viva, à Sale Fixo ipſius deriventur neceſſe eſt, quippe omnes illos partim ex conſtitutione ſuâ naturali terreâ & lapidoſa ant-acidâ & præcipitante, partim ob particulas ſuas maxime acres & igneas potentisſime incidentes, ac reſolventes corpora admixta,

mixta, commodiſſime præſtare illa valet. Denique 4. & ultimo ipſa Calcis vivæ facies externa terrea & lapidoſa, nequaquam vero Salina jubet, ut ipſam minime inter Salia, ſed rectius inter Lapides referamus, horumque in Claſſe pertractemus. Gradum itaque quod attinet virtutis ant-acidæ in Calce viv. hic maxime diverſus obſervatur, prout ſc. illa vel recens vel in aëre humidiori diu expoſita recipitur; fortiſſima tamen nunquam non parciùs & minorem acidi quantitatem abſorbſit ipſis illis crudis ſuis lapidibus. Alia enim Calx viva ſub noſtrâ doſi ad guttulas tantum XX, alia ad XXX; alia ad L, & ex furno modo extracta ad guttulas LXX. usque Spiritus Sal. effervescentiam ſuam continuavit. Poſt miſſam hanc calcem ad Lapides naturales nunc iterum me confero, adhuc alios tres neque officinales in publicum deducturus. Aqua nimir. ſic dicta petrefacta Germ. der Tropf-Stein / dum ſcil. aqua quædam, ſ. ſuccus lapidificus de monte deſtillans in Lapidem candidum concreſcit, ex ſpecu Baumanniana apud urbem Mansfeldam colligenda, non citius ſub Scrupuli Sem. doſi perfecte ſaturari poteſt, quam guttulis C. de ſpiritu Salis ſibi inſtillatis. Hac nec inferiores nec potentiores obſervavi Lapillos illos colore albo & ſplendeſc. figuraque ut plurimum quadrangulari, inter grana Thuris unice reperiundos, proque Ludo Helmontii ab ingenioſis quibusdam habitos, qui tamen vero inter abſorbendum notabiles quasdam oſtendebant qualitates; non tantum quippe adeo potentiſſime, ſed quoque ob puritatem ſuam ſummam citiſſime ac facillime, prætereaque nec cum turgeſcente ſpumeſcentia, ut reliqui impuriores Lapides, ſed velociſſimo ſaltem, & celerrimo cum ſtrepitu inſtar Salium Alcalium, acidum abſorbebant, inque fortisſimum Sal ſalſum convertebant. Ut inde autor Helmontius oleum ſuum ludi non ſine ratione admodum Polychreſtum dixiſſe videatur. Aſt cum exiguiſſimo tantum numero Ludum illum colligere habeamus, defectum hunc ut reſtituat benigna Natura, alios Lapillos in majori copia in Thuringia, & ſpeciatim in finibus urbis Langenſalzæ ſigno rotularum nobis inſignivit, ob figuram hanc ſuam ideo Trochides die Räder-Steine nomine venientes; qui ſicuti eadem cum facilitate, & celeritate, ita ſane & copioſiores adhuc guttulas, ſcil. C. & XX, penitus edulcorare valent; omnium hinc lapidum fortiſſimi non immerito nuncupandi. Facultates quod attinet ſaturatis his Lapidoſis enatas, ſemper quidem præſens exoritur Sal ſalſum, & eo potentius, quo fortiores fuerunt lapides, copioſiori & potentiori acido tunc affuſo & inverſo, nihilominus tamen in quorundam liquoribus ſaturatis ſingularia quædam inſuper annotanda extant. Nam Calx viva Liquorem ſaturatum ſemper relinquit acerrimum, & maxime cauſticum, ob igneas ſuas in calcinatione acquiſitas partes; adeo ut propterea nunquam interne, ſed externe ſaltem à Practicis judicioſis adhiberi poſſit; ubi vero longe potentius incidit, reſolvit ac attenuat, quam quidem omnes reliqui Lapides. Sic in Aquæ iſtius petrefactæ liquore ſuperſtite cernitur non tantum manifeſte ſalſus, verum præterea quoque paululum adſtringens, & maxime nauſeoſus ſapor, ob peſſimum hoc phænomenon neque niſi in externum uſum vocandæ. Nec tandem Lapidis Lazuli liquor ſaturatus Vitriolicum & Adſtringentem ſaporem nobis denegat, quo ſingulares etiam vires in ſtimulanda alvo exercere ſolet. Reliqui autem omnes Lapides nullas alias apertas manifeſtare valent qualitates, præter vim ant-acidam & Sal enatum ſalſum; cum Marinis antec. igitur & Teſtaceis non-calcinatis uti ſubſtantia, ita & viribus exacte convenientes. Terrea nempe iſtorum Lapidum ſubſtantia acidum p. n. ab-

ſorbet, & Sal ſalſum exortum fortiſſimum cruditates primarum viarum acido conjunctas feliciſſime incidit ac attenuat, ſerum glandularum ſtagnans in Strumis ac Scrofulis, Tumoribus pedum Oedemat. &c. potenter reſolvit, nec non vaſa urinaria & ſpermat. vehementer ſtimulat, ideoque in Affectibus renum & veſicæ, Morbisve Hydropicis ac Venereis, & ubi nimiæ ſeroſitates & acrimonia cum urina commode evacuari poſſunt, optima ſemper conſtituunt euporiſta. Sed poſtquam in recenſendis Scriptorum teſtimoniis non nimis prolixiores eſſe conſtituimus, ad tertium nunc Terreorum genus ex Regno minerali proveniens, ad Metalla ſc. horumque affinia progrediemur.

vel Metallica. §. X. Pretioſiſſima omnium Metallorum, & nobiliſſima ſunt Aurum & argentum; & hæc fortiſſima quidem acida, Aquam Reg. & aquam Fort. quodammodo hebetare ſolent, dum hæc illa arrodunt, ſolvuntque: verum cum nulla perfecta ſubſequatur edulcoratio, & mitiora inſuper acida in adeo durisſima concreta plane non agere, hincque nec ſe deſtruere valeant, prætereaque pretium horum terreorum admodum inſigne ægri utplurimum abhorreant, Metalla illa pro ſcopo ant-acido non multis laudibus commendare debeo, quanquam ex aliis uſibus excellentioribus maxime extollenda. Sic Jovialia, ut Stannum raſpatum ac uſtum, Bez. Jovial. Antim. Diaphor. Joviale, Antih. Poteri, omniave alia Jovis præparata atque magis compacta & ſolida cernuntur, quam ut acidos ſpiritus ſal. aculeos in ſe abſorbere apta ſint. Porro quoad Venerem, in ære uſto cum Sale cæmentato quidem nec naturam alcalicam per affuſum acidum, nec vim aliqualem acidam per inſtillatum ſpiritum ſalis ammoniaci alcalic. cognoſcere potui; reliqua nihilominus veneris præparata, vitriolum ſcilicet venereum, Æs vir., hujusque Cryſtalli, & ſic porro, rectius ad acidorum, quam Alcalicorum claſſem veniunt releganda, utpote omnia potentibus acidis exſtructa, ulterius Antimonialia, ſplendidiſſima illa ac famoſisſima medicamenta, neque acidum deſtruendo, ſed unice reſolvendo, incidendo, humores excitando, ſudoremve movendo, operari valent. In Actis quidem Haffnienſ. V. 2. p. 188. Antimonium crudum vocitatur Alcalicum; hæc vulgaris etiam Chymicorum plurimorum præeunte *Tachenio Hipp. Chym. p. 186.* eſt opinio, particulas antimonii crudi acidas ignis flamma in calcinatione depelli, ut in præparatione Antimonii Diaphoretici verum exin exſurgat corpus alcalicum: Aſt ſive antimonium crudum, ſive antimonium Diaphoreticum ſimplex aut compoſitum, ſive etiam molliorem illum ex Nitro antimoniato præcipitatum pulverem, Ceruſſæ antimonii nomine venientem, alias quoque pro materia Perlata Crügneri à quibusdam non ſatis accuratè habitum, ſive Regulos Antimonii, ſive quæcunque alia hujus Præparata aſſumas, nunquam tamen vel minimum ſtrepitum, aut efferveſcentiam, aut edulcorationem aliqualem acidi affuſi experieris. Quare poſthæc multo minus Recrementa Metallorum, ut vocantur, in depuratione ipſorum ſeparata, ut ſunt, Cadmia, Plumbago, Tutia ſ. Pompholyx, Spodium &c. in ant-acidorum claſſem erunt recipienda, ſiquidem ne alios quidem uſus in Medicina notabiles ſuppeditantia. De reſtantibus vero tribus famigeratiſſimis Metallis, Mercurio ſcil. Saturno atque Marte quid cenſendum ſit, nunc quoque dicemus in ſeq. §is.

§. II.

Mercurialia ſint Ant-acida? §. XI. Mercurialia enim quod ſpectat, hæc & præſertim Mercurium vivum Chymicus ille egregius Gallicus Le Mery in Curſ. Chym. *p. 203-215.* plurimique Modernorum inter potentiſſima ant-acida referunt, & adeo quidem pompoſis titulis, ut καθ' ἐξοχὴν alcali Metallorum non raro vivum illum vocitent, duobus tamen primariis innixi argumentis ſequentibus: quoniam nimirum mediante argento vivo 1. Mercurius ſublim. corroſivorum ac acidorum omnium peſſimus perfecte & totaliter edulcorari, & 2. Morbi Gallici, omnes acido potentiſſimo infecti, feliciſſime curari poſſunt. Verum enim vero rationes hæ nequaquam tanti ſunt ponderis, ut exin concludere poſſimus, Mercurialia, & Mercurium vivum acida in corpore noſtro abſorbere poſſe. Nam quoad primum argumentum, verum omnino eſt, Mercurium ſublimat. mediante admixto Mercurio vivo, atque inſtituta ſublimatione in Dulcem converti, & adeo quidem dulcem, ut partim ne minimam quidem vim acidam amplius in illo nec penetrantisſimis volatilibus Alcalibus unquam cognoſcere valeamus, partim etiam, ut idem dulcis, frequentiori repetita ſublimatione, tandem omnem plane acrimoniam vellicantem, nec non omnem vim ſuam catharticam penitus deponat; qualem decies ſublimatum & plane inertem demonſtravit in Collegio ſuo *Excellent. Dn. D. Deckers Lugd. Bat. Profeſſ. Celeber.* Aſt, quod probe notandum, Edulcoratio talis Mercurii ſublim. à Mercurio vivo nequaquam fieri poteſt, niſi mediante ſublimatione, & ſuppoſito igne fortiſſimo; quippe tunc vi & impetu ignis hujus maximo inter ſublimandum particulæ Mercurii ſublim. in Mercurii vivi partes introducuntur, ut poſtmodum illæ ab his penitus involutæ & inveſtitæ non amplius agere, & vim ſuam acidam corroſivam exercere maneant capaces. Etiamſi enim argentum vivum cum Mercurio ſublimat. mixtum absque ſuppoſito igne per multa tempora reponamus, nunquam tamen Mercurium ſublimat. dulcificari, ſed ſemper ipſum eodem gradu acidum permanere deprehendimus. Cum itaque talismodi fortis ignis in corpore noſtro minime ſupponi & fingi debeat, qui acidum morboſum in nobis adeo fortiter & tanta vi in partes Mercurii aſſumti vel inuncti imprimere & detrudere poſſet, uti quidem in ſublimatione illa contingit, clariſſime exin apparet, quam inepte Mercurialia acidum in corpore noſtro abſorbere ab experimento illo argumentemur. Sic 2. quanquam Morbi gallici acidi per Mercurialia feliciſſime curentur, neq; tamen propterea ſtatim firmiter concludere licet, illa ipſa ob vim abſorbentem acida effectum hunc dediſſe, ideoque & alcalica & Ant-acida vocari debere. Nam non ſolis Alcalicis, verum quoque multis aliis Remediis, ne dicam, etiam longe facilius, Lues Venerea ſe eradicari patitur; alii quippe Practici mere Diaphoretica, alii mere Diuretica, alii mera Purgantia ægris illis propinant, Indique non niſi Decocta Lignorum, præſertim Guajaci in uſu ſolenni habent, & his ſolis morbum hunc totaliter, & interdum ſatis cito tollunt, cum tamen neutrum horum omnium Medicamentum acida ipſa vere deſtruat. Quemadmodum igitur ex adductis his clariſſime intelleximus, plane nulla argumenta adeſſe adeo firma, quibus Mercurialium vim alcalicam rite comprobare poſſimus: ita quoque nunc alia Experimenta & rationes pro contraria ſententia defendenda adducere non intermittam, & adeo prægnantisſimas, ut quilibet ſtatim judicare debeat, plane impoſſibile eſſe, Mercurialia vim aliquam antacidam in ſe continere, aut propter hanc effectus ſuos præſtare. Pro primo enim cum acidis ac ſpiritu ſalis permiſcui omnis generis Mercurialia, & Mercurios Præcipitatos, album, flavum, rubrum ſolo Menſtruo

ſtruo præcipitante differentes, Mercurium Corallinum Paracelſi, Turpetum Minerale, Mercurium vitæ &c. imo & ipſum Mercurium vivum; & ne ſemel quidem vel leviſſimum modo ſtrepitum, multo minus effervescentiam, nec edulcorationem acidi affuſi aliqualem, etiam poſt longa repoſitionis tempora, fui expertus: etiamſi vivus ille Mercurius admixto acido in globulos minores diſſolvi & abire ſoleat, nam & viſcida & oleoſa quæcunque, & Aqua ſ. imo & ipſa Alcalia, primario volatilia, eundem Mercurium in longe adhuc ſubtiliores & viſum ferme penitus ſubterfugientes partes & globulos facillime diſtrahere valent, teſtibus meis experimentis. Deinde 2. doſis Mercurialium nimis exigua, quæ pro excitanda Salivatione, & removenda Lue venerea ægris externe ordinarie inungitur, vel interne propinatur, maxime & omnibus modis impedit, quo minus credere poſſimus, Mercurium ob vim ſuam alcalicam acida hujus morbi removere, morbumque curare. Omnium ſiquidem conſenſu in his affectibus acidum latet potentiſſimum, maximeque cauſticum, nec non per totum corpus diſſeminatum; ſi itaque Mercurius ob vim ſuam alcalicam ac ant-acidam omnem hanc acrimoniam removeret & deſtrueret, quantus quæſo non in ipſo ſupponi deberet gradus virtutis ſuæ alcalicæ, (plane certè incredibilis) ut ille in tam exigua doſi adeo copioſiſſimum & potentiſſimum acidum penitus annihilare & removere poſſit, idque brevi ſatis temporis ſpatio. Et quid multis? 3. ipſi oculi noſtri apertiſſime cernere valent, Mercurialia nequaquam acidum abſorbere & edulcorare in Morbis Venereis. Partim etenim ipſa acrimonia acida plane incorrupta & indeſtructa, quanquam aſſumtis Mercurialibus, continuo manet, clariſſime ſe manifeſtans per Eroſiones atque Tumores gingivarum, Faucium, omniumque reliquarum Oris partium, durante ſalivatione ſupervenientes: partim etiam ipſe Mercurius vivus in corpore ægri ſuam ſemper naturalem texturam & ſtatum retinet, & tam in ipſa Salivatione effluit, quam quoque ea finita per aſſumta Medicamenta Diaphoretica iterum expellitur ſub ſua naturali forma, qua fuit inunctus, cum tamen ſi congreſſum cum acido venereo feciſſet ille, penitus ſane mutatus, ac in aliud corpus converſus eſſe deberet, ſicuti id ſufficienter cernimus in Mercurio Dulci. Meum igitur, quem credo, Mercurialium operandi modum, ſi explanare liceat, Mercurialia in morbis Venereis non niſi incidendo, reſolvendô, attenuando ac evacuando cruditates & viſciditates acidas unice agere ſtatuo. In taliusmodi ſiquidem ægris acrimonia cauſtica ſine controverſia omnino quidem latet, non tamen pura & reſoluta, ſed in tenaciſſimo & copioſiſſimo viſcido glutinoſo obtecta & involuta: ideoque cum inunctum vel aſſumtum argentum à viſciditatibus his humorum in corpore ægri in minutiſſimos globulos convertatur, (uti admixtis oleis & viſcidis Mercurium vivum in eosdem globulos tenuiſſimos ſtatim abire, paulo ante in Experimentis comprobavi,) globuli hi tunc ob rotunditatem perpetuamque ſuam mobilitatem facillime penetrant in tenaciſſimam corporis pituitam & viſciditates, hasque perfodiunt, incidunt, reſolvunt, ac ita attenuant, usque tandem eædem fluidiores factæ ſimul cum acrimonia ſubtus latitante per ductus ſalivales oris effluant, aut per inferius guttur ejiciantur. Ut ſic tandem concludendum, Mercurialia omnino quidem in Affectibus acidis maximum præſtare uſum, dum cruditates acido adjunctas reſolvunt & evacuant, non tamen propterea Alcalia aut Ant-acida dicenda eſſe eadem; utpote acidum ipſum minime abſorbentia & deſtruentia;

alias

alias enim & omnis generis Salivatoria & Sputatoria & alio modo Evacuantia Remedia æque inter abſorbentia referri deberent. Quale judicium exacte conforme quoque ferre debent Mercurialibus proxime affinia Cinnabarina, Cinnabaris ſcilicet Nativa, Factitia ac Antimonii; tanquam ex puro Mercurio vivo cum admixto Sulphure, neutro Ant-acido, compoſita, neç ullo modo acidum edulcorantia.

ida, ina, §. XII. Sed reliqua bina Metalla, Saturnus & Mars, vera eaque ſatis potentia obſervantur Ant-acida. Ex Saturninis enim, quanquam non Calces Saturni ejusque Magiſterium aliave, acido non amplius eſſe poſſint contraria; Plumbum tamen crudum, uſtum, ac Ceruſſam vere & fortiter edulcorare cernimus. In Plumbum ſiquidem crudum quam feliciter operentur acida, illudque arrodant, obſervatio illa in M. N. C. an. VI., ubi Lamellæ Plumbeæ mammis cancroſis impoſitæ in medio tandem in Pulverem album fuerunt eroſæ, eleganter demonſtrat. Sed quo clarior adhuc vis Saturni ant-acida reddatur, Plumbum uſtum cum Spiritu Salis, etiamſi non effervescentiam tantam, ut antecedentia terrea, ſtrepitum nihilominus (præſertim in vitro anguſto, ubi motus omnis concentratur, inſtituto Experimento,) diſtincte & clariſſime perceptibilem certo excitaſſe, ſubque ſcrupulo ſemis guttulas Spiritus noſtri acidi XL. ſucceſſive in dulcedinem plusquam ſaccharinam convertiſſe teſtor. Et Ceruſſa alb. vulg., utpote mollitie ſua uſtum Saturnum longe ſuperans, copioſiores adhuc quoque guttulas, ſcilicet L. & citius etiam, imo & manifeſtiſſima cum effervescentia penitus abſorpſit. Deſtructo poſtmodum ab his acido, partim ſal ſalſum æque enaſci neceſſe eſt ex acido inverſo, exiguiſſimum quanquam ſaltem in ſubſtantia tale acquiratur filtrato ac exſiccato liquore horum ſaturato, à viſcidis nempe Ceruſſæ molleculis in tantum obtectum atque involutum; partim quoque triplex obſervatur ſapor, dulcis nimirum, parum adſtringens & nauſeoſus. Ex quo ultimo peſſimo phænomeno excuſari certe non parum debent Majores noſtri, Saturnina venenatorum claſſi inſerentes. Interne enim in affectibus acidis nunquam commode dari conveniunt, ob intolerabilem ſuam ſupervenientem nauſeam, fortiſſimamque vim adſtrictoriam, ante totalem Saturni ſaturationem ordinarie præſentem; cujus teſtis erit ſaccharum Saturni. Externus tamen nihilominus ipſorum uſus ſatis ſufficienterque ſe nobilitavit, poſtquam non tantum Plumbum uſtum Exc. *Kœnigius Regn. Min. atque Fernelius Oper. Med. pag. 450.* aliive efficaciſſimum nunquam non deprehenderunt ad atrox malignorum ulcerum mortificandum acidum, verum etiam Ceruſſam in Emplaſtrum ſuum nigrum Helmontius, & Meibomius in Polychreſtum ſive Mirabile, ut vocat, in Arthritide ungventum, receperunt feliciſſimo ſemper cum effectu. Saturnina namque hæc uti acidum in ulceribus potentiſſime abſorbent, ſic etiam ob enatum ſal ſalſum viſciditates adjunctas, à quibus cura utplurimum redditur maxime difficilis, non parum reſolvunt, inſuperque ex naturali ſua virtute refrigerante æſtum & inflammationem, tanquam peſſimum, & ferme nunquam deficiens ſymptoma ex voto ſedant, tandemque ob naturam ſuam adſtrictoriam novum affluxum humorum pravorum ſimul compeſcunt atque impediunt.

§. XIII. Alterum tandem nunc etiam ſequitur Metallum vere Ant-acidum, Mars nempè cum ſuis Præparatis. Non pauci forte mirabuntur, quod Martialia in Terreorum Capite pertractare non erubeſcam, firmiter ſibi perſvaſi, Martialia ſingulari quâdam naturâ conſtituta, planè aliâ quoque ratione & modo, quam reliqua Terrea, acidum deſtruere. Verum, *Martialia.*

quem-

quemadmodum ex Terreis antec. Animal. nonnulla præter naturam terream alias ſimul connatas habebant particulas, gelatinoſas ſc. ac volatiles, & hæ tamen non niſi ſecundarias & accidentales facultates in corpore noſtro deponebant, ſolâ ipſorum terreâ parte cum acidis congrediente: ita quoque Ferrum ob ſolam ſuam terream ſubſtantiam unicè acores edulcorat, & admixtæ ipſi particulæ vitriolicæ ſecundarias ſaltem vires exercere valent. Si enim Martiales particulæ juxta vulgarem opinionem eſſent, ob quas ferrum acida abſorberet, Tincturæ certè Martiales, Eſſent., Decocta, aliæque Extractiones Martis omnium fortiſſime & magis etiam ipſa Limatura ferri acidum edulcorarent, utpote ex puris, ſolitariis, & copioſiſſimis particulis martialibus conſtantes; cum tamen hæ omnes plane ne minime quidem acidorum aculeos invertere ac deſtruere poſſint, prout id ſufficientiſſimis Rationibus & Experimentis paulo poſt, ubi de Liquidis Martis Præparatis clarius demonſtrabitur. Et præterea, conſideremus modo, quales ſint illæ particulæ, quæ terreæ ſubſtantiæ Martis admixtæ, martiales dicuntur, & clariſſime ſane ſtatim apparebit, plane impoſſibile eſſe, ob has ferrum acido contrariari poſſe. Sunt quippe illæ non niſi puræ vitriolicæ ac acidæ, quæ in parcâ copiâ cum copioſiori terrâ certo modo combinatæ acorem ſuum vitriolicum non adeo manifeſtant, ſicuti quidem cum puræ illæ extant, ſed corpus efficiunt inter Terram & Vitriolum intermedium, h. e. Martem. Vitriolicas vero taliusmodi partes ferro revera ineſſe, hasque cum terra conſtituere Martem, Obſervationes & Experimenta chymicorum quorundam expertiſſimorum, *Exc. nim. Bohnii Diſſ. Chym. p. 129. Stiſſeri l. c.* aliorumque abundanter comprobant, ſiquidem Decoctis ex Ferro cum aqua ſ. paratis, inſpiſſatis atque ad cryſtalliſandum repoſitis perfectiſſimos ſtatim acquiſiverunt cryſtallos Vitriolicas, remanente puro terreo corpore. Admodum itaque ineptum eſſet ſtatuere, vitriolicas has martiales ferri acidas partes abſorbere acidum, potius ſola reliqua terrea martis pars eſt, ob quam ferrum acores deſtruit. Ideoque & plane eôdem modô Martialia hæc, ac quidem cætera terrea acidum edulcorare videmus; Acidorum nempe cuſpides in poroſam Martis texturam penetrantes, hanc arrodendo ſe obtundunt & edulcorant, moxque cum efferveſcentia, moxque tantum cum ſtrepitu aſſurgente. Et ſi, quod res eſt, accuratius dicere liceat, Ferrum certe nequaquam aliter conſiderari poteſt, ac quidem Calcinatum aliquod Terreum. A natura enim Mineræ & Lapides Martiales etiam puriſſimi & copioſiſſimo Marte turgidi, quales ex Fodinis Salefeldianis collegi, minime cum acidis congrediuntur aut ſtrepitum concitant, nimis ſc. compacti & duri; ſed tum demum fortiſſima uſtione & mediantibus carbonibus, pro augenda calcinatione admixtis, in corpus magis poroſum & vacuum, in ferrum, converſi & calcinati, acida potenter deſtruere valent; ſicuti alia Lapidoſa, ut Cryſtallus, Gypſum, Alabaſtrum neque à natura ſtatim, ſed demum poſt calcinationem ſuſceptam abſorbendo acido apta exiſtunt. Poſtquam autem *Exp. Stahlius Hall. O. Chym. Cur. Menſ. Jan. An. 1698. c. 1. p. 361. ſeqq.* haud inerudite probare conatur, ferrum omnem ſuam naturam, ſplendidam nempe externam faciem, coagmentationem denſam, ſonoram, flexibilem, tenacem, malleabilem, metalliformem &c. unice habere ex carbonibus, in Præparatione Ferri Lapidibus martialibus in magna copia ordinarie admixtis; admonendi ſunt eapropter Lectores, ne forte exin inferant, vim ant-acidam quoque Martis carbonibus illis, vel potius Cinerum iſtorum Salibus Alcalibus eſſe attribuendam. Nam Lapides Martial. illi crudi modo in crucibulo absque omnibus carbonibus commixtis per tempus calcinati, manifeſtam ſtatim aſſumſerunt naturam Ant-acidam, cum acidis ſtrepitum ſatis fortem manifeſtantes.

§. XIV. Explicatis ſic Martis Natura

…us vi- …anta- …um in …ialibus. ra atque Operandi modo, ipſam nunc vim abſorbentem ejusque gradum in ſingulis Martis Præparatis ſumus examinaturi; Ferrum quidem crudum revera, non tamen omnia ejus Præparata acidis contraria experti. Excluduntur nempe ex Ant-acidorum Claſſe 1 nimis diuturnam calcinationem perpeſſa. Quemadmodum quippe ab uſtione omnem ſuam vim alcalicam unice habet Mars, ita quoque nimis diu & fortiſſimo igne poſthac amplius idem contortus, totalem iterum naturam ſuam edulcorantem deponit. Id vero clariſſime apparet partim in Battitura Ferri, ex vehementi ignitione ſub manu Fabrorum ferrariorum in nimis duram & quaſi vitream ſubſtantiam converſa, partim in Croco ſola diuturna calcinatione absque ullo alio addito corpore vel menſtruo ex Limatura Mart. juſſu Practici cujusdam in officina Hamburgenſi præparato; ſiquidem utraque & Battitura & Crocus hic, in terram penitus inertem converſus, ne leviſſimum ſtrepitum cum ſpiritu ſal. nec edulcorationem minimam acoris inſtillati concedere valuerunt. Quemadmodum partim tandem quoque ipſe chalybs teſtimonium ſuum affert, qui poſt novam in præparatione ſua aſſumtam calcinationem non omni quidem nec plurima vi abſorbente exutus, longe tamen durior magisve acido reſiſtibilis cernitur, & ita, ut nec tam cito, nec tam facile, nec adeo manifeſto cum ſtrepitu, ut ſimplex ferrum acida affuſa deſtruere ſoleat; prout & quotidie obſervamus, chalybem non adeo cito quam ferrum ab aëre boreali acido circumſtante arrodi & in rubiginem transmutari. Quibus experimentis innixus chalybem omnino minus aptum ad abſorbenda acida ipſo molliori ferro non poſſum non judicare cum *Exc. Kœnigio*, Vatero aliisque, contra *Schrœderum Pharm. c. 2.* ejusdemque aſſeclas. Sed ulterius pergendum & demonſtrandum eſt, ex Ant-acidorum numero, majori adhuc jure excludi debere 2. illa martis Præparata, quæ mediantibus acidis conficiuntur; ab acidis quippe menſtruis hæc jamjam penitus ſaturata, novam in corpore noſtro acorem abſorbere minime valent. Hincque ad unum omnes Croci Mart. Adſtringentium nomine in officinis extantes, plane ſunt inertes. Et ut majoris declarationis gratia unicum modo adducam exemplum, inſtillavi in Croci Mart. Adſtr. cum Sale Marin. parati ſcrupulum ſemis tres ſaltem guttulas de ſpiritu ſal., aſt acore omni continuo remanente manifeſto. Præter Adſtr. hos & ex Aperientibus dictis non deſunt omni virtute ant-acidâ deſtituti, Crocos intellige ſolubiles nuncupatos. Quando enim v. g. *Williſius* Martem cum Tartaro coquit, colaturamque ad ſiccitatem inſpiſſat, & *Vaterus l. c.* de lamellis ferreis ſpiritu ſulph. per tempus antea maceratis pulverem abradit, nil ſane niſi particulas vitriolicas ad Crocos ſuos ſibi colligunt Autores; ob ſalinam hanc ipſorum ſubſtantiam omnino hinc in quovis liquore facile ſolubiles; qui vero nequaquam acidum deſtruere poſſunt, ipſi acidi, ſed potius puræ putæ acidulæ cum Kœnigio rectiſſime nominandi. Ulterius porro nec Stiſſeri Crocus ex Marte cum aqua nivali corroſus, etiamſi omnibus aliis tanquam inutilibus rejectis, excellentiſſimum abſorbentem exſtruere voluerit Autor l. c. vel unicam tantum ſpiritus ſalis guttulam edulcoravit, aut aliud abſorptionis ſignum edit. Aqua ſiquidem nival. copioſis & potentibus particulis acidis, cauſticisque turgida Martem penitus jamjam ſaturavit; id quod præſertim ex colore ipſius Croci admodum croceo & flaveſcente non inepte etiam prævidere licet, cum & Rubigo & Limatura Mart. per ſpiritum ſal. totaliter deſtructa, eundem colorem in experimentis oſtenderit. Adeo cauſticas autem particulas aquam illam nival. certo in ſe retinere, ipſe Stiſſerus ſufficienter comprobare allaborat ex his, quod nimirum Aqua hæc nominata in ædificiorum cœmenta potentiſſime agat, nec non præterea corium pingvedine munitum, à ſalium corroſivorum plurimorum injuria alias liberum, in calceamentis nihilominus per nivem Ambulantium adeo fortiter arrodat brevi-

brevique dilaceret, tandemque quod & loco menſtrui cauſtici in diverſorum concretorum reſolutionibus eadem aqua ipſe autor fuerit uſus. Sed reliquæ aquæ, quanquam omnes aliqualibus partibus acidis æque imprægnatæ obſervatæ ſint à *Le Mery l.c.* inque aqua nival. & pluvial. ſalem pungentem cum ſulphure flammante & Mercurio fumante invenerit Borrichius Herm. Ægypt. & Chem. Sap. Vind. c. VII, cunctæ tamen illæ nivali vere ſunt mitiores, ita, ut pluvialis v. g. cenſenda ſit ſecunda, & hac adhuc debilior roralis, communisve omnium ſimpliciſſima deprehendatur; ex quibus quo ſimplicior pro conficiendis Crocis aſſumitur, hoc major ſemper vis ant-acida ipſos Crocos inde exſtructos manere poteſt & revera quoque manet. Teſte Croco Martis cum Aq. comm. juxta Etmüller. in aere liber. confecto, vere ſpiritum meum ſcil. edulcorante; etſi minorem tantum hujus acidi portionem, mitiorique paululum cum ſtrepitu, quam quidem ipſa ferri Limatura ſolet.

§. XV. Poſt hos, falſo ant-acidos huc usque creditos, recenſebo nunc quoque vere acida Abſorbentes; & ab omnibus ferme hactenus pro inutiliſſimis & totaliter jamjam ſaturatis habitos, Crocum ſc. cum Nitro & cum Sulphure paratum. Prior enim cum Nitro Zvvelferi ex Mantiſſ. *Spag p. 337.* à Vatero quidem magis adſtrictivus quam aperitivus ſ. abſorbens judicatus, & iners etiam plane ac ſolitaria terra à *Stiſſero l.c.* dictus, vim tamen ſuam alcalicam ſufficienter certe manifeſtavit, ſub ſcrupulo ſemis non tantum cum ſtrepitu, ſed aperta ſatis cum effervescentia ſpiritus ſalis guttulas XXV. perfecte deſtruens. Sic Crocos omnes ſulphuratos modo allegatus *Vaterus atque Glauberus Furn. Phil. part. 2.* aliique non minus inertes & ſaturatos deprædicant, & poſterior præſertim autor in ea eſt opinione, Martem à ſulphure fieri magis duriorem ac inſolubiliorem; Veritate ſane & experientia plane contrariante & rectius teſtante, Crocum ſulph. Ludov. ſub ordinariâ doſi ſpiritus ſal. guttulas copioſiſſimas ſcil. LXXX. penitus abſorpſiſſe, & etiam non tantum cum ſtrepitu, ut inſequens Limatura, ſed vehementiſſima cum ebullitione; clariſſimo certe argumento, Martem à ſulphure magis potius ſolubilem & molliorem eſſe factum, rectiſſimeque hinc Ludovicum de Croco ſuo affirmaſſe, quod hic longe tractabilior, h. e. ab acidis citius ſolubilior ſit ipſa Limaturâ, modo non fœtorem ſemper fortiſſimum ſulphureum abſorbitionis tempore idem de ſe ſpiret, qui fœtor poſt aſſumtionem Croci hujus per ructus ſequentes ſine dubio ingratiſſimam ægris in faucibus excitabit nauſeam. His crocis ad latus reſpectu virtutis ant-acidæ non ſine ratione poni poſſunt alterius generis Croci, cum ſalibus ſcil. ſalſis v. g. Sale Ammon. Arcano Tart., urina &c. ad imitationem *Junkenii, Kœnigii, Le Mery*, aliorumve confecti; ſiquidem ex menſtruis his nullus plane acor Martem acceſſit, compage nihilominus ipſius ferri molliori, poroſiori, ac abſorbendis acidis magis apta reddita. Omnium tandem optimos Crocos dicere debemus, mediantibus ſalibus Alcalibus vel fixis vel volatilibus; v. g. Ciner. clav. autore Vatero elaboratos, tanquam non tantum non-acido ſaturatos, verum potius augmentationem aliqualem virtutis alcalicæ certo adeptos. Excepto tamen ſæpius nominati Stiſſeri Croco, quem in Lab. Chym. cum ſpiritu ſal. Ammon. Alcal. conficiendum exponit, cum acidis nequaquam effervescente, nec acorem horum tantillum edulcorante. Non enim Martem ant-acidum, ſed vitriolum Mart. acidum in præparatione iſtius aſſumit Autor; hincque ſpiritus ille alcal. ab acido hoc penitus deſtruitur, & à vitriolo ipſo neque vel minima vis abſorbens Croco illi venire poteſt. Ut eapropter omnes Croci ejusdem uſus, in Malo hypoch. aliisve viſcerum omnium obſtructionibus quotidiana praxi ſane excellentiſſimos, unice derivare liceat partim à ſalibus ſalſis, deſtructo alcali volatili illo enatis, partim à vitriolicis ſuis particulis edulcoratis, omnibus potentiſſime reſolventibus, incidentibus

ac

ac evacuantibus viſciditates, obſtructionesque reſerantibus. Cuncta vero denique Præparata virtute ſua abſorbente longe ſuperat cruda ipſa Martis Limatura, ſub ſcrupulo ſemis plus quam C. & XX. guttulas de ſpiritu ſalis acido plenarie edulcorans, & his quidem cum obſervatis phænomenis, ut primo inter abſorbendum non effervefcentia ex hac, uti ex antec. Crocis, ſtrepitus nihilominus exortus ſit, in vitro præſertim anguſto inſtituto experimento, ſatis diſtincte & fortiter perceptibilis; deinde ut reſpectu liquoris ſaturati modo inſtillato in ferrum ſpiritu acido ſapor liquoris deguſtaretur admodum Vitriolicus, adſtringens nempe & acidus, paulo poſt vero ſolus adſtringens absque omni acrimonia, & tandem etiam illo maximam partem abſente dulcis ſimul obſervaretur; prætereaque durante certaminis tempore odor ſulphureus aſcendens nares meas continuo feriret; ac denique facta totali martis ſaturatione pulvis ſuperſtes maneret coloris crocei atque flaveſcentis. Ubi circa ſtrepitum tamen ſimul notari convenit, in Limaturæ Mart. majorem quantitatem copioſiori ſpiritu acido unà affuſo non tantum ſtrepitum, ſed vehementiſſimam quoque effervefcentiam excitari, adeo, ut in præparatione vitrioli Martis pro omni retinenda ſuborta ſpumeſcentia ampliſſimam requiri patinam, obſervaverim. Sed à ſcrupuli ſemis ſaltem quantitate Limaturæ Mart. ſolo ſtrepitu exorto, eluceſcit exin differentia inter Martem & reliqua Terrea, ſub eadem doſi maxime ſemper ebullientia; ferro quippe ob compactiorem ſuam ſubſtantiam non adeo facile, & una quaſi vice quoad totum ſe diſtringi & diſtrahi patiente.

[...]um Tin[...] [...]æ & Ex[...] [...]cta Mar[...] acidum [...]ruant.

§. XVI. Superſunt aduuc Martialia ſub Forma Liquida apparentia, quæ quidem non inter Terrea ſolida jure referenda, nihilominus tamen tanquam ex Marte Præparata & naturam ferri intimius explanantia, hic locorum ſimul brevibus exponere licebit. Ad unum omnia enim hæc, ſive ſint Tincturæ, ſ. Eſſentiæ, ſ. Decocta, ſ. Extractiones aliæ, ex Ant-acidorum claſſe non poſſum non excludere. Paradoxa quidem hæc dicta mea plurimis primo intuitu videbuntur, à nemine ferme huc usque vi Tincturarum harum ant-acida in dubium vocata. Verum & Rationes & Experimenta ſatis prægnantia plane aliter ſentire nos jubent. Nam pro primo acida quæcunque & ſpiritum ſalis Tincturis illis fortiſſimis infundens, nunquam vel leviſſimum abſorptionis ſignum, potius acida perpetuo permanentia obſervavi. Nullum nempe α ſtrepitum, ne effervefcentiam poſtulem, percepi; ſed è contra β acorem manifeſtum ſemper guſtantis mea lingva notavit, dentesque ſtupore fuerunt affecti, quanquam guttulis tantum v. vel vi Spiritus Salis in Drachm. ſemis vel I. Tincturæ Mart. fortiſſ. inſtillatis; imo præterea, quod maximum, γ. mixturæ huic modo dictæ poſtmodum ſuperſperſo pulvere ocul. cancr. præp. manifeſta mox ſubſecuta eſt effervefcentia; firmiſſimis ſane argumentis, Tincturas has Mart. plane non acidum abſorbere poſſe, cum tanta Tincturæ doſis ne tam exiguum quidem acidum vel ſaltem ex parte deſtruere valuerit. Et qui quæramus in ſolutionibus taliusmodi Martialibus vim aliquam alcalicam, 2. omni ratione obſtante. Cum enim (a) Martialia nullo alio modo deſtruere acida ex præmiſſis perceperimus, quam quod hæc in illorum ſubſtantiam ſolidiorem agant, eamque arrodendo ſic ſe obtundant edulcorentque, quomodo quæſo deficientibus omnibus ejusmodi corpuſculis duris & ſolidis acida ſe obtundere debent & poſſunt, Tincturarum illarum flocculis mollibus flexilibus facileque cedentibus? Prætereaque (b) ad conficiendas illas eſſentias ſuccis ordina-

rie aſſumtis acidulis num exin Liquorem exſurgere antacidum poſſibile eſt ? Præſertim (c) quoniam, etiam non receptis taliusmodi menſtruis acidis, ſemper tamen non niſi vitriolicæ, acidæ particulæ ex Marte extrahi ſolent; teſtibus obſervationibus Chymicorum expreſſe in antecedenti jamjam expoſitis.

Uſus martialium genuinus.

§. XVII. Uſus itaque quod attinet Martialium, & quidem Liquidorum horum, multum ſine controverſia fructum hæc præſtant in affectibus ægrorum acidis, nequaquam tamen ipſum acidum abſorbendo, ſed ſolummodo cruditates acido conjunctas potentiſſime incidendo, reſolvendo, evacuandoque ob vitriolicas ſuas particulas. Ipſa acida hinc oppugnaturi Martialibus Medicamentis, ſub forma ſolida illa eligamus neceſſum eſt; Et ex Crocis plurimis acido jamjam ſaturatis, reliquis vero vel non commode asſumendis, vel etiam plane non uſualibus, nec in officinas receptis, optime certe nobis conſulemus, ſi cum viris Experient. Rivino, Sydenham, Muraldo, Ludov. Kœnig, Stiſſero, Glaubero, aliisque, præ præparatis crudam ſemper, modo puram & ab omni venerea infectione liberam, in uſus noſtros vocitaverimus Limaturam Martis aut Chalybis. Ob ſingulares autem ſuas particulas admixtas, vitriolicas nempe, quas ferrum non tantum à natura ſua poſſidet, verum quoque deſtructo acido in majori copia acquirit, in ſpecialibus hinc ſane caſibus ſpecifice, & magis reliquis omnibus Terreis conducere obſervantur Martialia. In affectibus nimirum acidis, ubi acrimonia in viſcido latet, item ubi Bilis acido eſt admixta atque coagulata, ideoque in omnibus viſcerum & abdominis obſtructionibus, in Paſſionibus, Hypoch., Splenet., Hepatic., Colicis, Bilioſis, uterinis &c. nunquam ſatis laudanda. Ab initio enim Mars abſorbet acidum præter naturale in corpore noſtro; & deinde operari incipiunt vitriolicæ particulæ enatæ, & hæ quidem partim Bilem ſimul vitiatam optime corrigunt ac deſtruunt, partim pituitam & cruditates ab acido ortas fortiſſime incidunt, reſolvunt, attenuant, & etiam longe potentius ſalibus illis ſalſis, poſt ſaturata reliqua terrea ſupervenientibus; ſicuti & easdem ita fluidiores factas unà poſtmodum evacuant, alvum ad ejectionem ſtimulando, ſicque ab omni ſarcina ſua penitus liberant viſcera obſtructa; ac ultimo partim ob vim ſuam adſtrictoriam fibras quoque, & tubulos partium & viſcerum corporis, antea à copioſa infarcta materia nunquam non extenſos, nunc iterum gratiſſime contrahendo in priſtinam conſtitutionem reducere, tonumque ipſorum naturalem reconciliare felicisſime valent. Quibus vero his totum tandem hujus generis Ant-acidorum, Terreorum ſcilicet, ac ſub forma terrea apparentium cohortem claudemus, ad alteram verorum abſorbentium claſſem, nimirum ſalia alcalia, diſceſſuri.

CAPUT II.

De

NATURA ET DIFFERENTIIS ANT-ACIDORUM SALINORUM, SIVE UNO VERBO ALCALIUM κατ' ἐξοχὴν SIC DICTORUM; PRIMO FIXORUM, DEINDE VOLATILIUM.

§. I.

Ant-acidorum duæ claſſes.

IN binas has claſſes, Terrea ſcilicet & Salia alcalia, rectisſime diſtingvi, & ſub iisdem etiam commodisſime comprehendi poſſe univerſa & ſingula vera ant-acida, experientia ſatis conſtat; ſub alia forma plane nullis extantibus vere abſorbentibus. Et ratione materiæ ſ. tex-

Texturæ, quâ acidum deſtruunt, neque hæc bina genera à ſe invicem differre cernimus; cum & ſalia hæc æque ut Terrea antecedentia, hincque univerſa vera antacida, propter ſolam ſuam poroſam, vacuam & friabilem ſubſtantiam acidorum aculeos diffringunt & arrodentia acida edulcorant. Reſpectu tamen reliquorum accidentium maxime inter ſe diſcrepantia; & quidem 1. in Modo operandi. Terrea enim illa plane paſſive ſaltim ſe habent in deſtruendo acido, ſolitariis acidis in illa agentibus, illaque arrodentibus; hæc vero Salia, præſertim ſi ſolvantur, magis activè una operari, & ipſa acida ſimul aggredi videntur, ut ex hac cauſa, cum utraque & acida & alcalia operentur, Abſorptionem & deſtructionem acidi ab his Alcalibus citius, quam à Terreis illis abſolvi animadvertamus, ideoque & in corpore noſtro facilius ab iisdem Alcalibus removeri poſſe acidum præternaturale concluſuri. Deinde 2. Terreis illis multum antecellunt ſalia hæc puritate ſua, ſiquidem illa terreſtribus inutilibus ſimul inquinata, & hæc admodum pura extant. Ex qua puritate Alcalium horum hinc etiam evenit, ut partim inter abſorbendum ab his non tanta exoriatur ebullitio turgeſcens, & adeo diu perſiſtens, ac quidem à Terreis illis, ſed potius tantum maximus ſtrepitus & fugitiva ſaltim quædam veſicularum aſcenſio, partim ut tota tota Alcalium horum ſubſtantia acido removendo ſit accommodata, partim etiam ulterius, ut deſtructo acido ab Alcalibus his ſalia ſalſa enaſcantur tam copioſiora, dum utrumque ingrediens ſal aliquod contribuit, quam non minus acriora, quippe alias à viſcidis Terreorum particulis in liquore ſaturato fluctuantibus, non parum illa ſalia obvolvuntur, apparente hoc clariſſime in liquoribus ſaturatis Cretæ ac Ceruſſæ. Tandem differunt quoque 3. Terrea & ſalia Alcal. inter ſe ratione nativitatis & progeniei ſuæ. Nam univerſa ſalia vera Alcalia nequaquam ſunt corpora naturalia, uti Terrea antecedentia, ſed cuncta modo artefacta, Chymicis nempe laboribus demum acquirenda. Naturalia quidem ſalia Alcalia ſtatuere nonnulli videntur, non tantum in Vegetabilibus Autores illi à principio ſtatim hujus Diſput. allegati, ſed quoque in Animalibus & horum Urinâ *Borrichius l. c.* ſal alcali ſtatuens, quemadmodum & Sylvius cum ſuis Aſſeclis Bilem Alcalicam cum ſucco Pancreatico acido efferveſcere defendens; Verum Herbarum Alcali naturali in antecedentibus jamjam refutato, nunc etiam aperte teſtor, me nec in Bile bubula adhuc calente ſtrepitum aliquem; multo minus efferveſcentiam, aliqualem quanquam coagulationem, nec in Urina hujusve variis præparatis, ſpiritu ſcilicet Urinæ, ſale ammoniac. Phoſphoro, ſabulo Urinæ & ſic porro, unquam vel leviſſimum Abſorptionis ſignum, inſtillato ſpiritu ſal. acido, cognoſcere potuiſſe, præter ſemel ſtrepitum mediocrem in Urinâ meâ, aſt paulo ante aſſumto à me ſpiritu ſalis ammoniac. alcalico. Ut hinc vera Alcalia affectantes, arte Chymica demum illa nobis conciliemus, neceſſe ſit. Cum autem & hæc ipſa ſalia à ſe invicem maxime diſcrepent, atque animadvertente Helmontio inter eadem etiam ſit Reſpublica, præſertim vero alia deprehendantur fixa, ignis impetum continuo perferentia, & alia magis volatilia, in flammis apertis minime perſiſtentia, in duas has claſſes cuncta diſtribuemus, & utraque perluſtraturi, à fixis incipiemus.

Alcalia fixa ex R. M.

§. II. Fixa itaque ſalia Alcalia uſtione, calcinatione, incineratione in igne aperto præparantur. Et quanquam ex omnibus tribus Regnis nobis præſto ſint concreta, in naturam ſalium alcal. horum convertibilia, pauciſſima tamen extant ex Mineralibus. Terræ enim vere tales hoc ſemper habent proprium criterion, ut nequaquam in cineres

res & Salia redigi ſe patiantur. Exceptionem quidem Terra Batavorum, Turf dicta, facere videtur, poſt calcinationem cineres ſubcanos ordinarie relinquens, nunquam; tamen ſal aliquod vel guſtu in iis judicari, vel elixivatione etiam diligentiſſima acquiri ex iisdem poteſt, niſi forte per carbones aut lignum ſuppoſitum Terra illa incenſa. Sic nec lapides in ſalia perfecte transmutari poſſe, exemplum erit calx viva, quippe ſal ex illa inferius à me elicitum adeo fuit exiguiſſimum, ut minime reſpectus aliquis ad illud fieri debeat, quemadmodum nec in Officinis aut ex hoc aut ex aliis lapidibus veris ſale tali unquam aſſervato. Unicum eapropter tantum ſal, Nitrum puta, ex Regno Minerali habemus uſuale, a natura quidem etiam tantum mere ſalſum, beneficio tamen calcinationis diuturnæ & fortiſſimæ in Alcali à Chymicis ſolenniter converſum & adeo quidem præſtans, ut Fixi taliusmodi Nitri ſcrupulus ſemis ſpiritus ſalis guttulas L. cum efferveſcentia & ſtrepitu ſummo deſtruere valeat, non vero ad colorem usque viridicantem Nitrum hoc ignis flamma diuturna & vehementiſſima calcinatum. Nec enim tunc mitiſſimam continet vim alcalicam, teſtibus ſufficientiſſimis, Nitro tabulato, alias Nitrum in Rotulis & Lapis Prunellæ vocitato, item Nitro Antimoniato, hujusque variis præparatis, utpote cunctis minime cum acido efferveſcentibus, Nitro in his non ſufficienter calcinato.

ex R. A. §. III. Sed copioſiſſima tam ex Animali quam Vegetabili Regno nobis non deſunt Salia Fixa, cum omnia Animalia, horumque ſingulæ partes in cineres & ſalia facillime comburi patiantur, methodusque hæc ex Animalibus præparandi ſalia fixa veteribus etiam jamjam & Galeno ſatis cognita atque uſualis fuerit, quippe hic variis ſuis in ſcriptis tam *Libr. de Theriac. c. 31. & 32. quam in Method. Med. Lib. 14. c. 15.* combuſtarum beſtiarum, & ſalis ex viperis calcin. mentionem facit. Et quanquam copioſius Sal volatile, fixum autem longe parcius, Autore Charas Tr. de Viperis ex Animalibus parari ſtatuatur, ac adeo exiguum, ſiquidem obſervationibus quorundam credendum, ut totus Bos combuſtus vix libram ſemis ſalis largiatur, nihilominus tamen cineres Animalium quorundam curioſitatis gratia à me præparatos, admodum potenter cum acidis congredi obſervavi. Caro enim bubula nec non ranarum in cineres calcinata ſub ſcrupulo ſem. ad guttulas usque XX. Cinis cancrorum in rabie canina certiſſimum euporiſton, docente Galeno atque experientia, ad guttulas XC. l. C. usque, ſicuti nec minus Mures domeſtici combuſti, & Cinis tandem Ovorum Gallinac. ad guttulas usque C. ac XX. vehementiſſimam ſuam continuarunt efferveſcentiam, perfecta inſuper omnis acoris affuſi ſubſecuta edulcoratione. Quorum ac plurium Animalium Cineres Borrichius qq. l. c. cum ſolutione Mercur. ſublimat. & Saturni in Aq. fort. facta examinatos offert Lectori.

§. IV. Eadem in quantitate majori ex Regno etiam Vegetabili præparari poſſunt ſalia fixa alcal. æquè omnis generis Vegetabilibus, excepto ſolo ligno putrido ex obſervatione *Tachenii l. c. p. 161.* ad Cineres & Salia conſtituenda aptis deprehenſis. Sub diverſo tamen gradu virtutis ſuæ alcalicæ cuncta nunquam non apparentia. Experimentandi enim fine incineravi lignum ſuberis, & hujus cinis ſub ſcrupulo ſemis guttulas XL. Cinis ligni Pini, Betulæque ac Herbæ Nicotianæ guttulas LX. ligni abietis guttulas LXXX. & tandem Caulium Fabarum Cinis ſub ordinaria doſi certe guttulas XC. totaliter deſtruxit, aſſurgente ab omnibus inter abſorbendum fœtore maximo ſulphureo. Quibus adjungere inſuper debemus ex variis æque Lignis incineratis ſalia jamjam elutrita, Cineres nempe ſic dictos Clavellatos, nec minus ex fecibus vini Sal Tartari purificatum, ambo æquali gradu ad guttulas uſque LX. *ex R. Veg.*

Spi-

ſpiritus ſalis effervescentia. Poſthæc autem ſalia Herbarum in Officinis uſu alia, & etiam jamjam elixivata ac pura facta, in ampliſſimo numero & ferme quotquot modo reperierim, à me ad experimentandum collecta, nunquam plus, quam guttulas XXX. l. XXXV. ad ſummum, pauciores tamen utplurimum ſub noſtra doſi edulcorare valuerunt. Ex quibus experimentis duo circa gradum hunc diverſum virtutis Alcal. hic annotanda proveniunt. Pro primo namque mirari licet, quod ſalia Herbarum jamjam elutrita & pura facta officinalia minus nihilominus ſemper abſorbeant crudis quidem, & impurioribus adhuc Cineribus Lignorum lignoſorumque Vegetabilium. Cauſa vero hujus phænomeni derivanda eſt non niſi ex ipſa Vegetabilium diverſorum diverſa conſtitutione naturali. Herbæ enim plurimæ admodum aquoſæ, ſpongioſæ ac inanes, ſicuti tantum pauciora, ita quoque non alia, quam imperfectiora, ac minus potentia ſalia concedere poſſunt. Ligna è contra nonnullæque Herbæ paululum lignoſæ ac fruticeæ, ut Nicotiana ac ſtipites fabarum longe majori viſciditate & materia pro conſtituendis ſalibus neceſſaria gaudent, prout viſcidæ & pingues ipſorum partes copioſæ ſatis clare nobis palam ſunt, partim ex fructu Fabarum farinaceo, partim ex oleo Tabaci copioſo, partim ex ipſa lignorum ſubſtantia gummoſa, partim denique ex fœtore lignoſorum horum omnium ſulphureo inter abſorbendum aſſurgente manifeſto, quippe talem fœtorem nunquam ullum herbarum illarum officin. Sal dare ſolitum fuit, ut hinc omnino quoque hujus generis Vegetabilia viſcidiora longe copioſius & fortius ſal Alcali largiri valeant. Quanquam nimiam gummoſam Vegetabilium ſubſtantiam æque minus aptam cenſere debeam, probe gnarus lignum v. g. ſanctum admodum reſinoſum minimam tantùm quantitatem ſalis incinerati ſuppeditare, hujusque ſcrupulum ſemis ad guttulas ſolummodo pauciores ad XL. usque effervescere. Deinde 2. circa gradum ſalium horum alcal. etiam non reticendum eſt, unius ejusdemque Vegetabilis Sal fixum non ſemper eodem apparere gradu, magis ſcilicet vel minus calcinatum, potentius quoque vel mitius ſemper exoritur. Sal Tartari enim, ut exemplis rem demonſtrem, ex Tartaro crudo uſtione ſimplici ſaltim modo præpâparatum ad guttulas tantum, uti dixi, LX. usque effervescit, aſt cum Calce viva idem poſtmodum ulterius fortiter calcinatum, guttulas certe C. penitus deſtruxit, & cum Nitro ad virid. colorem usque uſtum iterum alium oſtendit gradum. Qua eadem maxima diverſitate ſalis Tartari ex diverſa calcinatione enata à Tachenio quoque l. c. p. 14. per ſolutionem Mercur. ſublim. ante oculos jamjam nobis comprobata, magis tamen adhuc veritas hujus cauſæ innoteſcit, quando unius ejusdemque herbæ ſal ex diverſis modo Officinis petitum, diverſum abſorptionis gradum, eumque ſatis notabilem dediſſe atteſtor, ita, ut v. g. ſal. card. bened. aliud tantum XXV. aliud autem XXXV. guttulas, it. ſal. abſinth. aliud XV. aliud XXV. guttulas, porroque ſal cent. min. aliud XX. aliud XXXV. guttulas deſtruxerit, qui diverſus gradus plane non aliunde venire potuit, quam quod in alia Officina parcius, in alia diutius herbæ fuerint calcinatæ. Hinc nec ſuperiora illa quidem incinerata mea Vegetabilia ſemper eandem & tantam deprædicatam vim alcalicam habebunt, ſub aliorum manu mox fortius mox citius calcinata, nihilominus tamen diverſum aliquem gradum virtutis alcalicæ in illis diverſis vegetabilibus incineratis verum & certiſſimum non poſſum non denunciare, per æquale ferme tempus omnibus ipſis a me in igne uſtis. Et tantũ de ſalibus fixis ſub forma ſolida dictum.

§. V. Quodſi nunc in forma fluida illa conſideremus, duæ præſertim ipſorũ ſpecies nobis obviæ veniunt, maxime à ſe invicem diſcrepantes tam ratione menſtrui aſſumti, quam hinc etiã reſpe- *Salia fixa ſub forma liquida.*

ſpectu virtutis alcalicæ. Interdum quippe interveniente humiditate aquoſa ſ. aqua ſ. ſolvuntur Salia Fixa in Liquores, quales ſunt Oleum Tartari p. d. ac Liquor Nitri Fixi, alias Alkaheſt Glauberi vocitatus, quemadmodum nec reliqua cuncta Salia incinerata difficilius in Liquores ejusmodi converti posſunt. Et hujus generis Solutiones uti vere & pura Salia in ſe continent: ita qq. & vere & cum notabili efferveſcentia acidum affuſum deſtruunt, mitius tamen ſemper & minorem acidi quantitatem antecedentibus illis ſiccis, adeo, ut Liquorum horum nominatorum guttulæ X. vix plures, quam etiam ſaltem guttulas X. Spiritus Sal. edulcorare fuerint potentes, à menſtruo aqueo Salibus in tantum dilutis diſcontinuatisque. Sed alio tempore in Salia Fixa & ſolenniter in Sal tartari affunditur Spiritus Vini rectificatus & rectificatiſſimus, hujusque beneficio Tincturæ extrahuntur Tartari acres & acerrimæ. Plane non amplius inter Salia vera Alcalia aut vera ant-acida jure referendæ. Contra vulgarem quidem & communem ferme omnium hic iterum loquor doctrinam, virtute alcalica Tincturarum har. Tart. eaque potentiſſima rariſſime vel nunquam in dubium vocata, cum partim adeo acres ipſæ ſint, partim quoque in morbis Venereis acido potentiſſimo omnibus turgidis feliciſſimum effectum quotidie præſtare ſoleant. Aſt & rationes & Experimenta fortiſſima minime aliud de Tincturis his Tart. dari jubent judicium, quam in Antecedentibus de Eſſentiis Martis depoſitum. Nam 1.) quibuscnnque acidis vel potentioribus vel mitioribus in Tincturas Tartari varias, & diverſas inſtillatis nullum abſorptionis ſignum, nullum ſcil. α) ſtrepitum, multo minus efferveſcentiam aliqualem, uti quidem in proxime recenſitis ſolutionibus alcalicis cum aqua ſ. factis, fui expertus, potius β in Drachmam Sem. Tinctur. Tartari acerrimæ guttulis vj. Spiritus Sal affuſis, guſtu acorem perennem quodammodo dijudicans, & ſtuporem denſibus meis contrahens manifeſtum, imo tandem γ eidem mixturæ poſthac ſuperſperſo pulvere oculorum cancrorum præp. vehementem mox efferveſcentiam, ſtrepitumque aſſurgentem fortiſſimum oculis meis cernens, manifeſtiſſimis ſane iterum argumentis Tincturas taliusmodi Tart. nequaquam ullo modo ant-acidas, aut alcalicas eſſe poſſe, cum tanta Tincturæ doſis ne exiguum adeo acidum quodammodo removere & deſtruere valuerit. Sed ſi hæc nondum ſufficiant, cuilibet tamen abundanter certe ſufficientia, ſciamus inſuper 2 plane impoſſibile eſſe, ut Tincturæ illæ cum Spiritu Vini rectif. & minus adhuc cum rectificatiſſimo paratæ acidum deſtruere posſint, plane nullum ſcil. Sal alcali, unicam & ſolitariam virtutis alcalicæ cauſam, in ſe continentes, teſtantibus id & rationibus & experimentis prægnantiſſimis. Tota enim α. Unciæ 1. Tinctur. Tartari acerrimæ totaliter evaporata pauciſſimas ſaltim quasdam tenuiſſimasque particulas ſalinas, vix ac ne vix quidem gr. ʒ ponderantes, fui adeptus. Deinde β poſt præparationem taliusmodi Tincturarum nonne Sal fixum ſub eodem ferme plane pondere iterum in cucurbita reperitur, quo antea fuit aſſumtum? cunctis Chymicis notum, nequaquam, hinc ipſis Tincturis confectis inſitum. Et γ. Axiomate illo Chymico, Sulphurea nim. menſtrua nonniſi Sulphureas ſolvere concretorum partes, adhuc hodie ſtante firmiſſimo, Spirituque Vini rectificato & magis rectificatiſſimo ab omnibus quoque huc usque credito menſtruo ſulphureo, unde quæſo Tincturis illis venire debet Sal alcali? Deficiente itaque hac cauſa, deficit etiam effectus in Tincturis Tartaro-alcalicus & antacidus. Sed quo Tincturas has ſæpius nominatas nimium mirari eo citius deſinamus, δ opponam & ipſos Spiritus cum Spiritu Vini rectif. de Sale quo-

Virtus Tincturæ Tartari antacida rejicitur.

quodam fixo abſtractos , ſpiritum ſcil. Vini Tartariſatum , Spiritum Salis Ammoniaci vinoſum , & alios , neque vel minime Sale alcalico turgidos, nec cum acidis unquam efferveſcentes , de quibus tamen in ſeqq. clariora. Adeo enim intacta menſtruum illud ſulphureum relinquit Salia , ut 2. Chymici nonnulli , Salia volatilia ſua ab omni ſolutione & impuritate præſervaturi , in Spiritum Vini rectificatiſſimum illa ipſa cum effectu ſemper deſiderato reponere conſveverint. Et 3. quicquid extrahit Spiritus Vini hic ex Salibus fixis , nil plane niſi oleoſæ & ſulphureæ ſunt partes , illis adhuc antea inſitæ , hincque non niſi ſulphureas puras putas Tincturas largitæ. Revera autem ſulphureas tales partes, easque copioſiſſimas ineſſe ipſis illis Tincturis , ex multis ſane phænomenis clariſſime conſtat , partim nempe ex colore ipſarum Tinctur. flavente & rubente , cum ſalium fixorum veræ ſolutiones illæ ſuperiores cum aqua ſ. confectæ ſemper pallidum repræſentent colorem , partim ex ſapore & odore earundem alcalico-ſulphureo , ſiquidem Oleum tart. p. d. nequaquam eundem ſpiret , atque etiam ſulphureæ particulæ à Salibus excitatæ juxta Phyſicorum theſes ſolitariæ conſtituant omnes odores. Ut eapropter eodem alcalico ſapore poſt aſſumtam Tincturam Tart. per ructus faucibus noſtris frequenter communicato , minime ad naturam iſtius alcalicam , ſed unice ad puram ſulphuream ejusdem concludere licuerit.

...ræ ...ri ...do in ...erea ...ntur.

§. VI. Quibus poſitis tandem neque Uſus Tincturar. harum in morbis acidis, præſertim Venereis aliisque ulceroſis affectibus non raro maxime egregius , virtuti ipſarum alcalicæ, ſed rectius ſolis ſulphureis eorundem particulis adſcribendus venit, utpote viſciditates & cruditates acidas ægrorum horum potentiſſime reſolventibus, attenuantibus ac acrimoniam cum Urina evacuantibus , quemadmodum Mercurialia ex iisdem his ſolis facultatibus, absq; ulla vi ant-acidâ auxiliante , Luem Veneream perfectè curare in anteced. probavi. Cum vero ſolæ ſulphureæ ſalium partes adeo excellentes dare valeant effectus, majori adhuc commodo in iisdem morbis antacidis commendare præſtat ipſa integra Salia alcalia, certo præter recenſitas illas vires inſuper quoque ipſum acidum ſimul feliciſſime abſorbere potentia. Et ſi caſus apponere debeam, in iis omnibus affectibus tanquam ſpecifica exhiberi conveniunt, quibus antecedentes Lapides aſperiores, & Teſtacea in Sal ſalſum potentiſſimum abeuntia fuerunt deſtinata, in cruditatibus ſcil. primarum viarum , viſciditate & impuritate tumorum , obſtructionibus viſcerum omnium , & præſertim abdominis , Morbis Venereis , Coagulatione ſeri in glandulis , nec non morbis vaſorum urinar. ac ſpermat.& ubi acrimonia cum urina evacuari ſe patitur, & ſic porro ; hac tamen inſigni cum differentia, ut Salia hæc longe fortius, & in excellentiori gradu illis quidem Lapidoſis operationes ſuas omnes exercentia, ubi non ſufficiunt Terrea illa, in auxilium convocari debeant, quippe magis penetrando ultimum tandem ſupplementum ſuppeditare valent. Præter hos vero uſus allegatos , num ſingula ſalia ſingulares etiam & proprias herbarum ſuarum vires naturales adhuc poſſideant , multum ab Autoribus hinc inde diſputatur, unico tamē verbo me expediturus , plurimas omnino quidem herbarum vires inter incinerandum avolare, veſtigium tamen aliquod has nihilominus in Salibus ipſis vere adhuc relinquere fateor, Experimentis & Obſervationibus Chymicorum Expertiſſimorum non paucis nec minus graviſſimis convictus. Sed cum illæ haud notabiles in Salibus ſint, prætereaque uniuscujuscunque Vegetabilis qualitates ex aliis doctrinis cuilibet pateant, de his hic locorum prolixior eſſe nolo.

§. VII. Potius ad Volatilia Salia Alcalica ducentem ordinem ſequutus. *Alcalia Volatilia.*

Quæ

Quæ alias Urinoſa dicta, mediante Deſtillatione & Sublimatione acquiruntur, dum nimirum ignis & caloris vehementi impetu particulæ ſubtiliſſimæ ex concretis ſuppoſitis expelluntur, in vaſis recipientibus accedente externo frigore tandem in formam ſalis quaſi congelaſcentes. Et quanquam iterum ut Fixa ex omnium trium Regnorum ingredientibus præparari illa poſſe a Chymicis *ex R. Miner.* non paucis credantur, ne unicum tamen hucusque nobis cognitum eſt verum Alcali Volatile, jure ad Regnum Minerale referendum. Ex Lapidibus enim & horum analogis, v. g. Coralliis &c. plane nil ſublimari, ſatis erudite in *Diſſ. Chym. XI. p. 304.* edocet *Exper. Dn. D. Bohnius Lipſ.* Et qui ex ſale communi, Nitro, Alumine, Sulphure &c. extant Spiritus, potius Acidorum claſſi veniunt inſerendi, utpote acidi. Admixto autem ſale quodam Alcal. fixo ex Nitro & Alumine exiguos urinoſos Spiritus, à nonnullis Laboratoribus præparatos, ad Regnum Vegetab. rectius numerabimus, omnem ipſorum vim alcalicam à ſolo Sale fixo admixto vegetabili proveniſſe non ignari, & paulo poſt clariſſime probaturi. Spiritus tandem Salis Ammoniaci à Majoribus noſtris quidem etiam ad Regnum hoc trahi potiusſet, Sale ammoniac. ab ipſis pro concreto minerali habito. Aſt hodiernum noſtrum Sal ammoniac. ex urina maximam partem componi, ab Unzero, Cæſalpino, aliisque ſufficienter informati ad Regnum Animale usque Spiritum hunc referabimus.

ex R. Veget. §. VIII. Regnum autem Vegetabile, etiamſi in Officinas neque vel unicum ad hæc usque tempora introduxerit Sal Volatile, diligentiores nihilominus & curioſos Chymicos non raro iis veris Alcal. Volat. dignatum eſt. Et tribus vel quatuor modis illa potiſſimum acquirenda præ aliis apud *Excell. Wedelium in Tr.* ſuis de Sale Volatili Plantar. ſatis clare legimus. Pro primo ſcil. Vegetabilia & præſertim Semina, plurimis viribus turgida, ſicca quidem absque omni addito menſtruo ex Retorta deſtillantur, profluente ab initio phlegmate, ſubſecuto ſale volatili ſpiritui nupto, aut etiam ſeorſim pulcherrimis rhombis, Recipientis parietibus adhærente, prout legere eſt apud *Glauberum Pharmac. Spagir. V. 2. p. 186.* Quemadmodum & ex variis Vegetabilium Extractis, v. g. Opii, Scorzon &c. eodem modo Sal Volatile Urinoſum ſublimari, ſed affuſo aliquo menſtruo vel aquoſo vel ſpirituoſo, purum putum liquorem ex Opio provenire vi ſua narcotica turgidum, Autor eſt *Excell. ille Wedelius Opiol. l. 1. S. 1. cap. 9. pag. 33.* Poſt hunc modum 2.) magis prolixiori labore, præmiſſa nempe Fermentatione & Putrefactione ex Vegetabilibus deſtillari ſalia volatilia docet *D. coxius Transact. Anglic. d. 25. Mart. 1674.* Modo allegatus vero *Wedelius Tr. de Sal. Volat. Plant. ſpec. 2. c. 3. pag. 20. ſeqq.* breviori 3. operatione, ſimplici nempe prægreſſa Fermentatione ex iisdem Salia Volatilia vere ſtatim elici demonſtrat. Ad quam ultimam methodum & ille referendus erit modus, ubi 4. absque omni ſuppoſito igne eadem Volatilia præparavit idem ultimus Autor *l. c. c. 4. pag. 32.* dum ſcil. globulis Glaſti ſ. Herbæ Iſatidis, poſt temporis alicujus repoſitionem admodum incaleſcentibus & fermentantibus, modo ſuperpoſito Vaſe aliquo figulino, cum Alembico & Recipiente præfixo, ſtatim ex fumo continuo aſcendente collegit Sal Volatile, ob excellentiam ſuam non tantum reliquis omnibus Vegetabilium Salibus Volat. longe præferendum, ſed quoque Animal. Salibus Volat. cum euphoria ſubſtituendum. Aſt nihilo minus Salia taliusmodi Volat. in exiguiſſima ſaltim copia nunquam non omnes adepti inter Artis curioſæ tantum Præparata, cum

cum Borrichio ſine injuria illa referemus, pro uſibus noſtris potius ex Animalibus talia in ſufficienti quantitate collectum.

Anim. §. IX. Univerſa enim Animalia tam Terreſtria quam Marina, omnesque ipſorum partes Spiritus & Salia Volatilia concedunt, absque ullo ſcil. menſtruo, aut tantum ſola aquâ ſ. affuſa deſtillatæ. Mediante namque Spiritu Vini ex Animalibus præparati Spiritus, abſtractivi dicti, v. g. formic. lumbric. terreſtr. &c. plane nullum Sal Alcali in ſe continent, nunquam cum acidis efferveſcentes, dum Spiritus Vini Salia volatilia elaborari ex partibus illis nequaquam concedit, particulas ſolummodo ex ipſis extrahens oleoſas & Volatiles ſub ea forma, qua latent. Cum Aqua ſ. autem vel etiam absque ullo menſtruo affuſo partes Animalium deſtillantes vera ſemper eaque potentiſſima acquirimus Salia Volatilia, & quidem tam ſicca, quam in Phlegmate ſimul profluente ſoluta, Spiritus tunc vocata, cum additamento Volatiles. Et taliusmodi Salia Volatilia præſertim ex Animalibus terreſtribus ſatis quoque hodie cognita ſunt, utpote non tantum in Officinis haud exiguo numero aſſervata, verum etiam ex plurimis aliis non Officinalibus & plura nobis ante oculos expoſita à Borrichio *l. c. V. 2. p. 120.* quippe qui ex Aquilæ carne ſ. muſculorum pectoris Unciis XX. Salis Volat. Unc. iij. ſe adeptum teſtatur, idemque cum carne bubula ac ſangvine humano, nec non Ovis avium & Ranarum fuiſſe expertum. Quemadmodum & idem Autor ex Marinis beſtiis v. g. Aſellis Island. vento induratis (Decoctum horum deſtillans) item ex vulgaribus aliis piſcibus, imo & horum ovis & ſeminibus copioſius adhuc, quam ex Terreſtribus Animalibus, atque tandem ex Aco Marino ad altitudinem trium pedum in Phiola extraxit Sal tale Volatile Alcalicum, cum acidis ſtrenue efferveſcens. Gradum vero ſalium horum Volat. quod attinet, fortisſime ſane hæc edulcorare valent acidum, præſertim ſicca, adeo ut Scrupulus Sem. ſal. volat. v. g. Cornu Cervi, Viper. Sal. ammon. &c. guttulas LXXX. Spiritus ſalis velociſſimo cum ſtrepitu & fugitiva efferveſcentia citiſſime & totaliter deſtruxerit inque Sal ſalſum potentiſſimum converterit. Prout tamen vel recenter parata, vel diutius aſſervata experimentamur, majorem quoque & minorem vim alcalicam obſervamus, Sale Volat. non adeo recenti v. g. lumbr. terreſtr. ad guttulas tantum LX. & formic. ad XL. ſaltim usque efferveſcente. Sed ſub forma fluida ſalia Volatilia ſ. Spiritus Volatiles multum ordinarie debiliores deprehenduntur, non minus ac Salia illa Fixa liquida, ita, ut v. g. Spiritus Cornu Cervi guttulæ X. nonniſi guttulas XXX. de Spiritu Sal. (ſalis ſicci vero ejusdem Cornu Cervi gr. X. guttulas LXXX. uti dixi) abſorbere valuerint, à Menſtruo ſalibus in tantum dilutis.

§. X. Præter hæc Salia Volatilia ex terreſtribus Animal. partibus extracta, alia adhuc ex ipſis eorundem ſalibus præparata, Spiritus ſcil. ſal. ammon. nobis admodum familiaris eſt. *Spiritus Salis ammon.* Sed maxime diverſus, & quidem ratione menſtrui affuſi, alius cum Spiritu Vini, alius cum Aqua ſimplici deſtillatus. *diverſus maxime ob menſtrua.* Ille Vinoſus dictus, in antecedentibus jamjam aliquoties ex Alcalicorum claſſe cum ratione rectiſſime excluſus eſt, ob menſtruum ſuum ſulphureum nequaquam integra ſalia ſolvens, ſed nonniſi ſulphureas ex ſalibus partes extractas ſupra alembicum ſecum in deſtillatione rapiens, quemadmodum idem in Spiritu Vini Tartariſato aliisq; videre licet, cum acido inſtillato minime efferveſcentibus. Aqua ſ. vero menſtrui loco aſſumta non amplius vim alcalicam impedit. quanquam & hi cum aqua ſ. deſtillati nihilominus maxime à ſe invicem diſcrepent reſpectu reliquorum concretorum, ſali ammon. in deſtillatione ipſius ſpiritus ordinarie admixtorum; hincque & ratione

ne virtutis Alcalicæ. Terreis enim quibusvis non æque ant-acidis v. g. Hæmatite &c. ſal. ammon. adjunctis, ſpiritus & flores inde acquiſiti plane non ſunt alcalici. Sic cum Calce viva (& quidem tam cum Germanorum ex Lapidibus Calcariis, quam cum Batavorum ex Cochleis marinis calcinata) elaboratus Spiritus ſalis ammon. maxime quidem volatilis & acris obſervatur, cum ſpiritu tamen ſalis, aut quibuscunque aliis affuſis acidis neque vel minimum ſtrepitum, multo minus effervefcentiam aliquam excitans. Aliqualem etiamſi exiguiſſimam adhuc vim abſorbentem ipſi non poſſum non attribuere, ex ſequenti experimento certus factus. Poſtquam nempe in Drachmam ſemis ſpiritus hujus cum Calc. viv. parati inſtillatis forte VI. l. IIX. guttulis de ſpiritu ſalis acido nullum ſuboriri ſtrepitum vidi, mixturæ huic paulo poſt ſuperfudi portionem quandam de vero quodam alcalico ſpiritu, imo & alio tempore pulverem aſperſi terreum vere abſorbentem, aſt nec tunc ebullitione aliqua unquam ſubſecuta, ex quibus haud falſe, ut credo, argumentari licebit, ſpiritum acidum ſalis prius affuſum à ſpiritu ſal. ammon. c. Calc. viv. parat. fuiſſe deſtructum, alias enim illo acido adhuc præſente, & accedentibus novis poſterioribus veris ant-acidis certo excitatum fuiſſet certamen & effervefcentia, ſicuti eadem hac ſtatim exorta, alii modo mixturæ, ex ſpiritu acido ſalis & Tincturis Martis conſtanti, vero aliquo alcalico admixto, quippe tincturæ hæ plane non acidum removere ſolent. Ut ſic aliqualis quidem omnino vis alcalica in ſpiritu ſalis ammon. c. Calc. viv. ineſſe credenda ſit, maxime tamen exiguiſſima, exiguiſſimum ſcilicet ob ſal alcali Calci vivæ adhuc inſitum, quod inter deſtillandum ſimul ſublimatum ſpiritui vim hanc exiguam alcalicam inſinuavit. Si vero tandem ſal ammon. cum veris & puris ſalibus fixis, v. g. cum ciner. clavell. aut cum ſale tartari aliisque abſtrahamus, ſpiritum ſemper acquirimus fortiſſime Alcalicum & adeo ant-acidum, ut hujus guttulæ X. de ſpiritu ſalis acido guttulas XXX. pluresque, & quidem, quod probe notandum, cum effervefcentia etiam vehementiſſima & ſtrepitu ſummo penitus edulcorare & in ſal ſalſum perfecte convertere potuerit. Ex qua tanta ſpirituum horum præſertim ultimorum binorum diſcrepantia non leve ſane & inutile hoc extrahendum nobis venit concluſum, ſpiritum nimirum hunc ſalis ammoniac. omnem vim ſuam alcalicam, ſi quam habet, à ſalibus Fixis alcal. admixtis nunquam non adipiſci, & ſal ipſum ammon. nil niſi particulas ſuppeditare poſſe ſumme volatiles, quæ tamen nondum ſimul ſunt alcalicæ. Sed ne hæc ſententia plurimis nova, forte plane paradoxa videatur, ulterius nunc firmioribus experimentis & rationibus veritatem ejus demonſtrare hac occaſione liceat. Communiſſima etenim & vulgatiſſima huc usque fuit opinio, ſpirit. ſal. ammon. vim alcalicam provenire unice à ſale ipſo ammoniaco. Suppoſuimus nempe ſal ammoniacum eſſe concretum ſalſum, h. e. ex alcali & acido compoſitum, hincque Sal fixum alcalicum ſali illi ſalſo ex hac ratione admiſcuimus ut acidum in ſale ammoniac. abſorberetur, quo remoto, poſtmodum credidimus, Alcali Volatile ſalis ammon. antea ligatum, nunc vero ſui juris factum libere in deſtillatione aſcendere, ſpiritumque conſtituere alcalicum. Verum ſeparationem talem factam acidi & alcali ex ſale ammon. nequaquam fieri, hincque nec ab ipſo hoc concreto ſalſo virtutem aliquam alcalicam provenire poſſe, ſufficientiſſime comprobare volo. Separatio enim illa acidi & alcali ex ſale ammon. mediantibus ſalibus fixis vel plane impoſſibilis eſt, & naturæ ſalis ſalſi penitus contraria. In ſale namque ſalſo quocunque acidum & alcali non ſimplici ſaltim modo inter ſe mixta extant, ut alterum ſolummodo obſcuret alterum, utrisque tamen integris ſemper & incorruptis manentibus, ſed potius, quoniam bina hæc ſalia exacte

& quom... virtus... acida... conci...

An aci... & alca... ſale am... ſepara... poſſit

actè ſibi invicem ſunt contraria, alterũ alterius naturam & eſſentiam totam totaliter deſtruit, enecat, removet, annihilat, quoties inter ſe combinantur illa, ſicuti in Laboratoriis Chymicis quotidie manifeſte oculis noſtris cernimus, acida & alcalia pro conficiendo ſale quodam ſalſo inter ſe mixta, cum vehementiſſima effervescentia & ſtrepitu ſe invicem penitus conſumere & deſtruere. Inverſa igitur & jamjam vere mortua utriusque ſalis natura & vis tam acida quam alcalica, nequaquam amplius in ſale ammon. altera exiſtere, aut ullo modo in ſtatum priſtinum reduci & ſeparari ab altera poteſt. Hinc neque ex hac cauſa 2. ſeparatio talis acidi & alcali ex ſale ammon. vel alio quocunque Sale ſalſo v. g. Nitro, ſale Eſſent. Tart. &c. ullis unquam ſuccedit experimentis. Nam *α* ſali illi ammon. ſoluto abſorbente aliquo terreo, aut etiam Sale quodam alcal. fixo vel volat. admixto aſcenſum tunc quidem particularum ſubtiliſſimarum ſal. ammon. neutiquam vero vel effervescentiam veram, vel aliud certum abſorptionis ſignum vel mutationem aliqualem ſalis iſtius alcalici, augmentationem ſcil. aut diminutionem ejusdem obſervare potui, potius eundem ſemper gradum virtutis alcalicæ in ſale illo alcali primitus recepto expertus, cum tamen illa omnia phænomena neceſſario contingere debuerint, ſi quidem acidum in Sale ammon. creditum removeri & deſtrui, alcali autem volatile novum produci poſſet. Sed ſi forte objiceres, mediante igne ſuppoſito in deſtillatione demum Sal. ammon. ita reſolvi, ut abſorbentia admixta iſtius acidum deſtruere valerent, & ut Sal volatile alcali ex ipſo ſepararetur & dimitteretur, contrarium certe ſtatim clariſſime demonſtrabunt *β.* Flores Sal. ammon. Martiales, & magis adhuc *γ.* Spiritus Sal. ammon. c. Calc. viv. paratus. Utraque enim Terrea & Mars & Calx viva potentiſſima acida & ſic quoque præſentis Salis ammon. ſi aliquod ineſſet deſtruere valent, prætereaque ſubtiliſſimæ etiam particulæ ex Sale ammon. adhibita deſtillatione, expulſæ & ſublimatæ ſunt in flores & Spiritum, & præſertim à calce viva adeo copioſæ volatiles & maxime ſubtiles particulæ ex Sale ammon. ſeparantur, & ſuper alembicum dimittuntur, ut inde ſpiritus hic Sal ammon. cum Calc. viv. factus longe fortior, volatilior & acrior ordinarie appareat ipſo quidem Spiritu cum Ciner. clavell. deſtillato. Quibus rebus ſic ſe habentibus, ſi particulæ Sal. ammon. volatiles in deſtillatione expulſæ ex communi illa hypotheſi eſſent alcalicæ, rectè & neceſſario concludi & ſequi deberet, tam flores Sal. ammon. Martiales quam etiam Spiritum Sal. ammon. c. Calc. viv. vera & potentia eſſe Salia alcalia, & Spiritum hunc præſertim magis adhuc eſſe abſorbentem ipſo Spiritu cum Cin. clav. confecto, dum nempe hunc ille longe ſuperat volatilitate & acrimonia ſua. Aſt ſicuti flores Sal. ammon. Martial. inſtillato Spiritu acido nequaquam leviſſimum aliquod abſorptionis ſignum edere valent, ita quoque Spiritus Sal. ammon. c. Calc. viv. tantum abeſt, ut fortius cum acidis congrediatur Spiritu illo cum cin. clav. parato, ut potius, uti dixi, ne minimum quidem ſtrepitum, multo minus effervescentiam aliqualem cum acidis ipſe concitet, quam tamen maximam dedit Spiritus de Cin. clavell. abſtractus. Ex quibus experimentis ſufficientisſime ſane cuilibet patebit, à Sale ammon. nequaquam Sal aliquod alcali volat. ſeparari, neque vim alcal. ex ipſo progredi poſſe, ſed omnes, quas concedit Sal. ammon. nonniſi particulas eſſe ſubtiliſſimas maxime volatiles & acerrimas, nondum tamen propterea ſimul alcalicas & abſorbentes. Cum vero itaque Sali ammon. rectisſime omne denegetur Sal alcali, quis non aperte videt ex Sale fixo alcal. admixto unico & ſolitario omnem omnino vim antacidam Spiritus Sal. ammon. c. Salibus fixis deſtillati neceſſario eſſe deducendam.

Erroris fundamentum. Nec adeo diu, ut credo, erroneam hanc de Salis ammon. alcali volatili foviſſemus, niſi binis præſertim ſuppoſitis plane incertis & falſis tanquam firmiſſimis innixi. Pro primo etenim credidimus, quoniam à Sale ammon. Salia ſeparantur volatilia eaque flagrantiſſima, hæc neceſſario ſimul eſſe alcalica, & Secundo poſtquam Salia fixa alcal. ſolitaria ſcil. nunquam ſupra alembicum ſublimatione inſtituta aſcendunt, ideo firmiter concludimus, illa neque in deſtillatione Spiritus Sal. ammon. ſimul ſublimari, atque inde omnem Spiritus hujus vim alcalicam à ſolo Sale ammon. productam eſſe. Verum, quemadmodum quoad primum ex proxime præmiſſis Experimentis abundanter conſtat, Salia Sal. ammon. etiamſi ſint maxime volatilia, nequaquam tamen ſimul eſſe vera alcalica, ita quoque nunc alterius ſuppoſiti falſitatem ſum demonſtraturus, & in contrarium experimentis & rationibus clariſſime comprobaturus, Salia nimir. fixa alcal. in deſtillatione Spiritus Sal. vere ſimul ſupra alembicum aſcendere. *An Salia fixa Sal. ammon. eleventur?* Et quidem *a* data inſtantia à Marte, lapide hæmatite, auro aliisque Terreis, quæ per ſe & ſolitaria nunquam deſtillari perpeſſa, admixto autem ipſis Sale ammon. feliciſſime ſtatim ſublimantur in Spiritus & flores, prout hi in Chymicorum ſcriptis certiſſimi expoſiti extant. Simili enim modo Salia fixa æque per ſe & ſolitaria omnino quidem non ad ſuperiora depelli poſſunt, adjuncto vero ipſis Sale ammon. ab hujus particulis volatilibus, ſuperiora libenter petentibus, facile ſimul illa ſurſum rapiuntur, non aliter ac alias Salia volatilia oleum ſibi affuſum in humeris ſecum in recipientia vaſa deportant. Nam omnis generis concreta, quæcunque illa ſint, mediante Sale ammon. combinato, vel rectius hujus particulis volatilibus auxiliantibus, ſupra alembicum deduci poſſunt, & qualem habuit naturam concretum aſſumtum, eandem quoque poſſident poſtmodum Spiritus & flores & Salia inde acquiſita, ita, ut Sali ammoniaco admixtis acidis, Spiritus nanciſcamur acidos, adjectis alcalibus puros alcalicos, & plane nihil addere ſolet Sal ammoniacum, niſi particulas volatiles, quibus vires concretorum adjunctorum horum admodum volatiles & flagrantes ſolenniter efficiuntur. Sed magis adhuc ulterius Salia fixa ſupra alembicum vere aſcendere poſſe comprobare potero, 2. per experimentum aliquod ex manuſcriptis *Exc. Chriſt. Langii apud Lipſienſes* olim Celeberrimi excerptum & ſequens. Deſtillavit nempe aliquando Chymicus hic egregius Spiritum Sal. ammon. c. Sale Tartari, quo Spiritu in Caput Mort. ſ. Sal digeſtivum Sylvii aliquoties reaffuſo, & deſtillatione toties repetita, plane nil tandem in fundo cucurbitæ remanſiſſe vidit, ut exin non tantum partes volatiles ſalis ammon. ſed etiam ipſum alcali fixum ſimul vere fuiſſe ſublimatum, ante omnium conſtet oculos. Et tandem 3. ſi non concedere velimus aſcenſum Salium fixorum ſupra alembicum, neceſſe ſane eſſet, ut ſtatueremus, omne Sal fixum, quotquot modo in deſtillatione ſpirit. Sal. ammon. receptum, totum totum in cucurbita eſſe deſtructum, ſaturatum ac in ſalſum converſum ab acido ſcil. Sal. ammon. quoniam nempe ne minima quidem portio de Sale illo fixo alcal. deſtillatione finita in vaſe amplius ſuperſtes eſt. Aſt ita ſtatuendo tantum certe committeremus abſurdum, quantum vix aliud in totâ arte Chymica præſto eſſe potuerit. Ex antecedentibus quippe notum eſt, Ciner. clavell. Scrupulum ſem. ſpirit. ſal. acid. guttulas LX. atque ſic partem I ſalis alcalici fixi partes VI. acidi potentiſſimi totaliter deſtruxiſſe, & deinde etiam nos non latet, in præparatione ſpirit. ſal. ammon. duas ſemper & tres, imo juxta Junckenium quatuor partes Ciner. clav. ad part. I. ſal. ammon. recipi. Si itaque ſal hoc ammon. abſorbere, & in ſal ſalſum convertere deberet omne illud alcali fixum, quantum, quæſo, non fingen-

ingendum nobis eſſet acidum in Sale ammon. ut hujus Pars I. duas, tres, & quatuor partes de Sale fixo deſtruere poſſit, cum alias hujus fixi Salis alcal. Pars I. Partes VI. acidi potentiſſimi totaliter edulcorare valeat, tantum certe, quantum nec imperitiſſimus quidem Tyro ſibi unquam imaginabitur, præſertim quoniam plane nullum acidum in Sale hoc ſalſo manifeſte deprehenditur. Quapropter cum plane impoſſibile ſit, ut omne Sal fixum alcali in præparatione Spiritus Sal. ammon. receptum, ab acido Sal. ammon. deſtrui, & in Salſum transmutari poſſit, & tamen etiam nullum penitus alcali tale, ſed purum putum ſalſum, peracta deſtillatione, amplius ſuperſtes ſit in cucurbita, nequaquam ſane aliter concludere valet ratio, quàm quod Salia fixa alcal. ſimul mediante Sale ammon. ſupra alembicum vere aſcendere non tantum poſſint, verum quoque vere nunquam non in deſtillatione Spiritus Sal. ammon. aſcendant, hincque & vim ſuam alcalicam Spiritui huic communicent, nec non omnem naturam ant-acidam in hoc conſtituant & quidem ſola, poſtquam ab ipſo Sale ammon. virtus talis alcalica ne minima quidem provenit, prætereaque Spiritus ſemper apparent eo magis alcalici, quo copioſiora admixta fuerint Salia talia fixa alcalia. Quibus tamen omnibus denique maximam lucem & finale complementum apponere debet novum ſequens meum Experimentum. Deſtillavi enim nuper experimentandi gratia Spiritum Sal. ammon. ab initio cum Calc. viv. & maxime quidem volatilem ac acerrimum, minime vero ant-acidum, ſicuti omnes hujus generis ita & præſentem adeptus, poſtmodum ſtatim eidem Spiritui ſuperjeci Ciner. clavell. quantitatem, & repetita deſtillatione mox acquiſivi Spiritum, potentiſſima acida maximaque cum efferveſcentia & ſtrepitu edulcorantem. Quo clarius ſane nil demonſtrari & probari poterit, quam ex hoc unico, quod Salia fixa alcal. in deſtillatione adjuvante Sale ammon. indubitato aſcendere poſſint, quodque vis alcalica in Spiritu Sal. ammon. nequaquā ab ipſo Sale ammon. juxta vulg. opinionem, ſed omnis a ſolo Sale fixo alcal. admixto derivari debeat. Meum igitur de ſæpius hoc nominato Spiritu Sal. ammon. judicium, ſi tribus includere debeam verbis, vim hujus alcalicam à ſolo Sale fixo admixto unice deducam, volatilitat. autem ejusdem Spiritus libentiſſime & rectiſſime nonniſi à Sale ammon. hujusque particulis volatilibus & maxime volatilibus, a Sale fixo reſolutis, exagitatis, atque liberis factis derivaturus, & Sal ſalſum digeſtivum Sylvii vulgo dictum in cucurbita reſiduum, puram putam putam fixam Sal. amm. partem, volatilibus particulis expulſis, crediturus, alcali fixo plane non in Sal hoc ſalſum transmutato, ob defectum nimirum acidi in Sale ammon. vel tantum exiguiſſimo, ſi forte acidi portio minima in Sale ammon. excedat. Quibus Experimentis innixus apertiſſime quoque coronidis loco oſtendere mihi non deficit, quomodo Salia volatilia Tartari, in quorum acquirendorum præparatione Chymici expertiſſimi nec pauci adeo anxie deſudarunt, ob uſum ſcil. ipſorum, quem omnium reliquorum Polychreſtorum viribus longe præferendum, & ipſi etiam lapidis Philoſophorum Medicamento ad interim ſubſtituendum ſibi nonnulli ſunt imaginati, elaborari poſſint & debeant veriſſima, ex ſale nimirum Tartari alcalico cum adminiculo neceſſario & unico Sale ammon. ſiquidem & Spiritus Sal. ammon. cum Sale Tartar. paratus plane nil aliud eſt, quam Sal Tartari fixum a Sale ammon. volatiliſatum hujusque particulis ſubtiliſſimis combinatum.

Judicium de Spiritu Sal. ammon.

§. XXI. Uſus adhuc delibandos quod tandem ſpectat Salium Volat. Alcal. hi multum excellentiores ſunt, quam quidem Salium fixorum. Volatil. enim hæc primo omnes fixorum illorum qualitates habent plane communes, & illas ipſas quoque in longe excel-

Uſus alcalium volat.

cellentiori gradu, utpote quoad vim abſorbentem copioſius acidum illis fixis crudioribus deſtruentia, & reſpectu virtutis ſtimulantis non tantum urinam, ſed etiam ſimul ſudorem promovere apta. Vim vero reſolventem, incidentem, attenuantemque in quantum magis hæc volatilia, quam illa fixa exercere valeant, ex ſequentibus ſane ſatis ſufficienterque apparebit. Ex certis etenim α experimentis meis non neſcio, acida tenaciora, compacta ac ſolida, v. g. Mercur. ſublim. Cryſtall. virid. æris atque vitriola univerſa (excepto ſolo Martis Solari, vel potius hujus floribus facile ſolubilibus) etiamſi omnia pulveriſata, nec non in ſ. q. Aquæ ſimpl. ſoluta, nequaquam tamen à Terreorum pulveribus fortiter alias abſorbentibus vel minime ſaltim alterari, nec à Salibus fixis Alcal. inſtillatis rite edulcorari, aut cum effervefcentia vel ſtrepitu leviſſimo deſtrui poſſe, a Salibus è contra volatilibus alcalibus guttatim affuſis citiſſime ſtatim illa omnia acida fuiſſe arroſa, reſoluta, totaliter edulcorata atque cum maxima effervefcentia deſtructa. Non inique hinc eundem effectum excellentiſſimum Salium horum volatilium in corpore etiam noſtro notis promiſſurus, præſentibus nempe cruditatibus viſcidiſſimis, glutinoſisſimis, tenaciſſimis, & Terreorum antacidorum, fixorumque Salium Alcal. vim penitus eludentibus. Quemadmodum & eandem volatilium horum virtutem fortiſſime reſolventem, attenuantem, vivificantem β in ipſo quoque ſanguine corporis noſtri per Experimenta & Obſervationes ante omnium oculos clariſſime exponit *Borrichius in Herm. Ægypt. L. 2. c. 2.* Cruorem ex venâ modò emiſſum & adhuc calentem, inſtillato quodam volatili, ſtatim rubore perfundi pulcherrimo eoque durabili expertus, partim etiam *Matth. Jacobus Act. Haffn. V. 1. p. 208.* in viro quodam obſervans, ſangvinem hujus antea maxime craſſum, melancholicum ac nigrum poſt frequentem Salis volat. oleoſi Sylvii aſſumtionem formoſiſſime floridum, & nimio hujus medicamenti continuato uſu, ita tandem tenuem & reſolutum fuiſſe factum, ut crebriores poſthac ſubſecutæ ſint hæmorrhagiæ. Quibus effectibus certe rariſſime, vel nunquam a Salium fixorum genere obſervatis, deinde II. Salia volatilia plane proprias etiam ſpeciales & ſingulares quasdam qualitates, & uſus præ fixis illis exercere egregios in natura ſua atque poteſtate habent. α Nimirum ob ſummam ſuam ſubtilitatem in remotiſſimas ac tenuiſſimas partes & cancellos corporis noſtri penetrare, ibidemque incongrua & morboſa removere valent, in morbis eapropter crurum, capitis, aliorumque corporis membrorum extremorum non raro feliciſſima. Deinde β ob maximam ſuam volatilitatem citiſſime ad affectas partes avólare, brevique vires ſuas omnes abſolvere ibidem ſolent, ideoque in caſibus, ubi periculum in mora, ſemper præſtantiſſima. Atque tandem γ ob activitatem ſuam laudatisſimam nervulis & fibris partium corporis ægri motum, vigorem, tonumve antea deperditum gratiſſime iterum communicant, inſinuant, relinquunt, ad plenariam ſic demum ægrorum ſalutem, ſanitatem, perfectiſſimamque reſtitutionem. Quibus adeo nobiliſſimis Salium horum volatilium uſibus non pauci Expert. Practicorum commoti, Polychreſtorum ac univerſalium Medicamentorum Titulo ſplendidiſſimo illa ipſa dignari in ſcriptis ſuis non erubeſcere debuerunt.

CAPUT III. & IV.

DE NATURA ET DIFFERENTIIS ANT-ACIDORUM AQUEORUM ET VISCIDORUM.

§. I.

Ultimo adhuc ſuperſunt duo Medicamentorum genera inter ant-acida æque vulgo relata, *Antacida aquea.*

ta, & in morbis acidis etiam ſæpius haud ſine fructu præſcripta, Acidorum tamen naturam verè deſtruere minime potentia. Aquea nempe quod attinet, ab uſu & modô operandi diluentia dicta, in affectibus acidis omninò quidem hæc uſum ſuum dare ſolent, & quidem partim reſpectu ipſius acidi, partim reſpectu ipſius acidi, partim quoqve ratione Medicamentorum Ant-acidorum, pro curâ acidi ægris adhibitorum. Cum veris Abſorbentibus ſiquidem Diluentia hæc ſimul aſſumta 1.) impediunt, ne nimia effervescentia & ebullitio inter acida in corpore noſtro & ingurgitata Ant-Acida exurgat, Flatus & Tormina ventris moleſtiſſima aliàs concitans. In Experimentis etenim meis præmiſſis Terrea cum Spiritu ſalis permiſcens, oculis cernere habui, liquorem maximè ſpumeſcentem uno momento ſtatim totaliter vel maximam partem ſubſediſſe, & periiſſe modo aquæ ſ. quantitate ſuperaffuſa. Deinde 2. eadem Diluentia ſolvunt eo magis Alcalia ſalia aſſumta, ſicqve & hæc penetrandis reſolvendisque cruditatibus reddunt longe aptiora. Et 3. etiam ex corpore noſtro per Urinarias vias feliciter iterum eluunt Salia ſalſa, ne in magna copia enata ægro ſint infenſa. Præter hos uſus tandem & ipſorum Acidorum vim quodammodo infringere ac debilitare valent eadem Diluentia. Sicuti enim in Laboratoriis Chym. Aquam Fort. & Aq. Reg. potentiſſima Acida, copioſis affuſis aqueis edulcorari quotidie cernimus; ita quoqve, ut de gradu, quo Aquea hæc diluere ſolent Acidum, aliquales nobis faciamus conceptus, expertus nunc teſtor, Aquæ ſ. quantitatem, quam cochleare uſuale capit, Spiritus Sal. guttulas vj. ita obſcuraſſe & diluiſſe, ut ne minimum amplius acorem lingua mea guſtu dijudicare potuerit. Verum cum mixturæ huic edulcoratæ ſuperſperſo pulvere ocul. cancr. præpr. manifeſta mox ſuperveniat effervescentia & ſtrepitus, acidorum aculeos & naturam vere deſtruere poſſe Diluentia hæc nemo unquam ſtatuet, ideoqve & titulum Ant-Acidorum proprie ſic dictorum minime demerentia.

§. II. Sic eodem modo ſe habent Inviſcantia viſcida ſcil. glutinoſa, pinguiaque, nominatim ex animalibus omnis generis lac, olea deſtillata, gelatinæ, pingedines &c. & ex regno minerali terræ viſcidæ illæ atque ex regno vegetabili mucilagines, viſcidæ fructuum, balſami, gummata, reſinæ, olea, ſaccharum dulce, & ſic porro. Hæc omnia enim ob glutinoſitatem ſuam inviſcant quidem quodammodo acida, & ita ut guttulæ X. olei olivarum, olei terebinth. Balſ. peruv. &c. & gr. X.. Sacchari dulcis de Spiritu noſtro acido guttulas vj. penitus obvolverint & edulcorarint, ne minimo plane acore ulterius obſervato. Aſt miſcelis his æque adſperſo & commixto pulvere ocul. cancr. præp. acidum in illis adhuc integrum & indeſtructum iterum ſtatim in apricum venit per effervescentiam, & ſtrepitum ſupervenientem manifeſtiſſimum. Quemadmodum itaque acida tali modo in Experimentis inviſcata, nihilominus Terrea appropinquata tam facillime & maxime agunt, ita ſane & in corpore noſtro eadem acida continuo arrodere partes noſtras valebunt, etiamſi ab aſſumtis Inviſcantibus perfectiſſime involuta. Et cum præterea viſcida hæc glutinoſitatem ſuam haud difficile iterum in corpore noſtro deponant, modo accedente aliquo diluente & reſolvente, aut etiam modo per anguſtiores tubulos lege circulationis ipſa transcolata, ſufficienter ſane exin eluceſcet, quam minus in deſtruendo acido conducere ſoleant dicta illa inviſcantia. Atque igitur & his examinatis, finem nunc Examini meo de natura & Differ. ant-acidorum imponere licebit, modo paucis adhuc quibusdam circa Experimenta mea facta Corollarii loco prius annotatis. *Inviſcantia*

COROLLARIA.

I. Quoad Inſtrumentum, mediante Spiritu Salis acido naturam & vim abſorbentem ant-acidorum cunctorum fui experimentatus, non quaſi ignarus, viros Celeberr. Tachenium, Borrichium, aliosve pro examinandis herbis & animalium nonnullis cineribus adhibuiſſe ſemper alias mitiores acidorum quorundam ſolutiones, v. g. Mercur. ſublim. Sacchar. Saturni, vitriolorum, Saturni in Aqu. fort. factam, & ſic porro; ſed potius tanquam probe gnarus, ſolutiones illas non tales & tantas eſſe, quibus univerſa ant-acida, & rite accurateque expiſcari potuiſſem. Nam adhibitis illis ſolutionibus modo recenſitis α nequaquam infallibiliter ad præſentiam corporis ant-acidi argumentari licet, quippe Præcipitationem illarum ſolutionum præter vera alcalia ſimul quoque per alia concreta non ant-acida fieri obſervamus, ſcil. per ſalſa, teſte ipſo Tachenio, item per adſtringentia, quorum exempla habuimus in examine Terreorum vegetabilium, tandemque & per ipſa acida potentiora, prout ex Præcipitatione Magiſterii Sacchari Saturni clare conſtat. β Mediantibus illis ſolutionibus cognoſcimus vim alcalicam concretorum ſaltem aliqualiter & imperfecte, ſiquidem admixto illis ant acido aliquo concreto, vim abſorbentem aliquam vere adeſſe quidem concludimus, quanta vero ipſa ſit, nequaquam ſimul accurate edocti. γ Denique nec omnia ant-acida per illas cognoſcere poſſumus, non duriſſima ſcil. & compactiſſima corpora, v. g. Plumbum uſt. ferrum, lapidesve plurimos. Solutiones quippe illæ maxime dilutæ, atque ideo debiliſſimæ in duriora hæc concreta plane non ferme agere valent, hincque nec ſe manifeſtat in iis Terreorum ipſorum natura ant-acida. Eapropter potius Spiritus Salis, acidum potentiſſimum, mihi eligendus fuit, & ſufficientiſſimus certe & accommodatiſſimus ſemper pro ſcopo meo obſervatus. Spiritum enim hunc aliis corporibus inſtillans, etiamſi ex ſola ſuborta effervеſcentia & ſtrepitu ad præſentiam concreti alcalici nequaquam ſtatim argumentari potuerim, ſufficienter expertus, ſpiritum Nitri ac Butyrum antimonii utraque acida fortiſſima, in præparatione Bezoardici mineral. inter ſe mixta, maximam non minus ebullitionem atque ſtrepitum ordinarie excitare, nihilominus tamen præſenti tali effervеſcentia ego in Experimentis meis ſimul ſemper ad edulcorationem acidi ſubſecutam accurate attentus, ex his junctis phænomenis 1. infallibiliter & certiſſime ad præſentiam veri corporis alcalici, concludere valui, ſiquidem ſuperior binorum acidorum mixtura deſinente ipſorum effervеſcentia non æque acorem ſuum amittit, continuo cauſtica acidaque permanens, teſte ſufficiente ipſo Spiritu Nitri Bezoardico acido ex mixtura illa deſtillato. Deinde 2 mediante meo Spiritu Salis perfectiſſime & accuratiſſime naturam & gradum virtutis abſorbentis in quolibet Medicamento explorare potui, ſucceſſive ac guttulatim tantum, interruptisque vicibus, Spiritu illo à me nunquam non in illa inſtillato. Sicuti nec falſo cernere habui, in quo gradu quodlibet à quolibet abſorbente differat, ad omnia uno eodem Spiritu uſus. Tandem & 3 omnia quoque etiamſi duriſſima, quæ modo forte aliquantiſper acidum in corpore noſtro deſtruere ſoleant, per Spiritum meum, Salis cognoſcere mihi licuit, quippe vix ac ne vix quidem in ullis ægris fortius Spiritu Salis acidum unquam extabit, & quæ non à Spiritu hoc corrodi & ſaturari, aut cum ipſo effervеſcere vel ſtrepitum ad minimum excitare patiuntur, neque in corpore noſtro vim ant-acidam aliqualem exercere in poteſtate ſua unquam habebunt. Quemadmodum itaque Spiritus meus ſalis ſufficientiſſimum inſtrumentum, & longe aptius omnibus reliquis illis ſuperioribus aliorum adminiculis mihi ſemper conſtituit; ita quoque 4. maxime neceſſarium fuit, ut non mediante mitiori acido ant-acida Medicamenta

ta fuerim experimentatus, alias etenim duriora Terrea cum debilioribus acidis plane non aperte congredientia nec effervescentia, falſe ex Abſorbentium Claſſe excluſiſſem. Sicuti & 5. longe commodius mihi extitit potens acidum, quam mitius, pro tam copioſiſſimis corporibus experimentandis. Et quanquam in corpore noſtro rariſſime vel nunquam adeo atrox lateat acidum, ſpiritui ſalis æquale, facile tamen concludere poſſumus, cum hoc vel illud Medicamentum acidi potentiſſimi tantam deſtruxerit quantitatem, majorem adhuc mitioris acidi in ægris idem eſſe edulcoraturum.

II. Si quis certitudinis acquirendæ gratia experimenta mea repetiturus nonnullas forte guttulas vel plures vel pauciores, quam quidem ego numeraverim, hoc vel illud antacidum de ſpiritu ſuo ſalis abſorbere poſſe obſervaverit, non incerta propterea ſtatim & futilia experimenta mea pleno ore exclamabit, bene inſtructus, & ſpiritum ſalis meum, ipſius ac uniuscujusque diverſi ſemper eſſe gradus, & in Pulverum doſi quoque ad gr. ſem. l. j. facile ab incauto errari poſſe, & præterea præſertim ſcopum meum primarium ſaltim fuiſſe, modo demonſtrare, quæ vera & quæ ficta ſint Abſorbentia, id quod etiam ſufficientur factum.

III. Præter ſpem vero nihilominus commiſſo forte aliquo errore in aliqua parte, ne Lector Benev. me ſtatim nimis rigoroſe & dure accuſet, potius præcipitantiam omnem factam partim ampliſſimo Ant-acidorum experimentandorum numero, partim non adeo ampliori temporis moræ, elaborationi Diſputationis communiter deſtinatæ, partim denique primitiis Conaminum meorum gratioſe adſcribat, humillime rogo, ex hac benevolentia atque affectu mihi gratiſſimo ad omnia Officia cuilibet Digno obligatus promtus paratusque.

DEO interim T. O. M. grates easq; quas poſſumus maximas, pro adeo benigniſſima ſua mihi in hoc labore largiſſime conceſſa aſſiſtentia devotiſſime dicimus, ad nobiliora Opera & Actiones majores vires ab ipſo cordicitus exoraturi.

FINIS.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM Trigeſima Sexta: De REMEDIIS VULNERARIIS.

PRÆFAMEN.

DEliberanti mihi de argumento Diſſertationis convenienti, inter varia præprimis ſe commendarunt mihi REMEDIA VULNERARIA. Animadverti namque ſæpius, in his debite ſeligendis, juxta ac judicioſe & ex neceſſitate adminiſtrandis, aberrari multifarie ab illis, qui Chirurgorum titulum, ſimulque jus curandi plagas ſibi præ Medicis hodie ſumunt. Cumque inſuper viderem, à non paucis, quibus ægrorum ſalus curæ cordique eſt, idem hoc ſæpius ante me, eſſe monitum; imo certatim quaſi repurgationem hujus Augiæ ſtabuli jamjam eſſe àt ot Celeberrimis Medicis ſuſceptam, plus incitatus illorum exemplo, nullus amplius dubitavi elaborationi hujus thematis manum quoque admovere ſedulam. Nec defuit Summi Archiatri Benigniſſima Aſſiſtentia, ita ut feliciter ad finem perducere laborem, Tibique Lect. Benev. ſiſtere nunc valeam illum. Lege igitur & judica: ſed ita, quæſo, ut hominem me cogites, h. e. erroribus obnoxi„um. Quodſi enim, te„ſte Galeno, etiam doctis„ſimi labuntur aliquando & „oneri cedunt, & indulgent „ſibi, nec ſemper intendunt „animum, ſed habent ſatis dixiſſe aliquid, magis mihi polliceor iudicem benignum, ſi non ſemper ipſum veritatis ſcopum, aut quæ Tu pro veris tantum habes, mente, calamoque attigerim. Igitur cum Poeta

Nunc veniam pro laude peto, laudatus abunde,
Non faſtiditus ſi Tibi, Lector, ero.

§. I.

QVandoquidem non raro ex vocum ſignificatu ambiguo confuſio naſcitur errorq; inſignis, opus eſt ante omnia rubricæ reddere rationem, quidve nomine REMEDIORUM VULNERARIORUM velim, clare ac diſtincte exponere. *Onomatologia.*

§. II. Equidem quoad Remedii vocem, dubito, num facile quis, niſi omnino hoſpes ac peregrinus in Medicina reperiatur, quem lateat, hoc nomine in genere ſignificari omne, ut cum *Galeno l. de Simpl. Med. fac. c. 2. & 3.* loquar, quod eſt ἀλλοιωτικὸν τῆς φύσεως, h. e. naturam ſeu corporis noſtri ſtatum diverſum reddere, & à præternaturali ad naturalem reducere valet. Quodſi vero tale remedium hujus vel illius partis conditioni *p. n.* ſpeciatim occurrat, aut quando morbos certos ac determinatos, quibus implicitus antehac erat æger, auferat, nunc partis, cujus priſtinam ſanitatem reſtituit, vel affectus, quem removebat, cognomine ſuperbire incipit, ſicque remedia quædam cephalica, cardiaca, uterina, ſplenetica, hepatica, ſtoma-

ſtomachica &c. aut antifebrilia, antapoplectica, antepileptica, antiſpaſmodica, anthelmintica, antitrimica, antiloimica, &c. audiunt, & ſic etiam noſtræ explicationi deſtinata medicamenta à vulnerum, quam perficere ſolent, medela fuere nuncupata Vulneraria.

§. III. Utut autem quodammodo Vulnerariorum ſic innoteſcat natura, nondum tamen omnis difficultas nominis plenarie remota eſt, agitatur ſiquidem controverſia ſatis acerbe *teſte Tagaultio Inſt. Chirurg. L. II. c. I.* inter Medicorum Græcorum & Arabum ſectatores, quid vulneris nomine intelligi debeat. Scilicet qui Græcorum ſcripta Latinitati donarunt, ſæpius in laxo admodum ſenſu vocem vulneris uſurpant, ita ut ipſis ulcera quoque ac omnis pene ſoluta unitas illo ſub vocabulo veniat. E contrario Arabum interpretes per vulnera tantum intelligi volunt recentes cruentasque in partibus mollioribus ac carnoſis factas ſolutiones unitatis, adeoque in momento, ubi cruoris loco pus apparet circa labia læſionis, ceſſare nomen vulneris ſeu plagæ, inque ulcus mutari. Quod ſi tamen licitum mihi fuerit libere de hac controverſia meam aperire ſententiam; nec ſubſcribere poſſum prioribus, neſcio qua ex incuria vulnus & ulcus pro ſynonymis habentibus, Parentisque Galeni clariſſimis verbis *L. IV. Meth. Med.* traditam doctrinam deferentibus, quæ ita citato loco de differentia læſæ unitatis ſonat: Alia vocatur τραῦμα vulnus, alia ἕλκος ulcus, alia κάταγμα fractura in oſſe, alia σπάσμα diſtenſio in nervo, alia ἀπόσπασμα divulſio in ligamento, &c. neque Arabum fautoribus adſtipulor, cum purulentæ materiæ collectio, utpote ſymptoma ſaltim aliquod, minimè naturam prioris affectus, h. e. vulneris, tollere poſſe credam. Quæ enim, quæſo, prærogativa competit humorum putrefactioni? & cur non propter tumorem, inflammationem, hyperſarcoſin, aut aliud ſuperveniens ſymptoma nomen vulneris etiam mutarunt?

§. IV. Igitur ad vulnera, non ſolum recens & cruenta diſcontinuatio unitatis, ſed ſymptomata quævis ex hac læſione nata, illamque concomitantia aut inſequentia, jure referuntur. Pertinent adeoque huc non ſolum iſtæ læſiones ac plagæ, quæ ſimplices alias vocantur, inciſio ſcilicet, punctura ac ruptura, ſed compoſitæ quoque, quæ jam dictam inciſionem, puncturam & rupturam implicare videntur, quales à morſu animalium ac globulis è bombarda exploſis, cum ipſorum oſſium comminutione, aut ſubſtantiæ ablatione, conjunctæ ſunt. Imo nec reliquæ differentiæ vulnerum, accidentales alias dictæ, excludendæ ſunt, quæ à partis affectæ, muſculi ſeu membranæ, tendinis, vaſorum, viſceris, aut parenchymatis læſione, aut figuræ varietate aliisque ex fontibus deſumuntur.

§. V. Hincque, ut in ſummam contraham hactenus dicta, clariusque meam de vulnerariis ſententiam aperiam, talis naſcitur illorum deſcriptio, quod ſint medicamenta, quæ non ſolum læſæ unitati in quavis parte & quovis modo factæ, ſed etiam ſymptomatibus exinde natis inſimul ſuccurrunt. *Deſcriptio.*

§. VI. Indicans ergo primarium in vulnerum cura nihil aliud poſtulat, quam reſtitutionem in integrum & conſolidationem partium *p. n.* disjunctarum aut ablatarum. Equidem ſi verum velimus fateri, hæc ipſa reſtitutio neutiquam opus eſt artis, adeóque pro hac prima intentione vix ulla remedia ſeligi poſſunt. Quicquid enim obſervamus conſolidari ac conglutinari denuo, id ſolius naturæ beneficio unice fit. Sed audio non paucos mihi hic oggannientes vocem naturæ, quam ſolam dixi vulnerum eſſe medicatricem, ignorantiæ antiquorum eſſe aſylum, excogitatum ad occultandam turpem ignorantiam cauſæ veræ, hincque ridendam, & ex rationalium Medicorum ſcholis penitus eliminandam. Sed liceat mihi pace horum cenſorum aſſerere, non adeo ridiculam & chimæricam hancce philoſophandi eſſe rationem. Modo enim delicatulæ ipſorum aures tolerare poſſint explicationem accuratam vocis

vocis hujus ſatis ambiguæ, quam *Gerhardus de Neufville Synopſ. univerſ. Phyſ. p. m. 2. & illuſtris Boyleus Tr. de ipſa natura*, ex profeſſo dederunt, innoteſcet ipſis, ſæpe naturam ſumi pro principio motus interno. Adeoque nihil prohibet dicere, ex motu & ſecretione humorum glutinantium, à vitali corporis noſtri principio facto, unice produci novam cohæſionem disjunctarum, & regenerationem ablatarum partium.

§. VII. Sed liceat mihi melioris doctrinæ gratia fuſius paululum hiſtoriam vulnerum, & quid poſt ſolutam unitatem accidat partibus, examinis incudi ſubjicere, quo veritas non ſolum effati hujus, verum quoque methodi medendi ac operationis medicamentorum noſtrorum pateſcat ratio.

Hiſtoria vulnerum ac ſymptomatum.

§. VIII. Scire hinc eſt, (1.) fibras quasvis tam carneas, membranaceas, nerveas, tendineasque una cum vaſis expanſas & ramificatas eſſe, non ſolum in integumentis & muſculoſis partibus, ſed etiam in interioribus & viſceribus: (2) per has fibras cunctas transcolari & filtrari tam communis uſus, h. e. nutritionis, quam privati, nempe depurationis exaltationisque ulterioris cauſà ſangvinem ſerumque, (3.) diſſecta aut dilacerata vaſa nunc ſangvinem impetu quodam fundere, nunc ſerum ſaltim ſtillare, (4.) fibras quasvis ſtatim poſt diſſectionem conſtringi & criſpari, adeoque hiatus & aperturas ſatis patulas in vulneribus inprimis carnoſarum partium naſci. Hinc (5) non ſolum intercipitur omnis per iſta loca humorum circulatio, ſed (6.) propter continuum per cordis ſyſtolen factum ſangvinis appulſum, tumores naſcuntur jam ſimplices, jam inflammatorii, qui inſigniter augentur, ſi (7.) labia vulnerum non tueantur ab aëris liberioris acceſſu, utpote à quo inprimis frigidiori, aut aliis rigidioribus, aut acribus atomis prægnante, ſemper ſymptomata hæcce graviora fiunt. Stagnans ergo *p. n.* in his criſpatis fibris humor vappeſcit, corrumpiturque, unde (8.) dolores oriuntur jam lancinantes, ardentes, tenſivi, imo (9.) hinc irregularis humorum motus febrisque naſcitur vulneraria dicta, ut & convulſiones ac vomitus. Uti vero plurima & tantum non omnia ſymptomata deſunt in levioribus vulneribus, aut evitari vel declinari ſaltim poſſunt, ſi prudens verusque naturæ miniſter extiterit Chiriater: ita in amplioribus ac profundioribus Vulnerario apparatu utique opus habemus. Et quidem ante omnia requiritur, ut Chirurgus ſangvinem impetuoſius prorumpentem ſiſtat, poſtmodumque conatibus naturæ inſufficientibus ſuccurrat remediis peregrina corpora educentibus, labia vulnerum combinantibus, criſpaturam fibrarum læſarum impedientibus, aut præſentem una cum dolore ac febre removentibus. Sic ſponte redibit humorum circulatio, ac purulenta ſe ſiſtet in cavo vulneris materia; quare niſi illud pus apparuerit, ejus productionem promoventia, quæ digeſtiva uno dicuntur verbo, convenient, usque donec pedetentim læſis partibus reddatur rurſum alimentum novum, ac redintegretur denuo illud, quod diſſectum vel amisſum erat. Cavendum tamen ſedulo, ne nimium putridis ſordibus inquinetur vulnus, quo in caſu detergendum & repurgandum id ipſum eſt, quemadmodum ſi nimio humorum affluxu caro luxuriare incipiat, refrenandum ſuperfluum incrementum, & quæ jam excreverat caro ſuperflua, rurſum auferenda, tandemque cicatrix, niſi ſponte id fiat, inducenda læſioni eſt.

Officium Chirurgi

§. IX. Quod ſi ergo curæ noſtræ ſiſtatur enſe aut quovis alio inſtrumento ſauciatus, largaque per vulnus patens contingat hæmorrhagia, adhibenda ex vulnerariorum catalogo ſtatim ſunt, quæ peculiari alias appellatione Græcis ἴσχαιμα vocantur. Uti vero iſta varie operantur, ita pro rei exigentia ſelectus illorum habendus venit judicioſus. In hoc noſtro caſu cum cauſa ſit in aprico poſita, omnis labor Chirurgi eo tendere debet, ut curſus ſangvinis per disſecta vaſa inhibeatur. Obtinebit hoc, ſi primo *Ven. Section.* vocaverit in ſubſidium, derivatur enim ſangvis aliorſum, ac interea ſpatium conceditur vaſis, continuo alias diſtentis, quodammo-

In Vuln[eri]bus ina[...] tia ſum[...] xu ſan[g...] nis ſiſte[...]

dammodo ſe corrugandi. Sed magis adhuc celebria ſunt externa remedia, eaque nunc mere chirurgica, nunc pharmacevtica. Ad chirurgica refertur vaſorum compreſſio per recentiorum Torcular (*Galli vocant un Tourne-quet*) cujus mentionem facit *Muys Pr. Chirurg. ration. D. V. p. 62. Nuck Operationum & Experimentorum Chirurgicorum p. 99. fig. IX.* aliique ex recentioribus Chirurgis, quod omnino convenit cum deligationibus ſtrictioribus ſupra vel infra læſionem (prout ſcil. vel arteriæ aut venæ truncum diſſectum obſervamus) circumjectis. Conferatur *Jobus à Meekren Obſ. Chirurg. p. m. 163. ſeq.* Si hæc nondum ſuffecerint, *Hildanus Chirurg. p. 823.* vaſorum diſciſſorum oſtia filo duplicato conſtringere jubet. Facilius tamen hoc ſvaderi, quam perfici poteſt. Ex hoc fonte etiam deſumere Chirurgi ſolent cauteria, modo potentialia, v. g. Sandaracham ſive auripigmentum, oleum vitrioli &c. *vid. Severini Trimembris Chirurgia & Bartholini Tr. de Cauteriis*, modo actualia, h. e. ferrum candens, cujus admotione eſcharam inducunt celerrime arteriis læſis, ſicque obicem ponunt erumpenti ſangvini. Minus tamen jucunda, ſed è contrario crudeliſſima cum ſint hæc remedia, non niſi ultima urgente neceſſitate adhibenda veniunt. Idem judicium eſto de totali diſſectione arteriæ aut ablatione partis, ſi nempe per ipſius fiſſuram erumpens ſangvis auxilia cætera reſpuat. Remedia Pharmacevtica in triplici turma ſtant. Prima continet, quæ glutinoſitate ſua obſtruunt oſtia vaſorum, e. g. farina volatica juxta *Tabernæmont. L. 1. pag. 647.* aut gluten vulgare, quod ſæpius ſub forma liquida vulneribus admodum patulis inſtillatum egregie profuiſſe bibliopegis, arculariis aliisque hujus farinæ mechanicis, qui illud ſtatim ad manus habent, novi. Neque aliter operari puto albumen ovi, ſangvinemque exſiccatum vulneribus inſperſum, *de quo videatur Joël. Prax. p. m. 202. Wedel. Amœn. mat. med. p. 507.* In altera claſſe collocantur ſpongioſa & lanuginoſa. Sic ſpongia marina prius in aqua ſimplici aliquoties decocta, lanugo ſalicis, fructuum cydoniorum, caſtanearum, affirmante *Rondeletio p. 283.* vel pili leporis, tela aranearum aut muſcus terreſtris, *vid. Blegny Zod. Gall. P. 1. p. 49.* linteamina uſta, *confer Gehema* in der Feldſcheer-Kunſt / aut linteorum ramenta multiplici experientia commendata ſunt. Nota tamen circa ultimum remedium, ne lintei genus, quod belgice dicitur Catoen / ad præparationem raſilis hujus lanuginis aſſumatur; ineptum ſiquidem id pro hac intentione penitus eſt, utpote egregie hiſpidum & aculeatum, *prout Cl. Muys in Prax. Chir. Rational. D. V. p. 11. 12.* per microſcopium illud annotavit. Tertia claſſis aſſervat coagulantia ſangvinem & vaſa conſtringentia, nempe bolum armeniam, hæmatitem, terram ſigillatam, gypſum, fungũ pulverulentum ſive crepitum lupi, pulverem gallarum vel uſneam cranii humani, & denique vitriolum ac alumen, è quibus famoſi liquores ſtiptici, *in Act. Hafn. V. 11. p. 349. & à Webero Tr. de Liq. ſtiptico* deſcripti, parantur. Refero huc etiam Spiritus vini uſum, de quo videatur *Excell. Bohnii*, Patroni & Præc. mei ætatem devenerandi, obſervatio, *in Actis Erud. Lipſ. Anno 1683. menſe April.* divulgatis, hac tamen adjecta cautela, ne totum vulnus, ſed oſtia vaſorum tantum cum plumaceolis immiſſis tangantur, ac vulnus ſtatim deligetur. Mirum forſan inexpertis videbitur, ſi præterea etiam ſub hac turma à me collocatum reperient oleum deſtillatum Terebinthinæ, alias extra controverſiam ſatis volatile & æthereum, adeoque ad reſolutionem magis quam coagulationem ſangvinis aptum. Verum cum pro hoc ſcopo non ſolum illud ipſum egregie extollat *James Yonge in Curru triumphali Terebinthi*, ſed ipſe quoq; tam in canibus, dum vel lienem vivis exſcinderem, aut propter alia experimenta ramos arterioſos inſignes ſecare neceſſum haberem, quam haud ita pridem in virgine quadam, quæ caſu ſibi truncum aliquem arteriæ ad mammam ſiniſtram diſſecuerat, effectum, autoris pollicitis omnino reſpondentem, annotaverim, non poſſum non virtutes

olei

olei dicti hic quoque prædicare ſingulariſſimas. Imo ſi partes nervoſæ & tendinoſæ injuriam expertæ fuerint una cum ſangviferis vaſis, hoc memoratum oleum ſvaſerim præ omnibus liquoribus ſtipticis acore nimio præditis, utpote partibus nervoſis extreme inimicis. *Confer. Paræus Chirurg. l. 10. cap. 13.*

Rerum peregrinarum extractio. §. X. Sequitur nunc alterum indicans, ſcil. peregrinarum rerum è vulnere extractio. Veniunt autem hoc titulo quævis vulneribus inhærentia, v. g. veſtium laciniæ poſt vulnera ſclopetorum, arenulæ, ſi lapide petitus fuerit æger, item crines, charta, globuli plumbei, cuſpides ſagittarum vel gladiorum, feſtucæ, &c. Nec ſola hæc ab extra advenientia ſubintelliguntur, pertinet etiam huc ſangvis congrumatus, oſſiumque fragmenta, quæ licet ſani alias corporis ſint incolæ, nihilominus in hoc ſtatu non ſecus ac modo nominata, peregrinis ac vulneribus plane adverſis rebus accenſeri merentur.

per manualem operationem, §. XI. Convenit autem cuncta hæcce, quantocyus fieri poteſt, adaptato quodam inſtrumento Chirurgico extrahere, quorum icones ex antiquioribus *Bartholomæus Maggius, Johan. Franciſc. Rota, Alphonſ. Ferro, Leonhardus Batallus de Sclopetorum & tormentariorum vulnerum natura & curatione*, ex recentioribus vero *Scultetus in ſuo Armamentario, Solingen tr. de Manual. Operation.* depingunt, uſumque tradunt. Cautione tamen hic maxima opus eſt, & primo quidem circa telorum globulorumque aut ſimilium extractionem; ſæpius namque ita ſunt impacta, ut in vivis neutiquam, licet optime operatus fuerit artifex, ſervari æger valeat, ſed inter operandum præ dolore aut hæmorrhagia exſpiret, qui ſine hac remotione aliquandiu adhuc, nempe per unam alteramve horam vivere poterat. Ne ergo interemiſſe videaris, quem morbi atrocia tollit, manum hic de tabula.

§. XII. Sed quamvis triſtis hic eventus neutiquam ſit metuendus, blanda tamen ac prudens nihilominus Chirurgi ad hanc operationem ſemper requiritur manus, quando volſellis vel linteo ſaltim molliori aut ſpecillo linteis carptis in extremitate munito heterogeneitatum dictarum eductionem molitur, imo ſi nimia adfuerit hæmorrhagia, aut ſaltem immineat, aut ſi oſſium fragmenta adhuc quodammodo cum perioſtiis connectantur, differendus eſt labor in craſtinum diutiusque. Quodſi tamen penitus ſeparata videat ipſa, nil impedit, nimium anguſto exiſtente vulneris oſtio, ſcalpelli acie, vel turundis immiſſis dilatare illud, atque tum removere hunc importunum hoſpitem. Id quoque hac occaſione de pilis annotandum adhuc eſt, illos non ſolum vulneribus inhærentes celerrime eſſe extrahendos, verum etiam qui ſupra & circa partem læſam naſcuntur, novacula eſſe abradendos, ne emplaſtrorū applicationi intempeſtive reſiſtant.

§. XIII. Aſt præter manualem operationem epiſpaſtica, *h. e.* expellentia & extrahentia medicamenta interna & externa commendantur *à Dioſcoride, Galeno, Plinio, Avicenna aliisque.* Exempli loco ſit Dictamnus, quem à cervo devoratum vi ſingulariſſima planeque ſpecifica brevi ſagittas corpori infixas ejicere docent. Abrotanum vero, Allium, Cyclaminis rad. Picem, Mel, Gummi Ammoniacum, Fel caprarum cum vino, Filicem, Naſturtium, Urinam hominis, Terebinthinam, carnes ſale conditas piſcesque, axung. lepor. mandrag. verbaſc. oſtrea, cochleas, cancros fluviatiles, fructus roſar. berberum, & neſcio quæ non ex his compoſita cataplaſmata & emplaſtra externe applicata mire extollunt alii. *Conf. Jacobus Dondi Remed. Chirurg. c. 2.* Vereor tamen, ne nimis credula antiquitas plus longe virtutis aſſignaverit commemoratis, quam vere poſſident. Et licet conceſſerim quandoque effectum ſperatum ſupervenire, & exire peregrina iſta corpora, male tamen cauſam in attractrice & expultrice quæſiverunt facultate, quicquid enim à Dictamno ſperandum illud vi diaphoreticæ, quicquid ab Abrotano, Allio, &c. acrimoniæ, quicquid ab axungia leporis, &c. anodynæ, quicquid ab oſtreis &c. refrigerandi, quicquid deni-

& Epiſ[paſti]ca.

denique à roſis, ipſarum adſtringendi virtuti debetur. Et hinc facile judicandum eſt, quid de emplaſtris, quibus pulvis magnetis admixtus eſt, ſperandum ſit; minime profecto illa externe vulneribus impoſita extrahent ferrum, cum per contritionem magnetis illa famoſa virtus alliciendi hoc metallum in univerſum pereat.

[La]biorum junctio

§. XIV. Peracta ergo extractione peregrinorum corporum tertia ſe ſiſtit indicatio, conjunctio nempe labiorum, vulneris & conſervatio in tali ſtatu, quæ prout ſumme neceſſaria eſt, ita unice prudentis Chirurgi eſt opus. Fit vero illa ratione triplici per deligationem, quando poſt accuratam coaptationem labiorum vulneris, ita, ut (*monente Fallopio*) extremitates accurate ſibi invicem reſpondeant, faſciæ convenientes ac pulvilli adhibeantur. *[per] deliga[ti]onem* Non mei inſtituti eſt ex profeſſo ad examen vocare faſcias, materiamque ipſarum, magnitudinem, figuram ac differentiam, methodumque applicandi, qui vulnerum medicam materiam magis meditor, prætereaque ſciam jam dudum à plurimis Chirurgis, ex profeſſo vero a *Galeno tr. de faſciis, Oribaſio de laqueis, Jacobo de Marque traite des Bandages de la Chirurgie* maxima cum induſtria eſſe hæc omnia deſcripta, figuriſque æneis expreſſa. Unice igitur monendum venit, blandam requiri in hac operatione contrectationem labiorũ, nec vincula nimium arcta eſſe adhibenda, ne ex alterutro errore loco unionis & combinationis ſperatæ, triſtia excitentur ſymptomata, dolores puta, inflammatio aut gangræna ipſa & ſphacelus. Proinde ſi tardius acceſſerit Chirurgus, poſtquam ſcil. indurata ac tumore p. n. occupata fuerint labia vulneris, prius diſcutientibꝰ appropriatis fomentanda ſunt iſta, usque donec omni tumore ſoluto, appareat rurſum in illis flacciditas, reductionem admittens.

§. XV. Quoniam vero intentioni noſtræ ne tum quidem omni tempore ſatisfaciunt deligationes, (locum enim plane non inveniunt in vulneribus majoribus & muſculorum transverſis, utpote quæ dehiſcunt magis quam uniuntur ab ipſis,) igitur ad alterum modum conjungendi illa & conjuncta ſervandi deveniendũ eſt, quam vocant Chirurgi ſuturam ſiccam. Ita vero res cum ipſa ſeſe habet. *per ſuturam ſiccam.* Aſſumit Chirurgus emplaſtrum aliquod firmiter adhæreſcens cuti, emollitionemq; ſi forſan ſangvis, pus, aut alia humiditas è vulnere exſtillaverit, non admittens, qualia ſunt empl. diapalma rite paratum, vel ſtipticum Crollii, aut glutinans quodcunque, herniis alias deſtinatum, ſcinditque ipſum in teſſulas digiti utplurimum longitudinem ac latitudinem vix ſuperantes, ita tamen ut extremitatũ ſpatia ampliora, quam ventris ſint, quo exitus pateat liber transſudanti ichori corrupto & putrido. Unum hujus teſſulæ extremum oppoſito agglutinatur vulneris labio, poſtmodumque attrahitur, ſique opus fuerit, aliquot ejusmodi vincula adhibita certo cutim cum carne ſubjacentem, ſi non prima ſtatim vice, ſucceſſive tamen & pedetentim ſibi adducent. Alium adhuc modum hujus connexionis vulnerum *Fabr. ab Aquapend. Operat. Chir. p. 325. Andr. à Cruce l. 2. c. 21. Paræus l. 9. c. 25. deſcribunt*, ſed hunc, utpote longe compendioſiorem, recentiores omnes præferunt.

§. XVI. Non tamen ex hoc ſolum capite, verum etiam ex aliis illud ſuturæ genus ſe commendat ægris ac Chirurgis. *ſuturam veram* Præterquam enim quod in univerſis vulneribus conveniat, ubi reliquis locus haud conceditur, etiam aliis aſſociari poteſt, imo nunquam adeo doloroſum eſt, nec tot ſymptomatum, doloris puta, inflammationis, cicatricum turpium, infelix eſt genitrix, ac de reliquis inprimis ſutura vera teſtatur quotidiana experientia. Nihilominus quandoque inſufficiens adhuc gluten hocce deprehenditur, in penetrantioribus ſcil. abdominis, aurium nariumque vulneribus, & ubi cutis ac carnis ingens portio ita reſecta eſt, ut valde propendeat, quo tempore cogimur utique ad proprie ſic dictas ſuturas confugere. Inſtrumenta vero huic operationi inſervientia, acum nempe, filum, cannulam feneſtratam, &c. ſpeciesque ſuturarum diverſas, incarnativam, ſuppreſſivam & conſervativam, iterum

iterum prolixe non deſcribo, cum qui omnium in manibus teruntur, Chirurgi tam Græci, quam Latini ac Germanici idiomatis, enchiriſes adhibendas ſufficientiſſime inculcent. Sequentes nihilominus cautelas adjicere neceſſarium omnino duxi (1) ne ſutura adhibeatur, niſi cruenta adhuc fuerint labia vulneris, adeoque deficiente hoc requiſito ſcarificari debent, aut alio modo ad novum ſangvinis ſtillicidium diſponi, (2) ne in articulationum læſionibus adornetur propter nervorum, membranarum, ligamentorum, tendinumque frequentem iſtis in locis concurſum. Caute ergo à tyrone chirurgo imitanda eſt cura, quam Paræus *l.24.c.19.* recenſet, ſcil. aliquando Chirurgum Aurelianenſem tendinum poplitem flectentium extrema extremis appoſitis aſſuiſſe, ſicque ex voto curaſſe vulneratum.

Criſpaturarum ac ſpaſmorum ſublatio.

§.XVII. Counitis ſic quodammodo fibris, ulterius incumbit Chirurgo, ut criſpaturas ac ſpasmos læſarum partium tollat, quæ quidem ſemper in omnibus vulneribus plus minus occurrunt. Equidem ſi in partibus carnoſis læſio contigit, ſæpius natura ſponte, aut balſamicis uſitatis vulneri inſtillatis quodammodo adjuta, ſatisfacit ſibi ipſi, verum plus laboris impendi debet, ſi tendinoſæ, nerveæ membranoſæque partes ſauciatæ fuerint. Antiqui pro hoc ſcopo ol. inf. roſ. nymph. lil. alb. hyperici, maſtichino inungere locum vulneratum jubent. Attamen niſi ſtatim circa initium adhibeantur, antequam humores intra fibrarum poros hærentes inſpiſſati corrumpantur, non facile imitari illos ſuaſerim, ob metuendam inde pororum obſtructionem. Potius ergo nervina ac antiſpasmodica vera cum recentioribus approbo, ſcilicet ſpiritum vini ſimplicem vel theriacal. roſmarin. chamædrym, chamæpityn, majoranam, puleg., baſilicum, mentham, rutam ſylveſtrem & domeſticam, ſalviam, flores ſpicæ, lavendulæ, ſtœchados, beton. baccas lauri & juniperi &c. in lacte vel vino decocta, vel axung. cat. ſylv. aut Caſtorei cum oleo deſtillato Angel. Aniſ. Succini, Tereb. Junip. Petr. &c. in linimenti formã redacta. Interne vero dentur antiſpaſmodica uſitata Dens Hippopot. Unic. ver. C. Rhinocerot. raſ. ungulæ alcis, ſuccinum, cinabaris antimonii & quæ ſunt hujus generis alia.

Præſerv... à frig...

§.XVIII. Pertinet huc etiã tanquam remedium præſervativum, ſi inter deligandum aëris frigidioris acceſſus per admotum vas, carbones ignitos continens, aut per linteamina calefacta, vulneriq; circumpoſita arceatur; usque adeo enim nocet aër talis incaute admiſſus, ut ſæpius unice cauſa tumoris moleſtiſſimi, aliorumq; gravisſimorum ſymptomatum fiat. Intuitu hujus *Cæſar Magatus de rara vulnerum medicatione*, *& Ludovicus Septalius Animadverſ. & Caut. l. VIII.* hanc aëris excluſionem à vulneribus tantis extollunt præconiis, ut plus ipſi tribuant in conſolidationis negotio, quam cunctis aliis remediis. Cum enim calor partium (ſic loquuntur) inſigniter lædatur ab aëris injuria, à quo tamen ſalus dependet univerſi corporis, igitur poſt accuratam combinationem labiorum vulneris nil aliud ad univerſam conſolidationem requiri arbitrantur, quam applicationem emplaſtrorum glutinantium, quo vulnera tuta ſint ab aëris hoc impetu. Non prorſus abſurda eſt, fateor, hæc doctrina, licet quæ de calore proferunt innato ejusque conſervatione, doctrinam redoleant antiquam. Manifeſtum enim eſt admiſſi aëris frigidioris damnum, quatenus fibras læſas magis magisque conſtringit, ſicq; exitum intercipit humoribus conſolidationi alias inſervientibus, & contra producit omnis generis tumores, qui non niſi majori apparatu disjici & reſolvi rurſum poſſunt.

Defenſiva quænam ſi...

§.XIX. Videntes ergo antiqui Chirurgi hæcce damna, utut cauſam veram ignorarent, nihilominus admodum ſolliciti fuerunt, ut impedirent iſtas intumeſcentias vulnerum, aliaq; exin oriunda ſymptomata. Hinc defenſivis remediis circumdederunt loca vicina, vulnusque ipſum. Sed licet ſplendidꝰ ſatis medicamentorum horum ſit titulus, nihilominus ſi accuratius palulum examines iſta, nil ſunt aliud, quam pura ac vulgatiſſima adſtringentia, nempe bol. vulgaris, creta, ſang. Dracon. terra ſigill. oleum myrtin. acetum roſ. rubr. fl. balauſt. cort. gran.

gran. &c. Laudandus itaque potius conatus horum Chirurgorum, quam effectus defenſivorum eſt. Quem enim quæſo in uſum conſtringere volumus ulterius fibras à vulnere jam criſpatas? Merito igitur à recentioribus defenſiva hæcce ex officinis Chirurgicis relegantur, utpote quæ ut plurimũ exigui commodi, noxæ vero maximæ ſunt, imprudentius admiſſa.

§. XX. Id enim certo contingit, ut ex interrupto ſangvinis appulſu ob denegatam translocationem per fibras corrugatas ſtagnet, inſpiſſetur tandemque corrumpatur lymphatica ejus portio, unde poſtmodum tumores ſimplices, inflammationes, dolores, convulſiones, febres, gangræna & ſphacelus &c. trahunt originem. Quodſi ergo vel propter defenſiva inepte adhibita vel ex aliis cauſis ſymptomata ſuperveniant dicta, peculiaria illis rurſum opponi debent remedia. Tumor ſimplex, qualis pene ſolenniter obſervatur primis morbi diebus, ſæpius ſolis linteaminibus calidis cedit, præprimis ſi faſciæ non nimis arcte circumvolvantur, utpote à quibus alias naturalis humorum refluxus retardatur inſigniter. Sed nimium contumaci dolorique ſimul tenſivo ſtipato, opponi debent reſolventia, videlicet marub. hyſſop. roſmarin. agrimonia, abſinth. majoran. flores hyperici, ſem. carvi, cumini, aniſi, fœnu gr. baccæ juniperi & lauri una cum nervinis §. 17. traditis, & quidem nunc ſacculis interpaſſata, vel cum vino aut lixivio decocta, vel in cataplaſmate. Quibus ſtercoraria placet medicina, reperient in gallinarum, columbarum, caprinoque fimo cum aceto & ſale in pultaceam maſſam redacto remedia optima. Illi vero qui aliorum vitulo arare, h. e. compoſita jam & officinalia in uſum vocare conſveverunt, emplaſtr. oxycroceum, diaph. Mynſ. diaſulphuris Rulandi, hydropicum Auguſtanorum, de gummi Ammon., ſecundo ſucceſſu adhibebunt.

...nore ...entia.

§. XXI. Nondum ſi his auſcultet malum, forſan ob nimiam ſeri in corpore abundantiam in vulneraria etiam mutantur ex internis remediis evacuantia, tam quæ per peripheriam corporis, quam inferius guttur educunt. Non me latet à quibusdam recentioribus ultima nominata ceu penitus inepta in cujusvis morbi, adeoque etiam in vulneris cura rejici, cum partim venenoſæ qualitatis cum *Helmontio* iſta credant, partim vero exagitare ſaltem humores pravos, non ſine inſigni ægrotantis periculo (cum nunquam non vires manifeſto deſtruant) dicant. Aſt unica diſtinctio, inter medicamenta violenter purgantia & blande laxativa, cuncta, ni fallor, ſolvit dubia. Eſto enim Helleborum, Eſulam, Elaterium &c. venenorum catalogo eſſe inſcripta, humoresque non ſolum exagitare enormiter, ſed etiam ipſis qualitates ſuas pravas vulnerum conſolidationi plane adverſas imprimere, inſigniterque corporis vires delaſſare; minime tamen idem affirmabitur jure de ſennæ fol. rhabarbaro, polypodio, agarico, mechoacanna &c. juſta doſi, cumque prudentia adhibitis. Quod ſi vero nimium adhuc timidus fueris, loco horum clyſmata emollientia aliaque blandiora frequenter injecta commendata tibi ſunto, à quibus, quid levaminis in hoc caſu acceſſerit ægro, experientia te docebit, optima incredulorum magiſtra.

...uantia.

§. XXII. Hiſce ergo vulnerariis occurrendum tumori leviori, ſed aliis longe opus habemus in inflammatorio & eryſipelaceo. Commendantur à priſcis pro hac intentione bina potiſſimum medicamina, repellentia ſc. ac *V. S.* Repellentia dicuntur, quæ ab extra appoſita vi adſtringendi aut refrigerandi tumorem & affluxum humorum reprimendo, partiumque poros claudendo agunt. Talia ſunt vel refrigerantia, v. g. aqua ſimplex frigida, lenticulæ paluſtr. caſeus recens, acetum, ſuccus ſemperviv. M. acetoſ. atque plantag. &c. vel adſtringentia, rad. tormentillæ, ireos paluſtris, biſtortæ, ſangviſorbæ, ſymphyti majoris, bolus tam ſimplex quam armenia, creta, terra ſigillata, cort. gran. flores balauſtiorum & roſarum, fol. cupreſſi, ſalicis, quercus, ſumach, gallæ, myrtilli exſiccati, vitriolum, alumen & ſaturnina quævis &c. Sacra hæcce omni-

In Eryſipelaceo tumore.

Repellentia.

mnium priſcorum ſunt anchora, adeo ut nullum reperias ex omnibus ſuperiorum ſeculorum Medicis ac Chirurgis, qui talia non adhibeat, ſummisque præconiis ornet. Nihilominus a recentioribus noſtrique ævi chiriatris *Bontekoe*, *Overkampio*, *Muys*, *Blankardo*, *Daelmanno* &c. non ſolum damnantur ipſa, ſed præterea ceu ineptiſſima conviciis infinitis proſcinduntur. Audiamus ſaltem ex his *Heydentrickium Overkamp*, *qui* im neuen Chirurgiſchen Gebäude *expreſſis verbis p. m. 571.* iſta commendantes, malitioſos impoſtores, & rationi omni imprudentiſſime reclamantes nuncupat, quippe, qui obſtructionibus ac inflammationibus magis dent anſam, quam afferant levamen aut ſolatium.

Reſolventia §. XXIII. Itaque potius ab his in locum illorum pro uſu externo æque ac interno, quæ ſpiſſis humoribus fluiditatem conciliare, ſangvinisq; motum interceptum reſtituere valent, ſubſtituuntur. E. g. herba ſcordii, fol. rorismarini, ſalviæ, cent. min. agrimon. ſabinæ, ſummitat. abſinth. rutæ, abrotani, menth. bryon. ſem. cumin. fœnic. aniſ. leviſt. carvi, baccæ lauri, juniperi, cort. citri, myrrha, aloës, cinamom. macis, vel cum vino decocta, vel ope ſpiritus vini extracta. Addi his poſſunt, ſi minus forſan ſuffecerint, ſpirit. ſal. ammonia., camphora aut ſperma ceti in ſpiritu vini ſoluta, poſtmodumque ſub forma epithematis vel in cataplaſma cum pane biſcocto redacta, ſingulis diebus ad minimum quinquies calide applicentur; omnibus enim aliis quibuscunque medicamentis facile præripient palmam, inprimis ſi pro uſu interno acorem abſorbentia ac diaphoretica in ſubſequentibus, ubi de febre vulneraria, tradenda ſimul adhibueris.

§. XXIV. Non rejicienda penitus hæc doctrina eſt, utpote rationi ac experientiæ admodum conformis. Sed neſcio, quomodo cum dogmate hoc concordat, quando *Janus Abraham à Gehema* ſectator ſtrenuus ſupra nominatorum Doctorum *in Tract. Germanico* der krancke Soldat ſerio inculcat Chirurgis, ut ceu peſtem fugiant omnia refrigerantia, repellentia ac adſtringentia, & nihilominus ipſe lithargyrium ac ſaccharum ſaturni immediate ante hanc animadverſionem inter remedia adverſus inflammationem inſervientia collocat. Miror etiam *Overkampium Chirurgiæ p. 558.* adeo reprehendere antiquos Chirurgos, quod vulneratis interdixerint vini potum, quem tamen non ſolum concedi, ſed imperari ac ſuaderi læſis (utpote optimum analepticum) debere docet, immemor penitus aciditatem omnem, adeoque etiam vini nocere manifeſto ſangvini, & per conſequens fibris in vulneribus diſciſſis.

§. XXV. Sed tranſeant hæc. Videndum nunc quoque eſt, num etiam venæ ſectio recte adverſus inflammationem commendetur. Si autoritatibus militandum eſſet, univerſus priſcorum Medicorum exercitus pro partibus affirmativis ſtaret, uno ore clamans, nunquam niſi præmiſſis præmittendis, h. e. venæ ſectione, aggrediendam eſſe hanc curam. Auſi nihilominus brevi ante commemorati Auctores ſunt, præeunte *Helmontio*, adverſus hos inſurgere, uſumque hujus remedii pariter ſuſpectum reddere. Unus ſit inſtar omnium *Bontekoë*, qui *Chirurg. p. 657. ſeqq.* nec pro ſcopo curandi neq; præſervandi venæ ſectionem quicquam facere pugnat acerrimè, inutilem omnino ipſam juxta ac damnoſam periculoſamque appellans. Inutilem autem putat, quoniam aliis, tutioribusque remediis idem poſſimus impetrare; damnoſam, quoniam plurimorum pravorum ſymptomatum infelix fiat puerpera; periculoſam tandem, cum vires, caloremque partium conſumat, ſangvinem inſpiſſet, ſæpiusque miſeros ægrotantes plane interimat. Si tanto viro contradicere licitum eſt, dixerim allegata argumenta non eſſe adeo robuſta, ut venæ ſectionis contemtum excitare apud Medicos veros valeant. Petunt ſiquidem cuncta principium, ſapiuntque opinionem præconceptam. Hinc clariſſimus hicce vir contra omnium Medicorum aſſertionem, experientiamq; pene quotidianam cogitur negare plethoræ veræ exiſtentiam, revulſionisque ſangvinis uſum, toties à priſcis juxta ac modernis cele-

V. Se

celebratum. Etenim inſpiciantur modo brachia ruſticorum ac bajulorum, aut aliorum, qui ex diæta larga ac laudabili ſæpius tantam copiam cruoris colligunt, ut ad ſtuporem tumidæ obſerventur venæ. Quod vero revulſionis negotium concernit, poſſunt pro ipſa ſtabilienda incredulis inſervire, quæ *Antonius de Heide in experimentis circa ſangvinis miſſionem adornatis p. 2. ſeq.* proponit. Niſi enim vere cæcus aut ſaltem odio veritatis talem ſe ſimulet adverſarius, nunquam crediderim patronum amplius opinionum harum futurum. Concludo itaque pro avertenda inflammatione, jubente ſic *Hippocrate L. de ulceribus*, neceſſum eſſe, non ſtatim ſiſtere hæmorrhagiam partis vulneratæ; ſi vero plethorica fuerint ſubjecta, non prætermitti debere venæ ſectionem, ſed ad illam, tanquam tutiſſimum remedium inprimis circa principium inflammationis, antequam ſtagnans cruor in criſpatis fibris corrumpatur (non neglectis interea recenſitis ſupra reſolventibus) ilico confugiendum eſſe.

dolore ...iendo §. XXVI. Notanter monui accelerandum eſſe uſum præſcriptorum remediorum in inflammatione; brevi enim alias dolores ſuperveniunt exquiſitiſſimi, febrisque vulneraria, ac tandem gangræna & ſphacelus. Equidem ex aliis quoque cauſis dolor in vulneribus naſcitur, imo vix leviſſima læſio ſine hoc ſymptomate occurrit, modo namque peregrina corpora intus hærentia, modo aëris inclementia, modo turunda nimis longa vel craſſa, modo puris acrimonia & retentio aut acidorum aſſumtio culpæ quid habent. Miſſis tamen omnibus, utpote alio loco jam partim explicatis, aut mox explicandis, nunc ſolum inflammationis ſocium, remediaque adverſus illum exponere placet. *...ventia* Cumque iſte extra omnem controverſiam ſymptoma ſit, ex ſangvinis ſtagnatione à corrugatis ex diſſectione partibꝯ præprimis nerveis ac tendineis exſurgens, non male quæ primariæ cauſæ reſiſtunt, etiam adverſus productum adhibentur. Adeoque continuata reſolventia, tertio ab hoc §. nominata, recte opponuntur quoque hiſce doloribus. Decet tamen, ſi ipſa non ſola ſuffecerint, anodyna conjungere, quo anxiis ſpiritibus ſimul quodammodo ſatisfiat. *ac anodyna* Famoſa ex his ſunt rad. Alth. Lil. alb. Malv. fl. melilot. cham. ſambuci, malvæ, fol. ebuli, cort. interior luteus ſambuci, ſumm. anethi, farina fabarum, lini, crocus, fl. papav. fol. hyoſcyami, lib. paridis, mandragoræ, &c. quibus aliqui practicorum quoque oleum annumerant roſaceum, lumbr. terreſtrium, chamæm. anethin. lini, ſambucinum, amygd. dulc. nymph. papav. hyoſcyam. &c. Attamen uti circa priorem claſſem, inprimis de papaverinis, hyoſcyamo, reliquisque ultimo loco nominatis notari debet, nunquam exceſſivum illorum convenire uſum, cum facile ab iſtis partium ſtupefactio & ſphacelus producatur, ita olea, ratione ramoſæ, qua gaudent, texturæ, non ſemper tuta ſunt, vide quæ *ſupra §. 17.* de his dicta ſunt.

§. XXVII. Nolim tamen propterea olea hæcce rejiciantur penitus, (prout quidam noſtri temporis rigoroſi Podalirii volunt) manet enim iſta adhuc laus ſua in convulſionibus, vulneribus tendinum & nervorum haud raro ſupervenientibus, inprimis ſi cum oleis deſtillatis ſuccini, philoſophorum, ceræ, rutæ, ſpicæ axungiisque caſtorei ac cati ſylveſtris maritentur, ſpinalique medullæ locisque vicinis calide applicentur, non neglectis interea internis antepilepticis & opiatis.

In Febre vulneraria §. XXVIII. In febre vulneraria cum vix topicis ſit locus, exceptis illis, quæ inflammationi contraria ſunt, unice ab internis ſalus ſperanda. Abſit tamen cum antiquioribus refrigerantes julepos aliaque communiter refrigerantia dicta vocitemus in ſubſidium; nil enim certius ab illorum uſu ſperandũ, (coagulant enim magis magisque ſanguinem) quam periculum præſentaneum. *diaphoretica blandiora* Potius hinc ad reſolventia & diaphoretica blandiora, ex lap. cancrorum, antimonio diaph. ſimpl. & martiali, rad. rubiæ, mandib. luc. piſc. &c. compoſita, ipſisque haud ſufficientibus ad acriora magis, mixturam ſimplicem, Tincturam Bez. ſaliaque volatilia defugiendum erit. Paradoxa

radoxa forſan non paucis videbitur, adverſus calorem febrilem ſæpius ſatis notabilem, calidorum horum (vulgo dictorum) commendatio, cum contrariis tantum contraria, juxta vulgatiſſimum illud axioma therapevticum, curari ament. Aſt minime propterea opinioni meæ, cui ratio favet & experientia, remitto nuncium. Novi ſiquidem grumos ſangvinis, & exinde dependentem circulationem fluidi hujus læſam, acribus his & volatilibus quam optime tolli, ſudoribusque per illa prolicitis ſæpius incantamenti ad inſtar ceſſare penitus, aut ſaltem multum mitigari æſtum antehac inclementiſſimum.

In Gangræna quid agendum

§. XXIX. Sed quid ſi tardius ad curam inflammationis vocatus fueris, quando nimirum iſta jamjam in gangrænam abierit? Hoc ſane in caſu celeri opus erit conſilio, ni brevi quoq; ſphacelum in parte ægra cernere velis. Ex tempore ergo faſciæ nimiū ſtrictæ ſolvantur, & cataplaſmata cum emplaſtris adſtringentibus ac refrigerantib9 removeantur; è contra eo allaboretur, ut obſtructioni nimiæ, inchoatæque ſangvinis corruptioni, quantocyus fieri poteſt, eatur obviam. Proficua equidem ſupra adverſus inflammationem nominata medicamenta & nunc obſervantur, ſed haud raro nimium rebellis cauſa fortiora adhuc deſiderat, nimirum caryophyllos aromaticos, tincturam myrrhæ, aloës, aſæ fœtidæ, caſtorei, gum. ammon. ſp. ſal. ammon. colocynthidis. Decoctum cum urina putrida aut muria limonum factum, quæ cuncta cataplaſmatibus adverſus inflammationem inſervientibus admiſceri, calideque ſingulis horis applicari poſſunt. Imperant antiquiores Chirurgi ſimul ſcarificationes profundiores pro ſcopo evacuandi ſtagnantem cruorem; qui vero attendit, ex dilaceratis fibrillis per profundam ſcarificationem nunquam non inflammationes augeri, ex ſuperficiaria autem vix ac ne vix quidem levamen ſperari poſſe, ille ut inutiliſſimum hoc remedii genus merito negligit. Latet itaque in ſolis reſolventibus ac acribus tam externe quam interne adhibitis auxilium unicum, quamdiu nondum corruptio univerſalis partium adfuerit, tum enim ſcalpelli acies ac ſerræ dentes unice curabunt malum, auferendo partes emortuas.

Conſolidatio impetratur digeſtiv...

§. XXX. Remotis ſic ſymptomatibus admodum moleſtis, ſimulque conſolidationem vulneris inſigniter impedientibus, ſponte utplurimum contingit ſecretio nutritii ſucci per ſauciatas fibras, cum redintegratione ſucceſſiva partium diſcontinuatarum. Tardius nihilominus ſuccedente negotio hoc, ſucco iſti viam parandam eſſe digeſtivis, ſuadet univerſus Chirurgorum chorus, nunc ſimplicioribus & mitioribus, nunc potentioribus magis ac compoſitis, prout circumſtantiæ id poſtulant. Vulgatiſſimum ex prioribus digeſtivis eſt ungventum ex Terebinthina, oleo roſac. farina tritici, croco & vitello ovorum factum. Aliis arridet mel. roſ. & ſyr. de roſ. ſiccis, vel farina fab. cum thure, pulvere fœnugræc. & colophonia ſubacta. Compoſita ſunt ungv. digeſtivum Hildani, baſilicum, aureum, aliaque. Id vero intendunt cunctis his ſupra linteolum extenſis, calideque vulneri impoſitis, ut affluxus humorum promoveatur, ſimulque quæ cruda nimiumque adhuc ſeroſa erat materia nutritia, digeratur ac in pus laudabile concoquatur. Quemadmodum autem primum ab acrimonia iſtorum, ita alterum à viſcoſitate facile impetratur. Cave tamen, ne promiſcue in omnibus vulneribus iſta adhibeas, quod facere ignara operandique rationum neſcia balneatorum ac barbitonſorum concio conſuevit; ſed tum demum, quando ſponte per fibras carneas à contuſione, morſu, aliaque violentia externa criſpatas intercipi tranſcolationem nutritii ſucci apparet. Deficientibus enim his circumſtantiis nunquam nō magis erunt noxia. *Conf.* die wohlbewehrte Feld-ſcher-Kunſt *annexa Muralti Chir. pag. 742.*

Sarcotic...

§. XXXI. Poſt digeſtiva, quod ſi non, prout deſiderabatur, carne rubicunda ſucceſſive propullulante repleatur hiatus, confugiendum eſt ad vulgo dicta ſarcotica, h. e. quæ carnem gene-

generant, ſeu rectius loquendo, impedimenta naturæ huic operationi reſiſtentia tollunt, (carnem enim generare, uti ſupra jam deduxi, munus ſolius eſt naturæ, quæ ex ſangvinis gelatinoſa portione, debita accedente digeſtione & immutatione, redintegrare ſolet, quod deperditum vel diſcontinuatum erat.) Quadruplici autem modo turbatur natura in hoc negotio, (1) ſi deficiat penitus, vel non ſufficiente quantitate ſe ſiſtat viſcida illa ac glutinoſa ſangvinis materia, (2) ſi nimium ſalinis ac acribus particulis turgida fuerit. (3) Si corrumpatur, (4) ſi ex nimio ſeroſarum partium affluxu magis quam par eſt reſtitutio ac nova carnis generatio fiat.

…uadru- …inten- …vari- …nt.

…efectu …riæ glu- …in …vine.

§. XXXII. In caſu priori ſupplent defectum glutinis naturalis, balſamica remedia, h. e. quæ glutinoſis ac ſulphureis particulis turgeſcunt. Spectant huc balſama omnia tam naturalia, de Peru, Copayva, quam compoſita, Mindereri, Vigonis, Arcæi, Hildani, Pecceti, Crollii, Hartmanni, Petri Joh. Fabri, Barbetti aliorumque, quæ ex oleo momordicæ, hyperici, ceræ, terebinth. flor. ſulphur. coloph. maſtiche, aloe, myrrha, ſexcentisque ex aliis conficiuntur. Miras ſane virtutes hiſce balſamis ab autoribus reperio adſcriptas, meminique à quibusdam Chirurgis indifferenter in omnibus tam recentibus, quam antiquis læſionibus adhibita, gratiam & applauſum vulgi ſingularem ipſis conciliaſſe. Hoc tamen non obſtante, quando ad oſſa usque vulnus penetrat, non tuta repeériuntur, utpote quæ ratione viſcoſæ texturæ poris oſſium ſe inſinuant, ipſaque ad corruptionem diſponunt; in nervorum autem tendinumque plagis, aut quæ carnem recenter ſauciarunt, etiam atque etiam ipſa commendare nullus dubito, non obſtante *obſ. Hildani c. 3. c. 69.* infelicem effectum loquente, cum ex incuria Chirurgi, non medicamenti culpa, illum accidiſſe, unusquisque facile videt.

§. XXXIII. Prout vero pro externo uſu hæcce inſerviunt, ita interne tali in caſu optato ſucceſſu ejusdem indolis exhibentur medicamenta, ſcilic. gummata minus acria, & ex vegetabilibus ſtrob. pini, fol. ſalicis, fl. tiliæ, rad. chin. bardan. glycyrrhizæ, altheæ, malvæ, petroſelin. &c. ſub potionis forma uſurpata. Novi equidem de omnibus in genere potionibus vulnerariis non adeo magnifice ſentire *Balduinum Rouſſeum epiſt 66. p. 226.* ideo, quoniam *Hippocrates* ipſarum nullam facit mentionem, quodve nullæ ex illis integræ & ſub illa forma deveniant ad locum læſum, ſed tum demum, quando maximam partem alteratæ ſint, per tot ſcil. cribra naturalia miſſæ. Aſt admodum infirmis armis pugnam aggreditur adverſarius noſter; quæ enim conſequentia: *Hippocrates* non commendavit τραυματοπόματα, ergo non conveniunt. Certe nunquam ſibi tantam ſumſit ſenex venerandus dictatoriam poteſtatem, ut quæ non tradiderit, interdicta poſteris velit, quin plura medicamenta ſubſequentibus ævis invenienda reliquerit, quibus potiones etiam adnumerari debent vulnerariæ. Secundum autem dubium noſtras potiones non attingit, centies enim licet iſtas filtraveris, non tamen omnibus peribit inſita virtus. Urgent alii, quandoque potionibus vulnerariis calida vulgo dicta vegetabilia, uti ſunt carduus benedictus, cent. minus, ſcordium, ſabinæ fol. adſtringentia, ſymphytum, tormentillæ & biſtortæ rad. refrigerantia, plantag. portulacam, fragariam, tuſſilaginem, anodyna, papav. & nymphea flores, adeoque contraria admiſceri: licet ergo unum ex his conveniat, impediri tamen operationem ejus iterum ab altero. Deinde & copioſiorem vini potum, cum quo decoctionem aliqui adornant, noxium eſſe dicunt, æque ac aquam, ſi in locum prioris menſtrui ſurrogetur, utpote cujus potu ſtomachum debilitari, ejusque tonum deſtrui autumant. Reſpondeo tamen & ad has inſtantias, primo ruditatem & ſupinam ignorantiam illorum, qui absque omni judicio contrariæ penitus virtutis medicamenta potionibus his deſtinant, non tollere uſum formulæ hujus ſelectæ. Secundo concedo, ſi cum vino decoquantur ad imitationem *Barbetti Chirurg. p. m. 275.* deſtrui virtutem vulnerariam medicamentorum alias

optimorum, ex rationibus ſupra allegatis. Quod vero ſibi adeo à potu aquæ metuant, cauſam ſatis prægnantem non video, cum potus ordinarius præprimis tenuioris cereviſiæ æqualem, ſi non majorem aquæ detineat copiam, à qua tamen atoniæ ſtomachi cauſam hi Medici non metuunt unquam.

in acrimonia ſangvinis. §. XXXIV. Utrumque ergo hoc remedii genus externe æque ac interne adhibitum optimum eſt, & quidem non in caſu jam explicato ſolum, ſed etiam, ſi à ſecunda cauſa generatio carnis, nempe à nimia humorum ſalſedine impediatur. Impedimentum vero hoc experiuntur, qui itineribus longis ad Indos navibus eunt, quibus difficulter, usque donec terram firmam iterum premant, aut aquæ dulcis reddantur participes, ſanantur vulnera etiam leviſſima. Teſtatur *Guido* plagas capitis Lutetiæ, crurum vero Avenione difficillimas eſſe ſanatu, ob aëris qualitatem pravam, quo ſolum mutato ſpontanea ſæpius fiat reconvaleſcentia. Simile quid teſtatur *Paræus in Chirurg. l. 10. c. 13.* nimirum in Rhotomagenſi obſidione ab aëris putreſcentis vitio malignitatem tantam cunctis vulneribus accidiſſe, ut ſolennem medicamentorum apparatum penitus mutare fuerit coactus. Et quid opus eſt, è longinquo petere exempla, comedat modo quis tantillum carnis fumo induratæ, aut aſſumat alimentum aliquod acidum vel nimium ſalitum, & vix bihorio elapſo ſymptomatibus ingraveſcentibus monitus, ſalia vulneribus contraria fatebitur eſſe communicata. Nondum ſi hæc te traxerint ad partes affirmativas, vide qvid v. g. ſaliva hominis ſcorbutici aut lue venerea laborantis faciat ad curam impetiginis ac ſcabiei, quæ mala feliciter alias ſanat lympha ſalivalis ſani hominis, ſalibus ejusmodi peregrinis haud imprægnata.

præſente pure. §. XXXV. Neutiquam tamen iſta ſangvinis acrimonia carnis geneſi novæ, uti modo dictum, obſtat ſolum, verum inſuper per ipſam laudabilis illa nutritioni antehac deſtinata ſangvinis portio corrumpitur, ac in cœnoſum colliquamentum, puris nomine celebre, commutatur. Ætiologiam ſi poſtulas, ſciendum, ſerum ſangvinis ſtagnatione diuturna inſpiſſatum denique corrumpi, & vere putreſcere, cum adjacentium partium manifeſta jactura. Eo ergo ſi res jam redierit, ad mundificantia, & detergentia dicta, communi autorum ſententia confugiendum eſt, ſub quo titulo omnis generis, tam acria, quam demulcentia ac anodyna comprehenduntur, prout ex catalogo illorum, quos *Jacobus Dondi* in ſuis remediis chirurgicis, *Uffenbachii theſauro Chirurg. p. m. 1052.* inſertis, videre eſt. Veruntamen cum ſæpius ſymptomata conjuncta primariæ huic intentioni, quo minus adverſus illam Chirurgus dirigere tela ſua poſſit, obſint, circumſpectione hic iterum opus erit. Minime enim locum habent acria, & exſiccantia, quamdiu calor p. n. inflammatio & eryſipelas ſimul adſunt; conveniunt ergo tum potius ungv. diapompholyg. de tutia, album, camphor. calce viva & liquiritia &c. non neglectis calorem infringentibus, de quibus ſupra. Quodſi vero nimia humorum viſciditas, quam antiquiores pituitam vocant, in corpore vulnerato occurrat, erit è re tam internis reſolventibus & evacuantibus, quam externis acribus & aromaticis, ulceris cavitatem repurgare, v. g. decocto agrim. chamomillæ, ſalviæ, bacc. juniperi, abſinth. lauri, paululumque potentioribus detergentibus occurrere, v. g. ungvento mundificativo dicto, de nicotiana, apoſtolorum, diaſulphuris &c. Sordido exiſtente ulcere, h. e. quando excrementum mucoſum, craſſum, fœtidum emanat, poſt diligentem deterſionem cum linteolis, erunt in uſum vocanda, quæ magis putredini reſiſtunt, viſciditatesque diſcontinuant præternaturales, talia ſunt fol. Sabinæ, ſcordii, nicotianæ, oleum tereb. aqua viridis *Hartmanni*, aqua divina *Fernelii*, lixivium ex cineribus ſarmentorum vitis, ſtipitum fabarum, ſtraminis avenacei, aqua calcis vivæ, tinct. myrrhæ ac aloës, ungv. fuſcum *Felicis Wurzii*, ungv. Ægyptiacum, baſilicum cum mercurio præcipitato, emplaſtrum de ranis cum mercurio, arcan. corallin. &c. Si ex negligentia ægrotantis vel chirurgi muſcæ ſua ſemina intra

cavita-

cavitatem ulceris recondant, indeque verminoſa progenies naſcatur, proſpicietur his per amaricantia & mercurialia. Radix itaque gentianæ, cent. min. abſinth. aloë, myrrha, fel tauri aut lucii piſcis, colocynthis, modoque commemoratum arcan. corallinum, mercuriusque præcipitatus & dulcis, optima erunt, inprimis ſi volſellis aliisque convenientibus inſtrumentis prius, quæ arripi poterant, animalcula extracta fuerint. Porro quando nimium ſiccam & extreme inſpiſſatam viderit purulentam materiam, quæ ex univerſali corporis ſeri penuria in tabidis præprimis ac ſenibus oritur, omnia hucusque recenſita mundificantia inutilia erunt, inque ſolis diluentibus ac humectantibus latitabit ſolatium. Paucis: fotus aquæ ſimpl. ungv. dialth. ſuccus bismalvæ, parietariæ, cum cera & oleo lil. alb. vel amygd. in linimentum redactus, accedente ſimul diæta humectante ac tenui, nunc ſeligenda ſunt.

ra ichoroſa. §. XXXVI. Dum ulcerum ex vulnere natorum differentias obiter nunc attigi, mentionem quoque facere cogor ulceris ichoroſi quibusdam dicti, quando nempe cum ineffabili partis dolore ac inflammatione primo materia inſtar aquæ limpidiſſima vel carnium loturæ ſimilis, poſtmodum crasſior paululum ac glutinoſa effluit, copia inſigni. Rationem hujus ſtillicidii *Hildanus in tr. de Ichore & melicerìa* in nimia ſangvinis copia à dolore attracta quærit, quam natura debilis in pus coqui neſciens ſub forma indigeſta ac cruda ejicere habeat neceſſum. Alii vero cum *Overkampio* vulnera vaſorum lymphaticorum unice incuſant, quæ circa articulationes ac tendines muſculorum nervosque creduntur occurrere. Quodſi tamen mihi ab iis diſſentire fuerit conceſſum, neutrum ex his veritatis attigiſſe ſcopum dixerim. Attractio enim mere imaginaria eſt, & ſi vaſorum lymphaticorum diſſectio ſola extiterit cauſa, mirum eſt (1.) ex tam exiguis, viſumque omnem fugientibus vaſculis, adeo horrendam copiam exſtillare, (2.) nonniſi inflammatione ac dolore accedente hoc ſtillicidium contigere. Igitur ex retardato iſtis in locis ſangvine, ob inflammatas ac criſpatas fibras, potius iſtam ſeri profuſionem provenire puto, probationis loco adducens *Lovverum in tr. de Cordis motu p. m. 123.* qui binis in ſubjectis ex venarum ligatura tumorem partis, ſerique copioſiſſimam extravaſationem ac ſtillicidium annotavit. Nullus enim dubito, idem in hoc caſu ſpasmum fibrarum, quod in illis vinculum efficere. Favent huic theoriæ tam nocentia quam juvantia. Inter nocentia primas tenet imperitia Chirurgi acribus nimium tractantis vulnus, quorſum emplaſtri ſtiptici à Crollio dicti abuſus teſte Hildano referendus primo loco eſt, ab his enim irritantur & lancinantur nervi, ita ut ex illorum criſpatura facile affectus dictus poſthac ſequatur. Quoad juvantia, ea quæ ſpaſmis his reſiſtunt, ſive reſolvendo ſtagnationem ſangvinis, ſive inviſcando acrimoniam præternaturalem proficua ſunt, quemadmodum hoc expertiſſimus *Hildanus* de balſamo Vigonis inprimis teſtatur, & adjecta licet cenſura non negare audet citatus aliquoties *Overkampius.*

§. XXXVII. Sed redeamus è diverticulo rurſum in viam. Eo ſcilicet omni ſtudio in cujusvis ulceris ſpecie eſt allaborandum, ut recenſita ſingulis ſymptomatibus convenientia remedia applicentur, usque donec ab omnibus ſordibus repurgati ſint cuncti ipſorum interiores receſſus, alias ſuperficietenus tantum clauſo hiatu, interius ſtagnans ſanies altius penetrando, de novis ſymptomatibus conquerendi miſeris decumbentibus dabit occaſionem. Medicamenta ergo huic intentioni inſervientia turundæ erunt artis lege formatæ, h. e. circa principium vulneri adæquatæ, mox magis magisque attenuatæ & abbreviatæ, prout ſcil. imminuto pure è profundis propullulare carnem viderit Chirurgus. Sed audio hic aliquos opponentes, gigni dolores novasque affluxiones à turundis his, adeoque male commendari. Reſpondeo, ideo me peritum poſtulaſſe Chirurgum, qui proſpiciat hiſce moleſtiis ac damnis. Probe autem obſervandum

eſt

eſt junioribus Chirurgis, ne tam craſſos ac longos adhibeant penicillos, quibus totum vulnus claudatur; ſufficit ſiquidem monente *Hildano L. IV. c.76.* ſi tres cavitatis partes repleantur, quarta manente vacua. Reliquas cautelas, quoniam eas hinc & inde apud Chirurgos expoſitas ſatis prolixe novi, conſulto omitto.

§. XXXVIII. Tali ergo apparatu carnis generationi obſtantibus impedimentis doctus occurrit Chirurgus. Verum enim vero cum ex oppoſito quandoque hyperſarcoſis ſive nimius proventus ſubſtantiæ carnoſæ ac ſpongioſæ exſuperans ſæpius hiatum læſionis, ob copioſum nutritii ſucci affluxum accidat, quid illo in caſu agendum, exponi etiam debet. Paucis: cum per detergentium ac ſarcoticorum debilium applicationem, utplurimum Chirurgus anſam ſuppeditat huic ſymptomati, ad curam erit opus, ut præmiſſis evacuantibus univerſalibus, ſi copiam nimiam ſeri obſervet in corpore, diætæque regulis ſtrictioribus præſcriptis ad magis exſiccantia, imo etiam cathæretica deſcendat. Mitiora ex illis ſunt herba ſabinæ, cortex thuris, granat. gallæ, aloë, ſpongia uſta, alumen uſtum, aqua calcis, mercurius vivus, præcipitatus ruber. Fortiora dicuntur euphorb. caput mortuum vitrioli, ungv. ægyptiac. lap. medicam. Crollii &c. Fortiſſima denique audiunt, cauſtica potentialia & actualia quæcunque.

§. XXXIX. Reſtat adhuc, ut remedia Epulotica ſive Cicatriſantia dicta producam, quæ ultimæ intention Chirurgi inſerviunt. Idem vero de his, quod paulo ante de Sarcoticis monitum fuit, repetendum venit. Nimirum minime cutis generationem veram ab illis expectandam eſſe unquam, ſed quicquid agunt, unice à virtute potentius paululum, quam Sarcotica, humiditatem abſorbendi, ſeu ut uno verbo dicam, exſiccandi aut conſtringendi proficiſci. Patet hoc clariſſime ex ipſo apparatu; ſunt enim medicamenta talia bolus armen. ſangv. dracon. creta, cort. granat. balauſtior. flor. roſ. rubr. gallæ, calx lota, plumbum uſtum, ceruſſa, lithargyriũ, tutia, æs uſtum, vitriolum Roman. ſquama ferri, & quæ ex his componuntur Empl. de lap. calam. diapalma, ungv. diapompholygos &c. *Conf. Rondeletius p. m. 678.*

§. XL. Atque hæc monuiſſe de vulnerariis ſufficiat. Equidem fateor, plura adhuc reſtare, quæ in ſpecie circa compoſita & ſpecialia capitis, thoracis, abdominis, tendinum ac nervorum &c. plagas adjici poterant; ſed chartarum, quibus diſſertationes hujusmodi ſolenniter includuntur, habenda eſt ratio. Pedem ergo hic figo, veniam à L. B. exorans, ſi non omnia ad palatum ejus fuerint, quæ hic conſcripſi. Quodſi enim ſat eſt, in magnis voluiſſe, meum hunc qualemcunque conatum in tam ardua materia non penitus rejectum iri confido.

F I N I S.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM

Trigeſima ſeptima:

De

HERNIIS INTESTINALIBUS ET OMENTALIBUS.

CAPUT I.

§. I.

NE in limine ſtatim, quod dici ſolet, offendere, & in leges per tot tempora, in conſcribendis diſſertationibus tam ſancte obſervatas impingere videar, rubricæ diſſertationis explicationem præmitto. Animus autem cum ſit examini ſubjicere hernias, inquirendum venit in ejus natales, quas Priſcianus & Feſtus à voce herna, qua Marſis quondam ſaxum indigitabatur, undeque Hernici quoque dicti ſunt, deducunt, quoniam lapidea durities affectæ parti ineſſe non raro ſolet. *Conf. Martin. Lexic. Philolog. Tit. Hernia.* Alii herniæ nomen παρὰ τὸ ἔρνος à ramo formant, videtur enim inteſtinum ad ſcrotum vel alia in loca delapſum ramum arboris cujusdam referre, *vide ſis Becmanni Origines Latinæ linguæ.* Alii ejus natales à voce hæreo derivant, quod inteſtina omentumque præternaturalibus locis incuneata hæreant. *[...]logia.*

§. II. Non dicam facile, quisnam horum propius veritatis ſcopum attigerit, hoc tamen auſim aſſerere, parum ex cunctis his etymologiis, Medico ſcitu dignum accedere. Quapropter etiam relictis illis ad veri ſignificatus vocis herniæ expoſitionem propero. Cumque ſermo nobis ſit tantum de inteſtinali & omentali, exiſtimo commode ſic poſſe deſcribi, quod ſit partium jam nominatarum extra ſedem naturalem propter læſum peritonæum prolapſus, externam abdominis regionem extollens in tumorem plus minus notabilem, nunc ſine, nunc cum dolore exquiſito, inflammatione, febri alvi conſtipatione, ſingultu, vomitu bilioſo aut ſtercoreo, aliisque gravioribus ſymptomatibus. *[...]tio.*

§. III. Facile igitur pateſcit ratio, quamobrem tam diverſis appellationibus diverſæ gentes ſalutent hunc affectum. Græci enim à tumore ſolum, quem gignunt, illum κηλὴν vocant; & quamvis vi proprii ſignificatus, κῆλαι, tumores quosvis deſignent, ad hernias tamen titulus iſte communi conſenſu abiit, hincque ab inteſtinorum & omenti deſcenſu oriundos ἐντεροκήλην & ἐπιπλοκήλην dixerunt. Galli *Décentes* appellitant, quod ad exteriora deſcendat morbifica cauſa, Latini communiter ramicem vocant ex rationibus §. I. allegatis, alii vero ex his rupturam ſalutant à rupto ut plurimum peritonæo. Ex quo fundamento Germanicum nomen quoque formatum eſt, dum in genere herniis titulus eines Bruchs & illis, quas examini deſtinavi, cum additione cauſæ Darm-und Netz-Bruches imponitur. *Synonymia.*

§. IV. Ut autem methodice exponam ea, quæ de herniis his dicenda mihi ſunt, duo potiſſimum in anteceſſum notare cogor: Primo ſubjectum, quod gignit morbum, & ſecundo locum, in quo excitatur. Quoad primum, jam conſtat ex modo dictis, inteſtina & omentum ſolummodo in nobis incuſari inpræſentiarum & quidem, quatenus è ſede naturali prolapſa, morbum hunc generant. Sed nondum propterea conſtat, quodnam *Subjectum. Inteſtina.*

præ-

præciſe ex inteſtinis ſit, quod terminos hoſce ſuos naturales deſerat. Notum ſiquidem eſt tubulum inteſtinalem utut vere continuus adeoque unicus ſit; nihilominus ab omnibus Anatomicis diviſum eſſe in inteſtina tenuia & craſſa, rurſumque in duodenum, & jejunum, ilium, cœcum, colon & rectum. Quæritur igitur: numne ab omnibus aut ab uno ſaltem vel altero morbus noſter producatur?

Galeni de inteſtino cœco ſententia excutitur.

§. V. *Galeni* autoritas me commoveret, ſolum incuſandum eſſet inteſtinum cœcum, hæc enim ſunt ipſius verba, *Tractatu de morbis vulgaribus. Cœcum ſive monoculum, unice omni vinculo ſolutum, adeoque ad ſcrotum aut alia loca devolvi facile poteſt, reliquis cunctis nec deſcendere, nec herniam conſtituere eſt conceſſum:* Fundamentum igitur hujus aſſertionis Medicus hic Celeberrimus deſumere videtur ex anatomia. Cum enim duodenum & jejunum arcte cohæreant cum ſtomacho & hepate per vaſa ſangvinea rami dextri cœliaci ac venæ portæ, pariterque ileum, colon & rectum, cum aliis adjacentibus partibus connectantur, ea ad deſcenſum omnino inepta videntur. Licet vero hæc ratio non ſit de nihilo, minime tamen ſatisfacit mihi, cum moles tumorum ſæpe ſatis monſtroſa evincat clare, cœcum inteſtinum (quod in homine lumbrici magnitudinem vix excedit) iſtum excitare ſolum non poſſe. Hinc etiam ſe ipſum viſus eſt emendare *Galenus Comment. ad Aphoriſm. III. ſect. 4.* dum aliquando inteſtinum ileum in ſiniſtra ſcroti parte elabi poſſe inſuper admittit, in qua ſententia poſtmodum maxima pars Medicorum acquievit. Attamen nec ſic mihi placet, qui in quibusdam caſibus etiam plura inteſtina, ſi non in univerſum omnia deſcendere credo, & ne gratis hæc aſſeruiſſe videar, voco teſtem *Aquapendentem Chirurg. Cap. V. & Jobum Mekren*, qui ultimus virum vidit, cujus ſcrotalis hernia ſe ultra genua extendebat, ventre adeo detumeſcente, ut vertebras lumborum à parte anteriore attingere liceret, conf. ejus *obſerv. Medic. Chirurg. pag. m. 364.*

§. VI. Dubium forſan videbitur, quo modo potuerit ſine dilaceratione vaſorum & præſentaneo vitæ periculo id fieri. Quod ſi tamen attendamus pedetentim inteſtina deſcendere, facile conſtabit ſimul quoque vaſa ſenſim extendi, imo & reliqua viſcera cum diaphragmate verſus inferiora ſucceſſive trahi, quale exemplum ſatis curioſum *Nicolaus de Blegny Zodiaci Gallici Volum. 1. Epiſt. 2.* fuſius recenſet. Et licet inter monſtra morborum merito caſus ejusmodi referantur, nihilominus evincunt ad oculum, non cœcum & ileum tantum conſtituere hernias inteſtinales, quod adverſus Galenum ac vulgatam opinionem comprobandum mihi incumbebat.

Omentu[m]

§. VII. Videamus nunc alterum ſubjectum herniarum noſtrarum, omentum puta. Nulli dubitarunt veteres, omnis generis Hernias ab ipſius dilocatione deducere, quæ tamen aſſertio impugnatur à quibusdam recentioribus, qui reſiſtere putant epiploi ſitum naturalem ultra umbilicalem regionem nunquam in cadaveribus ſe extendentem. Sed reſpondendum eſt à ſitu omenti in cadavere, quodque ſupra tabulam reclinatum jacet ad ſitum in vivente ſubjecto, item, à magnitudine ejus naturali ad non naturalem minime valere argumentationem. Et quid opus eſt verbis, ubi rerum adſunt teſtimonia? Teſtantur autem obſervationes Practicorum innumeræ iſtum omenti ad ſcrotum egreſſum; unicam ſufficiat ex his adduxiſſe, quam *Malachias Geiger in ſuo Keleographia* de imperito herniotomo refert, reſecante mediam pene partem omenti ſcroto incuneati.

Loci.

§. VIII. Hæc de ſubjecto: Sequitur nunc examinandus tumorum horum locus. Communiſſime Autores regionem umbilicalem, inguinalem & ſcrotalem nominant, & ab illis ὀμφαλοκήλην, βουβονοκήλην & ὀσχεοκήλην nuncupavere. Adjecit tamen recentiorum experientia plura adhuc alia loca ſupra umbilicum ejusque ad latera ſupra inguina & penem, ad labia pudendorum muliebrium &c. *videatur Hildanus Cent. III. obſ. 64. Platerus obſ. lib. III. pag. 758. Blegny de Arte herniar. Cap. 3.* Quas hernias veterum

opi-

opinione præoccupatos chirurgos pro abſceſſibus ſæpius habuiſſe teſtatur *Barbettus chirurg. cap. VII. & Joh. Jacob. Mangettus in notis ad hunc locum.*

CAPUT II.

§. I.

Cauſa proxima

ABſoluta hac generali tractatione, ætiologiam herniarum aggredior. Incuſandum autem potiſſimum venit peritonæum, ſive membrana illa ſatis craſſa ac firma, quæ interiorem concamerationem abdominis & incolas coërcet ac retinet intra ſua pomoeria, nunc vero relaxata aut rupta occaſionem ſubminiſtrat elabendi.

[Re]mota.

§. II. Remotæ cauſæ ſunt multi-fariæ: Primo conformatio mala peritonæi, qualis dubio ſine incuſanda eſt, ſi integrs familiis morbus hic hæreditarius fuerit: Exemplum ejuſmodi referunt *Hildanus Cent. VI. obſerv. 73. Valeſius de Taranta lib. 26. c. 28.* qui ex hernioſis parentibus hernioſos filios in tertiam progeniem natos commemorant. Pertinet huc quoque ſi à matris gravidæ forti imaginatione vitium tale fœtui imprimatur. *vid. Scultetus in Armament: Chirurg. obſ. 60.*

§. III. Aſt rariora hæc ſunt, frequentius ſufflaminata inſpiratione cum nixu vehementiori conjuncta, (hincque etiam in ſexu ſequiori ex parturiendi conatu nimio ac protracto) injuria infertur maxima dictæ membranæ, dum undiquaque per conſtrictos muſculos abdominis ac diaphragmatis in deſcenſum preſſa, his injuriis cedere cogitur. Novi ipſe ex hac cauſa in juvene 15. annorum repente eſſe excitatam ſtupendæ magnitudinis herniam ſcrotalem, dum caligas nimium arctas abdominis inflatione violenta dilatare vellet: *referatur huc hiſtoria ab Hildano Cent. 3. obſ. 63. deſcripta.*

§. IV. Quid clamores ac vociferationes, tibiarū inflatio, caſus ab alto, verbera ab abdomine excepta, ſaltatio, equitatio, nimius dejiciendi feces aridas conatus, geſtatio aut elevatio ponderis cujusdam gravioris, tuſſis ferina, vomitus enormis, coitus frequens & ſtrenuus immediate poſt cœnam adſumptam, &c. contribuant, omnium Medicorum Obſervationes prolixe inculcant, nihil tamen aliud à ſingulis his cauſis externis accidit, quod non ex iisdem rationibus in §. præcedente expoſitis ſponte fluat.

§. V. Quandoquidem vero omnium communiſſime in infantibus circa umbilici, & adultioribus circa ſcrotalem & inguinalem regionem eruptio herniarum contingit, ſciendum eſt, in prioribus ſubjectis id fieri ideo, quod laxa adhuc propter vaſa umbilicalia transeuntia iſta abdominis reperiatur plaga, quæ tamen temporis tractu arctius conſtricta impetum quemvis eludit.

§. VI. Quod autem inguinales & ſcrotales hernias concernit, omnium hactenus Medicorum conſenſu in ſexu virili per duplicaturam peritonæi ſive oſtium à natura propter vaſa ſpermatica in inguine exſculptum, illam contingere aſſeritur. Verum his nuper contradicere cœpit *Antonius Nuck Celeberrimus in Lugdun. Batav. Academ. Prof. Public. Adenographiæ curios. p. 130. & ſequentibus.* negans in ſexu maſculino humano unquam ejusmodi proceſſus, quales in quadrupedibus demonſtrari poſſunt, occurrere, ſed ſemper à violenta peritonæi extenſione ad latera vaſorum ſpermaticorum, ſub peritonæo ſita, formari ſaccum, illumque plus vel minus ab omenti & inteſtinorum quantitate ſuſcepta extendi & deprimi. Nec novam hanc viam in maribus tantum, verum etiam in fœminis deprehendit caninis æque ac humanis, illo in loco ubi fimbria cornu uterini, vel ligamentum rotundum ad inguina aſcendit, diverticulum quoddam membranaceum oſtendens. *Cauſa herniæ inguinalis & ſcrotalis.*

§. VII. Admodum igitur aptus pro herniis obſervatur iſte locus, adeo ut mirum, cur non frequentius contingat talis deſcenſus inteſtinorum, cum iſte ſitus oſtiorum ac diverticulorum in tam declivi corporis parte, quorſum propria mole illa viſcera abdominis nunquam non delabuntur, adeo fave-

faveat. Attamen ſciendum eſt, tam firmiter ac arcte ſemper peritonæum expanſum eſſe in ſtatu naturali, ut cunctis cauſis herniarum firmiter reſiſtat, niſi violentiſſimæ fuerint, planeque dilacerent ipſum. Cedit autem frequenter, quando à colluvie ſeroſa in inguinali regione diutius ſtagnante fibræ ejus emollitæ, & ad diſtenſionem aptæ redditæ fuerint. In ſexu ſequiori autem diverticula illa Nukii circa oſtium admodum coarctata ſunt ut vix cavitati reſpondeant ſcriptorii calami, quanquam intus ſæpe ad digiti magnitudinem deprehendatur ampliata.

Symptomata §. VII. Sic, ni fallor, ſatis clare, cauſæ herniarum tam proximæ quam remotæ ſunt patefactæ, ſupereſt igitur ſolum, ut ſymptomatum concomitantium & inſequentium fiat expoſitio. Diverſa hæc ſunt, prout jam ſupra *cap. I.* §. *2.* iſta recenſui, ratio tamen omnium ex præmiſſis reddi facile poteſt. Quod enim quandoque egreſſus iſte inteſtinorum, ut ut ſatis conſpicuus, indolens tamen obſervetur, nimium relaxato imputandum eſt peritonæo, quod temporis tractu à ſeri copioſo affluxu, uti tonum, ita quoque ſenſationem pene amiſit omnem. E contra dolor naſcitur ex irritatione, diſtenſione hujus integumenti in vigore naturali adhuc conſtituti: Dum enim oſtium illud diverticuli adeo arctum conſtringit inteſtini portionem elapſam, quid mirum dolere illam & inflammari cum omni motus periſtaltici naturalis ceſſatione. Quando vero per conſenſum afficitur ſtomachus, ſequitur vomitus bilioſus, quamdiu hic liquor propter inverſum periſtalticum motum duodeni ſolus regurgitat, & ſtercoreus, ſi ex profundioribus receſſibus, magisque inferioribus inteſtinis fœtore ſtercoreo jam inquinata colluvies aſcendere cogitur.

CAPUT III.

§. I.

Signa morbi SEquitur nunc Caput de Signis, quæ pro morbi diagnoſi omnium certiſſime ex relatione ægrorum & autopſia habentur. Qui enim ex intempeſtiva verecundia reticent hoc ſuum malum ac detegere nolunt, habeant ſibi, ſi non ſtatim accurate Medicus à ſymptomatibus cum aliis morbis communibus ſeductus, cognoverit affectum. Quamvis vero querelas ægrotantium audiamus, oculisque tumorem uſurpemus, non tamen omnis circa cognitionem difficultas ſublata eſt, niſi contrectatio acceſſerit, utpote cujus ope non difficulter ab aliis tumoribus herniæ diſtinguuntur noſtræ. Quod enim aquoſum tumorem attinet, qui aliquando illis in locis etiam notatur, fluctuatione intus concluſæ materiæ cognoſci poteſt, inprimis ſi candela accenſa radios transmittat per locum tumidum. Et licet in flatulento tumore ſimilis pelluciditas notetur, attamen intus concluſa materia elaſticitate ſua ſe ſtatim prodit. Varicoſus tumor vix dubium movebit, cum pampiniformia vaſa tantum in illo intumeſcant; quemadmodum in carnoſo tumore teſtium ſubſtantia occupatur, quæ in entero & epiplocele ſalva omnino obſervatur.

§. II. Præter hæc ſigna habent inteſtinalis & omentalis hernia id peculiare & magis proprium, quod in enterocele imminuatur tumor quodammodo per corporis ſupinum ſitum, ſpeciatim ſi jejunus ſit ſtomachus, & aër frigidior attingat partem affectam, & è contrario clamore poſt alimenta asſumpta creſcat; taceam ſæpius excrementa indurata diſcerni exacte poſſe manu tangente locum. Diſtinguitur vero ab hac omentalis hernia, tumore non decreſcente, licet ſtomachus & inteſtina vacua fuerint, neque augmentum ſumente, poſt alimentorum aſſumptionem corporisque motum. Qui inſuper ex lubricitate tumorem conſtituentis ſubjecti, ejusque mollitie inteſtina ab omento diſtingui poſſe tradunt, videant, num perpetua ſint illa ſigna, mihi ſane illud haud videtur probabile, cum à protracta incarceratione partes facile mutent texturam ſuam naturalem.

§. III.

a cauſa-rum §. III. Cognito ſic morbo cauſæ ipſius remotæ ex ægrotorum & adſtantium relatione addiſci debent, qui abuſus & errores ſex rerum non naturalium ſatis accurate indicant quæſiti. Quod ſi tamen ſcire cupis inteſtini egreſſi nomen, obſervetur in umbilicali hernia utplurimum jejunum, inguinali & ſcrotali ileum, & quandoque, utut rarius, cœcum & colon, omnium vero rariſſime univerſa inteſtina excidere. Num autem à ruptura vel relaxatione ſaltim peritonæi ſit malum, cognoſces feliciter cauſas antecedentes accurate perpendens, & ex his inprimis, num ſucceſſive tumor auctus fuerit, an in inſtanti cumque dolore factus; primum ſiquidem relaxationem, alterum rupturam hujus partis indicabit.

gnoſis §. IV. Circa prognoſin recte ſentit *Gordonius in ſua Praxi Lilium Medicinæ inſcripta, omnem herniam facilius curari circa principium, difficilius ſi aliqua temporis mora interceſſerit*; interea enim nimium diſtentum peritonæum (valde autem eſt extenſile, ita ut ex *Obſervatione* Veſalii *Anatom. lib. V. c. 4.* aliquando de omento libras quinque detinuerit duplicatura peritonæi) robur amittens ſuum, non facile ſe rurſum contrahit, aut dilaceratum cum ipſis inteſtinis cohæreſcit, quale exemplum refert *Nukius Adenograph. p. 136.* Porro notetur, curam admittere celeriorem juvenes, quam ſenes, adeo ut inter rariora pertineat obſervatio *Lanfranci*, de viro quadragenario, alioque ſexagenario majore à completa hernia perfecte liberato. Non adeo magnum periculum imminet ægris ex omentali hernia & inteſtinali, quam diu nulla adſunt ſymptomata graviora; ſtatim tamen quando alvus conſtipatur, dolorque creſcit, periculum quoq; augetur, & ſi in iliacam paſſionem abierit primum ſymptoma, alterumque in inflammationem & gangrænam, ſuperveniatque ſingultus, triſtis nunquam non prædicendus eſt eventus. Sunt aliqui, ſterilitatem ex hernia ſcrotali induci aſſerentes, ſed illis non ſubſcribere poſſum; nullum enim fœcunditati damnum, imo ne quidem impedimentum ad congreſſus, niſi enormis tumor adfuerit, accedit. Exemplum elegans lege apud *Joh. Muys Prax. Chir. ration.* ubi ex ſubligaculo ſterilitatem conjugis metuens recenter nupta, vix novem menſibus elapſis, gemellos enitens intempeſtivas fudiſſe ſe propterea querelas teſtata eſt.

CAPUT IV.

§. I.

Cura per repoſitionem Supereſt Therapia, in qua ad duo potiſſimum attendi debet. Primo ut prolapſæ partes reponantur, & ſecundo repoſitæ detineantur in abdomine inibique firmentur. Ante vero, quam repoſitionem ſuſcipiamus, opus eſt removere obſtacula, uti nunc ab inſunt, nunc flatus ac ſtercora, inteſtino ſtrangulato infarcta. *impeditam nunc ab infarctu inteſtinorum* Suppeditant adverſus has cauſas inſignem apparatum Practici, adeo ut ſeligere tantum ex tot medicamentis quædam licitum ſit. *Laudat Barbettus Chir. cap. VII.* cataplaſma & unguentum ex radice altheæ, liliorum alborum, herb. malvæ, violarum, parietariæ, flor. cham. melilot. farin. fabar. hord. lini, fœnugræc. oleo cham. rutæ, anethino, abſinth. carv. deſtill. vin. malvatico &c. *Muys Chirurg. rational. Decad. IV. obſerv. 9.* commendat linum, nendo recenter contortum, ac nondum coctione repurgatum, (Germ. Roſegarn) illudque in lacte dulci elixatum, calide per quadrantem horæ imponi jubet. Fotus & balnea laudantur à *Blegny in arte herniarum curatrice p. 217.* ex ſupra commemoratis ingredientibus. Non tamen ſufficientibus externis hiſce opus erit hauſtum ex ſemine aniſi, carvi, fœnic. coriand. &c. cum vino per decoctionem paratum propinare, cujus virtutes adeo decantat *Helmont. Tr. de Flatibus §. 75. p. m. 344.*

§. II. Communiſſime clyſmata etiam pro hac intentione in ſubſidium vocantur, inprimis carminativa & emollientia, *vid. Fabr. Hildan. Cent. VI. o. 73.* quæ tamen *aliis* inutilia videntur, imo

imo magis damnoſa, quoniam vel ultra coli valvulam liquor clyſmaticus non aſcendat, vel magis præſentiâ ſuâ augeat ſymptomata ſtrangulati inteſtini orificio infuſus.

nunc ab inflammatione & tumore

§. III. Primum hoc erat repoſitionem impediens obſtaculum. Reſiſtunt ſecundo tumores ac inflammatio in ipſis partibus elapſis exacti, quæ ſymptomata celeriter ſuperveniunt, nunc propter humorum circulationem impeditam, nunc ob diſtenſionem ſolam aut compreſſionem, aut refrigerationem. Erit igitur nunc opus ex majorana, ſalvia, ruta, ſcordio, abſinth. centaur. min. cum vino facta decocta imponere. Multum his accedet virtutis, ſi ſpiritum vini ſimplicem vel camphoratum ſimul epithemati admiſcueris. In locum horum repellentia & refrigerantia etiam quandoq; ſubſtitui poſſunt, è quibus *Blegny in Arte Hern. p. 270.* & mixturam ex partibus ſex aquæ lactucæ, & una aceti roſar. vel loco ejus ceratum Galeni ex oleo omphacino, cum ſacch. Saturn. factum extollit. Non quoque negligi debet venæ ſectio, utpote quæ in ſangvinis ſtagnationibus, cunctisq; exinde ortum trahentibus ſymptomatibus vix unquam tuto intermittitur. Si dolor urgeat nimium, iſque ex ſpaſmo oriatur peritonæi, ad imitationem *Muraldi chirurgia pag. 166.* tinctura narcotica, aut aliud anodynum externe æque ac interne applicandum venit.

nunc annuli membranacei

§. IV. Tertium impedimentum ſiſtunt in hernia inguinali & ſcrotali annuli membranacei à tendinibus muſculorũ abdominis in externa proceſſus peritonæi parte formati, niſi enim accuratiſſime horum ſitum obſervavit Chirurgus repoſitionem tentans, vix unquam voti fiet compos. Horum annulorum pauci ex antiquis fecere mentionem, ſi *Riolanum* excipias, qui *Enchirid. Anatom. p. 161.* foramina tendinum alternatim diſpoſita ſedulo animadvertere jubet, clarius tamen ipſas deſcripſit ſæpius citatus *Blegny p. 921. & Muraldus Colleg. Anatom. p. 37.* quorſum Lectorem, brevitati ſtudens, remitto. Quod ſi tamen omni ſtudio adhibito non admiſerint elapſas partes dicti annuli, ad ſectionem ipſorum deveniendum eſt, de qua quarto abhinc paragrapho fuſius.

§. V. His igitur obſtaculis remotis aggrediendum demum eſt absque ulteriori mora repoſitionis negotium; quod diverſimode deſcribitur à Doctoribus. *Riverius obſ. 15. à Samuele Formio communicata* ſic illud deſcribit: *Menſam vel aſſerem ſatis latum juxta lectum ita diſpono, ut illius extremitas pavimentum attingat, altera vero lecto innitatur. Deinde ægrum ſupra aſſerem tali ſitu colloco, ut caput ad pavimentum, crura ad lectum vergant, mox linteis quadruplicatis aqua frigida maceratis, aliquandiu partem foveo, eam interim digitis leniter contrectando, ſic paucarum horarum ſpatio ut plurimum inteſtinum ſponte recedit.* Duo ſunt, quæ reprehendi poſſunt in hac methodo, primo rudis admodum & tantum non crudelis iſta collocatio, quam obeſi non tam diu ſuſtinebunt; ſecundo frigidæ aquæ applicatio, utpote inflammationi aliisque ſymptomatibus ſuppeditans occaſionem.

Modus repoſitioni[s]

§. VI. Quapropter magis placet apparatus, quem ſuggerit *Monſ. le Quin, Herniarius Pariſienſis, Traité des Hernies ou Decentes*, jubens inter operandum, humerô ægrotantis paululum depreſſo, natibus ejus pulvinar ſatis craſſum ſupponere, ne in lectum demerſus negotio huic obſit, poſtmodum manu butyro recenti aut oleo amygdal. dulc. illita leniter demulcendus eſt tumor, tentando ſtudioſiſſime, ut illa inteſtini portio, quæ ultimo egreſſa eſt, primum retrudatur. Quo vero cognoſcatur, quænam pars ultimo elapſa ſit, opus eſt ad os pubis in ſcrotali hernia attendere; proxime enim huic oſſi adſtans portio inteſtini ultimo ſemper excidit. Hinc nunquam imprudenter in alia parte inteſtini propendentis reductionem moliendam eſſe, iterum iterumque inculcat.

§. VII. Reſpectu ægrotantis id quoq; monendũ venit, ut operationem hanc admiſſurus minus habeat alimentis infarctum ſtomachum, aliàs ab ipſius mole impedietur notabiliter viſcerũ

elapſo-

elapſorum repoſitio. Porro violentam inſpirationem inter operandum penitus inhibeat, ni laboribus Chirurgi, deorſum pellendo cum diaphragmate cuncta abdominis viſcera, contra ſtare velit.

ſectionem

§. VIII. Nondum ſi his laboribus retro-pelli ſe patiantur egreſſæ partes, antequam inflammatio ſuperveniat, (quod utplurimum circa deſcenſus diem 7. teſte *Muraldo Colleg. Anat. p. 38.* contingit) ad ſectionem cogimur devenire. Scilicet debite collocato hernioſo ſupra locum, ubi ſtrangulatio inteſtini fit, cutis inciditur muſculisque tumorem tegentibus blande remotis, annuli tendinoſi muſculorum ſupra commemorati, ipſumque peritonæum ſpaſmo correptum diſſecandum eſt. Imo ſi nondum via ſufficienter patula fuerit, magis adhuc vulnus ampliari debet, apparatu *à Petro Pigræo Chirurg. lib. 2. c. 40. Guernero Rolfinkio Diſſert. Chir. lib. V. c. 13. Jobo à Meekren Obſ. Chirurg. cap. 48. Diemerbrokio Obſervat. 37. tradito.*

§. IX. Clarius adhuc operationem hanc deſcribit *Blegny lib. citato p. 220.* jubens, ut primo ad longitudinem tumoris ſcriptorio atramento ducatur linea, poſtmodumque illo in loco manu miniſtri elevetur cutis, ut ad lineæ ductum poſſit diſſecari, cum reliquis ſupra tumorem poſitis partibus.

§. X. Non diffiteor crudelem admodum & periculoſam videri hanc Sectionem, ſed ſatius eſt, juxta *Celſum anceps* remedium in morbis gravioribus, quam nullum experiri, aut tale, cujus vires non ſufficiunt. Cujus farinæ ſympathetica illa communiter dicta remedia mihi videntur, e. g. dum jubent autores ovo recenter poſito herniam aliquoties fricare, illudque poſtmodum intra tiliam per medium fiſſam recondere, promittentes, ſtatim ac arbor conſolidatur, herniam quoque diſparituram. Alii mandant ut cochlea viva rubri coloris ſupra affectum locum ligetur, donec moriatur, deinde ſuſpenſa in camino exſiccetur fumo. Si die viridium ovum gallinaceum crudum à partu adhuc tepidum ſorbeatur ab hernioſo, ac teſta poſthac ipſius urina repleta ſuſpendatur in fumario, herniæ detumeſcentiam ad oculum apparituram pollicentur, dum exhalat, videantur *M. A. N. C. Dec. I. Anno IV. Obſ. p. 104. Geigerus Keleographia p. 43.*

emplaſtra magnetica

§. XI. Idem judica de emplaſtris magneticis, in quibus aliqui putant ſe reperiſſe, non quod pueri in faba. Videntes ſiquidem trahi (juxta vulgatam opinionem) à magnete ferrum, propinaverunt ægro quantitatem magnetis pulveriſati, ſcroto vero vel alii loco affecto applicarunt chalybis limaturam melle ſubactam, ſperantes retroceſſionem corporis herniam conſtituentis ad interiora, dum Ferrum trahitur illuc per magnetem. Sed quis neſcit ſcobem magnetis amiſiſſe omnem vim alliciendi ferrum, illo ſtatim momento, quando textura ejus per piſtillum diffringitur.

§. XII. *Fridericus Hoffmannus in Methodo medendi & Clave Pharmaceut. Schrœder. emplaſtrum* aliud ſe poſſidere refert, quod lumbis applicatum, quicquid extra abdomen elapſum, retrahat, vivus tamen hoc ſuum arcanum publici juris facere noluit. Nihilominus poſt ipſius deceſſum *Schultzius in Triga Cinabarina id verbis* ſequentibus deſcripſit. Rec. Gumm. ſagap. ammoniac. galban. ana Drachm. vj. terebinth. ceræ virgin. ana Drachm. v. magnetis arſenicalis Drachm. iij. rad. ari Drachm. j. fiat emplaſtrum. Num vero etiam ab hoc remedio prædicatus effectus ſperari certo poſſit, dubito vehementer, nolo tamen propterea illius Clariſſimi viri experientiam in dubium vocare, cum ex accidenti alio potuerit contingere ille regreſſus inteſtinorum ab ipſo obſervatus.

cura per firmationem

§. XIII. Sed ſatis de repoſitionis negotio; ſequuntur nunc medicamenta firmantia, & intra abdomen modo repoſitas partes retinentia. Trahuntur in uſum à Practicis communiſſime pro hac intentione adſtringentia ſub forma emplaſtri, unguenti, aut fotus. *Schrœderus Pharmac.* Emplaſtrum ex anguillæ exuviis, aut pelle arietina parat, illisque addit lapidē hæmatitem, Saccharum Saturni. Crato inungit loco affecto terebinth. pulveremque

poſthac ex tormentilla, Sumach, balauſtiis, bolo armena, ſangvine draconis aſpergit. *Schulzius in Triga Cinabarina* radicem ſymphyti majoris recentem cum axungia porcina mixtam omnibus reliquis medicamentis præfert. *Paræus* fotum commendat ex corticibus granatorum, nucibus cupreſſi, pulvere gallarum, alumine aquæ fabrorum incoctis. Ipſe novi balneatorem, qui lithargyrium in aceto ſolutum, cum pulvillis felici effectu ſemper applicat. *Blegny Art. Hern. p. 232.* cum in aliis emplaſtris obſervaverat illas debito haud deſiccare modo, aliud ſe his qualitatibus præditum excogitaſſe refert, quod ſic conficere docet. Rec. partes duas maſtichis & ſuccini, unam gypſi & vitrioli ad albedinem calcinati, eaque commixta cum aceto, viſci, & ichthyocollæ æqualibus partibus maritentur. Et quis tandem recenſeret cuncta medicamenta externa, quæ tot pene, quot Medici numerantur; farraginem tamen eorum qui congeſtam deſiderat, adeat notas *Mangetti in Barbettum à p. 49. uſque 53. & Lanzon. Schol. ad Mœnigenis obſervationem 24. p. 74.*

§. XIV. Topicis his aſſociari debent interna vulneraria, & conſolidantia vulgo dicta. Præſcribit talia ſub forma hauſtus ac pilularum *Barbettus* Chirurg. *p. 48. 49.* Rec. oſmundæ regalis, herniar. ana. m. j. rad. conſolidæ majoris, biſtortæ ana unc. ſem. florum hyperici. M. I. ſem. aniſi, Drachm. j. coquantur in vino rubro, ac bis vel ter de die unc. V. aſſumat æger. Pilulæ vero parantur ex mumiæ drachm. j. galb. in aceto ſoluti, myrrha, limatura Mart. ſtercore leporis ana. Drachm. ſem. pulvere lumbricor. terreſtrium ſcrup. ij. His ſubſtitui poſſunt innumera alia ejusdem virtutis, imo non male etiam adhibentur purgantia, de quibus videatur *Scultetus Armament. Chirurg. tab. 39.* & Diaphoretica v. g. decocta lignorum, quæ in ſeroſis Subjectis admodum ſunt proficua; quo in caſu etiam aquæ minerales & artificiales ex alumine & vitriolo non inconvenienter vocantur in uſum, utpote quæ roborando fibras relaxatas opem ferunt. Quorſum ni fallor quoque pertinet remedium illud in Gallia Regis juſſu Anno 1686. typis exſcriptum ſub titulo *Remede du Prieur de Chabrieres pour les deſcentes*, quod nihil eſt aliud, quam ſalis ſpiritus rectificatus cum vino rubro per tres ſeptimanas datus. Quandoquidem vero ſua aciditate exceſſiva non ab omnibus tolerari poteſt, ſcrup. j. ſcrup. ij. ad Drachm. j. qualem doſin autor præſcribit, in locum ejus non male ſubſtituitur ſpiritus ſalis dulcis, de cujus efficacia videri poſſunt *les Inſtructions des Décentes par Monſ. de Launay* biennio abhinc Pariſiis publicatæ. De omnibus tamen his notari debet, non indifferenter iſta eſſe exhibenda cunctis hernioſis, ſed pro ætatis temperamenti, virium, ac diſpoſitionis varietate, prudentia maxima eſſe opus adeo, ut non male ultimo alleganti autores, qui hanc methodum omnibus hernioſis præſcribunt, cum ſutore illo comparari posſint, qui ſatis inepte unicum calceum omnium pedibus adaptare volebat.

§. XV. Optima autem utut hæc omnia fuerint, nihilominus ſufficientia neutiquam ſunt, niſi debitum diætæ regimen & ſex rerum non naturalium conveniens uſus acceſſerit. Obſervet itaque æger, ut alvus ſemper ſervetur aperta, ne feces aridas cum nixu excludere habeat opus. Arceat ſedulo aërem frigidiorem humidumque. Non licet equo aut curru vehi, multo minus ſaltatione aut digladiatione corpus exercere, potius lecto affixus, quantum poſſibile hæreat. Nam quid quies ad conſolidationem harum partium faciat, vix dici poteſt. *Refert Fabr. Hildanus c. 5. p. 54.* Nobilem quendam, qui per viginti annos hernia admodum rebelli laboraverat, cum ex alio morbo ſex menſium ſpatio lecto detineretur, exin perfecte convaluiſſe. Jubet hinc etiam *Paſchalius*, ut ſi non diutius, ſaltim 30. dierum ſpatio, poſt repoſitionem non deſerat grabatum æger, ſed reſupinus, & juxta *Riverium Cent. 4. obſ. 6.* adductis ſemper, minimeque divaricatis cruribus jaceat. *Diæta*

§. XVI. Veruntamen cum nec hunc ſitum facile ſuſtineant ægri, imo

etiam

etiamſi exacte ſe ad dicta conforment Medici, nunquam tamen tuti erunt, quin inopinato, levique data occaſione ſolvatur rurſum coarctata quodammodo via, redeatque abactus paululum morbus. Igitur commendarunt priſci Medici rurſum tria Medicamenta, nempe cauteriſationem, amputationem teſticuli & aureum punctum, quo apparatu hoc Chirurgico obtineatur, quod Pharmacevticus ac Diæteticus denegaverunt. Quoad cauteria, alii cum *Avicenna*, *Rhaſe*, *Theodorico* & *Guidone* actualia, alii potentialia ſupra peritonæi proceſſum applicant, remotaque poſt hac eſchara uſque ad vaſa ſpermatica penetrante, conſolidant uſualibus remediis hiatum, eoque ipſo coarctant peritonæum, præter naturam antea diſtenſum, *vide Fienum Chirurg. Tract. 12. cap. 6.* Teſticulorum amputatio fit, quando poſt repoſitionem, cutis in inguinali regione inciditur, hamuliſque aptis aut digitorum ope, è proceſſu peritonæi pariter aperto, ſpermatica vaſa eximuntur, vinculoque circumjecto conſtringuntur, ut poſſit ſub illis hærens teſticulus impune reſecari, parteſque per conſolidationem uniri, *conf. Ægineta lib. 6. cap. 65.* Aureum punctum deſcribit *Fienus Chirurg. lib. 12. Cap. 8. uſque ad 11.* hunc in modum. Facta repoſitione fit inciſio in loco quo deſcenſus acciderat, denudatoque proceſſu peritonæi circumjicitur filum aureum ſolidum craſſitudinis aciculæ majoris, extremitatibusque ejus convenienter adaptatis clauditur poſthac ſecundum artis leges vulnus.

[Ca]uteriſatio

[Test]iculo[rum] ampu[t]atio.

[Aur]eum [punc]tum.

§. XVII. Si licitum mihi eſt, quid de ſingulis his operationibus ſentiam, dicere: Priorem periculoſam admodum pronuncio, quoniam immediate ſub peritonæi proceſſu ſpermatica abſconduntur vaſa, quæ aduſta aut eroſa intenſiſſimos non ſolum generant dolores, ſed alia ſæpius adhuc graviora ſymptomata. Secundã omnino impiã & inutilem cenſeo. Impiam, quoniam excipit illam impotentia, inprimis ſi utrumque teſticulum reſecuerit orchotomus nequam. Hinc non ſatis mirari poſſum in uſu adhuc hodie eſſe illam in Germania, cum tamen Reſcripta Imperialia interdicant ſub capitis pœna caſtrationem hominum, allegat *Ammankus in Irenico Numæ Pompilii & Hippocratis pag. 241.* Taceam non raro ex inepta Sectione aut deligatione mortem accerſi, quale exemplum *citatus jamjam Autor* quoque adducit. Inutilis vero operatio hæc obſervatur, cum non intra proceſſum peritonæi, ubi ſpermatica vaſa poſita ſunt, ſed portioni ejus dilatatæ, aut diverticulo Nukiano ab his proceſſibus diſtincto inhæreant elapſa viſcera. Circa aureum punctum nihil habeo, quod moneam, niſi ut ſedulo attendatur, ne nimis arcta ejus coarctatione, vaſa comprimantur ſpermatica, aut ex inæquali unione illius loci dolor perpetuus excitetur. Quapropter aurei fili loco commode ſubſtitui poteſt cannabinum aut ſericeum, ipſoque conſui prudenter ac cum cure conjungi poteſt laxatum peritonæum, ad imitationem *Paræi Chirurg. lib. 7. cap. 16.* Vel ſolum ſcarificetur peritonæum ampliatum, ut cum adjacentibus partibus coaleſcere poſthac poſſit, ex *Sylvii* conſilio.

[Jud]icium [d]e his.

§. XIIX. Quod ſi vero à cunctis his operationibus abhorreat æger, (metuunt autem vehementer ſibi pene ſolonniter à ferro & igne) ne ſine ſolatio maneant, ſubligacula erunt ſuadenda, de quibus prolixe ſatis *Hildanus in ſua Chirurgia & Geigerus in Keleographia*, aliique innumeri agunt. Superfluum itaque duco fuſius illorum deſcriptioni inhærere, inprimis cum ſemper pro diverſitate ſubjectorum macrium & obeſorum, item, pro magnitudine tumoris locique affecti hæc perizomata debeant componi. Præ omnibus tamen laudo illa, quæ elatere chalybeo ſunt inſtructa: videantur *Blegny* & le *Quin* citatis ſupra ſcriptis. Admoneatur modo æger, ne unquam illud, etiamſi curatus videatur perfecte, temere deponat, ſæpius alias redibit morbus, quale quid non ita pridem in viro plus quam ſexagenario contigiſſe novi, qui retro annos ſedecim nunquam tantillum tumoris obſervaverat, hinc-

Cura palliativa.

hincque omnino ſecurus, dum balneum ingrediebatur, ſubligaculo vix per bihorium depoſito enormem rurſum contrahebat herniam Scrotalem.

§. XIX. Sufficiat hæc: plura ſiquidem addere non permitit occaſio, nec materia, quam à pluribus ex profeſſo pertractatam novi. Si Benevolo Lectori non omni ex parte placuero, Veniæ futurum locum ſpero, qui inexercitatus adhuc miles hanc palæſtram ingredior. Cæterum lætor de præſenti in portum me veniſſe, cum ardentiſſimis gratiis pro benigniſſima directione Omnipotentis, cui ſit Laus, Honor & Gloria in ſeculum ſeculi.

F I N I S.

Disputationum Langianarum

Trigeſima octava:

De

STERILITATE.

Præfatio.

Cogitanti mihi de apto diſſertationis argumento, obtulit ſe tandem poſt longas ſatis deliberationes ſterilitas, ſeſeque mihi adeo comprobavit, ut repudiatis cunctis reliquis thematibus, hanc examini ſubjicere deſtinaverim. Conſulens vero mutos meos Præceptores, (liceat ſic dicere codices practicos) maximam partem illorum aut nullo plane, aut minus firmo fundamento therapiam ſuperſtruere, hincque tot empyrica, inepta, ridicula minuſque tuta laudare medicamenta obſervabam. Accedebat his dehortatio amici cuiusdam in aurem inſuſurrantis, dari adhuc hodie quamplurimos Ianos Leonicenos Veronenſes, qui Graafios de genitalibus organis ſcribentes caperata fronte intueantur non ſolum, ſed ignominioſis etiam verbis tractent, ideo, quod imberbes, nondumque maritali vinculo ligati, de ſacris his Eleuſinis verba facere audeant. Parum igitur aberat, quin hæcce me in limine adhuc hærentem adegerint, ut ſententiam mutaſſem meam. Sed rediit mox iterum animus fluctuans, magisque adhuc me cepit deſiderium, Præceptorum meorum viventium dogmatibus accommodare hunc affectum, eoque vires meas ac profectus tentare aliquantiſper. Ne autem optima hæc, planeque inſons intentio, inquinamentis laſciviæ conſpurcata exoſa fiat viris probis, quantum poſ-

ſibile,

ſibile, in explicatione hujus materiæ ab obſcænitate, aut prorſus abſtineam, aut ſi qua rei enunciandæ neceſſitas, eam verborum involucro ſtudioſiſſime tegam, naturam hac in parte imitatur[9], quæ obſcœna membra maxime ab oculis removet. Ut vero huic labori ex alto benedicat Summum Numen, ardentiſſimis exoro precibus.

§. I.

ſa impulſiva. DEus ter Optimus Maximus utrumque ſexum, marem nempe & fœminam, condidit, eisque quia interitui ac corruptioni ſunt obnoxii, ſua benedictione per potentiſſimū illud multiplicamini, ut genus humanum propagaretur, & conſervaretur, vim generativam indidit, clementiſſimeque conceſſit.

dimenta §. II. Sed impeditur interdum generatio prolis, diciturque tum morbus ille ſterilitas. Nam utut dulciſſimum concubitum celebrent conjuges, omni tamen ſpe ſobolis deſtituuntur, imo ne quidem ſemper his frui gaudiis ipſis licet, propter impedimenta varia quæ nunc in alterutro conjugum cum inſigni illorum dolore ac indignatione notantur.

§. III. Ut plura de Nomine hic tradam, non opus eſſe puto, nam & ipſe *Galenus* variis in locis expreſſe dixit, in Medicina non nominibus, ſed convenientibus remediis ſalutem ægrorum promoveri. Idem judica de Hiſtoria morbi: nemo enim Medicorum erit, qui non ſtatim ex dictis omnia ad morbum hunc pertinentia cognoverit.

ſtoria §. IV. Pergo ergo ad ætiologiam: antequam autem id fit, prius generationis negotium brevibus ſum explicaturus, ut ex ſtatu naturali eo melius præternaturalis cognoſcatur.

rationis §. V. Requiruntur vero ad illud opus duæ cauſæ ſociæ, mas nempe & fœmina, quæ ſymbola ſua conferant. Sunt equidem qui ſemen omne mulieribus denegarunt, ſolummodo à maſculo illud contribui credentes. Hincque *Ariſtoteles* fœminam marem imperfectum appellavit, *aliique ex Philoſophis* animal occaſionatum, Imo *Chryſippus* ridicule ſatis naturam ſic virilem ſexum exornaſſe cenſuit, ut fœminam adjunxerit tanquam appendicem, ut pavoni caudam. Meliora nos edocti exiſtimamus, Creatorem non minus in fœminis, quam maſculis generationis poſuiſſe inſtrumenta. Utque veritas aſſerti pateat, quid uterque ſexus contribuat ad hoc negotium, dicam paucis. Mas, ſemen in teſticulis è ſangvinis flore ſecretum, inque veſiculis ſeminalibus ad tempus usque coitus aſſervatum, una cum liquore proſtatarum utero inſpergit muliebri, dum nerveo ſuo bipalio arvum illud fodit. In quo momento mira jucunditate perfunditur fœmina venereo œſtro jam flagrans; ipſius namque verenda loca, turgida tum ac vere inflata, arcte amplectendo tantorum gaudiorum autorem reciproca, ſatisque amœna titillatione afficiunt non ſolum, ſed ſemen quoque emiſſum avide admodum excipiunt, perque tubas Fallopianas ad ovaria mittunt, pro fœcunditate unius aut plurium ovulorum inibi ſub membranaceo tegmine latitantium.

§. VI. Hæc igitur, ſi fundamenti loco ex phyſiologicis præſupponamus, ſine omni impedimento in cauſas præternaturales ſterilitatis nunc licet inquirere. Notanter dico præternaturales, illæ enim quæ ſupra naturale principium agnoſcunt, qualis erat Rahelis, in ſacris literis commemoratæ, minime pertinent ad noſtrum forum, cum cuncta remedia, ex naturali penu deſumta, in caſu ſimili ſint irrita. De prioribus itaque ſolum nobis erit ſermo, quas, ut ordine procedamus, liceat dividere in tres claſſes. Prima quæ in mare latitant, ſecunda fœminarum, & tertia utrorumque conjugum ſibi invicem collatorum vitia comprehendet. *Cauſa ſterilitatis.*

§. VII. In mare ſe ſiſtunt omnium primo virilis haſtæ vitia, tam in ejus quantitate, quam qualitate. Quid enim mirum infœcundum eſſe conjugium, *in mare vitia organorum*

gium, ſi tam grande fuerit inguinum pondus, ut ipſum non capiat venereum antrum: Non minor culpa hæret in hac parte ultra menſuram naturalem elongata, altius enim penetrat quam par eſt iſta lancea, ſæpeque cauſa doloris, loco ſuavitatis deſideratæ, & contabeſcentiæ loco conceptus in fœminis exiſtit. Exempl. vid. apud *Ariſtot. lib. de gen. anim. c.* 7. utut ille potius in refrigeratione ſeminis, dum adeo prolixam legere cogitur viam, infœcunditatis rationem quærat.

§. VIII. Quibus nimis eſt curta hæc ſupellex, qualem caſum recenſet *Foreſt. obſ. 57. lib. 28.* aut plane deficit, nunc à primo ortu, vid. *Schenk. obſ. 9. tom. 2.* ſive poſt amputationem, conferatur *Barthol. epiſt. med. 9. Cent. 3.* illis pariter in Veneris prælia deſcendere non licet, ſemen namque dum utero immittere non valent, nec fœcundare mulierem poſſunt. Inhabiles quoque ſunt, quibus male conformatum eſt hoc membrum, ſive urethræ foramen, per quod ejaculatur Sperma, non in glandis ſummitate, ſed circa radicem conſpicitur, *ex obſ. Schenck. tom. 2. obſ. 10. & Amat. Luſ. cent. 1. Curat. 24.* ſive præter ordinarium oſtium, aliud adhuc inſveto loco exſculptum oſtendat, *vide ſis Plat. obſ. lib. 3. p. 844.* ſive propter phimoſin, aut aliud vitium modo debito non poſſit tendi, ſed torqueatur ad latus, qualia *exempla prax. lib. 3. p. 951. & Tulp. lib. 3. obſ. 39.* leguntur, ſub titulo contorturæ, aut nodi penis. In ſingulis namque caſibus non ſupra veram aram veneris deponitur ſpumeſcens hæc victima, ſed aliis adſpergitur inepte locis.

Impotentia. §. IX. Grandia ſatis hæc ſunt impedimenta, ſed nil cedet iſtis virgæ flacciditas intempeſtiva, quam alias virilem impotentiam vocant Practici, haſta ſiquidem virilis tum temporis juxta Petronium

Nec magis - - - movetur.
Quam lentæ ſalices laſſove papavera collo.

Et quidem jam propter influxum ſpirituum denegatum à ſenio, & morbo acuto, animi pathematibus gravioribus, luxatione vertebrarum, aut ligatione diabolica; jam ex organorum culpa, quæ in teneta ætate pendula ſunt & flaccida, in ſenio corrugata, & indurata, jam ex vitio muſculorum erigentium penem, in quibus deficiens robur, ex iisdem cauſis pariter ac ex inepta ſectione calculi, aliaque occaſione externa, vel interna, ſæpe deprehenditur.

§. X. Sed uti cuncta hæc vitia ſolum communicationem debitam impediunt virtutis plaſticæ à mare expectandæ, ita inſuper in ipſo ſemine, ſæpiſſime latet morbi noſtri cauſa. Veniat igitur ex his primo ad examen defectus ſeminis omnimodus, ejusque generatio inſufficiens: talis oritur ex organorum huic functioni inſervientium abſentia, aut inhabilitate. *Seminis defectus.* Quod ſi enim amputatæ ſunt partes illæ, qua viri ſumus, ceſſat quoque virilitas, imo ne quidem vocis gravitatem aut ornamentum illud virile, barbam loquor, his miſeris concedit natura. Non alia eſt ratio conformationis malæ teſticulorum, ſive nimium exiles, aut debito loco non poſiti, vel alio morbo correpti ſint. Quis igitur expectaverit ſeminis elaborationem, ſi teſticuli conquaſſati, exulcerati, aut carnoſo vel alio tumore occupati fuerint. *confer. River. in obſerv. comm. 44.*

§. XI. Utut vero organa hæc ſalva ac integra fuerint, ex aliis tamen cauſis in ſemine ſolum latitantibus ſterilitas quoque naſci poteſt: *vitia.* præſuppono jam ex phyſiologicis, duas eſſe ſeminis partes, viſibilem ſcilic. ac gelatinoſam, & inviſibilem magis æthere-am ſive ſpirituoſam. Prima equidem licet materialiter ad conceptum nihil omnino contribuere firmiter credam, quia auram genitalem plaſticum principium eſſe ſuppono, gelatinoſam portionem tantum pro involucro hujus activæ ſubſtantiæ habens; nihilominus compertum eſt, à totali abſentia hujus partis æq; à ac nimia craſſitie, aquoſitate, aut acrimonia ſæpe infœcunditatem naſci. Si namque alimenta laudabilia denegentur omnino, aut ſi optima illa ſangvinis portio vel conſumatur in nutriendis partibus corporis aliis, (id quod in juniori-

junioribus ſubjectis & quibusdam exceſſive obeſis contingit) vel dilapidetur per diarrhæas, ſudoresque nocturnos, aut fonticulos diutius geſtatos, aut tandem, ſi deferentia vaſa vel nimium exilia fuerint, naturalique loco haud inſerta, quis tum dubitabit, ex illis ſeminis materiam notabiliter imminui.

[Se]roſitas §. XII. Intueamur nunc dyſcraſias ſeminis, interque has primo ejus ſeroſitatem nimiam: habet iſta id incommodi, ut non ſolum citius effluat in congreſſu, quam conveniebat, ſed ſæpius etiam extra illud tempus, cum virium dejectione exſtillet in gonorrhœa ſimplici. Et licet non ſim neſcius, illum liquorem minime genuinum eſſe ſemen, ſed ſolummodo proſtatarum ſobolem, adeoque ſpeciem ſeri, hoc tamen non obſtante nocet egregie, damnaque exin oriunda ſole meridiano clariora ſunt.

[Vi]ſciditas §. XIII. Quoad viſciditatem nimiam, contrarium ex aſſe accidit ex ipſius præſentia, cum enim pori ſeminales, oſtiaque capſularum ſpermaticarum, ac deferentium vaſorum poſſideant anguſtiam majorem, vel plane non transcolari poteſt glutinoſa hæc ſubſtantia, aut tardius tranſit, ſcil. tum demum, quando pruritus venereus in fœmina deſiit, tubæque Fallopianæ cum reliquis uteri partibus rurſum ſubſident, quo tempore nullum emolumentum ex hoc ſeminis acceſſu ſperandum.

[Acr]imonia §. XIV. Acrimoniam quod attinet, varia licet iſta ſit; acida, ſalſa, aut cauſtica, in ſcorbuto v. g. gonorrhœa virulenta, ac lue venerea, quoad effectum nihilominus non tanta obſervatur diſcrepantia; ſemper enim ratione aculeatæ texturæ, tale ſemen agit in loca genitalia, nuncque rodendo ſolum & vellicando, ita ut tum ſæpe neſciant miſeræ fœmellæ, quorſum ſe vertere debeant, præ pruritu illarum partium & titillatione doloroſa, uſque donec ſe rurſum liberaverint ab iſto adeo adverſo hoſpite. Exempl. ejusmodi *in Miſc. N. C. Dec.* 1. *Anno* 3. *obſerv.* 233. vel ſi plane cauſticam poſſideat qualitatem, loco auræ genitalis horrendo contagio uterum conſpurcat, illumque erodit.

Spirituum abſentia. §. XV. Ita ſeminis pars craſſior peccando fœcunditatem ſæpe tollit, ſed majus adhuc imminet detrimentum ex partis ſpirituoſæ abſentia; nam ubicunque per animi pathemata graviora, nimiam conſumtionem in aliarum functionum aut ſenſuum exercitio, vel per morbos atroces hocce deperditur principium, fruſtraneus utique omnis poſthac venereus eſt labor. Imo non raro ab opiatorum, aliorumque narcoticorum uſu, & odore (à quibus extra controverſiam activitas ſiſtitur harum partium) caſtrari ſtrenuos aliàs in his caſtris milites, obſervatio loquitur quotidiana vid. *Diemerbr. obſ.* 32. qui de camphoræ virtute ſingulari adverſus venerem triplex allegat exemplum.

Cauſa ſterilitatis in fœmina. §. XVI. Viſis ſic cauſis ſterilitatis ex parte maris, nunc quæ in fœminis accidunt, examini quoque ſubjiciendæ ſunt. Quarum ſatis inſignis numerus omnium primo conſiderandas ſiſtit conformationes genitalium partium pravas, aut per anteceſſos morbos in ejusmodi ſtatum mutatas. *Genitalium prava conſtitutio.* Huc igitur referri debent 1. ſi uterus plane deſit, *ex obſ. Columb. de Re anat. lib.* 15. *& Schenck. tom.* 2. *obſ.* 105. 2. ſi ob cancrum aut alia vitia (fœminis nihilominus in vivis manentibus) exſtirpatus ſit, *conf. Sennert. qui lib.* 4. *Prax. part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 9. ex variis auctoribus congeſtas ejusmodi adducit hiſtorias. 3. Quando muliebria ſunt à nativitate clauſa, *vid. Beniv. de abdit. morb. & San. cauſis c.* 28. aut ſaltem poſt partum difficilem, aliasque injurias externas, v. g. ambuſtionem, variolas, luem veneream, conſolidata, *ex obſ. Plat. lib.* 2. *prax. cap.* 17. *Hild. Cent.* 6. *obſ.* 67. *Pauli Sorbait M. N. C. Dec.* 1. *A.* 3. *obſ.* 273. Nec quicquam intereſt, ſive in externis tantum locis, & circa ſola labia, ſive in magis profundioribus partibus hæc coalitio obſervetur, aut num ſola membrana occludat illud antrum, vel carnoſa, ſcirrhoſa, aliaque ſubſtantia, quamdiu enim obſtant mentulæ inſinuare ſe cupienti, ſterilitatis cauſæ vere fiunt. vide ſis *Hild. Cent.* 1. *obſ.* 65.

§. XVII.

§. XVII. Impedit etiam coitum ex parte fœminæ clitoridis excreſcentia nimia, quod corpus in naturali ſtatu vix unguis magnitudinem præ ſe ferens, in tantum augetur, ut nunc ad magnitudinem digiti, nunc colli anſerini excreſcat, cumque etiam in naturali ſtatu inſtar virgæ virilis, à venereo œſtro erigitur, nunc egregie reſiſtit conatibus viri, ipſumque deterret ab hoc officio. *vid. Tulp. l. 3. obſ. 35. & Plat. obſ. 667.*

§. XVIII. Hæc ſunt monſtra illa, quæ alit ſtatim in atrio uterus, profundius ſi paululum intremus, plura adhuc occurrent, jam enim tubæ Fallopianæ nimia laborant anguſtia, aut plane ſunt imperviæ, quam equidem cauſam nondum hactenus ab ullo autorum allegatam novi, ſi excipias *Fridericum Ruyſchium*, qui in quibusdam fœminis ſterilibus uterum poſt mortem diſſecans, perfecte occluſos iſtos conſpexit canales. *vid. ejus obſ. 83.*

§. XIX. Nullus dubito etiam in fimbriatas extremitates oviductuum horum quandoque culpam ponere, ſi propter conformationem minus convenientem uſum præſtare naturalem, hoc eſt teſticulos apprehendere, & in coitu tam diu retinere, donec virtus activa ſeminis ſuo ſatisfecit officio, haud fuerint apti. Similiter in ipſis ovariis vitia adeſſe puto, ubi illa hydrope laborant *ex obſ. Tulp.* aut ubi ovula non in aprico juxta ordinarias naturæ regulas poſita obſervantur, ſed craſſiori integumento, quodque diſrumpi ſe nondum facile patitur, cincta ſint, aut quando cicatrices poſt variolas remanentes membranam illam, quæ tegit ovula, occupant. *vid. Muraldus Hippocrat. Helvet. p. 909. ex Liſtero* hanc obſervationem allegans. Sæpe etiam cauſa latet in lympha craſſiuſcula, tenellas ovulorum partes obſtruente, & comprimente, dum aura genitalis fruſtra ſine ulla mutatione inducenda in partes illas agit. Sæpe & obſtructa lymphatica, tubas perreptantia, in magnam molem aſſurgentia, pondereque latera eorum prementia, ovulorum in tubas impediunt introitum. *vid. celeberrimus Nuck in Adenograph. p. 74.*

§. XX. Sed miſſis his, pergo ad ipſius Uteri ſtatum morboſum, qui nunc à nimia totius corporis pingvedine, aut ſaltem ſolius omenti pondere aucto compreſſus, hincque ineptus omnino ad admittendum ſemen deprehenditur. *vid. Hipp. ſect. 5. aph. 46. & Panaroll. pent. 3. obſ. 10.* Non equidem me latet, abſurdam omnino videri ultimam hanc cauſam non paucis, qui Recentiorum dogmatibus magis, quam veritati ſubſcribere conſveverunt, commoti potiſſimum naturali ſitu omenti, quod ad iſta adeo in declivi corporis regione poſita viſcera deſcendat. Nolo tamen ab horum ſtare partibus, qui, in quantum præternaturale hoc viſcus à naturali diſtet, avtopſia edoctus novi.

§. XXI. Et quæſo ſi hæc à ſtatu naturali deſumta argumentatio tantum valet, nunquam Scirrhi, aut alii tumores poſſent ab hanc ſententiam impugnantibus allegari, ut cauſæ ſterilitatis frequentiſſime occurrentes. Concludo igitur, ſi hi anomali tumores uterum adeo comprimere valent, ut debita ejus impediatur extenſio ad ſeminis ſuſceptionem neceſſaria, eodem ex fundamento idem effici poterit ab epiploo enormiter aucto, & à ſtatu naturali plane abeunte.

§. XXII. Porro in utero ſe ſiſtit quandoque nimia humiditas, & viſciditas, à quibus adeo ſæpe debilitantur ejus fibræ motui inſervientes, ut omnino ineptæ ad iſtam adeo neceſſariam erectionem evadant. Sæpius hæc cauſa, quamvis ſub titulo alio commemoretur ab antiquioribus, quam enim ipſi uteri frigiditatem & debilitatem dicunt, cum jam allegatis cauſis omnino coincidit, id quod docet effectus utriusque mali omnino ſimilis. Scilicet ſemen non admittitur ad interiora uteri, & ad tubas Fallopianas, ex his cauſis flaccidas & collapſas, ſed potius brevi poſt coitum, ſub colliquamenti mucoſi forma, è genitalibus rurſum excernitur.

§. XXIII. Experiuntur hoc malum pene ſolenniter fœminæ, quæ albo ut vocant fluore, ſive rheumatiſmo uteri vexantur. Et quamvis idem nobiſcum obſervarint cuncti retro Medici,

dici, aberraſſe tamen antiquiores in eo videntur, quod ex dilapidatione ſeminis, ſub forma hujus albi liquoris, damnum dependere crediderint, cum tamen ſolus ſit ex proſtatarum lacunis effluens liquor, à lympha vulgari parum differens. Quicquid igitur & hicce morbus ad ſterilitatem contribuit, unice relaxatis nimium, & ad motum illum tempore coitus neceſſarium ineptis omnino factis fibris in acceptis ferendum eſt, adeoque non raro ſi chronicus fuerit morbus, prolapſum etiam vaginæ uterinæ hæc cauſa gignit.

§. XXIV. Incuſant quoque antiquiores Medici defectum menſium in fœminis, illasq; abſq; contradictione omnino ſteriles pronunciarunt, à quibus lunare hoc debitum nunquam eſt ſolutum. Sed rurſum falſo ſatis hæc aſſertio ſuperſtruitur fundamento, ſangvinem ſiquidem menſtruum cum maſculino ſemine commixtum, in hominem coaleſcere, adeoque uno principio deficiente, inutiliter alterum impendi putarunt. Aſt cum jam dudum hæc opinio ſit refutata, exemplisque variis *à Marcello Donato Hiſt. adm. l. 4. c. 74. ac Panaroll. pent. 1. obſ. 15. Dolæo in M. N. C. dec. 1. Ao. 6. obſ. 64.* demonſtratum, fœminas ſcilicet concepiſſe nunquã omnino menſtruatas, haud opus duco prolixius refutationi inhærere. Quodſi tamen quandoque cum menſium defectu omnimodo conjuncta obſervetur infœcunditas, tum dubio ſine profundius videntur abſcondita non ſolum vaſa ſanguinea hunc cruorem alias ſtillantia, ſed reliquæ etiam fibræ, ad hanc ſingulis menſib9 recurrentem ſangvinis turgeſcentiam, æque ac venereum orgaſmum alias extenſiles, dubio ſine male ſunt conformatæ, adeo ut tum, quamvis ex alia longe cauſa, irritus nihilominus ſit omnis concubitus.

§. XXV. Tandem & uteri ſiccitas nimia venit incuſanda, quando ſcilicet roſcidus ille ac gelatinoſus liquor, qui in ſtatu naturali cunctis motui inſervientibus fibris adhæreſcere externe, uſumque axungiæ cujuſdam præſtare ſolet, deficit. Mox enim in rugas non ſolum abeunt partes iſtæ, ſed in motu etiam deficere incipiunt manifeſto. Vexantur autem hoc vitio inprimis, quas hecticus calor, ſudorque nimius adurit, & exſiccat. Item quibus tempus edax rerum conſumſit omnino illam laudabilem ſubſtantiam.

§. XXVI. Sed non ſoli hi uterini morbi in culpa ſunt tam infauſtæ ſterilitatis, obſervantur enim tota die nunc ab animi pathematibus gravioribus, & in longum protractis, curis puta, ſollicitudinibus, &c. Nunc à cachexia, hydrope, febribusque omnis generis, ſcorbuto &c. nunc ab ulcere pulmonum, & renum, calculo &c. oriri illam. Nec mirum, cum ab omnibus ejusmodi ægritudinibus primario ſpiritus, (quorum tamen ſumma activitas ad hoc negotium requirebatur) & poſtmodum reliquæ partes fluidæ ac ſolidæ, à quibus non minus auxilium ſperandum erat, morbis impliciti, ad hoc negotium plane inepti redduntur. *Spirituum defectus*

§. XXVII. Reſtat nunc, ut de vitiis utriusque ſexus ad ſe invicem collatis aliquid adhuc dicam. Si veteres hic conſulamus Medicos, parata ſtatim eſt reſponſio, dum frigidum nunc unum ſubjectum obſervari, alterum calidum, & alio tempore, vel utrumque frigiditate, aut oppoſita caliditate peccare dicunt, cum nunquam tali in caſu conformitas ſit expectanda ſeminum, alias ad accuratam commixtionem neceſſaria. Non ero prolixus in hac examinanda ſententia, quæ obſoletiſſimas, dudumq; refutatas ſapit hypotheſes, potius quid ego de hac materia ſentiam, brevibus indicabo. Sterilis redditur concubitus, ſi ætatis, virium, & conſtitutionis ratione impares omnino ſint conjuges, mas enim ubi alacris ad hunc conflictum fuerit, fœmina autem non tam facile in œſtrum venereum rapiatur, extra dubium jam omnia ex parte viri ſunt peracta, antequam, quæ in fœmina requirebantur ad impрægnationem, modo debito adornentur, & verſa vice, ſi mas fuerit elumbis, & fœmina prona in venerem, citius ſæpe ſubſi- *Cauſa in utroque conjuge inæqualitas.*

det muliebrium genitalium erectio, antequam iſte cunctator ſymbolum contribuat ſuum, adeoq; & nunc poſt feſtum, ut ajunt, ejaculatum ſemen inutiliter perditur.

Signa §. XXVIII. Abſolutis his, ad ſigna progredior, quæ pro diagnoſi hujus morbi vix requiruntur: ubi enim conjux thalamum nnnquam egreditur gravida, ſatis clare de ſterilitate conſtat. Aſt major latet difficultas in Scrutinio cauſarum, tam in genere reſpectu maris & fœminæ, quam ſpeciatim, reſpectu partium huic negotio ſacratarum. *cauſarum in mare* Equidem virilis membri craſſities monſtroſa, longitudo, brevitas, defectus, mala conformatio ratione oſtii urethræ, phimoſis, contorſio penis, impotentia virilis, defectus teſtium & ſeminis, facile deteguntur ingenua confeſſione aut inſpectione. Sed plus laboris requiritur in cognoſcenda ſeminis prava qualitate. Juſſerunt equidem antiqui Medici ſemen aſpergere aquæ, & obſervare num illud ſupernatet vel fundum petat, & exin fœcunditatem oppoſitumque vitium cognoſcere. Verum minime tuto concludi ex his phænomenis licet, hinc, niſi ipſi conjuges, vel ex nimis ſubitaneo effluxu & ſtillicidio ſeminis extra coitum aquoſitatem ejus, & ex glutinoſitate longaque mora, antequam ejus ejectio fiat, viſciditatem, vel ex dolore ac pruritu, quem parit utero inſperſum, acrimoniam, tandemque ex aliis prægreſſis erroribus cum corporis debilitate conjunctis defectum vitalis principii ipſi detegant, magna ſemper manebit hic obſcuritas.

in fœmina §. XXIX. Quoad cauſas, quæ in fœminis occurrunt, nullam parit difficultatem prava conſtitutio organorum, dummodo in aprico hæreat iſta, & in ægras confitentes libere hos ſuos morbos incidamus. Quoniam autem pene ſolenniter harum partium vitia, ex, neſcio quo, intempeſtivo pudore celantur, ſæpius manent incognita non hæc ſolummodo, verum quoque Scirrhi uterini, fluor albus, Menſium defectiones, uterique prolapſus, niſi vel ex depravato habitu corporis aliisque ſymptomatibus conjunctis, illa forſan eruantur. Sed in propatulo magis ſunt cauſæ ex nimia obeſitate, morbisque humorum, ſpirituum, ſolidarumque partium ortum trahentes, quæ ſilentibus licet ægris in ſenſus omnium cadunt.

§. XXX. Sed quid de Hydrope, aliaque præternaturali conſtitutione ovariorum, coalitione tubarum Fallopianarum, reliquisque vitiis uteri, à conformatione mala dependentibus, aut quando omentum nimium auctum, vel ex alio præternaturali tumore uterus comprimitur, dicendum? ſane ad loca iſta nec oculi nec mentis acies penetrat, hincque vere infelix harum ægrarum conditio eſt, juxta *Hippocrat. de Vulneribus* effatum, cum nunquam aliter, niſi poſt mortem, dum cadavera diſſecantur, manifeſta fiunt.

§. XXXI. Superſunt adhuc ſigna explicanda, ſi ex quadam individuali conjugum inconvenientia dependeat malum. *in utroq; juge hærenum* Facile illam cognoſcimus, ſi viduus nubat viduæ, fœcundus ante hac fœcundæ, & nihilominus nunc non augetur familia probe, utut nil intermittatur, quod ad hoc negotium quicquam facere poterat. Attamen in quonam præciſe ex his ſubjectis hæreat culpa, res eſt incertitudinis pleniſſima, non enim ex habitu corporis exili, non ex facie florida, non ex ſuris toroſis aut junceis judicari tuto poteſt de viribus venereis, propius vero admittere arbitros non concedit verecundia. Quid igitur conſilii? *jubet Hippocrat.* ut granorum hordei manipulus in urina utriuſque conjugis ſeorſim maceretur, poſtmodumque terræ mandetur, cujus vero ſemina non germinant, ſterilitatis fiat reus. Vel ſi ſuſpicio cadat in fœminam, ex ejusdem autoris conſilio *lib. 5. aphor. 59.* huic undique tegumentis munitæ ſuffitus ſupponatur ex aromatibus, ſi ſapor horum non penetraverit per uterum ad os, afficiatque linguam, ſterilis erit & verſa vice. Veruntamen quis his nugis fidem adhibebit, quæ ex ſolis præconceptis opinionibus originem ſumſere ſuam. Potius ad ætatem

tem, temperamentum, & ſymptomata concurrentia attendatur, hæc enim, accedente inprimis confeſſione libera, ſigna dabunt magis certa.

ognoſis. §. XXXII. Quoad prognoſin notetur, non adeo deſperatam ſterilitatem eſſe, quæ ex ætate tenera, penis longitudine, phimoſi, impotentia virili poſt morbos acutos, ſeminis defectu, ex alimentorum penuria, & dyſcraſiis ejus oritur in maſculis. Nec deſperandum ſtatim; ſi uteri adſit clauſura per membranam facta, vel clitoridis elongatio, uteri humiditas & prolapſus, vel alius morbus, datur namque his in caſibus adhuc locus medicamentis. Quandocunque vero penis defectus, craſſities, mala conformatio, contorſio, erectionis defectus ex muſculis huic negotio inſervientibus diſſectis, ſeminis abſentia, caſtratione, contuſione, vel ulcere teſtium adſit, & in fœminis uterus deficiat, aut firmiter carnoſa, aut alia ſubſtantia ſit clauſus, tumoreque ſcirrhoſo, carnoſo, vel nimia pinguedine compreſſus, aut ſi in coalitionem tubarum Fallopianarum, & ovarii ſtatum præternaturalem cadat ſuſpicio, conclamata omnino hæc videtur affectio.

. in quibus cam caſi impoſſibilis. §. XXXIII. Conſideratis ſic ſingulis, quæ ad hunc affectum ejusque naturam indagandam facere poterant, nunc ad ejus curam progredior, ea tamen conditione, ut è horum numero excipiam I. in maribus penis abſentiam, exiguitatem, craſſitiem horrendam, malam conformationem reſpectu orificii ejus, contorſionem, impotentiam virilem, ex ligatione diabolica, vel aridura aut alia violenta læſione tam corporum nervoſorum, quam muſculorum erigentium, defectum ſeminis in caſtratis, & quibus teſticuli aliis modis graviter læſi ſunt, anguſtiam vaſorum deferentium, vel ineptam inſertionem, & ſi omnis materia ad nutritionem aliarum partium abeat, vel ſemen ſpirituoſæ ſubſtantiæ defectu laboret. II. In fœminis abſentiam uteri, & nimis arctam aut profundam coalitionem vaginæ uterinæ, ejusque corrugationem ex ſenio, ſcirrhum uteri, aut compreſſionem ejus per nimiam pinguedinem, aut propter naturam auctum epiploon, tubasque Fallopianas, & ovaria non rite formata. Neutiquam enim exiſtimo, omni humano labore ea emendari poſſe, quicquid etiam ſuaſeris. Ridiculum itaque mihi videtur, per cucurbitulas ſupra curtum penem frequenter cum magna licet flamma applicatas ejus elongationem moliri velle. Crudele & tamen irritum eſt conſilium *Schenckii & Amat. Luſ. Cent. 1. curat. 23.* quæ urethræ oſtium deficiens, per ferrum candens, aut inſtrumentum acutum efformare jubent. Et quis quæſo facile ſibi perſvaderi patietur, herbulis quibusdam, aliove apparatu ex materia Medica deſumto ſolvi poſſe ligationes ſatanicas. Miſerum profecto dixerim hunc diabolum, qui iſto ſe abigi patiatur apparatu. Sed ne nimius ſim in recenſendis ejusmodi inſufficientibus remediis, paſſim ab autoribus præſcribi ſolitis, ad ea propero, à quibus adhuc ſolatium aliquod ſperandum.

§. XXXIV. Accedant igitur qui penis longitudine nimia laborant, & licet illis partem ſuperfluam reſcindere non habemus in animo, parabimus tamen ipſis pulvillos, ex materia molliori, qui radici penis applicati commode nihilominus arcebunt importunum acceſſum, ad uteri orificium internum, ex quo alias tot ejulatus, ac dolores cum aliis ſymptomatibus ſtipati ſumebant originem, *vid. Hild. Cent. 6. obſ. 62.* *Poſſibilis in exceſſu penis*

§. XXXV. Phimoſis vel ad imitationem *Hieron. Fabric. ab Aquapend. Oper. Chir. part. 1. cap. 62.* curabitur per immiſſam turundam ex medulla cannæ, vel per ſpongiam antea compreſſam, utpote cujus ope præputium nimis ſtrictum, ſæpe dilatatur ex voto. His tamen non ſufficientibus ad Chirurgiam *Celſi & Æginetæ* deveniendum eſt, quam dictus autor loco citato recenſet. *Phimoſi*

§. XXXVI. Virgæ deficienti erectione, quæ ex principii interni motus deficiente influxu dependeat, irritantibus ſuccurritur. Interne igitur dandum ſem. eruc. ſinap. cardam. cubeb. *virgæ flacciditate*

caryoph. zingib. pip. rad. ſatyr. & alia quibus communiter vis ſtimulandi venerem ab autoribus adſcribitur. Commendantur etiam pro hac intentione *à Zac. Luſ.* cantharides pulveriſatæ, non auſim tamen facile iſta præſcribere, cum ex levi abuſu doloſos horrendus ſequatur priapiſmus ad mortem ſæpe usque miſeros excrucians. vid. quæ *Jobus à Meekren ex Cabrolio allegat. obſerv. cap. 34. p. m. 141.* Pro uſu externo conveniunt inunctiones penis cum felle perdicis, Zibetho, aliaque ſtimulantia communiter dicta, uti ſunt pulv. rad. pyret. euphorb. zingib. cum unguentis & oleis deſtillatis mixta. Nondumque ſi ſuffecerint iſta, frictiones membri cum panno aſpero, cæſiones cum urticis & virgis in ſubſidium ſunt vocandæ, de quarum efficacia *vid. poteſt. Cælius Rhodig. lib. 11. cap. 15. ex Pici Mirandul. lib. 3. adverſus Aſtrologos ſcripto ſingularem Obſervationem allegans, vid. etiam Joh. Heinr. Meibom & Thom. Barthol. Epiſt. de uſu flagrorum in re venerea.*

§. XXXVII. Huc pertinent quoque quæ præter hanc facultatem inſimul analepticam, & roborandi reſolutas fibras poſſident: Vinum puta, aliique ſpiritus vinoſi per fermentationem, aut abſtractionem à vegetabilibus nervinis, aut aromatibus facti, ſpiritus formicar. acidus, aqua magnanimit. Confect. Alkerm. compl. confect. anacard. Choccolata, & quibus ſingularis aliqua virtus adſcribitur, linguæ anſerum, paſſerumque in coitus negotio transfoſſorum cerebra, teſticuli & criſtæ gallorum, priapi cervi & tauri, pariter in ipſo coitus actu interemptorum.

ſeminis defectu. §. XXXVIII. Seminis defectui ex alimentorum penuria ſuccurritur eupeptis, ac analepticis, è quibus laudem meretur lac humanum, è mammis ſtatim ſuctione elicitum, vitella ovorum recentia cum vino cretico ſorpta, oſtreæ, mytuli, cochleæ, amyg. dulc. avellan. pin. ac piſtac. caſtan. dactylorumque fructus. Iisdem remediis emendatur etiam tenuis nimium & aquoſa ſeminis intemperies, ſi inprimis cum aliis incraſſantibus & glutinoſis e. g. gum. arab. tragac. ſuccin. maſtich. colophon. &c. maritentur. Nimia autem ſi peccet copia ſerum in univerſo corpore, diaphoreticis, ac purgantibus hydragogis educenda eſt prius ſaburra illa ſuperflua.

§. XXXIX. Viſciditatem tandem hujus ſpermaticæ ſubſtantiæ diluentibus curamus. Laudo hinc Thee & Coffee potum, quicquid etiam contra oſores illorum dixerint, nil enim obtinebunt unquam adverſus hæc divina medicamenta, niſi abuſus, qui etiam in rebus ſaluberrimis nocet, acceſſerit. Præfero autem hæc jam dicta, vel ad imitationem illorum facta alia vegetabilium infuſa diluentibus vulgaribus, aquæ ſc. ac cereviſiæ ſecundariæ, quoniam ſorbentur calida, cum ex hoc capite incidendi virtus quoque augeatur. An autem præterea (quod omnibus pene Practicis placet) reſolventia aromatica, & ſalina, tali in caſu commode etiam poſſint commendari hæreo, quia nunquam taurocollam, aut aliud glutē ab his ſolis, niſi aqua affuſa fuerit ſufficiens, diſſolvi poſſe vidi. *viſciditat*

§. XL. Sed nondum finis eſt præconii diluentium remediorum, valent namque etiam contra acrimoniam tam acidam quam ſalſam, quibus, dum ea nimirum ſolvunt, omnem vim ulterius agendi demunt, præprimis ſi ſimul contra acciditatem præſentem alcalia fixa, & volatilia, martialia & abſorbentia, & adverſus ſalſedinem inviſcantia, ſub titulo incraſſantium modo recenſita exhibeantur. Quoniam vero inter ſalia, prout loquitur *Helmont.* ſua quoque eſt Reſpublica, cuncta illa acidis vulgaribus inimica parum vel nihil faciunt ad acidi venerei correctionem, hinc niſi per mercurialia illorum compeſcatur ſævitia, labor omnis erit fruſtraneus. *Acrimoni*

§. XLI. Defectus ſpirituum qui adhuc ſupereſt, per analeptica in præcedentibus enarrata, & torpor per excitantia curabitur. Et licet de Opiatis & camphoratis in cauſarum expoſitione adductis aliqui ex Medicis dubitent, num famoſam iſtam poſſideant vim ligandi ſpiritus genitales, allegātes probationis loco Turcas, & refinatores camphoræ, quibus copioſiſſima proles eſt, *Spirituum defectu*

eſt, ut larga in quantitate opium quotidie deglutiant illi, hi vero odorem camphoræ toto vitæ tempore cogantur devorare, minime tamen evertunt theſin noſtram, dum à particulari, hoc eſt à gentis calidiſſimum clima inhabitantis naturâ, & robuſtiore quodã genere hominum, in quibus conſvetudo altera jam dudum facta eſt natura, ad univerſale argumentantur. Stat igitur firmo adhuc talo in infœcunditate ex his cauſis excitantia, ſcilic. ſalia volat. & caſtorina medicamenta, aliaque plura, quæ irritando fibras faciunt, ut exagitentur & concutiantur intus concluſi ſpiritus, eſſe convenientiſſima.

imper- *irum.* §. XLII. Sed ſatis etiam de his, progrediamur nunc ad remotionem cauſarum in ſequiori ſexu ſe offerentium. Præmonui autem me intra affectus inſanabiles referre genitalium coalitionem firmam, ac profundam, ergo ſolum, quæ leviter ſaltem beneficioque cujusdam ſubſtantiæ membranoſæ fit, inque atrio ad labia uterina obſervatur, curandam ſumo. In hoc caſu ſyringotomo altera extremitate acuto, vel cultro ex una parte aciem habente, modiceque ad cuſpidem recurvato, incidi debet obſtaculum per partem mediam: poſt hæc inter vulneris labia vel plumaceoli, vel aliud corpus glabrum interponendum eſt, uſque donec extremitates vulneris perfecte conſolidatæ fuerint, ne omiſſa hac encheriſi nova iſtorum locorum fiat unio. *vid. Schenck. L. IV. obſ. 12. 13. 14. Guiliel. Fabr. Hild. C. III. obſ. 60. 61. Sennert. Inſtit. Medic. L. 5. p. 1. ſect. 2. cap. 7. M. N. C. D. 1. A. III. obſ. 5.*

dis *ia.* §. XLIII. Clitoridis excreſcentiam nimiam Chirurgia rurſum tollere cogimur, quam diverſimode deſcribunt autores, Ægineta partem hanc volſella arreptam ſcalpello exſcindit, quæ methodus Aquapendenti etiam placet, hac tamen addita cautela, ut forcipe anguſtiore prius partem aliquandiu ſtringat, quo ejus ſenſus ante operationem hebetetur. Alii loco ſcalpelli ligaturas cum filo ſericeo probant, dum enim pedetentim ſtringitur illud, contabeſcere incipit corpus hoc monſtroſum ob defectum materiæ nutrientis. Sed cautiſſime neceſſum eſt procedamus, quicunque etiam modus ex his placuerit; pars ſiquidem iſta tota tota nervoſa, ac tendinoſa, inflammationibus ac doloribus exquiſitiſſimis ſtatim eſt obnoxia, ſi durius paululum tractetur.

§. XLIV. Remotis nunc obſtaculis externis, conſtitutionem pravam ipſius uteri corrigentia quærimus. Humiditatem igitur, & exin natam flacciditatem hujus viſceris, decent evacuantia, tam per inferius guttur, quam per peripheriam corporis educentia, ipſisque præmiſſis roborantia, quæ ſub exſiccantium & adſtringentium titulo alias veniunt. Probe obſervetur recenſitus ordo remediorum, quodſi enim evacuantibus non præmiſſis ultimo loco nominata medicamenta adhibeas, operam perdis omnem. Aut ſi voto reddaris compos, intempeſtive impediendo evacuationem ſuperfluæ iſtius materiæ, occaſionem præbes innumeris, longeque periculoſioribus morbis. Pariter, licet non intermiſeris, quod evacuare ſaburram abundantem poterat, ſemel tamen atoniam paſſæ partes ſtillare ſerum non ceſſabunt, niſi novum robur ipſis conciliaveris. *Humiditatis in utero.*

§. XLV. Varius autem iſte roborantium apparatus eſt. Interne dantur nervina omnis generis, & in ſpecie Roſmarinus, cujus Eſſentia ſola plures ex hoc affectu ſteriles in quadam celebri civitate curatas fuiſſe novi. Communiſſime ad thermas ablegari ſolent, ut dum aquis his immergitur totum corpus, hæc languida etiam loca alluantur. Virtus vero talis roborandi in his aquis extra omnem controverſiam latitat, quapropter præprimis in hoc caſu hoc medicamenti genus convenire certo mihi perſvaſum habeo. Horum defectu ſuffimigia ſvaſerim ex ſuccino, ſtyrace, calaminth. tacamah. &c. vel decocta ex Rad. biſtort. torment. filipend. ſymph. maj. ſumach. fl. roſ. rubr. balauſt. nuc. cupreſſ. Oe. &c. quæ per ſyringam injecta, aut ſub forma inſeſſus adhibita non facile deſerent medicum.

§. XLVI. Conveniunt quoque cuncta

Fluoris albi & Gonorrhœæ virulentæ. cta hæc adverſus fluorem album, quem rheumatiſmum uteri quidam Recentiorum vocant: quando autem altera ejus adeſt ſpecies, in qua non ſerum exſtillat, ſed liquor viridicans ſangvine commixtus, cum dolore inſigni fœtorem ſpirans omnino putridum, mutare cogimur medicamenta, ſubſtituendo his balſamica, & vulneraria, terebinth. nempe & balſ. copaiv. illisque irritis Mercurialia; non enim nunc ſola copia ſeri peccans, ſed exulceratio illarum partium ab humorum acrimonia nata, curanda tibi eſt.

Siccitatis nimiæ in utero. §. XLVII. In ſiccitate nimia fibrarum uteri humectantia debent adhiberi, quorſum balnea aquæ dulc. vel cum emollientibus uſualibus parata pertinent: ejusdem virtutis ſunt etiam axungiæ animalium, non rancidæ, oleaque infuſa & expreſſa lil. alb. amygd. dulc. &c. ſi externe & interne uſurpentur. Potus quoque aquarum thermalium non inconveniens eſt, aut aliud infuſum medicamentoſum, calide aſſumtum.

Defectus ſpirituum. §. XLVIII. Quod ſi fœminæ ex aliis morbis langvidæ v. g. ex animi pathematibus, cachexia, hydrope &c. fœcundari nequeant, curandæ illæ ſunt juxta methodum medendi, & regulas paſſim ab autoribus præſcriptas, quas fuſius exponere omitto, ne in monſtroſam molem mea excreſcat diſputatio.

Cura in qualitat… §. XLIX. De vitiis quoque utriusque ſexus ad ſe invicem collatis, dicendum aliquid adhuc eſt; ubi eo allaborandum venit omni ſtudio, ut faciamus ſibi ſimiles imparibus viribus dimicantes, hinc vel alterutri vel utrique conjugum facienda eſt medicina, nunc ſtimulantibus §. 36. recenſitis, nunc extingventibus venerem, quorſum nymph. portul. ſemperviv. acet. ſucc. citri, ſachar. Saturni, illaque pariter jam ſupra adducta opiata & camphorata referri debent.

§. L. Hæc fuere L. B. quæ pro inſigni hoc themate illuſtrando, ex tenui penu mei ingenii depromere potui. Fateor lubenter, multa à me eſſe penitus omiſſa, pluraque adhuc brevibus eſſe pertractata, quæ inſigni verborum pompa alii exponere ſolent. Sed id conſulto factum eſt, nolui enim tua patientia abuti, ea tranſcribens, quibꝰ integros codices replerunt multi. Satis mihi erit, ſi quæ in medium protuli, delicato tuo arrideant ingenio, ſin minus, ea qua par eſt animi ſubmiſſione rogo, velis errores æqui bonique conſulere. Interim Deo Triuno ſit Gloria, Is noſtris porro actionibus divina benedictione addat vigorem, ut inprimis ejus honor, proximique commodum perpetuus illarum ſit

F I N I S.

DISPU-

DISPUTATIONUM LANGIANARUM

Trigeſima nona:

De

MENSIUM SUPPRESSIONE.

PROOEMIUM.

MUlierem omnem bis pati morbum, elogium eſt Helmontianum, doctum non minus, quam verum. Illa etenim non tantum, quatenus homo eſt, corruptam naturam & corpus fragile habens, cunctas ferme cum viro pœnas ſuſtinet, & miſerias communes habet; verum etiam ob uterum, qui à Platone animal furioſum, in varios furores ſe ipſum concitans, vocatur, & inſtar peculiaris, ſeu tertii hominis eſſe, à Paracelſo creditur, proprias & horrendas quotidie perferre cogitur. Scilicet ex hoc, tanquam ex equo Trojano reconditas morborum & ſymptomatum myriades monſtroſas, lernæas, & ſæpe numero Herculeâ etiam clavâ inſuperabiles proſilire, Oraculum illud Coum *in princip. lib. 2. de Morb. Mul. p. m. 526.* divinatum eſt, ubi partem illam, cujus vitio tam ſæpe ægrotare ſolet, (uterum intellige) non absque cauſa πάντων τῶν νȣσημάτων αἰτίαν, omnium morborum muliebrium cauſam audacter pronunciare ſuſtinet. Non hic locus eſt, recenſere omnes morbos ac ſymptomata, quorum mater fidelis exiſtit: inſtar omnium, & reliquorum baſis eſſe poterit ipſa MENSIUM SUPPRESSIO, Symptoma uteri ſane non leviſſimum. Si enim unquam, certe tunc, quando in ſolvendo hoc lunari tributo illud naturæ arvum eſt ſegnius, tanquam Trojanus equus plurimorum affectuum iliada alit, qui poſtmodum tyrannidem ſuam non in miſerandi ſexus ſolum conſternationem exercent, ſed Medico etiam ob atrociam multum faceſſunt negotii. Cum igitur hinc clareat, non ſuperficiarium hoc eſſe malum, ſed in receſſu diverſos implicare morbos; in eo conſiderando, dum ſpecimen mihi edendum eſt, vires ingenii, tumultuaria quamvis methodo, calamoque volante, experiri decrevi, excuſſa Natura cum ejusdem Cauſis, quibus Mediis ipſi ſit contraeundum, oſtenſurus. Faxit DEUS Ter Optimus, Ter Maximus,

ut hi cæterique conatus mei ſub Ejusdem Gratioſa Directione ad optatum, quem ſibi propoſuerunt, deducantur ſcopum.

§. I.

Onomatologia. PRius autem, quam in affectus hujus realem conſiderationem plenis, quod ajunt, velis tendam, operæ pretium fore exiſtimo, ut nomenclaturam ipſam levi tantum brachio attingam, deque menſtrua purgatione generatim pauca præmittam. Scilicet Menſes, ſeu *καταμήνια* Græcis, à menſe, non tam ſolari & civili, quam lunari dicti, humanæ ſpeciei, & ſexui ſequiori unice competunt, vel ordinarie ſaltem & præcipue; notantque illam cruoris evacuationem per genitalia contingentem, quam fœminæ ac puellæ eâ ſtatim ætate, ubi mammæ primum elevari ac ſororiari incipiunt, & quâ ad muliebris patientiæ leges ſuſcipiendas fiunt aptæ, patiuntur, ſingulis dein lunæ circuitibus, & intra menſem talem, ſeu viginti octo dies circiter ordinarie (niſi utero gerant, vel infanti potandas ferant mammas) recurrentem, usque donec hebeſcenti ſenectute repagulum iterum in corpore vetularum, finesque natura ſangvini ponat. Et quamdiu hoc modo pacatè menſes effluunt, tantum abeſt, ut venuſtam corporis & membrorum compoſitionem (cæteris paribus) tot ægritudinibus exponere debeant; quin potius omnium partium exactiſſimam proportionem & diſpoſitionem ab omnifaria morborum tyrannide illibatam præſervare poſſint. Sed calamum diutius in naturale hoc fluidum non immergam, cum inpræſentiarum cum præternaturali fœminarum ſtatu mihi res ſit, in hoc autem ſub alio MENSES ſchemate, & ut in totum ſunt ſuppreſſi, veniunt conſiderandi, dum ultra tempus debitum, & diutius quam par eſt, lunare illud debitum ſuſpenditur, ad quod ipſis extorquendum atrox ærumnarum phalanx poſtmodum ſeſe ſiſtit. Græcis dicuntur *ἡ τῶν ἐμμήνων ἐποχή*, *menſium diuturnior retardatio*, & *Foreſto lib. 28. obſervat. 3. flores & tempora p. n. ſuppreſſa.* Utut vero Menſium hæc ſuppreſſio ſumatur etiam latè aliquando pro menſium emanſione, alii quoque pauciorem eorundem fluxum huc referant, proprie tamen magis & ſtricte contradiſtincti ſunt Menſes Suppreſſi, emanentes & parce fluentes.

§. II. Prælibatis ſic iis, quæ ad nominis enucleationem facere videbantur, merito ordinis lege ad definitionem hujus intricati affectus realem me converto. Quanquam autem à variis varie eadem traditur, in ſequenti tamen, quæ ejus naturam rotunde explicabit, acquieſcere conſtituo. Scilicet *Menſium Suppreſſio eſt totalis menſtrui ſangvinis in fœminis juſtæ ætatis ſingulis menſibus alias ſemel & ordinarie fluentis p. n. ceſſatio, à conſtitutione p. n. uteri, vel ipſius ſangvinis, aut vaſorum vitio originem trahens, varia eaque gravia in corpore excitans incommoda.* *Definitio.* Generis vicem conſtituit p. n. ceſſatio, putoque ſufficienter hoc ipſum declarare, ad quam rerum p. n. claſſem ſangvinis hæc menſtrualis ſtagnatio ſit referenda; *ſcil. ad ſymptomata actionis læſæ, vel potius plane abolitæ:* uterus enim, qui, quod inutile & ſuperfluum reſtat, evacuare debet, ob cauſas infra recenſendas, ab opere ſuo feriari cogitur. *Genus.* Dein, *retentorum quoque ſymptomatibus* non inepte annumeratur, præeunte *Galeno lib. de different. ſymptom. cap. ult. & lib. 3. de cauſ. ſymptom. cap. 4.* cum quod pacatè effluere, & per tres, quatuor, quinque vel ſex dies naturaliter excerni debebat, in non leve corporis damnum atque detrimentum p. n. retinetur.

Differentia. §. III. Præter naturam hanc dico contingere Suppreſſionem, quo ipſo non promiſcue quamvis intellectam, ſed carentiam menſium naturalem ab eorum Suppreſſione p. n. diſtinctam volo. Notum enim eſt non quascunque menſtrui ſangvinis Suppreſſiones cum detrimento atque jactura ſanitatis fieri, ſed aliquas eâ ratione eſſe comparatas, ut vel ſecundum naturam contingere dici mereantur, v. g. in gravidis, nutricibus lactantibusve, quibus

quibus ordinaria, & plerumque peculiaris eſt; utpote in quibus ſangvis, dum eodem fœtus nutriendus, aut lac exinde generandum eſt, in fines ſuos abſorbetur, adeoque ſuperfluus, & per conſequens nocivus & morboſus non exiſtit. Sic obvia etiam ſunt exempla ejusmodi fœmellarum, quæ purgamentorum horum ignaræ, manente tamen ſub munditie hâc ipſarum ſanitate & fœcunditate illibata; *Apud Sennert. Prax. lib. 4. part. 2. ſect. 2. c. 1. quæſt. 1. Panaroll. pentec. 1. obſ. 15. Tim. lib. 4. caſ. 7.* qualeque in fœmina honeſtiſſima pariter ac nobili, ſex liberorum matre, teſtatur *Excellentiſſimus Bohnius in Circul. ſuo phyſiol.* ex quorum forſan numero fuit etiam illa, *apud Platerum*, bene habita, formoſa & ſanguinea mulier, nullis unquam menſtruis tentata, nec incommodum ullum inde paſſa. Sed hiſtoriarum jam ſatis, plures qui volet, adeat gynæcea Medica induſtria exſtructa, ubi paſſim hujus farinæ adhuc mirandas adinvenire ipſi licebit. Mihi interim ſufficiat brevibus indicaſſe, naturalem menſium abſentiam omni, aut, ad minimum graviori periculo vacare; p. n. vero nunquam absque inſigni noxa contingere.

[Sub]jectum. §. IV. Poſitis hiſce, de ſubjecto inquirendo, ut ſollicitus nunc ſim, neceſſe eſt. In ejusdem vero evolutione calamum mihi abs quæſtione iſta, An menſium fluxus, eorumque adeo Suppreſſio, ſimiis etiam competat, nec ne? remorari non patiar, cum ſint è familia brutorum, adeoque noſtra cura atque arte indignæ, contra licet ſentiente *Jacobo Zabarella.* Ut propius igitur ad rem accedam, meo quidem judicio non erravero, ſi illud melioris ordinis gratia diſpeſcam in *Generale*, *Speciale & Specialiſſimum.* Ex ſuperius data definitione jam aperte liquet, Fœminas, prout latiori ſignificatu, Virgines pubeſcentes, & ad matrum officium expediundum idoneas una includunt, *in genere* id ipſum conſtituere. Etenim indubitatum eſt, affectum hunc eſſe fœminis præ viris proprium. Sint licet aliæ hæmorrhagiæ utrique ſexui communes, v. g. hæmorrhoides, quarum fluxu, & hinc etiam Suppreſſione non raro, non minus laborant fœminæ, *Teſtibus Hippocrate, Schenck. Sennert. Ettmüller. aliisque*, ſolus tamen littoralis hic ſangvinis motus, ejusdemque quies fœminis familiaris eſt, illisque ſolis competit. *Speciale* ſibi vendicat Uterus, fertilis ille alias naturæ ager, ſerendis & plantandis hominibus deſtinatus: hujus partes & conſtitutionem naturalem ex Phyſiologicis latius repetere, minus hic neceſſarium duco, ſed relegatâ Uteri ad Anatomicos deſcriptione paucis indicaſſe mihi ſatis ſit, ad promovendum generationis opus naturam Uterum pluribus inſtruxiſſe vaſis ſangvifluis, & hæc ipſa *Specialiſſimum Subjectum* adumbrare pro indubitato habendum, quatenus tot ac tantas calamitates progenerare apta nata, & à variis cauſis vel obſtructa, oppleta, vel quocunque tandem modo coarctata purgationi menſtruæ liberum tranſitum denegant.

§. V. Commune nunc quidem omnibus Auctoribus dogma eſt, Uterum cum ſuis vaſis hic affici; ſed quænam hujus pars præcipue veniat inculpanda, dum quæſtio emergit, magna mox inter Auctores oritur diſceptatio. Sunt etenim, qui fundum Uteri accuſant, & ab arterioſis tubulis eundem perreptantibus debitum lunare tributum exigunt: ſunt qui eosdem abſolvunt, ſolis venoſis menſtruum hoc vectigal rigorosè extorquere cupientes. Ita *Veſalius Lib. 5. de corp. human. Fabric. c. 15.* ſtrenue contra venulas in fundi ſuperficiem terminantes militat, inque iis communem valetudinis hoſtem jugulare cupit: alii contra in Uteri cervice oppugnare eundem maxime allaborant. Abundet per me quilibet ſuo hac in re ingenio; ſaniori interim ratione ii videntur mihi agere, qui huic contentionis ſerræ manus auxiliatrices haud porrigentes tam fundum uteri, quam ejus cervicem, vaſaque in iis tam arterioſa, quam venoſa, pro affecta parte agnoſcunt, non definientes, utri illorum generi primæ ſint

ſint deferendæ, aut neutrum vaſorum alteri præponentes. Miror interim, vaginam hic à non paucis intactam relinqui, ex quibus unum *Graafium* nomino, qui illam plane immunem ab hoc vectigali pronunciat, & non niſi citra naturæ ordinem illi imponi id ipſum credit. *Cap. 9. de Mul. Org. p. m. 256. p. 259.* Cum ego potius aliorum auctoritate ductus crediderim, non minus hanc quandoque principaliter affici. *Conf. Excellentiſſ. Bohn. Circ. Phyſiol. p. 244.* Non dicam de coitu fortiori, à quo Obſtructio & Suppreſſio talismodi non raro tollitur, ita, ut fluxu ordinario & naturali perluantur, frictu ſcilic. fortiori obice depoſito, quod *Pechlin.* hiſtoria non vana confirmat.

§. VI. Detectâ ſic breviter hujus affectus ſede, ordo me invitat ad Cauſarum enodationem, utpote in quarum accuratiore cognitione cardo felicioris Curationis potiſſimum verſatur, *teſtante ſic Fernelio lib. 1. de morb. cauſ. cap. 11. pag. m. 360.* Immediatam igitur quod concernit Cauſam, petenda illa non tam ex ſola obſtructione vaſorum, quam à fermentatione & turgeſcentia ſangvinis deficiente; ſalva aliorum Medicorum procerum mente, qui eandem ab archei uteri monarchalis ſegnitie, & facultatis expultricis fruſtratione derivant, quatenus officio ſuo fungi, illudque, quod expellendum erat, removere nequeant.

Cauſa immediata.

Cauſæ mediatæ proximiores.

§. VII. Cauſæ Mediatæ Proximiores, quæ maxime in ſcholis medicis præ aliis cauſis attendi merentur, evolvendæ nunc erunt, & quidem deducendæ veniunt illæ juxta affectus §. 2. deſcriptionem, à ſangvinis, uteri, ejusve vaſorum vitioſa conſtitutione. Hic enim reperire licebit, quod turgeſcentiam illam turbare, motrices fibras lædere, vaſa obſtruere, eorumque tonum deſtruere aptum eſt natum. Non incongruum hinc erit illas diſpeſcere in *Communes & proprias.*

Communes Plethora.

Communes fovet ipſa ſangvinea maſſa, quatenus ipſa vel *quantitate* vel *qualitate* minus recte ſeſe habet. Sangvis enim, ſi nimius adſit, & quantitate exceſſiva peccet, vaſa præter modum extenduntur, potentia contractoria ſeu expreſſoria, oneri ac moli expellendæ alias proportionata, debilitatur, & fibræ horum organorum excretoriorum à copia humoris excernendi extraordinarie diſtenduntur ac obruuntur, ita, ut atoniam paſſæ impares reddantur ad hanc ſaburram ejiciendam, ſed contentos liquores retinere cogantur, ſicque plethora ſibimet ipſi in vaſis & porulis viam præcludere poteſt. Non levis autem difficultas hanc aſſertionem premere prima fronte videtur, cum nonnulli, uti conſtat, nominatim *Helmontius*, in ea ſint perſuaſione, ac ſi ſangvis nimietate peccare haud poſſit; ſed tantæ eorum rationes non ſunt, nec ullum efficax argumentum video, ut propterea digrediar à recepta per plura ſecula, & quotidianâ experientia ſtabilita ſententia. Ratum itaque ſit potius, plethoram in fœminis ſæpe numero cauſam eſſe menſium reſtitantium, & plenitudinem poſſe obeſſe excretioni ſui ipſius. Poſſibilitatem hujus phænomeni, præter duplicem *Riverii* experientiam *Cent. 1. Obſerv. 1. & 2.* mechanica demonſtratio confirmat, illuſtrat quoque eandem ſimile quoddam, à re tamen præſenti haud abſimile, à fibris veſicæ motricibus, ex urinæ cumulatione juſto majori diſtentis, petitum. Ut taceam *teſtimonium illud Coi: Sangvis, cum abundat, valetudinem vitiat.*

Defectus Sangvini.

§. VIII. Eundem plane effectum notamus quoque in defectu ſangvinis, & ſi parcior ſit in corpore. Nam uti nulla fit menſium eruptio, niſi plethora adſit reſpectiva, ita fluidum illud undecunque abſumptum vel depauperatum ὀργασμὸν recipere non æque poteſt, & oceanus hic microcoſmicus, quando non abundat, ut exundet tamen, vel alveos ſuos transgrediatur, impoſſibile eſt. Quæ ratio inter alia eſſe poterit, cur in vetulis communiter ceſſet circa annum quinquageſimum hæc effuſio, quarum quippe corporibus ejusmodi eâ ætate contigiſſe videtur ſangvis, ut in hoc & aliis ejus paucitas nihil habeat ſuperflui, quo carere poſſit: ex quarum etiam aridura, & cum

ſufficienti vaſa humido non inflantur & irrorantur, facillime fibrarum ſiccitas, flacciditas & atonia, parietum approximatio & collabaſcentia, nedum occallеſcentia exoriri etiam poterit. Quod ipſum tamen non ad ſolas applicare vetulas convenit, ſed ad juniores etiam, & quæ adhuc ſub imperio Lunæ ſunt, fœminas, quas eadem utique paucitas in ſolvendo ipſi tributo ſegniores reddere poteſt, dum hujus vitalis theſauri multis modis depauperatæ, vix tantum quandoq; humidi habent, quod extra graviditatem quidem in ſui ipſius, præſente geſtatione vero in prolis commodum & alimentum ſumant: tantum hinc abeſt, ut Lunæ depoſitum ipſis grave eſſe poſſit; quin potius corpus ſuum exſuccum, tali ferendo oneri impar ſubtrahant, per multos ſæpe annos, ſi non ſemper, eædem manentes, ac ſi muliebrem quoad hoc exuiſſent naturam.

[Cac]ochymia. §. IX. Præ jam dictis tamen, & cæteris aliis omnibus, majorem conſiderationem meretur Cacochymia, ſeu ſangvis qualitate peccans, uti enim plurimorum ac graviſſimorum morborum ferax, ita & huic malo exiſtit fomes pingvis, quando ſcilicet ita vitiatus, ut nihil contineatur in vaſis, vel pars maxima contentorum nihil ſit præter liquidum pituitoſum, plus minus viſcidum, frigidum, acidum, aliudve ſimile admixtum, ad turgeſcentiam menſtruam plane ineptum, groſſum, terreum, tartareumque, quocunque tandem modo in ipſo generatum, quod naturali fluiditate amiſſa ad fluxum minus facile, naturæ regimini vix, aut plane non auſcultat, ſed ſucceſſive ad uteri vaſa ac porulos, ſangvinem alias naturaliter plorantes, dilapſum, ad eosdem magis ſubſiſtit, ac limoſitate, craſſitie, ac mole ſua anguſtias has ita replet ac infarcit, ut reliquæ liquidæ, & ab ipſo ſeparabiles partes, minus facile ſecerni, aut ex oſcillis in uterum, aut ejus partes affines depluere poſſint.

[Cau]ſæ Propriæ. §. X. Detectis & luſtratis Cauſis communibus, in *proprias* jam quoque inquirere neceſſum erit, quas adinvenire erit facile, ſi paulo penitius ipſam Uteri ſubſtantiam inſpiciamus, ubi occurrent viarum in ipſo anguſtiæ, & tam adducentium, quam emittentium ſangviferorum vaſorum, ut & pororum ac orificiorum indiſpoſitiones variæ, ſive ſint naturales, ſive adſcititiæ, vel ab internis cauſis, vel externis erroribus productæ. Quo ſpectant ſcirrhi, tubercula, pingvedines, cicatrices, & tumores comprimentes alii, ut & ipſa pudendorum externorum clauſura, qualem annotavit *Sennert. Prax. lib. 4. p. 1. c. 3.* aut quem in uteri oſtio externo obſervavit *Platerus*, *obſervat. p. 246.* totalis coalitus: item, quando obex quidam in ipſo vaginæ canali eſt poſitus, qualem reperit ibidem *Roonhuyſ. obſervat. chirurg. p. 114. 118.* aut ubi oſculum uteri interius membranâ ſive tegmine obtenditur, quale ab eodem *Roonhuyſ. p. 121.* fuit deprehenſum atque annotatum.

§. XI. Exhauſtis ſic rudi & obtuſo calamo Cauſis mediatis proximis, ad remotas leviter eundem jam dirigo. *Cauſæ remotæ.* Tres autem harum conſtituendæ Claſſes, rerum ſcilicet *Naturalium*, *non-naturalium & præternaturalium.* In priori Claſſe *Sexus* primo loco occurrit, ſed cum vocitetur Menſium Suppreſſio, & jam ſupra §. *1. & 4.* affectus audiat uteri vulgaris & proprius, uterus vero diſtingvat fœminas à viris, non eſt, ut plura de eo in medium hic afferantur. Ob eandem rationem ſicco iterum hic calamo *Ætatem* prætereo, cum itidem in dictis §§. de eâdem mentio ſit facta. E *Temperamentis* frigida & humida ſeu phlegmatica, ut & ſangvinea corporis temperatura maxime huic malo eſt obnoxia, prior, quatenus craſſiorem ac tenaciorem, pituitoſum ac viſcidum ſangvinem gignit, lento motu gaudentem, uterique facillime vaſa obſtruentem: poſterior, quatenus ad plethoram & humorum abundantiam diſponit, vaſis poſtmodum oneroſam.

§. XII. In ſecunda Claſſe, ex *rebus* ſcilicet *non-naturalibus*, quæ Cauſæ remotiores exiſtunt, & in quarum

rum poteſtate eſt, corpus humanum de ſtatu naturali & ſano in præternaturalem & morboſum dejicere, primum locum tenet *Aër* nimii frigoris gradu corpus ambiens, inque id ipſum ſeſe ingerens, quatenus orificia vaſorum & fibras nimis conſtringit, illorumque officia perturbat, corporis poros excluſioni ſeri ſuperflui dicatos occludit, & ſangvinem incraſſando & condenſando inter circulandum dictis in partibus ad ςάσιν diſponit. Idem ſubitaneum, incautum, & diuturnum partium refrigerium, ſive id per lavationem corporis ex frigida, ſive per immerſionem pedum in ipſam, efficiatur, ſequi ſolet, inprimis inſtante vel durante menſium fluxu; de quibus paſſim exempla apud Auctores fide dignos proſtant non contemnenda. *Conf. Foreſt. lib. 28. obſervat. 2. Clariſſ. D. Deck. Exercitat. ſuarum p. m. 442. & 556.* Non tamen propterea ſiccum nimium, & immoderate calidum aërem hic immunem pronunciabo, quippe hic poros partium enormiter recludendo, non ſolum ſangvinem verſus ambitum corporis rapit, ſed & ſeroſam ejus partem, quæ inprimis fluxilitatem ei præſtat, ſitiens abſumit. Sunt, qui & eundem incuſant, non tantum à Sole, ſed & ab igne operto & clauſo æſtuantem, quando ſcilicet fœminæ ex pravâ conſvetudine aëris frigidi inclementiam temperare, ſuppoſitis ventri inferiori prunis hyemali tempore, satagunt, unde uterum exuri & menſtrua exſiccari dicunt, uti videre eſt apud *Roderic. à Caſtro.* Sequuntur *Cibus & Potus*, obſtetricantem non minus huic malo porrigentes manum: ſpeciatim cibi crudiores, frigidi, copioſius & crebrius ingeſti, dyſpepti, concoctu difficiliores, quales ſunt carnes è majori animalium familiâ, fumo induratæ, piſces marini exſiccati vel muriati. Par ratio eſt viſcidiorum omnium, aliorumque eduliorum, fructuum horariorum, melonum, cucumerum, & inprimis lacticiniorum. *V. B. Tim. à Guldenk. l. 4. Caſ. 8. Celeberr. D. Deck. Exercit. p. 513.* Tantum enim abeſt, ut hæc eſculenta ventriculus debito modo reſolvat & extrahat, quin potius crudiorem indigeſtamque molem, ac largum viſcidorum humorum proventum in ſangvinem transferat; ſicque obſtructionum plurimarum, ſpeciatim & hujus, juxta *Barbett.* fons & origo dici poſſit. Noxia inprimis vis hic etiam notari meretur coagulandi, quæ ex aceto, ſubacidis aliis, auſteris, acerbis, adſtringentibus, v. g. meſpilis, cydoniis, prunis ſylveſtribus, ribeſiis immaturis, avide diuque uſurpatis &c. oritur, promptiſſime enim hæc ſangvini permixta eundem in grumos cogunt, unde, ſi non plane ſubſiſtere in canalibus cogitur, motus tamen maximam partem ſufflaminatur. *Conf. iterum laudat. Deck. p. 558.* Quibus denique medicamenta vehementer refrigerantia & adſtringentia, vel interne aſſumpta, vel externe applicata, ſunt ſubjungenda. De *Potu* experientia non ſinit ſperare meliora, præſertim ſi prægelidus infundatur æſtuanti pectori, nimioque motu valde defatigatis viſceribus, & hoc tempore menſtrui fluxus. Exemplum lectu dignum proponit *Galen. Lib. de V. S. adverſus Eraſiſtrat.* Quem potum frigidum & *Langius Epiſt. 51. lib. 2. p. m. 728.* in menſtruatis maxime damnat, ut quibus nihil nocentius ipſo, quando ſc. hujus fluxus hæmorrhagiam exſpectant. Ut taceam abſurdam quarundam muliercularum religionem, quæ genio & ſangvini ſuo ſufficiens fluidum quotidie detrahunt, & ſic ad focum hunc ignem apportant. Quid *Motus & Quies* in producendo hoc malo valeant, prolixa non indigere explicatione puto: uti enim nimia exercitii vehementia humorum eſt maxima deprædatrix; ita rurſus nimia tranquillitas, & vita ſupra modum otioſa humorum viſcoſorum excrementitiorum fœcunda genetrix atque cumulatrix, ut ex utraque hac cauſa ſangvis per vaſa uterina fluere reddatur plane ineptus. Haut abſimili quoque cum his modo *Somnus* ac *Vigiliæ* affectum hunc producere poſſunt. *Excreta* quoque ac *Retenta*, ſi non ſint naturalia, huc facere videntur; ſcil. ſi illa, quæ excernenda erant, retineantur, aut quæ

Aer. *Cibus & Potus.* *Motus & Quies.* *Somnus & Vigiliæ.* *Excreta & Retenta.*

quæ retinenda erant, intempeſtive excernantur, quo ſpectat inconvenienti tempore, & frequens inſtituta V.S. (quæ in nonnullis fœminis maxime culpanda, quæ medico inconſulto, quoties rapit impetus, venas Chirurgo, fluentibus licet menſibus, nec tamen indicato ægritudinis ſtatu, ſecandas præbent) aut ſponte accidens ſangvinis per alias partes depletio. Ultimum ex rebus nonnaturalibus adhuc reſtat, ſed facile præcipuum, Animi

mi pa- *nata.* nempe παθήματα, immodicus v. g. timor, terror ſubitaneus, triſtitia ſumma, aſſiduæ curæ, affectus, quod plurimis poſſet exemplis probatum dari, ſangvinis turgeſcentiæ ſumme infeſti. Non ſemel enim à Practicis obſervatum eſt, menſes fluentes inopinato terrore incuſſo, extemplo ſubſtitiſſe, aliis per aliquot menſes, aliis per omnem vitam. Ut compendio agam, unicum tantum ex *Hippocrate 6. Epidem. ſect. 8. in fine p.m. 823.* huc traham, qui obſervavit ex mœrore & aſſiduis curis menſes multo tempore, imo ad ultimum ſuſpirium ſuppreſſos in uxore viri cujusdam exulantis, priori quidem tempore fœcunda. Alterum ex mariti obitu legi poterit apud *ſupra citatum Decker. Exercit. pag. 547. & 575.*

§. XIII. In tertia, & præternaturalium rerum Claſſe denique varii morbi ſunt, qui miſeras fœmellas hoc in morbi genus præcipites dare poſſunt, v. g. febris hectica, febris ardens, dyſenteria, ulcera & vulnera, ac plures alii.

gnoſis. §. XIV. Ad Diagnoſin hujus affectus jam tranſeo, quæ ſcil. ad exactam graviſſimi hujus mali cognitionem ſumme neceſſaria eſt. Non autem omnino illa eſt difficilis, modo in ægrotantes, ingenue & libere ſuas ærumnas confitentes, incidamus. Verum, cum utplurimum fœminarum cœtus ex intempeſtiva quadam verecundia & præpoſtero ſtudio cavere ſoleat, ne hæc ſua, quæ circa genitalia, & eorum ſacra contingunt, arcana nobis innoteſcant, ut quorum conſcientiam ſexus ille ſibi reſervat, non facile Medicis in teſtimonium rei vocatis; cogimur inſuper ex aliis documentis, quibus ſeſe facile alias prodere ſolet hic affectus, argumenta noſtra deſumere, quæ potiſſimum in reſpiratione difficili & anheloſa, interdum (ſi menſium tempus immineat) cum ſuffocationis metu, fortius paulo moto corpore, totius corporis langvore, gravitate pedum, pulſatione & tenſione lumborum, dolore dorſi & capitis, inflatione ventris, anorexia, horrore inordinato, in calorem præternaturalem deſinente, & vomitu jam pituitoſo, jam bilioſo apparent. Hæc & alia p. n. & morbificam Menſium ſuppreſſionem à naturali illa, quam geſtatio præſtat, non difficulter diſtingvent, nec Medicum exiſtimatione & ſuâ famâ cadere facile ſinent, ut in hâc, ex ſimplicitate fœcunditatem uteri ignorante, abortum procreet, vel in illa, loco menſtruorum furtive ſuſceptæ Veneris præmium intempeſtive ejiciat, modo perſonarum ægrotantium conditionem vitæque genus ſimul perpendat, poſtmodumque ad dicta ſymptomata probe attendat, num gravia & plurima horum adſint, & ſenſim ſenſimque augmentum ex retentâ materiâ ſumant, cumque redeunte de novo Lunâ eodem ſemper ordine, nec minore crudelitate eadem recurrant, quod ſi fiat, in veritate ſuarum conjecturarum confirmabitur, adeſſe nempe p. n. Menſium ſuppreſſionē. Si vero per ſemeſtre, aut aliquot menſes conqueſtæ ſint de ſuppreſſione hâc, de antea dictis autem ſymptomatibus nihil ſciant, aut ſi quæ adſint, indies magis decreſcant, & præterea color adhuc vividus, de Uteri pondere & fœcunditate conjecturari licet. Signa Cauſarum dabunt ægræ temperamentum, habitus corporis, victus & vitæ genus, aliaque, quorum ſuperius mentio fuit facta.

§. XV. Ad Prognoſin denique quod ſpectat, formare illam cuilibet ex antea dictis incommodis equidem facile eſſet, verum inſtituti poſtulare videtur ratio, ut ſingulari etiam explicetur pagina. Non obſtantibus autem iis, quæ in limine, *Prognoſi*

§. *ſcil.* 3. *hujus Diſputationis* innui, quod in quibusdam fœminis, perpetuus Menſium defectus, permanente iſtarum valetudine integra, obſervatus apud nonnullos Practicos legatur; non leve tamen corpori cudit periculum, præterquam enim, quod §. *præcedenti* inculcata ſymptomata producat, plurimorum ac graviorum aliorum morborum ſedulus faber exiſtit, *teſtante ſic magno Hippocrate*, 5. *Aphor*. 57. præſertim, quando ſangvis in Uterum incumbens, ſi vias reperit minus idoneas, neceſſitate quadam in alias partes nobiliores & rarioris texturæ regurgitare cogitur. Sic ſæpe ebulliens in vaſis, & ab Utero exire neſciens, maximo in pulmones impetu deſpumat, illisque tuſſim & difficilem reſpirationem adportat, *non ſine tabis metu. Juxta teſtimon. Salmuth. Cent.* 2. *obſervat.* 18. Alio tempore Cerebrum aggreditur, unde Epilepſia, Apoplexia, Mania, & Melancholica inſania, quam poſteriorem bis ex hac cauſa obſervavit ſæpe *laudatus D. Deck. Vid. Ejusd. notas Prax. Barbett. annexas.* Quandoque & genus nervoſum ad motus convulſivos & ſpasmodicos concitat, quod mihi obſervare contigit in virgine quadam, pietate & caſtitate non minus, quam reliquarum virtutum dotibus conſpicua. Quas labes & ipſo Utero ſtagnando affricet, non minus in Practicorum monumentis conſignatum eſt. Notatu digna eſt obſervatio, atque hic interſeri meretur, quam habet *Fabr. Hildan. Centur.* 2. *obſervat.* 62. de muliere quadam, quæ ſuppreſſione Menſium diuturna extincta, poſt mortem cultro ſubjecta anatomico, oſtendit colli matricis inflammationem, & de alia, *obſervat.* 64. quæ gangrænam in eadem parte ſpectantibus exhibuit. Plura qui deſiderat pathemata, quorum omnium cauſa exiſtit, evolvat *Hippocrat. Dolæum, inprimis vero magnum illud Schenckii opus.* Notandum interim, non omnem ſpem recuperandæ ſanitatis indifferenter ægræ eſſe præſcindendam, ſed gradus utique hujus mali dari, ſecundum quos periculoſitas ejus major vel minor æſtimari poſſit, & *primo* quidem ex ejusdem origine & prægreſſis cauſis; ſi enim levior hæc, mitius quoq; de affectu ipſo formandum judicium. *Secundo*, ex mali diuturnitate, quo enim recentius, eo mitius, & quo diuturnius, eo etiam curatu difficilius. *Tertio*, ex corporis ægræ firmo adhuc, vel jam debili habitu. *Quarto & ultimo*, ex ſymptomatibus conjunctis, prout iſta graviora & plura, aut leviora ac parciora adſunt; ſi enim mitiora illa, nec nimis accumulata appareant, eaque ſenſim remittant, & Menſium profluvium ordinarias vias repetere incipiat, Prognoſis ad ſalutem erit formanda.

§. XVI. Poſtquam Suppreſſionis Menſium hactenus naturam & theoriam ſufficienter, ut puto, dedi perſpectam, proximum nunc erit, ut ad medendi methodum accedam, ſcilic. quomodo ſecundum illam aptis remediis tolli Suppreſſio poſſit. Hæc autem ſicuti *Indicationibus* nititur, ita haſce à Cauſis deſumere jubet. Hinc ſangvis, ubi copia peccat, & in corpore cumulatus, vaſisque impactus fuerit, imminuendus erit, & ad uterum revocandus. Ubi deficit, reſtaurandus. Viſcidior, craſſior, grumeſcens, aut alio modo corruptus, competentibus alterantibus, attenuantibus, incidentibus & aperientibus, mitigandus, corrigendus atque præparandus, poſtmodumque per vias convenientes juſto cum moderamine evacuandus. Uteri, & vaſorum circa oſtia indiſpoſitiones, quoad fieri poteſt, tollendæ; ſicque obſtructionibus in canalibus apertis, ſpecificis ſic dictis Emmenagogis evacuatio menſtrualis tentanda, demumque Cauſarum generatio ulterior legitima victus ratione omni ſtudio præcavenda. Hiſce nunc ſcopis ex arte adimplendis, aptam ut nanciſcamur præſidiorum materiam, triplicem illum & tum Medicis, tum ægris proprium & ſalutarem fontem, *Chirurgicum ſcil. Pharmaceuticum & Diæteticum* adeamus, neceſſe eſt. *Cura.*

Recludendus igitur primo loco *Chirurgic* erit

erit *fons Chirurgicus*, ut appareat, quid ſalutiferi ex hoc ipſo ad ægras hoc affectu affectas redundare poſſit; ubi in ipſo ſtatim limine plurimum ſe commendat heroicum illud, & per quam plurima ſecula celebratum remedium V. S. quotiescunque ſcil. abundantior, & ægræ corpus gravans ſangvis, dolorque hinc lumborum gravativus, ſuffocationis metus, ſimiliaque ſymptomata tentandam ſui imminutionem, vel derivationem aut revulſionem indicaverint, illamque tempeſtive properatam expoſcunt. Tali igitur in caſu commode hæc ipſa inſtitui in brachio poterit, & quidem in media menſis periodo, inſuper vero etiam, inſtante tempore menſium, h. e. duobus vel tribus diebus ante novilunium in pede, & quidem in ejus talo reperibili Saphæna: ita enim ſublevato & revulſo ſangvinis pondere, arctatis vaſorum oſculis, fibrisque mole iſta hactenus obrutis veterem tonum rediturum eſſe, nullum erit dubium. Non ſoli autem exuperanti ſangvini, ſed & Cachexiæ & humoribus vitioſis inſervire videtur, hoc tamen cum moderamine, ut adornetur, ſi menſes non adeo diu obſtructi, nec vires fractæ & exhauſtæ jamjam fuerint. Non infeliciorem ſucceſſum *Galen. Heurn. aliique* promittunt ab ejus *vicariis Cucurbitulis*, ſuris applicatis, ut & *frictionibus* ac *ligaturis* femorum & crurum aſperioribus, langvido ſcilic. corpore V. S. aſpernante.

rmaceu- tica. §. XVII. Exhauſto ſic ex parte priori, alterum nunc, *Pharmaceuticum* nempe accedamus *fontem*, quem non minus ſalutariter fluere deprehendemus, ſi modo Cauſarum, hincque deſumendarum indicationum varietatem exacte ponderaverimus. Accurate, inquam, Cauſarũ varietatem hic eſſe explorandam, accidit enim quandoq;, uti in ſuperiorib9 vidimus, quod ipſius fluidi jactura, corporisque extenuatio, ſit ſola hujus retentionis remora: tantum enim tunc abeſt, ut hâc diſtinctione neglecta, ſalutare ex hoc ipſo poculum ſubjecto male habenti propinare, & felicem in illo Menſium provocationem moliri poſſimus: quin potius intempeſtive emmenagogis medicamentis ad inconſvetum & inutile opus naturam cogamus, & imprudenti ejusmodi ſollicitudine naturæ quietem, & corpori ſangvinem invidentes, ægras noſtras putatitias in altam ærumnarum atque ægritudinum, niſi quandoque mortis foveam præcipitemus. Tali potius in caſu fons hic cum priori omnino erit claudendus, corporique per victum euchymum pro ſangvinis generatione primario conſulendum, apertis tantum ſimul in hoc fonte quibusdam rivulis relictis, per quos fluere medicamenta analeptica ad corpus langvidum pro virium reſtauratione poſſint; quo facto natura ſponte ſua ſæpius ad officium redit. Recludi autem fons, circa quem adhuc hæremus, tuto iterum poterit, ſi ſangvinis vitioſa qualitas, aut Cachexia adfuerit, (nihil refert, ſive illam ut Cauſam, ſive ut productum conſideremus) in quam ejusdem rivuli partim alterantia & aperientia, partim Evacuantia tum diffundunt. Si igitur ſuſpicemur viſcoſitatem aliquam, aut abundantiam humorum gelatinoſorum, primaria noſtra Cura eſto, glutinoſam hanc diatheſin reſolvere, motum ipſi procurare, vias aperire, & vaſa, tum viſcerum infimi ventris reliqua, tum inprimis uteri, ab infarctu illo liberare: hoc ipſum autem commode fieri poterit, præter *aquea* & *diluentia*, non ſatis hic laudanda, jam nominatis *alterantibus & aperientibus*, ex quorum ingenti farragine potiora hic adduxiſſe ſatis ſit. Simplicium igitur Vegetabilium claſſem, quorum alia amarorum, alia aromaticorum nomine veniunt, maxime ex radicibus exornant: *Rad. gentian. galang. imperator. Zedoar. angelic. ari, acori, ariſtol. rot. vincetox. bryon. armorac. 5. aperientes.* Ex herbis primas tenent; *Artemiſ. rubr. & alb. meliſſ. hepat. nob. abrot. fumar. cent. min. card. bened. abſinth. menth. rut. hyſſop. capill. Vener. calaminth. ſabin. puleg.* &c. Ex floribus, *flor. calend. ſambuc. cheiri, ſpic. ſtœchad. arab.* Ex lignis, *juniperin. guajac. aloës, coſt. ſaſſafr. &c.* quæ materiam pro Decoctis aut Infuſis ſatis aptam & laudabilem præbent. Quibus ſubſtitui etiam poterunt alia, ex his præparata

rata aut aliunde ex diverſis regnis acceſſita ſalina, qualia ſunt: *Eſſent. abſinth. ſimpl. & compoſ. fumar. lignor. Elix. propr. ſimpl. & antiſcorb. Spirit. cochlear.: Sal. tartar. crem. & cryſtall. tartar. tartar. vitriolat. arcan. duplicat. ſal. armoniac. depurat. ſal. abſinth. cent. min.* ſimiliaque à Practicis ubertim collecta: his ſi judicioſè jungantur quædam ex Emmenagogis, non ſolum humorum craſſitiem attenuabunt, ſed commorantes etiam nimium menſtruas purgationes quandoque commovebunt. Quod autem ſi non dederint effectum, correcti quodammodo, & ad exitum diſpoſiti reſtagnantes viſcoſi humores à corpore ſunt eliminandi, tum *Vomitoriis* tum *Purgantibus*, quæ perquam auxiliares in hoc nobis præbere etiam ſolent manus; apparatum, brevitati ſtudens, apponere hic ſuperſedeo, cum ille apud Practicos extet ampliſſimus, v. g. *Sennert. Barbett. Deck.* aliosque. De purgantibus tamen adhuc notetur, majori cum fructu hæc ipſa uſurpari, ſi cum ante dictis aperientibus, tum cum aliis tartareis, ſalinis, uterinis, martialibus, & qui omnium maxime ſerum glutinoſum ac viſcidum liquat, ac evacuat, mercurio dulci maritentur. *Clyſmata* emollientia, laxantia, aperientia minime hic volo excluſa, utpote quorum uſum felix Practicorum inventio comprobat.

Craſſities ſangvinis ex ſeri defectu non adeo prolixam expoſcit curandi materiam, ſola enim *aquea & humectantia* præſentiſſium hic remedium, cum quibus ipſi theſaurus iterū & aptitudo transeundi anguſtias illas accedit. Cavendum igitur, ne ægras pellentibus hic iterum ad internecionem fatigemus. Haud contemnendi etiam uſus ſunt hæc aquea, ſive ſint ſimplicia & ex fonte domeſtico, ſive è thermis petita, ubi ex abuſu acidorum in coagulum abiit M. S. accommodatius enim menſtruum his ſalibus adinvenire non licebit: locum tamen hic etiam habent omnis generis *terrea abſorbentia*, ut *cornu cervi uſt. ebur. uſt. corall. ocul. cancr. mater perlar. conch. cret. &c.* Inprimis vero *martialia*, ut *limat. martis* in ſubſtantia, & omnia ex illo parata; item *alcalina*, tam *fixa* quam *volatilia*, quæ omnia tum particulis acutis penetrantibus volatilibus motum humoribus fixis iterum procurant, & vias ac poros ab aluminoſo ſucco contractos aperiunt; tum fixis terreſtribus, coaguli, humores figentis, cauſam, particulas acidas, ponticas abſorbent, imbibunt, & humores adeo edulcorant, ut prompte ire ac redire, circulari & excerni queant. Coagulationem quandoque etiam à cauſa externa pati M. S. ex ſuperioribus notum, hæc ut rurſum corrigatur, præter *phlebotomiam* in cruribus celebrandam ad *reſolventia* & *diaphoretica* erit confugiendum, materiam dabunt ſeqq. *mandib. luc. piſc. lap. cancr. ſangv. hirc. dens hippopot. ſperm. Cet. antimon. diaphoret. ſ. & martiale, pulv. marchion. ſpecif. Cephal. D. Mich. ſal. volat. viperar. ſuccin. cornu cervi, ſpirit. ſal. armoniac. liqu. corn. cervi ſucc. Tinct. bezoard. &c.*

§. XIIX. Præmiſſis ſic iis, quæ neceſſaria ad alterandum ſangvinem, diverſimode vitiatum, videbantur, addenda denique erunt illa appropriata medicamenta, quæ legitimum orgaſmum ſangvini reſtituunt, Emmenagoga communiter audiunt, ſuntque hujus generis oleoſa volatilia varia. *Cinamom. Cardamom. Caryoph. Galang. Zedoar. caſſ. lign. rut. roſmarin. puleg. ſabin. antophyll. bacc. laur. croc. myrrh. camph. ſuccin. galban. oppopon. ſagapen. gumm. ammoniac. borrax, Caſtor.* Quibus effectu reſpondent varia alia, & quæ ex his in officinis proſtant parata, ut *Eſſent. croc. myrrh. Elix. uterin. Ludovic. Croll. Elix. propriet. ſ. acido, Spirit. ſal. armoniac. Eſſent. Caſtor. Tinct. tartar. compoſ. aloëtica Timai, Tinct. antimon. ſpirit. cornu cervi fuligin. ſecundin. ol. ſuccin. rut. ſabin. origan. angelic. cinamom. caryoph. cort. aurant. trochiſc. de myrrha, ſpec. diaborrac. Mynſ.* ſimiliaque alia varie miſcenda. Hiſce non neglectà, ubi opus fuerit, V. S., rite uſurpatis, nullum dubium, quin ſangvis majori ἐνεργείᾳ acquiſita, promptius clauſa vaſorum oſcula perrumpat, exitumque inveniat. Annotatas ab Auctoribus formulas repetere hic nolo, cum futuro

turo judicioſo Practico facile ſit has ipſas pro circumſtantiarum & indicantium ratione parare, qui & doſin & tempus propinandi faciliime etiam adjudicabit. At vero quandoque etiam accidit, ut omnis molitio fruſtra ſit, & poſtquam fortiſſimis, duriſſimisque remediis certatum, quæ errantem revocent ſangvinem, nihil aliud, quam vana & dolorifica, tum in lumbis, tum capite, fermentatio relinquatur. Equidem illa ſæpe eſt obſtructionis contumacia, ut non temere calidioribus & fermentativis remediis ſollicitari ſe patiatur, externorum emollientium, blandorumque medicaminum beneficium exſpectans; præprimis ſi in utero mora, aut indiſpoſitiones quædam circa vaſorum oſtia fuerint. Laudantur hoc fine à Practicis *Fotus* & *Balnea* ex Emollientibus parata, præcipue ſi repetitis ex ordine vicibus inſtituantur, eorumque vapor ſpecificis uterinis & menagogis animetur. Parem cum balneis effectum præſtare *Suffitus & Vapores* ſcribunt, ex *bdellio*, *myrrh. ſuccin. it. caryoph. aromat. mac. bacc. laur. junip. ſem. nigell. fol. ſabin.* paratos, & ad uterum per tritorium vel tubulos uterinos derivatos; quo ſpectat *Suffimigium Timæanum* ex *colocynthide*, it. *Hartmannianum* ex *ſcor. regul. antimon.* Fruſtra tamen quandoque etiam generoſo hoc apparatu pugnatur, ubi ſcil. Menſium egreſſus à membranâ aliquâ, antrum hoc occludente, impeditur, uti in atretis, & quæ à vulnere aut ulcere coalitionem vaginæ patiuntur, ſed omnem medelæ ſpem ægra tum à peritâ Chirurgi in ſecando manu exſpectet, neceſſum eſt.

[Diæ]tetica. §. XIX. Reſtat, ut ex *fonte Diætetico* legitimam victus rationem hauriamus, ut viribus proſpiciatur non modo, verum nova etiam cauſarum generatio præcaveatur. Victus enim ratione neglectâ vel perperam inſtitutâ, reliqua Medicinæ præſcripta, *teſte Williſio*, parum aut nihil verſus ſanitatem proficiunt. Oppoſita autem hæc ipſa ſit morbificis cauſis, neceſſum eſt. Vitetur itaque *Aër* frigidus, paluſtris & nebuloſus, eligaturque purus & temperatus. Exulet *Tractatio aquarum*, inprimis frigidarum. Cibi ſint εὐπεπτοι, parum excrementi poſt ſe relinquentes; fugiantur alimenta craſſum ſangvinem generantia, ut fumo indurata, lacticinia, fructus horarii. *Potus* ſit cereviſia bene defœcata, calidior, ut & vinum moderate ſumptum, *monente Langio Epiſt. 51. lib. 2.* *Somni* & *Vigiliarum* moderamen omni ſtudio obſervandum, alterutrum non ſit immodicum; id quod etiam de *Motu* & *Quiete* intelligendum. Aſſumptis *Excreta* reſpondeant, quod cum ſponte non fiat, alvus vel alimentis, vel medicamentis officii memor reddatur. Animus tranquillus ſit, & mœror, terror, metusque exulent, oportet, vel mediocritatis freno, quoad licet, cohibeantur, gaudioque diluantur. Et ſic DEO ſummo Archiatro adjuvante, ſpes erit ægrotantibus de recuperanda conſervandaque valetudine.

§. XX. Atque hæc de Suppreſſione ſufficiant. DEO ergo T. O. M. à quo hujus conatus mei cepi primordia, in fine quoque conſociatis ſuſpiriis pro conceſſis viribus immortales rependo grates. Ille ulterius conatibus meis quibusvis divina benedictione vigorem addat, ut inprimis ejus honor, proximique commodum perpetuus illorum ſit

F I N I S.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM Quadrageſima. De VIRGINUM VALETUDINARIO.

CAPUT I. DISSERTATIONIS TITULUM EXPLICAT MORBORUMQUE VIRGINUM MENTIONEM FACIT.

§. I.

Onomatologia. VIrginum Valetudinarium exhibiturus, de neceſſitate eſſe duco, ut ante omnia mentem meam clarius explicem, quid ſub his vocibus mihi veniat. Cum vero Valetudinarii ſit diverſus ſignificatus, moneo primo, me non cum Xenophonte eam domus partem intelligere, ubi habitamus. Nec iſthoc Titulo ædes cupio inſignitas, in quibus valetudo adverſa curatur, quæ tamen acceptio alias eſt propriisſima. Sed, more Medicis ſolenni, Morborum quorundam Hiſtorias, Ætiologias & Therapias, uno in Faſciculo ſeu Diſſertatione exhibitas volo.

§. II. Ne vero difficultas circa Virginis nomen oriatur, è re quoque eſt, ut indicem: Me non caſtos Juvenes à fœmina puros, nec ætatem floridam, nec rem impollutam, nec quod eſt jejunum, ſub Virginis titulo indicare. Sed cum Virgo proprie dicatur à corporis virore Fœminam adhuc virentem ſeu florentem, h. e. nondum matrimonio junctam, intelligo. Quapropter, etiam ſine ætatis diſcrimine ad adoleſcentulos, huc refero. Nec adeo rigoroſus ero, ut Virginis titulum illis, quæ penitus ignaræ virorum haud ſunt, derogem, cum me non lateat, jam dum præcedentibus temporibus, imo & noſtra ætate non ſolum à viro intactas, planeque illibatas, ſed etiam quibus vitium aliquod eſt oblatum, & quæ rem cum viro habuerunt (modo non connubio junctæ fuerint) frequentiſſimè adhuc Virgines dici. Quemadmodum verſa vice, quæ non propter virum cubuerunt, pari ratione ac nuptæ, apud Terentium, Servium, aliosque mulieres audiunt.

§. III. Dolendum ſane, neminem mortalium in hoc univerſo orbis theatro dari, qui per vitæ ſuæ curriculum non aliquando, ne dicam ſæpe, in morbum inciderit. Hinc non eſt, quod mireris, etiam Virgines, amœniſſimas puta illas creaturas morbis corripi pluribus ac multifariis. Tantum vero abeſt, in hiſce pagellis omnes ac ſingulos eos, quibus per totius vitæ decurſum laborant, mentis trutina penſitem, quin miſſis cunctis virili ſexui communibus, eos potiſſimum, qui Virginibus qua talibus familiares ſunt, pertractem. E quibus tamen quoſdam etiam in maritatis & viduis ſubinde occurrere, non nego.

§. IV. Verum enimvero, ut propius ad rem accedam, morbi hi pro ætatis, vitæ generis, aliarumque circumſtantiarum diverſitate omnino variant, dum nunc loca illa, quà Fœminæ & Virgines ſunt, ſolum afficiunt, nunc vero in aliis partibus, & ſæpe in univerſo corpore, modo ſine, modo cum gravibus ſymptomatibus ſedem figunt. Nam quandoque puellarum Genitalia non debite formata morbum conſtituunt, quatenus ſcilic. nunc penitus imperforata ac clauſa, nunc nimium ſaltim arcta & anguſta, *Morborum enarratio.*

rurſum-

rurſumque alio tempore mirum in modum ampla ac dilatata illa obſervantur. Licet vero neutrum horum malorum Virgines incurrant, nilo ſecius tamen circa adoleſcentiæ tempus, antequam per pubeſcentiam & ſangvinis Menſtrui ſtillicidium nubiles redditæ fuerint, propemodum ipſis ſolenne eſt, graviſſimis ſymptomatibus infeſtari. Quæ moleſtiæ, modo longius emanentibus tardius difficiliusque fluentibus Menſibus magis magisque augmentum capiunt. Et quidem in hunc modum, ut ad ſingulos non ſolum Lunæ curſus languores totius corporis, dorſique lumborum ac capitis dolores inordinatumq; horrorem ac æſtum, vomitus, aut narium hæmorrhagiam, hæmoptyſin, lipothymias, convulſivos motus, aliaque quamplurima mala ſentiant. Sed tandem ex toto Cachexian incurrunt, fœdoque penitus faciei colore, quem Medici Chloroſin ſalutant, tinguntur. Alio tempore, ſi ipſis parca, doloroſa, aut male conſtituta hæc uteri purgamenta fuerint, aut ſi habeant, quo conquerantur de Fluore albo tam benigno, quam maligno, non leviori moleſtia hæc ſymptomata ſe exerunt. Id ſymptomatum genus vero omnium atrociſſimum eſt, quo provectioris ætatis Virgines corripiuntur aliquamdiu fruſtra absque fructu amore flagrantes. Inde enim fit, ut quædam ex his Melancholicæ evadant, quædam in Furorem agantur, aliæ in paſſiones & ſuffocationes Hyſtericas incidant, miſerandumque in modum ab his affectibus graventur.

CAPUT II.
VIRGINUM MORBORUM HISTORIAM ET ORIGINEM COMPLECTITUR.

§. I.

CUm extra Controverſiæ aleam poſitum ſit, uti ex antecedentibus jam dum liquido conſtat, Virgines tot tantisque morbis laborare, operæ pretium erit, paulo accuratiori penicillo ſingulorum Morborum Hiſtoriam & Cauſas delineare. Primum igitur locum occupent imperforatæ, quæ Græcis Atretæ vocantur. Has à nimium anguſtis diſtinguo, quoniam via ad Uterum in ipſis penitus clauditur, ut ſæpiſſime ne veſtigium aditus adſit. Solenniter vero hoc vitium ex mala partium conformatione contingit, remotæ vero ejus cauſæ vix ac ne vix quidem accurate eluceſcunt. Id tamen certum eſt, nunc à forti matris imaginatione, & alio tempore à violentia quadam tenellulo corpuſculo his in partibus illata, hoc vitium Natales ſuos ſumere. Accidit autem ut quæ disjuncta eſſe debebant loca, ſæpe quam firmiſſime unientur, quatenus nunc Labia uterina tantum per membranam craſſam conjunguntur, aut introitus ad vaginam, aut ipſa vagina uterique oſtium internum coaleſcunt. *deſcriptio imperforatarum,*

§. II. Atretas Nimium Arctæ excipiunt, ſub quibus non illam Genitalium anguſtiam natura ſolenniter factam, & ex primo concubitu ampliandam intelligo. In illa enim longe cum ſvaviore operatione Amaſius auxilio eſſe poteſt, & Medicus non conſulitur. Verum enim vero, ſi ſæpius cum ſudore ac anhelitu omnem veneream operam ſponſi navent irritam, utique tandem ad conſulendos Medicos adiguntur. Inquirendũ igitur tum eſt, ubinam obſtaculum hocce & quale hæreat. Nam & nunc aliquando in atrio, nunc in vagina Uterina hæc remora eſt poſita, & quidem jam ſub forma membranæ cujusdam tenuis, vel carnoſæ, tendineæ, calloſæ aut cartilagineæ ſubſtantiæ ſe ſiſtit. Porro quoque obſervatu dignum eſt, num quodammodo ſaltim loca hæc anguſtentur, ut equidem aliqualis, non tamen patula ſatis via obſervetur. Num vero usque adeo arctentur, ut nonniſi pro urina mittenda oſtiolum maneat, de qua *Ronchinus in Opuſculis Medicis*, *Hieronym. ab Aquapend. in Chirurgia* *Ronchuyſen Obſervat. Chirurg. Part. 2. p.114. ſeqq.* aliique adeundi erunt. Ad Cauſas vero quod attinet, cum Imperforatis eas maximam partem communes habent, nam ab ipſa ſtatim partium conformatione quandoque *nimium arctarum*

hoc vitio notantur, vel poſtea tempora ab injuria externa vitium illud accidit, dum nempe loca hæc ex ulceribus, aut à caſu ab alto, contuſione, vulnere, partu difficili, ambuſtione, aliave ex cauſa læſa, plane non debite tractentur, vel ſaltim ab imperito chirurgo male conglutinentur, qualia Exempla videri poſſunt in *Ronchuyſen Obſervat. Chirurg. Part. II. obſerv. 2. & 3.* & apud *Mœningen Obſerv. 17. ejusque Commentatorem, Lanſonum.*

nimis Amplarum, §. III. Sed quemadmodum nunc ex cunni occalleſcentia & arctitudine, ſic quoque ex ejus laxitate & amplitudine nimia, virginum morbi initium ſumunt. Et hæ virgines ſe utique ſponſo maxime exoſas reddunt. Nam ſi prima nocte ex hoc genitalium vitio absque dolore alias naturaliter ſolenni, ferant concubitum, admodum dubium reddunt Neonymphum de illarum virginitate quæſitâ. Amplitudo autem hæc exoſa potiſſimum in Vaginæ uterinæ oſtio ſe offert, utpote cujus aditus alias rigeſcit, ſimulque admodum arctatus eſt. Naſcitur vel à petulanti digito frequenter titillationis gratia, aut ob calculi ſectionem locis his intruſo, vel a copioſiori humorum affluxu, & diuturna harum partium humectatione. Hinc immediate fluxu menſtruo finito, venereum antrum nunquam non magis ampliatum, ac extra illud tempus notari obſervatione frequenti conſtat. Inprimis tamen amplitudinis hujus cauſa eſt reiteratus concubitus cum viro. Quapropter non ſemper vitio vertendum eſt maritis, qui ex obſervato hoc turpi hiatu ſponſam antea defloratam fuiſſe conjiciunt.

menſium primorum §. IV. Ad alios virginum Morbos progreſſum facturo, dilucidanda nunc mala quamplurima circa earum ſic dictũ menſium fluxum ſe mihi offerunt. Non enim ſolum dum vice prima hic inſtat, aut diutius quam ſolenniter fieri ſolet emanet, verum quoq; ſi ſequentibus temporibus non debite accidat, nec qualitate aut quantitate naturali materia iſta excernenda gaudeat, pluribus ſemper ſymptomatibus virginũ hunc cœtum mire vexat. Et ut paulo clarius iſta pateant, ante omnia menſium fluxus primus utplurimum in quartum vel quintum decimum ætatis annum incidens, perpendi meretur. Tunc temporis enim primum mammæ in ipſis elevari & ſororaſcere obſervantur, pubisque regio lanugine exornatur non ſine notabili partium harum pruritu, totiusque corporis languore, & lumborum, dorſi & capitis, dolore, horrore & æſtu brevi quidem, ſed ſæpius redeunte, tandemque vomitu, difficili reſpiratione aliisque pluribus ſymptomatibus.

§. V. Res vero in vado eſt, ſi ſtatim ſanguis ex utero, cujus gratia unice tot ac tanta ſymptomata excitabantur, ſtillet. Nam brevi aut ſaltim paucis interpoſitis diebus puellæ in integrum reſtituentur. Verum quando ob ſangvinis orgaſmi defectum, aut viarum partiumque transmittentium vitium, natura ſanguinem motura vel penitus operam ludat, vel ſaltim aliquales ſubinde moras nectat, ſemper damna hæc augentur, imo tandem functiones ad Oeconomiam corporis naturalis conſervandam neceſſariæ pene omnes turbantur & impediuntur, ita ut certius quam quod certiſſimum ſit, totius maſſæ ſangvineæ craſin exinde corrumpi, ac cachexiam turpem ſequi, quæ brevi priſtinum, vividum, floridumque faciei colorem in pallidum & plumbeum aliumve fœdum mutat, verbo, Chloroſin, ſeu morbum virgineum producit. Et id ipſum infallibiliter evenit, niſi forſan natura tumultuantem ſanguinem per inuſitatas vias, nares puta aut anum, locaque urinaria, corporis poros, lacrymalia vaſa, pulmones & ſtomachum effundat, de quibus videatur *Amat. Luſitan. Cent. II. obſerv. 17. Bartholin. Cent. V. obſ. 32. Foreſt. lib. XVI. obſ. 25. Schenck. lib. IV. obſ. 57. ſeqq. Salmuth. obſ. cent. II. obſ. 18. Rhodius Cent. III. obſ. 50.* *emanentium*

§. VI. Aſt dicta modo ſymptomata non ſolum in menſium prima vice expectatorum emanſione vim ſuam exercent, ſed quoque ſe manifeſtant, utut jam antehac rite fluxerint, & poſtmodum inhibeantur. Præcedit autem hæc ſuppreſſio primò à ſangvine nimium inſpiſſato ac craſſo, nunc ob ſeri defectum, aut particularum viſcida- *ſuppreſſorum.*

darum copiam, nunc ob terrorem, mœrorem, acida aut frigida ad maſſam ſangvineam admiſſa. Secundo, ob vias vaſaque transmittentia nimium conſtricta ac conſtipata, ut per partes adeo anguſtas cruor transcolari nequeat. Etenim cum natura per hanc menſtruam ſangvinis evacuationem id unice intendat, ut ſe ab abundante nutritiva materia liberet, quā ideo in fœminis largiore longe proventu generat, quam in viris, ut proprium non ſolum, ſed fœtus quoque in utero & in lucem editi infantis corpus ſufficienter alere poſſint, idcirco ſtato menſtruo tempore etiam in naturali ſtatu, magno nunquam non conatu opus hoc aggreditur, dum poſt corporis notabilem laſſitudinem totam maſſam ſangvineam non ſine orgaſmo ſive fermentatione exagitat, ſed inſuper dorſi ac lumborum dolores tenſivos æſtusque in his partibus inſvetos, ante iſtam hæmorrhagiam concitat. Adeoque non eſt, quod miremur miſellas tales tot ac tantas moleſtias ſentire, ſi ex toto hæc laudabilia naturæ molimina inhibeantur, cum nec regulis naturalibus reſpondentem hanc evacuationem impune ferant, uti modo eſt monitum.

ius aut ius fluxtium. §. VII. Aſt non ſolas has calamitates è menſium obſtructione virgines ſentiunt, ſed uti ex antecedentib9 liquet, in quantitate & qualitate corrupta Catamenia pluribus inſuper querelis infauſtam anſam adminiſtrant. Quippe ſi parcior fluxus fuerit, ita, ut nequaquam materia neceſſaria evacuetur, ſed moveatur tantum, minime vero promoveatur, pene continuò ægrotant Miſellæ, tandemque pariter cum illis, quæ menſium ſuppreſſione laborant, in Cachexiam incidunt. Quando vero copioſe, nempe ſine omni fere remiſſione & quidem unâ vice ſangvis profunditur, tunc vires deficiunt, lypothymiis corripiuntur, & morte ſubitanea haud raro ſuccumbunt, aut ſi forſan ſangvinis fluxus adhuc juſto tempore Medicamentorum ope ſiſtatur, vix tamen impediri poteſt, quin languores inſignes, tumores pedum œdematoſi & hydrops ſequantur. Cauſas ſi poſtulas prioris morbi, h. e. parcioris fluxus, ſcias tantummodo gradu à menſibus deficientibus differre, poſterioris vero à plethora aut orgaſmo ſcorbutico, ira, vini & ſpiritus ardentis potu, nimia corporis commotione, vel ab utero vehementer læſo, natales ſuos ſumunt.

§. VIII. Sic quantitate obſunt menſes; qualitas vero illorum mutatur, primo, dum ſanguis acris redditus fuerit, & perinde hic eſt, an acida, ſalſa, aut ex quibuscunque aliis particulis commiſta ſit iſta acrimonia. Omni enim tempore ab illa humores uterum tranſeuntes vel incraſſantur, vel nimium reſolvuntur & multo fluidiores, quam par eſt, fiunt. Unde poſtmodum ordinaria evacuatio rurſum vel imminuitur vel augetur. Imo ſubinde ſangvinis purpureus color in atricantem, piceum vel variegatum, h. e. rubro, fuſco vel viridi mixtum abit. Vel aliam magis deformem adhuc aut inſvetam faciem induit. Inprimis tamen ægræ ante, in, & poſt ejus ſtillicidium dolore miſerandum in modum gravantur, ita, ut ſæpenumero per totum hujus fluxus tempus lecto incumbere cogantur, & non raro ſimul lipothymiis, involuntariis artuum motibus, epilepticis inſultibus, partium pudendarum eroſionibus ac excoriationibus vexentur. *cum acrimonia*

§. IX. Deinde ſangvinis qualitas etiā læditur ex aquoſarum particularum abundantia, unde poſtmodum purgamentorum color pallidus omnino & tantum non aqueus redditur, adeo, ut quandoque non ulterius ſangvinem, ſed loturam carnis referant, inque linteaminibus tali cruore pollutis poſt excretionem ejus vix coloris ſangvinei macula remaneat. Iſthæc vero ſeroſitas nimia partim ex tranſpiratione intercepta, partim etiam ex atmoſphæra nimium humida oritur, quæ inſpirando aſſumpta pulmonum cellulas, ipſumque tandem ſangvinem tanta humiditate implet, ut brevi omnis conſiſtentia ac color nativus mutetur. Nec id vitii in ſangvine ſufficit, quin ex ipſo inſuper aliæ partes humiditate iſta exceſſiva relaxentur, tonoque nativo priventur. *aut aquoſitate ſangvinis*

§. X. Potiſſimum vero hunc triſtem effe-

Hiſtoria Rheumatiſmi. effectum in utero & vagina uterina notare licet, utpote quarum glandulæ adeo ſæpe relaxantur, ut non amplius eæ tantum, quando fœminæ orgaſmo venereo laborant, ſerum ſuum fundant, ſed extra hoc tempus quoque continuo turpiter fluant. Unde Medici huic affectui rheumatiſmi uteri, aut fluoris albi nomen non male imponunt. Hic morbus vero, ut qui maxime virginibus exoſus eſt, tam ob ſummam ſpurcitiem, quam aliorum ſymptomatum concurſum infauſtum. Nam miſellæ ab ipſo notabiliter debilitantur cum appetitus proſtratione, dorſique dolore & contabeſcentia inſigni. Inſuper haud raro etiam partes internæ ita eroduntur & exulcerantur, ut præ dolore vehementi vix urinam mittere queant. Sæpe etiam lipothymiis & involuntariis artuum concuſſionibus vexantur, donec tandem ad perfectam maciem perveniant. Id quod tamen potiſſimum accidit, quando acrimonia quædam evidens particulis ſuis aculeatis loca iſta tractans cum colluvie ſeroſa ſe miſcuit. Hinc materia effluens non amplius ſerum aut lac ebutyratum, ſed gluten, ſeu viſcidiſſimam pituitam tali in caſu refert, aut flaveſcit, virideſcit, vel ex ſangvine admixto rubeſcit. Imo tam tetro ſæpe nares odore afflat, ut ipſæ ægræ ſimulque adſtantes omnes non amplius habeant, quod de humorum putredine ac corruptione notabili dubitent. Et hæc fluoris uterini ſpecies propterea Gonorrhœa virulenta rectius, quam fluor albus ſimplex appellatur.

§. XI. Sic ſatis, ni fallor, virginum quoque morbi circa menſium reliquosque uterinos fluxus declarati ſunt. *Pruritus* Et certe ſi vel ſoli hi occurrerent, eæ commiſeratione ſumma digniſſimæ eſſent, ſed dolendum, adhuc aliis neque levioribus affectibus ipſas inſuper corripi. Etenim ſi nubiles factæ fuerint, Veneris ſpe ſæpe flagrant, prurigineque quadam ardente titillantur, unde mirum in modum ad gaudia conjugalia, illis hucusque ignota, invitantur, adiguntur. Id enim vult lex naturæ, & in hunc potisſimum finem virgines natas eſſe, eſt extra controverſiam. Hinc ipſis vitio non verti debet, ſi maturis viroque aptis pudenda pruriant. Turgeſcens enim in illis liquor genitalis dulcem hunc ſenſum, deſideriaque venerea in invitis etiam ſpontaneo motu excitat, quæ tamen è lectionibus, ſermonibus, ſpectaculis, aliisque actionibus laſcivis tantum ſæpe augmentum capiunt, ut recta ratio ſtimulos hos infringendi vix polleat. Infringit tamen hos in quibusdam, quas pietas, decor, vel vis abſterret, ne illicito amore fruantur, Deoque infenſæ & hominibus ludibrio fiant. Sed raro motus hos naturales omnino compeſcere poſſunt, quin ſemper indomita caro reſiſtat. Et licet virgines tales omnem amorem illicitum floccipendiſſe, reluctantemque carnem domaſſe ad tempus videantur, tamen usq; iterum inſurgit, ut tandem ſocietatem cum ſolitudine, conſtantiam cum metu, hilaritatem cum triſtitia, & riſum denique cum lacrymis ac gemitu commutent, imo tot ac tanta pericula malaque ſibi ſingunt, ut violentas manus ſibimet ipſis inferre ſatius eſſe judicent. Quod malum ſi acciderit, in Medicorum ſcriptis melancholia uterina inſcribitur.

§. XII. Sed uti quævis alia melancholia facile tandem in furorem *Furoris uterini* tranſit, ſic quoque id ipſum in hac uterina ſubinde accidit. Sed proh DEum immortalem, quam deploranda ſummeque miſera tum harum conditio fit! nam adeo amore ardent, ut laſciviam ſuam detegendi quamcunque anſam arripiant, & omni pudicitia ſusque deque habita, turpem hunc effectum non ſolummodo firmiter infixum retineant, verum quoque cogitationibus, geſtibus, verbisque laſcivis totum tempus tranſigant. Quod ad cauſam attinet, ratione primi principii h. e. impreſſæ firmiter ideæ venereæ ſimilis propemodum illa eſt cum melancholia uterina. In tantum modo differt ab illa, quod propter fructum ex amore fruſtra ſperatum, corporis ſenſatum principium ibi langueat ac deficiat, in hoc vero morbo ob certiorem fructus ſpem magis agitetur ac moveatur. Unde etiam

etiam fit, ut poſthabita omni verecundia audaciſſime quemvis adventantem verbis ac geſtibus ad concubitum invitare, beſtiarumq; more huc & illuc nudato corpore currere ac in concubitus cujusvis ruere non dubitent.

Paſſionis hystericæ

§. XIII. Tandem inter virginum morbos hyſtericæ ſuffocationes & Paſſiones agmen claudant. In his ægræ nunc rugitibus & inflationibus abdominis, cardialgia, vomitu & diarrhœa ſatis enormi vexantur. Alio tempore vero ſine his plane ex inopinato palleſcunt & rigeſcunt, ſenſibusque, motu & reſpiratione ceſſantibus ex improviſo in terram corruunt, adeo, ut ob cunctas & ſingulas functiones paroxyſmi tempore ceſſantes (nam & pulſus omnis cum reſpiratione quoque deſinit) à circumſtantibus imperitis, ne dicam quoque ſæpe à Medicis pro mortuis habeantur, ni ad os vel nares leviori pluma admota, vel manuum applicatione ad cordis regionem vitæ adhuc reliquiæ detegantur. Et nihilominus hi hyſtericarum paſſionum gradus mites & adhuc benigni dici merentur intuitu eorum, quos concomitantur epileptici inſultus particulares aut univerſales, item ſpaſmi variarum partium, inprimis organorum reſpiratoriorum, à quibus conſtrictis ſtrangulari & ſuffocari ſe miſellæ ſentiant, hinc ſtrangulationis ac ſuffocationis uteri titulum in Medicorum ſcholis hicce affectus gerit. Cauſæ vero graviſſimorum horum ac maxime atrocium ſymptomatum pariter ex parte cum præmiſſis in præcedenti §vo conveniunt, quandoque tamen à firmiore impreſſione venerea ſenſato principio inhærenti, originem ducunt, ex qua nervi ad dolores, motus convulſivos & ſpasmodicos deliriaque tali occaſione ſtimulantur. Inſuper tamen ab humoribus in utero ſtagnantibus aut corruptis (nihil enim refert, utrum humores illi ex menſium aut alio quocunque vitio oriantur) morbi hi exurgunt. Tandemq; etiam per conſenſum ex ſtomachi, inteſtinorum, renum, reſpiratoriorum, ſenſuumque externorum, inprimis tamen olfactus organorum irritatione importuna, mala commemorata incurrere poſſunt.

CAPUT III.
VIRGINUM MORBORUM CURAM, CUM APPARATU ADHIBENDO RECENSET.

§. I.

Cura imperforatarum

PRopoſitum jubet, ut tot tantisque paulo ante delineatis morbis curam nunc opponam. Quare de ſingulis iterum ſeparatim verba facere opus erit. Et quidem primo loco de imperforatis acturus, propter hujus morbi diverſitatem diverſa quoque remedia proponam. Scilicet ſi virguncularum partes genitales tam externe, quam interne à nativitate firmiter coaluerint, cura dubia ſatis erit. Nam tenera ætas non minus, quam affectæ partes ſumme alias ſenſatæ violentas operationes ſuſtinere non valent. Hinc juxta quosdam penitus fato tales ſunt committendæ, cum natura ſponte ſubinde adſtantia hæc rumpat; videatur *Bartholin. Cent. V. Hiſt. 43.* Aſt enim vero cum non ſemper tam tenuis ſit hæc membrana, ut ſua ſponte rumpi poſſit, inſuperque metuendum ſit, ne temporis tractu magis magisque craſſeſcat & tandem charitati Chriſtianæ repugnet, miſellis tali in caſu auxiliatrices manus denegare velle, ideo ſic procedendum, me judice, cum illis erit, ſcil. cum prius adſtantes de periculo & ancipiti curæ eventu certiores fecerimus, lac aſininum aliaque uſitata emollientia aliquamdiu applicentur, quæ ſola quandoque ſuffeciſſe *Miſcellanea N. C. Dec. II. Ann. 7. in Append. p. 161.* probant, videatur etiam *Bartholin. Cent. V. Hiſt. 42. Hildan. Cent. III. obſerv. 61.* Irritus autem ſi eorum fuerit ſucceſſus, ſectio Chirurgica inſtituatur. Et licet quandoque non omni ex parte hanc operationem proficuam obſervemus, ſi nempe ex toto coalitæ partes fuerint, tamen quadantenus finem obtinebimus, dummodo partes ſub labiis uterinis & nympheis poſitas, quæve urethræ oſtium claudebant, ſeparaverimus, ſic enim humor ſacca-

tus

tus libere nunc excernetur, qui aliàs ex longa collectione infantibus his mortis certiſſima cauſa eſſe poterat.

modus operandi in ſectione. §. II. Ipſum autem operandi modum quod concernit, *Guilielm. Fabric. Hildan. cent. III. obſ. 60. Sennert. Inſtitut. Medic. lib. V. P. I. ſect. II. c. 7. Horn. in microtechn. p. 156. ſeqq.* ſatis accurate memoriæ eum tradiderunt. Itaque ſolum repetiiſſe ex illis ſufficiat, ſi ſola membrana labia uterina uniat, ſectione per longitudinem facta, coalitionem hanc ex voto tolli poſſe. Sed difficilioris erit negotii, ſi vaginæ uterinæ oſtium, aut interiora ejus in puellis adultioribus concreverint. Tunc enim, juxta *Celſum lib. 7. c. 28.* ad ſimilitudinem litt. &c. aut ſvaſu *Fabric. ab Aquapend.* ſecundum lineam rectam beneficio novaculæ acutiſſimæ, undiquaque linteaminibus involutæ, inciſio eſt inſtituenda. De induſtria vero tum opera danda eſt, ne novaculæ, acies forte altius penetret, appoſitasque partes ſauciet, & hinc ſvadeo, ut ejus loco ad operationem *Gvilielm. Fabric.* inſtrumentum ſumatur quod l. c. æneis Figuris expreſſum ſiſtit, quo adhibito, ſecurus omnino erit operator. Sed quando in medio Vaginæ uterinæ, aut profundius adhuc obſtaculum oculos omnino fugiens ponatur, ſpeculo, i. e. inſtrumento dilatatorio, quo in Veſicæ calculi ſectione vel uteri dilatatione Chirurgi utuntur, ſenſim ad aditum parandum loca diducere oportet, ut ex voto ſecari membranæ, aut quæcunque adfuerint impedimenta, poſſint. Ne vero feliciter diviſæ inepta conſolidatione brevi poſt rurſum coëant, de neceſſitate eſt, ut vel mollis ſtuppa, vel penicilli, qui Lemniſci à Chirurgis vocantur, ovi albumine ac roſarum aqua aut oleo quodam imbuti, aut canales plumbei, vel Peſſaria ex cera & ligno buxi facta, & veſica ſuilla involuta, vulneratis locis interponantur, uſque donec eorum labia firma cicatrice obducantur. Et licet præ pudore ac timore has contrectationes violentas, ſectiones & dilatationes ut plurimum ſexus ſequior hujus ætatis recuſet, nihilominus duriſſimum neceſſitatis telum, ut eas ſuſtineant, urget ipſas cogitque.

Cura ... amplat... §. III. Tali igitur Methodo Imperforatas juxta ac nimium arctas ampliamus. Quando vero partium harum amplitudo nimia, qua viris maxime redduntur ingratæ, adfuerit, coarctantibus & adſtringentibus adhibitis ea tollenda eſt. Quem laborem apud *Alphonſum à Fontecha in ſpecul. Med. Chriſtian. Lumine 3. p. 601.* ſub nomine ſophiſticationis Virginum, deſcriptum lego. Adſtringentia vero hæc variis Formulis uſurpari poſſunt, v. g. ſub Peſſarii, quale *Sennert. Prax. lib. 14. Part. 1. ſect. 1.* ex rad. conſolid. maj. bol. armen. ſangv. dracon. flor. balauſt. alumine & maſtiche conficit. Vel ſub Balnei ex aqua aluminoſa, aut aliquo Decocto Vegetab. facto. Quorſum ſpectat ancillæ illius inſeſſus ab *Hochſteter obſerv. Med. decad. 3. caſu 5to, in ſcholiis,* literis mandatus, quæ ut ſe ſponſo arctam præſtaret, ante nuptias Balneum è decocto ſymphyti maj. ſibi paraverat, in quod cum hera, à cujus ſervitiis erat, ignara hujus ingredientis inſediſſet, pudendorum orificium adeo clauſum reportavit, ut maritus Virginitatem reſtitutam maxime miraretur. *Joh. Staritius* im Helden-Schatze *Part. 6. p. 552.* pro eodem fine obtinendo ſvadet, ut in Vitrioli ſolutionem rad. tormentillæ fruſtum per quatuor & viginti horarum ſpatium immergatur, poſteaque linteamine mundo involutum, paulo ante coitum genitalibus intrudatur. Plura alia his addere poſſem, ſed ea tacitus prætercam, ſi unicum adhuc, intentioni huic inſerviens, allegavero; Scilicet ſuccurrit mihi, ſcriptorem quendam, natione Gallum, cujus nomen mihi nunc non incidit, memoriæ prodidiſſe, qua enchireſi hæ partes artificioſe per præmiſſa adſtringentia arctatæ hirudinum applicatarum ope etiam eo diſponi poſſint, ut non ſolum difficillime membrum virile admittant, verum poſt aliqualem attactum ſimul ſatis in notabili copia ſangvinem plorent. Aſt cum talia Remediorum genera impudicis fœminis anſam dent, inexpertis & ſimplicibus procis imponendi, non prolixius artificium hoc nequam deſcribere

ſcribere libet, imo cuncta reliqua huc ſpectantia, ſilentii peplo penitus involvam.

Menſi- manen- ex or idefe- u. §. IV. Progreſſum potius faciam ad menſium vitia, è quibus primo menſes ultra tempus naturale emanentes ſe ſiſtunt. Si igitur neceſſariæ fermentationis ſangvinis defectus, aut partium transmittentium ineptitudo in culpa fuerit, remedia orgaſmum ſangvinis excitantia & promoventia ante omnia adhiberi debent. Hinc *Ettmullerus in Praxi ſua* fermentum piſtorium frequenter naribus ægræ admotum, aut fruſtulum ejus cum nuce moſchata comeſtum, tali in caſu commendat. Verum, an ſangvinis fermentationem hoc remedium æque facile ſit excitaturum, uti quidem in aliis liquoribus ſolet, vehementer dubito, cum potius mihi perſvaſum habeam, ab illo, utpote manifeſtum acidum ſpirante, ſangvinis motum nimium arceri potius poſſe, & ex hac ratione levamen quandoque in hoc morbo afferri, uti mox fuſius dicetur. Præfero itaque his acria, uti ſunt aromata & aromatiſata, myrrham, vinoſa & ſpirituoſa, item alcalia ſalia tam fixa quam volatilia, quæ pro hac intentione obtinenda, principatum obtinere mihi videntur. In diæta autem inprimis aër calidus & ſiccus, motus corporis & ex animi pathematibus illa, quæ circa objectum gratum verſantur, commendari merentur.

partium trans- tentium, §. V. Quo vero & partes transmittentes aptæ reddantur, dorſum & pubis regio, linimentis emollientibus ex oleo lil. alb. roſar. cheiri, axung. caſtor. it. cati ſylveſtr. oleo amygd. dulc. aut butyro non ſalito, & aliis hujus generis, inungatur. Vel in horum locum, inſeſſus, ſemicupia & balnea ex malva, parietaria, branca urſina, mercuriali, rad. lil. albor. altheæ, bryonia, ſem. lini, fœnugræci facta ſubſtituantur, quibus partium genitalium ſpasmi & criſpaturæ præternaturales ſæpiſſime ex voto relaxantur. Inſuper tamen, ſi ea in uſum vocare placuerit, tanquam cautela obſervari meretur, ut commendata hæc emollientia imminentibus menſibus adhibeantur, & ne poſt fotuum & balneorum uſum corpus refrigeretur, ſed ut ægræ extemplo lectum petant ſerio admonendæ ſunt, alias ex horum errore facile fieri poteſt, ut ſymptomata longe graviora reddantur, fluxusque menſium non promoveatur, ſed magis arceatur.

§. VI. Quando vero nimius ſangvinis orgaſmus fluxui menſtruo remoram ponit, id quod ex corporis æſtu & inquietudine, item ex hæmorrhagia per inſveta loca iſto tempore excitata, aliisque ſymptomatibus pluribus colligi poteſt, tunc à cunctis jam indicatis Medicamentis abſtinendum eſt, potius hunc ſangvinis fervorem & orgaſmum infringentia ſunt ſvadenda. Miraberis fortaſſis, me his velle menſes concitare, ſed mirari deſines, ſi partim ratione, partim etiam multa magni nominis virorum experientia fultus, ſententiam meam demonſtravero. Nam in hoc caſu quæſo, quid aliud acrium adhibitione fit, quam ut ignem, aut ſaltim oleum extinguendæ flammæ addatur. Contra ea ſi ſedativa dentur, è quibus primaria ſunt, crocata, papaverina & opiata, non ſolum leviora ſymptomata fiunt, ſed quoque ſæpius eadem die adhuc menſes fluere obſervantur. Et ut videas clarius, à ſangvinis tumultu hoc nimio ſæpius unice menſium fluxum impediri, remedia acida in medium profero, quæ tali in caſu ſubinde unice ſufficiunt. Imo teſte *Bartholino C. II. Hiſt. 87. Epiſt. C. III.* etiam adſtringentia, flores puta & cortices granatorum, flor. roſar. rad. tormentill. &c. conducunt, quæ bina vero eatenus tantum operantur, quatenus humores vehementer motos compeſcunt, & ad naturalem & pacatum magis motum, reducunt. Et ut multa paucis dicam, nonne vena inprimis in talo ſecta, toties proficua deprehenditur, quæ tamen tam ſanguinem evacuando, quam ejus curſum rapidiorem ſiſtendo ſolum confert. *aut orgaſmo nimio*

§. VII. Nec alia methodus medendi in ipſa menſium ſuppreſſione requiritur. Nam ſufficit, & hic motum ſangvinis deperditum iterum reſtituiſſe, id quod fiet, ſi cauſas illum ſiſten- *Cura menſium ſuppreſſorum ex ſeri defectu*

ſtentes ſuſtuleris. Et ut iterum ſpecialius hæc pateant, ſi ſero deficiente M. Sea adeo inſpiſſetur, ut non potis ſit, orgaſmum ſuſtinendi, quod ſæpenumero poſt Febres ardentes aliosque morbos acutos accidit, nunc plane non, conſultum eſſe puto, fortiter pellentibus aut acribus uti, utpote quibus ſangvis quidem movetur, non tamen promovetur, potius his bonam & humectantem diætam ſvadere præſtabit. Vel felicius adhuc ſeri defectus per infuſa vegetabilia in aqua calida, aquarum Medicatarum potum, Thermalium & acidularum inprimis reſarcietur. Nec male ſimul aſſumenda eſt Borraginis conſerva, quæ ab Hollerio in Tractatu de morbis internis conſcripto commendatur, ob ſingularem humectandi vim, quæ vegetabili huic à Botanicis communiter adſcribitur.

pituitæ copia

§. VIII. Si vero menſium ſuppreſſio à particularum gelatinoſarum copia orta fuerit, omnis lapis movendus eſt, ut viſciditas partim Diluentibus jam dum citatis, inprimis vero calidis, partim acribus reſolvatur. Sub acribus vero intelligo, ex regno vegetab. fol. artemiſ. calamenth. roriſmar. meliſſ. marrub. alb. matricar. origan. fl. calendul. cheiri, ſtœchad. arab. rad. galang. zedoar. armorac. helen. rub. tinctor. Ligna junip. guajac. ſaſſaſr. ſem. aniſi, nigell. leviſtic. Licet vero decocta ex his parata inprimis prodeſſe videantur, utpote quæ non reſolvant ſolùm, ſed ſimul diluant; nihilominus ſi forte non ad ægrarum palatum fuerint, etiam ex his eſſentiæ, elixiria, tincturæ, extracta dari poſſunt. Imo miſſis penitus his Gummata acria, uti ſunt Myrrha, ſagapenum, Galbanum & aſa fœtida cum fructu ſubſtituuntur. Aliis & hæc reſpuentibus ſalia volatilia, Cornu Cervi ebur, urinæ, viperar. vel Spiritus ſal. ammon. ſimplex aut compoſitus, oleoſus aut aromaticus, enixa Salia ſive Salſa quoque afferri poſſunt, & tandem borrax Veneta, Tartarus vitriolatus, arcan. duplic. Mynſ. Tartar. tartariſat. Sal eſſentiale Tartari, & ſic dictus liquor terræ foliat. Tartari &c.

§. IX. Et certe, hæc ab initio adhibita optima & convenientiſſima erunt. Veruntamen, uti jam altas radices affectum hunc egiſſe, & in Cachexiam, morbumque virgineum abiiſſe conſtet, purgantia ſimul ſuppetias ferent. E quibus nunc ſolum Reſina jalappæ & ſcammonii, rad. helleb. nigr. & alia purgantia nominaſſe ſatis erit. Immo & vomitoria quoque propter vim non modo evacuandi, verum etiam totum corpus vehementer concutiendi omittenda non ſunt. Ab his enim adhibitis ſæpe vaſa uterina ab humorum infarctu feliciſſime liberantur, ſic ut illa plurimis aliis remediis ſubinde palmam præripiant. Et recordor ſane ſolo prudenti vomitoriorum uſu, antehac per longum tempus ſuppreſſos menſes me ipſum ſæpe ex voto provocaſſe. Nimium tamen, ſi forſan rebelles menſium tales ſuppreſſiones fuerint, Thermæ, aut ſaltim balnea artificialia vel fotus ex emmenagogis parata, uſurpanda ſunt, vel ſuffimigia acria, quorſum inprimis *Glauberi Furnor. Philoſoph. P. II. c. 88.* deſcriptum experimentum cum Spiritu Sal. ammon. factum refero, cujus volatilia miaſmata hujus inſtrumenti adminiculo ad ipſam morbi ſedem h. e. genitalium interiora derivantur. Ultimoque omnium peſſaria è rad. gentiana, vel ex Gummatis acribus facta adhibeantur, quibus aliqui ad imitationem Sylvii Baconis in obſerv. curioſ. tantillum cantharidum admiſcent.

§. X. Quod ſi autem ſangvis coagulatus vias iſtas obſtruat, reſolventibus ac attenuantibus opus erit, id modo obſervetur, ut ea quam citiſſime poſt factam ſangvinis coagulationem adhibeantur. Iterum igitur ſuperius memorata aromatica ac Salia volatilia cum infuſis ac decoctis acribus adhibenda ſunt, inprimis ſi corporis refrigeratio aut terror, morbo occaſionem dederint. Quemadmodum ſi coagulatio ex acido facta fuerit, per alcalia fixa & volatilia, tandemque & Martialia, quorum deoppilativa & aperiens efficacia, hodieruum in vulgus jamdum nota eſt, occurrendum erit.

ſangvine … agulat

§. XI. Incumberet nunc mihi in hoc §pho, ut ad menſium parcius fluentium

tium

ra fluxus nimii tium curam me accingerem. Verum cum Medicamenta, quæ totalem ſuppreſſionem tollunt, & huic malo ſuccurrant, actum agere nolo, hinc potius copioſiori fluxui competentia Medicamenta in medium proferam. Præ omnibus vero V. S. larga in brachio inſtituta, ſangvinis hujus fluxum celerrime ſiſtit, longeque felicius revulſio ejusmodi ſuccedet, ſi uno actu multum, quàm partitis vicibus parum ſangvinis mittatur. Huic tamen operationi Chirurgicæ ſi locus non detur, & neceſſitas nihilominus urgeat, cucurbitulæ cum ſcarificatione, ſcapulis, dorſo & aliis partibus imponantur, vel etiam ſine ſcarificatione cum flamma magna infra mammas, aut ad hepatis vel lineis regionem applicentur, aut ligaturæ doloroſæ artubus circumjiciantur, quæ ſubinde egregie contuliſſe ad curam Practici obſervarunt. Interne autem convenient Corallia, Terra ſigillata, bol. armen. lap. hæmatit. raſur. dent. hippopot. & pulvis teſtar. ovor. item Trochiſci de carabe, ſperniola Crollii, de ſiliginis ſpicis excreſcentiæ nigræ, maſtich. gumm. arab. tinctur. ſulphur. vitriol. Mich. tandemque ſpiritus vitrioli cum eſſentia opii &c. Opus ſi fuerit, & topica his accenſeantur, v. g. aqua ſpermat. ranar. acet. roſac. & ſperniol. Croll. quæ mixta, ſpongiaque calide excepta, rarius Medici ſpem fruſtrantur. Sunt alii etiam, qui acetum vini cum flor. papav. errat. infundunt, & cum ſpongia tepide pectini cum expectato ſucceſſu imponunt. Nec deſunt ex Medicis, qui cataplaſmata, fotus, balnea aut peſſos ſvadent, quibus omnino aſſenſum facile præbeo, modo adſtringentia ex fol. tenellor. quercus, polygono, burſa porſtor. cupulis glandium, gallis, rad. tormentill. alumin. ſangv. Dracon. ſtercor. aſinin. & ſuis ſelegerint.

xus doloroſi §. XII. Sic menſium vitiis quantitate peccantibus ſuccurrimus, quod ſi vero menſium fluxus in qualitate læſus ſit, & acrimonia p. n. occurrat, pro diverſitate præſentis hujus acoris nunc Medicamenta ant-acida, nunc inviſcantia, nunc diluentia proderunt. Priora laudo, ſi certo conſtet aciditatem in culpa eſſe, quare omnem apparatum §. X. exhibitum nunc quoque uſurpare poſſumus. Si tamen neceſſitas nimium urgeat, opiata, quæ certe miranda præſtant, cum his miſceantur, & tam in anteceſſum præſervationis gratia, quam inſtantibus menſibus, vel præſente jamdum & urgente dolore adhibeantur. E contra in acrimonia ſalſa inviſcantia & mucilaginoſa commendare inpr. expediet, uti ſunt gummata minus acria, in ſpecie G. arabic. ceraſor. colophon. laccæ, maſtich. tragacanth. ſuccinum, & ex terreis bolus alba, marga, lac lunæ, vel ex animalium regno lac caprinum, vaccinum, gelatinæ ebor. & Cornu Cervi, ſperma ranar. cum exin parata ſperniola Crollii, quæ hunc in finem potiſſimum commendatur, ut Salia glutinoſitate illa involvantur, & ad ulteriorem actionem & vellicationem inepta reddantur.

§. XIII. Nec aliis, niſi his aut ſaltim ſimilibus pro ſcopo incraſſandi nimium tenues, ſeroſasque ſanguinis particulas, ſi illæ menſium qualitatem ullo tempore læſerint, opus erit. Cuncta enim hæc, aqueis commixta, conſiſtentiam ejus deficientem reſtituunt. Quapropter lacticinia ex animali, & mucilaginoſa e vegetabili regno deſumta, hoc in paſſu utramque paginam faciunt. Simul tamen operæ pretium erit, ut evacuantibus tam catharticis quam diaphoreticis, aut diureticis utamur, quorum ope ſeri ſuperfluum evacuatur, ita, ut reſiduum poſtmodum felicius incraſſari poſſit. *& aquoſi*

§. XIV. Non igitur novi quid, aut à modo traditis diſcrepans circa medelam fluoris albi ſimplicis monendum eſt. Nam quatenus morbus ex ſeri abundantia natales ſuos ſumit, eatenus quoque evacuantibus & incraſſantibus curabitur. Rarius vero hæc cauſa ſolum adeſt, ſed frequentius acrimonia plus minus ad aciditatem inclinans eſt ſimul admixta, quæ una in cura attendi meretur. Hunc proin- *cura Rhevmatiſmi*

proinde in finem etiam ſæpius jamdum commendata ant-acida maxime proficua cenſeo. Sed ſi ex diuturniore colluvie ſeroſa glandulæ uterinæ tono ſuo privatæ jam annotentur, eo allaborandum erit, ut inprimis per roborantia, ſub quibus adſtringentia & nervina comprehendo, tonus illarum deperditus reſtituatur. Quæ remedia vel ſub inſeſſus aut balnei forma, vel per Syringam injecta ſe præ cunctis aliis commendabunt. Fruſtra tamen etiam ab his levamen expectabitur, niſi regulæ diæteticæ de induſtria ſerventur, h. e. aëris temperies ſiccior humidæ, potus ſpiſſior tenuiori, motus corporis neceſſarius vitæ ſedentariæ anteponatur.

§. XV. Quod ſi autem hic fluxus malignus evaſerit, ea quæ ſimul vi Balſamica ac conglutinandi gaudent, in uſum trahantur. E quibus præ omnibus aliis terebinthina, vel ſub Pilularum aut emulſionis forma, vel in ſubſtantia cum Saccharo aut ovo tremulo, vel ſub quocunque modo libuerit, aſſumta prodeſt. Ditioribus tamen ægris ejus in locum balſam. Copayba vel de Tholu, aut Peruvianus niger ſub iisdem plane formulis porrigi poteſt, utpote quæ minus, quam terebinthinata nauſeam movent. Sociamus his Mercur. dulc. cujus virtus oppido ſingularis in hujus morbi cura eſt, inſuperque ſuffitum e ſuccino, thure, aſa fœtida gummi caball. aut balſamica jam indicata, ſiphone ad genitalia immiſſa.

Cura laſciviæ §. XVI. Jam reſtat, ut quoque convenientia remedia reliquis virginum morbis commendentur, e quibus laſcivia nimia nunc conſideranda eſt. Quam difficile vero ſit, præcipitem in libidines animum refrenare, niſi ipſæmet puellæ aſſenſum præbeant, dudũ jam alii conqueſti fuerunt. Hinc *Petrarcha* de remediis utriusque fortunæ *lib. I. Dialog. 74.* recte cecinit:

Caſtra pudicitiæ fœdo expugnantur amore,
Ni ſint præſidio quam bene tuta ſuo.

Et certe, qui modo mobilem & flexilem fœminarum animum penſi habet, facile aſſenſum præbebit, nunquam earum fidem eſſe tutam, utut ad tempus ad ſervandam eam omnem nervum intendiſſe videantur. Quid ergo hic conſilii, certe invocato prius divini numinis auxilio ante omnia opiparum victum, mollem ac ſplendidum amictũ, Theatrales operas, converſationes laſcivas, cogitationes vanas & tempus otioſum illis interdicas, & ut multa paucis dicam, omnia ſubducas, quibus Amaſios in amorem rapere, oculosque horum in ſe convertere poſſunt. E contrario, domeſticis laboribus ac curis nempe fila ducendo, nendo aliisque manualibus operationibus operantur, omnisque occaſio ad mala ſummo ſtudio removeatur. Quare iterum etiam ſupra citati *Petrarchæ lib. II. Dialog. 23.* conſilium adducere liceat:

Filia, ſi quando laſciviat, excute mentem,
Fac agat aſſidue, quo teneatur, opus.

Et hæc certe remedia cunctis ac ſingulis eſſentiis, elixiriis, morſulis conſervisque caſtitatis vulgo dictis antepono, quia vitium hoc morale remedia medica eludit.

§. XVII. Quod ſi tamen accidat, ut amor hic firmiter virginum animis infixus hæreat, & coacta ejusmodi caſtitas in melancholiam abeat, tum certe exercitatiſſimi etiam practici in hujus morbi cura habent, ubi deſudent. Nam quod in proverbio dicitur, citius Herculi clavam extorſeris, quam veſaniam hanc ipſarum animis eximas. Accedit inſuper quod corporis humores laudabiles toto temporis tractu ex hoc ſpirituum vitio ſimul evidenter corrumpantur, & primarum viarum cruditates inſignes, humorumque ſtagnationes circa uterum aliasque partes ex eadem cauſa oriantur. Nihilominus omnis animus abjiciendus haud eſt, potius conſultum eſt, ut ante omnia producta hæc morbifica per Medicamenta vitiis his competentia tollere allaboremus. E quibus martialia inſtar omnium ſunt, aut quæ nunc ſangvinem ipſum evacuant, quorſum V. S. ſcarificationem & hirundines &c. pertinen- *Melancholia*

tinent, aut quæ prim rum viarum humores per ſuperiora & inferiora purgant, vel uteri purgamenta educunt. Poſtmodum adhibeantur, quæ vires collapſas erigunt, ac langvidas tardasque reſtituunt & excitant, uti ſunt converſationes jucundiores, muſica, vini generoſioris potus, & plura hujus generis alia. Si vero nec hæc voti noſtri nos compotes reddant, hæ melancholicæ puellæ connubio jungantur cum viro, quem amore adeo veſano deperiunt. Vel ſi cauſæ ſonticæ conſilio huic obſtent, alio viro. Quare, ut renuens ægra talis ad admittendum hoc conſilium perſvaſionibus, conſolationibus, aſtu, dolisque bonis deflectatur, maxime eſt opus.

…biei ex ve… e denegata

§. XVIII. Rabies ſi jam ſupervenerit, equidem ab initio remediis modo indicatis adhuc occurrendum eſt. Irritus tamen ſi horum ſucceſſus fuerit, fac periculum, non per refrigerantia, inter quæ ſunt lactuca, endivia, ſalix, vitex, portulaca, nymphea, cicuta, camphora, tandemque aquæ frigidæ balnea levamen afferant. Vel ad Hippocratis imitationem, venam largiter ſeca. Quod ſi tamen & hanc fruſtraneam obſerves, tentandum eſt, num increpationes, metus, proſtitutiones publicæ, tandemque verbera, ægrarum errantem phantaſiam reducere ac coërcere valeant. Conſtat enim iſta, utut duriora remedia, nihilominus quandoque profuiſſe. Et ne ſine experientia hæc dicta ſint, ad virgines Mileſias provoco, quæ referente Plutarcho nymphomania tali laborantes ſe catervatim ſuſpendebant, nec ulla vi aut precibus impediri poterant. Reſipiſcere tamen hæ tandem cœperant, promulgata lege, quod, quæcunque ſe ulterius laqueo ſuffocaverit, per forum nuda ſit trahenda. Omnium vero ultimo coitus ad ſatietatem usque permittatur, qui ſæpe ex tempore morboſas has ſanat, uti obſervatio Plateri id docet.

…a paſſio… & ſuffo… hyſterica

§. XIX. Supereſt, ut Paſſionis & ſuffocationis hyſtericæ cura nunc exhibeatur. Quandoquidem vero in his morbis tam diverſa juxta ac atrocia ſymptomata concurrunt, mirum non eſt, ſi Medico nondum adeo exercitato ad primum horum morborum intuitum aqua hæreat, aut dubius plane reddatur, cuinam ſymptomatum adeo urgentium præ reliquis debeat remedium opponi. Ut igitur etiam in ſanatione hujus morbi pateat, quam methodum medendi præ aliis convenientem credam, neceſſarium eſſe duco monere, in paroxyſmo opeſſe primo excitantibus cui intentioni crinium vellicationes in locis ſenſatis inſerviunt, item artuum frictiones cum panno aſpero, ligaturæ doloroſæ, aquarum fragrantium applicationes, pulveres ſternutatorii naribus admiſſi, clyſmata, & ſuppoſitoria acria, ſuffimigia ex fœtidis excitata, v. g. à pennis perdicum, pice, galbano, ſulphure accenſo. Vel ol. ſuccini aut caſtoreum, aut Spiritus Sal. ammon. vel aliud Sal volatile naribus admotum. Operantur vero hæc cuncta, quod diverſæ ſenſatæ partes ab his graviter afficiantur, unde fit, ut ex dolore, moleſtoque hoc ſenſu excitato, nervorum ſpaſmi & Spirituum irregulares motus tollantur. Deinde interne conveniunt ant-epileptica, & antiſpaſmodica ſcil. unicorn. marin. dens hipoppot. ungul. alcis lap. manat. antihect. Poter. ſuccin. cinnab. antim. liqu. corn. cerv. ſuccin. tinct. tart. acris, eſſ. caſtor. aſæ fœtid. granor. actes, & præ omnibus aliis Spiritus vini rectificatus, qui incantamenti ad inſtar ori infuſus has ægras excitat. Tandem quoque eo reſpiciendum eſt, ut urgentia ſymptomata è dolore oriunda è medio tollantur anodynis, quæ cum modo recenſitis aut carminativis vel emollientibus in clyſmate combinata, aut ſaltim externe ventri applicata, mirifice ſæpe profuiſſe compertum habeo. Extra paroxyſmum vero cauſis occaſionalibus ſpecialia remedia opponi debent, ſcil., quæ ſpiritibus inhærentes ideas aut humoribus vitia eximunt. Hinc menſes pellentia, aliaque uterina, ſtomachica & pectoralia ſimul pro circumſtantiarum diverſitate conducunt. Et in ſpecie ſi ab odore ſuavi morbum hunc originem ſumſiſſe conſtet, fœtentia naribus admoveantur, de quibus

bus cum alibi jamdum abunde verba fecerim, lubens hac vice ſileo.

§. XX. Atque hæc ſunt, quæ pro virili mea portione elaborare atque literis mandare libuit. Si tibi, Lector Ben., ea non diſplicuerint, habeo de quo mihi utique maxime gratuler, ſin minus, veniam dabis, cum juxta Quintilianum ſtudiorum quædam ſit infantia, quæ fructus non alios niſi immaturos ferre poteſt. DEO interim T. O. M. gratias, quas mente concipere poſſum, maximas ago, quod conatibus his clementer adſpiraverit, ſit ipſi Laus & Gloria nunquam terminanda. Finis.

****

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Quadrageſima prima.

De

VALETUDINARIO GRAVIDARUM.

CAPUT I.
HISTORIAM INGRAVIDATIONIS, MORBORUMQUE EORUM TUM TEMPORIS FREQUENTIUM RECENSET.

§. I.

Est certe ingravidatio, quam delineare nunc mihi ſumo, adeo ſtupendum & occultum opus, ut, etiamſi omnem ingenii vim cogamus, & rationem quam ſtudioſiſſime ſolicitemus, nunquam tamen allequi liceat, quomodo craſſum illud totque organis adeo eleganter inſtructum corpus, partꝰ tempore, quale enixus fœtus ſecum fert, ex ſemine maris & fœminæ coaleſcere & formari poſſit. Nec ratio ſola ceſſat, lippiunt etiam ad hoc negotium, imo deficiunt penitus oculi corporei, utpote quibus non conceditur luſtrare, quæ poſt congreſſum fœcundum maris & fœminæ in abdita illa maximeque à Natura occulta officina, uteri nomine inſignita, peragantur ac fiant. Quapropter ante omnia venia mihi à L. B. exoranda eſt, ſi tantum quædam conjecturis, rationalibus tamen, ac quibusdam experimentis ſuffulta, pro explicanda ingravidationis hiſtoria naturali nunc protulero. Sed ad rem.

§. II. Simul atque igitur maris cum fœmina congreſſus finitur, & ſemen virile fœcundum utero fœmineo feliciter eſt inſperſum, ſubtilior ac nobiliſſima ejus portio, quæ aura vel ſpirit. genitalis aut plaſticus vocatur, liberata à compedibus viſcidioribus, quibus antea detinebatur, pergit per tubas Fallopianas ad ovaria muliebria, inibique afflatu ſuo, vel ſi mavis, irradiatione fœcundat in momento ovulum unum vel plura, non aliter (ſi craſſo aliquo exemplo rem illuſtrare licet) quam ſcintilla è chalybe, pyritæ beneficio excuſſa, ſtatim ac fomitem attingit, ſuam igneam virtutem ſimul imprimit ac communicat eidem. *Spiritus p[…] ſtici aſcen[…]*

§. III. Quo vero felicius hæc intelligi poſſint, præſupponendum eſt, ſic dictas tubas Fallopianas utero pertuſo ad fundum adhæreſcere, adeo ut egreſſus prædictæ auræ per hæc loca pateat facilis. Et licet obſtare videatur intuitu primo, quod tubarum illarum extrema cum teſtibus non cohæreant, ſed aperiantur ac hient intra abdomen, ſciendum tamen eſt, eas à titillatione venerea non ſolum tendi, & virilis membri ad inſtar tempore coitus cum reliquis negotio huic ſacris partibus erigi, verum quoque ab extremitati- *Tubæ Fallo[…] pianæ officium.*

mitatibus ejus laciniatis, manus in modum expanſis, ſimul arripi & comprehendi ovaria, usque donec tranſitus iſte cauſæ efficientis principalis, eoque ipſo conceptus factus fuerit, ubi langvente venere flaccеſcunt rurſum, ac pendulæ omnino deprehenduntur poſthac.

ſcenſus ovuli. §. IV. Sic igitur ſolo afflatu auræ genitalis unum vel plura ovula fœcundantur in momento, quatenus ſcilicet rudimentum illud totius hominis, innatans ſub forma fibroſi ac exiguiſſimi cujusdam corpuſculi fluido ovuli muliebris, per acceſſum ſpiritus genitalis vivificatur; unde poſthac non ſolum totum ovulum turgeſcit, & nativum ſuum colorem ſubito cum rutilante magis commutat, verum quoque aliquot dierum ſpatio elapſo, à quodam ſubtus poſito & nunc quoque intumeſcente corpore glanduloſo disrupta pellicula, tegente univerſum ovarium, è nidulo ſuo naturali protruditur, & per Tubam Fallopianam altera nunc vice ovariis firmiter applicatam, ad uteri usque internum devolvitur.

robatur §. V. Faciunt huic aſſerto fidem varia Autorum in fœminis, recenter ingravidatis, poſt mortem illarum facta experimenta, è quibus nunc adducere ſolum lubet *Ruyſchii* obſervatiunculam, quæ extremitatem tubæ Fallopianæ proboſcidis contorti ad inſtar ovario applicatam, refert, cujusque in cavo ovulum quoddam, aperturæ in ovario conſpicuæ, piſumque majus facile admittenti, reſpondens, conſpectum fuit; quale quid etiam à *Gottofredo Bidloo in Anat. Hum. Corpor. Tab. 53. F. 1.* annotatũ ac delineatũ cernitur.

§. VI. Per tubas has rotatur deinde ac devolvitur ovulum ordinarie, usq; donec per inferius oſtium transmisſum ad uteri cavum deveniat, ubi aliquandiu hærens, firmasque radices agens, utero ſatis arcte adnaſcitur. Quomodo vero hoc ipſum fiat, vix felicius intelligi poteſt, niſi præmiſſa hiſtoria accurata ovuli jamjam ad uterum protruſi, quod intus in ſe habere humoris limpidi copiam, cui innatat illa cicatricula, totius humani corporis compendium, jam monitum eſt; adeoque nunc corticem ejus, & quæ ipſi connexa ſunt, luſtrabimus.

§. VII. Bina vero conſpiciuntur ipſius integumenta, quorum externum chorion audit, craſſamque ſatis compagem membranaceam præ ſe fert, plurimis vaſis ſangvineis ornatam; alterum amnion ſalutatur, texturamque pariter membranaceam, ſed multo tenuiorem poſſidens. Utrumque autem horum totum circumambit ovulum, ita tamen, ut chorion magna ſui parte placentam uterinam conſtituat, aut ſaltim habeat adnatam, cujus poſtmodum ope utero adhæreſcit illud, dum vaſa ſangvinea, copioſe illam placentam perreptantia, ad uteri poros abeunt, & verſa vice uterina vaſa ejus pulpoſam ſubſtantiam rurſum ingrediantur. *Integumenta ovuli.*

§. VIII. Æmulatur itaque ovulum hocce muliebre quodammodo ſemina vegetabilium, quæ terræ commiſſa radices de ſe mittere, & per illas ſuum nutrimentum haurire ſolent. Sed magis adhuc conveniunt cum ipſis, ſi ex altera parte emergentem aſpicias caulem, quem umbilicalem funiculum à loco inſertionis ſalutare ſolent Medici, qui ex duplici arteria ex ramis iliacis fœtus oriunda conſtat, & una vena, ad hepatis interiora in tenellulo in hunc potiſſimum finem abeunte, ut per illam cum ſangvine nutrimentum ad fœtum deveniat; quemadmodum cruor effœtus per arterias rurſum emittitur ad placentam uterinam, pro nova vitalitate & nutritiva ſubſtantia ſuſcipienda. *Funis umbilicalis.*

§. IX. Creſcit ſic embryo indies ab hoc continuo novi alimenti affluxu, usque donec, qui viſum antea penitus fugiebat ob nimiam exilitatem, pedetentim auctus quoad omnes partes conſpicuus fiat. Quodnam autem præciſe ad dies & menſes ejus ſit augmentum, nondum accuratis obſervationibus deſcribi potuit. Quicquid enim ab *Harveo de Generat. Animal. Everhardo de Hom. ac Bruti exortu*, de ejus magnitudine & mole narratur, nil certi adſtruit. *Pinæi* vero obſervationes, quæ in *Tr. de Not. Virginitat. à p. m. 110. usque* 127. & à *Kerckring. in Anthropogeniæ Ichnographia* ſuppeditantur, fidei omnino ſubleſtæ ſunt, ex opinione *Drelincurt. de Fœm. ovis.* *Augmentum embryonis*

§. X. Nihilominus id certum & extra omnem controverſiæ aleam poſitum eſt, duarum aut trium ad ſummum ſeptimanarum embryonem omnes jam ſuas ſiſtere conſpectui partes; caput tamen enormiter vincit magnitudine reliquas, adeo ut ipſe viderim, illud reliquos ventres una cum artubus duplo ad minimum ſuperaſſe in abortu, qui credebatur quatuor ſeptimanarum; artus enim ſolum veſtigia ſuæ præſentiæ oſtendebant, cum in capite oculi protuberantes inſigniter, una cum naribus ac ore, ſe eleganter jam ſiſterent. Et ſic ſi calculus ponatur ex proportione ſpatii geſtationis emenſi, magnitudo embryonis circa medium ingravidationis tempus apparebit ſatis conſpicua, adeo ut ab ejus motione notabilis omnino moleſtia ſenſusque ſatis triſtis in gravidis naſcatur fœminis; poſthac vero magis adhuc magisque creſcit, quousque demum attingat molem, genitalibus partibus mulierum non inæqualem, utpote quas penetrare in ipſo partu cogitur.

Uteri diſtenſio. §. XI. Interea vero dum hæc fiunt, creſcente quotidie fœtu, ſemper ex proportione uteri parietes extenduntur adeo notabiliter, ut tandem univerſum ſpatium abdominis internum à viſcere hoc occupetur, unde non ſolum intumeſcit hic venter, inprimis ſub umbilicali regione, ſed ſæpe etiam ſupra eam, verum inſuper viſcera circumpoſita ab incumbente hac mole nunc irritantur ac ſtimulantur, nunc comprimuntur aliisque pluribus moleſtiis afficiuntur, unde non his ſolum immediate affectis, ſed aliis quoque non raro ſatis remotis ſymptomata inferuntur oppido egregia.

Symptomata. §. XII. Primitus enim aliquali febricula, horrore puta, æſtu ac cephalalgia, immediatè à conceptu facto laborant, poſt nauſea & faſtidio ciborum vomituque frequenti, & ſubinde pica, malacia & odontalgia vexantur. Sentiunt deinde dolores ventris ac diarrhœas, & ne quid deſit malorum, non raro ipſis quoque imminet acciditque abortus. Et licet ex his malis emergant, ſubſequentibus tamen temporibus dolores coxendicis & lumborum experiuntur, aut palpitationes cordis cum lipothymia, vel tuſſim aut hæmorrhagias uteri; tandemque urinæ & alvi difficultates patiuntur nunc ſolas, nunc cum hæmorrhoidibus junctas, aut tenſivum abdominis dolorem, ejusdemque fiſſuras ac rimas, quibus poſthac tumores ſuperveniunt pedum nunc œdematoſi, nunc varicoſi, & ultimo aquarum intempeſtivum ex utero ſtillicidium. Talis itaque tantaque malorum eſt turma, quæ miſellas gravidas invadit & divexat toto iſto tempore, ut quandoque vix dies una & altera elabatur, dum nobili iſto pondere uterus ipſis tumet, qua non ſeveram iſtam ſententiam h. e. multiplicationem dolorum tempore geſtationis, omnium fœminarum primæ Evæ à Summo Deo poſt fructus vetiti morſum dictam, deplorare cogantur miſellæ.

CAPUT II.
ORIGINEM MORBORUM IN GRAVIDIS DECLARAT.

§. I.

DEdimus nunc breviſſimis verbis explicatam hiſtoriam ingravidationis naturalem, quæque ad eam ſpectant, quibus fundamenti loco poſitis, facile nunc valetudinarium noſtrum ſuperinſtrui poteſt. Quantæ autem turbæ, quantæque moleſtiæ excitentur toto iſto tempore, vel pauca illa teſtari poſſunt gravidarum recenſita jam ſymptomata; univerſa enim ſi ad amuſſim examinare vellem, non diſſertationem, ſed totum pangere volumen cogerer. Sufficiant igitur ea inpræſentiarum, utpote quæ tanquam principalia magis reliquis, quæ prætermiſſa fuerunt, lucem affundere tam in cognitione, quam remotione ex voto poſſunt. Ut autem decenti ordine enarratio illorum fiat, primo Symptomata, quæ primis geſtationis menſibus accidere ſolent, deinde medii gravidationis temporis ærumnas, ac tandem ultimis menſibus conſveta mala levi adumbrabo penicillo.

§. II.

ptoma- riorum ſium ricula

§. II. Quamprimum itaque virtute ſeminis virilis prolifica fœcundum ovulum factum eſt, ut plurimum immediate poſt ſentiunt mulieres aliqualē febriculam h. e. horripilationem levem cum inſequente æſtu ac cephalalgia, doloreque compreſſivo ſub regione lumbari ſatis equidem exquiſito, ſed brevi iterum ſuaque ſponte evaneſcentem. Quæ Symptomata mihi videntur oriri partim ex comprehenſione ovariorum forti, à tubis Fallopianis illo tempore facta, quo aura genitalis tranſiens ovulum irradiat, partim vero ab irritatione nervoſi generis non levi, quam patiuntur fœmellæ ex hoſpitis hujus peregrini ac inconſveti, h. e. auræ genitalis acceſſu. Sed cum, prout jam monui, ſponte ſua breviſſimo temporis ſpatio hæc cuncta iterum ceſſent, rariſſime hæc ingravidationis prima Symptomata, & non niſi à prudentioribus attenduntur fœminis, quæ nihilominus ſi occurrant, ſua ex illis infallibilia conceptus criteria deſumere ſimul norunt, prout jam olim *Galenus* docuit *l. 1. de Semine c. 2.* his verbis: Mulieres, ubi conceperunt, ſtatim à ſeminis ſuſceptione loquuntur convulſionem uteri, ſentiuntque in vulva motionem quandam, ac ſi paulatim in ſe ipſa contraheretur.

uſea

§. III. Sed quando ad uteri interioris devolutum jam eſt ovulum, preſſo eum inſequitur pede turma frequens & numeroſa moleſtiarum, mirum quantum ſæpe miſeras has excruciantium ac divexantiū, quæ inter agmen ducit Nauſea & Faſtidium cibi, quod etiam *Hippocr.* tanquam ingravidationis ſignum proponit *ſect. 5. aphoriſ. 45.* dum inquit: Si mulieri ceſſent purgationes (nempe menſtruæ) neque horror, neque febris ſuperveniat, & cibi faſtidia accedant, judica, ipſam in utero habere. Cauſa hujus affectus quærenda eſt non in retento ſangvine menſtruo, vapore ſuo ventriculi capacitatem ingrediente ac vellicante, uti Antiqui omnes ſtatuebant, vid. *Rodric. à Caſtro de Morb. Mulier. Part. 2. l. 3. cap. 10.* multo minus dum infantis capilli ſuccreſcunt, quod incuſat *Cardilucius in Commentar. ad Prax. Chym. Hartmanni cap. 169. p. m. 768.* Sed potius originem trahit à conſenſu nervorum, quem par vagum, ramulos ſuos ſtomacho æque ac utero communicans, atque ſic connexionem quandam horum viſcerum creans, conſtituit. Uterus igitur ſenſatus, dum adveniente corpore hoc peregrino ſeu embryone primum quodammodo ſtimulatur, poſtmodumque cavitatem ſuam ampliare ſucceſſive cogitur, dolorificū quendam exin contrahit ſenſum, qui nervis connexis communicatus, facile poſthac ſtomacho inprimis averſionem alimentorum, præprimis cum illo tempore, dum circa uterum ſolliciti ſpiritus ſtomachi corrugationem ad alimentorum deſiderium neceſſariam negligunt, cruditates primarum viarum facile creſcant. vid. *Mauriceau Tr.* von den Kranckheiten der ſchwangern Weiber *lib. 1. cap. 12.* Incipit autem hoc Symptoma primis ſtatim diebus à conceptione, & protrahitur utplurimum ad tertium usq; menſem, quo transacto, ſponte ceſſare rurſum ſolet.

§. IV. Concomitatur hunc affectum non raro Vomitus ſeu excretio p. n. contentorum ſtomachi per gulam, eandemque cauſam cum priore agnoſcit morbificam, gradu tamen diſcrepantem, quatenus vehementior in vomitu eſt, quam in nauſea. Fibræ enim motrices à dolorifica extenſione uteri per conſenſum irritata perverſo plane ac præternaturali motu à pyloro verſus Superiora rapiuntur, atque ſic contenta ejus, aliàs per inferius ſtomachi orificium transmittenda, per os ejiciuntur. Inſuper vero augent malum hoc, partim corporis fœminarum conſtitutio cacochymica; partim ætas juvenilis, aut quando tener admodum illarum habitus non adeo commode moleſtias illas ferre poteſt; partim vita otioſa ac ſedentaria, quare in ruſticis ac laborioſis fœminis rarius Symptomata hæcce notantur. Variat autem vomitus (1) ratione temporis, dum aliæ vexantur circa auroram, ſtatimque ac lectum relinquunt, aliæ ad veſperam, aliæ poſt paſtum, aliæ ipſum patiuntur pene à primo momento conceptionis, aliæ præterlapſis demum aliquot diebus, aut ſeptimanis, aliæ

Vomitus

aliæ incipiunt vomere primis, aliæ mediis, aliæ ultimis geſtationis menſibus, aliæ toto illo tempore ſymptomate hoc vexantur, ex quibus tamen, qui ultimis geſtationis menſibus contingit, cauſam agnoſcit denegatam expanſionem ventriculi propter adſtantem nimiumq; à fœtum extenſum uterum, ſeu ut ſolenniter Noſtrates efferunt: Wenn die ſchwangeren Weiber das Kind hoch tragen. (2) Ratione materiæ; aliquando ejicitur à gravidis nunc cibus & potus aſſumtus, nunc chylus, nunc bilioſa vel acida, omniumque ſolenniſſime pituitoſa ſaburra; alio tempore excernitur ſangvis, quale quid legimus in *M. N. C. D. 1. A. 9. & 10. obſ. 6.* de fœmina; quæ à primo conceptionis menſe uſque ad ultimum ſingulis diebus in ſatis magna quantitate, ſine tamen noxa, vel gravioribus ſymptomatibus cruorem evomuit. (3) Ratione accidentium; quædam peracto vomitu melius ſe habent, quædam è contra gravia incurrunt ſymptomata à vehementiori iſto motu excitata, langvorem puta totius corporis, dolorem hypochondriorum, ſingultum, epilepſiam, convulſiones, tandemque abortum. vid. *Mauriceau loc. alleg.*

Pica & Malacia. §. V. Siſtit ſeſe interdum circa menſem geſtationis ſecundum præter propter pica & malacia ſeu appetitus depravatus, & vitioſus rerum ad nutritionem ineptarum, aut certe congruarum, quas tanta cum aviditate appetunt nonnullæ gravidæ, ut niſi participes fiant ſui voti, vel abortum patiantur, vel ſtigmate embryonem ſignent. Expoſcunt autem vel conſveta alimenta avidius, vel inſolita, qualia ſunt nunc carnes ac piſces crudi v. g. capita vivorum mullorum & piſcis cyprinus vivus, vid. *M. N. C. D. 1. A. 1. Obſ. 83.* Haleces ad 1400. usque. Conf. *Tulpius obſ. lib. 2. cap. 24.* nunc creta, conf. *Foreſt. lib. 18. obſ. 7.* aut arena, *vid. M. N. C. loc. cit.* nunc pretioſa illa fila oculata, vulgo Spitzen/ quale quid de fœmina Pariſienſi, pro 400 imperial. una vice devorante, narrat *Harsdörffer. in Theatr. Comic. Hiſt. 67.* nunc panis ſimilagineus intinctus amurca, vid. *M. N. C. D. 1. A. 2. obſ. 209.* *Dolæus Encyclop. Med. lib. 5. cap. 6.* nunc piperis grana in copia inſigni, vid. *Nicol. Florentin. Serm. 5. Tr. 4. cap. 36.* nunc calx viva, goſſypium, pellis ovilla cum lana, carnes humanæ &c. qualia exempla plura vid. apud *Schenckium obſ. lib. 4. obſ. 131. Rodr. à Caſtro de Morb. Mul. Part. 2. ſect. 1. l. 3. cap. 9. M. N. D. 2. A. 7. obſ. 222.* Quibus adde raram illam picæ ſpeciem, qua mulier quædam in Anglia laboraſſe dicitur, excipiens ventum ore aperto è follibus inverſis, propria manu motis, vid. *Act. Philoſ. Anglic. An. 1667. menſ. Novembr.* Cauſam hujus affectus ex vario deducunt principio Autores, præprimis tamen humoribus pravis adſcribunt, variisque argumentis robur addere ſtudent huic hypotheſi, quæ prolixius enarrare inſtituti mei non eſt, vid. *Heurnius Inſtit. Med. l. 8. cap. 3. Hieron. Fabric. ab Aquapend. lib. 3. cap. 24. Chriſtoph. à Vega de arte med. lib. 3. ſect. 10. cap. 20. Joel. Pr. l. 4. ſect. 2. §. 12. Rodr. à Caſtro l. c. Cardiluc. in Comment. ad Prax. Chym. Hartmanni c. 97. Petr. Foreſtus obſ. l. 8. obſ. 7. Arnold. de Villanov. Breviar. lib. 2. c. 4. Hieron. Mercurial. de Morb. Mul. lib. 3. c. Ludovic. Mercat. lib. 3. de Morb. Mul. cap. 10. Lazar. River. Pr. l. 9. cap. 3. Sennert. Pr. Tom. 2. Part. 1. ſect. 2. cap. 5. Joh. Jonſton. Med. Pract. tit. 2. cap. 2. art. 4. Fel. Plater l. 2. cap. 3. Franciſc. de le Bòis Sylv. Prax. Med. l. 1. cap. 2. §. 14. Dolæus Encyclop. Med. l. 4. c. 6.* Nos de origine hujus depravati appetitus ingenue fatemur, ſublimiorem eſſe illam, quam ut facile aſſequi poſſit. Humorum enim depravatam qualitatem quod concernit, quærerem ſane cum *Diemerbroeck. Anat. l. 1. cap. 7.* quænam vel qualis poſſit eſſe alicujus humoris natura vel qualitas admirabilis, quæ ita moveat fibrillas nervorum & cerebri, ut ratione ſpecialis iſtius motus excitare queat appetitum ad res adeo abſurdiſſimas, quæ neque ut moleſtæ vellicationis remedium, neque ut res neceſſariæ appeti poſſunt. Si tamen aliquid fari de hac re nobis licet, ſpiritibꝰ poſſe aſſignari cauſam hujꝰ inordinati deſiderii mulierũ judico, qui ab expanſione uteri dolorifica ſenſatione quadam triſti affecti, ac anxii redditi ejus-

modi

ideam deliram aſſumunt, hinc inſolita pro ſolitis, inepta pro aptis appetunt. Præprimis vero morbum hunc contrahunt prægnantes capitoſæ ſeu cerebroſæ, quibusqe alias cuncta ad nutum parata eſſe debent. Uti enim hæ leges extra hunc ſtatum ſolum dare, nullas vero accipere aſſvetæ ſunt; ita nunc, ubi moleſtias continuas perferre ex ingravidatione coguntur, & uſitata ac ſapida alias alimenta averſantur, ad inſveta inclinant deliræ, adeoque ſaltim in his animi vehementiam & importunitatem exponunt.

…ina …tris. §. VI. Ulterius in primis geſtationis menſibus nonnunquam accidit, ut admodum moleſtis vexentur torminibus ventris miſeræ gravidæ, lipothymiam ſæpenumero inferentibus & abortum minitantibus. Sunt autem hæc tormina nihil aliud, quam convulſiva quædam affectio inteſtinorum, ab utero patiente natales ducens, cui nunc flatus aut alia vitioſa materia, in inteſtinis ſimul latitans, aliove tempore frigus externe admiſſum, ſuppetias adveniunt.

…rhœa. §. VII. Huic contractivo inteſtinorum motui arctisſimis quaſi vinculis ratione cauſæ conjunctus eſt alvi fluxus ſeu diarrhoea, quæ primis plerumque imprægnationis menſibus, imo & non raro ultimis moleſta non minus eſt gravidis, quam periculoſa, præſertim ſi ad inſtantem usque partum ſe extendat, prout id jam ſuo tempore monuit *Hippocr. ſect. 5. aph. 34.* Non enim ſolum mater infirma redditur, ſed etiam fœtus ſuo defraudatur alimento, dum materia laudabilis ſimul evacuatur. Taceam à continuo aucto periſtaltico motu inteſtinorum in conſenſum tandem rapi uterum, fœtumque non raro intempeſtive excludi. Oritur autem hæc diarrhœa eadem ex cauſa, ac de torminibus ventris §. *præcedenti* dictum; ſolum quod abundantia vel ſeri, vel bilis, vel pituitoſæ ſaburræ, vel acrimonia in inteſtinis hærens, materiam præbeat evacuandam, quæ deficere in torminibus videtur.

…r den- …ium §. VIII. Communis ſubinde querela eſt gravidarum, ut moleſtias doloroſas ex dentium dolore percipiant, quem ut certiſſimum ingravidationis ſignum proponit *Rod. à Caſtro de Mor. Mul. l. 3. cap. 20.* qui utplurimum oritur ab alteratione quadam humorum, tempore conceptionis facta, ob laudabilem portionem, in fœtus nutritionem ex ipſis ſecretam; unde præprimis in ſcorbuticis ſubjectis frequentius, quam in aliis, ſævitia horum dolorum naſcitur.

Abortus §. IX. Maximos autem inter, juxta ac frequentiſſimos gravidarum morbos eſt abortus, in quo utplurimum fœminæ gravius longe, ac in ſolenni affliguntur partu, ſic ut referant ipſum ſemel paſſæ, ſe velle decies parere quam ſemel abortire, teſte *Höfero in Hercul. Med.* Quamvis è contra nonnullæ ſint, quæ ſine doloribus & inter ambulandum abortum patiantur. Eſt autem abortus intempeſtiva fœtus nondum perfecti ſeu mortui, ſeu vivi ante ſeptimum menſem cum maximis utplurimum doloribus ac anxietatibus facta excluſio. Cauſa proxima, propter quam fœtus in utero ad abſolutum geſtationis ac partus tempus non retinetur, latet in ipſo utero, cujus præternaturalis vel coarctatio, vel contraria laxatio eundem ſervare non poteſt. Contractio ut cauſas remotas agnoſcit nunc fœtum debilem aut ægrotum, vel mortuum, vel nimis numeroſum, aut cum mola junctum. Alio tempore inculpari debet uteri capacitas exigua, ad fœtus incrementum naturale haud extenſibilis, quod vitium oritur vel ex prima conformatione, vel à tumore, ſcirrho aut nimia obeſitate. Porro in cauſa ſunt graviora animi pathemata, quæ maſſam ſangvineam ac ſpiritus animales in vagos ac inordinatos motus cogere ſolent, v.g. gaudium nimium, ira &c. Simile quid præſtat potus & alimenta generoſiora ac ſpirituoſa, v.g. ſpir. vin. vinum generoſum, quæ pellunt fœtum inprimis in ſubjectis ſanioribus, ſeu, ut vulgus loquitur, calidioribus, unde etiam ſangvinis abundantia, quatenus fœtum obruit, cauſa frequens fit abortus. Continentur quoque in hac claſſe vellicationes uteri, ab acrimonia ſangvinis ſcorbutica dependentes, aut à frigidi aëris acceſſu,

vel

vel coitu frequentius celebrato, quibus adde læſiones partium vicinarum, per conſenſum uterum afficientes v. g. inteſtinorum in diarrhœa & dyſenteria; renum in dolore nephritico vid. *Panaroll. Pent. 3. obſ. 28.* Huc quoque ſpectant colica & tormina ventris, pleuritis, purgantia fortiora & alimenta acria & aromatica aſſumta, tandemque teneſmus, de quo *Hippocr. ſect. 7. aph. 27.* ſcribit: Si in gravida teneſmus ſuperveniat, abortum producit. Nec aliter judicandum de motu corporis vehementiori, ſcilic. ſaltatione, brachiorum elevatione ac extenſione ſupra caput, caſu ab alto, contuſione, ſternutatione, tuſſi & vomitu vehementiori, clamore immoderato, thoracis arctiori compreſſione, dum nempe pectorale balenaceum, aut laminis ferreis aut ligneis ſuffultum gerunt, quod notat Hieron. Mercurialis. Tandem huc quoque ſpectant odores graves, nunc ſuaveolentes v. g. moſchi, ambræ &c. nunc fœtidi, qualem candela ſebacea ſemiextincta ſpirat. Ab his cunctis igitur extra controverſiam uterus irritatur & ad contractionem importunam diſponitur. Quæ vero ipſum nimis laxant, eoque faciunt, quo minus ulterius fœtum retinere poſſit, nunc ſequuntur. Scilic. occaſionem jam præbet fluor albus præcedens & cachexia feroſa, vid. *Hippocrat. ſect. 5. aph. 45. Amat. Luſitan. cent. 6. curat. 50.* it. hæmorrhagiæ inſignes ac V. S. intempeſtivæ, & verbo, omnis defectus ſangvinis & ſpirituum; hinc pavor & terror ſubitaneus, ac tandem opiata immodice aſſumta, tanquam cauſæ etiam incuſantur.

Symptomata mediæ geſtationis. §. X. Et hæc ſunt præcipua mala, quæ primis geſtationis menſibus miſeris offenſa ſunt gravidis, à quibus dum ſe liberatas putant, en! nova novorum morborum ſupervenit cohors, quæ non inferiora tantum, ſed ſuperiora quoque, imo & totum corpus vehementi ſua invaſione excruciat. Gliſcente enim magis magisque fœtu, uteri tunicæ majorem extenſionem admittere coguntur, quo fit, ut propter connexionem cum viſceribus diverſis varia exin oriantur pathemata plus minus gravia.

§. XI. Hæc inter primo loco nominandus eſt dolor lumborum ac coxendicum, quorum ætiologiam ſi quæras, facile ea pateſcet, ſi paululum repetas ex anatomicis, uterum connecti mediantibus quatuor ligamentis, duobus latis cum oſſibus lumborum, ac duobus rotundis cum cruribus & oſſe ſacro, cum quo etiam cohæret per nervos, quos ex ipſo ſuſcipit. Nervi igitur hi ac ligamenta à dilatato utero nimium extenſa, dolore afficiuntur, eumque partibus connexis ſimul communicant. Imo non raro haud dolent tantum, verum plane diſrumpuntur ac dilacerantur, præprimis ſi pedibus incedant vacillantibus gravidæ primiparæ, unde poſthac uterus non tantum ex ſua ſede naturali dimovetur, ſed & longe graviora & magis periculoſa excitantur ſymptomata, uti annotavit *Mauriceau l. c. c. 13.* *Dolor lumborum ac coxendicum*

§. XII. Subſequentibus temporibus non raro experiuntur gravidæ cordis palpitationem ſeu motum nimis tremulum, coactum & reiteratum, eumque nunc per eſſentiam, h. e. ob deficientes aut ſaltim langventes ſpiritus, ex metu inſtantis partus, aut ob moleſtias geſtationis haud interruptas, vel ob ſanguinis abundantiam, aut ejus acrimoniam: Nunc per conſenſum, ob connexionem, quæ utero dolenti cum corde per nervos paris vagi intercedit. *Cordis palpitatio*

§. XIII. Subſequitur hanc palpitationem virium defectus, lipothymia & Syncope, principes hercle morborum in animali motu, dum langvorem ſummum indunt miſeris his, omnique motu, ſenſibus externis æque ac internis privant, ac faciem pallentem, artus rigidos, algidos ſudoreque frigido madentes efficiunt. Non vero aliunde, niſi ex dolore uteri, & per conſenſum affecto univerſo ſyſtemate nervoſo, triſtia hæc ſymptomata exſurgunt, quare etiam frequentius delicatulæ fœminæ, & textura teneriori præditæ his laborant accidentibus: Robuſtæ vero, ad moleſtias illas non adeo attendentes, eaque propter nec his malis facile obnoxiæ fiunt. Imo cum conſvetudo altera tandem fiat natura, etiam, quæ circa primas ingravida- *Lipothymia Syncope*

dationis menſes viribus erant infirmioribus ac invalidis, tempore geſtationis medio ac ultimo ferunt feliciter, quæ mutare non poſſunt. Sed dantur è contra aliæ, approximante demum partus tempore, antea plane ignorata hæc ſymptomata ex metu eventus triſtis ſibi accerſentes; vel quod fœtus perverſus ſitus, aut ejus nimius motus adeo exquiſitos generet dolores.

Tuſſis

§. XIV. Importuna etiam ac ſumme moleſta gravidis aliquando eſt tuſſis, & quidem quo major & grandior jam eſt fœtus, eo quoque periculoſior propter concuſſionem abdominis, & hinc abortus metum eſt iſta. Excitatur vero ea modo ab acrimonia aliqua, modo a pituita, pulmonum cellulas atq; bronchias infarciente ac irritante, modo ab aëre frigido admiſſo. Sed omnium frequentiſſima eſt cauſa fœtus geſtatio in abdominis elatiori parte, quo ipſo viſcera dicti ventris ad ſuperiora truduntur, non ſine moleſtia notabili diaphragmatis & pulmonum, utpote qui, dum cum impetu ſe expandere coguntur, deorſim urgendo diaphragma, utero ejusque contentis vim inferunt notabilem. vid. *Mauriceau l. c. cap. 16.*

...morrhagia

§. XV. Sed majus longe periculũ imminet ipſis ex hæmorrhagia, ſive per nares, ſive per uterum aliaq; corporis loca ea contingat. Dum nempe per dirupta vaſa ſangvinea exſtillat nectar hocce vitale, ex annonæ charitate alimentoſi liquoris ad incitas redigitur fœtus & ſæpe miſere ante diem interimitur. Nihilque hic refert, ſive à plethora oriatur, quæ cauſa frequenter ſatis adeſt in junioribus ſuccique plenis prægnantibus, ſive ab orgaſmo ſaltim ſanguinis, nunc ab acrimonia ſcorbutica, nunc à corporis motu, aut alimentorum ſpirituoſorum ac aromaticorum, vel animi pathematum graviorum impetu producto; ſive denique a cauſa externa h. e. caſu ab alto: contuſione, tuſſi vehementi, clamore immoderato, alioque quocunque corporis violento motu orto. Ex his cunctis tamen inprimis noxia eſt illa ſpecies, quæ ex intempeſtivo ſeceſſu placentæ uterinæ ab utero dependet, cum immediate ſic evacuetur alimonia fœtui neceſſaria. Nam licet alio tempore è naribus, hæmorrhoidibus, imo ipſis genitalibus ſtillet, non tamen ſemper infallibiliter triſtis ſubſequitur eventus. Obſervatum ſiquidem eſt *à Braſſavola in Hippocr. Lib. 5. aph. 60. Solenandro Sect. 5. conſ. 15. §. 38, 39. Pechlin. Obſ. Lib. 1. obſ. 36.* in gravida quadam ad ſextum geſtationis menſem menſtruum adhuc adfuiſſe fluxum; imo per totum geſtationis ſpatium ſine damno matris aut fœtus eum annotarunt *Schenck. Obſ. L. 4. obſ. 147. Rod. à Caſtro de Morb. Mul. L. 3. c. 18.*

§. XVI. Et hæc ſufficiant dixiſſe de ſymptomatibus, mediis geſtationis menſibus gravidis moleſtis; nunc quæ ultimis demum lunæ circuitibus ipſis infeſta ſunt, paucis percurram. Sunt autem præcipua urinæ ſuppreſſio ac alvi tarditas, tumores pedum œdematoſi & varicoſi, hæmorrhoides, dolor tenſivus, fiſſuræ ac rimæ abdominis, immaturus aquarum effluxus ex utero. *Symptomata ultimorum menſium.*

Suppreſſionem itaque urinæ quod attinet, conſiſtit ea vel in penitus denegata excretione urinæ, Iſchuria dicta, vel in doloroſa nimis & guttatim facta evacuatione, quæ ſtranguria alias audit. Cauſa utriusque hujus affectus eſt nimia moles uteri, quæ, dum collum veſicæ premit atque coarctat, impedit urinæ excluſionem, hinc Iſchuria; ſin autem uterus diſtentus ſupra fundum veſicæ ſe ponat, ejusque impediat expanſionem, ſtimulus perpetuus ad mingendum quidem adeſt, non tamen niſi una vel altera guttula effluit, & quidem ſi acrimonia urinæ ſimul ſuum contribuat ſymbolum, id fit maxima cum moleſtia & dolore ſummo. Magis tamen adhuc acerbantur dolores, ſi inflammatio colli veſicæ ſuperveniat, aut calculus in veſica latitet, qualia exempla refert *Mauriceau l. c. cap. 15.* *Suppreſſio urinæ*

§. XVII. Eadem ex mole uteri natales ducit ſuos ſegnities ac tarditas, vel totalis ſuppreſſio alvi, dum incumbens uterus inteſtino recto impedit periſtalticum ipſius motum, ad fecum excretionem abſolute neceſſarium; unde poſthac ſtagnant ac duritiem inducunt feces, adeo ut non niſi magno conatu expelli poſſint. *Alvi ſegnities ac ſuppreſſio*

Tumor pedum œdematoſus.

§. XVIII. Ex hac quoque cauſa paucis ante partum diebus, raro ſeptimanis, crura inflantur & tumida ſeu œdematoſa evadunt gravidis; in ſpecie cacochymicis ac feroſioris temperamenti, quatenus nimirum pondus uteri remoram circulationi ſangvinis injicit, dum venis iliacis, ſangvinem ab inferioribus pedum in ſe recipientibus, atque ad venam cavam deducentibus, insternitur, unde fit, ut ſangvis refluus, truncos iſtos permeare nequiens, ſtagnando ſerum deponat ſuum, ſicque illum tumorem œdematoſum conſtituat. Facit fidem afferto huic experimentum *Lowveri*, quod in *Tr. de Cordis motu C. 2. p. m. 124.* legitur, quorſum remitto Lectorem.

Varices.

§. XIX. Et hic quoque impeditus ſangvinis venoſi, intra valvulas venarum propter vaſorum compreſſionem ſtagnantis, refluxus in cauſa eſt, ut varices ſeu dilatationes præternaturales venarum nodoſæ, coloris fuſci ac lividi, juxta ac molles, frequentiſſime in cruribus gravidarum usque ad ingvina, & ſubinde etiam in ventre conſpiciantur. Et licet communiſſime nihil incommodi aut moleſtiæ præter dolorem aliquem tenſivum inducant hi tumores gravidis, nihilominus nonnunquam tractu temporis nimium tumefacti dehiſcunt & rumpuntur, ſæpe cum inſigni vitæ periculo, vid. *M. N. C. D. 1. A. 3. obſ. 204.*

Hæmorrhoides.

§. XX. Huc quoque vocandæ ſunt hæmorrhoides, ultimo geſtationis tempore gravidis moleſtæ. Sunt autem illæ duplicis generis, vel tumentes, vel fluentes ſeu apertæ: Tumentes ſunt protuberantiæ vaſorum hæmorrhoidalium, nunc indolentes, nunc conjunctæ cum doloribus plus minus acutis. Fluentes vero dicuntur, quando inter egerendum per hiantes venas ſangvis cum fecibus effluit non ſolum, ſed etiam aliquando poſt adhuc excernitur. Ætiologia utriusque affectus in ſolo impedito ſanguinis motu quærenda eſt, nunc à plethora, nunc ab acrimonia, nunc ab alia cauſa, plerumque tamen compreſſione vaſorum hæmorrhoidalium ab uteri mole ortum ducens. Accidit tamen & hic doloroſus tumor aliquando à nimia commotione ac vi, quam gravidæ, alvi ſtipticitate laborantes, hincque majori cum conatu fecum excretionem intendentes, ſibi inferunt; cum enim uterus inteſtinum rectum, uti modo monui, premat, non ſolum irritus omnino eſt omnis ille conatus, ſed ex hoc labore & compreſſione abdominis violenta ſangvis ad proxima adſtantia vaſa urgetur, ipſisque altius incuneatur, unde tumores, doloroſæ inflammationes & quandoque hæmorrhagiæ naſcuntur.

Dolor tenſivus, fiſſuræ ac rimæ abdominis.

§. XXI. Sequitur nunc aliud par morborum in mulierculis, præſertim primiparis, ultimis geſtationis menſibus occurrens, dolor puta tenſivus ac fiſſuræ aut rimæ abdominis. Cauſa horum pathematum convenit cum antecedentibus, nam dilatatio uteri abdominis cutim ſuperexpanſam ſimul extendit, unde graciles ac junceæ inprimis fœminæ primo gravem dolorem tenſivum ac lancinantem percipiunt in univerſo ventris hujus ambitu, & ſi cutis fuerit tenerioris texturæ, brevi poſt fiſſuras rimasque patiuntur in illa.

Aquarum utero ſtillicidium.

§. XXII. Tandem non leve minitatur utero gerentibus periculum per menſem aut aliquot ſeptimanas ante partum aquarum ex utero ſtillicidium. Nam ſi liquor amnio incluſus, ante partum effluat, deficiens dein linimentum, lubricandis interioribus genitalium partus tempore à natura deſtinatum, certo certius excluſionem fœtus reddet difficilem. Taceam periculum, quod ex harum aquarum deperditione intempeſtiva imminet fœtui, dum iſte poſt receſſum ejus tam libere ſe in utero volutare nequit, qui motus tamen ſumme neceſſarius, inprimis inſtante partus hora, deprehenditur. Facile vero intempeſtiva hæc aquarum profuſio producitur ab injuria externa v. g. lapſu gravidarum, aut ventris contuſione manuumque violenta extenſione ſurſum facta, aut ſi animi pathemata graviora præceſſerint, uti ſunt præprimis ira & terror, de quibus videatur *Pechlin. obſ. l. 1. obſ. 29.* Verum enim vero cum aquæ hæ ex utero fluentes non ſemper ex amnii

cavo

cavo proveniant, minime perpetuo triſtem hunc eventum præſagiunt eæ. Nam cum ſæpe numero ſerum in utero nimium extenſo ſtagnans ad ejus interiora ſeu cavitatem transponatur, illud, reſerato oſtio ejus interno aliquando ſolum effluere ſolet, & hæ aquæ noſtris vocantur mulierculis die wilden Waſſer/ à quibus nullum penitus damnum, ſed potius levamen aliquod promittendum eſt gravidis, ut teſtatur *Bonet. in Medicin. Septentrional. l. 4. ſect. 5. obſ.* 7.

CAPUT III.

CURATIONEM MORBORUM GRAVIDARUM SISTIT.

§. I.

Cum igitur tantis expoſitæ ſint ærumnis utero habentes mulierculæ, & non raro juxta proverbium inter ſaxum & ſacrum hæreant, neceſſe eſt, ipſis medicas præbeamus manus, periculisque imminentibus eripiamus eas tempeſtive, non minus ac præſentibus. Curam itaque traditurus, ordine reaſſumam in præcedenti capite recenſitas affectiones p. n. ipſisque convenientia opponam remedia. Monitum autem eſt, primo ſtatim ingravidationis momento febriculam quandam ac dolorem compreſſivum in lumborum regione notari. Aſt cum hæc ſymptomata momentanea ſint, & ſua ſponte ceſſent penitus, ea propter tabernas pharmacevticas pulſare non habemus opus. Tranſeo igitur ad nauſeam & faſtidium, aliquot dierum ſpatio poſt conceptum ſupervenientia, quæ equidem, licet rariſſime ad tertium usque protrahantur menſem, nec difficulter ferantur à gravidis, tamen, ſi longius ſe extendant, negligi penitus non debent, quoniam ex denegata aſſumtione ciborum corpus contabeſcit, ac nutrimentum fœtui neceſſarium tandem deficit: Quare potius ad tollendum hoc faſtidium quædam à Medico ſunt præſcribenda. Removetur autem commodiſſime levi ac blandiori vomitorio, quod hoc in caſu non contemnendum puto, præprimis ſi cruditates primarum viarum adſint, cum ipſa natura viam nobis præmonſtret, conf. *Theod. Mayerne de Cura gravid. p. m.* 3. Inſuper ventriculus roborari debet blande adſtringentibus ac aromaticis, uti ſunt mala cydonia condita, miva & ſucc. cydon. roſar. citri, aurant. it. Zingib. & nux moſchata in Ind. condita, elixir ſtomachale &c. Præ cæteris laudatur ſpir. maſtiches cum tantillo ſpirit. ſalis dulc. permixtus. Externe vero convenient ol. maſtich. menth. cydon. cum ol. ſtomachali Cratonis, regioni ſtomachali inuncta, it. lateres ac ſacculi calidi, ventriculo applicati. Interim fugiat omnia alimenta dyſpepta, uti ſunt fructus horæi, alimenta acida nimisque pinguia, verbo: cuncta, quæ chylificationem lædere, & verſa vice aſſumantur talia quæ eam promovere valent.

[margin: ...a Febriculæ.] *[margin: ...uſeæ ac ...aſtidii.]*

§. II. Sequitur nunc vomitus, qui, cum in principio nil periculi in ſe habeat, & ſponte utplurimum ceſſet, materiamque peccaminoſam è primis viis educat, vix medicamentis indiget; ſi autem vehemens nimis periculum minitetur, ſui omnino indicat remotionem, quoniam rejecta quotidie materia nutritioni impendenda, tam mater quam fœtus tandem inſigniter debilitantur. Perſpectas itaque ſi habeat Medicus cauſas occaſionales, in iis removendis ut omnem adhibeat curam, neceſſe eſt. Adeoque quando vomitus à primarum viarum cruditatibus oritur, abſorbendæ ſunt, ſi acidum peccat, eædem, nunc per terrea, v. gr. ocul. cancr. Terra ſigillat: cornu cervi, tunic. ventric. gallinac. exſiccat. bol. armen. nunc per ſalia, alcalia aliaque accommodata remedia. In bilioſa cruditate præter jam commemorata Terrea, acida quoque conveniunt, v. g. ſyrup. de omphacio, corall. c. ſucco citri, acetoſ. citri, granat. acid. &c. elixir. vitriol. Mynſicht. tandemque aceta ſic dicta bezoartica. Si pituita ventriculum nimis gravet, incidentia ac diluentia conducunt, uti ſunt aromata cuncta v. gr. Zedoar. *[margin: Vomitus.]*

cinamom. caryoph. nux moſchat. ſpir. maſtich. cum aqua cinam. aqu. vit. mulier. balſam. embryon. it. omnia vegetabilia acria, ac tandem potus illi uſitati Coffée & Thée, quibus ad reſtituendum robur ſtomachi deperditum aſſociari poſſunt blande adſtringentia, v. gr. menth. cydon. fruct. rad. tormentill. rob. ſorbi terminal. tinct. vitriol. mart. Zvvelff. it. vin. malvatic. & Vin. de Dint, aut aliud generoſum blandeque adſtringens. vid. *la Comare del ſcipione Mercurio, verſa à D. Welſchio Part. 1. cap. 22. p. 229.* Externe auautem adhibenda ſunt empl. ſtomachale Craton. mixtum cum tacamahaca, aut cataplaſma ex fermento cum pulveribus ſtomachicis & aromatibus. Vel fiat inunctio ſtomachi cum oleo maſtich. abſinth. menth. nuc. moſch. prætereaque cruſta panis, vino generoſo imbuta & aromatibus adſperſa, ventriculo imponatur. Laudantur præterea ut ſpecifica in hoc caſu decoctum chamom. maj. *a Johan. le Bon in Therap. Puerp. p. 6.* it. bol. armen. ſ. terr. ſigillat. c. ſaccharo roſato exhibita à *Ludovic. Mercato tom. 3. l. 3. cap. 11.* tabula eburnea ſtomacho impoſita à *Bourgois de Obſtetr. l. 4. cap. 30.* Cutis vulturis regioni ſtomachali applicata *Mauriceau l. c.* Quando vero ex conſenſu tantum producitur, & dolor ſimul conjunctus eſt, papaverina, theriacalia ac opiata, cum dictis mixta, non incongrua erunt, vide modo ut caute procedas in eorum uſu, nam abuſus abortum producit, teſte *Ettmüll. p. m. 590.* Nondum his remediis cedente vomitu, lenitiva ac blandiora cathartica in uſum vocanda ſunt e. g rhabarb. fol. ſenn. ſyrup. cichor. albi tamarind. decoct. prunor. &c. fortiora autem purgantia penitus ſunt omittenda, quoniam nimium vellicando, ſpaſmumque inteſtinis inducendo, uterum ad ſui contractionem & fœtus præmaturam excluſionem facile diſponunt, quod jam olim obſervavit *Hippocrat. l. 3. de Morb. popular.* & *Mauriceau de Morb. gravid. l. 1. cap. 12.* Perſeverante tamen adhuc vomitu, cucurbita ad os ventriculi cum multa flamma applicata, tempore prandii aut cœnæ commendatur à *Joh. Michael. Pr. Clinic. Gener. part. 1. l. 5. cap. 36. tit. 5. p. m. 260.* Tandem ſi ſangvis ſimul ejiciatur, V. S. eſt celebranda ex commendatione *Rod. à Caſtro lit. 3. part. 2. de Morb. Mulier. cap. 2. Wedel. Amœnitat. Mat. Medic. L. 2. ſect. 2. cap. 12. p. m. 415. Dolæi Encyclop. Med. lib. V. cap. 6. Mauriceau loc. all. Willis. Pharm. rat. part. 1. p. 78.*

§. III. Ad curam Picæ & Malaciæ requiritur, ut talia medicamenta adhibeantur, quæ ſpiritibus deliras impreſſiones eximere valent. Ubi tamen dolendum, quod nobis ejusmodi deficiant remedia, immediate id præſtantia, nihilominus haud deſtituimur, quæ indirecte magis delirantibus ſpiritibus novas ideas communicando, priores excutere poſſunt: Talia ſunt vin. vetuſt. & odoratum ab *Ægineta*, aut Rhenan. vel Malvaticum à Joele in ſua praxi laudatum; huc etiam ſpectat ros majalis, aqua ex palmite læſa fluens, ex commendatione *Hartmann. Pr. Chym. cap. 92. Grüling:* von Weiber-Kranckheiten *cap. 23. p. m. 39. & Simon Pauli Q. B. p. 566.* Extollitur inſuper tinct. cinam. cum ſpiritu vin. rectific. parata à *Sylvio in Prax.* & ab aliis eſſent. cort. aurant. Interea occaſionalibus cauſis debita ſunt opponenda remedia, ubi in cruditate biliosa conveniunt malum punicum, ſucc. citri & limon. it. ſpir. vitriol. philoſop. adeo commendatus *ab Hoffmann.* In acida cruditate ſe commendant mag. matr. perlar. coral. amylum, vid. *Ludovic. Mercat. de Morb. Mul. L. 3. cap. 10. La Comare del ſcipione Mercurio l. c.* Animi autem illa impotentia, in qua fundamentum morbi hæret blandis perſvaſionibus emolliri, increpationibus emendari, aut ſtratagematibus falli debet. Præter hæc ut ſpecifica remedia traduntur ab Autoribus aqua virgæ paſtoris, & Anethum vino maceratum. *Trotula Medicus* (quem mulierem fuiſſe aliqui putant) evporiſton dicit fabas ſaccharo conditas, prout *Auctor eſt Hieron. Mercurial. de Morb. Mulier. lib. 1. cap. 4.* Polypodium exſiccatum *Scip. Mercurial. loc. citat.* uvæ criſpæ *à Wittich.* im neuen Artzeney-Buch *part. 2. pag. m. 59.* ol. tartari p. d. *Dolæus Encylop. Med.* *Picæ & Malacia.*

Med. L.5. c.6. Nucem moſchatam c. pauco melle; indeque panis maceratus in ſucco pomorum granatorum, vel ſucc. cydon. ceu experta in tali caſu communicat *Ettmüll. in ſua praxi p.m.591.* Ultimo & malaciam hæmorrhoidum fluxu ſanatam fuiſſe, obſervavit *Joh. Rhod. Obſ. Med. Cent. 2. pag. 97.*

Torminum ventris §. IV. Quod ſi tormina ventris divexent gravidas, eaque à convulſivo uteri motu oriantur per conſenſum, antiſpasmodica adhibenda ſunt e. g. liq. corn. cerv. ſuccin. eſſent. caſtor. unicorn. marin. dent. hipopot. fl. ſulph. cinnab. antimon. præprimis ſi urgente nimium dolore cum tantillo opiati cujusdam maritentur. Aſt quando flatus ſimul conjunguntur, carminativa magis convenient, qualia ſunt chamom. abſinth. menth. hyſſop. ſummitat. aneth. roſmarin. ſem. carv. aniſi, gran. piper. cort. aurant. cinam. rad. Zedoar. &c. it. aqv. vit. mulier. c. ol. deſtillat. fœnicul. cort. aurant. vina aromatic. ſeu clareta Hippocratica. Hic proficui quoque erunt ſpir. nitr. dulc. ſp. carmin. de trib. ſpir. ſal. ammoniac. ſimpl. & aniſat. caryoph. lavendulat. anthoſat. carviſat. ſaſſafr. citrat. Externe pro ſcopo diſcutiendi adhiberi poſſunt ol. deſtillat. v. g. ol. ſtomach. Craton. maſtich. macis, caryoph. ſuccin. carvi, aniſ. cum ol. nuciſtæ incorporata, aut cum balſamo indic. & G. tacamahac. in emplaſtri formam redacta, juxta *Poterium obſ. Cent. 3. obſ. 32.* Huc pertinet etiam empl. de mica panis it. ſacculi ex carminantibus v. g. ſale & milio toſto, vel aromatibus quibusdam, ſpir. vin. irroratis. Quando vero inteſtina à flatibus ita diſtenduntur, ut motus illorum periſtalticus intercipiatur penitus, ſicque excretio fecum ſimul tardetur, clyſmata ex leniter abſtergentibus ac carminativis compoſita convenient, ex decoct. hord. lacte, juſculis carnium, ſpeciebus officinalibus emollientibus aut carminativis facta, & cum melle aut pauxillo ſalis commixta, vid. *Rod. à Caſtro l. c. cap. 16. Walæus meth. med. p. 52.* Si cauſa ab acrimonia in inteſtinis latitante dependeat, corrigenda vel deſtruenda eſt ea per terrea, martial. inviſcantia &c. aliquoties jam recenſita. Aëris frigidioris admiſſio, tormina ejusmodi producens, poſtulat calefacientia tam actualia v. g. lateres aut opercula figulina, vel linteamina, aut ſacculos calefactos, externe regioni umbilicali impoſitos, aut interne v. g. potum calidum cereviſiæ, Coffee & Thee, quam potentialia, uti ſunt aromata cuncta & ſpirituoſa ſupra memorata. Interim circa diætam notetur, ut fugiat gravida omni ſtudio cuncta, quæ flatus excitare, aut acrimoniam augere valent.

§. V. Diarrhœa præſente, ſi ſubjectum ſeroſum fuerit, nec notabilis virium proſtratio appareat, aut nimium copioſa ſit, ſiſti a principio illa non debet, imo potius blandioribus laxantibus & lenientibus juvanda, v. g. rhabarb. myrobal. ac clyſteribus ex lacte; inſimul tamen è re erit, tonum ventriculi atque inteſtinorum per aromatica & roborantia conſervare potiſſimum, cum, annotante *Scholtzio Conſ. 340.* experientia teſtetur, interdum remediis cunctis irritis alvi fluxus per aliquot menſes ac totum geſtationis tempus ſine matris vel fœtus damno duraſſe, prout id etiam confirmant *Hippocr. L. 5. & 7. de Morb. popul. Schenck. L. 4. obſ. 137, 138. Amat. Luſitan. Cent. 2. curat. 51. Mauriceau c. 19.* Si autem hic alvi fluxus nimius ſit, & vires deſtruat, metumque injiciat abortus, ſiſtendus omnino, & quidem per abſorbentia, v. gr. corall. bol. armen. terr. ſigillat. unicorn. foſſil. C. C. & ebur, horumque ultimorum decoctum aut gelatinam; vel per magis adſtringentia, uti ſunt quævis cydoniata, conſerv. roſar. vitriolat. c. coroll. rubr. aqv. vel vinum chalybeat. ex commendatione Mauriceau, pulv. rad. tormentill. biſtort. cort. granat. hæmatit. croc. mart. adſtring. &c. ac denique Diaſcordium Fracaſtorii magnopere hoc in caſu laudatum, cujus tamen uſus ſemper ſit circumſpectus, propter opium ſimul ingrediens. Inter externa commendantur cataplaſmata theriacalia, it. ex cydoniis coctis cum maſtiche, nuce moſch. ſimilibusque aromatibus parata, aut ceratum ex maſtiche, quod *Scholz. l.* *Diarrhœa*

r. adeo extollit, vel cinam. caryoph. maſtich. aliaque umbilico applicata, ex commendatione *Grüling. de Morb. mulier. cap. 25. p. m. 40.* De adſtringentibus autem dictis notetur, ne ante præmiſſam blandam evacuationem materiæ peccaminoſæ in uſum vocitentur, alias invita natura remanens ſaburra certo majora excitabit damna & pericula, quam fluxus antea alvinus. Taceam, ſi alvina excretio hæc animadvertatur ex refrigeratione corporis nata, calefacientibus tam internis, quam externis §. præcedente recenſitis, eſt tollenda.

Odontalgia. §. VI. Importuna odontalgia gravidarum, cum utplurimum circa 4. menſem ſponte ceſſet, niſi admodum moleſta fuerit, vix opus habet remediis, nihilominus, ſi atrociores nimis evadant dolores, V. S., Scarificatione ac opiatis optime ſiſtuntur, præprimis ſi viſcum quercinum, cinabarina ſimiliaque nervina ſimul exhibeas ad imitationem Excellentiſſimi *Dn. D. Bohn.* Patroni & Præceptoris æternum devenerandi in *collegio ſuo MScr. de Morb. Mul.* Inſuper tamen ab *Etmüllero* laudantur decocta appropriata, in ore detenta, v.g. ex abſinth. quinquefol. oxylapath. urtic. maj. & ligno ſanct. in aqua coctis, pauco addito aceto. Dicitur quoque decoct. nicotian. potenter dolorem dentium ſiſtere, hac tamen cautela adhibita, ne aliquid de illo incaute deglutitum, vomitum importune moveat. Opiata quoque denti applicata non ſunt contemnenda; hinc Veteres Philonium Romanum non ſine ſucceſſu denti dolenti impoſuerunt vid. *Rod. à Caſtro. l. 4. cap. 20. Joh. Michaël Pr. Clin. General. part. 1. l. 5. cap. 36. tit. 8.* Inſuper cum Montagnana ad dentium dolorem, ut evporiſton, ſæpiusque à ſe expertum, commendant alii camphoram cum aceto parum ebulliendo ſolutam, & calide applicatam, aut vin. ſpiritum cum ſatureja deſtillatum & ore detentum, quod remedium egregie extollit *Velſchius in Mictomim. M. N. C. D. 1. A. 4. & 5. annexis cent. 3. obſ. 93.* ut alia ſexcenta omittam. Externe vero temporibus applicari poteſt emplaſtrum ex maſtich. & tacamahaca, aut aliudquodcunque, cui opii quantitas admixta eſt.

Abort. §. Sequitur nunc Abortus conſiderandus, cujus curatio præſervatoria tantum eſt: Hinc ante omnia, & dum res adhuc integra eſt, gravidis interdici debet omnis motus corporis vehemens, qualis excitatur ſaltatione nimia, aut ſi vehementer commoto inſideant curru in aſpera via, aut ſi brachia elevent cum violentia quadam ſupra caput, vel vehementer vociferentur, aut animi pathemata gravia admittant. Poſt moneantur, ut vitent quævis acria & acida, juxta ac odores adverſos; & fortiora purgantia aliaque immodice educentia, quorſum inprimis larga V. S. *juxta Hippocr. l. 5. Aphor. 31.* pertinet. His obſervatis, ne a limine ſtatim aberret Medicus, ſignis quibusdam habebit opus, imminentem hanc fœtus excluſionem in gravidis certo indicantibus, & ab aliis morbis diſtinguentibus, qualia hauriet partim ex prodromo ejus immediato, dolore puta convulſivo uteri, partim ex ſymptomatibus longius adhuc antecedentibus, v. g. gracileſcentia mammarum, vid. *Hippocr. l. 5. aph. 37. 38. 53.* hæmorrhagia, & hiatu uteri, it. ex querelis gravidarum de inſolito pondere in regione hypogaſtrica, & doloribus lancinantibus ad os ſacrum atque pubem ſe extendentibus, cum perpetuo conatu deponendi alvum ac urinam, tandemque ex ſitu fœtus ac figura abdominis immutata. Sed magis adhuc innoteſcet inſtans periculum ex aqua & ſangvine ichoroſo, ex utero fluente, ac tandem ex cauſis occaſionalibus antecedentibus, v. g. excandeſcentia, caſu ab alto motuque vehementiori corporis prægreſſo, aliisque gravibus ſymptomatibus, dolore puta uteri enormi, rigore, tremore, ſudore frigido &c. Sicque demum deveniet ad curam, quæ ſemper cauſis ipſis accommodata ſit. Adeoque ſi debilis fuerit fœtus, vinum generoſum, aut balſamus embryon. aq. vit. mulier. cordial. H. Saxon. aqu. cinam. ſpirituoſ. &c. præbeatur gravidis, vel conf. alkermes incompleta, ſi ambram & moſchum ferre non poſſit. Externe vero pro ſcopo roborandi lumbis applicentur cataplaſmata & ſacculi ex menth. cupreſſ. meliſſ. fl. roſar.

roriſmar. aliiſque aromatibus vino incoquendis, vel ex pane mellito Noribergico cum ſp. vin. Quod ſi acrimonia in inteſtinis hærens, dolores, diarrhœas ac dyſenterias ſimul excitando, cauſam conſtituat, ad abſorbentia ac præcipitantia confugiendum eſt. Evporiſta ſunt ebur uſt. corall. lap. cancr. os de corde cervi & univerſus terreorum cœtus, quibus urgente nimium dolore, feliciter theriacalia & opiata combinari poſſunt. A frigore vero imminens morbus', calefacientia exigit externa, lateres puta calefactos, ventri impoſitos, & hujus generis alia; uti pro uſu interno juſcula calida, ſpirituoſa ac aromatica, ſupra jam prolixius recenſita. Si ab ebullitione & abundantia ſangvinis, V.S. imploranda eſt, non obſtante modo citato aphoriſmo Hippocratico, utpote qui exceſſum ſolum interdicit, non uſum moderatum. Conf. *Riv. c. 1. obſ. 53. Zacut. Luſitan. L II. de Med. Princ. Hiſtor. 32. & L. 3. hiſt. 13. quæſt. 22. Prax. admir. L. 1. obſ. 27. & L. 2. obſ. 139. Epiphan. Ferdinand. Hiſt. 13.* Quando animi pathemata graviora præceſſerunt, v. g. ira ac excandeſcentia, conſopiendi ſunt ſpiritus ſedativis blandioribus ac opiatis; è contra poſt terrorem blanda diaphoretica ac reſolventia adhibeantur, ut per illa congrumatus ſangvis reſolvatur rurſum, quæ ipſa etiam conveniunt, quando contuſio ventris violenta, vel caſus ab alto occaſionem dedit, talia autem ſunt iſta, lap. cancr. mater perlar. margarit. os. de cord. cerv. unicorn. dens hippopot. pulv. marchion. pulv. contr. abortum Aug. ſucc. cancr. viv. c. vino per expreſſionem paratus &c. Ex teneſmo vero ſi immineat abortus, infundantur clyſmata ex lacte cum tereb. & ovorum vitellis, vel ex ol. rapar. vel lini parata.

§. IIX. Sic igitur in his caſibus procedendum eſt, ſæpeque Deo adnuente ex voto operantur remedia, dum per illa retinetur in ſuo ergaſtulo, qui jam exitum parare videbatur, fœtus. Aſt in reliquis adhuc reſiduis abortus cauſis aliter paululum judicandum. Nam ſi numeroſa proles, aut mola conjuncta importune ſtimulent uterum, omni remediorum apparatu nil penitus effici poteſt, imo in ultimo caſu ne quidem ſemper conſultum videtur, talia præſcribere velle, quæ reſiſtunt abortui, niſi velimus, ut mola diutius in utero hærens ad illam deveniat magnitudinem, quæ poſthac excluſionem penitus reſpuat, aut ſaltim difficillimam reddat. Pariter ubi corpus puerperæ cachecticum, aut ſeroſa colluvie turgeſcens deprehenditur, ancipitis aleæ res eſt cura imminentis abortus, quicquid etiam contra audeat Medicus medicamentis adſtringentibus & roborantibus adhibitis, niſi ſuperfluum removeatur ſerum, quod tamen hoc tempore nemo, niſi temerarius, evacuare tentabit. Pleuritide præſente, ſimiliter in extremo verſatur periculo prægnans amittendi immaturum fœtum. Non enim, niſi V. S. larga aut reiterata, vel fortioribus diaphoreticis ac opiatis, abigi ſe patitur, quæ cuncta tamen uti jam conſtat, tuta in præſenti caſu haud ſunt; nihilominus è duobus malis minus eſt eligendum. Et hoc ipſum quoque de Nephritide monendum eſt, inprimis ſi calculus major ureteribus impactus hæreat, ne enim plane tum deſeruiſſe miſeras videamur, calculum pellentia ac comminuentia unà cum opiatis ſunt imploranda. Sed quando culpa cadit in nimiam anguſtiam uteri, ex mala ejus nativa conformatione oriundam, aut in ipſum ſcirrhoſum, vel horrenda pingvedinis mole obrutum, cuncta conſilia medica erunt inania ac irrita, cum nullis prorſus remediis malum nunc auſcultet. Et hoc ipſum quoque judica, quando pondus embryonis defuncti, vel ejus putredo uterum ad abortum ſtimulat, minime enim impediendus nunc, ſed potius juvandus hicce naturæ conatus eſt per remedia fœtum pellentia, uti ſunt milium ſolis, ſem lin. & lavend. vid. *Pauli, Q. B. p. 77. 366.* vomitoria ac ſternutatoria aliaque, imo cum uncis & hamis extrahi debet. Conf. *M. N. C. D. 1. A. 1. obſ. 49. Mauriceau l. c. Viardel de arte Obſtetric. Louyſe Bourgoiſe* Hebammen-Buch. *Welſchii* Hebammen-Buch. *Ronſæus de Sectione uteri*, aliique. Linquamus igitur Empyricis ſua ſpecifica, quæ longa ſerie adverſus imminentem abortum laudant. Quid enim,

nim, quæſo, in his caſibus ſperandum de meſpili ligno, collo appenſo, vid. *Jul. Cæſ. r. Baricell. Hort. Gen. p. 308.* de lapide in vulva, aut corde, vel inteſtinis cervorum reperto, quem pro amuleto commendat *Petr. Foreſt. L. 28. obſ. 66* de tanaceti ſerto, manibus probe trito, ut gravius oleat, pudendoque admoto, quod ab Heroina in Scotia adhibitum, refert *Jacobus Hollerius*, de pelle erinacei terreſtris uſta, & ex vino pota, quam extollit *Dominic. Leo & Zacut. Luſitan.* de Zona ex corio equi marini, ventri circumjecta, vid. *Philipp. Muller. Mirac. chym. Lib. 5.* de lapide ætite, brachio alligato & ſub alis geſtato, de quo conf. *Sennert. in Praxi ſua, it. Bauſchius & Laurenberg. de ætite:* de pulvere ex umbilico infantis deciduo parato, & cum vino malvatico aut aqu. artemiſ. adhibito, quem *Welſchius* pro ſingulari adducit remedio.

Doloris lumborum ac coxendicum

§. IX. Colori lumborum & coxendicum, qui nunc in ordine ſequitur, commodiora vix opponere poſſumus remedia, quam emollientia, lenientia atque anodyna v. g. clyſteres ex lacte, fomentationes ex decocto malvæ, alth. lil. alb. ſummit. aneth. fl. chamom. & inunctiones cum oleis v. g. amygdal. dulc. lin. lil. alb. cheiri, lumbric. terreſtr. ſcarabæorum &c. Interne aſſumi poſſunt antiſpasmodica e. g. liq. corn. cerv. ſucc. cinabar. antimon. &c. cum anodynis & papaverinis maritata, cave tamen, ne crocum admiſceas, habet namque vim pellendi fœtum.

Palpitationis cordis ac Syncopes,

§. X. In palpitatione cordis ac Syncope, ſi à defectu vel fuga ſpirituum, aut idea aliqua timida & meticuloſa ipſis impreſſa, dependeat malum, conveniunt analeptica ſeu cordialia ab Antiquis dicta, uti ſunt aqv. meliſſ. borrag. bugloſſ. carfuncul. ſpir. ceraſ. nigr. lil. convall. roſar. fragrans, aqv. anhaltin. magnanimitat. In ſpecie laudatur in palpitatione cordis tinct. corall. cum ſp. corn. cerv. vel ſolutio corall. cum ſucc. citri, ſaccharo edulcorata, it. aqv. cordial. H. Saxon. confect. alckermes, cum ſucco citri diluta. Externe in ipſo paroxyſmo ſyncopes Salia volatilia naribus admoveantur, vel pennæ perdicum aut ſulphur. accenſum, utpote quibus exhalationibus celerrime excitari poſſunt. Quod ſi tamen iſta non ſtatim ad manus fuerint, tantillum ſalis culinaris, ori immiſſum, aut aqv. frigida, faciei inſperſa ſufficient, donec alia poſſint obtineri remedia, qualia ſub forma cataplaſmatis ad cordis ſedem nunc imponuntur v. g. mica panis cum pulveribus cinam. caryoph. macis & confect. alkerm. *ex Gvilelmi Fabricii Obſ. chir. cent. 3. obſ. 33.* vel tenella citri frondium folia ex commendatione *Panarolli Pent. 3. obſ. 41.* vel meliſſa calido vino imbuta vid. *Sennert. Prax. cap. de Syncope.* Ubi vero nimiam ſangvinis abundantiam adeſſe deprehendimus, V. S. omnem abſolvet paginam: Sicuti, quando à ſpasmo aut conſenſu uteri oritur, antiſpasmodica & ſubinde etiam anodyna ſe commendabunt. Ne vero novus ſuperveniat paroxysmus, præſcribunt Autores, ut ſpecifica, corallia cum margaritis orient. ac lapid. pretioſis, rubinum in ſpecie, Smaragd. hyacinth. it. corn. cerv. ſolar. & lap. bezoard. Verum enim vero an illa adeo magnifice deprædicata inſit virtus cordialis dictis gemmis, vehementer dubito. Conf. nihilominus *Albertus Magnus, Marbodeus Gallus, Anshelmus Boetius à Boodt*, qui integros tractatus de viribus gemmarum ſcripſerunt.

Tuſſis

§. XI. Tuſſis inprimis ferinæ impetus alterantibus ſiſtitur, hinc contra acrimoniam, ſi ea cauſam conſtituat, decoct. paſſar. rapar. aut ficus cum ſp. vini & ſacchar. cando deflagratæ, aut ſiliquæ, glycyrrhiza, aniſi & fœniculi Elæoſaccharum, aut ol. oliv. c. ſp. vin. ſumtum, aut maſtichis grana, cum lacte calido ſorpta inſerviunt; quibus irritis, ad magis inviſcantia progreſſus fiat, v. g. ad reſinas & gummata minus acria, G. tragacanth. arabic. heder. ſtyracem, ſuccinum vel fl. & lac ſulph. &c. Pituita vero infarciens bronchias, per incidentia ac reſolventia corrigi debet, v. gr. ſp. ſal. ammoniac. aniſat. ſaſſafrat. fœniculat. liqv. corn. cerv. ſuccin. aqv. aſthmat. Rudolphi, aut decoct. hb. hyſſop. apii hortenſ. majoran. fol. braſſic. lauri, fl. chamom.

mom. ſambuc. &c. Quæ vero tuſſis exaëris frigidioris acceſſu naſcitur, contrariis aëri & calefacientibus medicamentis, in antecedentibus indicatis, ſedatur. Aſt ſi ob ſolam extenſionem uteri, diaphragma & pulmones ad contractionem irritantem proveniant, tentandum, an per ſitum corporis magis erectum, ſimulque blande anodyna & papaverina exhibita, ferocia ejus compeſci queat. Interim caveat ſibi gravida, ne alimentis acribus & acidis aut pinguibus utatur, nec corpus veſtibus arcte conſtringat.

Hæmorrhagia

§. XII. In curanda hæmorrhagia cautus eſſe debet Medicus, ne intempeſtive utilem ſupprimat, aut ſuperfluam deſpiciat. Accidit ſcilicet aliquando, ut quædam habitus laudabilioris mulieres citra virium debilitatem patiantur ejusmodi hæmorrhagiam, uti in cap. præced. §. XIV. innuimus, quæ inhibita ſtagnationes, ſuffocationesque, pluraque alia poſthac gignit mala. Quapropter potiùs naturæ committenda ea eſt, aut ſi utique nimia deprehendatur, præprimis ex utero ſtillans, V. Sne pro ſcopo avulſorio, in brachio adornata, obex poni poteſt, inprimis ſi ſimul propinentur adſtringentia & coagulantia ſangvinem, v. g. aqv. tormentill. burſ. paſtor. biſtort. ſyr. corall. ribium, myrtill.. tinct. corall. ſimpl. martis adſtring. aut ſulph. vitrioli, it. ſpir. vitrioli ex *Obſerv. Wedel. in M. N. C. D. 1. A. 3. Obſerv. 106. pag. 176.* Summa tamen cum cautione adhibenda ſunt acida hæc, i. e. non niſi nimis exæſtuante M. Snea. Quare tutiora longe mihi videntur glutinoſa & gummoſa remedia, quorum inſtar omnium ſint ſymphyt. maj. ſperniola Crollii, vel G. arabic. *à Proſper. Alpino de Plant. Ægyptiac. pag. 5.* tanquam in omni hæmorrhagia expertum remedium. Inſuper vero quies corporis commendari, & per externa ventri impoſita fœtus ſtudioſiſſime corroborari debet, v. gr. per aqu. cinamom. cydon. fol. tenell. vitis, balſ. embryon. vinum rubr. cui nux moſchata toſta ac calens injicitur, & alia ſupra *jam §. 7. hujus capitis* exhibita.

Hæmorrhagia ex utero

§. XIII. Aſt quando ex cavo uteri proſilit ſangvis, ob rupta vaſa uterina & ſeparatam placentam ab utero, ex caſu, contuſione, aut propter aliam injuriam externam, aliter longe procedendum, h. e. quantocyus fieri poteſt, ad partum diſponatur prægnans, nullo licet præſente alio indicio, vel ordinato à natura tempore partus nondum elapſo. Incaſſum enim celebrabitur commendata à quibusdam V. S. nec conveniet potus vini gallici vitriolat: vulgo vin. de Dint, quod tanquam remedium experientiſſimum decantat *Bonet. Med. Septentr. L. 4. Sect. 5. obſ. 9.* Nec aliis quibuscunque adſtringentibus ſiſtetur ac coagulabitur cruor; nec placenta uterina rurſum agglutinabitur. Quod ſi tamen ob nimis adhuc occluſū uteri orificium partus non ſuccedat, è duobus malis minus eſt eligendum, fœtusque vi extrahi debet, aliàs ejus æque ac matris vita in ancipiti verſatur, qualia funeſta exempla exhibet *Mauriceau l. c. cap. 21.* Excluſo autem fœtu, facile etiam ſine remediis ceſſabit hæmorrhagia, dum uterus à ſarcina hac liberatus ſe contrahit, eoque vaſa coarctat ſangvinem plorantia. Plura, quæ modum procedendi in hac cura concernunt, vid. apud *Mauriceau l. c.*

Suppreſſa urina

§. XIV. Sequuntur nunc vitia, quæ ultimis geſtationis menſibus gravidis moleſta evadunt. In ſuppreſſione itaque urinæ, ab uteri mole oriunda *Gviellemau de Puerper. L. 1. c. 13.* ſvadet, ut manu utraque gravida uterum ſuffulciat, dum urinam effendere nititur, quo efficiet, ut non tam inſigniter prematur veſicæ collum; aut ſi hic modus non arriſerit, ad imitationem *Mauric. l. c. c. 15.* faſciam aliquam convenientem abdomini circumjiciat; ſimul applicando fotum ex parietar. violaria, ſem. lin. aneth. ol. amygd. dulc. l. ungvent. ex ol. cheiri, chamæmel. ſcorpion. vel cataplaſmata ex althæa, malv. melilot. parietar. &c. Et ſi ne tum quidem ſequatur ſuppreſſa urina, inſtrumentum adhibeatur à *Mauriceau l. c.* deſcriptum. Sed quando ab eodem fœtu, fundum veſicæ com-

comprimente ac laceſſente, tantum micturiant gravidæ, aut cum dolore lotium reddant, vix remedium aliud convenit, niſi fœtus ad alium ſitum & uterus ad molem & figuram diverſam per partum diſponatur. Acrimoniæ autem ſimul conjunctæ, ac inflammationem veſicæ producenti, convenient diæta & alimenta refrigerantia; hinc mane & veſperi emulſionem ex ſem. frigid. vel lac cum aliquot cochlearibus Syr. viol. l. nymph. ſorbere debent. Calculus vero veſicæ, ſi minor deprehendatur, & jam in urethra hæreat, extrahendus; ſin vero major ſit, ad veſicæ cavum retrudendus, ac commodiori occaſioni reſervandus eſt.

Alvi ſuppreſſa

§. XV. In alvi ſuppreſſione conveniunt eſculenta fluidiora & potus largior ordinarius, vel medicamentoſus cum ſaccharo, melle, paſſulis, ficubus, prunis, tamarindis &c. paratus, it. juſcula pinguia cum crem. Tartari aut Terra fol. Tartari acuata. Interim non negligendus eſt clyſmatum uſus frequens ex jure carnium, aut decocto hord. vel alio emollienti parato, v. g. ex rad. alth. lil. alb. parietar. fol. malv. bismalv. branc. urſin. atripl. violar. ſem. lin. fœnugræc. pſyll. cum ol. oliv. violar. amygdal. dulc. lini &c. vel loco oleorum cum ſtimulo aliquo ſalino.

Tumoris pedum œdematoſi

§. XVI. Oedematoſum tumorem pedum quod attinet in gravidis, puerperio proximis, equidem iſte ſubſequente partu ac lochiis ſufficienter fluentibus, ſponte brevi poſt evaneſcit. Nihilominus, cum interdum nimiam gravidis conciliat moleſtiam adhuc durante geſtatione, cura inſtituenda eſt palliativa, nunc per ligaturam expulſivam, nunc per cataplaſmata ac epithemata reſolventia ac diſcutientia, v. gr. ex lixivio ſarmentorum vitis c. vin. parato, aut in quo origanum, ſalv. hyſſop. chamom. roſmar. major. puleg. calaminth. ſimiliaque nervina ſunt decocta, it. per cataplaſmata, ex farina lupinorum, fabarum, ſulphure & ſtercore columbino facta &c. de quibus vid. *Sennert. Prax. L. 4. part. 2. ſect. 5. cap. 6.*

Varicum.

§. XVII. Similis palliativa cura ſuſcipienda quoque eſt in tumore venarum varicoſo, utpote qui ſimili modo, excluſo fœtu, ac rite erumpentibus lochiis, ſua ſponte diſparet. Sin vero enormiter tumentes doleant & ruptionem minitentur vaſorum, ex conſilio Etmulleri inungantur venæ tumidæ oleo lauri, aut unguento è baccis dictis parato, vel oleo de ranis, aut lumbric. terreſt. Quibus irritis conſtringi fortius varices debent, vel ſolis teniis latioribus, vel inſtrumento Aquapend. aut canali arundinaceo. Interim prægnans parum ambulet, ſed cruribus paulo elevatis vel ſedeat, vel lecto incumbat, expectando patienter tempus partus.

Hæmorrhoidum

§. XVII. Hæmorrhoides tandem quod concernit, diximus, illas eſſe vel tumentes vel fluentes, quarum priores diſcutiendæ vel aperiendæ ſunt. Primum obtinemus per V. Snem, aut ſcarificationem, ſi plethorica fuerit gravida, aut quod tutius, per reſolventia & diſcutientia, v. g. rad. ſcrophular. groſſul. hb. linar. cujus unguentum ſummopere extollit *Hartmann. Pr. Chymiatr. Cap. 119.* aut hb. bon. henric. fol. momord. fl. verbaſc. ſambuc. & ſi tolor urgeat fol. papav. ſem. & fol. hyoſcyam. & ſolan. officin. Conveniunt etiam ſuffitus ex thure & maſtiche, aut ol. ovor. maſtichin. vel cydoniorum aut momordicæ applicata. Tandemque ſi penitus intolerabile videatur malum, pulpa pomorum coctorum cum millepedibus tritis, aut ſaltim ejus oleum infuſum inungatur, ſvadente *Etmull. Pr. p. m. 593.* Quod ſi tamen ne ſic quidem remediis cedant tumores, ad apertionem illorum accedendum, quæ nunc per folia ficus recentia attrita, aut ſucc. cyclam. aloen, colocynth. aliaque acria, nunc per lancettam chirurgicam promptiſſime obtinetur; omnibus tamen hiſce aperientibus palmam præripiunt hirudines, applicatæ tumoribus, ſed verecundia fœminarum cuncta hæc ſpernit ſolenniter. Si autem contingat, ut tumentes mutentur in fluentes, obſervandum, an ægra ſit ple-

plethorica, nec ne; ſi prius, naturæ ſuperfluum è corpore ejicere annitenti reſiſtere haud licet; Si vero poſterius, cohibeatur iſte per adſtringentia v. g. tinctur. hæmatit. aut ſulphur. vitrioli, clysmatibus additam, vel per malum citri, per medium diſciſſum anoq; impoſitum, aut applicatum crepitum lupi, vel oleum terebint. Qui amuletis delectantur, laudant cingulum ex fol. .helleb. nigr. recentibus conquaſſatis cum *Hartmanno Prax. Chym. cap. 161.* gerere jubent polyganum ſub axillis vid. *M. N. C. D. I. A. 3. obſ. 22.*

ir ten- fiſſu- domi- §. XIX. Dolori tenſivo ac fiſſuris abdominis ſuccurri poteſt per unguenta & linimenta laxantia & emollientia v. g. ex mucilag. ſem. pſyll. lin. fœnu græc. rad. alth. &c. cui medulla crurum vituli additur, ſimulque oleum amygd. dulc. lil. alb. hyper. & momord. &c. Huc ſpectat etiam pingvedo gallinacea, anſerin. human. & ſimiles, it. ungvent. de pom. calide abdomi dolenti illitum, aut G. arabic. c. ſaliva ſubactum, vid. *Muys Chirurg. rat. Dec. 4. obſ. 7.* Denique ut ſpecificum laudatur faſcia artificialis ex pelle canina, ventri circumjecta à *Mayerne Prax. Med. l. 3. cap. 24. p. m. 550.*

tidii arum. §. XX. Aquarum fluxus immaturus ſi à colluvie humorum, in utero p. n. ſtagnantium, dependeat, haud medicamentis reprimi debet, ſed potius almæ naturæ eſt committendus. Nec ſiſti poteſt ille, qui ex ruptis membranis, fœtum involventibus, provenit, quicquid etiam agas, multo minus reſarcietur ſemel dilapidatus à natura. Ergo in tali caſu ſolis roborantibus §. 7. & 10. enarratis, fœtui in utero usque ad legitimum partus tempus ſuccurrere poſſumus: Ipſo vero accedente, viæ aridæ atque exſiccatæ linimentis ac ungventis emollientibus inungi debent, ut his ſuppleatur unctuoſitas viæ, ad fœtus excluſionem adeo neceſſaria.

§. XXI. Impoſito ſic faſtigio Gravidarum valetudinario meo, ante omnia Deo Ter Optimo, Ter Maximo ſubmisſiſſimas gratias pro clementiſſima ſua aſſiſtentia ac viribus conceſſis mente devotiſſima ago, Teque, L. B. decenter rogo ac efflagito, velis ignoſcere imbecillitati meæ, ſi non omnia his in theſibus, quod ultro fateor, ad amuſſim declaraverim, cujusvis enim hominis, juxta Ciceronem, eſt errare, nullius, niſi inſipientis, perſeverare in errore, quare etiam, ſi meliora edoctus fuero paratiſſimus ſum, lapſus meos agnoſcere & illa ambabus ulnis excipere.

F I N I S.

DISPU-

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Quadrageſima ſecunda:
De
MANUALI OPERATIONE OBSTETRICANTIUM IN PARTU DIFFICILI.

CAPUT I.

§. I.

Miſerrimam eſſe conditionem ſexus ſequioris, dum partus diſcrimen ſubeunt, oppido manifeſtum eſt; ſtatim enim poſtquam à morſu fructus vetiti, omnium fœminarum prima Eva acerbam hanc audivit ſententiam: Multiplicabo dolores partus tui; in dolore paries liberos; nunquam non etiam ad naturæ leges exacte ſuccedentem partum doloroſum, ac periculi plenum in univerſum Filiæ ejus ſentiunt.

Difficultates partus. §. II. Sed multo majori difficultate experiuntur labores Lucinæ, ubi non legitimo partus tempore, aut imbecilles nunc à natura, nunc à morbo prægreſſo, aut præſenti, ex partus labore nimio aut protracto, item in ſitu naturali non poſito fœtu, aut monſtroſe formato, & denique ægrotante vel mortuo, hocce uteri pignus reddere coguntur, ſæpius namque tum per aliquot dies, egregie hoc in opere deſudantes, omnes labores fundunt incaſſum, adeo ut non raro clauſus adhuc in utero fœtus ſepulchrum inveniat ſuum, aut naſcendo necet matrem, vel una cum matre pereat ipſe miſerrime.

§. III. Placet hac vice tantum ad examinis incudem vocare partum, quem difficilem reddit fœtus ſuo inepto ſitu ac monſtroſitate. Tanta namque hæc mihi videtur difficultatis partus cauſa, ut præ reliquis omnibus conſiderationem ac examen ſpeciale requirat, præprimis cum vix ullum in his caſibus ſolamen gravidis adhuc ſuperſit, quam quod obſtetricantium manuales operationes adferunt.

§. IV. Quo igitur feliciter in ſubſequentibus progredi in explicatione ipſarum manualium operationum poſſimus, præmittere prius cogimur, quid nobis ſub titulo obſtetricantium veniat. Nomen ſi evolvamus, deducunt ejus natales Critici ex Latino obſtare, quoniam obſtant, i. e. adſtant è regione parturientis vel contra parientem ſtant, curam ejus in hoc negotio habendo. Alii nomen hoc deducunt ex eo, quod obſtetricantes ſteram tractent, ſcilicet colligant puerum de ventre procedentem adeoque ab ob & ſtera deſcendere autumant, ſteram enim inquiunt eſſe pelliculam, qua puer uteri ergaſtulo adhuc incluſus involvitur. Litem hanc dirimendam relinquo aliis, omittens ſimul conſulto Homonymiam ac Synonymiam hujus vocis, non ac ſi rerum philologicarum eſſem oſor, aut ſi neſcirem quale commodum ex Critica nominum enodatione & elegantioris doctrinæ hoc apparatu ad diſputantes redundare poſſit; ſed id ipſum his potius fit de cauſis, quod de Medicis auxiliis magis (quorſum primaria diſſertationis intentio tendit) ſim ſollicitus. *Onomatologia.*

§. V. Conſulto vero generale obſtetricantium nomen aſſumſi, quo nimirum

mirum ſub ipſo comprehenderem, tam κατ ἐξοχὴν ſic dictas obſtetrices, quam Chirurgum & Medicum, manuum ope parturientibus ſuccurrentes, fœtuique exitum ex utero materno molienti viam præparantes.

…inæ ple- …que ob- …ricantur

§. VI. Equidem apud pleroſque gentes officium hoc fœminis demandari perpetuo in uſu eſt, quaſi ſc. ad ipſas jure quaſi proprio id ipſum pertineat: Egregie namque pudori ſuo ſe conſuluiſſe credit muliercularum caſta concio, modo viros à ſacro hoc negotio arceat, quam etiam verecundiam minime improbo, modo peritæ ſemper adeſſent perſonæ, nec cuivis obſtetricem ſe profitenti credere cogerentur, quæ ob ignorantiam ſæpius incredibilem, per mortes crebriores puerperarum & fœtus, experimenta prius faciunt triſtiſſima.

§. VII. Liceat mihi querelas liberius dare, & quid ſentiam de hodierni temporis obſtetricibus exponere; maxima ipſarum pars ne ſcrophis parturientibus, multo minus matronis honeſtis, ut manus dent, dignæ ſunt ac aptæ. Clarius aſſerti veritas eluceſcet ex collatione officii obſtetricum ſuperioris & hodierni ævi. Olim juxta *Platonem & Galenum: teſte Langio Epiſt. 49. pag. 24.* incumbebat ipſis (1) ut inſervirent tanquam pronubæ in conficiendis nuptiis, determinando qualem unusquisque ad generoſæ prolis procreationem jungere ſibi deberet. (2) Ut inquirerent an mulieres vere gravidæ nec ne. (3) ut ægris parturientibus opem ferrent: quibus acceſſit tandem inquiſitio in virginitatis integræ l. corruptæ ſigna. Sed condonaremus facile noſtris vetulis ignorantiam primæ ac ultimæ partis hujus officii, modo non etiam circa ſecundum ac tertium craſſam ipſarum ſtupiditatem, & ineptitudinem vix efferendam, ſæpius incuſare cogeremur.

…cium ob- …ricanti- um

§. VIII. Non equidem cum *Moſchio & Rhumelio obſt. 229.* id poſtulamus ab ipſis, ut litteras noverint & anatomes ſint perfecte peritæ, juxta ac muliebrium affectionum & cauſarum ſint doctæ, & medicinalis exercitationis peritæ, quo in omnibus mulierum morbis quid factu opus ſit ſciant, adeoque ope Medici ac Chirurgi plane non indigeant. Contentiſſimi ſane ſumus, modo obiter ſaltim erudita ſit circa morbos mulierum, & quod anatomen concernit, ſolummodo partium, quæ conceptioni ſacræ ſunt, umbilicalis funiculi in fœtu & placentæ uterinæ habeant accuratam cognitionem. confer Solingen in præfatione. *Bourgeſia Obſt. p. 1. p. 152.*

§. IX. Sit tamen inſuper neceſſum eſt (1) robuſta, non annis confecta. Viribus namque in difficili inprimis partu opus eſt, adeo ut *Fabricius ab Aquapendente* fateatur ſe, licet virum ſatis robuſtum, ſæpius à nimio obſtetricandi labore pene ſudore diffluxiſſe, ac ita defatigatum eſſe, ut pro virium collectione ab operatione aliquamdiu deſiſtere, negotiumque interea miniſtris committere coactus fuerit. (2) Sit affabilis & animoſa, quæ primiparæ animum erigat & demulceat ſolatiis, timiduläſque pro rei exigentia etiam redarguat. Præſtabit autem nunquam hoc feliciter, niſi ipſa antea peperit, adeoque proprio exemplo mulierculis ſolatia ac damna ſignificet; Hinc *Plato de ſcientia pag. 138. vers. Ficini: Vetuit Diana, quæ partuum tutelam ſuſcepit, ſteriles obſtetrices fieri, quoniam humana natura imbecillior eſt ad artes earum rerum, quas nunquam experta eſt.* (3) Sit prudens ac ſagax, quo poſſit inſtantem partum tempeſtive, ac accurate præſagire, tempeſtive, ne ſcilicet ex improviſo moleſtiæ partus obruant imparatam, antequam ſcilicet ſe debito modo ad hoc negotium accinxit; accuratè, ne inani labore conficiat puerperas, collocando ipſas ſupra ſellam ac lectulum, ac adigendo ad nixum, cum nondum interiora clauſtra debito modo ſunt à natura reſerata; alias namq; cum laborandum vere fuerit, non ſufficient vires inutiliter fruſtraneo antea conatu dilapidatæ.

Vitia illarum

§. X. Hactenus virtutes propoſui obſtetricis; quæ ipſam commendant: Dicam nunc quoque de vitiis ipſam malam ac ſuſpectam rurſum

reddentibus. Primum eſt immundities in veſtibus & corpore; quorſum inprimis morbi cutanei contagioſi referendi ſunt; v. g. ſcabies, lues Gallica &c. periculum alias imminet puerperis, ne, dum corporis ſui contrectationem ab ipſa perferre coguntur, labe hac inſontes contaminentur turpiter, quale exemplum de obſtetrice lue venerea laborante refert *Bourgeſia p. 2. p. 145.* quæ viginti & quinque familias ſpurciſſimo hoc affectu ſola obſtetricatione infecerat. Secundum eſt manuum ruditas ac ruſticitas, nunquam enim hiſce commode propter craſſitiem ad orificium uteri pertingent, fœtusque exitum promovebunt, niſi magna cum violentia, ſæpius etiam dilaceratione iſtarum partium: hinc rectiſſime jubentur etiam annulos, ſi forſan ornatus cauſa in digitis gerant, & brachiorum veſtimenta prius deponere, ungueſque præſcindere, antequam operationes ſuſcipiant, ne ab his impediatur labor.

§. XI. Ulterius non ſit nimis garrula, ne ad intempeſtivam hanc loquacitatem nimis attenta, quid magis è re ſit circa ſuum officium negligat. Porro non ſit rixoſa, facile namque parturiens generoſa ex vehementiori animi commotione, dum ſecum adeo immodeſte agi videt, à labore magis deterretur, quam quod ad ipſum adigatur: imo exinde convulſiones graviſſimæ quandoque oriuntur, quale quid *Bourgeſia p. 2. pag. 153.* refert. Tandem non ſit pertinax ac obſtinata, peſſimum ſane ac à Magiſtratu Politico ſevere animadvertendum & puniendum hoc eſt vitium, ex quo ſæpe vitæ diſcrimen acceſſitur fœminis. Quæ n. obſtetrix ſemel ad hoc negotium eſt admiſſa, ne honori ſuo obſtetricali aut lucro aliquid decedat, ut ut laborem partus arduum, ſummeque difficilem intelligat, vel plane non indicat periculum, aut aliam obſtetricem, Medicum l. Chirurgum adjungi non facile fert, niſi jam omnia fuerint deſperata, & ſervari vitam fœtus & puerperæ vix amplius poſſe prævideat. Tandem non ſit nimium timida ac tarda, potius omni conamine partum promovere cum prudentia ac peritia ſtudeat; etenim ſi unquam alibi, certe hic noxia eſt mora, caneque pejus ac angue fugienda ſunt cuncta, quæ partum retardant, hinc puſillanimitas parturientium adhortationibus piis intermixto etiam joco licito erigenda, reliquaque obſtacula quantocyus fieri poteſt removenda; nam ſæpius opus eſt celeritate maxima, ſi ſervare velimus & fœtam & fœtum. Confer *Ronſæus de Hum. vitæ primordiis p. 103. Bourgeſia p. 1. p. 66. Mauriceau p. 185.*

Examen juramen[...]

§. XII. Non igitur in Republica bene conſtituta temerariè ac indiſcriminatim ad tam arduum ac nobile munus admittenda eſt vetularum concio, ſed non niſi prius examinatæ, & quæ ſcientiæ ac notitiæ ſuæ teſtimonia non verbis tantum, ſed re ipſa quoque dederint, prætereaque ſacramento ſe nihil prætermiſſuras, quod in commodum parturientium ac fœtus vergere poſſit, obſtrinxerint, de quibus legi meretur *Ludovicus Horningk Politiæ Medicæ p. 153. ſeqq.* De examine obſtetricum id ſaltim adjiciendum videtur, non ſufficere ut coram matronis ac uxoribus procerum ad quæſtiones propoſitas reſpondeant candidatæ, quale quid Lipſiæ fieri in opprobrium civitatis narrat *Bartholinus de Inſolitis Partus viis*, ubi virorum conſularium conjugibus ſolis inquirendi in obſtetricum ſcientiam relinquitur cura; verum coram Anatomico & Medicis; aut quale quid in Gallia obſervatur, coram Medico Doctore, duobus Chirurgis & duabus Obſtetricibus, utpote à quibus, majori harum rerum peritia inſtructis, felicius num dignæ ſint nec ne cognoſcetur.

Chirurgi [...] Medici re[...] quiſita

§. XIII. Miſſis nunc obſtetricum qualitatibus, pergo ad Chirurgum & Medicum obſtetricantem, ipſorumque conditiones ac qualitates paucis examinabo. Cum noſtris Terris Chirurgi & Medici auxilium nunquam, niſi extremum urgeat periculum, imploretur, requiritur ante omnia animoſitas in ipſo cum dexteritate ac aliis requiſitis jam de obſtetrice

ce

ce commemoratis. Inſuper attendat, antequam ſe accingat operationi, an viribus valeat parturiens, quod ex pulſu & faciei colore habebit, inquiratque porro ſedulo, ſi partus tempus inſtantis debitum didicerit, quo ſitu fœtus detineatur, quæque aliæ circumſtantiæ adſint, hoc eſt an vivat fœtus vel mortuus ſit, cunctaque marito aut aliis adſtantibus ſignificet, ne ſi haud ſervaverit mulierem aut fœtum, perdidiſſe illas dicatur.

§. XIV. Cæterum quo veſtitu indutus incedat tum temporis, (quod ipſum ab Autoribus quibusdam, tanquam rem ſumme neceſſariam pertractatum video) parum vel nihil refert; item num præſtet imberbis an procera barba ornatus; quæ enim commoda ex ultimo ſperant, ſcilicet zelotypiam in marito non facile excitari, ubi admodum incurius ac negligens in habitu fuerit Chirurgus, nugæ ſunt. Mitto nunc alias præterea hujus farinæ quæſtiunculas conſulto, & ſolummodo num plane deceat viros hoc officium, inquirendum adhuc aſſumo. Pro negativa, ut è pluribus unicum tantum nominem, militat *Rodericus à Caſtro de morb. mulier. l. 4. p. m. 433.* Contrarium tamen ſvadet recta ratio & conſcientia, quicquid etiam obloquatur iſte de ſorditie laboris, ac verecundia muliebri; luditur namque hoc in negotio de corio, imo de vita humana, quam omnimodo ſervare, non fœminæ ſolum, ſed quoque viri lege communi tenentur. Et utinam fœminæ citius quandoque deponerent ruſticam hanc verecundiam, & in tempore accerſerent viros expertos (quale quid hodie in Gallia frequentiſſime obtinere *Viartel, Mauriceau, Paul Portal* ac alii teſtantur) ſæpius ſervarentur infantes ac matres miſerrime alias pereuntes.

CAPUT II.

§. I.

SEd fuſius nunc officium obſtetricantium examinari debet in partu difficili, ex ſitu inepto oriundo, utpote cujus gratia unice has theſes conſcripſi. Melioris itaque doctrinæ cauſâ primo illud conſiderabo, ubi mater & fœtus vivat; ſecundo cum mater vivit fœtu mortuo; & tertio quando mater mortua eſt fœtu adhuc in vivis exiſtente, & ultimo ſi fœtus monſtroſitas deprehendatur.

Vitioſi ſitus explicatio

§. II. Quoad primum, antequam ulterius progrediar, è re erit paucis præmonere, ſub vitioſo ſitu intelligi omnem, qui naturalem deſerit, cujus ſpecies oppido multas tradunt, qui uſitata cum antiquioribus methodo artem obſtetricandi monumentis hactenus conſignarunt. Nunc enim dicunt aberrare, quatenus pedibus, brachiis, natibus ac capite ad unum latus reclinato, aut facie prona, ventre, ita ut reflexi ſint artus, latere, humero reclinata cervice, flexis & complicatis genubus, manibus pedibusque ſimul egreſſum moliatur.

§. III. In compendio ſi vellemus anomalos hosce ſitus exponere, inſerviret nobis diſtributio *Mauriceau p. m. 148.* in quadruplice claſſe illos exhibentis. (1) Cum fœtus exitum quærit partibus anterioribus (2) omnibus partibus poſterioribus (3) cum ad latus inclinatus eſt, (4) ſi pedes primum exhibeat. Si magis adhuc compendioſa arriſerit methodus, præeunte Hippocrate l. de natura Pueri, item de ſuperfœtatione duplicem admittemus irregularem ſitum; nempe pronis pedibus vel transverſalem, & ſic cuncta reliqua vitia tanquam ſpecies ſub generibus ſtabunt.

Signa

§. IV. Sed quicquid horum ſit, facillimi erimus in his, nec moroſe altercabimur, ſive pauciores ſ. plures quis recenſeat ſitus vitioſi ſpecies, modo certo ſitum iſtum, ac tempeſtive cognoſceremus ſemper; attamen quod *Rod. à Caſtro p. 454.* inquit; *indicia vitioſi partus fere omnia eſſe conjecturalia*; id utique ingenue & ego fateri cogor, quæ n. communiter nobis à Chirurgis & obſtetricibus traduntur ſigna, quibus ad iſtius cognitionem pervenire poſſimus, valde generalia ſunt, dubia ac incerta. Dicunt namque ſignum primum eſſe

ſi dolores partus parvi, adeoque inſufficientes, multis præterea intervallis ſentiantur. vid. *Solingen. Embryulcia p. 75. Sennert. Pr. cap. IV. p. 11. ſect. 6. fol. m. 407.* (2) Si dolores non ex ſuperioribus verſus inferiora vergant, ſ. d. magis circa dorſum occurrant, vel ad latera aut ſuperiora, non ad pubis regionem extendantur *ex Avicenna Mauriccau p. 195.*

§. V. Potius igitur approbo ſequentia, ut ut ſæpius incerta illa eſſe libenter admittam. Primum ſit quando aquæ, diſruptis fœtum involventibus involucris, non pedetentim ſed cum impetu proſiliunt, quo ipſo indicatur, caput fœtus non occupaſſe uteri oſtium: quod alias in partu naturali accidens, non niſi moderatum aquarum ſtillicidium permittit. Magis tamen certum eſt ſignum, quando aquis effuſis, ab obſtetricis indice vel medio digito, profunde licet intra vaginam uteri immiſſis, nullum plane, aut non rotundum, craſſum, crinitumque corpus, quale caput eſt, ſed nunc gracile, nunc vero amplum, glabrum tamen ſentiatur: Secundo cogitet, de ſitu inepto ſi dolor uteri maximus citra cauſam manifeſtam adſit, fœtusque licet moveat ſe vehementer ac calcitret, ad ſitum naturalem tamen non perveniat; partibus denique aliis quam naturalibus certiſſime tum prodit fœtus ſitu inepto peccans.

§. VI. Equidem ex hoc ultimo ſigno quod omnium dixi certiſſimum conſtabit indubitato fœtus ſitum minus eſſe naturalem; Aſt num corpus, quod digitis palpat obſtetrix, ſit brachium, pes, humerus, venter, aut quæcunque alia pars, nondum præciſe innoteſcit. Igitur quo & hoc addiſcatur, expedit digitis ſuis profundius penetrare obſtetrices, dilatandoque paululum circumſtans orificium uteri, allaborare ſedulo, ut vel manu integra, intra uterum immiſſa, vel ex protracta ante uteri oſtium poſita parte, notitiam acquirant accuratam.

Operatio in cognoſcendo ſitu

§. VII. Optima eſt prima ex his operationibus, dummodo maxima cum prudentia ac modeſtia hæc manuum immiſſio fiat, usque namque adeo ſenſatæ hæ ſunt partes, ut violentam ejusmodi contrectationem, nunquam ſine atroci moleſtia, ſæpiusque non niſi cum inſequenti tumore ac inflammatione ferant. Quod alteram vero nempe extractionem totalem partus, antea tantum imminentis, hæc unanimis autorum eſt ſententia ex laborioſo reddi difficillimum, & ex periculoſo ancipitis aleæ partum hoc labore fieri; cui aſſerto libentiſſime & ego ſubſcribo.

Cauſæ ſitus vitioſi.

§. VIII. Sed nunc ulterius pergendum & in cauſas hujus vitioſi & perverſi ſitus inquirendum eſt, quæ nunquam non latent nunc in matre, nunc in fœtu, nunc in obſtetrice. *Mater* Mater in culpa eſt, ſi tam ante partus dolores, quam durantibus ipſis non rite operetur, vel propter mollitiem, vel propter impatientiam, ſed nullibi quieſcendo nunc circumcurrat, nunc lecto affixa ſeſe circumvolutet, aut ſupra ſellam collocata immorigera penitus ſit, quibus omnibus circumvolvere ſe & ad egreſſum diſponere cupiens fœtus, in opere hoc atque conatu turbatur ac præpeditur. Huc pertinent etiam cuncta animi pathemata vehementiora, quæ ultimis geſtationis temporibus aut inſtante partu corpus commovere ſolent, uti ſunt ira, terror; item concuſſiones corporis brevi ante partum, ex caſu ab alto, aliaque injuria externa factæ. *Fœtus* A fœtu vero dependet cauſa, ſi circa partus tempus inquietus ad hoc vel illud latus, nunc antrorſum vel retrorſum, vel toto corpore aut ſaltim membro aliquo, propter dolores, quos patitur ex contractione uteri, internoque ſtimulo, ſe vertat, id quod omnibus dolentibus proprium eſt. Aut ſi ex contrario fundamento; ſc. propter debilitatem & impotentiam, pellitur à doloribus partus in anguſtias has, quæ incommoda alias citiſſime effugiet, modo ipſe paululum viam quærendo cooperetur.

Obſtetrix

§. IX. Non male etiam obſtetrix peccans ut cauſa incuſatur, quatenus (1) nimium timida non tempeſtive admovet manus, viribus puta matris integris exiſtentibus partibus tranſitum fœtui

fœtui concedentibus, rite adhuc conſtitutis. (2) quatenus nimium temeraria violenta manuum operatione efficit, ut inflammationes ſuperveniant, tumoreque illa loca ſatis alias anguſta occupentur, adeoque nullus plane locus ſe commovendi ac contorquendi relinquatur incluſo fœtui, conf. *quæ §. 2.* & paſſim jam monui, lege *M. Ranchinum de Morbis in partu fol. 88. Rod. à Caſtro c. 6. l. 4. p. 457. de Morb. mulierum.*

[Præ]ſuppoſita

§. X. His abſolutis ſpecialius ipſas operationes manuales obſtetricantium conſideremus; ſi ſitus talis ineptus cognoſcatur. Omitto autem hic tanquam præſuppoſita, quæ prolixe alias ab Autoribus imperantur, ſc. ne parturiens ante hoc negotium nimia alimentorum copia ventrem repleat, ne in loco admodum calido laborem hunc ſubire cogatur, ut convenientibus internis medicamentis dolores ſpurii conſopiantur, alvus fecum ariditate adſtricta per clyſma prius liberetur &c. Utpote ſine quibus nihil nec Æſculapii nec Chironis manus efficiet.

[Co]llocatio [p]uerperæ

§. XI. Ad manuales itaque operationes, de quibus nunc fuſius, pertinent primo omnium, ut debite collocetur puerpera. Qualis autem ſitus iſte eſſe debeat, non præciſe deſcribi poteſt. Quibusdam in locis ſupra ſellam huic negotio adaptatam (cujus figuras *Godofredus Welſchius in verſione Germanica Scipionis Mercurii ſub titulo* Kinder-Mutter oder Hebammen-Buches *p. 262. & Solingen in tractatu,* van Ampt ende Plicht der Vroed-Vrouwen communicant) collocentur, nunc declivi paululum corpore, nunc erecto, prout ſc. circumſtantiæ tale quid poſtulant. Communiſſime tamen lectulo vulgari, l. huic negotio ſpeciatim adaptato ſaltim transverſim imponuntur, ita ut clunium ſitus, per ſuppoſitas culcitras, magis elevatus, quam reliquarum partium ſit, quales figuras dedit *Scipio Mercurius della Commore p. m. 125.* & ex ipſo *Welſchius lib. citato p. 324.* Galli, è quibus modernos nunc ſolum nomino, *Coſmum* nempe *Viartel, & Franciſcum Mauriceau,* Chirurgos Pariſienſes, tanquam ſingularem encheireſin præterea commendant, ut reflexis pedibus, ita ut calcanei nates attingant, collocetur ſupra lectum parturiens, quo oſſis innominati partes a ſacro diducantur longius.

§. XII. Quo v. in ſitu tali maneat, jubent quidam faſcias circumjicere, ut vinculis ſic conſtricta, commodius operationem ſuſtinere ſine impedimento valeat; Quod ipſum tanquam minus prudens conſilium recte *Mauriceau* rejicit, cum ſumme neceſſaria cooperatio parturientis, per collocationem & agitationem corporis prudentem promovenda, ſic penitus impediatur, quæ unicum poſt obſtetricis operam ad felicem partum conciliandum eſt medium. Quare ſatis erit, ſi adſtantes mulieres ſaltim femora firmiter compreſſa teneant, ne extra ſitum deſcriptum labantur ante operationem abſolutam. Nolim tamen nec hac detentione ſimus nimium rigoroſi, obeſis namque moleſtiam creat extremam, aliis vero non raro damnoſam eſſe, evincit triſtiſſimus caſus, quem in civitate quadam celebri non ita pridem accidiſſe recordor; ubi declivi tali in ſitu, utut reclamaret & alium ſitum poſceret, diutius ſervata parturiens ſuffocabatur miſerrime.

Repoſitio fœtus

§. XIII. His factis, properandum eſt omni niſu ad repoſitionem fœtus in ſitum naturalem. Fiet hoc, ſi molliter arrepta vitioſa prominente parte, blandiſſima manu reponatur iſta. Dico blandiſſima manu, imprudens ſiquidem ac impetuoſus ſi circa hoc negotium fueris, diffringes partem eminentem, turpiterque ac penitus incaſſum ſic laborabis. Poſtmodum vel indice digito ſolo, aut ſi partium illarum relaxatio id admittat, integra manu immiſſa corrigendum eſt vitium, in quantum poſſibile. Videatur *Viardel. obſ. de partu cap. VII. Solingen* van Ampt ende Plicht der Vroed-Vrouwen/ *Mauriceau, Völter* & univerſus obſtetricantium chorus.

§. XIV. Non prætermittere poſſum hac occaſione & illam repoſitionis brachii v. g. aut pedis elapſi modum, quem *Bourgeſia* affert, jubens ut pati-

næ aqua frigida repletæ ex improviſo immergatur illa pars, quo terrore perculſus infans ſponte velociterque retrahat ipſam. Sane dubito vehementer de felici experimenti hujus ſucceſſu, niſi orificium uteri probe ſit dilatatum, nam ab utero undiquaque compreſſæ partes adeo promte poſſe retrahi non facile perſvaderi mihi patiar. Ulterius virgulam cenſoriam meretur *Viardel, qui p. 66.* ubi reflexo capite adeoque facie exire obſervat fœtum, tum digitum intra os fœtus immittere & maxillam inferiorem deprimere verſus pectus jubet; quid vero hoc labore efficiat ad ſitum vitioſum talem emendandum, plane non video. Neque alterum ab ipſo propoſitum conſilium probatur, ubi linteum molle complicatum extremitati manus apponit, faciemque ſic ad caput reprimit, ſi namque paululum incuneatus fuerit, inter operandum digitis ſuis lædet oculos infantis, vel ſaltim, ut turpiter ſuffundatur ſangvine facies, imo totaliter ejus formoſitas perdatur, dabit anſam.

§. XV. Retineamus igitur methodum conſvetam reponendi fœtum manu arripiendo partes prominentes ac retrahendo ipſas, qua rite abſoluta maximam partem ſui muneris perfecit obſtetrix, cum nihil nunc reſtet, quam ut accedente blanda compresſione externa ventris gravidæ, per continuatas contractiones uteri, ordinaria ac naturali ratione excludatur fœtus. Secus vero accidit, ubi maximo cum ſudore repoſita pars iterum iterumque elabitur, nec fœtus ad ſitum optatum redigi ſe perfecte admittit; eligendum n. tum è duobus malis eſt minus, cum in vitæ diſcrimine & mater & fœtus verſentur, allaborandum eſt, ut exitus fœtus, quocunque id fiat modo, promoveatur.

§. XVI. Operoſos hinc inſigniter videmus Autores in tradendis axiomatibus ac regulis, pro male ſituato fœtu extrahendo, aſt impoſſibile omnino eſt accurate hoc determinare velle, cum ob inſignem varietatem extemporanea ſæpius conſilia ſint capienda, de quibus codices obſtetricandi artem tradentes ne gry quidem loquuntur. Miſſis proinde vulgaribus encheireſibus, ad nauſeam usque ab omnibus inculcatis, ſolum quid conſilii in difficillimis caſibus ediſſeram: ſit vero primus, quando uno vel ambobus pedibus intrat orificium matricis. Erit vero hic opus, ut uno tantum pede prominente operam det obſtetricans perſona, (ubi ad naturalem ſitum reductio fuerit impoſſibilis) alterum pedem quoque arripiat, àc poſtmodum firmiter utroque crure arrepto, extractionem ſuſcipiat. Non difficulter labor iſte, quem partum Agrippinum vocant, ſuccedit, modo urgente duriſſimo hoc neceſſitatis telo animoſe rem aggrediatur, opus tamen erit, ut (1) deorſum flectantur ſimul brachia utraque tenelluli (quicquid in contrarium alii dicant de uno ſaltim) ne impedimento ſint circa operandum. (2) Capitis collique fœtus ſimul habeatur ratio, cui alias haud leve periculum imminet, à compreſſione & ſtrangulatione, niſi velociter abſolvatur hoc negotium, & à digitis intra orificium uteri detruſis, ejus contractio intercipiatur vid. *Völterus p. 131. Scipio Mercurius pag. 342. Mauriceau p. 129. Solingen p. 63. &c.* Attendendum quoque eſt, ubi ad humeros usque extractus eſt fœtus, ac faciem verſus os pubis vertat, ne incauta operatione mentum pueri jam nominato oſſi adhæreſcat, ſicque vel partum plane impediat, aut facies hac compreſſione violenta laceretur. Quare tum vel plane fœtum invertere, ac faciem verſus rectum inteſtinum dirigere, vel blandiſſima manu, digitisque circa faciem & os pubis interpoſitis, extractionem tentare convenit. Sed caveas quæſo, ne unquam ſuſcipias extractionem hanc Agrippinam, ubi non prius per manus intra uterum immiſſionem accurate didiceris, num unus adfuerit fœtus, num vero gemelli: ſcrutinium hoc ſi neglexeris, continget facile, ut utriusque gemelli crura arripias, & partus promotionem ſic fruſtra omnino moliaris. Igitur tali in caſu reclinari crus unius gemelli debet prius, quo-

Enchir. in Part. Agripp.

quousque ſocius debite diſpoſitus eductusque fuerit, quo facto alter quoque arripiatur, pariterque è carcere liberetur.

[…]lis par[…]ubus. §. XVII. Si natibus exitum quærat fœtus, convenientiſſimum eſt medium talem facilitandi partum, ſi digitorum agitatione frequenti retrudantur clunes, fœtusq; ſi non ad ordinarium, ſaltim ad inverſum §. præcedenti commemoratum ſitum prius reducatur, extrahatur. Simile quid in reliquis caſibus etiam obſervandum, v.g. ſi fœtus brachio, ventre, facie, reflexo capite, à latere, humeris, complicatis genubus, manibus pedibusque ſimul moliatur egreſſum, tum quamdiu vivit ſemper ſolenni & naturali modo vel Agrippino partu ex ergaſtulo ſuo extrahendus eſt.

[…]craſſitie […]nbrana[…] […] nimia. §. XVIII. Suppoſui hactenus, fœtum diſruptis proprio Marte membranis, quibus involvitur, exitum quærere; conſiderandum igitur nunc quoque eſt, quid obſtetrix agere debeat, ſi ob tunicarum craſſitiem, vel fœtus debilitatem, iſta dilaceratio tunicarum & effuſio aquarum intermittatur. Quoniam in hoc caſu, utut ſitus fœtus ad naturæ leges ſit formatus, vix felix ejus excluſio ſperanda. Brevibus, id de ejus officio in hoc caſu eſt, ut tunicas iſtas vel ungvibus ad hoc negotium acuatis dilaceret, vel forfice aut alio inſtrumento prudenter diſcindat, poſtmodumque, quantocyus fieri poteſt, operationem ſuam, modo fuſius deſcriptam, ſuſcipiat.

CAPUT III.

§. I.

[…]tu debili […] mortuo. QUandoquidem vero, utut nihil omiſerit obſtetricans Perſona, fruſtraneus tamen ſæpe omnis eſt niſus, omnisque labor, quatenus ſcilicet fœtus ex irrito conatu defatigatus, aut in itinere, vel ipſo etiam utero poſt dilacerationem tunicarum involventium ſuffocatus, aut alia ex ratione, caſu puta ab alto, morbo gravi &c. animam efflare in ipſo utero cogitur; idcirco, qualisnam tum temporis debeat eſſe manualis operatio, nunc videndum.

§. II. Apparatu longe violentiori opus habebit obſtetrix, ob fœtus nunc plane nihil cooperantis inertiam, quippe qui magis impedit jam, quam promovet exitum; Quare longe major labor incumbit puerperæ æque ac obſtetricanti, adeo ut illi, ſi manuales ſolæ operationes haud amplius ſuffecerint, inſtrumenta Chirurgica varia cogantur in ſubſidium vocare.

§. III. Prius vero quam fuſius hæc exhibeamus, monendum eſt, de officio obſtetricantis eſſe, accurate noſſe, num vere fœtus extinctus ſit, ne audacter nimis langventem ſaltim pro mortuo judicent, inſtrumentisque ad hoc negotium adhibitis, enecando ipſum ſangvinis humani ex ignorantia fiant rei. *Exploratio inſtituenda.*

§. IV. Communiter autem fœtus mortui ſigna diſci ex parturiente poſſe perhibent, ubi ultimis geſtationis temporibus & inſtante partus hora, flaccidas oſtendit mammas, cum uteri intumeſcentia ſolito irregulari, teneſmo, urinæ incontinentia conjuncta; dolore item circa pubis regionem, os Coccygis, & lumbos continuo, ſæpiusque tam atroci ut ſine moleſtia nec manus appoſitionem ferat: accedente tandem capitis dolore inſigni, appetitus proſtratione, pedum ac ventris tumore œdematoſo; lipothymiis aut epilepticis inſultibus aut hæmorrhagia uteri ante legitimum partus tempus. Sed cuncta hæc ſymptomata majori jure habentur pro meris conjecturis, quam fidis ſignis, quibus præſentibus certo mortis teſtimonia de fœtu ferre poſſimus; quid ſi enim ex aliis cauſis ſimile quid excitetur in corpore, de cujus poſſibilitate nullus facile dubitabit, ſolitarie igitur unum vel alterum ex illis occurrens, fallax admodum & lubricum eſt; imo vix unquam niſi jam aliquot dies mortuus ſit infans & putreſcens, tam diris affectionibus ſubminiſtrabit anſam. *Signa fœtus mortui, [ex] ratione puerperæ.*

§. V. Alia hinc quærere coguntur criteria. Jubent propterea quidam, attendatur circa puerperam inprimis, num labia, aures, nares, item genitalia frigeant, aut horror ſ. contremi-

tremiſcentia citra notabilem cauſam externam, aërisque inclementiam ſuperveniat. Hunc namque rigorem pro ſigno plane infallibili venditant, exiſtimantes tum demum excitari, cum animam ultimumq; halitum fœtus emittit. Aſt & hoc ſymptoma minus certum eſt, cum non raro ex ſolo metu futurorum contingentium excitetur, ſpeciatim quando adſtantium muliercularum puſillanimis turba, iratam Lucinam animadvertens, anxiam & tantum non deſperabundam reddit parturientem. Ut taceam alias cauſas innumeras, à quibus horror ſæpius ex improviſo in aliis tam ſanis quam morboſis ſubjectis quotidie producitur. Et ne quis dubitet de veritate hujus aſſerti, teſtem voco frequentiſſimam obſervationem contrariam, quæ affirmat vitalem partum edi non raro, ut ut aliquoties horrori inſigni parturiens fuerit prius concusſa.

ratione ipſius fœtus. §. VI. Hæc de ſignis è puerpera deſumendis, petere deinde etiam ex fœtu ejusque conditionibus quædam ſolent. Primo igitur *Hippoc. l. de ſuperfœtatione p. 225.* Si commota matre, de latere in latus ruat fœtus inſtar lapidis, non vivum eſſe fœtum pronunciat; fallax tamen & hoc eſt, tale quid enim magis, ſi molam gerat gravida, notatur, quam ſi fœtum; requiritur ſiquidem maximum ſpatium ad ejusmodi volutationem, quod intra uterum nunquam obſervatur, niſi perquam puſillus ſit fœtus, & uterus præternaturalem conſvetudinem amplus. Conf. *Aquapend. Cap. 86. fol. 327.* Porro nunquam ſi ſitum naturalem obſervat fœtus, aut aliqua ſui parte orificium uteri occupaverit, hujuſmodi motus concipi poteſt, cum ſemper tum comprimatur arctiſſime à parietibus matricis.

§. VII. Secundo motum fœtus deficientem indicare ejus interitum affirmant, quatenus ſcilicet calcitrare ſeque ad exitum diſponere deſinit; nolim tamen & hoc ipſum pro infallibili habeas, metuendum namque eſt, ne ex morbo aut conatu exeundi irrito laſſus ac defatigatus quieſcat tantum. Nec certiores reddimur poſt applicationem medicamentorum calefacientium, v. g. Cruſtæ panis vino, aut ſpir. v. balſamo embryonum aut alia Aqua apoplectica madidæ, aut oleorum deſtillatorum acrium applicationem uteri regioni factam, dum ſcilic. ab illis neutiquam excitari fœtum obſervamus, id quod ubi non contigerit, pro infallibili mortis ſigno venditat *Barbettus in Praxi*, manifeſtæ enim experientiæ ac obſervationibus innumeris aſſertum hoc reclamat, dum nimirum fœtus vivus per aliquot dierum ſpatium ne minimum motus ſignum dans, frequenter excluditur vitalis. Porro neque id pro fido ſigno habeo, ſi fœtus pedem vel brachium ex utero exerens, non retrahat iſtam partem, aut ſaltim moveat, ſi frigida applicetur aqua, aut acu pungatur, præſuppono namque ex antecedentibus tanquam notiſſimum, vehementer in ejusmodi vitioſo ſitu ab uteri oſtio premi & conſtringi partes, ita ut non ſolummodo inſigniter intumeſcant, ob ſangvinis ſtagnationem, ſed etiam ſtupidæ & ad motum plane ineptæ, ex eodem fundamento facile evadant.

§. VIII. Tertium ſignum dant, quando fœtus non commovet lingvam, nec ſugit, ſi digitum ori ejus immiſeris. Fateor enim libentiſſime circa hoc ſignum, inter primas functiones ſuctionem eſſe, quas exercere ſolet ex utero excluſus, ita ut non pauci propterea cum antiquisſimis Medicis, etiam intra uterum ſumere alimentum per os affirment, adeoque ſi recte omnia cum fœtu ſe habeant, utique ſugere ipſum promptiſſime, quæcunque corpora ori admoveantur, concedo. Sed quæ conſequentia ex functione hac denegata ad mortem ejus? nulla; nonne & morbus ac debilitas æque ipſam impedire poſſunt ac mors?

§. IX. Quarto ſi meconium intra uterum depoſuerit fœtus, ipſumq; cum liquore amnii reddat, indicare fœtus quoq; extinctionem volunt. Strenuũ præ reliquis hujus opinionis defenſorem ſe ſiſtit *Coſmus Viardel in Obſ. de partu*

partu p. m. 44. 62. ſed contradicunt ex antiquioribus *Rulandus*, *theſauro Curat. Empyricarum cap. 3. Curat. 66. p.* 300. & ex modernis *Paul. Portal. tr. la pratique des accouchemens obſ. 52. p. 240.* ex profeſſo vero ejus confutationem ſuſcipit *Mauriceau p. 193.* dignum l. ex hoc uno intolerabili errore ſcriptum *Coſmi Viardel* judicans, ut cum blattis ac tineis perpetuo decertet & maximo ſuo jure (ſunt verba *Mauriceau*) *monſtrum horrendum, ingens, informe, cui lumen ademptum dicipoſſit.* Frequentem enim Meconii evacuationem eſſe docet vivente, ſed male ſituato fœtu, inprimis ſi exitum clunibus moliatur, quod ipſum quoq; plusquam ſexaginta contrariis obſervationibus ſe confirmaturum, ſi neceſſitas id exigeret, pollicetur.

§. X. Quinto teſtimonium mortui fœtus hauriunt, ex ſecundina ante exitum infantis à parietibus uteri ſeparata & enixa, utpote quo in caſu ob hæmorrhagiam inſignem ſummum periculum certiſſimi exitii imminet naſcendo, inprimis, ſi temporis mora, antequam fœtus ſequatur, intercedat. Sed itidem & hoc ceu minus univerſale ſignum rejicitur, niſi forſan nimis longum, h.e. aliquot dierum, ſit interſtitium inter ſecundinæ ſeparationem & partum, quo in caſu apodictice præſagiri vitæ defectus poterit, & rariſſimis hinc obſervationibus annumerari debet, quod *Viardel* commemorat *p. 54.* de fœtu vivo, tertio poſt ſecundinam die enixo, item quæ *Stalpart Vander Wiel refert centur. 1. obſerv. 76.*

§. XI. Dubia itaque maximam partem recenſita ſigna ſunt, quibus fidem adhibere tuto neutiquam conſcientioſe obſtetricans perſona poteſt; inprimis quando unum ſaltim aut alterum ex ipſis ſeorſim ſe ſiſtit: quod ſi v. cuncta, vel maxima pars concurrant ex jam recenſitis, tam in matre quam in fœtu, tum majori probabilitate ſuſpicio mortis enunciari poteſt, quamvis ne tum quidem infallibiliter id aſſerendum eſt, cùm *Bourgeſia pag. 2. p. 155.* ſe omnibus præſentibus, quæ communiter allegantur mortis ſignis, fœtum nihilominus vitalem prodiiſſe teſtetur. Videant proinde quomodo temeritatem ſuam aliquando ad tribunal extremum excuſent, qui ex ſolo horrore matris ac motu deficiente, mortis ſententiam de fœtu ſtatim pronunciant, & miſerrimi homuncionis ſangvine, per crudeliſſimam ejus diſſectionem, ac dilacerationem, vix bihorio elapſo, cum adhuc manifeſtiſſima vitæ ſigna dederat, turpiter ſe conſpurcant ac polluunt; & magis ſane condonandum eſſet ipſis, (loquar cum *Mauriceau p. 190.*) ſi mortuum fœtum pro vivo haberent, quam ſi vitalem mortuum eſſe putent, violentaque manu infeliciter illum interimant.

§. XII. Quid igitur agendum in hoc difficili & ancipitis aleæ ſtatu? numne fato committenda eſt parturiens, ſi tuto operari non licet? Paucis dicam quid ſentiam: adſunt omnino ſigna, demonſtrative mortem fœtus indicantia. Primum eſt, ſi nullus pulſus in fœtu, nec in ejus arteriis temporum, nec in funiculo umbilicali amplius deprehendatur; deinde ſi ipſius corpus frigidum ſit ac flaccidum & epidermidem amittant partes. Porro id etiam pro matris certo ſigno habeo, cum aqua fœtida ex utero ante in partu effluat; attendas tamen & hic opus eſt, num gemelli gerantur, aut unicus ſaltim fœtus: ſi prius, caute procedendum, ne vitalis pro mortuo arripiatur & violenter extrahatur.

Signa demonſtrativa fœtus mortui

§. XIII. Multum inſuper lucis accedit fluctuanti adhuc animo, modo cauſarum, quæ ad extinctionem fœtus faciunt, tam antecedentium quam præſentium ſuſcipiat examen, attendatque, num caſus ab alio, aliaque violenta corporis concuſſio, aut exagitatio, aut animi commotio vehemens, uti terror eſt ac excandeſcentia, vel morbus aliquis matris acutus, vel aliud quid præceſſerit, quod damnum inferre tenellulo poterat. Quotiescunque enim à quacunque ex his cauſis cohæreſcentia fœtus cum utero materno tollitur, vita infantis ſtatim demitur, niſi immediate poſt excludatur.

§. XIV.

§. XIV. Sed nunc ad auxilia properandum eſt, ſi certo deceſſiſſe puerum in utero conſtet. Dixi jam §. 1. hujus capitis, majori in periculo puerperam verſari, quæ cooperatione fœtus deſtituitur in partus conatu, & obſtetricantium operationem longe difficiliorem jam eſſe, cum ſemper contrahatur p. n. uterus, poſt fœtus extinctionem. Eo tamen diligenter allaborandum eſt nihilominus, ut ad ſitum convenientem, methodo jam ſupra tradita, diſponatur cadaver infantis, aut ſi id non poſſit effici, ut extraordinaria quæcunque extractio tentetur, quæ longe citius ſuccedit tali in caſu ob membrorum flacciditatem, quam ubi adhuc vitalis & tumidus erat infans.

Operatio Manualis.

§. XV. Non ſtatim abjiciendus eſt animus, ſi non ex voto ſequatur fœtus, hic namque opus, hic labor; imo nec ſtatim deſperandum nec à labore deſiſtendum, ſi dies unus vel alter interea elabatur, modo non vires puerperæ deſtruantur inſigniter; frequentisſime enim, quæ hodierna denegaverat dies inſigniter laborantibus, altera quaſi ſponte ſuggerit inexpectato. Aſt nolo hoc ipſo inexcuſabilis deſidiæ quarundam obſtetricū defenſionem ſuſcipere, quæ nihil plane agendo tempus, ut dicunt, à Deo deſtinatum ſolummodo expectant. Non equidem nego, unice in hoc negotio ſalutem ſperandam à Numine Summo, Is namque ſolus eſt, ut Pſalmiſta loquitur, qui ex utero nos trahit. Sed non deſiſtendum propterea ab operatione; laborantibus namque, non otioſis, gratia ſua ac benignitate adſiſtit. Omnipotens, Miſericos ac Benignus Dominus.

Chirurgica.

§. XVI. Quod ſi tamen nihil proficiatur ſolo labore manuum, arripiantur inſtrumenta Chirurgica, quorum diverſum apparatum, obſtetricandi artem tradentes codices nobis depingunt ac deſcribunt ſub titulo uncorum, hamorum, pedis gryphei, ſpeculi uterini, cultrorumque ac forcipum varii generis. Uncos ac hamos adhibent injiciendo ipſos oculis, occipiti, claviculis coſtis, oſſi pubis, ſi oſtium uteri occupat, arreptoque ipſorum manubrio forti manu ſic extrahunt fœtum. Ne vero atterantur ac vulnerentur partes circumjectæ, altera manus intra uterum intruſa concomitetur truncum, detineatque quaſi, ne rumpendo partem cui infigebatur, aliis irruat. Hunc etiam in finem inſtrumenta probe ſint polita, non inæqualia aut aſpera, neque uncos acutos nimium, uti *Sculteti in Armamentario & Paræi in Chirurg. theſauro* ſunt, ſed obtuſos & recurvatos aſſumat, quales depingunt *M. A. N. C. decad. 1. Anno 1. obſ. 49.*

§. XVII. Sed non raro nec huic inſtrumentorum apparatui ſoli auſcultat firmiſſime uteri clauſtro incluſum cadaver, nunc propter magnitudinem & intumeſcentiam, nunc propter vitioſum ſitum, plane ad exitum ineptiſſimum. Quare tum cogimur diſſectionem ejus in utero ſuſcipere. *Hipp. l. de ſuperfœtatione p. 224.* in hoc caſu *pollicis valido appreſſu humerum à trunco, vertebris ſeparare jubet, vel ventrem ungvibus dilacerare, ut corpus poſt remotionem inteſtinorum ac viſcerum abdominis gracileſcens ad tranſitum diſponatur, magisque aptum fiat.* Non facile unquam crediderim compreſſum ungvium id præſtare poſſe, præprimis quod humeri concernit ablationem, niſi jamjam maximam partem putrefactus ſit infans: Quare cultri falcati nunc majoris nunc minoris, prout ſcilicet circumſtantiæ ferunt, ope, brachium eminens auferatur, venterque imus & coſtæ diſſecentur: Paucis, quod obſtat egreſſumque in fœtu impedit, tuto reſecandum, quo fruſtulatim anguſtias illas tranſeat, quas integris ac cohæreſcentibus partibus haud poterat.

§. XVIII. Si crudelem hanc dilaniationem fœtus, adeoque ex hoc capite non celebrandam dicas, reſpondeo, ſatis eſſe horridum hoc ac aſperum remedium felici cum ſucceſſu, quam nullum aut mitius cum interitu parturientis tentare. Usque adeo namque hæc diſſectio fœtus in fruſta eſt neceſſaria, ut ſacra ſit plurimis in

caſibus

caſibus anchora. Mentiuntur itaque aliosque miſere decipiunt, qui ſolo opere manuum, neglectis inſtrumentis omnibus, facilem reddere partum talem pollicentur, è quorum claſſe *Coſmus Viardel* quoque eſt, qui rectisſime propterea vapulat *à Mauriceau l. 2. c. 34.* quod nimis jactanter tractatus ſui titulum fecerit, artem obſtetricandi ſola manuum ope citra ullum inſtrumentum adhibitum perficiendam.

§. XIX. Abſit v. temeritatem in hac operatione approbemus. Antiqua juxta ac digniſſima eſt admonitio *Galeni, Celſi ac Paulli*, manum eſſe detrahendam à mulieribus in partu laborantibus debilibus; pulſu parvo, reſpiratione langvida, frigido ſudore madentibus extremitatibus gelidis, facie collapſa & cadaveroſa ob mortis periculum, quod in his inſtat. Prohibent etiam extractionem talem vomitus parturientium motusque convulſivi, utpote à quibus ſymptomatibus extractio inſigniter impeditur. Conferatur *Fontanus* ex profeſſo hanc operationem examinans, in peculiari ſcripto de hac materia, edito.

CAPUT IV.

§. I.

*...etrican-
...fficium
...re ex-
...a fœtu-
...e vivo.*

Supereſt ut aliquid adhuc dicam de operationibus obſtetricantium, cum mater vivere deſinens fœtum adhuc vitalem relinquit in utero. Non prolixe autem recenſebo, quibus ſignis cognoſci debeat, fœtus vitam adhuc ſuperſtitem & mortem matris veram eſſe, non ſuffocationis hyſtericæ aut ſyncopes ſpeciem; modo enim quoad primum, motum infantis ſolemnem, calorem ac pulſum arteriarum, ſuctionem digiti ſi ori immittatur &c. conſideret, & quoad alterum antecedentia & conſequentia ſymptomata examinare velit, nulla vel levis aderit amplius difficultas. Neque deinde multum anxius ero in exponendis cauſis, à quarum ſævitia mors acceſſitur puerperis, integer alias morborum catalogus eſſet recenſendus. Sufficiet hinc dixiſſe, nimios, ſed irritos partus dolores, præ reliquis eſſe incuſandos, utpote qui vires naturales depaſcendo faceret, ut tandem deficiant animamque reddant.

§. II. Ergo ſupponamus triſtiſſimum hunc caſum vere accidere, quid tum agendum erit? Certe ordinariam nunc viam legat fœtus abſolute impoſſibile eſt, ut ut artificioſiſſima manus nihil prorſus omiſerit, quod ad partum facere poterat; Brevi itaque interibit miſerabiliter fœtus ante, quam aura fruatur externa & perfectam animalis vitam vivere incipiat, niſi aliam præpares viam, irregularemque exitum.

§. III. Loquar clarius, ſupereſt unice Hyſteromatocia, quam aliàs Cæſaream vocant ſectionem Auctores, quæ ſcalpelli anatomici beneficio ſub umbilico, ſupra os pubis, per cutis cum ſubjacentibus muſculis & uteri prudentem diſſectionem abſolvitur, ita ut fœtus poſſit cum ſuis ſecundinis ſalvus per vulnus inflictum extrahi; adeoque in vivis ſervari. Favent hinc Icti *l. 2. ff.* de inferendis mortuis: *Negat lex Regia, mulierem, quæ prægnans mortua ſit, humari, antequam partus exſcindatur, qui contra fecit, ſpem animantis perimiſſe videtur.* Non me latet quam nunc, tanquam ultimam anchoram, commendavi ſectionem Cæſaream, ab aliis rideri, cum *Bauhino in Epiſt. dedicatoria ad Rouſſetti tr. de partu Cæſareo, Roderico à Caſtro l. 4. de morbis mulierum c. 3. Varandæo de Morb. Mulier. l. 2. c. 6.* pro falſiſſimo habentibus, vel per momentum infantem manere poſſe ſuperſtitem, ubi mater vere mortua fuerit, quoniam hujus vita ab illius immediate dependeat. Quare etiam, antequam plenarie expiret mater, hanc operationem eſſe ſuſcipiendam imperant, ne, ut ajunt, poſt feſtum veniat operator. Sed minime ipſis ſubſcribere hac in parte poſſum, cum hodie inexpugnabilibus argumentis ac obſervationibus à modernis Medicis ſit demonſtratum, propriam vivere vitam in utero infantem, adeoque poſt deceſſum matris per horam & ultra poſſe commode adhuc ſuperſtitem manere.

§. IV. Cave tamen credas, cum dixerim jam vitalem perſiſtere fœtum per *Sectio feſtinanda.*

per horam & ultro in utero, cunctandi tibi ſufficiens concedi ſpatium, antequam te ad ſectionem accingas; minime: ubi enim cadaver matris frigidum ac rigidum evaſerit, tenerrimi fœtus calor facile extingvitur. Hinc licitum tibi eſt, ut ut matris corpus calidum ſit, ſpiritusque adhuc in corporis partibus paulum ſuperſtites ſint, operationem adornare, modo prius certus fuerit, quod ſupra etiam monui, vere mortem ſubiiſſe puerperam, non lipothymia aut alia gravi affectione eſſe correptam, ne idem tibi accidat, quod de *Veſalio* refert *ex Huberto Langveto Melchior Adami in Vitis Medicorum p. 133.* Cæterum antequam aggrediaris hoc negotium, adſtantibus periculum ſummum indicabis, ne minime vitalis fœtus depromptus tua culpa periiſſe videatur.

An ſectio in Matre adhuc viva poſſit inſtitui?

§. V. Sed quæritur hic, numne ſolummodo hoc in caſu ſectio Cæſarea inveniat locum, & anne etiam matre adhuc vivente poſſit celebrari? Pro affirmativa ſunt non pauci Antiquorum æque ac Recentiorum Medicorem: qui memoriæ ſtatim occurrunt ſunt *Scipio Mercurius l. 2. c. 28. Fienus in Chirurgia Tr. 8. p. 60. Rod. à Caſtro l. 4. p. 442. Rouſſettus de partu Cæſareo.* Verum enim vero noſtrum hic facimus illud aſſertum Clariſſimi *Ammanni*, quod legitur in *Parænesi ad diſcentes p. 396. Ex cunctis his autoribus* αὐτόπτης *fuit nullus, ſed ſolummodo relatores, nihil hinc probant;* Aſt ſi producatur *Cornarius Hiſt. admirand. 6. & 7. Rounhuyſen p. 2. obſ. 1. p. 56.* qui felicem experientiam loquuntur, ipſis regero, à particulari obſervatione non valere argumentationem; dabo ſemel iterumque ſecundum eventum ſubſecutum: adverſum tamen majori in copia accidiſſe, probari poteſt non difficulter; Provoco ad Celeberrimum Gallicum Chirurgum *Guillemau*, hic bis ſe operationem illam propriis manibus celebraſſe, ac aliquoties ab aliis adornatam vidiſſe, aſt ſemper cum interitu puerperæ teſtatur. *Rolfincius in diſſertat. Anatom. p. 182.* ſe pariter cum infauſto ſucceſſu hanc operationem tentaſſe fatetur, aliorum teſtimonia lubens nunc prætereo. Præterea non deſunt rationes omnino in puerpera viva hanc operationem disſvadentes, ſi forſan experientia tibi non ſufficiens videatur, conſidera vulnera in hac operatione ſatis magna, tranſitum ſcilicet infanti cum ſecundinis concedentia, ſi non per ſe lethalia, extreme tamen ſunt periculoſa. Conferantur *Thevenin de operationibus Chirurgicis pag. 128. Rouſſet. l. ſupra allegato, Roonhuyſen pag. 51. 52.* ſemper enim maxima, & quæ vix ullo medicamento ſiſti poteſt ſequitur hæmorrhagia, ut nil de inflammationibus harum partium & exulcerationibus nunquam non periculoſiſſimis dicam.

§. VI. Non obſtat regeri communiter, aliquando violentam conquasſationem aut vulnerationem ventris gravidæ ſolviſſe abdomen, fœtuique exitum ſic impune paraſſe facillimum, citra matris detrimentum, alioque tempore, quod *Rouſſettus* urget, putrefacti fœtus oſſa per abſceſſum abdominis eſſe excreta, viva manente matre. Quod enim primam concernit inſtantiam, miraculis, quæ in Medicina fiunt, annumerantur merito talia exempla, contrarium vide eventum in exemplis à *Jobo à Meckren p. 387.* allegatis; Quoad alterum, vera equidem exempla illa eſſe facile admiſerim, at non idem de Cæſarea ſectione ſperandum, in qua momentanea eſt diſſectio, quæ in hoc caſu pedetentim citra notabilem hæmorrhagiam, periculumque adeo manifeſtum accidit.

Quid agendum cum fœtu monſtroſo?

§. VII. Sed crediderim nihilominus in fœtu monſtroſo operationem hanc adhuc locum invenire v. g. biceps ſi fuerit, aut brachia aut pedes habeat quatuor, caput aut pectus male formatum aut hydrope laborans oſtendat, qualia exempla *Moſchio de monſtris*, *Schenckius Monſtr. Hiſtor. M. A. N. C. Anno 3. obſerv. 105. Solingen pag. 13. 32. Joh. à Meckren Cap. 1. Append. Jacob. Rueff. lib. 5. Hildan. centur. 3. obſervat. 55.* narrant, ibi enim præſentaneum vitæ periculum imminet & matri & infan-

infanti, adeoque acerbum hoc remedium tentare tutius videtur, quam nullum plane, aut quod *Mauriceau c. 30. p. 245.* utpote, me judice, crudeliſſimum ac omni Chriſtiana charitate adverſum proponit; monſtroſi ac hydropici fœtus caput vel pectus ſcalpello perfodere jubet, ſatius eſſe exiſtimans, pro matre pereat fœtus, à qua vitam ſumſerat, quam ut cæde nefaria ſeſe ſuamque matrem interficiat.

§. VIII. Finio hic, ut ut plura adjicienda fuiſſe noverim, veniæ namque facile locum futurum ſpero, qui propria experientia deſtitutus, quod ab aliis mihi ſuggeſtum ac communicatum eſt, proponere potui; tantanamque noſtrarum mulierculärum tamque inepta eſt verecundia, ut ad ſacra hæc Lucinia neminem facile, niſi maritali vinculo ligatum, admittant, quapropter politiora ſuo tempore promitto, Maronianum illud ad ſpecimen hocce meum apponens:

Nunc te ſtramineum pro tempore fecimus, olim,
Si fœtura gregem ſuppleverit, aureus ibis.

F I N I S.

Disputationum Langianarum

Quadrageſima tertia:

De

OFFICIO MEDICI IN PARTU DIFFICILI.

Præfatio.

Quo gravidis feliciter cederet Partus negotium, vota gentiles fecere varia Diis variis, pro variorum periculorum averſione. Primo ſiquidem invocabant MANEM corporis præſulem, ne ſcilicet imbellis quis naſcatur, mox HECATÆ & GENETYLLI, pro vigilantia & Audacia concilianda, & poſthac POSTVERSÆ ac PROSÆ Deabus litabatur, quibus Ara, deprecandi ab Ægra in partu conſtituta periculi, erat conſtructa. Ad ALEMONAM deinde, alendi in utero fœtus, NONAM & DECIMAM à ſolicitioribus Menſibus & PARTULAM, quæ partum gubernet, brachia tendebant. Inſtante vero nixu LUCINAM implorabant Patronam partuum, quæ alias etiam EUGERIA audit, item MENAM, JUNONEM, DIANAM, ac FLUONIAM, quod ſanguinis fluorem, tam in partu, quam geſtationis tempore inhibere poſſe credebant. Videatur pluribus *A. Gellii lib. 3. c. 16. & lib. 16. c. 16. Joh. Roſini de Antiquitatibus Romanis lib. 2. cap. 19. Tertulliani lib. de Anima. Et Thom. Bartholini Antiquitatum Veteris Puerperii Synopſis.* In his Ethnici

- - (*Veri quos error adegit*
Fictilibus divis cœleſte adſcribere
numen.)

inprimis Medicorum auxilio deſtituti, acquieſcebant. Sed aliter longe nos hodie revelationis Lumine irradiati procedimus, à DEO ſummo ac Vero equidem omnium primo, poſtmodum, ſi p. n. fuerit partus, à Medico & obſtetrice auxilia quoque petentes. Et quidem ab obſtetrice, ut operatione manuali, fœtus vitia, in quantum poſſibile, corrigat, à Medico vero, ſi forſan in matre culpa lateat, ut medicamentis eam emendet. Igitur, cum omnino diſtinctisſimi ſint utrorumque labores, Veniæ futurum locum ſpero, ſi hac vice tantum Medici officium, examinis incudi ſubjiciam obſtetricis munus, utpote paſſim à Medicis & Chirurgis tam recentioribus, quam Antiquis deſcriptum, penitus omittens; cui conatui, ut ex alto benedicat ſummum Numen, ardentisſimis efflagito precibus.

§. I.

Sub duriſſima fatorum lege fœmellas natas eſſe, non inique quis dixerit; pereunt namque ſæpe, niſi pariunt, adhuc vero ſæpius pariendo pereunt. Scilicet ab illo ſtatim momento, quo prima parens Eva, per interdicti fructus morſum, Satanæ inſidiis nocens facta eſt, ſubdidit non ſolum ſeſe, & omne genus futurum morti, verum inſuper univerſis ſuis filiabus dolores partus accerſivit inevitabiles. Sed ferrent miſeræ libenter hos ordinarios, ut ut ſatis importunos partus ſatellites, niſi crudelium carnificum turma quandoque in partu vitioſo ſuperveniret.

§. II. Quatuor hujus vitiati partus ſpecies recenſet *Hieronymus Mercurialis*, de morbis mulierum (1) *Si erretur in tempore, accitius debito, antequam perfectionis & maturitatis punctum attigerit, extra uterum turbetur Embryo, in Abortu.* (2) *Si erretur in figura, dum fœtus nunc pedibus aut manibus, aliisque partibus inſuetis, exitum inepte quærens, nunc monſtroſitate capitis, aut alius partis, vel morbo, aut morte impeditus, ſitum & officium ad partum felicem neceſſarium, non obſervat.* (3) *Si plane non, aut tardius, cumque maximis, ac vehementisſimis cruciatibus, vitæque diſcrimine, matris culpa contingat,* & (4) *ſi poſt fœtus excluſionem, non ſtatim ſequatur ſecundina, ſed intus adhuc aliquandiu retineatur.* *Species vitiati partus.*

§. III. Non animus eſt de ſingulis in præſentiarum diſſerere, qui tertiam tantum ſpeciem Diſputationis hujus argumentum eſſe volui. Accidit autem in illa, ut juſta partus hora, irrito plane nixu, nobile hoc ventris onus, excludere laborent prægnantes, non ſine doloribus exquiſitiſſimis, vires quandoque vitamque infeliciter depaſcentibus. Primum igitur ſymptoma, hunc difficilem à naturali partu diſtingvens, atrox iſte & horrendus eſt dolor, tantus ſane, ut maximas tribulationes & anxietates S. Scriptura paſſim ſub hoc ſchemate depingat. *Vid loca apud Pſalmiſt. Pſalm. XLVIII. v. 7. Eſaiam cap. XIII. verſ. 8. cap. XXI. verſ. 3. cap. XLII. verſ. 14. Jeremiam cap. IV. verſ. 31. cap. VI. verſ. 24. Hoſeam cap. XIII. verſ. 13.* Alterum eſt irritus parturiendi conatus, ad horas non ſolum, ſed dies & ſeptimanas quandoque protractus, qualia exempla illi, qui ex profeſſo obſtetricandi artem deſcripſerunt, frequenti numero ſuggerunt. *Symptomat[a]*

§. IV. Sed ne incautus decipiatur Medicus, monendum venit, non omnem abdominis exquiſitum dolorem, indicare ſtatim δυστοκίαν in gravidis, vexantur enim aliquando lumborum ac coxendicum dolore, Nephritide, Colica aut alia dolorifica paſſione *Diagnoſis dolorum a[b] aliis.*

ne ſatis quoque atrociter. Proinde attendendum probe eſt, num partui vicinis ipſi accidant, numve veri partus ſint dolores nec ne. Primum colligi poteſt ex naturali geſtationis ſpatio emenſo, hoc eſt, quando à conceptu novem ſolarium menſium tempus præterlapſum eſt, quod prudentes & expertæ mulieres accuratè determinabunt. Notanter dixi prudentes & expertas terminum illum accurate noſcere; aliis enim utut ſatis loquacibus vix unquam tuto fides eſt adhibenda, quem ſiquidem calculum ad menſium ſuppreſſionem, motumque infantis in utero ponunt, ſemper fallax & dubius eſt, cum menſtrua non infrequenter extra hanc cauſam ſiſtantur, fœtusque inter uterum, nunc ante nunc poſt medium geſtationis tempus, ſe movere incipiat, imo ſæpius loco fœtus in abdomine ac utero concluſi flatus, ac ſeroſitates nimium credulas deludant. His quoque addi poteſt Hydrops Ovariorum & tubarum, de qua videantur notabiles hiſtoriæ in *Adenographia* clariſſimi *Nuckii* nuperrime edita *p. m. 84.* item mola, de quarum natura & origine clariſſimus *Ruyſchius* curioſam obſervationem exhibet *in centur. obſerv. Anatomico-chirurgicar. Obſ. 58. p. m. 74.* Uti ſingulis hiſce de cauſis, earumque diagnoſi, nondum ſatis laudatus *Bohnius* Lipſienſium Profeſſor Primarius Celeberrimus Præceptor ac Patronus omni obſervantia colendus, egregie egit in *Collegio* Privato de Mulierum affectibus. Igitur in his, internum uteri orificium digito obſtetricis contrectatum, certiora inſtantis partus ſuppeditabit teſtimonia, ipſum demiſſum ſcil. paululum ad pudoris muliebris introitum, ſimulque hians quodammodo certo expectatum parturiendi terminum indicabit, ſicuti contrarius ejus ſtatus errorem.

§. V. Quoad alterum punctum, conſtabit illud (1) Ex ſede doloris, epigaſtricam regionem, latera inprimis ac dorſum occupantis, adeoque à doloribus nephriticis & colicis facile diſtinguitur, qui in regione lumbari, & abdominis ambitu, ſedem habent ſuam. (2) Ex doloris formalitate, ſeu natura compreſſiva ad inferiora, cum aliquali uteri ardore ac intumeſcentia tendente. Omnium tamen certiſſime cognoſcitur, ſi ſeroſitates diſrupturam fœtus involventium membranarum, proximeque inſtantis partus infallibiles prodromi, ſimul plus minus copioſe è genitalibus ſtillent.

§. VI. Hiſce ergo probe perpenſis, certoque cognitis, veris quidem ſed irritis, ſive clarius loquendo, difficili partus labore, tentari puerperam, de officio erit Medici, in cauſas hujus mali ſtudioſe ac prudenter inquirere, cumque inſtituti noſtri tantum ſit, culpam hujus difficultatis in ſola puerpera quærere, (reliquas enim cauſas ex parte fœtus & Obſtetricis accedentes conſulto ſicco, ut ajunt, pede tranſilio) melioris doctrinæ gratia placet primo *præter naturam conſtitutas partes illas, quæ nixum promovent, & poſtmodum quæ fœtum tranſmittunt*, *examinare*. *Cauſa hæret*

§. VII. Cumque omnis animalis motus in corporea noſtra machina conſpicuus, à ſpiritibus in fibras motrices influentibus dependeat ſemper, non eſt, ut alium apparatum pro hoc conatu quæramus quam ordinarium, muſculos puta à partibus impetum facientibus actuatos ac inflatos. Igitur ante omnia ad has principales partes eſt attendendum, quomodo cauſam morbi conſtituant. Fiunt vero immemores officii ſui, nunc quando propter morbum aut animi pathemata graviora turbantur & avocantur. Res ad oculum patet in terrore quovis incuſſo, ubi ex fuga ſpirituum facies pallet, artus contremiſcunt ac rigent, verbo: univerſa motus organa languent deſubito, mirum itaque non eſt, ſi haud difficilis effectus à tali animi in gravida, ac vehementi commotione, in organis nixui inſervientibus etiam excitetur. vid. *Vidus Vidius lib. 11. de cur. gener. cap. 6.* *nunc in ſpiritibus terrefactis*

§. VIII. Non alia eſt ratio timoris ac metus, ubi puerperæ puſillanimes, Deo viribusque ſuis diffidentes, triſtem ac infauſtum nunquam non ſibi pollicentur partus exitum. Vix enim expri- *langventibus ex metu*

exprimi ſatis poteſt, quantum tunc labor iſte neceſſarius impediatur quamque infelix καταςροφὴ ſequatur. Siquidem ſpiritus triſti hac & meticuloſa idea characteriſati, neutiquam aggrediuntur animoſe negotium hoc, ſed levi dolore ac moleſtia affecti, deſiſtunt in momento rurſum ab opere inchoato.

frigore §. IX. Sed quemadmodum in his caſibus ſolius impreſſionis phantaſticæ culpa, robur detrahitur organis, ita alio tempore, ab inclementia aëris frigida impeditur illud, quatenus ex fibris motricibus vitale noſtrum principium, ſi non totaliter, maximam tamen partem exturbatur, adeoque muſculos rigidos, & ad omnem motum penitus ineptos efficit, quale quid unusquisque in ſe ipſo hyemali tempore facile experitur, conferatur de hac cauſa *Foreſtus lib. 28. Obſ. 74.*

morbo prægreſſo. §. X. Pertinet huc etiam languor univerſi corporis, à morbo nunc prægreſſo, nunc adhuc præſente dependens. De febribus id dudum obſervavit *Hippocrates ſect. V. aph. 55. Quæcunque utero gerentes febribus detinentur, & vehementer extenuantur citra manifeſtam cauſam, ea difficulter, & cum periculo pariunt, aut abortionis periculum incidunt.* Apud alios Practicos ſimile quid de inedia, aut evacuatione larga præcedente, item de aliis morbis commemoratur; non enim poſſibile eſt, diutius perferat iſtum violentum conatum, quæ enervata jamjam à morborum conflictu eſt. Neque ex alio fundamento nocet ſomnolentia nimia, vel veneris immoderatus uſus tempore geſtationis admiſſus, quas cauſas *Salmuth cap. 2. obſt. 69. & Hippocrates libro de ſuperfœtatione* adducunt, niſi quod activas illas, motum alias excitantes, particulas in corpore vel ligent, vel conſumant.

§. XI. Non erravero, ſi ad hanc claſſem etiam referam doloroſas affectiones & Plethoram. In prioribus namque morbis v. g. in Colica paſſione, aut nothis partus doloribus, diutius puerperam excruciantibus, enormiter deſtruuntur ſpiritus, & hinc ordinarie poſt morbos hos conſopitos querelæ ægrotarum de languore inſolito audiuntur. In altero autem affectu, præter naturam abundans ſangvinis copia circulationis ſangvinis impeditæ, & hinc dependentium functionum, adeoque etiam pnevmatoſeos læſionis, exiſtit cauſa.

§. XII. Sic ſpiritus ſymbolum ſuum contribuunt; ſed habent quoque organa motui huic inſervientia eaque tam proximiora, quam remota aliquid culpæ. Sub proximioris organi titulo, loquor uterum, utpote ratione ſuæ ſubſtantiæ fibroſæ admodum ad illud negotium concurrentem. Tripliciter autem ipſius motum læſum incuſare cogor, (1) *ſi plane defuerit*, (2) *ſi non ſuffecerit*, (3) *ſi præternaturalis, & irregularis extiterit.* *nunc in partibus ſolidis.*

Statim ſiquidem ac fœtus inſtante partu ſe ſe circumvolitat, caputque declinans pudendo offert, pedibus ad uteri fundum extenſis, dilacerat membranas illum involventes, calcitrandoque ulterius moleſtiam infert utero, ſicque facit, ut irritatis ipſius fibris conſtrictoriis hoſpes ille importunus tantarum turbarum autor in lucem protrudatur. Quod ſi ergo vis illa uteri conſtrictoria, quæ communi ſtylo nomine dolorum partus venit, neutiquam excitetur, nec fœtus ſolus, quicquid etiam auſus fuerit ipſe, propriis viribus egredi poterit. *ob motum uteri deficientem.*

§. XIII. Simile periculum imminet fœtui ex inſufficienti contractione uteri, movet equidem, ſed non promovet ipſum, interea tamen inſigniter, præprimis paululum protracta, vires puerperarum conſumit, hincque frequentiſſimè perit ante diem puſio, & quæ vitam dederat matrix, ejus in capſulam feralem commutatur. Cogitur enim fœtus, capite prono exitum quærens, intra vaginæ anguſtias, & niſi continuatus impetus uteri ulterius ipſum protrudat ſubito, nimium compreſſum caput certiſſime mortem producit. *inſufficientem*

§. XIV. Non cedit binis his circa uteri motum occurrentibus vitiis tertium, nempe præternaturalis & irregu- *irregularem*

regularis contractivus uteri motus, quando non à fundo iſte incipit, & verſus orificium tendit, ſed modo ab inferioribus ad ſuperiora, modo ad crura fertur. Fabulam equidem redolet, quod aliqui Practici cum Davide *Herlicio* de cura Gravidarum & puerperarum narrant, dum aſcenſum dolorum horum & egreſſum extra os ſtatuunt. Superſtruitur ſiquidem ineptæ opinioni priſcorum de motu ejusmodi tumultuario ac vagabundo uteri ad ſtomachum, diaphragma, pulmones, aſperam arteriam &c. nihilominus modo prudenter accipiatur iſte aſcenſus & deſcenſus, nihil plane abſurdi alit; cum enim per nervos cohæreant ſuperiores ac inferiores partes, facile ex conſenſu in remotis locis dolores, convulſiones & ſpaſmi excitabuntur, quieſcente interim intempeſtive utero.

…em ob vitia …iaphragmatis

§. XVI. Hactenus uteri vitia. Quandoquidem autem diaphragmatis muſculorumque Abdominis conſtrictorius impetus inſigniter quoque partus negotium promovet, (Omnis enim nixus & conatus ab expirationis ſufflaminatione violenta proveniens, egregie uteri contractioni ſuccurrit, ita ut quæ ſola ante hac inſufficiens erat, nunc impetu longe violentiori, cunctis ſimul abdominis viſceribus verſus inferiora protruſis, irruat in fœtum) idcirco aliquando etiam in his morbi cauſam reperire licebit. Confirmant hoc Gibboſæ, Phthiſi & Pleuritide laborantes, quibus ob denegatam ſufficientem expanſionem pulmonum, nunquam non partus redditur difficilis. Confirmant etiam nimium molles ac delicatulæ parturientes, quæ præ inſigni ſenſibilitate, ſæpius etiam immorigeroſitate incompoſito corporis motu & ſuſpiriis ac ejulatu excitato, egregiis ac optimis uteri convulſionibus reſiſtunt. Debet namque mulier tota eſſe intenta huic actioni, de qua *Ariſtoteles 7. de generat. Animal. cap. 2. dicit, quod vel ſola oſcitatio noceat partui.*

…c muſculo…um abdominis

§. XVII. Sed hærent præterea motus harum partium impedimenta, etiam in abdomine, & quidem nunc in interioribus, nunc exterioribus locis. In interioribus, obſtat jam ventriculi nimia repletio, qua occaſione peſſima quarundam muliercularum conſvetudo reprehendenda eſt, quæ alimenta copioſa, quo viribus usque adeo ad nixum neceſſariis ſuccurrant, brevi ante iſtum laborem aſſumunt, tantum enim abeſt voti reddantur compotes, ut potius difficultatem, infarctu illo ventris, gignant manifeſtiſſimam. Obſtant etiam Scirrhi Lienis, Hepatis, & Meſenterii, item ſeroſitates præter naturam collectæ in cavo abdominis, iſtæ enim ſicuti diſtendunt ſtupendam in molem ventrem, ita omnem abdominis compreſſionem impediunt.

§. XVIII. In exterioribus partibus, omne, quod motum muſculorum abdominis transverſalium & rectorum inhibet, incuſandum eſt. Fortiter namque iſti, dum ſuo præſunt munio ſeſeque contrahunt, viſcera abdominis cogunt ad uteri fundum, ſicque egregie juvant ejus actionem ad partum neceſſariam. Inhibet autem hunc motum omnis generis tumor, organa hæc motoria occupans, imo & peritonæi, à pedis contuſione oriundum abſceſſum, parturiendi inſignem difficultatem generaſſe, refert Louys Bourgois lib. obſtetr. quod facile admiſerim, ob ſummam arctitudinem inter dictos muſculos, & hanc membranam intercedentem. Sed non ſolum abſceſſus peritonæi nocet, à dilaceratione aut relaxatione ejus imminet quoque partus infauſtus, quod Herniæ evincunt, tunc enim omnis nixus ad mortem etiam usque continuatus, irritus plane deprehenditur. Exemplum ſuggerit *Schenck. in obſ. ſuis,* ubi Omphalocele laborans puerpera, inter enitendum ſurſum ad Herniæ cavitatem detrudebat fœtum, qui poſtmodum non niſi ſingulariſſima induſtria iterum in locum naturalem reduci, & ad partum diſponi poterat.

§. XIX. Sed miſſis vitiis partium ad nixum concurrentium, progredior ad transmittentes fœtum, & quidem ad partium genitalium pravam conſti- *ob pravam genitalium conſtitutionem.*

conſtitutionem, quæ in omnibus ac ſingulis ejus partibus accidit, occurrit ſiquidem talis modo in orificio uteri ipſo, quod ſcirrho, aut alia inſveta duritie obſeſſum, ultimis duabus geſtationis ſeptimanis, prout ſecundum naturam debebat, nec deſcendit, multo minus dilatatur. Deinde ſiſtere etiam ipſa ſe poteſt in vagina uterina, ex iisdem modo de orificio recenſitis cauſis; inſuper tamen prolapſus ejus & tumor, tam inflammatorius, quam ex colluvie ſeroſa proveniens, exitum molienti fœtui obicem firmiſſimum ponit. Sed magis adhuc impedit uteri vitiata conformatio laborem iſtum, quando nimirum antrum Venereum ſtatim à nativitate membranacea aut carnoſa aut alia ſubſtantia in Atretis eſt clauſum, aut ſi poſt partum difficilem, aut aliam violentam dilacerationem ineptamque ſubſequentem conſolidationem, præpoſtere coalita fuerit patula alias via. Conferatur *Mercatus de mulierum affectibus lib. III. cap. 3. Hildan. Obſ. centur. 3. Obſ. 60. 61. cent. 6. Obſ. 67. Schenck. Sennert. in Inſtit. Medic.* item Clariſſimi *Frederici Ruyſchii Obſerv. 22. in centuria Obſervationum ſuarum Anatomico-chirurgicarum p. m. 27.* Eſt & alia arctitudo, cunctis primiparis, immaturæque ætatis ſolennis (quam *Hippocrate teſte lib. de natura puerorum*, inter cauſas noſtri morbi non infimas recenſere debemus) aſt levis hæc ipſa eſt, & modo parum tenaces propoſiti animi conatus acceſſerint, vinci promptiſſime poteſt. Reſtat tandem labiorum, quæ genitalibus adſtant, Sphincterisque ani, intumeſcentia, ac inflammatio, ex violentiori compreſſione, & operatione manuali obſtetricis, aut à nixu violento excitata. In quantum vero hæcce obſtare conatibus valeant, etiam ex virili ordine norunt, qui hæmorrhoidibus tumentibus, aridas excludere feces, aut duriores contrectationes ſenſatarum, inflammationeque correptarum partium, perferre coguntur.

oſſis coccygis indurationem

§. XX. Utut vero nulla in his omnibus partibus notetur anomalia, coguntur tamen, inprimis provectioris ætatis mulieres, ob induratam nimis oſſeam concamerationem, pelvis nomine notam, pericula ſubire gravia, ſæpiusque funeſta. Neutiquam enim flecti ſe patitur os coccygis, quod tamen inprimis cedere debet verſus exteriora; neque reliqua oſſa, quæ innominata vocantur, & inprimis ex ipſis os pubis ſecedit debito modo, utrumque tamen ad viam illam alias ſatis anguſtam quodammodo ampliandam utique perneceſſarium videbatur. Equidem à non paucis hujus ævi Medicis negari illam oſſis pubis dehiſcentiam, ab antiquitate frequenter allegatam, memini; novi etiam rationes oppido prægnantes, quas pro negativa adſtruunt, nihilominus connexio hujus oſſis per Synchondroſin, poſſibilitatem, & *Pærei Lib. de generatione, Bauhini lib. 1. theatr. Anatom. & Excell. Ruyſchii obſ. 43. p. 57.* aliorumque graviſſimorum autorum obſervationes veritatem evincunt.

§. XXI. Alio tempore obſtacula alia adſunt, quæ modo ab antica, modo poſtica uteri parte apparent. Ab antica parte veſica urinaria calculis infarcta impedimento eſt, qualia exempla *Hildanus & Tulpius allegant;* à parte poſtica autem inteſtinum rectum, flatibus vel fecibus aridis infarctum vel tumentibus occupatum obſtat, vid. *Chriſtiani Langii Miſc. poſ. 32. p. 100.* Item quando fœtus male locatus eſt, ita ut caput ejus os pubis premat, aut alium ſitum pravum obſervet aut monſtroſus fuerit. Prætermitto vero harum cauſarum tractationem conſulto, quoniam iſtæ ad Chirurgum & obſtetricem ſpectant. *aliaque obſtacula*

§. XXII. Denique etiam egreſſum fœtus felicem impedit debita lubricitas viarum deficiens. Scilicet, cum in naturali ſtatu à ſero ſecreto, & inprimis ab humoris Amnii ſtillicidio, adeo laxæ, molles, ac leves fiant ordinarie illæ partes, ut obſtetricum ac Chirurgorum digitos, imo manum totam facile admittant, accidit è contrario, ut quæ calidioris & ſiccioris ſunt temperamenti, vel ſtylo recentiorum, ſeroſitatum defectu à morbo quodam præ- *item viarum ſiccitatem*

prægreſſo, vel propter ætatem adultiorem, laborant, aut quæ intempeſtive diſruptis involucris, axungiam illam neceſſariam inutiliter profuderunt, hærere diutius, quam par eſt, uteri nobile pondus.

Signa. §. XXIII. Tot ergo à cauſis vitiatur noſtri examini deſtinatus Partus, quas cognoviſſe ſingulas, multum inſervit præſidia adhibituro. Manifeſta autem per ſe ſunt ex hiſce, quæ ab aëris vitio, animi pathematibus, Pleuritide, Hydrope, ætatis vitio, doloribus partus peccantibus, gibboſitate, gracilitate, obeſitate, &c. proveniunt, modo præſens fuerit Medicus, ſtudioſeque ad ſingula attendat. Quæ vero v. gr. ab Herniis, abſceſſibus Peritonæi ac muſculorum abdominis, ſcirrho, tumore, inflammatione, prolapſuque uteri, item quæ ex vitiata conformatione uteri, quæ à calculo veſicæ, alvi ſuppreſſione, hæmorrhoidumque intumeſcentia naſcuntur, vix, niſi ex confeſſione ingenua, aut illa ſilente ex ſymptomatibus conjunctis, hauriuntur.

Prognoſis. §. XXIV. Facillima autem, cognita cauſa morbi, erit Prognoſis de ipſo. In genere ſiquidem notetur, omnem partum difficilem eſſe periculoſum, propter periculum vitæ, quod fœtui ex compreſſione adeo violenta, & puerperæ ex virium conſumtione, ob diutius protractum iſtum laborem imminet. Attamen, quo diutius negatur excluſio, eo majus periculum imminet ſemper. Bono tamen adhuc animo eſſe jubet, & puerperam & Medicum δυςόκεια ex nothis partꝰ doloribus, fecum collectione, aëris inclementia externa, hæmorrhoidumque tumore exſurgens, ſecus ſperandum de Hydrope, Scirrho uteri, Herniis, Phthiſi, Pleuritide, febre ardente, &c. utpote quæ remediis vel plane non, vel admodum difficulter, concedunt locum.

[Cu]ra in ſpi[rit]uum defectu. §. XXV. Sed nunc ad Therapiam hujus affectus pergendum eſt. Proinde, ubi deficiunt vires, ſive ex terrore, metu, triſtitia, aut etiam propter alios morbos prægreſſos, commendari poſſunt Analeptica & roborantia ſpirituoſa, vinum ſcilicet generoſum, malvaticum, aut aliud, balſamus embryonum, aq. vitæ Mathioli, aq. cinamomi, bugloſſ. cum vino aqu. apoplect. ſpir. lil. convall. roſar. Meliſſ. &c. cum cautione tamen hæc dentur, quod ſi enim inaſſvetis copiam ipſorum propinaveris, parum abeſt, quin inebrientur, locoque deſiderati vigoris debilitas ac ſomnolentia infelix ſuperveniat. Deinde etiam, ex inconſiderata hac exhibitione, in ſcorbuticis ſubjectis facile æſtus excitatur præternaturalis, & maſſa ſangvinea in motum rapitur enormem; etiam poſt partum, per uteri hæmorrhagias damnum non leve adferentem. Commendantur etiam pro hoc Analeptico ſcopo ambrata medicamenta, à *Zacut. Luſit. Prax. Hiſt. lib. 3. cap. 17.* verum cum pauci fœminarum ſvaveolentiam ejus ferant, ſed ſtatim ex ipſius odore uterinas commotiones, ſyncopen aliaque dira ſymptomata experiantur, non facile admiſerim, ut quicquam de illis exhibeatur, niſi certa experientia jamjam conſtet, nullum exin damnum eſſe metuendum, in his vel illis in ſpecie ſubjectis.

§. XXVI. Meticuloſas & timidulas erigunt etiam adhortationes & perſvaſiones, utpote quarum vi animus proſtratus ſæpius inſigniter impellitur, ita ut gelidis ac trementibus artubus expectantes ſortem malam, ſolis his ſvavibus ac potentibus alloquiis adactæ, ſpe animoſa in Deo recumbere, ejusq; in auxiliis fiduciam certam locare ſæpius incipiant. Oſcula etiam dulcia, à marito impreſſa, amplexusque molles, magnarum quoque pro hac intentione creduntur virium. Quod ſi tamen his ſolis pectora tremebunda mulceri non poſſunt, ad herbas & lapides, utpote quibus, *Helmontio* teſte, magna quoque ineſt virtus, confugere cogimur. Quod lapides concernit, loquor Ætitem, de quo narratur, quod internæ femoris parti non procul à pube admotus levem placitumque partum certo efficiat. Hinc *teſte Colero Oeconom.* in Curiis quorundam locorum (nomi- *Meticuloſitate.*

 nat

nat vero in ſpecie Francofurtum ad Oderam) aſſervari Ætitem, quem tempore neceſſitatis, parturientibus commodent; alia exempla, eaque infinita a Doctis æque ac vulgo prolata, conſulto prætermitto, cum ea a *Bauſchio* in tractatu integro, de Ætite conſcripto, jamjam congeſta ſciam. Operandi autem rationem, neutiquam cum *Crollio* de ſignaturis, *Quercetano*, *Mylio*, aliisque ex ſignatura, aut cum *Lemnio*, *de occultis naturæ miraculis lib. IV. cap. 12.* ex ſingulari attractiva facultate, ſed tantum ex phantaſtico quodam agendi modo, quatenus ſcilicet animo, tot tantisque experimentis & pollicitationibus erecto, robur inſigne accedit.

§. XXVII. Inter herbas allegare placet primo Hierichunticam roſam, de qua communiſſime referunt, ipſam vino immiſſam, utut aridiſſimam, rurſum explicare ramuſculos ſuos, ſimulque dimittere de ſe in vinum dictum virtutem inſignem adverſus difficultatem partus. Conferantur, quæ de hac roſa literarum monumentis conſignarunt Excellent. *Ammannus b. m. in Charactere ſuo Plantarum naturali p. m. 383.* Cornutus, & Bellonius, item Sturmius, qui integrum tractatum de ipſa conſcripſit. Deinde huc quoque refero Momordicæ fructum, quem maturum, in manu puerperæ paululum detentum, rumpi, ſeminaque contenta ejicere, eodemque momento eundem effectum in puerpera etiam producere, mulierculæ quædam firmiter ſibi perſvaſum habent. Non negabo experimenti utriusque priorem partem, expanſionem puta brachiorum roſæ Hierichunticæ æque ac dehiſcentiam pomi Momordicæ, ſi manu detineatur, nihilominus nulla alia operationis felicis eſt ratio, quam ut egregiis encomiis fidentes puerperæ timorem metumque, quæ antehac impedimento erant, ſolvant pellantq;.

§. XXVIII. Non erravero, ſi huic Catalogo etiam inſeram illud *Hartmanni* experimentum, quod *pag. 299. Prax. Chymiatricæ* adducit de oculo leporis, in martio menſe capti, hoc ipſum ſiquidem cum pipere in orbe exſiccatum, ſupraque verticem, ut pupilla ipſum tangat, ligatum, tantarum exiſtimat virium, ut fœtum, ſeu mortuum, ſeu vivum, certo educat, & quidem tam potenter, ut niſi mox a partu rurſum removeatur, ipſe uterus brevi quoque propellatur. Neque enim fruſtum cutis Tigridis, femori ſiniſtro alligatum, teſte *Dolæo*, educens fœtum, alio operabitur modo, niſi imaginationis, quæ quantum valeat in prægnantibus, tractatu eleganti deduxit *Thomas Fienus* de viribus imaginationis.

in frigoris,

§. XXIX. Quod ſi partus difficilis, ex aëris inclementia frigida, incautius corpori admiſſa, proveniat, adverſus ipſam vix convenientius excogitabitur remedium calore externo, à lignis accenſis, aut ſtragulis corpori appoſitis, l. lateribus calefactis, excitato, utpote quo revocatur ad exteriora ſpiritus, antea frigoris auſteritate ejectus ac fugatus.

aut morbi rum damn

§. XXX. Quæ vero parturientes morbis vexantur, nixusque obſtacula, ab ipſis actu adhuc præſentibus, ſentiunt, non alia, niſi illis in ſpecie appoſita medicamenta, reperient ſalutaria. Ex inedia hinc, aut evacuatione nimia langvidis inſervient juſcula reſtaurantia, ovorum recentiorum vitelli cum vino cretico ſorpti, chocolada, aliaque eupepta & nutritiva. In febribus confugiendum eſt ad antipyreta uſitata, imo & venæ ſectio non negligenda erit hoc in caſu, immediate ante partum celebrata, ſpeciatim, ſi plethorica extiterint ſubjecta, imo in ſola ſangvinis abundantia, extra alium morbum, adornanda eſt omni tempore phlebotomia, conferantur *Borellus & Claudius de la Courve*, ex recentioribus, & ex priſcis *Hipp. Lib. 1. de morbis mulierum.*

in ſomnolentia

§. XXXI. Quandocunque intempeſtivam ſomnolentiam impedimento eſſe animadvertimus, excitantia præſidii loco inſervient diverſa, pro cauſarum, torporem iſtum producentium, diſcrepantia, quemadmodum ex Practicorum codicibus ea facile haberi poſſunt. Minime tamen ipſis opus erit, in ſomnolentia non

non adeo morboſa, ſed magis naturali, ex delaſſatione ſcilicet nimioque partus labore ortum trahente; potius ergo concedi & promoveri debet quies, quo vires colligantur novæ. Neque metuendum eſt, opportunitatis momenta interea prætermitti, omnis enim ſomnus discutitur ſtatim, ac veri partus conatus accedunt.

...atuũ de... u, ac im... ...illitate

§. XXXII. Hactenus facile obtinere potuit Medicus remedia, cauſis accommodata, ſed majori ſtudio erit opus, ubi conatus vel plane deficientes, vel nimium debiles viderit; niſi enim promptus ac felix in ipſorum exhibitione fuerit, & fœtæ & fœtus res tenui ſatis filo pendet. Propinabit ergo tunc Medicus puerperæ, præter Analeptica ſupra enarrata, ſtimulantia, motusque hujus organa irritantia, uti ſunt cinamomum, caſſia lignea, anthophylli, dictamnus, myrrha, ſabinæ folia &c. eaque nunc ſub forma pulveris cum aqu. lib. alb. puleg. artemiſ. matricar. &c. aut cum Vino Generoſo vel aqu. ſpirituoſa v. g. Balſamo Embryonis, nunc ſub forma olei deſtill. aut pulveris, quod ultimum olim ariſit *Dn. D. Michaëli*, quondam Practico & Profeſſori apud Lipſienſes celeberrimo, qui talem ad partum difficilem ex aromatibus ſupra recenſitis, ſecundinaque humana admodum convenienter compoſuit.

...ſtimulantia.

Salina.

§. XXXIII. Quid ſalia ad hanc intentionem conferant, notiſſimum eſt, quem enim niſi hoſpitem in praxi latet, Boracis Venetæ uſum adeo eſſe proficuum in partu difficili, ut reliquis remediis omnibus dubiam videatur reddere palmam. Conferantur modo quæ *Zacut. Luſitan. & Horatius Augenius* de hoc Medicamento adducunt. Eſt hoc ipſum ſal quoque, quod *D. Chriſtiani Langii*, Profeſſoris antehac famigeratiſſimi, Lucinæ (ſic pulverem adverſus δυςοκίαν expertiſſimum ſalutat, in ſuis *Miſcellaneis curioſis Medicis §. 32. p. m. 79.*) baſin conſtituit, prout id ex ipſius manuſcriptis didici. Quod ſi tamen quis in ejus defectu ſubſtituerit ſal. ammon. crudum, vel flores exin ſublimatos, aut ſpirit. ſal. ammon. nunc ſimplicem, nunc caryophyllatum, ſuccinatum, aut lavendulatum, habebit etiam in his, quæ ejus deſiderio abunde ſatisfacere valeant.

§. XXXIV. Specificam vim adſcribunt ſecundinæ humanæ exſiccatæ (cujus præparandi modum *Hartmannus in ſua Praxi Chymiatrica* ſuggerit) aut ſpiritui ex ipſa putrefacta elicito, certiſſimum tamen eſt, nullam penitus prærogativam præ modo laudatis ſalibus volatilibus, aut ſal. vol. cornu cervi, viperarum, vel Tinctur. Bezoardica (quam Excellentiſſimus *Dn. D. Wedelius* frequenter adhibere ſolet) illi competere. *Specifica.*

§. XXXV. Magna etiam verborum pompa deprædicat *Helmontius in tract. Aſtra non inclinant* §. 49. & ex ipſo *Panoroll. Zwelfer. du Hamel, Boyleus in phil. experim.*, Hepar Angvillæ cum bile exſiccatum, à Drachm. Sem. ad Drachm. j. cum Vehiculo convenienti exhibitum, quam vero operandi rationem *in Duumviratu* §. 47. ſuggerit *Helmont.* ſcilicet, cum mulier jam parere debuerit in dolore, propter ſerpentis invidiam Deum, cujus ſpiritus aquis incubabat, eas benedictione repleviſſe, ut anguillæ, ſive aquæ ſerpentis viſcera acquiſiverint ſymptomatibus opitulantia, vix tanto Philoſopho digna eſt; mirandum enim, quamobrem ſolum Epar & quidem cum felle exſiccatum, non reliqua etiam viſcera facultatem hanc poſſideant. Quicquid igitur hoc medicamentum præſtat, id omne velioſo liquori inſpiſſato, particulisque ſtimulantibus intus concluſis in acceptis ferendum eſt. Hinc novi, à quodam Medico egregio bilem animalium quorumcumque inſpiſſatam, deficiente partus conatu, ex voto porrigi.

§. XXXVI. Refert *Claudinus Conſ. 107.* maxime quoque conferre ſuccum, è cancris vivis cum aceto aut vino contuſis elicitum; non tamen aliunde, niſi ex vi ſalina & diuretica operari iſtum puto, qui omnia diuretica, adeoque etiam Tinctur. milii ſolis, aut emulſionem ejus, vel ſem. violarum, ex *Clar. Langii Miſcel. l. c. & Excell. We-*

Wedelii Amœnitat. materiæ Med. p. 391. conferre novi. Et hinc quoque deduco unice effectum proſperum, quem ex talo leporino aut cervino, nucleisque dactylorum & ex aqua, in qua ova gallinacea aliquamdiu ebullierunt, exhibita obſtetricum vulgus expectat.

§. XXXVII. Contentus his ſtimulantibus erit Practicus junior, nec opus habebit, mariti urinam, aut ſtercus equinum in vino expreſſum epotandum exhibere puerperis cum *Hartm.* indigniſſima ſiquidem ſunt, ut ſvadeantur. Horreo profecto, & pene ventriculi everſionem experior, dum ſaltim cogito excrementa hæc, quæ, vel ſolo nomine nauſeam & vomitum movere valent, miſeris obtrudi fœminis, quid ſperandum erit de haurientibus iſta. Dicis: non male, licet vomitus ſequatur, Reſpondeo, non ſolum de officio eſt Medici, cito & tuto, ſed etiam jucunde curare, adeoque vomitorium ſi deſideras, non deerunt alia minus nauſeoſa; de quibus mox fuſius.

Vomitoria. §. XXXVIII. Scilicet vomitoria quoque, ſi nullis hactenus recenſitis ſtimulantibus parturiendi conatus excitari poſſunt, in ſubſidium ſunt vocanda, quorum copiam ſatis amplam Pharmacopœorum tabernæ ex Antimonio parata, ſuppeditabunt. Commendantur iſta maximopere ab *Angelo Sala* in triumpho Emetico, & ſpeciatim ex illis laudatur Mercurius vitæ, cui etiam ſymbolum ſuum adjicit *Ant. Gunther. Billichius Obſ. & Paradox. Chym. lib. 2. cap. 14.* ubi egregie extollens hoc vomitorium, etiam feliciſſime obſtetricare ipſum mulierculis periculoſiſſime parturientibus, teſtatur. Neutiquam vero cedit Tartar. Emeticus, ſyrupus, aut ſapa vomitoria, vel etiam vitriolum vomitorium rite paratum, cuncta ſiquidem tantum agunt, quatenus forti ſua vellicatione, non tam ventriculum, quam muſculos abdominis, & diaphragma, convellunt, quod in canibus vivis diſſectis *D. Chirac*, contra doctrinam communem, ac ſi motus periſtalticus ventriculi ſolummodo promoveretur à vomitoriis, *in Miſcell. Acad. Natur. Curioſ. Decad. IV. obſ. 125. p. 247.* certiſſime defendit. Quid vero harum partiū contractivus motus ad felicem partū contribuat, ſupra indigitatum eſt.

§. XXXIX. Equidem deterrere poſſet inexercitatum practicum ab ipſorum uſu, poſt excluſionem fœtus continuatus ejusmodi convulſivus motus, hæmorrhagia uteri, aliaque funeſta ſymptomata, exin facile oriunda. Verum modo (1) non aberretur in Doſi horum Medicamentorum, (2) ſtatim poſt partum offerantur aculeos ipſorum inviſcantia cum anodynis convenientibus conjuncta remedia, nullus plane triſtis eventus exin erit metuendus, ſed purgamentis illis evacuationi alias deſtinatis via magis parabitur. Quod ſi tamen nec tunc tibi ſatis tuta videantur omnia, poteris loco vomitoriorum, ſvadente magno *Hippocr. Aph. 49. ſect. 5.* ſternutatoria ex pulv. fol. Helleb. nigri, nicot. ſem. nigell., ſinap, piper. alb. flor. lil. convall. &c. inflare parturientium naribus, ita tamen ut immiſſo eodem os & nares ſtudioſe obturentur, quo ſpiritus ad inferiora deſcendens violentiorem præſtare impetum & concuſſionem poſſit.

§. XL. Sed nondum his ſtimulantibus contentos eſſe Practicos reperio, aliis etiam partibus illa applicarunt. *Peſſaria.* *Nicol. Pfizer tract. german. Weiber Natur p. 598.* aliique paſſim, Naſcalia ſeu peſſaria uterina ex colocynthide, myrrha, helleb. nigr. gumm. ammoniac. rad. ariſt. rotund. & felle taurino parata ſvadet, circa quorum tamen uſum id mihi videtur monendum, vix illa poſſe applicari, ſi fœtus ordinarium ad partum ſitum, obſervet, omnia enim tunc repleta ſunt in meatu verendo, adeoque neſcio, quorſum repoſueris tunc peſſaria. Extra vero hunc ſitum num convenire poſſint, vehementer dubito, irritabunt enim & arrodent partes teneriores vaginæ uterinæ extra neceſſitatem & fructum ullum. Commendaverim ergo potius lotiones, ventris cum decocto colocynth. vel inunctiones umbilici, & ingvinis cum oleis deſtillatis, ſuccin. ruthæ, ſabin. aut trifolii fibrini, de quo legi meretur obſervatio *Johan. Jacob.*

Jacobi Willii, apud Bonettum, in Med. ſeptentrionali lib. 4. ſect. 7. obſ. 8. hæc enim muſculis abdominis ſtimulum addere ſine damno valent.

Adſtringentia. §. XLI. Poſſunt etiam in locum horum irritantium externorum ſubſtitui alio tempore adſtringentia, quod equidem intuitu primo ſatis paradoxum videtur, nihilominus, ſi experientiam velimus ut teſtem admittere, & rationibus locum dare, nihil monſtri alere effatum conſtabit luculentiſſime. Quoad experientiam ſiquidem, refert *Hoeferus in Herc. Med.* Empl. ex album. ovi & rubrica, ventri applicatum, miraculi ad inſtar, ejicere ſecundinas retentas, fœtumque mortuum. Poſſet huc jure etiam referri partus felix ex tuberibus cervinis, à *Schrödero Pharm. Medic. Chym. lib. 4. Claſſe 11. p. m. 254.* pro hoc ſcopo commendatis. Utrumque ſiquidem remedium, propter hamoſas muſculis abdominis immiſſas particulas, muſculorum horum contractionem, æque ac ante nominata ſtimulantia, promovere poteſt.

Faſcias. §. XLII. Et ne forſan dubium remaneat, à ſolis fibris carneis conſtrictis operationem iſtam dependere, faſciæ, ac cingula circumjecta ventri, idem præſtare demonſtrant. Nihil intereſt, ſive mantile aut aliud quid circumjiciatur, modo muſculis compreſſis eo ipſo robur acceſſerit. Hinc ſuperſtitionem ſapere magis, quam ſingularem obſervationem exiſtimo, quæ *Thom. Barth. de cingulo* è corio humano facto *cap. 3. Hiſt. 87. & in Anatom. reform. lib. 1. cap. 2. p. 15. & Unzerus lib. de nephritide p. 141.* narrant, nulla ſiquidem penitus prærogativa in his occurrit.

In Doloribus ſpuriis. §. XLIII. Sed tempus eſt, ut mittamus curam deficientium partus conatuum, & ad irregulares ſeu ſpurios partus dolores nos convertamus, quos crudelis Lucina quandoque dat. Poſtulant iidem Antepileptica, è quibus primas tenet ſuccinum album, quod pulveriſatum, *Baricellus Hortulo Geniali, p. 219.* & cum ipſo univerſus Practicorum chorus mirum quantum extollit. Eſſent. ejus deprædicat *Borellus* & oleum deſtillatum *Rulandus Theſauro curationum.* Liquor vero cornu cervi ſuccinatus Michaëlis, Ettmulleri, aliorumque Lipſienſium Practicorum obſervatione, Evporiſton eſt Medicamentum. Non cedit ſuccino Caſtoreum, cujus extractum & eſſentia omne præconium ſuperat. Conferatur *Marii Caſtorologia.* Ex vegetabilibus, Ruta & Chamomilla, ſe quoque commendant egregie; Verbo: quicquid motum illum convulſivum compeſcere valet, in tali caſu eſt optima Medicina. Confirmat hoc obſervatio ſupra citati *Langii, tit. 32. Miſcellaneorum,* de ſpecifico Cephalico, quod incantamenti ad inſtar miſerrime parturienti profuit. Idem præſtat ungula alcis, unicornu verum & dens Hippopotami, quo ultimo remedio Practicum quendam famigerabilem magnorum nummorum copiam ſibi acquiſiviſſe, memini.

§. XLIV. Utut vero optima hæc ſint recenſita antepileptica, cum anodynis tamen maritata inſigniter roborant. Facile hinc fidem adhibeo obſervationibus, quas de croci efficacia, ex *Joële, Henrico ab Heer, Prævotio, Dorncrellio, Amat. Luſitano, Franciſco Moræo, Sennerto, Timæo à Guldenklee, Felice Platero, collegit Heertodt in ſua Crocologia.* Poſſunt etiam, nimium urgente dolore, opiata in uſum trahi, de quibus videantur, quæ Clariſſ. *Vedelius in ſua Opiologia* conſignavit. Si tamen intus dare ultima metuas, ſufficiet externus ejus uſus, ſub forma Emplaſtri, aut ungventi, cum aliis antepilepticis, adhibitus.

§. XLV. Progredior nunc ad reliquarum cauſarum medelam, & quidem ordine jubente, ad immorigeras nimiumque impatientes ferendis vel leviſſimis partus conatibus, me converto. *Parturiente immorigera.* Equidem fateor, hiſce nullam creſcere herbam in hortis, ſed admonitionibus ac ſolatiis blandis, demulcendam eſſe mentem aſperam ac proſtratam. Vult vulgus, ad hujus cauſæ medicamina colaphum à marito inobedienti puerperæ inflictum etiam pertinere, aſt non facile conſenſerim, propter ſubjectorum & circumſtantiarum varietatem maximam. Quid ſi enim excandeſcens nimium

partu-

parturiens Epilepſia corriperetur, aut animam deſubito, præ nimia animi commotione, exhalaret? quale quid paucos ante annos in quadam non incelebri civitate contigiſſe, à fide digno Medico mihi relatum eſt; nonne tunc malum hoc conſilium puerperæ eſſet peſſimum?

ventriculo nimis infarcto. §. XLVI. Si à ventriculo, multum alimentis infarcto, dependeat culpa, vomitus tam medicamentis excitatus, quam ſponte ſuccedens, remedii erit loco. Ab Herniis vero quæ evenit difficultas, poſtulat primo repoſitionem inteſtinorum, poſtmodumque ſubligacula convenientia, quæ duplici dein ex capite proderunt, quatenus nimirum reprimunt ac coërcent Viſcera, ſimulque ſuccurrunt imbecillitati muſculorum abdominis.

In genitalium coalitione, §. XLVII. Superſunt adhuc curanda partium vitia, quas tranſit naſcendus fœtus. Ergo, quando externa loca coalita ſunt, aut membrana quadam clauſa, chirurgicum ſcalpellum adferet auxilium, quod in duabus puellis ſe obſervaſſe, & miniſterio lithotomi corrigendum curaſſe ſcribit *Meibomius in jusjurandum Hipp. Cap. 15. §. 41.* vid. etiam quæ habeant de hac materia *Henricus à Mœnichen in obſerv. anat. Job. à Meekren in obſ. Chirurg. Ronhuſius Hiſtor. Chirurgic. lib. 2. Solingen in Operationibus manualibus Clariſſ. Ruyſchius in centuria obſervat. Anatomico-Chirurgicarum obſerv. 22. p. m. 27.* aliique paſſim. Aſt profundius ſi penetret coalitio, & in callum ſolidius corpus abierit, difficilius, & quandoque plane non ſuccedit cura, quale exemplum *Felix Platerus lib. 1. obſerv.* recenſet. Manum ergo hic de tabula; pertinet enim tunc operatio talis chirurgica ad illam claſſem, quæ cum exitio frequenti adornatur, prout loquitur *Taliacotius lib. 1. de curtorum Chirurgia cap. 20.*

inflammatione, ac tumore. §. XLVIII. Quæ à pudendorum inflammatione ac tumore eſt anguſtia, illi medentur fotus & Epithemata, ex reſolventibus & adſtringentibus uſitatis, cum vino vel aqu. ſpir. facta, utpote à quibus ſtagnans maſſa ſangvinea reſolvitur non ſolum, ſed rurſum ad canales naturales quoque propellitur. Quod ſi autem ex arctitudine horum locorum naturali, proveniat impedimentum, illud cum nixu continuato, in Deum ſperans ægra, facile vincet, dilatatis nempe ſucceſſive & extenſis illis partibus.

in oſſis coccygis induratione. §. XLIX. Uti vero majus periculum imminet puerperæ, ita apparatus major requiritur, quando propter nimiam indurationem & cohæſionem oſſium pubis ac Coccygis, naſcitur periculum. Frequenter enim aliquot ſeptimanarum ſpatio ante partum, regio iſta tota, cum oleis, ac ungventis emollientibus, v. g. oleo cheiri, chamomelino, lil. albor. &c. debet inungi. Multæ nationes gravidas tales balneis aquæ dulcis inſtante partu immittunt, ut membra prius molleſcant, & relaxata facilius diducantur. Verum cum ob inſignem ventris molem cupas ingredi commode nequeant omnes, illis fomentationes cum Decocto Althææ, meliloti ſem. fœn. græc. ex *Sylvii prax. lib. 3. cap. 7.* Obſervatione, aut ut humiliori ſedili locatis ſacculus herbis emollientibus aut ſeminibus, floribus & fœnis &c. infarctus, & per ferventem aquam tractus, ſubjiciatur bis in die, ſubſequente ſemper partium illarum inunctione, ſvaderi poteſt. His quoque olei olivarum quantitas (quod oleum *Borellus* adeo proficuum obſervavit) ut frequenter ultimis geſtationis diebus porrigatur, autor fuerim.

§. L. Conveniet quoque hoc ipſum olivarum oleum, quando à fecum collectione, & ariditate, imminet δυϛόκεια, egregie namque humectat, ac lubricam reddit viam, antehac ſicciſſimam. Sumunt aliæ caricas pingves, paſſulas minores, &c. utunturque ferculo, ex ſpinachia ac prunis, à quibus ſemper alvus lubrica tenetur. Huc pertinet etiam ſequens experimentum, quod ex quodam Manuſcripto Medico practico antiquo, excerpere mihi licuit, ad partum facilem reddendum. Sic vero ipſum verbotenus ſonat: Mulier ſeu puella de-" virginata, volens ſine dolore & cla-" more parere, ne quis reſciſcat faci-"

le,

„ le, ſic procedat neceſſe eſt. Cum „ jam agitur quintus menſis à conce- „ ptione, ſeligat ſibi uvas paſſas pin- „ gves & mundas ab omni ſorde & „ pulvere (non tamen eas lavare de- „ bet) quarum ſingulo die, mane à „ ſomno expergiſcens, M. j. teneat in „ ore, quamdiu poteſt, non dentibus „ maſticans, ſed mucilaginem illam, „ & dulcedinem illarum, quæ lique- „ ſcit in ore, exſugens, donec nihil „ mucilaginis in paſſulis inſit ampli- „ us, deinde expuat reliquias. Ha-ctenus Man. S. Adjiciuntur his verbis probationis loco experimenta aliquot feliciſſimi eventus, ita ut parentibus inadvertentibus, ut ut in eodem cubiculo dormirent, filios pepererint meretrices. Nihilominus vix alium ab ipſo puto ſperandum effectum, niſi in hoc noſtro caſu, ubi etiam ſola clyſmata, brevi ante partum adhibita, aut loco ipſorum, ſuppoſitoria, admodum proficua obſervabuntur.

Hæmorrhoidum tumore

§. LI. Ubi hæmorrhoidibus tumentibus obſitus eſt ſphincteris ani limbus, hincque impedimentum dependet, diſcutientia & mitigantia uti rad. ſcrophular. herb. boni henrici, fol. momord. flor. verbaſc. ſambuc. papaver. ſem. & fol. Hyoſcyam., ſolani officinar. &c. item ſaturnina, camphora aliaque inſervient. Laudat etiam *Wedelius Miſc. Acad. Nat. curioſ. Decad. I. An. II. Obſ. 195.* Fabariæ radicem appenſam, & caryophyllum minimum Bachini, quorum effectum comprobabit experientia.

Viarum deſiccatione

§. LII. Denique quando aquarum vias iſtas verendas lubricantium defectus, vel intempeſtiva profuſio, remoram injiciat tranſeunti fœtui, inunctiones vaginæ uterinæ cum oleo calido amygdal. d. lil. alb. aut malvæ decoct. ſubſtituantur, ita, quod natura denegabat his partibus, ars eleganter ſupplebit.

§. LIII. Sic omnibus ac ſingulis recenſitis cauſis, prudens proſpiciet Medicus. Sed quod Gibboſitatem, Phthiſin, Pleuritidem, Hydropem, obeſitatem enormem, abſceſſus, ſcirrhos partium genitalium, calculumque inſignem veſicæ attinet, omiſi ipſorum curationem conſulto, cum firmiter mihi perſvaſum habeam, omnem Medicorum opem prorſus eſſe inanem, niſi natura contra omnium ſpem inſolite agat. Fato ergo, ſeu rectius loquendo, Deo committantur miſeræ iſtæ, qui preſſis ſuccurrere, afflictisque ſuggerere opem, quam homines neſciunt, novit. Nam,

Non eſt in Medico, ſemper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

F I N I S.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Quadrageſima quarta:

VALETUDINARIUM PUERPERARUM.

PRÆFATIO.

QVid aliud Mortalium caduca vita? niſi perpetuus dolor, tùm ſi nobiliorem hominis partem, tum ſi ignobiliorem ſpectes; illa anxiis laceſſitur curis, hæc durioribus usqve conquaſſatur morbis. In eam nempe infelicitatis ſummæ conditionem nos deduxere Protoplaſtæ, qui voluptatis affulſione ſeducti æquam Maximi Numinis legem iniquo transgreſſi ſunt ſpiritu! Quamprimùm enim proſperiorem integritatis amiſere ſtatum rejecti eheu! Divinus excanduit fervor, ut priſtinus illorum ſplendor ſubſecuturæ miſeriæ turpis evaſerit character. Hoc quoqve ſtigmate ſceleſtiori adhuc ſe deformatam ſentit Poſteritas, parentum patrati ſceleris ergò mente ac corpore luens pœnas. Mittam hic animæ noſtræ lapſus, quibus vacillat abhinc debilior, nec corporis noſtri cunctas adducam ærumnas, quippe eas enumerare ſemetipſum ærumnoſiorem reddere augurarer. Et quis calamo ſufficienti tot deteſtabiles nævos delineare capax eſt, quibus miſera noſtra ſqualletmortalitas? Tumulum naturæ deſcriberet, qui morborum reſolvere ſuſtineret cumulum. Quantis enim dolorificis calamitatibus obnoxius ſit uterque ſexus, cum tædio ad huncuſqve diem experimur omnes, nec latent nos hujus alteriusve magis peculiares affectus, de quibus anxiè conquerimur, nec ſuperhabitis illis invaſionibus, quæ aut utrumque genus unâ aut viros ſolùm tangere ſolent, de illis diſſerere tantùm intendimus animò, quæ miſerrimè ac ſpeciatim nonnunquam ſexum cruciant ſequiorem. Aſt & hic herculeus eſſet labor, noſtrisque viribus utique impar, cunctas mulierum affectiones hiſce tradere pagellis, id enim nec noſtri eſt inſtituti nec debiti; conſiderare hic loci tantùm annitemur Ægram poſt puerperium conſtitutam, ubi haud quidem de morbis illi ante & in partu ipſo moleſtè contingentibus dicere, quam de illis poſt partum ſupervenientibus

bus pro ingenii modulo fari eſt conſtitutum. Propoſitum benigniori gratia beet Maximum Numen.

§. I.

ATrium non intrabit, qui non profunda prius ejus tranſcendere limina valet; hinc ne advertentes Lectoris Optimi tenaciter figam oculos, valvas ad Theſes meas ſiſto apertas, exſolvendo vocabulum ſubjecti, quod eſt Puerpera, & prædicati, quod Valetudinarium denotat, ſic fundo jura, ut auguror, quæ mori debeo antiquo.

Onomatologia. §. II. Eſt vero Puerperæ vox recepta diu, & ratione natalium ſapit Romanos, quis enim qui Latiorum dapes primis ſaltem labris deguſtavit, pleno non confitebitur ore, puerperam dici à Latino *Puer* & *pario*, quaſi quæ puerum parit, Gallis *acouchée*, Germanis eine Sechs-Wöchnerin/ ex hac forſan ratione dicta, quia ſex hebdomadum ſpatio, vel niſi lecto ad minimum tamen inter ſuos parietes ſe continendam habet, plurimæ quanquam fœminarum hodie jamjam antiquis etiam conſvetum terminum vix abſolvant, præſertim quæ robuſtioris naturæ, aut paganæ vigent conditionis, aliæ etiam ſæpius ex imbecillitate & morboſæ conſtitutionis onere diutius retineantur, cæteræ quandoque ob inanem honoris famam male perſvaſæ citius, quam par eſt, aliarum quærant conſortium.

§. III. Valetudinarium vero denonat ſtatum incertæ fallacisque ſemper valetudinis, ut ſentit *Galenus lib. 5. c. 4. de Sanitate tuenda.* Et apud *Dietericum num.* 577. Valetudinarius ſeu *νοσώδης* is audit, qui morbis ſemper vivit obnoxius.

§. IV. Cum tamen maxima puerperarum pars etiam ſeſe poſt feliciſſimam fœtus excluſionem haud extra omne periculum conſtitutam ſentiat, quin non imminentes novi doloris minas expaveſcat, hinc de re ſemper eſt, Medico ipſis conſilio aſſiſtere, accuratiorique mentis trutina illarum furentes perſcrutari affectus, qui illas niſi ſæpe ſuccumbere, ſæpiſſime tamen ad extremum languéſcere faciunt. Quamprimum enim puerpera amabili ſuo pondere, quo per menſes novem ſecundum naturæ conſvetum terminum onuſta incedebat, eſt liberata, libera ut ab incommodis periculoſis ſervetur ulterius, ſtudioſe eſt animadvertendum.

§. V. Puerperæ quippe omnes ſecundum *Rodericum à Caſtro de morbis mulierum* indigenam habent virulentiæ mineram, à cujus graviori noxa tanquam ſummæ malignitatis fomite ſibi cavere neceſſum eſt, hujus rei gratia exactiori regimine eſt opus, quo nimirum à partu ſine febris periculo vitioſa ſangvinis impuritas ac noxius humorum ſqualor expurgetur educaturque, nec non uteri malæ ſanentur affectiones, vireſque per partum fractæ ac debilitatæ hac ratione reſtituantur. Eam igitur ob cauſam dignum erit ſtatim in eos inquirere affectus, qui illis poſt partum ſunt communiores, & ex quorum ſcaturigine facile cætera ſymptomata ſuum capiunt primordium.

§. VI. In arenam ſe ante omnes *Secundinarum Retentio* movet, quam *Dolor poſt partum* ſociatus *cum Hyſterica Paſſione* ſequitur: *Lochiorum* denique *vitia* aſſurgunt, ſævire incipit quandoque *uteri Procidentia*, ac denique excandeſcit *Puerperarum Purpura.* Sed de ſingulis ſingulatim verba ſumus facturi ea quidem ſerviata methodo, ut ſemper cujusvis affectus Naturam, Cauſam & Diagnoſin ſuppeditemus, ac denique Curam tam ex pharmacevtico quam chirurgico imo diætetico ſubnectamus fonte, quousque virium noſtrarum exiguus penetrabit valor. *Morbi Puerperarum ſunt*

§. VII. Ad Secundinarum igitur explanationem! quæ dicuntur *Hippocrati Lib. 1. de Morb. mul. Secundæ* vel *ὕστερον*, involucra membranea, quæ in vulva fuere velamentum infantis, ac è veſtigio ſequuntur præeuntem fœtum. *Galeno Lib. de Vulg. Diſſert.* multarum venarum & arteriarum contextus, qui quoniam exit cum Allan- *I. Secundinarum retentio*

Allantoide conjuncta poſt partum, etiam ab aliquibus dicitur χόριον ſeu δευθέριον, ut teſtatur *Aëtius*, quaſi fœtus ſedes ſeu domicilium & receptaculum. Latinis *Secunda* vel *Secundina*, quaſi ſecundus partus, item *Loculus*. Gallis *la Delivrance*. Germanis Büſchel. Hiſpanis *Parias*. Cum enim ad maturitatem partus ſui proveneritinfans, membranas diſrumpit, in quibus eſt involutus, diſſolvit acetabula, & arcana quaſi ratione uteri oſtium aperitur, vaſa umbilicalia ab utero ſuisque vaſis recedunt, & ſic infans prodit umbilico adhuc nexus. Ipſa autem involucra fœtus mox cum ſangvinis quodam defluxu propter vaſa abrupta ſubſequuntur, quæ mulieres aſperſo exurunt ſale, aut aliquando defodiunt, bruta devorant, niſi ipſis ab adſtantibus præripiantur.

Symptomata ejus

§. VIII. Contingit tamen ſæpius, ut excluſo fœtu præter naturam detineantur, quæ Secundinæ retentæ cerebro, cordi, ventriculo, terribilia inferunt ſymptomata, dolores inſuper ac cruciatus intolerabiles, & putreſcentes interiora corrumpunt, uterum exhinc afficiunt, generantque ſæpe Hæmorrhagias inſignes, *vid. Decker. in exercit: pract. p. 64.* febres malignas, deliria, & tantùm non ipſa ſubſequitur mors. Solet vero duplici adhærere modo Secundina, vel enim firmiter adhuc connexa utero remanet, vel jam ab ejus parietibus eſt ſoluta. Cauſam enim retentionis agnoſcit variam, nunc intempeſtiva funiculi umbilicalis accuſatur dilaceratio, nunc interveniunt animi pathemata, vel odoramenta ſuavia vel minus grata, prout ferunt delicatiores ægrarum nares, ſubito admiſſa, vel frigidus ſi aquæ aut alius menſtrui aſſumatur potus, præprimis tamen ſi ſubitanea orificii inferioris uteri contingat occluſio, quæ facile accerſitur intempeſtiva aeris frigidioris admisſione, alias ut taceam cauſas.

Cauſa

Diagnoſis

§. IX. Diagnoſi haud carebit, qui puerperæ ſe approximabit, ſigna nimirum ſunt in propatulo, mala enim Secundinis retentis procedit uteri purgatio, cum duritie extumeſcit venter, febris ſuboritur acuta, & præter immenſum quem totum corpus perſentiſcit dolorem, ille circa umbilici inferiorem regionem erit inſanior: moleſta ventris ſubeſt gravitas, perſtrepunt tormina, anxia imminet ſuffocatio, & denique poſt diuturniorem putrefactionem ipſa recedet Secundina.

Cura ex fonte Chirurgico

§. X. Ex fonte Chirurgico ante omnia quaſi curam ſumendam habet Obſtetrix, eamque quo eo citius admittat, neceſſitas exigit ſuprema: Quia quo magis retinetur Secunda, eo majorem abit in putrefactionem, qua ſæpiſſime fœmellæ periclitantur atque ſuccumbunt. Neceſſum inde habet obſtetrix, quo manum prius oleo amygdalarum, aut alia pingvedine aut mucilagine probe inungat, ac ſic imbutam immittat utero, adhærentem adhuc ſecundinam blandiſſimis removeat digitis, aut ſi jamjam illam liberam inveniat, provide educat. Quantus vero in hac applicatione ſæpius obſtetricum ſit error, quotidiana proh dolor! loquitur experientia: Exempla hodierna, quæ olim Patria & poſt hanc alia edocuere loca, proferre hic liberi juris non eſt, irritarem crabrones, ſi prudentiam illarum audacter æque ac falſo aliquando imaginatam ſua privarem larva, furens potius me hic deterret livor, ne frendentes in me convertam vultus.

Obſtetricum errores

§. XI. In medium proferam magis mœſtas obſervationes, quas de hac re paſſim apud Autores legere eſt: ſic enim recenſet *Tulpius Obſerv. Medic. Lib. 4. cap. 42. pag. 343.* de Uxore Johannis Lonii, quod licet partum ſemper feliciſſime ediderit, usque tamen ob ſecundinas ſuppreſſas ſenſerit moleſtias, vel ob adhæreſcentiam earum adhuc cum utero, vel ob nimis gracilem & teretem infantis umbilicum, quibus tamen ſuperhabitis tres obſtetrices ſatis valide ſecundinas extrahere conatæ ſunt, adeo ut ad mortem puerperam penitus excruciarint, niſi allegatus *Tulpius* eam medicamentis aptioribus demum refocillaſſet. Aliam allegat *Blegny in Zod. Gall. ann. 3. Obſ. 8.* ubi in primipera juvencula Obſtetrix Secundinas adhuc paululum com-

commorantes importuna plane manu extrahere conata, uterum una avulſit. *Videſis & Cornel. Stalpart. van der Wiel. in Obſerv. rar. med. Obſ. 67.* qui & plures ejusmodi dolendos caſus refert ex *Fabricio Hildano* : Inprimis illum, quem recenſet *Cent. 4. Obſ. 60. p. 334.* Fuiſſe matronam quandam, quæ ſexto impraegnationis menſe produxerit fœtum, obſtetrix incuria alterum reſtare fœtum non perpendens, ac ſecundinas protrahere vi geſtiens, tantos intulit lumbis dolores, ut illico à cœpto deſiſtere fuerit admonita. Ipſa autem matrona alia advocata Obſtetrice, mortuum alium denuo edidit fœtum, & licet hic haud ita male ſuccederet, lumborum tamen partiumque genitalium & ventris non ceſſavere dolores, nec potuit matrix (ut dicit ille) pugni magnitudine extra corpus prominens ab ulla Obſtetrice denuo reduci, quam tamen miſeram puerperam poſt perpeſſos duorum menſium luctus dictus reſtituit *Fabricius*. Simile quid videre eſt in *Miſcellan. Nat. Cur. Decur. 1. Ao. 3. fol. 238. & Dec. 2. ann. 1. Obſ. 41. fol. 344.* apud *Bartholinum Cent. 2. Hiſt. 91. pag. 303.* item *Mauriceau Maladies des femmes lib. 2. c. 12. & lib. 3. c. 6. Petr. de Marchettis Obſ. 61. p. 138. ac denique Platerum Obſ. lib. 1. p. 219.* Satis igitur patet inſignis Obſtetricum quarundam error, qui enormes parere moleſtias capax eſt, quapropter maximum erit, ut prudens ante omnia ad ſacras has partes eligatur obſtetrix, quæ illas majori intellectu habeat cognitas, ac ſecundinas nec citius, nec fortius, quam par eſt, educat, nec in feram, ut ſupra jam dictum, differat noctem.

ex fonte Pharmaceutico. §. XII. Ea tamen quandoque orificii uterini conditio eſt, ut ſtatim ſe edito partu quandoque occludat, ſeſeque contrahat, quapropter ſecundinis retentis in id intendendum, quo denuo operiatur uterus, hinc ex aſſe concomitabitur fontem chirurgicum ſufficienti apparatu pollens pharmaceuticus, qui inter externa exhibet unguenta ex oleo Lil. alb. hyperici, amygd. dulc. axung. cerv. anſerin. gallin. medulla cruris, unguentum dialtheæ, popul. quibus illiniendæ ſunt partes : emollientia cætera etiam in uſum vocanda ſunt, ut fomentum ex melilot. chamom. verbaſc. rad. alth. malv. Fotus ex lacte cum flor. ſambuc. item farina fab. mucilag. ſemin lin. & fœn. græc. Cataplaſmata ex 5. Herb. emoll. &c. quæ fibras ſua humectatione laxant, ſicque læviorem faciunt aditum. Alii viam parare conantur antiſpasmodicis & ſuffitibus, ad illa remedia refero modo dicta, quæ vires ſuas ſatis in hoc exerent paſſu; inter hæc vero erunt ſuffitus ex aromatibus ſuſcitati, item ex caſſia, fl. Junc. odor. nard. arthemiſ. ſabin, diptamn. puleg. quibus inſideat Puerpera circumcirca veſtimentis tecta, fumumque ſuſcipiat exhalantem. *vid. Roder. a Caſtro de Morb. Mul. Part. 2. lib. 4. p. 465.* Aſt quicquid horum remediorum ſæpius ſit virtutis, deſerent tamen quandoque ſperantes miſeras, dum nec per ea applicata operanti Obſtetrici via patebit libera. Igitur tali in caſu potius tranſeundum eſt ad medicamina, quæ interno molimine majorem ſiſtunt valorem.

§. XIII. Inter hæc claſſem ducunt, quæ totum corpus percutiunt ac movent, ut ſunt ſternutatoria, eaque vehementiora, ex Hellebor. alb. caſtor. piper. vitriol. alb. parata, aliique pulveres nares irritantes, ex pulv. major. Lilior. convall. &c. qui paſſim ab autoribus ſunt deſcripti, quos ægris exhibere valemus. *vid. Hippocr. aphor. 49. lib. 5.* Præter hoc nominata ſunt & omnia fœtum mortuum pellentia, ubi Borax officin. *à Fallopio, Montuo*, aliisque mirifico pro Secreto hoc in affectu habetur. Sunt, quibus placet ſeq. remedium, Rec. Ciner. Urachi infantis Drachm. ji cinnam. Drachm. j piper. long. galang. aa. Drachm. j Sem. lavendul. Scrup. IV. ſumatur. c. aqua ſabin. aut artemis. Quem pulverem validioris naturæ cenſent, ſi admiſceatur adhuc Confect. Alkerm. Myrrh. & Caſtor. quibus *Lobelius* adhuc addit Boracis juſtam doſin, de qua vid. *Caſtr. l. a.* Alii, inter quos eſt *Cardilu-*

cius, extollit pulverem ſpecificum Helmontii, ex hepate Anguill. præparatum, cujus nim. uſu fœtum mortuum per novem dierum intercapedinem jam utero hærentem feliciſſime abactum aſſerit. Placet addere pulveris hujus præparationem: Sume Hepar anguillæ majoris, una cum felle erutum, pulveriſa in vaſe figulino probe tecto ad ignem, hac tamen cautione, ne adurat; datur pulvis ad magnitudinem avellanæ in vino. Referuntur & inter hæc medicamina aqua cinnam. vel ejus pulvis c. tantillo croci, ol. ſuccin. aut cinamom. it. pulveres trochiſcorum de myrrha, diptamno cretic. ariſtoloch. rotund. ſuccin. alb. præpar. c. aq. meliſſ. exhibiti.

§. XIV. Nonnulli ſuffimigia etiam commendant, quæ apta ſunt naribus applicandis, incenſa ex ungvibus capræ, vel plumis perdicis, aut loco horum ſupponunt fumum fimi equini aridi, columb. aquilæ; aut ex ſem. porri, urtic. allii, reſin. pini, hellebor. alb. ariſtoloch. nigell. &c. cum uterum deorſum fugare creduntur, ſternutationemque excitant. Haud negligenda hic quoque eſſe opinor clyſmata acria, v. g. ex calaminth. rut. origan. roſmar. abſinth. aneth. &c. Quippe quæ ratione acrimoniæ nerveas inteſtinorum fibrillas vellicant, ac ſua irritatione motum excitant periſtalticum, qua inordinata commotione facile Secundinæ ſuum quærunt exitum. Placet & quibusdam ventris regionem exterius illinere cataplaſmatibus & ungventis, ex qua ratione miſcent cum oleo violar. pulverem colocynth. agaric. ariſtoloch. rotund. gummi ammoniac. c. vino ſolut. ac deniqve felle bovin. Aliis arrident peſſaria acriora, quibus δευτέριον expellere moliuntur, quæ componunt ex mercurial. ſalvia; roremarin. majoran. puleg. artemis. iride, pœonia; contritas ac conquaſſatas has herbas excipiunt oleo roſaceo vel adip. anſerin. exindeqve formant peſſos, quos concavitati immittunt uterinæ.

§. XV. Etſi hi minus fuerint ſufficientes, laudantur hac in parte potiores, uti ſunt peſſi ex allio, aſphalto, ſtercor. accipitr. galban. ſagapen. gentian. bryon. ſcammon. diptamn. ſucc. artemis. & mercurial. vel aſſumunt ariſtoloch. tàm rotund. quàm oblong. naſturt. fel bovin. peſſosqve exinde formant, it. crocum panno lineo involutum imponunt locellis. Hic tamen dubius hæreo, an probè cum aliis delaudare valeam peſſaria adhuc efficaciora, quæ ex decocto cucumeris ſylveſtr. hellebor. ſtaphyſagr. & colocynth. parantur; vereor enim, ne ſua acrimonia extricatiori internos nimis vellicent nervos, inflammationemqve gignant peſſime exæſtuantem. Nam niſi ſupra datis remediis ſecundinæ obedient, ſuumqve ſuſcipient exitum, ferme res erit deſperata, nam eo non tendit exigua noſtri judicii lanx, quo cum aliis ſuppurantia admoveamus, inter quæ ſunt unguentum baſilicum, ægyptiacum, &c. quibus alios gloriari novi; haud namqve tutò tum temporis in afflictum conjiciuntur uterum, cum æque cito aliam ejus partem adhuc ſanam, quàm Secundinam arrodere ac putredini ſubmittere ſint potentia.

§. XVI. Ex fonte diætetico ſi ſolamen miſeris relinquitur puerperis, hoc in caſu erit aër temperate calidus ac purus, vitanda enim eſt nimia furni candentis appropinquatio, per quam vires aliàs magis deſtruuntur quam ſuſcitantur. Somnus quoqve poſt fœtus excluſionem nimius vix admittendus, eam ob cauſam Cæſaris uxorem eſſe mortuam ex *Paulo Sorbait allegat Muraltus in Hippocr. Helvet. p. 753.* Cibus ſit non adeo viſcidus nec durus, ſed lautus & tenuis, juſculaqve ex carne gallinac. vitulin., ovilla, probe aromatiſentur, ac omnibus abſtineat acidis. Potus exquiratur ſimiliter tenuis isqve moderate calidus, quanta enim ex hauſta frigida potione naſcatur noxa, affectionum exſurgant acervi, norunt hodie Practici cuncti. Peſſime enim ab Obſtetricibus & in hac re agitur, cum potum puerperæ ſtatim poſt partum offerant frigidum, ſimplicem ob eam perſuaſionem, quaſi matrix deterreatur, ut Secundinam voluntario edat. Ineptũ æque remedium exhibent, quando orbem plumbeum vel ſtanneum Puerperæ

ex fonte Diætetico.

erperæ applicant umbilico, nam malum malo augent, ſanguini ſtagnationem propterea conciliantes, & cum ejusmodi ægra inſtar vulneratæ ſemper ſit conſideranda, minime frigidis ea refocillabitur. Interea tanquam conducibile potionis genus in hac affectione urinam mariti commemorat *Cardilucius* in ſeiner Stadt- und Land-Apothecken *Tom. 2. p. 969.* quam ab uxore hauſtam ſtatim expellere Secundinas annuit; Idē facere aſſerit, ſi ſtercus equorum, quos purum avenæ nutrit pabulum, aſſumatur recens, ac in vino maceretur, expreſſusqve liquor deniqve potus loco capiatur. Horret calamus exoſa ejusmodi remedia, quidni delicatior ea reſpuat fœmineus ſexus: Sorbeant qui velint, meis labris forſan & aliis jucundior Caffee eſſet. Inſuper deteſtanda quoqve cenſeo hic animi pathemata, ſpiritibus moram injicientia, ut terror eſt, mœſtitia ac curæ. Nec quietem conducere ex ſupra notato ſomno facile eluceſcet, imo motus magis conveniet, ſi opportunus erit, non immodicus, qui alias dolorem excitaret inſolentiorem. Sed ſatis de hujus affectus diris ſymptomatibus, ſi quem legere autorem animus eſt, ſpecialiori qui de his egit ſtylo, videatur *Hector Sclanovius*, noſtri nunc eſt ſtudii examinare *Puerperarum Dolorem poſt partum.*

Dolor poſt partum

§. XVII. Certe inter cuncta animantia parturientia miſerrimæ exiſtunt fœminæ humanæ, horrendum earum cruciatum, quo ad ultimum vitæ ſpiritum ſæpe penitus concutiuntur, quotidiana loquuntur exempla, teſtatus eſt olim jam *Ariſtoteles lib. 7. Hiſt. Animal.* experientia, ſolam mulierem in partu maximos ſuſtinere labores, annuens, cum reliqua animantia ejuſmodi partus cruciatibus non premantur. Adſtipulantur huic opinioni quoqve Theologi, cauſam peccato primæ mulieris imputantes, ſuffulti forſan illo Scripturæ loco *Geneſ. 3. Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios:* Ex quorum verborum pondere ſatis liquet, voluiſſe Deum illum ſexum, qui horrendæ mortis fuit cauſa, horrendis æque ſubjicere calamitatibus.

§. XIIX. Si enim dolores in partu ipſo vel poſt eundem furentes examinaveris, ſine dubio mentem admiratio capiet, ut in mirabili hujus rei perpenſione fixa ferme ſit hæſitura, qua ratione attamen fiat, quod fœminæ jamjam ab aliis partus ejulatum exaudientes, imo nonnunquam in ſemetipſis expertæ, nihilominus in ulteriorem proclinent concubitum, cujus delectamenti finis nil niſi dolor eſt. Sed caſtas uxores hoc in paſſu naturæ ſequi ſtimulum, non eſt quod denego, quem etiam divinitus excitatum exinde noverunt, quo ſanctiſſimo obtemperent mandato, *Multiplicamini:* Deteſtor enim protervarum mulierum immoderate laſcivientem animum, quæ voluptatis gratia ſaltem coitus exercitium ineunt, ſeſeque illo ferme minime defatigant. Qualem hiſtoriam Plinius refert de Imperatrice Meſſalina, quæ licet centies a viro fuerit compreſſa, tantæ tamen extitit libidinis, ut quidem ſe defatigari, non exſatiari, diceret: hanc enim regiam plane exiſtimabat victoriam, adeo ut propterea etiam ad id certamen elegerit nobiliſſimam e proſtitutis ancillam, eamque die ac nocte quinto ac vigeſimo ſuperarit concubitu, ſic ut *Juvenalis Satyr. 6. verſ. 130.* de illa cecinerit: Tot laſſata viris nondum ſatiata receſſit.

§. XIX. Aſt in campum exſpatior vaſtiorem, ad metam ſum retrahendus, quo in ipſius doloris poſt partum naturam inquiram. Doloris vero in ſe contemplati genus haud eſt exiguum, in plura namq; ſe diſſeminat germina. Si Practicos adeas, dolorem ab iis diſtingvi prima videbis fronte in ardentem, gravativum, pungentem, tenſivum, lancinantem, pulſatorium, mixtum &c. Mittimus inpræſentiarum diſſerere de hiſce diverſis ſpecierum notis, nobis ſolum incumbit doloris perpenſio, qui ſolenniter a puerperis poſt partum percipitur in utero, ob ſummam partium genitalium dilacerationem violentamque ſecundinarum ſeparationem, ac tandem contractionem ejus ſpontaneam. Sed non ſufficiet ſolum hunc exponere dolorem, primarium etiam intendo

ejus varietas

 illum,

illum, ortum ex convulſivis uteri motibus trahentem, durantibus etiam poſt excluſionem fœtus & ſecundinarum, ſæpiusque inſuper inteſtina & artus in conſenſum rapientibus ſumme doloroſum, & hic obſervandus venit comes ille, quem ſupra denotavimus jam, nimirum *Paſſio hyſterica.*

Diagnoſis Paſſionis hyſtericæ.

§. XX. Diagnoſis doloris hujus poſt partum, ſi ſuberit hyſterica paſſio, ſequenti enucleari poteſt trutinatione: Eam nimirum hîc affectus referet faciem, ut ægræ fœmellæ in regione corporis hypogaſtrica dolorem ſentiant plus minus atrocem, aut pro diverſitate ſubjectorum aliis inſuper excruciabuntur ſymptomatibus.

Symptomata.

Nunc enim adeſt rugitus abdominis cum cholera humida, (quæ Germanorum mulieribus dicitur die Bähr-mutter) faciem lividus ſubit pallor, refrigerantur artus, vox perit amabilis cum ſenſibus cunctis; Nunc tremulo cordis motu miſeras vexat Cardialgia, inſignem ſentiunt Cephalalgiam, nunc epilepticos patiuntur inſultus per univerſum corpus, delirant, ſolvuntur cachinno, & iis deniqve ſuffocatio cum ſtrangulatione imminet, ita ut omni reſpiratione quoad ſenſum intercepta ſæpius pro mortuis habeantur, & tùm paſſio hyſterica abit in ſuffocationem uteri, de quâ Practici plura ſuppeditant. Leviſſimo quidem capiet oculo Medicus exinde diagnoſin de paſſione hyſterica, ſi illa levis adhuc fuerit, ſolis enim poterit acquieſcere in infimi ventris torminibus quandoqve ingenti cum murmure ructibusqve, *vid. Bartholin. Cent.* 2. *Hiſt. Anat.* 21. quæ ſymptomata concomitabuntur mulierum ejulantium querelæ, locum ſenſationis moleſtæ inſuper relaturæ. Aſt aliter ſentio, quando augmentum ſumit hic affectus, aut ſyncope, delirium imo ſuffocatio ſupervenit, tunc enim major in paſſionis hyſtericæ agnitione latet difficultas, ob propriæ nempe confeſſionis defectum. Quippe inſtar mortuorum jacent ſine omni motu ac ſenſu, ſine reſpiratione ac pulſu ſenſili, quale exemplum obſervavit *Lindanus* in muliere per ſex horas ita jacente. Æqualia monumenta hunc affectum illuſtrantia ſiſtet præter *Schenck. Lib. 4. Obſ. pag. 638. Salmuth. Cent. 2. Hiſt. 86. & 87. Horſtius Tom. 2. p. 274. Tim. à Guldenklee Lib. 4. Caſ. 17. p. 216.* quicquid tamen ſit, vix Medico deerit certius ſignum diagnoſticum, & quid illud, quod primo aſpectu ſe ſiſtit manifeſtum, partus eſt præcedaneus? hic ſcil: ſufficienti oleo judicii irradiabit lampadem, ac æque ſerena face viam ad cauſarum indagandos monſtrabit mæandros.

Cauſæ.

§. XXI. Sed in immenſum chaos me intricare neceſſe haberem, cunctas cauſas paſſionis hyſtericæ ſi eruere conſtituerem, quoniam tamen altioris temporis labor, nec noſtri inſtituti eſt, ſufficiet eas ſaltem indagare, quas propoſiti ratio exigit, & quarum culpa dolor poſt partum excitatur augeturqve. Duas vero præcipue ut attendamus cauſarum ſpecies, erit ratum, per quas hyſterica paſſio ſymbolum confert ad dolorem poſt partum. Ea enim non ſolum gravidas ſed Puerperas etiam laborare patet *ex Binning. Cent. 2. Obſerv. 45. p. 174.* item *Fernel. conſil. 52. Foreſt. Lib. 28. Obſerv. 30.* Principalis utriqve affectui communis erit convulſivus uteri motus, oriundus ex vehementiori irritatione fibroſarum ac nervearum ejus partium in fœtus excluſione. Cum enim uteri ſubſtantia ſecundum Anatomicos ſit nervea & membranoſa, ejusqve tunicæ, quas alii duplices, alii triplices affirmant, arteriis venisqve ſint intertextæ, fibrisqve polleant tam longitudinalibus quam transverſalibus, æque ac rectis, facile in motum rapitur periſtalticum, ſentitqve doloroſe, quamvis à nobis diſcrepant Viri celeberrimi *Williſius*, *Highmorus*, *Sylvius*, *Sydenhamius*, horumqve veſtigia prementes, qui uterum in hyſterica paſſione ab omni culpa immunem eſſe dixere. Sic enim *Williſ. Lib. de Morb. Convulſ. cap. 10. p. 104. ſeqq.* & *Sydenham. Oper. Sect. 4. c. 7. p. 145.* cerebrum atqve nervoſum genus accuſare malunt; *Highmorus Exercitat. de Affect. Hyſteric. c. 3.* pulmones facit reos ſeu potius ſanguinem

An uterus hic inſons ſit?

nem illos impetuoſe irruentem, ac deniqve *Sylvius* paſſionem hyſtericam ac hypochondriacam pro una eademque fere habens, Oeſophagum ac pulmones pro cauſa annuit.

§. XXII. Quamquam non liceat Viris contradicere, licebit tamen ab iisdem diſſentire, præſertim cum nobis ſufficiat *Brunonis effatum*, quod in *Lex. Med. p. 700.* allegat, dicens: „hallucinari eos, qui in hyſtericis affe„ctibus uterum falſo accuſari ſenti„ant. Abſit tamen nobis aſſeverandi animus, uſqve uterum hoc gignere malum, cum quoqve & aliæ corporis partes ipſi incunabula ſuppeditent, ſæpiſſimè tamen uterum in hac affectione in culpa eſſe, fuſe per alios liquet: & recte ſentit *Helmontius*, qui *tr. ſextupl. digeſt. aliment. human. inſcript. num. 18. fatetur*, quod liceat nil niſi ſaccus ac pellis ſit uterus, is„ tamen magnas concitet tragœdias, viſcerisque principalis obtineat vicem. Cum enim univerſum corpus admirabilis illa transſmeet nervorum diſſeminatio, viſcerumqve machinæ ramulis ejusmodi ſint intertextæ, præprimis, ut ſupra eſt notatum, uterum ita conſtitutum novimus, quis illum accedentibus hiſce cauſarum circumſtantiis ſub triſti hac affligi ſenſatione, amplius negabit? Exclareſcit potius ex hoc nervorum fundamine illa difficultatis caligo, propterea tanta ac diverſiſſima ſymptomata hunc concomitari affectum, quod cuncta ex conſenſu producantur nervorum, aliis partibus æque ac utero implantatorum. Sic enim nervis inteſtinorum ac ventriculi ſimul convulſis Diarrhœa ſuboritur cum vomitu, ſi nervus ſtomachicus corripitur ſpaſmo, ſyncope ſupervenit cum ſuis ſymptomatibus, cordis nimirum tremulo motu, pallore faciei, ſudore frigido, membris omnibus rigidis algidisqve &c. ac cum ulterius pertingit conſenſus ad caput usqve, aderit delirium, quando ad artus, convulſiones univerſales, vel ſpasmodicæ affectiones, præprimis muſculorum colli & cervicis: ſi diaphragmatis convellitur nervus, ſardonicus excitabitur riſus, & ſuffocationem habebis, ſi diaphragma cum muſculis intercoſtalibus in horrendum rapitur ſpaſmum.

[Sy]mptoma[t]um ratio.

§. XXIII. Cauſæ remotæ in hoc caſu quærendæ ſunt vel in ſpiritibus, vel in humoribus. In ſpiritibus, ſi per excandeſcentiam, terrorem, ideas febriles, orgaſmum venereum, ſuaveolentia aut fœtida, frigusqve externum &c. ad motus ejusmodi præternaturales præſtandos incitantur. In humoribus, quando vel ſanguis intra uteri laminas ſtagnat ſuaqve acrimonia vellicat, quorſum & *Marggravius in Prodrom. Med. pract. Sect. 3. p. 165.* refert alios humores acres, factos vel à ſero ſalſo, vel æque à ſtagnatione ob frigus immenſum, ubi & lochiorum affluxum teneriores partes mordentem collocat, quæ æque ab aëre frigidiore ſupprimuntur, & circa uterum redduntur ſtagnantia. Deniqve & cauſæ erunt doloris hujus poſt partum flatus uterum ac inteſtina diſtendentes: imo nonnunquam ipſiſſima partium uterinarum dilaceratio.

Cauſæ remotæ.

§. XXIV. Si igitur deſperabundum Medicus indueret animum his ſe monſtrantibus ſymptomatibus, nullum ferme opprobrium ipſi primo videretur intuitu; ſed cum in adverſis generoſæ mentis ſit criſtas erigere, erit etiam cordati Medici, & licet periculoſum in Puerperis malum ſit Paſſio hyſterica, ob ſuppreſſionis lochiorum metum, ac abjectam plane virium debilitatem, ut annuit *Etmullerus in ſua pr. p. m. 573.* non tamen in totum erit diffitendum, quin eo magis nobiliori medicamine horrendas has furias ſubito tollamus effectu. Curam igitur applicare cauſis debemus, quibus agnitis aptiora remedia non defutura ſunt, dolorem poſt partum æque cum hyſterica paſſione ſublatura. Deſipiant interim nonnullæ mulierculæ, credentes, hos dolores egregium exiſtere naturæ beneficium, pro repurgatione uteri à ſordibus ſanguineis ex nutritione fœtus illic remanentibus; ac ſpernant inepto ſpiritu cunctam aliam medelam, nos ſane illis de tàm ſacra naturæ dote nunquam ex merito

Cura.

to congratulabimur, ſed deſiderantibus opem medicam potius promtiori nutu occurrendum eſſe cenſemus.

§. XXV. Principalem autem Doloris poſt partum ac in hac paſſione hyſterica cauſam eſſe convulſivos uteri motus ſupra dictum eſt, irritatos à fœtus excluſione in fibroſis ac nerveis uteri partibus. Quamobrem, quo pro hac æque ac remotioribus Cauſis proponantur media, erit neceſſum. *per opiata.* Primo loco hic ponuntur Opiata cuncta, ut laudan. hyſteric. laudan. opiat. Eſſ. opii cydoniat. theriac. mithridatium, &c. quæ m. veteribus jam fuere in uſu, quod videre eſt in *Rolfin. Epit. p. 399.* ea enim optime lenient dolorem, ſi præprimis impetum Spirituum autorem agnoſcat; hæc tamen horum medicaminum habenda eſt ratio, ne in doſi luxurietur uberiori, unde denuo conſopiri ſpiritus valent, ac de nouo novi excitantur inſultus; interea ſi cum cautela adhibentur judicioſa, ad ſtuporem ſeſe commendabit Medicus, quippe qui dolorem nullo alio medicamento pro ſubitanea cura removere poterit, quàm dictis anodynis. Sed quoniam palliativa tantum quaſi videatur Cura, nec omnibus ſymptomatibus ſufficiat, poſtponenda & conjungenda etiam quandoque erunt remedia alia, convulſiones & *Antiſpaſmodica & reſolventia.* dolores ſiſtentia, vel acrimoniam corrigentia, ſanguinemqve hærentem reſolventia, quorum ingens farrago ex fonte proſilit pharmaceutico. E primariis, quæ hactenus uſui fuere, ſunt in ſpecie egregia, Liqu. C. C. ſuccin. Eſſ. caſtor. c. ſpiritu ſal. arm. fact. Mixtura antihyſter. à *D. Decker. in exerc. pract. p. 355. deſcripta*, & ſpiritus ſalis armon. aromat. tinctura tartar. Ac præter hæc nominanda ſunt epileptica & ſpecifica, quorſum collocantur ea ex fl. jugland. unicorn. ver. Dent. Hippop. mandib. luc. piſc. Antihect. Poter. pulv. marchion. ſpecif. cephalic. D. M. Aſa fœtid. Caſtor. granor. act. ubi incantamenti inſtar etiam à nonnullis delaudatur hauſtus ſpiritus vini rectificatiſſ. de quo *vid. Petr. Joh. Fabrum in ſuo Myrotec. Spagyric.* Huc accedunt omnes aquæ apoplect. ſpirituoſæ, l'Eau de la Reyne d'Hongrie, Balſam. embryon. Aqua vit. mul. Aqua cinam. aurant. artemiſ. aliæqve vol. & aromatiſatæ. it. Specific. de hyacinth. Fæcul. bryon. Lap. bezoar. Corall. rubr. ſuccin. Croc. Myrrha, Nux moſchat. macis, bacc. lauri, pulv. cumin. cort. aurant. zedoar. galang. zingib. rutæ, ſem. dauci. chærefol. chamomill. aniſ. fœnicul. *B. Ettmullerus p. 575. oper.* ſuorum commendat in hoc affectu Elix. propr. muliebr. ſ. Acido, it. Elix. uterin. Crolli. Singulare experimentum in ſtercore latere equino idem exhibet, ac Camphoram ſimul & ſpiritum Vini camphorat. theriacal. tanquam egregium extollit anti-hyſtericum. *Muraltus in Hippoc. Helvet. p. 585.* hanc commendat potiunculam, Rec. Croc. Drachm. Sem. Mac. ſcrupul. un. Trifer. magn. Unc. Sem. Sume pro bina doſ. in vin. calido; qua hauſtâ potione è momento dolorem poſt partum ceſſare aſſeverat. *Riverius* pilulas amat ex Caſtor. aſa fœtid. & laudan. opiat. Evehitur inſuper Spiritus Secundin. præprimis primiparæ per fermentationem paratus, vel etiam pulv. ſecund. quem à Drachm. ſem. ad Drachm. un. præſcribere ſolent, teſte Etmullero, l. a. *Marggrav. in tract. ſupra cit.* commendat injectiones per ſyringas ex decoct. vulnerariis, anodynis, ac narcoticis; & ſi in hoc affectu Seri peccet acrimonia, eam corrigendam exiſtimat Emulſionibus, ex amygd. dulc. c. Laudan. opiat. paratis, copiam humorum vero evacuare blandis ſudoriferis ac hydragogis ſuſtinet. *H. Grube autem in tr. de medicamentis ſimplic. cognoſcend. p. 10.* tanquam ſingulariſſimum evehit remedium in dolore hoc pellem agninam recenter detractam, & adhuc calidam ventri applicatam. Idem teſtatur *Bornetus in Theſ. med. pract. tom. 2. p. 373.*

§. XXVI. Hæc ſunt remedia, quibus infenſo huic affectui vim inferre valemus, ſed ratio forſan poſtularet, ut ſpecialiori methodo Cauſis etiam remotioribus ſua opponeremus pharmaca, cum, ut opinor, in genere ſatis de iis ſim locutus. Non tamen debito deficiam, brevibus tantum me explicatum teneat Lector. Diximus

ſupra

Cura Paſſionis hyſt. ex Spirituum ſupra has Cauſas vel latere in ſpiritibus vel in humoribus: Spiritus vero hic peccant, vel excedentes vel deficientes, quem nævum facile induunt aut per ideas febriles, venereum orgaſmum, vel excandeſcentiam, aut terrorem, vel ſvaveolentia fœtidave, frigusque externum &c. Ideæ febriles ſimul ac excandeſcentia illorum avertentur modo nobis gratiſſimo adhibendo delaudata jam anodyna & theriacal. quibus addere juvabit refrigerantia, ubi hoc loco Nitrata, nitrum purum, arcan. duplic. &c. & quæ motum ſpirituum inhibent; v. g. ſpiritus nitri, maſtich. ſalis acidus, vitrioli, ſulphuris, cunctaque acida robuſtiora. Orgasmo vero venereo ſi laboraverit aliquando Puerpera, nonnunquam accendi hic poterit ab acuto genitalium pruritu, qui parentes agnoſcit vel ſangvinē ſtagnantem his in locis, vel lochia depravata & cohibita, quapropter optimum eſt, ſacras has partes à tanto ſalvare ſtimulo, poris ac exterioribus partibus adhærentes particulas ſangvinis vel humorum acres appropriato demulcere remedio, ut ſunt aquæ refrigerantes roſ. lil. albor. fl. ſambuc. c. tantillo ſaccharo ſaturni, camphor. &c. linimenta ex mucilag. pſyll. cydon. ſem. 4. frigid. maj. &c. corrupta lochia v. ex ſubſeqq. emendari poterunt. Terroris illatam injuriam vindicare potis erunt diaphoretica, tam vol. quam fixa, quæ priora tamen majorum ſunt judicanda virium; huic ſcopo inſerviunt ſpirituoſa ac aromatiſata, quæ ratione particularum ſuarum volatilium acrium quoque ſtagnantem diſſolvunt ſangvinis maſſam. Nauſeam v. ſuaveolentium ſublevant fœtida, & vice verſa his illudunt illa, Aeri autem frigidiori externo cuncta medentur reſolventia calida.

& humorum vitio. §. XXVII. Sed quoniam & in humoribus etiam latet quandoque Cauſarum remotarum ratio, à qua dolor hic oriatur, ut modo explicavimus, nullum propterea operæ pretium erit, ſingulis erroribus, quo demum nova attribuantur medicamenta, quippe cum prioribus in natalibus ſuis ferme aliquid reſumunt commune, ita ut ebulliant, Spiritus cum effervefcant, coagulentur, quando & hi per terroris aut frigoris externi invaſionem conſideant, ſtagnentque: Si tamen ſalibus acribus ſquallent, temperantur per alterantia, inviſcantia & evacuantia, quorum inſignem Catalogum exhibent Autores. Cum tamen & ſæpe divagentur murmurantes flatus per inteſtina, gradum illis figunt carminativa aut etiam alcalia, v. g. ſpiritus ſal. ammoniac. aniſ. Liqv. cornu cervi ſuccin. oleum tartari p. d. tinctura tartari. ſolut. cinerum clav. ſpiritus aperit. Penot. it. martialia, ut Eſſ. martis aper. Zwelff. Crocus martis aperitiv. & præter hæc, Eſſent. Zedoar. Galang. Roriſmar. &c. Doloroſum deniqve affectum ipſiſſimæ uteri lacerationis non inconvenienter ſedare allaborabis juſculo Caponum & decoct. ex vulnerar. ac conſolidantibus, ut herb. plantag. Burſ. paſt. Sanicul. Pyrol. Parid. Hyoſcyam. Verbaſc. &c. hoc tamen ſemper fronti præfixum habeas, Ne quid nimis, alias excedente horum uſu injurias procreabis novas. Plura evolve *ap. Muralt. lib. cit. p. 705.*

§. XXIIX. Ulterius in hoc affectu non inepte ſubjunguntur Enemata, præſertim ſi dolor mora diutiori perſtringit Puerperas, illa vero parantur ex carminativis, e. g. Calamintha, Rut. Origan. Roſmar. Abſinth. Aneth. it. Rad. Angelic. Fœnicul. Ariſtoloch. rot. Herb. matricar. meliſſ. abrotan. leviſt. bryon. &c. quæ commendat *Willis. lib. de morb. convulſ. c. 10.* quibus pro exigentia Cauſarum alia ſubnectere media erit proficuum. Nec improvide huc trahuntur ſternutatoria, pro quo ſcopo quidam Hellebor. alb. aliosque pulveres irritantes adhibent, quos ſupra expoſuimus. Alii hanc commotionem urgent ſuffimigiis, iisqve vel ſuaveolentibus aut fœtidis; inter bene odorata primum locum tenent Ambra, Moſchus, Zibethum, & tandem oleum Cinnam. caryophyll. nuc. moſchat. macis, ſuccin. & ex his electus Balſamus apoplect. &c. quæ omnia vel in ſub- *Excitantia in Paſſione hyſter. utilia.*

ſubſtantia, vel in liquore, aut etiam ſpiritu naribus applicantur. In numero graveolentium exiſtit ſuffimigium ex accenſo ſulphure, aut capillis, de quibus aliqui tanquam de Alexipharmaco indubitato gloriantur, ſi crines ipſius ægræ abſciſſæ comburantur, evolvatur *Muraltus p. 578.* vel ex ſoleis calceorum vetuſtorum, pennarum perdic. aſa fœtida, galban. coriis vetuſt. pice, bitumine, ſagapen. verruc. equor. caſtor. & tandem adhibito ſpiritu fulig. C. C. ſal. ammoniaci, aut alius ſalis volat. qui ultimus præ aliis complacet.

eorum ſelectus. §. XXIX. Ingens tamen offenditur Sexus ſequioris differentia, ita ut quædam mulierculæ odorem ſuaveolentum laſcivientibus ferè appetant naribus, contrariumqve fœtorem cane pejus ac angue fugiant, aliæ vero ſint, quæ potius fœtidiſſimo animentur halitu, ac eo citius per adverſum gratioris odoris ſpiritum hoc affectu afficiantur, igitur bene ſibi præcavere Medicus debet, ne importune oblatis remediis ſuaveolentibus iis in ſubjectis inſtituat curam, quorum omne animi delicium fœtor eſt, & vice verſa reſiſtat tetris, ubi amœna ſollicitantur. Nec ſubeat quempiam temeraria perſuaſio, non leviter nimis his utendum eſſe ſuffitibus, nam ſi excedit noſtra luxuria, ſpiritus enormiter excitantur, & ita motus terribilis adhuc magis horrendus fit aſpectu, *vid. Horſtium tom. 2. p. 285.* Idem dictum ſit de inflatione fumi Tabaci per nares, quam *Riverius* ſua dignatur laude. Quot enim non reperiuntur fœminæ, quæ ejus procul odore percepto ſæpius infauſta percutiuntur ſyncope, qualia exempla olim aliquoties in Germania propriis expaveſcere oculis datum fuit. Simile ferendum eſt judicium de ſuaveolentibus ac graveolentibus, quæ nonnulli hoc in caſu ægrarum ori immittunt, eadem nempe eſt ratio, ne illis abutamur, niſi ægræ conditionem hac in parte prius habeamus exploratam, qua notitiâ Medicum adjuvabunt vel Puerperæ ipſæ, vel adſtantes amicæ: mira namqve illarum nonnunquã eſt conditio, ut quidem guſtu ambram cum conſerva meliſſæ percipiant, modo odorem non ſpirandum habeant; *quod teſtatur Strauſius in ſua Palæſtra medic. part. 3. gymnaſm. 18.*

§. XXX. An ſalutis aliquid offerant hoc in caſu etiam vomitoria, non facile dixero, cum enim hæc medicamenta inſigniter commoveant corpus univerſum, ut vires etiam ſanioribus in ſubjectis proſternant, quid non magis in exanimatis Puerperis? ea propter calculum addo ſententiæ *modò delaudati Strauſii*, qui *p. 439.* "ait: Ecquis laudabilis effectus in "tanta virium proſtratione ab hoc "medicamento expectari poterit? "Vel enim blandius erit, movebit, ſed "nihil promovebit; vel vehementius "agendo, naturæ quod reſtat robur, "penitus evertet. De Evacuantibus per inferius guttur ferme idem erit ſentiendum, quoniam ex eorum actu tormina ventris redduntur inſaniora, magisqve furentia. Sed hæc de curâ pharmaceutica. Neceſſum hic eſſet diſſerere etiam de cura præſervatoria, quam alias quidem in paſſione hyſterica, ubi non dolor ſubeſt poſt partum, opponendam habemus cauſis remotis, ita ut nunc impetum facientibus ſpiritibus exhibeamus demulcentia, alio tempore antifebrilia ac variantibus cauſis etiam varia, quæ ſpeciatim ſpecialibus his in affectibus autores exhibent. Cum vero paſſio hæc in dolore partum ſequente aliter ſe habeat, ac communiſſime incunabula ex doloroſa uteri ſumat irritatione, robuſtior inprimis quando ſit fœtus, qui in difficiliori partu nimis calcitrando exitum quæſivit deſideratum, ferme pauca in hoc caſu ſupererunt remedia præſervatoria exceptis inunctionibus, quibus in partu ipſo umbilicus ac genitalia inungantur probe. Sunt vero eæ paratæ ex oleis carminativis, vel ex cepis ſub cineribus coctis cum butyro, oleo lil. alb. & vino in cataplaſmatis forma ſuperimpoſitæ &c. de quibus *Rod. à Caſtr. de M. M. Lib. 4. p. 369.* Nunc illa ſaltim adhuc addenda, quæ nobis expoſiturus erit Fons Chirurgicus. *Cura præſervatoria.*

§. XXXI. Aſylum non pauci in ipſo paroxyſmo aut extra illum aliàs quærunt in Venæ Sectione, inter quos etiam *Highmorus Exercit. de Paſſion. hyſter.* *An V. S. in Paſſione hyſt. conveniat.*

hyſter. c. 5. Quonam vero in loco hæc commodiſſime ſit celebranda, num in pede, num in crure inſtituenda, illud ipſum eſt, de quo adhuc ſub judice lis pendet: Taceam, quod multo magis diſceptatum ibit cruentum hoc remedium in Puerperarum dolore, ubi debilior virium conſtitutio hoc averſatur, tantaque ſpirituum profuſio omni contradicit modo, ne agonizantem jamjam ægram ipſi tandem tradamus letho; quod ſi tamen quis venarum inciſione periculum facere ſuſtineret, ne ſemper audaces fortunam juvare exiſtimet, moneo; nam niſi vegetum corporis robur ac præſentanea cauſa plethora adſit, à qua obſtructiones vaſorum oriantur nocivæ, muneri huic ſuſtinendo ne animum applicet, & ſi aliquando ſuſcipiat, ſecum reputet: Sit modus in rebus. Nam an tam facile hac in parte ſit æmulandus *Tulpius*, aliis conſiderandum relinquimus, qui *obſerv. lib. 1. c. 2.* narrat: Se uxori Caſparis Walendalii octavo a partu die ob ingentem lateris dolorem octies ſangvinem miſiſſe, ter in pede, quinque vero vicibus in brachio.

Quid frictiones & ligaturæ proſint. §. XXXII. Placeat potius admittere frictiones cum panno aſpero aut ſetis porcinis inſtitutas, quibus ſenſatæ pedum plantæ vel aliæ corporis partes leviſſime ſentientes titillantur, quorſum pertinet vellicatio pilorum pubis. Præter frictiones commendatæ quoque ſunt Ligaturæ, ſtricta quarum contractione ægrarum firmantur brachia, influxum ſangvinis ad partes hiſce coërcere conantes, vel etiam arctius ligantur hypochondria aut infimi ventris regio, qui vinculorum circuitus multum facere ad præcavendum hunc dolorem & minuendum quoque creditur; Eam ob rationem extollunt quidam cingulos ſpecialiores, ut ex corio humano & quidem fœminino, uti hujus uſum decantat *Bartholin. Cent. 3. hiſt. anat.* vel ex corio cervi in ipſo coitu transfoſſi, quod ceu ſingulare aliquid commendat *Joel prax. lib. 8. c. 5.* Quid vero ſpecificæ virtutis hi cinguli coriacei præ aliis habeant, non facile dixero, libere concedens me hujus rei latere rationem. Aſt cum nullo alio modo ſuas exerant vires, quam ut tumidas deprimant abdominis & hypochondriorum inflationes, æquiori jure & alius animalis corium auderem ſubjungere. Gratiſſimum tamen & inſuper erunt medium Cucurbitulæ abdomini vel inguini ſine ſcarificatione applicatæ, quas recenſet *ſupra cit. Williſ. de morb. convulſ. c. 10.* aut tandem creberrime lateribus lateres admoveantur calidi. Sed ſatis etiam de remediis huc facientibus ex hoc fonte, brevi ſaltem percurram ſtylo ordinem diæteticum.

Diæta. §. XXXIII. Cunctis viribus innitatur ideo Puerpera, quo ſalubriorem attendat victus rationem, hypocauſtum eligat, quod aëre gaudeat puro, calido, & quod nullatenus aut odore fragrante aut fœtido ſqualleat. Alimenta hinc bene digerenda ſuſcipiat, vitetque ea, quæ nimia abundant acrimonia, pollent ſalſedine, aut flatulentæ ſunt naturæ: imo & ratio habenda eſt dulcium vel ciborum ſaccharatorum, hi alias recreant ægras, alias excruciant. Vini uſus ſi moderatus ſit, dulce ſolamen erit; ſi immodicus ac acidus, malum exiſtet maximum. Nec ſpiritus vini hauſtu abutatur ægra, cujus mediocris tantum uſus non excedentis noſſem apponere exemplum de honeſtiori quadam alterius nationis fœmina, niſi honor & verecundia calamum ſtringeret, quæ ſæpe extra puerperii ſtatum hac ſpirituoſa dulcedine linctâ paſſione hyſterica inſigni fuit excruciata. Melius hinc pro potu fœculentæ cereviſiæ aſſumeret Puerpera infuſum Theæ & Caffæ, de cujus utilitate aliquando gloriabitur in eventu; tandemque proſperam impetrabit felicitatem, animi pathemata fugiens graviora; an vero quietem hic commendare neceſſum habeamus ferme hæreo, ea namque (quod paradoxum videtur) ipſo rapidiſſimo conciliatur motu, qui nonnunquam convulſivus eſt in utero, nullus in cæteris membris, nihilominus quies in præcavendo hoc dolore videtur proficua.

ficua. Et hæc ſufficiant dicta de dolore poſt partum cum hyſterica paſſione.

III. Lochiorum vitia. §. XXXIV. Monet nunc tempus & brevitatis ſtudium, ut ad *Lochiorum* properemus *vitia*, eaque exploranti noſtro ſubjiciamus ſtylo. Statuimus vero ea ſecundum vocabuli ortum productionis græcæ, dicuntur enim *Lochia à λέχομαι cubo*, unde *λέχω lectus*, & *λεχοίδες ὧραι tempora partus.* germ. die Reinigung. ut habet *Blanc. in Lex. med. p. 363.* Cum enim Uteri ſubſtantia toto geſtationis tempore multum infarciatur, ac intumeſcat à ſangvinis unda, copioſiori rivulo tum temporis affluente, fieri aſſolet, ut non modo immediate peractum poſt puerperium factamque ſecundinarum exploſionem notabilis ſubſequatur Hæmorrhagia per genitalia, verum quoque per inſequentes 4. 7. 10. dies, imo plures, *ut ait Marggravius l. a. tab. 31. p. 163.* cruentus hic profluat liquor, qui ſub lochiorum intelligitur titulo. Sunt itaque Lochia nihil aliud, quam expurgamenta Puerperarum confluentis illius ſangvinis fœtus geſtationis tempore in utero collecti atque retenti. Peccant autem hæc Lochia penes ægras, aut quando vel nulla vel parciora, vel copioſiora inveniuntur, aut ſi cum dolore, aut non ſub cruoris forma effluant, ſed fœtidiſſimæ ac virideſcentis inſtar loturæ carnium evacuentur.

ſuppreſſorum ſigna. §. XXXV. In acquirendis igitur ſignis Lochiorum ſuppreſſorum majore attentione opus habebit Medicus, non enim ſolum ex denegato ſangvinis fluxu illa ſunt deſumenda, quid ſi enim ſubjectum non abundet cruore, ſangvinemque in partu largiter profuderit, & Lochia non ſubſequantur? ratum erit per ſymptomata hanc inveſtigare rationem, ac niſi moleſtus hypochondriorum dolor, pandens abdominis tumor, lenta reſpirationis difficultas, anxietasque corporis mœſta, ac dira tandem febris gravioribus ſuis ſuperveniet ſymptomatibus, ea minime tanquam ſuppreſſa, ſed ex naturalibus cauſis haud fluentia conſiderare decet. Hac uſque habita attentione, ut intimius indagetur ægræ conditio, an quoque cauſa aliqua præceſſerit antecedanea, quæ ex diæta inordinata vel luxuriante plethora &c. fuerit oriunda. Idem capiendum judicium de Lochiorum fluxu parciore. Sed omnium leviſſimi momenti tandem exceſſivi vel copioſi fluxus erit exploratio, quippe quæ feliciori diagnoſi patet; neque ratio qualitatis depravatæ curioſum fugiet Medicum, modo ſedulus tot ærumnarum ſit indagator, quas ipſi ingenuo liberoque animo ſuppeditabunt querebundæ Puerperæ.

§. XXXVI. Quo vero felicius Cauſarum ſcrutinium conſequatur, ſupponimus, eas minime variare à cauſis menſtrui fluxus æquali ratione vitiati. Quippe Lochiorum ſuppreſſiones eadem agnoſcunt natalia, à quibus & ſæpe Lunare Tributum ſuum capit primordium. Nam nunc genitorem habent ſanguinem depravatum, nunc infauſtum frigidioris aëris ad uteri parietes ingreſſum aut aliquando irruentem terrorem, vel febrim exæſtuantem aliaque mala. Ita & tumens ſanguinis abundantia luxurians ſcorbuticis particulis mater eſt rapidioris Lochiorum fluxus, qui calcar ſuum inſuper recipit per doloroſam excretionem ex ſalium copia ortam. Aſt remoram injicere valet huic fluori ardens uteri inflammatio, tumorque genitalium ex partu difficiliori progenitus, à quibus nonnunquam ex toto hæc ſufflaminatur hæmorrhagia, quæ alias diffluendo excedens producitur à nimia placentæ uterinæ remotione. Virideſcens autem ac fœtens hujus liquoris profluvium ex inchoata naſcitur putrefactione, cum Secundina in utero improvide fuerit dilacerata, aut tandem cruor intra poros ſtagnaverit moleſtus. *Cauſa.*

§. XXXVII. Sed licet pro cauſarum varietate ſtimulum ſuum modo acuet, modo obtundat vitiatus Lochiorum fluxus, imo penes quasdam nec ſub ullo charactere ſe repræſentet, quemadmodum teſtantur obſervationes, quas allegant *Stalpart van der Wiel obſerv. rar. obſerv. 78. de Puerpera Lochia non habente;* & poſt hunc *Schenckius lib. 4. Hildan. cent. 4. obſerv. 132.* &c. nihilominus de hoc defectu *Symptomata.*

ctu male judicat *Hippocr. lib. de nat. puer. dicens; Mulieri, cui Lochia poſt partum non fluunt, gravis ſupervenit morbus; ſi vero eorum fluxus aptis quam citiſſime non promoveatur remediis, vitæ diſcrimen incurret Puerpera.* Nam cum Lochia ſecundum *modo laudatum Hippocratem* quoque inſtar Sangvinis eſſe debeant à victima exeuntis, illa retenta vel immodice fluentia, præſertim ſecundinis haud exploſis, nnumeras easq; periculoſiores ſuſcitant calamitates, quas *videſis in ejus lib. de morb. mul.* Epilepſiam enim facile accelerant Lochia ſuppreſſa, inpr. in ſubjectis tenerioris quæ ſunt mollitiei, ac magis ſenſili genere gaudent nervoſo; dum nempe acris hæc materia in utero remanet, tangendo ejus fibras, ſentientes vellicat partes, cujus occaſione mox ſentiunt omnes, conſentientesque in exorbitantem erumpunt motum, laceſſitur namque tum temporis totum genus nervoſum concuſſionibus, à viciſſitudinaria ejus contractione remiſſioneque provenientibus. Sic etiam febres acutiſſimas doloreſque Ventris inſignes à Lochiis retentis productos annotavit *Etmullerus ex Salmuth. Cent. 1. obſ. 89.*

ra Pharmac. §. XXXVIII. Ne igitur fixis radicibus in malignos tot abeant ſurculos, erumpentes eorum vires cito amputari decet, aſt nullo alio ſucceſſu feliciorem attingemꝰ eventum, niſi bene applicatis remediis pro cauſarum diſcrepantiâ, qua methodo rite inſtituta medendi indicationes ſpontaneo quaſi ſe ſiſtent modo, en! medicaminum copiam aperta manu porrigit Pharmacia. In arenam nempe prodeunt cuncta ſudorem promoventia, ubi Lochiorum fluor adeſt nullus, aut ad minimum parcus; convenient hinc omnia aromatica, quæ vim habent ſangvinem refrigeratum coagulatumque denuo reſolvere, e. gr. pulv. rad. Zedoar. Galang. Zingib. aut decoctum ex Ariſtoloch. Gentian. Aſar. Bryon. Cyclam. Allii, Armorac. Pyretr. vel ex Herb. Abrotan. Artemiſiæ rubr. & alb. Calaminth. Meliſſ. fol. Sabin. Centaur. min. Cherefol. Majoran. Matricar. Origan. Serpill. Marub. alb. Roriſmar. Rutæ, Salv. Dyctamn. Thym. Saturej. &c. ex flor. Calendul. Cheiri, Sambuc. Stoech. arab. &c. Ex lign. Guajac. Juniper. Saſſafr. Aloes, Coſti Caſſ. lign. &c. Sed cum gratiora ſemper appetat ſequior ſexus, nec facile ejus palato arrideant medicamenta ſub copioſiori doſi adhibita, quæ potius iniquo aſpernuntur faſtidio, inſervire poſſumus generi huic delicato Extractis plantarum uterinarum vel radicum, quæ vel ſola vel cum gummatibus acribus e. gr. Ammon. Talci, Sagapen. Galban. Myrrh. Aſa fœtid. Caſtor. &c. commixta ſuppeditantur. Aſt ſi adeo tenerioris erunt guſtus fœminæ, ut & hæc diſplicuerint, compendioſiori viâ & doſi ingrediendum tam per Salia fixa ex his plantis elicita, quàm volatilia alia, v. gr. Spiritus Sal. ammon. Ebor. Cornu Cervi ac ſalſa, Tartarum vitriol. Borrac. venet. Arcan. duplic. Sal. vol. ſuccin. Cremor. Tartari &c. quæ cuncta ſangvinem vel à frigore vel terrore aliave de cauſa ſtagnantem & viſcidum corrigere in viribus habent. Nec omittenda hic Theriaca, Rad. rub. tinctor. Tinct. Tartari, Myrrhæ cum oleo philoſ. Sylvii. Et cum quoque ab Experientiſſimo quodam Viro in menſtruorum ſuppreſſione commendatum novimus infuſum Raph. ruſtican. in vino, domeſticum licet ſit remedium, nobilem tamen ejus uſum etiam hic loci reticere minime voluimus, quod ratione particularum acrium ac volat. ſangvinis excitare motum, movereque diaphoreſin inſigniter potens eſt. Proderit & in hoc Lochiorum nævo potus largior ex Aqua nymph. & borrag. imo & humectantia & reſolventia calida magni erunt uſus, ſi præſertim viſciditas lateat in ſangvine. Etiam non omittendum eſſe hic loci opinamur, quod *Petræus in Noſolog. harmon.* tanquam ſecretum mulierum in reſerando alias menſium fluxu inhibito referat conſervam borrag. in vino diſſolutam. Præter hæc dicta ingens quoque emolumentum præbent terrea, ut ocul. Cancrorum, cornu cervi phil. ppar. pulv. Dent. apri, hippopotam. teſt. ovor. mandibul. Luc. piſc. oſſ. ſepiæ, co-

rall. rubr. & alb. Mater perlar. unicorn. ver. antimonium diaph. martiale, Lap. bezoard. cunctaque bezoardica, imo & quæ ſulphureis ac oleoſis vol. gaudent particulis, ut ſuccin. raſ. Priap. cerv. tauri, ſangvis hirci, & quod præcipue in ſtagnante ſangvine extollit *pluries jam laudatus Etmullerus*, ſperma ceti, cujus uſum optimum manifeſto ſiſtit, ubi præpr. Lochia congrumatis partibus ſeſe in propatulum dant. Simili modo gloriatur *Timæus l. 2. caſ. 7.* de hoc medicamento, lochia à frigore intercepta per hoc curaſſe, affirmans, ſe mulieri, cui ex ſubitanea refrigeratione menſes fluentes ſuppreſſi pleuritidem intulere gravem, præmiſſis præmittendis pulverem ſpermat. cet. ad Drachm. unic. c. tantillo caſtor. adhibuiſſe, quo aſſumto, ab utroque affectu fuit curata ſucceſſu perquam admirando. Alii exhibere ſolent Eſſ. cinnam. caryophyll. cort. aurant. atque ex his olea per deſtillationem elicita, vel Elixir propr. ſ. acido, aut pilulas aloëticas Ruffi, vel trochiſcos de Myrrh. in hauſtu vini albi ac calidi aſſumendos. Quantum etiam ad Lochia pellenda conducat opium, ſi cæteris remediis ſpeciatim mixtura Polychreſt. ex lap. Cancr. cum aceto, additâ myrrha permiſceatur, idem aſſerit *B. Ettmullerus in diſſert. de Opii virtute diaphoretica c. 3. §. 6.* Hoc ipſum quoque annititur *Pechey, Med. Anglus, in Promptuario prax. med. c. 37. ubi de morbis agit acutis Puerperarum*, laudanum quoque in ciendis lochiis cum aliis narcoticis ac hyſtericis commendans, ea tamen allegata cautela, niſi adhibito ſemel hoc remedio ſtatim ad voluntatem fluant noſtram, ut altera vice ab opio abſtineamus ſedulo monet.

Cautela §. XXXIX. Et quantum exinde fortunæ delicium hæc medicamenta pollicentur Practico, tantum etiam infortunii dedecus ſpondent, ſi incautius cum ipſis ſit perrecturus. Uſque enim attendenda Puerperæ conditio eſt, ne irritantibus & pluribus acribus, quæ mixta invicem jam noſter propoſuit Index, promoveat, quod removendum habet, febrimque acceleret periculoſam, commovendo nimium debile puerperarum corpus, adeoque ejusmodi ægra cruoris penuria laborans, quem aliquando in partu abundantius profundere geſtit, in evacuationis tentamine ſtudioſe eſt ſuperhabenda. Qua de cauſa tantopere trepideſcunt nonnulli, ut potius primam quærant curam in Clyſteribus aperientibus & incidentibus, compoſitis ex rad. zedoar. herb. angelic. fol. hypericon. majoran. roriſmarin. ſalviæ, matricar. &c. ubi etiam illud enematis genus, quod ex ſaccharato lacte uſurpare alias conſvevere, niſi prima vice exoptatum ſiſtet effectum, tanquam noxium vice ſecunda rejicit *idem Pechey l. a.* Aſt interea in uterina inflammatione nullam noxam inferent Clyſmata uterina ex balſamicis & vulnerariis. Spe tamen meliori nititur dictus Autor in fomentis, linimentis & cataplaſmatibus externe applicandis, quorum ope materia impacta abigitur, quem ſcopum fere & alii attingunt, qui exinde Decocto plantarum aperientium ac reſolventium ex artemis. puleg. matricar. betonic. ſerpill. malv. leviſtic. fl. lupul. chamomill. verbaſc. &c. calide & repetitis vicibus partes corporis inferiores fovent, quas etiam oleo & unguent. chamomelin. anethi, nard. lil. alb. ungt. martiat. aut compoſito de althea inungunt. Alii malunt imponere emplaſtra reſolventia, ex galbano, gummi. ammon. aſa fœtid. cum oleis deſtillatis tartari, cornu cervi, angelic. cinnamom. croc. ſpicænard. ſuccin. malaxata. Commendantur inſuper Peſſaria ex rad. gentian. allii, hellebor. nig. ſyndone probe involuta, quibus tamen judicioſe utendum, ne acredine ſua pungentes potius uteri inflammationem cauſentur, quæ haud citata ſæpe apparet ſponte. Hi vero, quibus ſuffitus arrident, hoc opus abſolvere ſtudent per eos, qui ex ſcoriis Reguli antimonii, vel plantis uterinis vino aut lixivio incoctis, aut quæ ex ſpiritu ſal. Xci. *ad Methodum Glauberi furn. philoſ. part. 2. c. 88.* funduntur. *Allegatus Muraltus* jubet, ut decoquantur urticæ in vino fortiori, cujus vapori exhalanti inſideat fœmina. Nec non laudantur ſuffitus de bdellio, myr-

myrrha, cinnam. vel ex capitibus halecum ſalitarum excitata.

Cura Chirurgica. §. XL. Agmen horum remediorum claudam nunc medelis, quas administrans ſubminiſtrat Chirurgia, ubi ceu ſacram anchoram plurimi venerantur primario Venæſectionem, cæteri vero indignabundo deſpiciunt oculo. Noſtrarum hic non eſt partium exortas componere lites, ſingulorumqve exponere ac ſeponere rationum fundamina, in eo acquieſcentes, quod utiqve cum provida mente inſtituenda ſit Phlebotomia: nam quæ ſuperius de remediis jam expedita fuit ſententia, illa etiam in hac venarum inciſione eſt ferenda. Non enim ſemper apte incedunt, qui ſtatim lochiorum ſupreſſum fluxum per venæſectionem mente manuqve ſuſcipiunt, cum ſæpiſſimè prius incidentia ſint exhibenda cum ſtimulantibus, & robuſtioribus ac exercitio deditis naturâ non tam abunde fluere credatur; nihilominus tamen, ubi nullum obſtiterit impedimentum, vigorqve cum præſentanea plethora in deturbata Puerpera adhuc concedat, ea omnino annitimur. Et cum alii hanc in brachio, quando abundans tumet ſanguis, celebrare inſtituant, potiùs ſaphenam pedis cum aliis ſic ſentientibus ſecare nobis complaceret, parce quidem, & ſi urgeatur, vicibus repetitis, quæ opinio quoque confirmatur *à ſupra commemorato Pechey. l. a.* qui probe animadvertere ſuadet, an phlebotomiam admiſerit ſubjectum, ex adverſo alias nullum nos allaturos levamen, & potius ægerrimæ rem in pejus ruendam promoturos, teſtatur experientia. En! lugubre exemplum infortunati per Vſectionem eventus, quod allegat *Joh. Fort. Raymond. de morb. mul. p. 109.* cujus ipſiſſima verba hic addere haud floccipendimus: *vidi olim*, inquit, *Præceptorem meum Patavii cuidam puerperæ juveni plethoricæ ob ſuppreſſa lochia ex brachio ſanguinis miſſionem præcepiſſe, quam veſperi cum ejusdem viſendæ gratia acceſſiſſemus, ſuffocatam & extinctam invenimus.*" Cauta igitur procedendum eſſe manu ſatis hinc eluceſcit; non tamen interea latet, quod etiam ingens hauriatur quandoqve fructus in ſtagnatione ſanguinis hujus, ubi ſuo officio terrea ac reſolventia ſatisfacere non ſunt apta: id tamen incumbit, quo citius adornetur venæ apertio, aliàs ſi per 2. aut 3. dies incrementum ſumſerit morbus, rem in mortis periculo conſtitutam nonnulli ſentiunt. Eadem via quoqve introibimus ad removendam uteri ſuppurationem, quæ ſi terreis repetitis non cedat, Vſectione eſt tentanda. Præter hanc ancipitem vero venarum ſectionem commendantur inſuper Frictiones in pedibus ac inguine, Ligaturæ in femore, aut iisdem in locis Scarificationes, & tandem exigente neceſſitate cucurbitulæ ſine ſcarificatione, magna tamen cum flamma adhibitæ, eam ob cauſam ſolent prius femora ſtrictiori contrahere vinculo, ac niſi finem aſſequantur deſtinatum, haſce calidiores deniqve ſuris imponunt repetitis vicibus, per quas ſanguinem aliorſum tendentem ad uterum reducere conantur. Adhuc, affectu plurimum ingraveſcente, ac indicata ſanguinis miſſione, ſi dubius hæreas in pede ſecare venam, vaſa hæmorrhoidalia hirudinum ſuctu aperire præſtabit. *vid. Pechey l. c.* Et hæc ex hoc fonte, quid boni ex principiis diæteticis adhuc ſit ſugendum, una poſt expoſitam quoqve Lochiorum nimis fluentium curam, ad quam nos accingere animus eſt, proferre non erimus defuturi.

Cura Lochiorum nimis fluentium. §. XLI. Exigit ordo exceſſivo huic malo neceſſariam ſuperaddere curam, quapropter in eam nunc ſtylum dirigimus: & cum expoſita Lochiorum ſuppreſſio cum menſtruorum defectu congeneris fuerit familiæ, quin & illorum nimius fluxus cum horum abundantia conveniat, non eſt quod dubitemus. Inter remedia pharmaceutica vero nihilominus erit injunctum, ut pro cauſarum diverſitate habeatur Selectus. Quamobrem ſi ob laceratam internam uteri partem fluor enormem capiat gradum, ea ſunt applicanda, quæ ſanguinem in incitato figunt curſu, excoriationemqve ſanare valent, huc faciunt decocta vulneraria cum blande adſtringentibus, v. g. biſtort. tormentill. myrt. ſanicul. fol. conſolid. maj. *ex laceratione*

Herb. Saracen. pyrol. ſummit. hyperici in aqua extinct. fabrorum coct. c. Syrupo ſymphyt. Inſuper conveniunt roſ. rubr. fl. urtic. quas teneras viridesque c. oleo nuc. jugland. tanquam infallibile remedium extollit *Blegny in Zod. gall. obſ. 5. menſ. Octobr. ann. 2.* aut pulv. rad. mori, filipendul. excreſcentiæ nigræ ſpicarum ſiligin. pulv. ſpong. uſt. c. ſucc. Omphac. Acac. Inſignis præter hæc nominata remedia uſus decantantur quoque terrea, ut in ſpecie Bolus armen. ebur uſt. teſt. ovor. corall. rubr. raſ. dent. hippopot. cranii human. vel ex oſſibus microcoſm. uſtis. Tandem fervori ſangvinis opponuntur refrigerantia, quibus ſolatium conciliamus ægris, nim. nitrata, ſaccharum ſaturni, ſucc. urtic. plantag. ſemperviv. maj. vel decoctum Nympheæ, ſerum lact. &c. Et quando ſalia ſcorbutica hunc cruoris movent prolapſum, celebratas invenimus illas medicaminum ſpecies, quæ tenuem & reſolutum ſangvinem commode inviſcant atque incraſſant, quorſum referuntur emulſiones amygdal. ſem. 4. frigid. ptiſana, vitell. ovor. lac. *vid. Horat. Augenius ep. conſult. med. lib. 10. ep. 4.* aut amylum, tragacanth. gumm. arab. oryza, caro ranar. vel acida, ut ſpiritus vitrioli, confer. *Deodat. Panth. hygiaſt. lib. 3. c. 26. Miſc. N. C. ann. 3. obſ. 106. p. 176.* vel ſuccus citri, ſpiritus ſalis acidus, maſtichin. vel vinum acidulum, aut in quo cancri fluviatiles ſunt extincti, ſecundum *Rod. a caſtr. lib. 4. de m. m. p. m. 472.* vel decoctum malv. ſolan. ſem. acetoſ. aquileg. papav. alb. cum ſyrupo portulac. aut emulſ. ex hordeo, quibus haud inutiliter addes opiata, quæ in Orgaſmo ſangvinis a ſpirituoſis aſſumtis in motum efferveſcentem rapto ſæpe duplicata exhibentur doſi addito ſpiritu vitrioli.

ſangvinis orgaſmo

Vaſorum anaſtomoſi

§. XLII. Vaſorum Anaſtomoſin quoque non raro incuſare decet, cui per apozemata adſtringentia occurrendum, quæ ſupra partim jam ſunt allegata; commendantur inſuper tamen à Practicis tinctura Corall. ſulphuris vitrioli, martis adſtring. Hæmatit. Trochiſci de carabe, Crocus martis adſtr. aliaque. Ubi inter remedia externa magni nominis habent ſpongiam vino auſtero madidam, aut herbam Centumnod. ſ. Polygon. maj. Burſ. paſt. quæ multis ingens habetur miraculum, quaſi cunctas hæmorrhagias tollere ſit capax, modo ſi ægræ manibus ſaltem teneatur. it. urtic. aut peſſarium ex ſtercore aſin. vel ſuillo, cum rad. conſolid. maj. ac Boli armen. pulvere paratum. Delaudatur *a Cardilucio tr. all.* tanquam mirabile Specificum in caſu deſperato Rob ſambuc. quo calcei illinantur, quibus Puerpera ſemper incedat ſtetque. Cingulum ex fol. hellebor. alb. contextum ſingulare eſt experimentum *ſæpe cit. Ettmuller. l. c. p. 604.* quo pubis regio circa lumbos adornari debet. Alii urgent inunctiones ventris cum oleo maſtichin. myrth. quibus aſpergunt quoque horum pulveres.

Cautela.

§. XLIII. Cavendum tamen eſt, ne hoc Lochiorum nimium profluvium celeriori, quam par ſit, obſtruatur remedio, ſed multo magis moderate tractetur, ne Eryſipelas, tumor aut alius generis mala utero inducantur, quapropter mora tenenda eſt in adſtringentium luxuria, à quorum uſu ſubinde difficilis naſcitur reſpiratio, imo ſuffocatio, mors dum ſupervenit luctuoſa. Minime vero etiam in his animus eſt abjiciendus, quin haud magis ad illa alacriori confugiendum ſit ſpiritu, quo majorem fluor noſter demonſtrabit rabiem, effrenatoque erumpere nitetur curſu. Ea de cauſa omnino & conſilium petendum judicant Practici penes proſpicientem fontem chirurgicum, qui venam in brachio ſecandam ſvadet. *vid. Joh. Jac. Lazarus de Venæſectione Puerperarum in cubito.* Nonnulli hoc ſepoſito medio cucurbitulis ſunt contenti, quæ ſub mammis applicare aſſolent, ex hac ratione, quo ſurſum trahatur delabens cruor; eidem intentioni inſerviunt præterea ligaturæ brachiorum cum vinculis aſperis, quibus ſangvini abnegatur defluxus, magisque ad cordis regionem coacto affertur fluxu. Alii per Syringas orichalceas quoque uteri collo injiciunt liquores ſtypticos, quibus tamen cau-

te

te progrediendum, ne nimis adſtringentibus noxa inferatur partibus ſenſatis, hinc quidam eorum eligunt oleum terebinth. vel Spiritum vini terebinthinatum. Tandem cum affectus hic exceſſive agendo deſperabundum ferme præ ſe ferat Schema, ſolamen ſupererit in balneis ex One ſoluto factis, quibus nunc noſtram abſolvimus hujus mali curam.

Diæta *[r]atione aeris*

§. XLIV. Supereſt ſaltem, ut norma diſquiratur diætetica, quæ circa aëris conditionem utique in lochiorum ſuppreſſione mandat calidiorem, vetat frigidiorem; adeo enim juſta hac in re adhibenda ratio eſt, ut niſi ægerrimæ luendam inferre vim quis auſerit, ſerio ac in tempore de opportuno ſollicitus eſſe debeat calore. Naufragium ſæpe vitæ faciet Puerpera, ubi non provide gelidæ auræ coercebitur impetus; id quod *ipſe Caſtro l.* 2. fracto conqueritur animo, qui conjugem ſuam chariſſimam inſigniter dolet, quod eam flore ætatis ob ſuppreſſionem lochiorum à frigore extinctam amiſerit. Quamobrem morboſæ teneantur in conclavi aëre puro ac calido pollente; & quamvis in excedente hujus materiæ profluvio haud adeo conveniens videatur calor, quoniam magis commovere faciat ſangvinem, aſt minime, ſi moderatus, non fervens fuerit, tantum conciliabit detrimentum, quantum minabitur frigus, ſi aditum liberum ipſi conceſſeris. *potus* Potus tam in defectu quam exceſſu fluoris æque quadrabit tepidus, in illo admitti poterit acrior, imo & vini generoſi hauſtus, in hoc vero denegandus, magisq; commendabile erit decoctum inviſcans, & juſcula avenacea, ex lacte ac amylo, cereviſiaque cum acetoſæ aqua commixta, quam & alii pulvere ſtercoris caprar. exſicc. tanquam ſingulari remedio perfundunt. *cibi* Cibus vero in deficientibus lochiis offeratur ex facilibus concoctu alimentis, non crudis, ſit magis piperatus, quam aciditate prægnans, qui ſapor ultimus ſerio eſt averſandus. Convenient etiam juſcula teneriora, cum pulvere cinnamom. caryoph. zingib. zedoar. macis, nuc moſchat. probe condita. Contra abundantibus lochiis fercula cruda opponantur, quanquam & molliora hic non culpanda veniant, quippe quæ potiori jure ſangvinem inviſcant, ut ſunt omnes carnes animalium juniorum, ac ejusmodi nutrimentum, quod ex inviſcantibus paratur, ut pultes ex farina & lacte, oryza, amylo &c. & tandem pro deliciis inferendis Conſerv. roſ. rubr. antiqv. vel carnis cydonior. Syr. berber. ribium, conditur. pyr. auſter. Inſuper quietem expoſtulat agilis lochiorum fluxus, ſed motum avidiùs optat conſopitus eorum defectus: & *Somni ac vigiliarum* ſomni vigiliarumque ratio mediocris in utroque affectu veniet conſideranda. Quid autem de animi pathematibus? hæc ubi fluor cruentus abeſt, omnino erunt fugienda, quæ metum, *pathematum animi.* timorem ac mœſtitiam contrahunt funeſtam, quoniam ſpiritibus teporem indunt coarctatum; & quamvis gaudia invalidis hac in parte ſvaſerim, forſan viderer, quod cæcos videre privato lumine velim. Nihilominus tamen aliqua ratione hæc proficua dixeris in enormi hac effluente hæmorrhagia, ſed abſit infirmos adhuc doloribus magis excruciare, cum curæ ac triſtitiæ etiam ſaniſſimorum corporum exquiſiti exiſtant carnifices.

IV. Uteri Procidentia.

§. XLV. Tranſeundum nunc nobis eſt ad affectum, qui ſexui fœmineo etiam extra puerperii ſtatum communis eſt, communior tamen iis hoc tempore exiſtit, vocatur iſte *Uteri Procidentia*. Quidnam vero Uterus denotet, diu non eſt inveſtigandum, eſt enim illa corporis officina, quæ mulieribus ad concipiendum embryonem à provida natura conceſſa eſt, qua illum ad partus uſque terminum conſervent. Dicitur alias *Locus* vel *Matrix*, Græceque pluribus ſuperbit titulis, mox dicitur ὑστέρα, δελφὸς, mox γονὴ, μήτρα &c. Germanis die Gebähr-Mutter. Diſtingvitur ab anatomicis in fundum, collum ac vaginam, ſuisque ligamentis tam latioribus quam teretibus condonatur. Aſt quid hujus partis prolapſus denotet, id largiori paululum calamo delineandum venit. In ea quippe perſvaſione ca-

Antiquorum opinio

na fuit antiquitas, ut unanimi fide uterum extra corpus prolabentem ſtatuerit. Cui opinioni plurimi vero Recentiorum hodie acriter contradixere, aſſertum ſuum firmiori ſtabilientes baſi, dum impoſſibilitatem disruptionis relaxationiſve ligamentorum æque ac inverſionis uteri demonſtraverunt, inprimis quando etiam gravidis hoc accidere malum male affirmatur. Et quoniam ipſam per αὐτοψίαν illuſtriori ſortiti ſunt lumine, potius ejusmodi prominentiam, quæ aliquando plus minus ovi anſerini adæquat magnitudinem, extra genitalia prorumpentem, ſtatuêre, quod ſit tantum Tunica vaginæ uterinæ inverſa, quam veritatem ſunt aſſecuti per luculentiorem anatomiam.

§. XLVI. An vero hic Lectori dubia ſolvere in univerſum cogar, hæreo, ſufficiat dixiſſe, procidentiam uteri gravioris confidentiæ rem eſſe, quod in totum e ſuis ligamentis extra corpus poſſit prolabi, quoniam ſi decideret, tot vicibus ſitui ſuo priſtino haud reſtitueretur, nec adeo facile cum interioribus partibus connecteretur demum, ſi ſemel ab illis fuiſſet ſeparatus. Inſuper etiam illud, quod veterum ætas inſomniaverit de uteri aſcenſu atque diſcurſione, minime noſtram ſtringit mentem, cum & hic denſior lethargus ſubtiliori rationis lumine jaceat concuſſus, quod recentioris ævi præſtitêre Antiſtites. Ita namque quidam antiquorum Medicinæ Patrum putabant, quod ad ſtomachum uſque aſcenderet uterus, quæ opinio tamen rationi adverſatur, quæ meliori fundamine ex anatomia firmatur: Si enim muliere ſecta uterum ſurſum ad ventriculum violenta trahas manu, ad os ventriculi eum deducere, quin ligamenta diſrumpantur, vix ſuſtinebis, multo minus ergo impetu proprio, aut violenter impulſus, inteſtina, ventriculum ac ſeptum transverſum reliquasque partes ibi prætergredi valebit; licet & nonnulli inveniantur, qui concedant, propter vaſorum convulſionem, modo ex repletione, modo ex inanitione ortam ad ipſius ventriculi fundum tantummodo retrahi poſſe. Sed adhuc ſub judice lis eſt. Hinc quodcunque de hoc aſcenſu ac decurſu uteri hodiernorum Medicorum concipit cohors, illud ſub paſſionis hyſtericæ comprehendit charactere.

Platonis & Aretei de utero ſententia

§. XLVII. Non poſſumus igitur aliter quàm hoc in paſſu ridere Platonem ac Areteum, qui ſummi quamvis Philoſophi à mente philoſophica hìc maxime abalienati, uterum animal eſſe ſibi concepere, quoniam ſuam permutare ſoleat ſedem, idcirco in uteri ſtrangulatione miſeras mulieres reſpiratione privari dixerunt, ideo quod ſurſum aſcendens uterus ſeptum transverſum ſuo comprimeret corpore, *vid. Cordæus de morb. mul. comm. 2. text. 1.* ulterius ita obſcure ratiocinantes, eum, dum prolem generare intendat, ſeminis maſculini avidum, menſtruoque ſangvine deſtitutum, indignabunde vagare per infimi corporis regionem, imo ad ſeptum conſcendere, & quaſi animal quoddam ſuccenſens nefarios excitare morbos. Stabiliebant namque ſuam ſententiam male conformatam deformiori argumentandi modo: Quæcunque ſenſus habent, ea dicuntur eſſe animalia, perfectiora, quo plures, ut bos & equus, imperfectiora, quo pauciores, ut mytuli marini &c. Sed qualis & quanta hæc eſt argumenti ratio? *vid. de his a Caſtro de natur. mul. lib. 1. p. m. 17.*

Modus procidentiæ.

§. XLVIII. Sed a ſcopo videmur declinare, ad quem eſt revertendum, ut tandem exitus uteri pateat modus. Ille vero ita ſe habet, ut everſus quandoq; extra fœminæ pudenda promineat, magnitudinem majorem minoremve pro varietate illatæ violentiæ ovi ſtruthiocameli præ ſe ferens, quam figuram fundus ejus concipit. Aliam namque ſpeciem refert, quando collum vel interna ejus pars ad patentem prolabitur vulvam, aliam, cum uteri fundus ſe conſpiciendum præbet, qui ferme ſcrotum viri æmulatur, ſuis rugis ac inæqualitate pollens; imo nonnunquam relaxatus offenditur, ut facile ſuperius femoris ſyſtema attingat. Aliam denique exponit formam,

mam, cum totum corpus declinat quod gradum ſiſtit ad limina labiorum vulvæ, in margine advertitur ejus foramen, cujus aſpectus fermè aſſimilationem cum glande penis virilis ante oculos ſiſtere dicitur.

Signa. §. XLIX. Quamobrem ſigna hujus affectus eſſent leviſſima, niſi ea contemplationi noſtræ obvelarentur. Et cum Medicis non ſemper ſit datum, ſacratiores has partes intueri, diſſuadente hoc honeſtioris famæ gloriâ, nec etiam ita facile permittat mulierum verecundia erubeſcens, acquieſcendum erit in relatione ægrotantium, ſed quoniam & hæ ejusmodi proferre corporis nævum ſibi pudori ſæpius ducant, ex adſtantibus certiorem exſpectabit delineationem. Inſuper quoqve licebit eum cognoſcere ex dolore illarum partium, quibus uterus hæret annexus. Lumborum enim ſentitur cruciatus, patiuntur genitalia plus minusvè, prout cauſa has excitabit affectiones, urina deniqve ſupprimitur cum inſigni cruciatu, ut alia taceam mala.

Cauſa. §. L. Cauſarum inveſtigatio tandem largo proponit numero diverſiſſimorum principiorum fontes, è quibus proſilire hic audeat morbus. Cum vero plurimæ cauſarum ſint, quæ uterum prominere faciant etiam extra puerperium, eas ſaltem in chartam conjicere animus eſt, quæ immediate poſt illud fœminis moleſtum hunc ſtatum conſtituere queant. Tanquam primaria accuſatur nimius parturientium conatus robuſtiori in edenda prole, ob quam cauſam etiam crebrius poſt partum difficilem quam alio tempore notatur. Peccat inſuper quoqve conſtitutio corporis ſeroſa, per quam uteri vincula laxantur elonganturqve, vel genitalium noxia refrigeratio per ſeſſionem aut manſionem diuturniorem in loco gelido. Aut in culpa eſt nimia vaginæ uterinæ compreſſio, à pondere nimio uteri, coitus violentus, vel fœtus aut Secundinarum ab imprudentibus obſtetricibus inepta extractio, *vid. Fabr. Hildan. obſervat. cent. 4. obſerv. 60. Petr. Marchettus obſerv. 61. Mauriceau maladies des femmes lib. 2. c. 12. lib. 3. c. 6. aliique.* Præterea conferunt ſymbolum quoqve ſternutatoria fortiora pro ſecundinis excludendis adhibita, lapſus improvidus, ponderis gravioris attractio, aut percuſſio violenta, item vociferatio ac tandem omne animi pathema grave.

§. LI. Moleſtus æque ac deformis hic affectus eſt, & cum ſexus ſequioris homines jucunditati formoſitatiqve utplurimum ſtudeant, eo citius noſtras auxiliatrices implorant manus, quo magis faſtidioſæ non ſolum ſibi, verum ac maritis malo perdurante exiſtunt, de neceſſitate ut taceam, quæ plures exinde minatur invaſiones, & quamvis prima fronte hoc malum per ſe minus videatur periculoſum, accedente tempore tamen dataqve occaſione in peſſimum degenerare potis eſt, dum aëre gelidiori corrupta hæc carnoſa pars facile in carcinoma permutatur minime tutum, aut contractivus ſpaſmus nervoſi ſyſtematis oritur febrisqve ſupervenit cum inflammatione excandeſcens. Quapropter medela in tempore eſt ſuſcipienda, eaqve primario ope chirurgica perficienda, dum manualis operatio præcipuum erit remedium. *Cura in repoſitione Chirurgica* Si igitur contingat, ut vaginæ uterinæ in puerpera promineat tunica, illa, quantocyus fieri poteſt, vel ab ægra ipſa, vel ab obſtetrice perita demum blandiſſimo digito retrudatur, alias inflammationis labem contrahet, vel tumorem induratum. Adeoqve neceſſum habet ægra, ut prius urinam cum fecibus emittat, quibus congravatur haud leviter eminens tumor & operatio impeditur, ſitumqve corporis ſervet capite declivi, lumbis altius poſitis, cruribus disjunctis ac retractis; ſic namqve obſtetrix meliori de ſucceſſu ſibi ac Puerperæ congratulabitur. Quod ſi tamen ad duritiem & extumeſcentiam pervenerit malum, ſine pharmaceuticis remediis adhibitis manus chirurgica haud ſufficienter poterit operari, hinc invicem conjungantur. Interea officio ſuo Chirurgia adhuc ſatisfaciet Venæ Sectione, quæ eum ob finem in brachio adornatur vel dextro vel ſiniſtro, cum enim plerumqve

que Inflammatio niſi præſens, ſubſecutura tamen, concomitetur tumorem, Practici hanc ſuſcipiunt pro ſangvinis derivatione, ne diutius ſtagnet in parte affecta. Nihilominus tamen & hac celebrata cura tumor ſupermanet quandoque durus, quapropter ut ipſi ſubitum feratur auxilium, quo reponi levius poſſit, neceſſum eſt; beat nos inde remediis ara pharmaceutica.

Pharmaceutica pro tumore diſcutiendo.

§. LII. Diſcutitur autem hic tumor communiter fotu ex lacte tepido, vel decocto chamomill. tanacet. flor. verbaſc. Sem. aneth. fœnu græc. lini, rad. malv. betæ, altheæ; aut inunctione olei chamomel. anethin. hyperic. fl. verbaſc. Sevi hircini, &c. quæ inſimul viam reddunt lubricam, & ſi ſpaſmus inſuper aderit, laudatur tam ab extra quam intra Eſſ. opii *à Muralto*. Cum vero jamjam ulcus ac corruptionem iniverit, mundificantia locum obtinent, ubi conveniet ſtatim vinum calidum, ſpiritus vini dilutus, tinctura aloës, myrrh. aliaque gummoſa cum ſpiritu vini ſoluta, vel. Lap. medicamentoſ. Crollii cum aqua roſ. lil. alb. applicatus, imo Balſamus peruvian. vel copaiv. cum vitello ovorum digeſtus. Interne conſolidantia, perfoliat. plantag. herniar. ſanicul. jacea alb. quinque fol. ac decocta ligni ſaſſafr. ſarſaparill. guajac. cujus acrimonia temperatur malvæ ac altheæ radicibus. Sed ſi morbus jam fuerit inveteratus, ipſa hæc remedia cuncta in caſſum ſunt abitura, ob occalleſcentiam vel callum jamjam factum illarum partium. Hoc vero abſente impedimento tandem obſtetrix aut Chirurgus digitis prius cum oleo maſtichino aut adipe gallinarum malaxatis repoſitionem uteri ſuſcipit, qui antequam intruditur, mucilagine ſem. pſyllii cydonior. aut alio quodam lubricante remedio eſt inungendus, aſpergenduſque adſtringente pulvere gallar. Sem. rhus, fl. balauſt. roſ. rubr. acac. myrtill. nuc. cupreſſ. rad. prunell. &c. Solet eadem reſtitutio etiam ex fonte chirurgico tentari cucurbitulis, mox ſupra mox infra umbilicum ſine cruenta ſcarificatione impoſitis, aut circa inferiorem regionem dorſi flammâ repetita applicatis. *Burnetus in Theſaur. med. pract. tom. 2. lib. 12. Sect. 37.* cum *Mercato* exhibet lapidem magnetem umbilico adhibitum. Alii ſtudent huic affectui per ſvaveolentium exhibitionem, idcirco naribus addunt penetrantem ambram, moſchum, Zibethum, aut alias nobiliorum aromatum ſpecies, è contrario muliebribus partibus ſuffimigia ſupponunt fœtida, ex galban. aſa fœtid. gumm. ammoniac. caſtor. ſagapen. vel corio anguillæ ſalitæ, pulv. lanæ arietis nigri, pennis combuſtis, limatur. plumbi, *vid. Burnet. l. a.* Et tandem his non ſufficientibus ovis ſub gallina fractis & putrefactis fricant genitalia, aut illa urina graveolenti eluunt. Sed an voto ſemper ſuccedat adeo hæc repoſitio, animus adhuc hæret anceps, quoniam videtur veterum hypotheſin de aſcenſu & deſcenſu uteri ſapere, quem aſſurgere crediderunt ex allectu rerũ odoratarum, cum ipſi inimica ſint fœtulenta.

Chirurgica in reponendo

Cura per terrorem

§. LIII. An etiam & huic methodo albus adjiciendus ſit calculus, quam quidam per terrorem efficere allaborant, plurimi verentur, Puerperæ enim reclinanti cauteria minantur actualia, ferrum ignitum manibus tenendo, & quaſi illo partem affectam tangere ſimulant. Vel ita locatæ ægræ inſciæ ad crura denudata mures viventes alligant vel lacertas, quo improviſo horum animalium attactu deterreatur, atque elapſa vagina ſpontaneo ingreſſu recedat. Quod ſi vero hic inopinatus terror inopinatam quoque mortem inferat in tenera ſequiori ſexu, ad horrorem per leviſſimos etiam motus inclinata, ita ut aliquando nec oculorum, taceam tactus ſenſu, hoc animalium genus perferre valeat, quin non animi grave patiatur deliquium. Facile igitur manualis opera melioris ſucceſſus ſpem pollicetur, qua obtenta, ad modum reſervandi inſertam vaginam deveniendum eſt, qui in efficaciori firmatione harum partium conſiſtit.

Firmatio uteri repoſiti

§. LIV. Conciliatur autem repoſitæ parti fixa firmitudo per adſtringentia externa, Decoctum nim. gallar. roſ. rubr. balauſt. ſumach. fol. querc. meſpi-

meſpilor. rad. tormentill. Symphyt. maj. it. Onis vel aſperguntur ejusdem farinæ pulveres, qui inſimul conſolidantes ſunt, terræ ſigill. thur. maſtich. & quos modo deſcripſimus. Alligantur quoque genitalibus plumaceoli liquore adſtringente madefacti, de quo evolvatur *Lemery in ſua chymia.* aut formantur Peſſi ex linteo uterinæ vaginæ adaptati, qui humectantur decocto jam dictorum pulverum in vino vel aqua chalybeata, aut applicantur ſpongiæ, pulvere ſumach. tormentill. ac terebinthina madentes. Præterea quibusdam in uſu ſunt Emplaſtra adſtringentia ex ſangv. Dracon. ſarcocoll. pulv. gallar. nuc. cupreſſ. maſtich. thur. gumm. ceraſor. ſucc. Conſolid. maj. emplaſtr. contra rupturas, quorſum & refertur Empl. magnetico arſenicale, quod alias lumbis impoſitum *Hoffmann. in method. med. & clav. pharmac. in* Herniis tam ſolennis facit uſus; vel illud in procidentia ani commendatum Emplaſtr. rad. ſatyrion. de quo *vid. Blegny in Zod. gall. part. 3. de herniarum curatrice.* ubi & accurato labore media invenies, quæ uterum reſtitutum continere faciunt, *cap. 7. l. a. p. m. 244.*

§. LVIII. Jam demum ſuffimigiis uterum reponere quosdam diximus, ſunt etiam qui iisdem eum figere moliuntur, e. gr. è gummatibus reſinoſis, ſtrobilor. pin. *vid. Paul. Q. B. p. 500. Velſchii myctom. cent. 1. obſ. 93.* maſtich. & iis, quæ præ aliis ſpecifica facultate retinendi creduntur, ut allegatus ſuffitus ex pelle anguillæ; pingvedines urſi ac taxi externe tantum illitæ nonnulli tanquam ſingulare extollunt remedium. Sed quamvis ingens tibi labor ſit, cunctis his remediis intra debitos parietes retinere vaginam, vix tamen adeo firmabis eam, quin non levi errore commiſſo demum relabatur. In ejusmodi caſus ſolamen effinxit quorundam peritorum ſolertia Annulos aut Armillares circulos, qui vel ære polito vel chalybe apte efformantur, quæ ultima ſpecies tamen ne ferrum carnem arrodat, tenuiori filo cereo obvolvitur; nec non peſſarii ex pura conficiuntur cera, vel globuli ex filo cannabino contorquentur, quæ cuncta remedia in vulvam emiſſa faſciarum ope uterum in ſuo detinent ſitu, de quibus prolixe agentem adeas *Sennertum pr. l. 4. part. 1. ſect. 2. c. 16. & Weickard. p. 355.* Dyſcraſiam autem humorum peccantium ac ſeri luxuriantis corrigunt evacuationibus, quæ omnium optime *ad imitationem Mercati* diaphoreticis inſtituuntur, decoctis nim. rad. Chinæ, ſarſaparill. quibus nominatus autor illuſtres canit panegyros. Sed antequam his remediis colophonem addamus, prius monendæ ſunt obſtetrices, ut in repoſitione ſinus uteri circumſpecte ambulent, neque etiam adſtringentibus ludant exceſſive ac prodige, refert enim *Caſtro*, quod teſtantibus aliis non nunquam viſæ fuerint fœminæ, in quibus dum decoris gratia Obſtetrices medicamenta oppido adſtringentia exhibuiſſent, tam firmiter fuerint clauſæ, ut nullum amplius coitum exercere potuerint. Sufficiat noſſe, optima quæque abuſu fieri peſſima, & luxurientur his perverſæ meretrices, quæ cum protervo genio ſuo diu indulſerint, quo tandem phœnicum inſtar ex cinerum pulvere reviviſcant; ſe virgines adhuc in aggreſſu virorum ſimulantes, ſibi arctius caſtitatis ſignum adſtringentium abuſu fingere moliuntur; idem quod factitare nonnunquam & aliæ honeſtiores fœminæ creduntur, quo maritis gratiores ſe præbeant. Sed ad Leges diæteticas. *Cautela.*

§. LIX. Circa Diætæ imperium igitur Puerpera obtemperabit calori, niſi expoſita mala perferre voluerit, omnino moleſtiſſima: eam ob cauſam liberiorem fugiat aërem, ſeſeq; intra hypocauſti calefacti, vel quod melius ferme intra lecti contineat parietes. Alimenta non aſſumat viſcida, nec humida nimis ac lubrica, quippe quæ vaſorum laxitatem cauſantur, idem quod cogitandum de potu abunde ſumto, qui parcus & tepidus jure potiori eſt commendabilis. Membris ſuis quieta jaceat, nec moveat ſe ultra neceſſitatem, ni nova ſinus procidentia accelerari debeat, quapropter ad minimũ intra novem dierum intercapedinem poſt repoſitionem *Diæta.*

nem

nem factam decumbere ſecundum aliquorum mentes, neceſſum habet, quo eo commodius ac firmius retruſa vagina denuo ſe priſtino ſitui dare valeat; itaque ſomno perfrui ſi illi licuerit, beatum conſequetur ſtatum, ſin minus, in id intendendum, quo turbulentæ fugentur vigiliæ; animumque ſemper teneat erectum, ac ab omnibus gravioribus affectibus alienum. Nam licet morbum hunc per ſe minime lethalem agnoſcat *Caſtro cum aliis*, ſuperveniente tamen mœrore ac contriſtatione factum fuiſſe cenſet, quod exinde mortem oppetere aliquando fuerint coactæ. Et hæc fuere, quæ de hoc affectu diſſerere ſtylus noſter per æquitatis normam debuit, nunc ad ultimum transgredimur in noſtra ſerie, qui quanquam rarior, non tamen exinde negligendus.

V. Purpura §. LX. Eſt vero hic, *Purpura Puerperarum*, vel *Febris miliaris* ſecundum *Muralt. tr. cit. p. 345.* germanis der Frieſel/ à *frigendo*, quoniam ſæpius cum frigore invadere ægras, ac velut milii granis cutim exaſperatam reddere ſoleat. Alias quoque appellatur *febris militaris*, ut referunt *Act. N. C. ann. 6. p. 76. & ann. 3. p. 397.* *Morbilli ignei* ut *M. N. C. ann. 6.* Imo à quibuſdam ſumitur pro *febribus malignis in genere*, mox ſpeciali modo *pro petechiis*, mox alio reſpectu, ſub quo ſenſuum genere hæc vox ſe nobis explicat *in Paul. Neucrantzii tr. de Purpura ac Octavian. Roboret. lib. de febrib. petechial.* paſſimque penes alios. Nos vero ſtrictiori ſignificatu Purpuram notatam hic volumus, quatenus glabram corporis peripheriam exanthematibus milii grana æmulantibus cumulat.

in quibus regionibus dominetur, §. LXI. Jure ſibi gratulantur Nationes plures, ſibique applaudunt invicem Regiones ac Urbes, quod ingratum hunc hoſpitem intra mœnia ſua minime videant, adeo ut eum tanquam plane ſingulare portentum olim indignabundo vultu aſpexerit Pannonia, quod obſervavit. *Carol. Reyherus in M. N. C. ann. 3. dec. 1. obſ. 281. p. 497.* Quibusdam tamen tanta proſperitate gloriari non licet, quin non aliquando hoc infortunii genus ſuſtineant, ſenſerintque, prout Incolæ Bataviæ teſtantur experientia, oræque ac ora Sileſiæ confirmant. Aſt tam vaſtas fixasque ſedes tamen, volente ſic benigni Numinis gratia, hic nondum locare valuit hæcce malignitas, de qua rabie quidem conqueritur Saxonica Tellus, intra cujus fines maxime lamentatur Lipſia tanta tot Muſarum glorioſiſſima mater, quippe quæ hanc purpuram frequentiori perſentiſcit dolore, adeo ut ejus invaſione tam teneræ quam profectæ ætatis, ac utriusque ſexus homines ſæpe ea extinguantur: inter omnes tamen primario proſternit Puerperas, quibus majori minatur malo, ac olim ſtrage enormi ac funeſta exſtitit terribilior, cum ingentem tot fœminæ cladem ſuſtinuere. Quamvis etiam tum temporis haud adeo vulgaris cognitionis hic fuerit morbus, tam tecte tamen vires ſuas exſerere non potuit, quin non ex ungue Leo, & ex pennis divinata fuerit avis.

§. LXII. Nolumus igitur Purpuram hic ſub novitatis Schemate proclamare, quod perſvaſi ſunt alii propria ſic voluntate decepti, intereſt enim ut dicamus, etiam antiquis Purpuræ affectum fuiſſe cognitum, quanquam ab aliis eodem titulo non fuerit inſignitus, nam ſi illum mente reputaveris, quem olim *Rubeolam* dixit *Haly Abbas*, ac *Rubedinis* charactere notavit *Foreſtus lib. 6. obſ. 49.* is unam eandemque cum noſtra purpura repræſentabit faciem, ut dixeris, ovum ovum æmulari. Sed ut ad rem veniamus, Purpuræ eſt deſcribenda proprietas. *an Veteribus fuerit cognita.*

§. LXIII. Ita vero ſe habet Purpura noſtra, ut ſub principium Puerperæ excrucientur febre maligna, haud tamen adeo exquiſita, quæ cum horrore plus minus notabili prima ſumit incunabula, ſuccedente tempore tamen auguſtiores agit radices, quod circa alterum vel tertium præter propter invaſionis diem contingere aſſolet: Symptomata tandem capiunt augmentum, excandeſcit calor, ſitisque oritur moleſta, cephalalgia ſuboritur cum tuſſicula fere continua: *Hiſtoria morbi*

Hiſce

Hiſce prægreſſis tandem ſenſim ſenſimque exanthemata cutis miliformia ſe obtutui noſtro præbent, lento gradu collum ac pectus perrepentia non ſine pruritu doloroſo ſummeque rubente, & quando ita extra corporis peripheriam ſunt poſita, ſucco ſuo denique nutritivo privata exſiccantur, ac inſtar levium ſquamularum decidunt, aut ſi à cauſis quibusdam externis æque ac internis retrofugantur, demum anxietates cum motibus convulſivis excitant deteſtandas.

§. LXIV. Hæc tamen facies non ſemper eadem eſt Purpuræ noſtræ, ludit viciſſitudine vultus, ac ſimulat ſæpe numero vires ſuas peſſimas, adeo ut nonnunquam omni deſtituta incedat larva, quam alias ſibi per febrilem effingit calorem, nullaque alia ſymptomata ſecum comites ducat: cujus telo ſi quando affliguntur homines, haud ſemper de neceſſitate tenentur, quo continuo ſtratum pulvinar dolente cervice premant, verum potius conſveta munia libero ferme pede ob eunt, quam ob infauſtam felicitatem adhuc ægris contingentem hæc ſpecies dicitur *benigna*, cum ex oppoſito altera ſtatim cum ſymptomatibus obvia *adverſæ malignitatis* ſortiatur titulum. Benignior tamen purpura, mitiori ſi indultu ejus ſublatens ſuperhabebitur malitia, tanquam peſſima erit experiunda, præſertim cum frigori corpus exponitur morboſum, ſubito inibit ſtatum commutatum haud ſine vitæ diſcrimine prægnantem. Tanta namque ſcelerum farragine hic ſcatet affectus, ut ægros aliquando ac Medicos ſuo pro ludibrio habeat, mox enim ſe repræſentat exanthematibus rubicundis, mox alio ſe deformat fuco, ac rubentibus efflorеſcentiis albidas innatantes gerit, quæ quaſi in iis altas ſedes figere videntur. *[D]ifferentia*

Signa §. LXV. Sed ſatis figuram affectus hujus depinxiſſe credimus, ad ſignorum cavernas in doloſa labe jam progrediendum, quæ alias medici communi opera ſolent eruere ex tuſſicula illa continua ſiccaque doloroſa, præſertim cum in regione dorſali punctiones ſentiuntur acutiſſime frendentes: luculentiori tamen certitudine hoc cauſarum pollet ſcrutinium, quando ipſiſſima exanthemata in cute protuberantiam ſiſtunt oculorum radios non amplius fugientem.

§. LXVI. Ipſa nunc Natura purpuræ in cauſarum diagnoſi differentiam nos facere jubet, ut exinde benignam ſecernamus à maligniori, quoniam Symptomatum horum concurſum in quibusdam ſubjectis ſemper ſecum vehat, quamobrem ne emunctioribus naribus crambe bis cocta appoſita nauſeabundus concitetur odor; brevibus dicimus, Cauſam purpuræ ſangvinem eſſe nimium acrem ac cauſticũ, qua dictione etiam facillime patet ratio pruritus, rubedinis ac exanthematum; quoniam, quatenus hæc cruoris acrimonia cauſticitate ſua cutim partim dilacerat, puſtulæ cum rubedine, partim ejus fibras vellicat nerveas, pruritus oritur. *Cauſa*

§. LXVII. Cura in Purpura benigna nulla alia eſt, quam quæ redolet methodum tractandi vitia ſangvinis cuticulam erodentia: Malignæ autem opponuntur & ea remedia, quæ febribus petechialibus quoque reſiſtunt. In genere conducunt ſequentia, ut terra Sigill. Sileſior. Bol. armen. unicorn. ver. ac foſſil. antimonium diaphor. antihectic. Poter. cujus præparationem & vires in hoc affectu extollit *laudatus Muralt. l. a. p. 481.* Cinnab. antimon. tam ſimpl. quam ſolis ac lunæ, lap. cancr. Cornu Cervi uſtum, ſexcentaque alia, quæ hic ob brevitatis ſtudium adducere ſuperfluum eſſe ducimus. Cum tamen delicatioribus labiis terrea minime placeant, illorum vero auguſtior doſis hic ſit obſervanda, per quam creatur nauſea, poterunt aquis deſtillatis appropriatis facile dilui, ut e. gr. ad unciam unam pulveris aquæ ſuſcipias lib. j. quæ mixtura optimum præbebit ſucceſſum in Cornu Cervi uſto, cætera non æqua levitate particulas ſuas adhuc vol. & pingves liquore aqueo commiſceri patiuntur. *Cura* *per terrea*

§. LXVIII. Subjunguntur terreis hiſce & alia medicamina magis calida & Sudorifera, ut eſſent. theriac. *Salia volatilia*

ſali vol. liqv. Cornu Cervi, Succ. ſpiritus Sal. ammoniaci aromatis. ac ſpiritus Cochl. Beccabung. Lumbric. terreſtr. Sangv. hum. Fuligin. &c. it. Eſſ. Lignor. Centaur. min. Chin. Chin. Abſinth. Caſtor. *Paul. Neucrantz. de purpur. c. 23. p. 335.* exhibet rad. contrajerv. theriac. vet. ſpiritum card. bened. ſpiritum camph. aqv. galang. acetos. Syr. acetoſell. ſpiritum ſulphur. &c. Et tandem liquor Succini, i. ſpirituoſa humiditas ex Succini deſtillatione prolecta, cunctaque myrrhina, ſeu cum myrrha cohobata, quæ, ſi præp. lochiorum obſtructio peccet, inſtar Specifici hoc in affectu commendatur. Tincturam bezoardicam nonnulli verentur, quoniam non latent exempla, in quibus hujus uſu ad inſignem præcordiorum anxietatem deliriumque deductæ fuerint hujusmodi ægræ; id quod etiam per alia ſalia vol. abuſu exceſſive adhibita excitatur; ſalia enim abundantia in corpore dum à volatilioribus remediis ſubito ſolvuntur, Maſſam ſangvineam in motu magis turbant, æſtumque conciliant validiorem. Interea tamen ſi ex negligentia puerperæ per quamcunque etiam datam occaſionem retrocedant, ad ea eſt deveniendum, quoniam terrea tam feſtinante non operantur actu, quamobrem ex duobus malis præſtat eligere minus; tutius enim erit, ut æſtum ferventem recipiat Puerpera, qui corrigi, quam mortem præcipitem, qui averti non poteſt.

opiata §. LXIX. Supponimus igitur pro hoc ſcopo convenientia opiata, Tinctur. opii cydon. Eſſ. anodyn. Mich. Theriac. cæleſt. Theriaca Andromach. Nec martialia erunt negligenda, ut Eſſent. martis c. ſucc. ceraſ. item aperitiv. Zwelff. aliaque. Nitrum ſ. nitrata autem ſeria cum ratione ſunt ſeponenda, quæ quoniam alvum omnino laxant, nocumentum exhibent ſummum, pellitur enim materia peccans in corporis peripheria hærens ad centrum, quo improſpero caſu vita periclitatur Puerperæ. Idem fertur judicium de dulcium exhibitione, quæ ob acrimoniam ſuam vellicant inteſtinorum ſeriem, alvumque reddunt apertam: ex quibus ſequitur & cætera purgantia in hoc affectu eſſe jure abominanda. Inſuper & in uſu potiuncularum, quæ cum terreis ſunt combinatæ, habenda eſt ratio, ne admiſceantur ſyrupi cum nimio ſaccharo mixti. Intereſt, ut quoque hoc reſpiciatur in tinctura fl. papav. quæ licet in variolis ac morbillis pro ſcopo refrænandi æſtum ac expellendi puſtulas, exoptatum nonnunquam præbeat ſucceſſum, cum tamen & lochia manifeſto pellat, ne idem, quod dictum eſt, concitetur, ſecure animadvertendum, adeoque ſi & morbus à lochiorum obſtructo dependeat fluxu, ne nimis ejus promotionem tentes, conſultum erit. Loco tincturæ tamen flor. papav. ſubſtituitur commode illa fl. bellidos, tunicar. roſar. ac rob. ſambuci cum Cornu Cervi &c. Calida hauſta proficuum quoque exhibent ſolamen, ubi famoſus ille potus Thee & Caffæ principatum tenet, à cujus uſu tamen illæ, quæ ab hoc ſe laxari ſentiunt, ut nonnulla occurrunt ſubjecta, ſunt diſſvadendæ: & ſi aliquando invitis nobis contigerit ejuſmodi ani profluvium, ſtatim exhibenda ſunt adſtringentia terrea, ubi inſigniter præſtat ſupra delaudata terra ſigill. Bolus armen. &c.

Cautelæ obſervatu dignæ

Cura præſervatoria §. LXX. Inſuper quamvis Curam præſervatoriam alii ſuſcipere moliantur, ne blaterando ad eam quid addam, mearum partium eſſe duco, eâ nixus perſvaſione, quod citius animoſo ſpiritu Herculi invictam extorſeris clavam, quam ſalium exercitum omnem è corporis noſtri profligabis cuniculis, aſt ne dormiendo excubias agere videamur, medicoque cedat honori famæque, expetentibus ægris otioſam diſſimulare hac in parte repulſam, iis exhibenda ſunt antiſcorbutica, ubi præter jam declarata adſunt rad. Armorac. raphan. ſylveſtr. pimpinell. herba naſturt. indic. beccabung. numular. &c. item aqua antiſcorbut. Sennert. Tinctura Corall. antiſcorb. D. Mich. Eſſ. fumar. Aqq. antiſcorbut. Timæi. Conſerv. roſ. vitriolat. Elixir. propr. Paracelſ. Tinctura propriet. Mynſicht. Quibus antecellet juſta victus ratio, quæ mox in fonte diætetico circa hunc morbum conſiderabitur.

ex Pharmaceutico

§. LXXI.

Chirurgico §.LXXI. Ut ordo autem ſervetur prius fons attendendus eſt Chirurgicus, ſed certe nolo hic avidum diu fruſtranea ſpe alere, ne aureos inde ſibi polliceatur montes, cum ferrea ſolum ſortietur fortuna. Nihil enim remedii noſtro deſiderio Chirurgia eſt exhibitura, præter Lanceolam, quâ non niſi in inſigni ſangvinis copia nimioque ejus motu ac turgeſcentia ſaphena pedis incidi poterit, parciſſimeque extrahi ſangvis.

Diætetico fonte ratione aeris §. LXXII. Ad Diætæ igitur conſiderationem nos accingimus, in qua omnium primum quaſi emolumentum aërem offendimus purum, qui non ſit fuliginoſus ſed ſerenus, qui nec particulis ſalinis turgeat, nec exhalationibus paludoſis ſit inquinatus, & ſi hoc modo ob non datam aliam occaſionem peccet, ſuffimigiis aptis eſt corrigendus. Primario tamen Puerpera ſtudeat aëri çalenti, non excedenti ſed moderato, nobis etenim haud complacet plurimorum opinio, qui ægras calore excruciant, eas in lecto hypocauſtoque fervente tanquam in ergaſtulo detinendo nonnunquam ad lipothymias ferme cogunt, ſcopo minime obtento. Secernitur enim hac ratione ſerum è ſangvine, non vero acrimonia peccans, viſcidicasque ſupermanet graviſſima ſpondens ſymptomata nova.

alimentorum §. LXXIII. In alimentorum genere diſcernendo convenient ea, quæ ſucco gaudent bono, & facili ad concoquendum ſunt prædita, v. g. pulli gallinac. caro agnin. hædor. vitulor. juvencor. gallinar. columbar. Juſcula conducent quæ ſunt parata ex carne bubula, illiſque jam recenſitis, vel ex cremore hord. cum paſſul. minor. ſummitat. aneth. thym. roriſmarin. Abſtinendum eſt â piſcibus ſalitis, demortuis ac paludoſis, ſed in appetentia eligantur ſaxatiles: Inter alimenta poſſunt etiam concedi embammata ex cochlear. raphan. capparib. naſturt. &c. contemnantur bellaria immatura & cruda, fructusque dulces bilemque moventes. Potus ſit ſemper calidus iſque ex cereviſia bene defecata, neque vina hauriantur acerba ſulphurataque, melius nam quadraret ægris, ut potius dulciores ex ipſo fonte biberent aquas: quibus vero arridet adeo vini hauſtus, iis præbeatur ex vino vetuſto rhenano vel neccarino, aut paretur cum abſinthio ac chamædr. verbo: frugalitate utatur puerpera, quæ luxurioſis epulis eſt inimica.

§. LXXIV. Somno quibus frui licet, habent de quo ſibi congratulentur, inſigniter nempe mitigabit dolorem, quantum enim miaſma malignum per vigilias pertinaces inducendo excitet ſpiritum animalium corruptio in febribus malignis, cum quibus participatur Purpura, in propatulo eſt, dum propter motum confuſum deliria inferuntur peſſima, phreneſesque variæ. Motus æque erit noxius, ſi paulULUM fuerit nimius, quoniam M. Sangvinea exagitari facile poteſt, igitur ſit accepta dulciſſima Quies. Quoad excrementorum cenſuram, ea ſi duriora ſunt, quietem non raro turbant, obſtructionesque pariunt diverſis cum doloribus, itaque eo reſpciendum, quo alvus ſemper detineatur lubrica ac aperta, neutiquam tamen ad profluvium fere immodicum. Tenax autem ſtipticitas alvi hic loci tentatur mitiori remedio, e. g. butyro non ſalito, vitello ovor. ac croco admixto. *ſomni* *Excrementorum.*

§. LXXV. Reſtat adhuc animi affectuum contemplatio, circa quam eadem ludimus chorda, qua in antecedaneis uſi fuimus Puerperarum morbis; nim. quo ſumme fugiantur cuncta animi pathemata graviora ac inter illa præpr. Ægræ caveant Iræ, de qua quidem cecinit *Cato*, *Ira furor brevis eſt:* Sæpiſſime tamen utinam non ſit! in ſexu ſequiori longa, cui turpiſſimo malo utplurimum innititur proclivis, aſt ſæpiſſime haud ſine propria noxa. Inſignis nempe orgaſmus oritur ſangvinis, adeo ut nonnunquam febres ſibi exinde concilient puerperæ, ſed etiã ſemetipſas hac iracundia præcipiti in pernicioſam præcipitent paralyſin, de qua re *vid. Tulpius Obſerv. Med. lib. 2. cap. 20.* & quæ alia morborum genera exinde demonſtrat *Stalpart van der Wiel in Obſerv. rar. cent. 1. Obſ. 29. p. m. 342.* *Affectuum animi.*

ſeqq. Et quamvis etiam febres quartanas aliquando terrore fuiſſe ſublatas legimus, quo Henricum IV. Regem Galliæ febricantem Nobilem quendam methodo ferme ridiculoſa curaſſe refert *citatus Blegny in ſuo Zodiac. Gall. ann. 2. quæſt. 17. p. m. 24.* Noſtris tamen puerperis nolumus eſſe ita terribiles, rem æque non profuturam autumantes, quippe quas potius ab omni horroris pavore precamur alienas, ne febrem ac pleuritidem contrahant moleſtam, ut legere eſt *apud Plater. Obſ. lib. 2. p. m. 400.* Et hæc ſunt, quæ in Purpuræ conſideratione fari nobis fuere conceſſa, claudimus nunc moleſtum morborum agmen, quo Puerperium infauſtum redditur mulieribus in hac ærumnoſa vita, qui plura ambit, dirigat mentem ad plures ſcriptores, qui morbos tam prolixe deſcripſere fœmineo ſexui infenſos, quorum catalogum *videſis apud Lindenum in Bibliotheca, ac Waltherum in Sylva Medica:* & præter hos legantur *Mauriceau les maladies des femmes groſſes; & Guillemeau l' accouchement des femmes.*

Tu vero Lector Æſtumatiſſime, ſi quem hic mentis ac calami inveneris lapſum, omnem Scientiam hac in Mortalitate noveris eſſe mancam, & demum erroris omnis nos fore expertes, quando nobis perfectioribus æterna Sapientia frui in æternum non erit

F I N I S.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Quadrageſima quinta:
De
RECENS NATORUM REGIMINE.

CAPUT I.
RECENS - NATORUM REGIMEN IN STATU NATURALI.

§. I.

Cum animus ſit, pro themate Diſſertationis ſolennis Recens - natorum Regimen exponere, ad explanandum magis id ipſum è re eſſe duxi, primo præmittere ea, quæ neceſſaria ſunt in lucem hanc editis infantibus, quamdiu proſpera & ætati huic convenienti ſanitate fruuntur, quo exinde pateat clarius, quid agendum incumbat iis, quorum curæ committuntur tales diverſis morbis impliciti & in p. n. omnino ſtatum delapſi.

Hiſtoria partus. §. II. Ad hoc feliciter expediundum ex geſtationis & partus hiſtoria repeti debet, infantem, quamdiu uteri ergaſtulo inhæret, aquis quibusdam viſcidis immergi, quas circumambiens tunica Amnion immediate continet, cuique deinde altera firmioris paululum texturæ membrana Chorion nuncupata, ſuperinſternitur, ſimul comprehendens placentam uterinam, ex qua per venam umbilicalem reducitur ad fœtum annona, una cum ſangvine, antea per arterias umbilicales emiſſo.

§. III. Quodſi itaque in partu, ruptis his involucris, liquor dictus profundatur, ſimulque per lubricatas eo ipſo vias expulſus ſit extra uterum infans, in momento ab aëris circumambientis preſſura adigitur, ut reſpirare, vocemque cum ejulatu edere, & novam plane vitam colere incipiat; cum nec alimentum per vias antea conſvetas adferatur ulterius, nec molliuſcula ac tepida matris viſcera ipſum amplius amplectantur foveantque, unde certo certius ſibi ſuccurrere in his ſubitis ſatisque periculoſis mutationibus neſcius miſer homuncio brevi periret, niſi auxiliares accederent adſtantium manus quantocyus cunctis imminentibus periculis ſubvenientes.

Id

Umbilicalis funis reſectio

§. IV. Id vero omnium primo agitur, ut illa communicatio fœtus cum uterina placenta intercipiatur penitus, & ceſſante fine, media quoque ad illum perducentia nunc ſubmoveantur. Fruſtra autem non ſolum, ſed maximo cum damno adhuc permitteretur acceſſus ſangvinis ad molem hanc carnoſo-glanduloſam, in qua tamen poſt remotionem ab uteri internis parietibus nihil amplius perfici poteſt infanti ſolatio futurum. Quapropter celeri manu ab obſtetrice, aut quacunque alia adſtante muliere, funiculus umbilicalis arripiendus, ſangvisque omnis intra vaſa ejus hærens à placenta verſus fœtum cogendus eſt, ne pereat inutiliter quicquam de egregio illo vitæ theſauro: cumque id ſedulo factum fuerit, vinculo ex filo cannabino quadruplicato, leniterque contorto, ſpatio ab inſertione in abdomen latitudinem pollicis adæquante relicto, conſtringendus venit, nodo duplici injecto. Prudentes tamen hic ſint fœminæ apprime neceſſum eſt, ne nimis conſtringendo filum diſcindant penitus vaſa hæc, aut laxius circumjiciendo ſanguinis è corpore tenelluli exitum haud arceant omnem; cum ex utroque iſthoc errore funeſta hæmorrhagia immineat miſellis.

§. V. Fiunt autem hæc ſtatim poſt felicem fœtus excluſionem, & quando ſecundina, funiculo adnata, peritæ obſtetricis manuali operatione quoque prodiit: Tamdiu enim his noſtris oris reſupinatus infans in ſinu obſtetricis, aut ſi in lecto pariant fœminæ, ejus intra femora divaricata, linteaminibus calidis involutus detinetur ſolenniter. Quod ſi tamen & illas enixa fuerit, demum conſtringitur funiculus, uti modo monitum eſt, ſupraque ligaturam portio ejus ad trium digitorum, & quibusdam in locis ad ſpithamæ longitudinem relinquitur, reſiduo ejus cum placenta, beneficio forficis, (quam hac de cauſa ligulæ appenſam ſemper ſecum fert obſtetrix;) reſecto.

Balneum

§. VI. Nunc balneo aquæ tepentis à ſordibus adhæreſcentibus repurgatur infans. Scil. cum liquor, quo circumfunditur fœtus in utero, maximam gelatinoſarum partium copiam ſibi habet ſociatam, vix aliter fieri poteſt, quam quod plures ejusmodi moleculæ, ſibi invicem agglutinatæ, totum tenelluli corpus incruſtent ac inveſtiant, adeo ut inde univerſi non ſolum cutanei pori obſtruantur, verum quoque tota cutis externa, inprimis vero caput circa maxillas & cervicem, item regio ſubalaris & ſcrotalis, non ſine deformitate quadam tegatur ipſis. Quapropter balneo nunc imponitur, & quidem aquæ ſimplicis moderate calidæ, quam mulierculæ ſtatim ad manus habent, & labro ligneo, ſi parturiens tenuioris fuerit fortunæ, vel cupreo infundunt, id ſimul cum cura obſervantes, ut ſemper corpori infantis ſubſtrata ſit culcitra ſtraminea, caputque ejus extra aquas promineat, ne ad aures, nares ac os fluidum illud incaute admittatur. Fricat tunc balneatrix manu ſua infantis artus, ventrem inferiorem ac medium una cum capite, ſicque omnem viſcidam materiam adhærentem in grumos cogens detergit. Quoniam vero, quod fieri ſæpe ſolet, firmius ea agglutinata cedere recuſat, ſaponem ſimul vocat in ſubſidium, vel lactis cremorem aut butyrum non ſalitum, vel denique oleum amygd. dulc., quorum beneficio demum emollitur, quicquid antea adhuc reſiſtebat.

An lotio infantum tuto peragatur?

§. VII. Uti vero abſolute neceſſaria hæc ſordium remotio eſt, quippe ſine qua inſenſilis illa ad vitæ ſalubritatem adeo neceſſaria transſpiratio ſuccedere nequit; ita tuta omnino obſervatur, omnique periculo carens, modo commendata lotio ſub forma balnei, quicquid etiam contradixerit Autor Tractatus, cui titulus *Felix Puerpera;* Tantum enim abeſt, uti iſte arbitratur p. 24, omnem immerſionem in aquam tepentem eſſe tenellulis his inimicam, tam quod omni tempore partus edatur, adeoque etiam per hyemis ſævitiam, ubi tamen vel majoribus natu infidus deprehenditur balnei uſus, fluxiones movendo; quam quod longe ſecuriori ratione ſordes ablui poſſint. Verum

Verum enim vero, quod primum adductum periculum concernit, facile illud hypocauſtis, ſtragulis ac linteaminibus calefactis infantibus circumjectis, averti poteſt. Quoad alterum vero naſcuntur catarrhi non à balneo, qua tali, ſed potius à mutatione aëris ſubitanea, quando nimirum corpus probe prius calefactum in cellis caldariis, ſubito poſthac frigido exponitur aëri. Tertium autem quod attinet, quamvis non negem, Batavorum illam methodum removendi has ſordes (dum ſc. coram igne ex vino rubicundo tepenti, cui tertia pars aquæ admixta eſt, recens-nati lavantur) non eſſe rejiciendam; tamen num ideo, & in quibus partibus tutior ſit, minime ſatis probatum eſt. Retineatur igitur infinitis experimentis comprobatum tepentis aquæ balneum pro abluendis ſordibus his primis.

§. VIII. Dum vero hæc fiunt, & infans in balneo lavatur, explorantur ab obſtetrice cum ſtudio caput, nares, os cum auribus ac emunctoriis lotii & alvinarum fecum, num ſcil. hient in uſus ſubſequentes, aut num forſan, quod ſubinde animadverti ſolet, membrana aliqua ſupra expanſa claudantur. Venter vero inferior vola manus mulceatur ac fricetur, & anus apice indicis, vel muccinii extremitate contorta titilletur ac ſtimuletur, non alium in finem, quam ut debita figura partibus his cereis ac flexibilibus celeriter reddatur, & emunctoria, urinæ & muci inteſtinalis (papaverculi & meconii titulo alias inſignitι) evacuationi inſervientia, memores ſui officii irritationibus his fiant.

Involutio

§. IX. Nunc involvendus eſt infans faſciis, poſtquam prius omnes humiditates à balneo relictas deterſit, funiculoque umbilicali pulvillis ac ſubligaculis convenientibus proſpexit provida obſtetrix. Nimirum reſiduum umbilicalis funiculi, quod ſupra ligaturam injectam relictum fuit, linteolo molli complicato vel goſſipio involvi, & ſupra inſertionis umbilici locum poni debet, ne ſi nudo incumberet ventri, exſangvis iſta funis appendicula ſua cadaveroſa frigiditate damnum inferat tenellulis, vel infra regionem umbilici poſita hæmorrhagiis det anſam. Ut vero detineatur iſta in regione, faſcia linea, tres præterpropter digitos lata, aliquoties abdomini circumducta, ſtringenda eſt, cum ex divagatione ejus facile ſolvi vincula poſſint. Labor vero iſte continuandus eſt, usque donec tabefacta penitus ſupra vinculum pendula portio decidat ſponte ſua, quod utplurimum die à nativitate quinta aut ſexta contingere ſolet. Quo facto ſucceſſive reſiduum ejus, quod prominet, ſub ligatura poſitum, verſus interiora abdominis vergit, donec tandem illo in loco debite excavatus appareat umbilicus. Id tamen, ni ſponte fiat, obſtetrix debita ac diligenti depreſſione promovere debet.

Modus involvendi commodus.

§. X. Ad faſcias autem ipſas quod ſpectat, omnium primo linteis mollioribus complicatis ſinciput infantis tegendum, probeque adverſus invaſiones frigoris muniendum eſt, ne ab attactu ejus importuno ſumma inferantur pericula cerebro, quod illis in locis ſolis integumentis cutaneis ac membranoſis aliquandiu poſt partum tantum inveſtitur. Supra hæc lintea vero adhuc ponatur vitta in tutelam certiorem adeo nobilis partis. Poſthac auribus, regioni ſubalari ac ingvinali pannuli molliores apponantur, quo abſorberi & ſiccari ex iſtis locis ubertim ſtillans humiditas valeat, certo alias damnum hac ſua alluvie allatura adſtantibus partibus. Tandem totum ſub capite corpus involvatur faſciolis lineis juxta ac laneis, ubi tamen id ſedulo inexpertis obſtetricibus aut clinicis mulierculis inculcandum, ne pectus aut ventriculi regionem nimium ſtringant, cum in priori caſu non ſolum lædatur Reſpiratio, ſed gibbi ſæpe fiant, vel tabefacti moriantur infantes. *Conf. Borell. Cent. 2. obſ. 59.* In altero vero coarctatur præter modum illa corporis regio, ſub qua viſcus latet lacte aſſumto diſtendendum, unde nec moderate ſumtum nutrimentum retineri poteſt, ſed ſtatim per vomi-

vomitum non ſine inſigni noxa tenellulorum rejicitur. Reliquum corpus, & inprimis artus, debite comprehendendi ſunt, ita ſcil. ut brachia ſecundum longitudinem corporis, nec non femora cum tibiis extenſa, linteisque interpoſitis diſtincta contineantur, aliudque inſuper linteum mundum ano ſubſternatur, fecibus alvinis & lotio exeunti inſerviturum.

Meconii provocatio. §. XI. Sic debite complicatis faſciis, opus eſt ut quicquid de muco viſcido infantum intra ſtomachum & inteſtina hæret, educatur. Hunc in finem igitur, niſi ſua ſponte superveniat vomitus, oleo amygdal. dulc. cum ſyrup. violar. aut ſaccharo cantho vel penidio mixtum tenellulis vel ex digito ſugendum, vel ex cochleari ſorbendum, noſtrates dant mulierculæ. *Galli* vero ac *Batavi* vinum rubrum cum ſaccharo edulcoratum, & *Judæi* mel cum butyro ſubactum pro hac intentione effectu exoptato propinant. A cunctis autem his adhibitis ſtomachus ex voto irritatur, ita, ut per vomitum ſeroſa plus minus viſcida materia brevi exeat, imo non raro ſimul etiam his ipſis alvus lubricatur, & meconii reliquiæ ſuum nidulum hucusque occupatum deſerere coguntur.

Infantis in cunas reclinatio. §. XII. Quandoquidem vero non in inſtanti poſt exhibita hæc medicamina evacuationes ſequuntur deſideratæ; interea cunis imponitur infans, & ut dormiat, viresque in partus opere notabiliter fractas eo ipſo recuperet, diſponitur: Ubi tamen rurſum quædam obſervanda ſunt. Primo, dum infans cunis committitur, non cubet in dorſum, cum minime in hoc ſitu commode per vomitum rejicere illam ſtomachi ſaburram posſit, cujus tamen gratia, ni ſponte is ſequatur, remedia exhibenda eſſe modo monuimus. Præſtat igitur, ſi ad latus alterutrum reflexus collocetur. Deinde ejus ſitus non ſit nimium declivis aut reſupinatus, ſed potius magis erectus, quo libera maneat reſpiratio, vomitusque ſine ſuffocationis metu ſubſequi poſſit. Tertio probe cooperiatur ſtragulis, inprimis hyberno tempore, inſuperque illa aëris inclementia, quæ admodum inimica eſt huic ætati, foco accenſo emendetur. Quarto, niſi ſomnus ſponte ſuperveniat, cunæ agitandæ paululum ſunt. Notanter dico paululum minime enim illud poſſum probare Medicorum quorundam conſilium cum Platero indeſinenter, donec puer ſomno ſepeliatur, cunarum motum ſvadentes. Multo minus arridet illa ineptarum mulierculaꝛum conſvetudo, quæ impetuoſa commotione & concuſſione cunabulorum allicere conantur ſoporem, quem tamen eo ipſo magis arcent, aut ſi forſan immineat, vel præſens jam fuerit, excutiunt rurſum; Ut taceam frigidioris aëris appulſu, ad infantem motu hoc exceſſivo concitato, plura ſymptomata gigni, de quibus in ſubſequentibus.

Ejusdem ad mammas applicatio §. XIII. Inducto nunc ſomno, ſpatio aliquot horarum ita infantes ſatiantur ipſo, ut vires non ſolum recuperent ante hac amiſſas; verum inſuper ejulatu ac vociferatione ſæpe ſatis importuna defectum alituræ clare teſtentur. Quapropter deſiderio illorum ſatisfacturæ adſtantes mulierculæ, mammis maternis aut conductæ nutricis eum applicant, ut ex papillis illarum, ore apprehenſis, ſuctu eliciat lactis copiam, ad ſuſtentandum corpus neceſſariam.

An tuto lac alienum præbeatur? §. XIV. Monui jam, infantem aut maternis, aut ad id conductæ nutricis mammis applicari. Qua occaſione quæſtio decidenda venit, num ſc. tuto loco materni alienum lac ſugere poſſint recens nati? Fruſtra vero id quæri equidem mihi reſponderi ſtatim audio, cum hodie infinita experientia conſtet, nihil damni ex alienis nutricibus derivari in alumnos, imo potius plura incommoda, ne dicam pericula, averti eo ipſo à puerperis & natis. Nam cum illud, quod primis à partu diebus ſuctione elicitur, fluidam non lactis, ſed potius ſeri faciem præ ſe ferat, inſuperque ſapore adverſo, h. e. plus minus ſalſo ac amaricante præditum ſit, nec ſitim lactantium levari, nec deſideratum alimentum inde expectari poſſe, ad oculum unicuique pateſcere clamitant

 tant

tant Adverſarii. Hinc etiam fieri dicunt, ut ſola ex hac jam accuſata prava conſtitutione hujus nutrimenti, alvus tenellulorum frequentius non ſolum ſolvatur, ſed tormina quoque, pluraque adhuc pejora ſymptomata excitentur. Svadent ea propter, ſi lactare utique infantem velit mater, ſaltim primis octo, aut ſi fieri poteſt, viginti diebus à partu id non fiat, ſed potius ſaburram illam à muliere ſuctrice, aut infante alio robuſto, aut à cane juniore educi ſibi patiatur, aut inſtrumento vitreo convenienti, vel (qui apparatus pauperculis ſufficere poteſt) fiſtula terrea, qua nicotianæ fumus ſugitur, papillis applicata ſibi detrahat. *Conf. Mauriceau Tr.* von Zufällen und Kranckheiten der ſchwangern Weiber und Kindbetterinnen / *pag. 343.* Addunt his, cum non paucæ plantæ, alieno ſolo traditæ, felicius luxurient, imo ſuam nativam malignitatem (quod de malis perſicis inprimis conſtat) penitus deponant, ferociaque animalia, mitiorum lacte enutrita, cicurentur ac miteſeant, vix unquam felicius in viſceribus maternis ſolenniter contractam intemperiem, quàm alieno lacte corrigi poſſe.

§. XV. Verum enim vero cunctis his argumentis minime defendi poteſt deſidia ac protervia &, ut ſcapham ſcapham vocitem, crudelitas matrum, quæ denegant alimentum à Deo & Natura tam liberaliter conceſſum, quodque nunc lacrymis ac ejulatu, nunc blando ridenteque ore aliisque ſignis, quæ tenellus amor dictitare ſolet, ſibi expetunt miſelli. Recte hinc *Favorinus Philoſophus* apud *Aul. Gellium L. 12.* cum audiiſſet à matre cujusdam nobilis puerperæ, parcendam eſſe ei, & adhibendam venire puero nutricem, ne ad dolores, quos in enitendo tuliſſet, munus illud nutricationis adeo grave & moleſtum accederet, dixiſſe fertur: *Oro te, Mulier, ſine filiam totam & integram eſſe matrem nati ſui; quod eſt enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperiſſe ac ſtatim à ſe abjeciſſe?* Nec quicquam valet, impune toties tradi nutricibus infantes, cum multitudo errantium errori neutiquam pariat patrocinium. Poſſem certe facile, ſi opus foret, contraria, eaque plura exempla allegare, ubi nutrix morboſa mire nocuit lactantibus, dum non infantes ſolum, ſed heram quoque & herum totamque familiam gallica lue infecit.

negantium argumenta refutantur

§. XVI. Multo minus incommoda & damna, materno lacte oriunda, deterrere ab hoc officio puerperas poſſunt, cum potius juxta *Spigel. Tr. de format. fœtus cap. 13. p. 16. 17.* ipſum coloſtrum alimentum ſit medicamentoſum, quod Natura eùm in finem generavit, ut modice nutriendo, & leviter pro infantis ſc. imbecillitate ſtimulando inteſtina efficiat, ut meconium adhuc intra corpus non ſine periculo hærens proſcribatur & ejiciatur. Hinc utut tormina quædam aut dejectiones excitentur ab ejus uſu, non tamen ea propter reſpui debet, cum in ſalutem editi fœtus ſymptomata hæc vergant. Male igitur ſuis conſulunt natis, qui ad Medicorum adductorum monita auſcultantes, Naturæ prudentiſſimis conſiliis contra ſtant, anxieque emulgent ſalutare hoc coloſtrum, quaſi ſcilicet nocere poſſit id, quod ceu divina Medicina paratum eſt. *Vid. pluribus Vesling. Obſ. Epiſt. 28. p. 123. Ettm. Valet. infant. Cap. 2. §. 10.*

§. XVII. Tandem quæ emolumenta ex alieno lacte loquuntur, magis Rhetorum coloribus picta, quam veris rationibus comprobata obſervantur. Utut enim conceſſerim pravitatem humorum, infantibus à vitioſo nutrimento materno communicatam, laudabili lacte peregrino poſſe corrigi; tamen cum ipſimet Adverſarii fateantur, mores lactentium conformari ad genium nutricum, metuendum omnino eſt, cum ut plurimum ſint meretriculæ, quæ ad officium hoc exornandum conduci ſe patiuntur, aut furiis, erinnyca, triſti vel ſervili intemperie, aut aliis vitiis laborant, ne mores hi pravi deriventur in infantes. Tale enim quid accidiſſe, Antiquorum teſtari poſſunt monumenta; *Romulus* enim à lupa, *Cyrus* à cane, *Telephus* Herculis filius

Mores ex nutricum lacte corrumpuntur.

à vulpe,

à vulpe, *Pelius* à Neptuno genitus ab equa, *Ægiſthus* à capra nutriti harum beſtiarum mores exacte aſſumſerunt. Nec mores ſolum, verum quoque nutricum conditiones corporis ac alias qualitates ſuſcipiunt ſimul, id quod egregio teſtimonio comprobant hinnuli, lacte ovillo nutriti, qui pelle ornantur molliſſimis ſetis compoſita, & vice verſa lanam aſperrimam acquirunt oves, lacte caprino educatæ: *Plura vid. ap. Helmont. de Infant. Nutrit. pag. 623. Caſp. Rejes Camp. Elyſ. Quæſt. 47. p. 507. Deodat. Valetudinar. p. 26. Aul. Gell. Noct. Attic. Lib. 12. c. 1. Jul. Cæſar. Baricell. Hort. Genial. pag. 268. Joh. Nicol. Pechlin. Obſerv. Phyſico-Medic. L. 1. Obſ. 46.*

Cautio in ſeligenda nutrice.

§. XVIII. Non igitur putarim, ſubducere ſe puerperas commode lactationi poſſe, niſi forſan morbo quodam mammillarum aut papillarum laborent, aut alia gravi ægritudine impediantur, quo tempore nolentes volentes auxilium alienarum nutricum implorare coguntur. Nihilominus ut etiam in his caſibus ſummam adhibeant curam in ſeligenda nutrice, utique habent opus. Inprimis vero non admitti debent moribus perverſis modo allegatis præditæ, aut morbis laborantes, neque lactis penuriam, aut alias qualitates pravas in ſe oſtendentes. Minime enim aut nimium ſpiſſum ac butyraceum, vel exceſſive tenue & aquoſum, vel ſcorbuticum aut ſalſum conducere poteſt tenellulis. Sed licet in lacte manifeſtum vitium haud occurrat, tamen ut corporis quoque habitu nutrices reſpondeant puerperis, obſervari ſimul debet. Errant namque egregie, qui ex obeſula & carnoſa conſtitutione corporis ad lactis bonitatem argumentantur. Nam ſi matres fuerint teneræ & delicatæ, ejusmodi robuſtis & toroſis fœminis traditi infantes, ab alimenti inſveti textura, & pinguis butyroſique lactis copia morbum tandem incidere, dirutoque molli contextu ante diem perire coguntur. *Vid. Pechlin. cit. loc.*

Ratio ejulatus

§. XIX. Sed redeamus e diverticulo rurſus in viam. Poſtquam igitur lacte ſive materno ſive alieno ſatiatus eſt infans, obdormiſcit ſolenniter ſæpe inter ſugendum vel immediate poſt, nec expergiſcitur prius niſi irritatus à defectu alimenti, aut excrementorum mordacitate, quibus faſciis involuta ingvina ac pedes poſt excretionem conſpurcantur. Ab utraque ſiquidem cauſa ita vexantur nunquam non miſeri, ut clamorem plus minus inſignem propterea edant. Quare ſi primam cauſam animadvertit Nutrix, celeriter mammis exhibitis ejus ſatisfacit deſiderio. Cumq; anguſtia ventriculi non multum de ipſo capere poteſt nutrimento, brevi temporis mora elapſa, poſtulari denuo illud animadvertitur. Hinc primis poſt partum menſibus ſingulis bihoriis, aut ad ſummum trihoriis, tribus aut quatuor elapſis lunæ circuitibus, ſexies aut ſepties, poſthac bis tantum aut ter intra unius diei & noctis ſpatium, ſuum hoc exornare officium nutrices coguntur.

& crebrioris lactis appetentia.

§. XX. Quod ſi vero ex altera cauſa ad lacrymas & clamores inſtigetur puer, incumbit nutrici, ut detergeat ſordes ſpongia & aqua tepida, vel balneo quotidiano removeat, quicquid moleſtias creare poterat, & poſthac nova aut mundificata linteamina ipſis ſubſternat. Unde mox rurſum conſopiti, ſolito more ſubſequentibus horis ſomno ſepeliuntur tranquillo.

Regimen infantis mutatum.

§. XXI. Interea una vel plures elabuntur ſeptimanæ, ſemper regimine hoc continuato, donec tandem brachia, robore neceſſario huic ætati prædita, non amplius faſciis ſtringuntur, ſed libertas ea movendi pro lubitu infantibus datur. Imo cum lacte ſolo ſaturari ſe haud patiantur, inſuper & pulmenta ex farina triticea, aut mica panis ſimilaginei vel ex lacte parata ipſis præbentur, & ſi ſufficientem copiam de ipſis deglutiverint, proportionata potus conſveti, h. e. vel cereviſiæ vel vini diluti quantitas inſtillatur, donec temporis tractu ſolidiora magis alimenta aſſumere & digerere diſcant.

CA-

CAPUT II.

RECENS - NATORUM REGIMEN IN STATU PRÆTERNATURALI.

§. I.

HIs præmiſſis nunc tradere placet Recens-natorum Regimen in ſtatu p. n. Tantum enim abeſt, ut ſemper extra uteri pomœria protruſus fœtus tam laudabiliter deprehendatur conſtitutus, uti modo de ipſo recenſitum eſt, quin potius ubique & in ſingulis pene punctis recedat, vel nimium langvidus, vel aliis innumeris moleſtiis vexatus, uti ad oculum innoteſcet ex ſequentibus. Quare alio prorſus modo curam ipſorum habere, maximaque cum prudentia ac circumſpectione ſuccurrere convenit iis, quorum vita ab adeo tenui filo nunc pendet; ſiquidem ſæpe numero in lucem editis aura vitali frui vix adhuc per unum aut alterum momentum licet, niſi actutum ſuppetiis ipſis adveniatur.

§. II. Etenim contingit ſubinde, ut vel ob deficientes debitos parturientis uteri convulſivos motus, aut ob ſitum fœtus perverſum, vel viarum anguſtiam aliasque plures cauſas intra illas anguſtias moram trahere cogatur miſer puſio, per quas equidem eluctatur tandem, ſed adeo defatigatus ac debilitatus, ut dilatare thoracem ac aëre replere pulmones, magnumque illud ad vitæ conſervationem neceſſarium opus, reſpirationem puta, inchoare nequeat. Quoniam vero vita hominis ſtare non poteſt ſine hac functione, brevi actum erit de miſeris, niſi ſubvenias intra ſacrum, ut dicitur in proverbio, & ſaxum nunc hærentibus. Id autem fiet, ſi infans ſponte trahere aërem, ob animi deliquium præſens, nequit, illud vitium ſubito diſſipetur aquis apoplecticis aut aliis ſpirituoſis, ori, naribusque admotis, vel ſi obſtetrix, vel alia ex adſtantibus fœminis ſpiritum vini in ore aliquandiu detineat vel macis, aut caryophyllos aromaticos, aut aliud quodcunque aroma per tempus dentibus comminuat, & halitum poſthac ori langventis pueruli inflet. Inde enim irritatæ reſpirationi inſervientes partes ſe ad ſua officia exequenda adigi patientur. Aliæ fœminæ, ſi neceſſitas urget, aërem circa exſpirationem emiſſum ori infantis inflant, neutiquam nec ſpirituoſis, nec aromatibus, correctum, ne ſcil. tantillum ſpatii opportunitatis inutiliter prætermittatur, quod ſemel amiſſum recuperari poſthac nunquam poteſt. Convenit etiam, ſi ſubito aquæ tepentis (aut ſi haberi ſtatim poteſt, vini generoſioris) balneo immittatur infans, aut linteaminibus debite calefactis tegatur ac fricetur, quibus inprimis ſuccurrimus, ſi aëris frigidioris attactus una cum allegatis cauſis in culpa fuerit. Inſimul tamen omni ſtudio viæ transmittentes aërem ad pulmones à muco inhærente liberandæ ſunt, utpote ex quo ſæpenumero periculum non leve oritur.

§. III. Similiter circa funiculi umbilicalis ligaturam ac reſectionem pro circumſtantiarum diverſitate conſilia à ſupra datis diverſa ſunt impertienda. *Regimen circa umbilicalis funis reſectionem* Minime enim, uti commendatum eſt, ſangvis è funiculo umbilicali verſus infantem propelli debet, ſi aliqua mora inter partum fœtus & ſecundinarum excluſionem intercedat. Nam interea ab aëris externi acceſſu concrevit dudum & coagulatus eſt intus hærens cruor, qui ſub thrombi forma ad interiora fœtus coactus, certo certius poſthac nocebit inſigniter. Porro nec, quæ monita ſunt de tempore, quo vincula debent funiculo circumjici, reſiduumque ejus cum placenta removeri, adeo ſtricte obſervanda ſunt, cogitur ſiquidem ſubinde obſtetrix, niſi ſtatim ſequatur ſecundina, ligare ac reſecare funiculum, & poſthac demum moliri placentæ extractionem, ne ex mora diuturniore periculum incurrat infans. Non itaque audiendos eſſe puto Medicos reprobantes hoc conſilium, ideo, quod opportunitatis tempora interea prætermittantur, aërique frigidiori concedatur acceſſus ad uteri interiora. Siquidem e duobus malis ſemper eligendum eſt minus; cumque immineant nato extrema,

niſi

niſi celeriter ligetur funiculus, neutiquam vero ex aliquandiu adhuc relicta ſecundina tanta ſint expectanda damna, differri ad breve tempus excluſio ipſius tuto non ſolum poteſt, verum quoque debet.

& ligationem. §. IV. Ipſam vero ligaturam dicti funiculi quod concernit, equidem monitum eſt, jamjam debite illum debere filo cannabino conſtringi, ita tamen ne penitus diſcindatur ejus compages, quod evitari facile poteſt, ſi filum craſſum more conveniente contortum adhibeatur, quale ſemper ad manus habere debet obſtetrix ad hoc officium exornandum vocata. Et ſic ex oppoſito cavendum quoque eſt ſedulo, ne vincula nimis ſint laxa ſtatim circa initium, aut remittant poſthac, vel ex ipſius fili, vel umbilicalis funiculi vitio, qui quandoque nimium ſpongioſus circa initium, poſtea notabiliter flacceſcit. Quapropter probe poſt reſectionem inſpiciat obſtetrix vulnus, num illud adhuc ſangvinem ploret, nec ne? Imo de officio ejus eſt, ſtatim poſt primam faſciarum ſolutionem cum cura attendere ad hanc læſionem, & ſi forſan adhuc vel tantillum transſudantis ex ipſa ſangvinis animadverterit, novo vinculo applicato, ſimulque remediis adſtringentibus impoſitis, obviam ibit periculo imminenti.

circa loca imperforata §. V. Admonita eſt obſtetrix in ſuperiori capite, ut liberans à ſordibus adhæreſcentibus recens-natum, diligens ſit in explorandis emunctoriis alvinarum fecum, lotii, nec non aurium, narium, oris, oculorumque, cum hæc loca ſubinde imperforata deprehendantur. Quod ſi igitur ad anum vitium tale occurrat, Chirurgi invocetur auxilium, qui, explorata prius coaleſcentia ipſa, ejusque modo, apparatu convenienti inſtrumentorum diſſecabit, quicquid præter naturam claudit has vias, id quod facilius nunc, aut difficilius fiet, prout ſc. vel tenuis membrana aut caro, vel cartilaginea ſubſtantia, vel aliud quodpiam ſolidum plus minus corpus ſe obtulerit. Quandoque tamen omnino irritus hic ejus labor erit, ſi occaleſcentia perfecta harum ſe ſiſtat partium, quale quid in *M. N. C. D. 3. A. 1. Obſerv. 123. p. 206. annotavit D. Georg. Frid. Franck. à Franckenau* de puero Wittebergenſi, qui podicis loco tuberculum oſtendebat, verrucam referens, quod ad profunditatem duarum unciarum ſcalpello chirurgico perforatum, nondum tamen attigit domicilium fecum alvinarum, quare etiam fatis puer hic relictus fuit. Quando vero obſtaculum membranaceum fuerit, aut taliter conformatum, ut ſectionem admittat, neceſſum eſt, celeriter, quantum poſſibile, ea peragatur, & poſt ſcybalorum factam ſufficientem evacuationem, debite deligetur vulnus, ne ſc. coaleſcat. Quod impediri poteſt, ſi lanugo raſilis linea, oleo imbuto, vel penicilli convenientes vulneri immittantur, donec diſſecta loca coaluerint.

§. VI. Haud diſſimili modo curari debet meatus urinarius, aut aures, nares & os imperforati, vel ſi oculorum palpebræ in ancyloblepharis, aut uteri labia ejusque vagina in atretis clauſa fuerint, ſaltim quod encheireſes quædam ſpeciales requirantur, præprimis in ultimo nominatis binis affectibus, ne ſc. ſub palpebris latitantes oculorum bulbi, & ſub labiis uterinis poſitus meatus urinarius ſaucientur, indeque vel cæcitas perpetua, aut involuntarius mictus naſcatur, de quibus conſuli poſſunt *Albucaſis Lib. 1. c. 15. Amat. Luſitan. C. 1. Curat. 23. Paræus Lib. 23. c. 43. Hildan. Cent. 3. Obſ. 61. Cent. 6. Obſ. 67. Horn. Microtech. p. 156.*

§. VII. Hac occaſione adducenda etiam ſunt puerulorum recens-natorum hydrocephalus & Ecchymoma faciei ac capitis. In Hydrocephalo ſtupenda plane diſtenſio peripheriæ capitis cernitur, à ſero extravaſato ortum ſumens, hac tamen cum differentia, ut nunc cauſa morbi immediate ſub cute, aut ſub pericranio, aut ſub calvaria ipſa lateat. Primo in loco ſi hæreat, (quod judicioſus Medicus ex tumoris pelluciditate & mollitie deprehendere facile poteſt) aut etiam in altero, tentabit, num faſciis debitis reprimi poſſit ſerum ac diſcuti tumor, pro qua intentione inprimis inſerviet *circa hydrocephalum*

faſcia

faſcia *Guidonis de Cauliaco*, quæ Gallis *Capeline de Gvidon* audit, & in formam cucuphæ concinnata eſt, qua totum caput obvolvitur duobus extremitatibus, in nodos obvolutis. *Conf. Traicte de Bandges de la Chirurgie par Jocques de Marque Chirurgien Jure à Paris.* Hac enim ſola ſine ullo medicamento aut remedio alio hunc affectum ſe ſæpius intra quindecim aut viginti dies feliciter curaſſe ſancte affirmat *Samuel Formius Obſ. 6.* His non ſufficientibus videndum, an externe impoſitis diſcutientibus & reſolventibus aliquid effici poſſit, quorſum inprimis ungventum *Amat. Luſitan. Lib. 1. Curat. 69.* commendatum ex pulv. abſinth. Chamomill. melilot. & butyro factum pertinet, vel illud, ex origano, calamenth. ſtœchad. ſerpil. cinamom. nuc. moſchat. compoſitum, quod *Foreſto. L. 8. cap. 29.* arridet, aut balſam. & emplaſtr. ſulphur. vel cataplaſma ex ſtercore columb. pluraque inſuper alia. Nondum ſi his ſe abigi morbus patiatur, ad ſenſibilem evacuationem, quæ ſectione peragitur, accedendum eſt, ubi non probo Antiquis uſitatum ſecandi modum, quem ex *Paulo & Ætio* deſcribit *Aquapendens cap. de Hydrocephalo pag. 353.* utpote ſumme periculoſum; Verum magis placet ipſius *Aquapendentis*, qui exile vulnus cuti infligit, & mox cannulam, exacte læſioni reſpondentem, immittit, quo ſenſim humor peccans educatur. Aut ſi hic modus non arriſerit, ad imitationem *Placentini & Piſonis, Tr. de malis ſeroſ. L. 2. P. 1. c. 1.* cauterium occipitio inuri debet; Aut denique juxta *Lamdzvveerdium Append. ad Scultet. Obſ. 33.* cutis hinc inde leniter vulnerari ſcalpello chirurgico, quo pedetentim effluere queat ſtagnans hæc aqua. Aſt ſi ſub cranio deliteſcat colluvies, ancipitis aleæ cura erit, cum nullum ſuperſit remedium, quam profunda inciſio, aut terebratio cranii, quæ tamen in tenerrimis his ſubjectis locum non invenit.

& Ecchymomata

§. VIII. Quoad Ecchymoma capitis & faciei, non raro contingit ex ſitu perverſo fœtus in partu, aut ſi nimium anguſta fuerit mater, vel obſtetrix imprudenter contrectet faciem aut caput in dyſtokia, ut ſangvine ſuffuſa facies, & tumidum omnino à ſtagnante cruore reddatur caput univerſum, adeo ut meminerim me hujusmodi fœtum aliquando vidiſſe, qui pene cum æthiope nigredine certavit, ex ſola extravaſatione hac ſangvinis. Adhibenda igitur ſtatim, ac affectus conſpectui ſe ſiſtit, remedia erunt, & quidem talia, quæ reſolvere coagulatum hoc fluidum poſſunt. Famoſa præ aliis ſunt vinum tepidum, cui majoran. ſalvia, ruta, roriſmarin. vel hyſſopi folia ſunt incocta, aut phlegma ſpiritus vini ſupra jam nominata vegetabilia, aut rad. bryon. digeſtum. Alia magis acria lubenter omitto, cum teneritudo cutis in his puſillis ea non ferat. Ad demulcendum tamen dolorem, comitem ejus mali pene ſolennem, ſimul lac muliebre calidum cum thure, aut fol. verbaſci lutei imponi poſſunt, aut ungventum de ceruſſa, vel oleum hyperic. anatica portione ſpirit. vin. mixtum.

Circa funis umbilicalis exulcerationem &c.

§. IV. Sequitur nunc, quid circa funiculi umbilicalis p. n. conſtitutionem obſervandum veniat. Accidit autem in quibusdam infantibus, ut decidens exulcerationem reſiduæ portionis poſt ſe relinquat, quare ne ſerpat ulterius malum hoc, & ipſam ligaturam tandem arrodat, omni cura cavendum eſt, quod impetrabitur, ſi diligenter abluatur locus affectus, & pulveres exſiccantes ac moderate adſtringentes, v. g. ceruſſ. rad. tormentill. colcothar, terr. ſigillat. &c. adſpergantur. Alio tempore pars illa relicta ac extra abdomen prominens, non flacceſcit, nec retrocedit, ſed potius induratur, contrahitque duritiem ſcirrhoſam, & turpiter eminet. Vocant Practici hocce malum umbilici eminentiam, cauſamque ponunt in obſtetricis incuriam, quæ non tempeſtive ac debite ſangvinem funiculi hujus inhærentem, abdomen verſus coëgit, nec pulvillis aptis ac faſciis eminentem tumorem depreſſit. Inſuper tamen ipſius infantis continua ac inſigni vociferatione malum hoc ſubinde naſcitur, utpote quo ipſo facile

facile rurſum protruditur funiculi portio, quæ antea debite ſe occultaverat. Hoc itaq; malo præſente ſtatim ab initio pulvillis lineis impoſitis ac faſciis umbilicalib9 tentanda eſt cura; imo ad meliorem depreſſionem ejus aliquot coriaceæ lamellæ, aut loco earum plumbeæ ſupra prominentiam ponere juvat, ſimul applicato emplaſtro diapomphol. ex commendatione *Deodati* ac *Beniven. de abditis morborum cauſis c. 4.* vel *Vigonis de ranis c. mercur.* quod felici effectu aliquoties in uſum vocatum novi.

§. X. Sed leve hoc eſt malum, nullumque periculum ſecum ducens. *Meconii & ſtomachalis muci retentionem.* Graviora vero ſunt, quæ ex muco ſtomachali & meconio retento oriuntur. Quare ſi oleum amygdal. reliquaque ſupra pro educendis his excrementis commendata non ſuffecerint, ad potentiora confugiendum eſt, e quibus noſtris in oris uſitata ſunt ſyrup. fl. perſic. mel roſat. ſolutivum, ſolutio mannæ vel pulpa paſſular. cum anatica proportione ſyrup. de cichor. c. rhabarbar. miſta, aut ſyrup. de ſpina cervina, quem alias domeſticum vocant, de quibus, quantum parvo cochleari capi poteſt, tenellis his propinatur una vice. Aſt nondum ſi obtemperet meconium, ſuppoſitoriis ex ſapone, melle aut ſaccharo paratis, aut denique clyſmate injecto provocari & educi illud debet citiſſime.

§. XI. Vix dici poteſt, quam dira ſymptomata moram ſequantur excrementorum horum in corpore, imo *vigilias contumaces.* non raro fatis omnino cedere infantes ſola ex hac cauſa coguntur. Inprimis tamen ſomnus arcetur ab illis, adeo ut nec lectulus optime ſtratus, nec cunabulorum motus quicquam hic conferre valeant. Imo ſubinde etiam remota jamjam cauſa, nondum tamen ſomnus deſideratus redit, ſed vigiles omnino dies noctesque trahunt nunc cum, nunc ſine ejulatu. Adeoque opus eſt, ut ſuccurramus hypnoticis, blandioribus tamen, & ætati huic convenientibus & accommodatis, e quibus perantiquæ illæ compoſitiones, theriaca puta ac mithridatium, in minima doſi, h.e. ſub magnitudine lentis aut piſi commendari debent, aut loco horum crocata & papaverina, in ſpecie ſyrup. papaver. errat. & alb. quæ ſine omni metu, quicquid etiam contradixerit *Sennert. de Morb. Puer. P. 2. cap. 9.* & *Mercurialis L. 2. C. 10.* exhiberi poſſunt.

§. XII. Ex oppoſito alio tempore ſopor nimius adeſt, adeo ut ſtertant pe- *ſomnum profundum,* ne indeſinenter nati, & vix per exiguam moram ſine ſomno ſint. Accidit autem id ipſum partim quando præpropere, & ante conſvetam partus horam extra uterum protruſi obſervantur, quo in caſu ſine remedio relinquendi ſunt, donec temporis tractu ad incrementum proveniant, quod intra uterum illos expectabat. Extra vero hunc caſum acclamatione & levi concuſſione corporis, tandemque ſi lucem ſive candelæ ſive ſolis inſpicere aliquandiu cogantur, quam optime expergefieri & à nimia hac ſomnolentia liberari poſſunt. Licet quoque ſalia volatilia admovere, quibus irritata interior ejus membrana per conſenſum poſthac afficit nervos intercoſtales, reliquumque ſimul ſyſtema nervorum, agilesque reddit inhabitantes ſpiritus.

§. XIII. Nunc ad vitia ipſa circa la- *Circa lactationis vitia.* ctationis opus progredior. Tantum enim abeſt, mammis admotus infans ſemper prompte ſugat lac, prout ſibi perſuadent non pauci Medicorum. Nam ſæpenumero nunc infantis, nunc nutricis vitio negotium hoc non ſuccedit. Vitio infantum id accidit, primo ſi lactendus langveat ſeu ex partu præmaturo, ſeu morbo; in priori caſu erit opus, ut inſtilletur lac è mammis emulctum, quod ſæpe per plures ſeptimanas imo menſes fieri debet, prout exemplum tale de propria filia ante ſeptimum menſem nata *teſtatur Gulliemau de Educat. Infant. cap. 12.* In altero, ſi modo poſſibile, apparatu in ſubſequentibus indicando, removendus prius eſt morbus. Secundo inſcitia & ſimplicitas natorum aliquid habet culpæ, tumque ſæpe opus eſt artificio, ut puſiones papillas prehendere ediſcantur. Hinc quædam nutricum coloſtrum illud ſapore ingratum prius emulgent, aliæ lacte alieno vel amy-

amygdalino, aut quodam ſyrupo papillarum extremitates ac areolas inungunt, hacque dulcedine inſcios allicere ſtudent; Aliæ comprimendo papillas lac in oſculum eorum emulgent, ut vel ſenſu diſcant, ineſſe iſtis collibus, unde levare ſitim famemque valeant. Tertio male conformata aut conſtituta organa, ſuctioni alias inſervientia, reſiſtunt, quorſum præter labia leporina, frenulum lingvæ vitiatum, naresque obſtructas, inprimis vero tenſa reſpiratoria organa in paſſione cardiaca ac vertebrarum luxatione refero, utpote quibus præſentibus, licet puſiones ore ſuo apprehendant papillas, omnique niſu evocare lac ex illis allaborent, neutiquam tamen voti compotes fieri & ſatiari ipſo poſſunt, quoniam illud vel plane non ſequitur, vel effluit ex ore, antequam deglutitur.

Circa labium leporinum obſervanda

§. XIV. Proinde ubi labium ſe offert leporinum, ante omnia videndum eſt, num illud cum notabili labiorum ac oſſis maxillæ ſuperioris perditione conjunctum ſit, necne? Quodſi enim multum deſit, ac hiatus amplior appareat, in ancipiti omnino verſatur cura, imo abſtinendum penitus ab illa eſt, cum vix adduci læſionis parietes ſibi, aut adducti conſervari poſſint. In contrario vero caſu felicius ſuccedet cura, eaque chirurgica, dum ſcilicet callus labii leporini forfice removetur in utroque latere, poſtmodumque vulnera cruenta per tres transjectas acus, filis inſtructas, ſibi aduniuntur lege artis, tandemque vel emplaſtro glutinatorio ſuperimpoſito, vel convenientibus faſciis ſpleniisque ſiccis firmantur, de qua operatione ac encheireſibus ſimul adhibendis videri inprimis poteſt *Gvilemau p. 415. Ronvuſen. Chir. P. 2. obſ. 2.*

In frænuli vitiis.

§. XV. Similiter imploranda eſt Chirurgia in frænuli vitiis, quod vel nimis breve, aut præter modum latum deprehenditur, in quibus utrisque caſibus lac à tenellulis ſugi nequit, ob inſufficientem motum lingvæ, ad ſuctionem neceſſarium. Obſervari tamen hic probe debet, malum hoc eſſe admodum rarum, & è decem millibus vix unum reperiri infantem, teſte *Aquapendente*, qui manus Chirurgi propterea exigat. Non igitur obſtetricibus ac aliis mulierculis temere credendum, ſi vitium hoc incuſent, multo minus ipſis cura eſt committenda, ne incongrua dilaceratione ligamenti hujus, quam ungvibus præſtare ſolent, ſymptomata excitent graviſſima, de quibus dudum conqueſti ſunt *Hildan. Cent. 3. Obſ. 28. Scultet. in Arm. Chirurg. obſ. 37. Riolan. Antipograph. L. 4. c. 8.* Quodſi tamen ſe aliquando offerat frænulum vitiatum, (id quod inprimis cognoſcitur, ſi infans lingva ſua papillas nutricis non complectatur debite, nec extra os exſerere eam valet) à Chirurgia rurſum ſolatium expectare licet, quatenus ſcilicet lingvæ extremitas, vel digitis aut inſtrumentis comprehenſa, verſus palatum attollitur, & vitium illud frænuli vel forfice aut ſcalpello inciditur. Caveat tamen hic ſibi Chirurgus, ne ſangvinea aut ſalivalia vaſa, prope poſita, ſimul diſſecet. *Vide ſis Scultet. Armament. Chirurg. Tr. 2. Fig. 7.* Alium modum, quem deſcribit *Paræus Lib. 16. c. 29.* in infantibus vix locum habere puto, quare eum omitto.

Et narium obſtructione quid agendum.

§. XVI. Si nares obſtructæ fuerint, obſtacula removeantur, quæ, niſi forſan vitium ſubſit conformationis, utplurimum à muco narium inſpiſſato dependent, quem emolliri lacte materno, vel aqu. majoran. ſerpill. aliave immiſſo, vel extrahere capitata extremitate acus, vel alio inſtrumento convenienti, aut denique provocare butyro, majoranæ ſucco commixto, aliisque balſamis non multum acribus externe ſaltim naribus illitis, vel miaſmatibus ex fragrantibus vegetabilibus, vel ſalibus volatil. emiſſis, tentabit prudens Medicus.

Cura Cardiaca.

§. XVII. Cardiaca paſſione præſente (in qua vel a frigore incautius admiſſo, vel à flatibus aut acrimonia in inteſtinis vel ventriculo hærente, vel denique a dislocatione aliquali vertebrarum dorſi, diaphragma in ſuo motu impeditur cum notabili intumeſcentia ſub coſtis ſpuriis) medicamenta adhibenda ſunt thermantica, carminativa, abſorbentia ac antiſpasmodica, eaque tam externa, uti ſunt oleum rutæ, chamomil. apii, ſuccini,

axung. caſtor. cati ſylveſt. taxi, butyr. rubr. ſaliva hominis jejuni &c. quam interna, e.g. liquor cornu cervi, ſuccus pentaphyl. decoctum menthæ, pulv. ſem. aniſ. ſperma ceti, unicorn. marin. ungul. alcis, cinnabar. & inprimis clyſmata. Pro dislocatione vero vertebrarum, quam *Galen.* σεῖσιν, i.e. quaſſationem, German. Weh thun vocant, convenit blanda extenſio corpuſculi infantis, vel ſi ſupra umbilicum fermenti piſtorii fruſtum ſub forma cataplaſmatis ponatur, vel ſi candela cerea accenſa umbilico infantis applicetur, ac ollula deſuper ponatur, ut inſtar cucurbitæ trahat illam abdominis regionem tamdiu, donec ſponte decidat.

Lactis defectus, §. XVIII. Sic recens-natorum vitia circa lactationis defectum removeri poſſunt, ſed quando nutrix in culpa eſt, aliter paululum procedi debet. Peccat autem illa primo penuria lactis laborans, quo in caſu ſummus niſus infantis, nihilominus irritus, ſi non ex toto, tamen quoad partem maximam notatur. Quare ne tandem deficere miſellus cogatur, ipſi vel alia nutrix quærenda, vel cremore ptiſanæ aut lacte tepefacto ſatiandus eſt. Qua methodo vero, quibusque circumſtantiis id commode fieri poſſit, docent *Ephemerid. Gallic. An. 80. d. 20. Mart.* publicatæ, è quibus potiora exhibent *Act. Erudit. A. 2. pag. 117. Conf. etiam Blegny Zodiac. Gall. A. 3. Menſ. Majo.*

Spiſſitudo &c. quomodo corrigantur. §. XIX. Pariter lac nimis ſpiſſum ſugere nequit puer. Nec quicquam refert, ſive hoc vitium à gelatinoſarum ac butyroſarum particularum abundantia, ſive à coagulatione naſcatur. Cum enim in cunctis his caſibus lactis textura craſſitiem acquirat majorem, quam capere vaſa transcolationi lactis inſervientia poſſunt, incaſſum omnino ſollicitantur papillæ, nec ſummo conatu quicquam eliciet infans. Sæpius vero hæ cauſæ ſe offerunt, ſi nutrices vel per ſudorem, vel diarrhœam præcedentem aut febrilem æſtum jacturas patiantur ſeri, aut ſi nimium pingvia alimenta aſſumta ante hac fuerint, aut denique ſi nutrix, ære conducta, plures ordine ſubſequente infantes educare ſibi ſumat, vel ſi acida in copia aſſumſerit, vel frigori mammas expoſuerit, vel per terrorem aliaque gravia animi pathemata coagulaverit fluidas antehac lactis moleculas. Ut igitur infans difficultatum his vinculis exſolvatur, pro circumſtantiarum & occaſionum diverſitate lactanti adhibeantur nunc diluentia, potus ſcilicet tenuis, qualis eſt ſecundaria cereviſia, nunc diæta macra, nunc martialia & terrea, ſaliaque tam fixa, quam volatilia cum reliquis reſolventibus.

§. XX. Ultimo impeditur etiam infans, quin è mammis ſugere lac poſſit, vitio papillarum, quæ vel nimium anguſtæ aut exiguæ, vel denique profundius mammis immerſæ reperiuntur, ut labiis apprehendi nequeant. *Cura impeditæ ſuctionis ex vitio papillarum* Erit igitur in prioribus binis caſibus opus, ut continuata ac diligenti ſuctione removeas illa vitia, hinc ſi infans nimium debilis haud par ſit illud expediundi, mulier ſuctrix, vel canis junior adhibitus illud felicius præſtabit. Nam obſervatum eſt, papillas in viris & in fœminis, quæ nunquam matres factæ ſunt, ſolicitatas aliquandiu ab infantibus, tandem ita tumidas ex dilatatione eſſe factas, ut commode ſugi ab alumnis potuerint. Quod ſi tamen his mediis blandioribus dilatari ſe non patiantur papillæ, tentandum eſt, num ope fiſtulæ terreæ, qua fumus tabaci alias ſugi ſolet, educi poſſint. Niſi tamen & tum ſequantur, animus omnis haud abjiciendus propterea eſt, cum aſſvefacti puſiones tandem eadem promptitudine ſugant exiguas ac depreſſas papillas, quam eminentes multum ac turgentes.

Mala ex Lactis nimii, §. XXI. Huc usque vidimus mala, quæ accidunt tenellulis, ſi lac ſugere nequeant; ſed plura longe ſuperveniunt, lactatione ex voto ſuccedente. Nam ſi copiam majorem aſſumſerit, quam capere anguſtia ventriculi poteſt, oritur vomitus, aut inflantur hypochondria cum reſpirationis difficultate in Cardiaca, de qua in præcedentibus jam actum eſt. In vomitu igitur obſervari debet, non ſtatim adverſus ipſum propinanda eſſe remedia, cum ejus beneficio cruditates pituitoſæ, intra uterum collectæ, non ſolum, verum ex lacte quoque aſſumto natæ, edu-

educantur, non ſine levamine infantum. Adeoque non omni deſtituitur ratione illud muliercularum noſtratium, geſpichen/ gedichen/ quaſi dicerent, illos infantes, qui frequentius vomitu rejiciunt relictas in ſtomacho cruditates, augmentari & creſcere felicius, quam alios, qui hoc Naturæ beneficio deſtituuntur. Nihilo tamen minus, ſi non hæ ſolum relictæ cruditates, ſed inſimul lac aſſumtum rejiciatur, & iſta everſio ſtomachi omni tempore contingat, ubi vel tantillum nutrimenti deglutitum eſt, aliquid de nuce moſchata cum lacte propinari debet, vel aqu. cinamom. cydoniata. Externe vero oleum nuciſtæ expreſſum, vel fruſtum panis toſti vino malvatico imbutum, aut emplaſtrum de theriaca, ſtomachi regioni impoſitum, ſe commendabunt.

pravi aſſumtione, quomodo corrigenda.

§. XXII. Quodſi vero lac qualitate prava ſimul peccet, non ſolum longe plura, verum etiam pejora ſuperveniunt ſymptomata. Etenim ſi copia peccent in lacte pituitoſæ ſeu gelatinoſæ partes, facile infarctus inteſtinorum, glandularum meſaraicarum, viſcerumque plurium, inprimis vero pulmonum fit, unde poſthac inflationes abdominis, catarrhi, tuſſis ac aſthma & plura adhuc alia mala reſultant. Erit igitur tum opus, ut omnium primo lactis hæc vitia emendes in nutrice, exhibendo reſolventia ac diluentia commendata. Poſtmodum pueruloprop inabis in lacte materno aliquid ſyrupi de nicotian. rite parati, vel ſucc. raphan. recent. cum ſaccharo temperati, aut ſyrup. fl. perſic. à quibus ſubinde vomitus unus vel alter excitatur, ſimulque ſtomachum occupans mucus educitur. Non male etiam clyſmata adhibentur, ut verſus inferius guttur derivetur ſaburra ſuperioribus e locis. Deinde exhibeantur ſperma ceti rec. pulv. ſem. aniſ. & rad. zedoar. flaved. cortic. aurant. fæcul. rad. bryon. & ari, quod commode fiet, ſi pulti aſpergetur tantillum de ipſis. Nî his abigi malum ſe patiatur, deveniendum erit ad ſp. aniſ. vel liqu. cornu cervi ſuccinat. qui ſub doſi gutt. ij. vel iij. cum lacte materno, vel cum ſyrupo quodam, aut in potione edulcorata exhibeantur.

Cura Lactis coagulati, aut acidi

§. XXIII. Si coagulatum quodammodo lac, vel acido imbutum exſugere, vel pultes facile aceſcentes, quales inprimis ex farina & aqua parantur, deglutire cogitur puer, in ore ejus per aphthas, in primis viis, per pavores in ſomno, tormina, diarrhœas & epilepticos inſultus, tandem in peripheria corporis per furunculos, achores, tineam capitis & cruſtam lacteam ſe manifeſtantem acoris hujus tyrannidem brevi animadvertimus. Quo vero certior omnino Medicus de acidi hoſtili præſentia fiat, (ſæpe enim numero quædam ex his ſymptomatibus a refrigeratione, flatibus, alvi obſtructione aliisque cauſis etiam proveniunt) ex alvinis fecibus, nunc congrumatis, noſtrates vocant gehackt/ aut colore viridicante tinctis, eam certiſſime colliget. Tuncque eo dirigет medicamenta cuncta, ut, poſtquam vitia lactis & pultis prius emendata ſunt, præſens acidum in infantibus deſtruatur per remedia terrea, qualia ſunt lap. & chel. cancror. mat. perlar. C. cervi, ebur, unicor. marin. dens hippopotam. & ſimilia, e quibus famoſus ille infantibus inſerviens pulv. Marchion. dictus maximam partem conſtat. Optima ſane hæc ſunt, & tenellulis convenientiſſima, modo probe pulveriſata illa vocentur in uſum. Nec obſtat pulveres hos ſub forma naturali cum fecibus alvinis pene ſolenniter reddi, quod Medicos aliquos contra hæc remedia aſſurgere facit. Nam etiamſi id admiſerim, minime tamen propterea eorum ceſſat energia, vel vis abſorbens, cum etiam poſt deſtructionem acidi pulveres hos ſæpenumero retinere nativam & priſtinam ſuam compagem unicuique conſtat.

ortorumque hinc morborum per terrea

ſalia fixa

§. XXIV. Succedunt his ſalia fixa, e quibus præprimis commendo oleum tartar. p. d. aut ciner. clavellat. it. tinct. tar. & ſcoriar. regul. antimon. vel illam, quæ metallorum tinctura audit in *Collectan. Leidenſ.* Latet enim in his, & inprimis in ol. tartar. p. d. non minus ac in ciner. clavell. ſolutis exoptatis-

optatiſſima virtus corrigendi acidum, adeoque non ſolum in potiunculis aſſumta, verum quoque clyſmaticis liquoribus addita domitores inſignes acidi hujus ſemper ſe ſiſtunt. Non minus commendatione digniſſima obſervantur ſalia volatilia, quæ nimirum eleganter quoque acidum deſtruere apta nata ſunt, ex iis vero præ aliis merentur extolli ſalia volatilia oleoſa & aromatica cum ol. aniſ. fœnicul. carv. lavendul. citr. aurant. ſaſſafr. ſuccin. maritata, quibus tamen haud cedit viribus liqv. Cornu Cervi ſuccin. à *Joh. Michaele quondam Profeſſ. Medic. celeberrimo Lipſienſi* primum in uſum vocatus. Quamvis circa illorum exhibitionem illud, ne quid nimis, ſerio inculcandum ſit, cum vix dici poſſit, quam miſere os ac faciem in rugas componant, imo univerſum corpus contorqueant tenera hæc ſubjecta, etiam à minutiſſima, aliquot ſaltim guttarum, doſi exhibita, quare ſemper ad methodum §. XXII. præpoſitam exhiberi debent.

volatilia

& anodyna

§. XXV. Præter tamen hæc, quæ acido tantum opponuntur remedia, in doloroſis exin oriundis effectibus, v. g. ventris torminibus, diarrhœis, epilepſiis &c. etiam merentur extolli ſulphurea & anodyna, qualia ſunt cinnabaris, ſuccinum pulveriſat. fl. ſulphuris, ſem. ſ. ſulph. lycopodii & julorum coryli, ſyrup. papav. albi, Theriaca & mithridatium. His enim ſolis impetramus ſæpe, quod cunctis abſorbentibus largiter antea exhibitis obtineri haud poterat. Imo ſi prudens fuerit Medicus, ipſum quoque opium adhibebit tuto, utpote cui, pro hac intentione, par remedium non datur. Obſervetur modo, ne nimiam quantitatem ejus offerat; bis enim peccare hoc remedio in infantibus non licet, cum ſomno æterno conſopientur ſtatim à doſi prima excedente.

Cura Tineæ,

§. XXVI. In reliquis malis, quæ in peripheria corporis ſub efflorescentiarum, ac in ore ſub puſtularum ac ulcuſculorum forma ſe offerunt, externis ſimul proſpiciendum eſt; ubi tamen neutiquam probo temeritatem quorundam, qui in Achoribus & Tinea capitis ad mercurialia ſtatim confugiunt, vel ad decoctum nicotianæ. Etenim retropellunt intempeſtive non ſine præſentaneo vitæ periculo his ipſis ſeri acrimoniam, aut alia admodum periculoſa excitant ſymptomata, qualia *Boyleus Tr. de uſu experimental. Philoſoph. de Nicotiana* annotavit. Potius igitur arrident, quæ acidum iſtud ſimul corrigunt, & blande adſtringendo, ne ulterius pergat, impediunt, talia ſunt lavationes ex ſale tartar. vel lap. medic. cum aqua ſimpl. factæ, aut quæ ex ſulphure & ſaturninis fiunt. Contra Aphthas vero linimentum ex melle ſimplici vel roſato, cum nuce moſchata mixtum, ſufficiet tibi, aut ſpongia ſambuc. in aqv. liguſtri infuſa, ex commendatione *Gabelchoveri*, vel oleum rapar. cum ſaccharo cantho mixtum, juxta *Hannem. in Act. Hafn. Vol. 4. pag. 48. & M. N. C. D. 1. A. 4. Obſ. 83.* Quod ſi tamen inflammatio acceſſerit, in flore lactis cum tantillo nitri mixti, vel in aqv. calc. viv. habebis certiſſimum remedium, modo impediatur, ne novum lac acre ſugatur à tenellulo. Tandem vero ſi in ſordida ulcera jam Aphthas abiiſſe videas, ad rob dianucum aut diamoron confugiendum erit, vel ad decoctum ſalviæ, & omnium ultimo ad mel, vel alium ſyrupum, parumper cum ſpir. ſal. aut vitriol. acidulatum.

Aphtharum,

Intertriginis

§. XXVII. Sed præter hæc in peripheria corporis nata mala, aliud adhuc eſt, Intertriginis nomine ſuperbiens, quando nimir. ab urinæ & fecum alvinarum acrimonia tenera cuticula ároditur iſtis in locis, quibus excrementa hæc emiſſa adhæreſcere ſolent. Quamvis inſuper etiam à ſudore in articulationum flexuris pone aures, ſub axillis &c. idem malum ſæpe naſcatur, cum vitiatus ſudor a lotio parum vel nihil acrimonia diſcrepet. Ut igitur effectum mordacis hujus lymphæ removeas, ablui debent loca affecta, uti ſupra jam monitum, aqua tepida, ſique cuticula jam abraſa fuerit, pulvis inſpergatur amyli, cret. corn. cerv. uſt. vel ceruſſæ, linteolumque molle ſuper imponatur. Et ſi nondum ab his arceri ſe patiatur ſeri ſtillicidium ex locis læſis, loco recenſitorum pulverum rad. tormentill. ſimili

ſimili modo adhibita, omnem abſolvet paginam.

§. XXVIII. Hæc circa Regimen recens-natorum promiſſum, pro ingenii tenuitate ſufficiant. Agnoſco vero ultro, nec acurate ſatis omnia, nec appoſite a me eſſe indicata, ſed paſſim aliqua incurioſe omiſſa & imprudenter adjecta fuiſſe, quorum tamen omnium veniam ab æquo Lectore mihi polliceor. Tibi Vero, Æterne DEUS, pro conceſſis viribus ſit laus, honor & gloria ſempiterna.

F I N I S.

Disputationum Langianarum

Quadrageſima ſexta:

De

REQUISITIS BONÆ NUTRICIS.

Præfatio.

NOn dubito fore plerosque, qui hunc meum in tradendis Bonæ Nutricis Requiſitis laborem inutilem omnino judicent. Nam cum aptisſimum credant illud nutrimentum infantibus in lucem editis, quod exacte conveniat cum eo, quo intra uterum ſpatio novem menſium educati fuerint, non alia requiſita in nutrice exigi docent, quam ut ipſa illa, quæ per tantum tempus in ventre portaverat ac enutriverat embryonem, natum quoque propriis mammis alat. Nec eſt, quod nihili putes hocce dubium. Quod ſi enim ingenue rem fateri haud abnuamus, nullum lac ex conducta nutrice, utut maximo cum ſtudio ſelegerim illam, æque conveniet ratione texturæ ſuæ nutrimento in corpore matris ſuppeditato pusillis, quàm quod fluit e matrum mammis. Nihilominus cum matrum imbecillitas, ægritudinesque animi ac corporis, vitæ genus, & plura alia contra ſtent ſæpe his earum laudabilibus auſibus, adeo ut omnis labor ad rite exornandam hanc ſpartam ab ipſis, ſæpe cum infinitis laboribus ac moleſtiis, adhibitus, irritus tamen ac fruſtraneus omnino ſit. Ideo vel in his caſibus opus erit de aliena cogitare Nutrice, ejusque operam poſcere in iſthoc charitatis juxta ac neceſſitatis officio. Hæc vero dum aſſero, minime peſſimam iſtam probo conſvetudinem quarundam matrum, quæ ſine ulla cauſa ſontica impie ſatis infantibus ſuis ſubducunt proprias mammas; ipſas enim contra Dei expreſſa mandata, & Naturæ benignum inſtitutum valde

de peccare, inſuperque in ſemetipſas, Rempublicam, & natos ſumme injurias eſſe, firmiſſime non ſolum mihi perſvaſum habeo, ſed facile etiam, ſi modo propoſiti ratio id admitteret, probare poſſem. Veruntamen cum chartarum anguſtia, quibus includere hanc diſſertationem in animo habeo, haudquaquam prolixum in his me eſſe ſinat, ipſi labori me absque ulteriori verborum ambage accingo, poſtquam prius Divinum Numen imploravero, velit his meis conatibus adeſſe ac præeſſe ſua benignisſima aſſiſtentia.

§. I.

Onomatologia

NE videar a limine ſtatim, ut in proverbio dicitur, aberraſſe, & in leges huc usque in ſcribendis diſſertationibus ſancte obſervatas, impegiſſe, ante omnia, quid Nutricis, cujus Requiſita traditurus ſum, nomine mihi veniat, exponendum eſt. Obſervo vero accipi vocem hanc a *Catull. Arch. Epigram. 59.* 4. pro Mamma, qua nutritur lactens à lactante; ita enim *de Nupt. Pel. & Thet.*

Illaque atque alia viderunt luce marinas
Mortales oculis nudato corpore nymphas
Nutricum tenus extantes ex gurgite cano.

Aliis nutrix, ſubintelligendo Terra, pro Seminario accipitur juxta *Budæum*, in quo tenella adhuc ſemina depanguntur & deponuntur; Ita enim *Plin. lib. XVII. cap. 10.* omnia ea, ſcil. ſemina, non ſtatim moris eſt in ſua locari terra, ſed prius nutrici dari, atque in ſeminariis adoleſcere, iterumque migrare. *Platoni Lib. III. de Republ.* nutrix eſt, quæ infantes inſtituit; hinc idem Autor *Chironem Achillis* vocat nutritium, ideo quod Medicinam ipſum docuerit. At enim neutra harum acceptionum noſtra eſt, qui potius ſub nutricibus, eas intelligimus fœminas, quæ recens natos infantes mammis ſuis alunt, usque donec robuſtiores facti, educari alimentis ſolidioribus poſſint. Noſtratibus vocantur, Ammen vel Säugammen / h. e. altrices; verbum enim Ammen / in Saxonia inferiori & Belgio idem ſignificat, ac Latinis alere aut paſcere, inde etiam ipſis Amm / vel prout alii efferunt Hamm / paſcuum audit.

§. II. Minime vero hic moroſum agam Criticum, verbumque hoc cribrabo, more quorundam, qui minus Latinum nutricis vocabulum clamitant, cum maſculinum ſit nutritor, unde nutrix deſcendit, ex eo putant, non aliud naſci poſſe fœmininum, quam nutritrix. Sed cum *Priſcianus, Terentius, Cicero, Virgilius, Horatius, Ovidius* pluresque alii vocem nutricis uſurpent, & in aliis vocibus conciſio mediæ Syllabæ, v. g. dum dicimus bobus pro bovibus, ſæpe fiat, tertiò Medicus ego, magis de nucleo quam cortice ſim ſollicitus, veniam mihi polliceor nutricis vocem loco nutritricis uſurpanti.

§. III. Sic patet, ni fallor, ſignificatus nutricis, adeoque explicandus etiam eſt titulus Requiſitorum; paucis. Requiro idem eſt ac poſtulo, cupio, deſidero; adeoq; requiſitum eſt, quod ad aliquid deſideratur vel pertinet. Iſta vero, quæ ad aliquid pertinent, pertinent vel ad eſſe ejus, vel ad bene eſſe; priora faciunt ad rei naturam, poſteriora ad rem iſtam condecorandam & exornandam. Dum itaque in animo eſt, Requiſita Nutricis Bonæ in ſubſequentibus tradere, dicendum mihi veniet ante omnia de iis conditionibus, quæ ad ipſius lactationis eſſentiam, adeoque abſolute, deſiderantur, reliqua enim, quæ ad opus hoc rite & commode exornandum faciunt in præſenti vel plane non, vel obiter ſaltem, & quaſi in parentheſi, attingam.

§. IV. Inter ea igitur, quæ abſolute ad lactationem requiruntur, ſunt, ut nutrix organis, lactis elaborationi & ſuctioni aptis, ſit debite inſtructa; materiamq; neceſſariam poſſideat pro lactis elaboratione. Veniant propterea omnium primo ad examen bina illa glo-

Requiſita abſolute neceſſaria.

globoſa, alba & mollia corpora, utrique pectorali muſculo impoſita, intus ex glandulis conglomeratis, molli pingvedine cinctis, tubulisque lactigerulis exſtructa, ac papillis in illorum acuminata parte exornata, quæ uno verbo Mammæ vocantur, utpote in quibus, tanquam in laboratoriis elegantiſſimis, à natura præparatur lac. Bina ſunt hæc corpora ſolenniter, ſufficiuntque omnino pro tanta copia humoris hujus ſecernenda, ut infans ſufficienter, imo & gemelli, ſi urgeat neceſſitas, ipſo nutriri poſſint.

Impedimenta ex apparatu corrupto

§. V. Tantum autem abeſt, ſemper utramque mammam nutrices aptam experiantur fundendo lacti genuino, quin annotatum ſit *à Lyſer. in Obſ. 17. Cultro Anatom. annexis*: Infantem ex dextra mamma ſugentem lac, ſemper peſſime ſe habuiſſe, ſecus ſi ſiniſtram ſollicitaret. Nec unica hæc eſt noſtro favens aſſerto obſervatio; ſimile enim quid frequenter in illis nutricibus obſervare licet, quæ prima vice mammas ſugendas tradunt infantibus, ante ſc. quam oſtia papillarum, tubulique lactiferi, debite per ſuctionem amplientur. Imo frequentius adhuc hoc ipſum annotatur, ſi forſan una ex mammis, vel nuper, vel olim, ſuppurationem admiſit. Glandulæ enim ſecretoriæ, juxta ac tubuli lac vehentes, conſolidatione inepta anguſtati vel penitus obſtructi, liberum tranſitum non concedunt fluido huic, unde à mora diuturniore, quam trahere in his locis cogitur, facile poſthac contaminatur iſtud. Quapropter hæ nutrices atro carbone merito notantur, utpote quæ penuria laborant commodi ab ipſis deſiderati.

plane deficiente.

§. VI. Sed pejores longe ſunt, quæ penitus iſto carent, h. e. quarum mammæ nunquam turgeſcere lacte obſervantur, qualia ſubjecta non ſparſim ſolum hinc & inde reperiuntur, ſed dantur integræ civitates, imo regiones cauſario tali defectu laborantes. Nam dum nobiles matronæ, ſervientes voluptuariæ vitæ, fugiunt incommoda, quæ talis infantum alitura adfert, areſcunt tandem & exſiccantur penitus organa lactationi deſtinata. Et cum ſimiarum ad inſtar cives quoque & privatæ mulieres, nobilium mores etiam atque etiam affectent, fit tandem, ut ad filias earum, & neptes, mammarum iſthoc tranſplantetur vitium, & apud omnes pene lactationis impotentia abeat in naturam, haud abſimili ratione ac macrocephalorum ab Hippocrate commemoratorum, & pedum acuminatorum apud Chinenſes fœminas, & Hiſpanas, quæ primitus artificioſis faſciis, partibus his injectis, ab avis & proavis magno labore conciliabantur, in poſteris autem à natura errante producuntur, conf. *Pechl. Obſ. Phyſico-Medicarum pag. 107.* Nam quid aliud efficiet puellarum quarundam continua & arcta mammarum papillarumque conſtrictio, à teneris unguiculis pro concilianda & conſervanda corporis gracilitate, per thoraces balenatos facta, quam quod ad molem debitam exſurgere haud poſſint mammæ, ſed coaleſcant potius tubuli interni ab hac externa cauſa.

§. VII. Mittamus proinde & has, quibus natura neceſſarium hunc ad lactis geneſin apparatum plane denegavit, operam enim omnem oleumq; ut in proverbio eſt, in emendandis his vitiis, perdes certo, cum impotentia hæcce, quæ olim arbitrii res erat, nunc facta ſit neceſſitatis. Aſt difficile innoteſcit hoc illorum vitium à priori, cum debita magnitudine mammæ hujusmodi inertes ſubinde appareant. Nihilo ſecius graciles, depreſſæ, planeque extenuatæ viſuntur frequentius, ita ut à virorum mamillis vix quicquam differant. Caute tamen hic procedendum, nec temere ex ſola gracilitate mammarum, rejiciendæ à lactatione ſunt fœminæ; cum in ſubjectis junioribus, & quæ prima vice hanc ſpartam ornant, ſola ſuctione humorum affluxus concitetur, cum tanto augmento & intumeſcentia harum partium de die in diem, ut inopes has in mammis,

gracilitate,

inopes has in mammis, brevi poſt egregie cernamus mammatas.

mole nimia. §. VIII. Quod ſi igitur usque adeo judicanda eſt, ex collium horum lactifluorum facie externa, ad lactandum habitudo, magis erit ſuſpecta nimia & inſignis illorum moles. Paradoxum hoc videbitur, cum communiter ex amplitudine officinarum commode in iis opera poſſe perfici ſuſpicemur: Inſuperque frequenti obſervatione conſtet, obeſulas fœminas longe majorem reddere copiam lactis præ gracilibus, quod à *Conring.* in ſuo *de Lacte* Tractatu annotatum quoque video. Veruntamen his non obſtantibus manet ſententia inconcuſſa, ſtat enim à partibus meis tam Ratio, quam Experientia. Ratio eſt, quod quo ampliores ſint mammæ, eo magis à pingvedine, glandulis & tubulis lactiferis circumpoſitis, arctentur, eoque impediatur lactatio. Experientia tamen tam frequens eſt, ut non lippis & tonſoribus, ſed obſtetricibus quoque & aniculis clinicis, haud incognitus ſit iſte effectus. Nec obſtant, quæ in contrarium adducebantur obeſulæ, nam facile totum hoc concedere poſſumus argumentum ſalva manente theſi, cum obeſulas inter, & quæ prægrandibus mammis ornatæ ſunt, differentia intercedat notabilis.

…ccidit ate. §. IX. Pergo igitur ad reliqua accidentia mammarum, circa figuram, colorem & faciem externam. Ubi notetur, non probandas eſſe mammas flaccidas & pendulas in nutricibus; indicant enim vel penuriam lactis, à cujus affluxu ſufficienti ad rigeſcentiam usque facile infarciri alias ſolent: vel ſuſpicionem movent de deficientibus viribus naturalibus, ſeu Tonico robore: hinc aniculas ſolenniter, & ſubinde juvenculas morboſas, aut quibus morbus gravis ſaltim imminet, pendulis incedere mammis, annotatur. Sunt tamen & quædam fœminæ, quæ tali vitio a prima conformatione laborant, quale quid de Mauris & Americanis quibusdam fœmellis referunt, qui regionum iſtarum natalem hiſtoriam literarum monumentis conſignarunt. Verum enim vero rariſſime noſtris in oris deprehendimus tales, quare etiam nobis haud facile ſcrupulum movebunt. Omni proin tempore præferendæ ſunt mammæ duræ & carnoſæ mollibus nimium & penſilibus, inprimis ſi pectori nutricis amplo inſideant, utpote in quibus lactis præparatio & elaboratio felicius longe abſolvitur, quam in illis, quibus thorax anguſtus, acuminatus aut depreſſus, cernitur.

§. X. Sequitur nunc color mammarum, quem quidam Medicorum poſtulant album, venis cœruleis ornatum, talesque reliquis omnibus præferendas eſſe putant. Verumtamen, utut hæ circumſtantiæ indicent cutis nitorem, & per conſequens formoſitatem nutricis; non tamen ſemper ea index eſt infallibilis boni lactis, nec verſa vice, mammæ, quæ ſub fuſco, aut livido plus minus colore apparent quoad cutim, ineptæ propterea erunt ad officia. Quid enim expectandum eſſet ab æthiopicis fœminis, & quas climatis vitium, vel aëris ſolisque importunus attactus, cute inveſtit ſæpe ſatis atricante, aut ſaltim flava. *Color mammarum parum attenditur*

§. XI. Non prætereunda eſt hac occaſione textura mammarum nodoſa & tuberculis diverſis obſita, in quibusdam fœminis ſe offerens, quæ vitia, dum glandulas mammarias obſtructas, aut alio quopiam malo laborantes, indicant, e conſortio bonarum nutricum eo ipſo exturbant has. Non enim credibile eſt, tranſcolationem lactis futuram laudabilem, ſi organa vel inſpiſſato muco vel alia quadam fœculenta & tartarea materia, fuerint infarcta. Potius metuendum eſt, ex corruptis humoribus, ſuctione infantis pedetentim elicitis, noxam mortemque puſionibus acceſſuram. Nec tandem probare poſſum mammas cicatricibus horridas. Eſto enim laudis ſigna eæ ſint in facie & pectore viri, minime tamen in fœminis eæ probari poſſunt, ſubtus enim olim latuiſſe *Mammæ nodoſa rejiciuntur*

latuiſſe ulcera ex ipſis colligi poteſt, adeoque non debite amplius eſſe conſtitutam internam conformationem earum, clare ſatis innoteſcet: hinc metuendum, lac intus generari non adeo laudabile.

Papillæ rejiciuntur

§. XII. His proinde probe perpenſis, inſpicere nunc licebit papillas ſeu prominentias iſtas tubuloſas & cribriformes, quæ in acuminata mammarum parte poſitæ, lactifera vaſa à glandulis mammariis prodeuntia, admittunt, quæque infantibus inſerviunt, ut per illas ore arreptas, ſuctu elici valeat ſapidum hoc contentum. Etenim in his quoque reperitur haud raro aliquid, quod ineptas reddit fœminas ad lactationis officium. Quod ſi enim illæ nimium protuberent amplitudinemque inſignem poſſideant, anguſto tenellulorum ore apprehendi aut ſaltim diutius ſugi nequeunt. Cumque inſuper hujusmodi papillarum turgeſcentia rarisſime ſtatim à principio lactationis adſit, ſed demum ex longa illarum ſollicitatione fiat, lactis ætatem, ac conſiſtentiam craſſam non male ex ipſis quoque ſuſpicamur. Nec aliter ex oppoſitæ magnitudinis papillis h. e. nimium parvis & latitantibus judicandum eſt; nam vel penitus non apprehendit illas lactens, aut, non ſine notabili indignatione, mox rurſum amittit, quamvis in his, præprimis ſi primiparæ fuerint nutrices, ſpes adhuc ſuperſit, inſtrumentis convenientibus, hinc inde à Medicis deſcriptis, aut ſuctione continuata, illas tandem augmentum & magnitudinem neceſſariam acquiſituras. Imo & paululum majoribus papillis aſſuefieri temporis tractu infantes poſſe, quotidiana diſcimus experientia.

quæ nimium protuberant,

nimis exiguæ ſunt

Quid de illarum colore ſentiendum?

§. XIII. Sed ſunt quoque, qui ad colorem eminentiarum harum attendere jubent; quod ſi enim eæ non eleganter rubræ, aut ſaltim ex rubro pallidæ cernantur, morboſam eſſe nutriculam, pronunciant, citantes in fidem hujus *Hippocrat. Popular. Sect. V. & Wedel. Phyſ. Sect. III. cap. 23.* Neutiquam tamen perpetuæ veritatis regulam eſſe puto, cum ab ætate, vitæ genere ac temperamento nutricum, nec non ab infante fortius nunc, nunc blandius ſugente, aliisque infinitis circumſtantiis, etiam imperfecte ſanis, mutationes colorum notabiles admittant papillæ; hinc ruber earum color, unà cum aliis ſignis equidem notam eſſe bonæ nutricis, admitto: ſed verſa vice aliam ejus faciem, quam hanc, ſufficiens dare ſignum, eas lactationis munus non rite ornaturas, minime credo.

Lac ſit

§. XIV. Pergo nunc, his præmiſſis, ad lactis ipſius bonitatis notas. Minime enim omne fluidum, quod ex his ſcatebris propullulat, aptum ad infantis alituram eſſe, quin ſtatim ac tantillum à regulis naturæ, vel in quantitate, vel in qualitate, iſtud recedat, ipſam nutricem culpabilem reddat. Clarius quo hæc pateant, veniat ſub examinis incudem primo ejus quantitas imminuta & deficiens; ubi nimirum tanta lactis copia haud ſuggeritur, quanta, ut ſatisfiat fami & ſiti tenelluli, alias requiritur. Ne tamen in dicenda de lacte imminuto ſententia nimis forſan videamur rigoroſi, inſontesque nutrices aliquando repudiemus, ſigna ejus ſatis certa habebimus, ſi infans, licet ſatis diu pependerit de mammis, ſatiatus tamen haudquaquam ſit, ſed ejulatum importunum usque edat, donec aliud quodcunque alimentum aut potulentum ipſi fuerit ingeſtum. Quod ſi vero à priori addiſcere hoc vitium velis, mammæ ſemper exſuccæ, flaccidæ & pendulæ id tibi in his dabunt. Nec patiaris te decipi ab egreſſu aliqualis copiæ lactis, quam mammarum compreſſione aut mulctu ſibi aſtutæ hujusmodi fœminæ conciliare ſolent, de inopia lactis ſuſpectæ. Ut ut enim à tali mammarum compresſione ſæpe lac erumpere cernatur, cum ſaltu, aut effluat ad aliquam quantitatem, nil tamen præterea, & ſæpe ne guttula quidem intus inſuper latitat, ſed penitus exhauſti ac ſiccati iſti ſunt fontes. Unde ad perſpiciendam hanc farraginem, bonam quantitatem lactis ut mox una vice emulgeat, jubeatur.

ſufficiens

§. XV.

§. XV. Præterea obſervandum quoque eſt in determinanda inſufficientia lactis, num illa nutrici accidat circa lactationis initium; quo in caſu animus non penitus abjiciendus eſt, cum viæ tum temporis adhuc anguſtiores, & infans nimium debilis, nondumque exercitatus in ſuctione fuerit: modo etenim ille ſtrenue ſollicitet fontes hos, ita temporis tractu dilatabuntur tubuli & canales lac ducentes, ut copia poſthac neceſſaria facile prodeat. Quod ſi autem extra hoc tempus exſucci videantur, magis ſuſpecta erit iſta nutrix. Inquirendum tamen & tunc venit, num penuria alimentorum, in ſpecie vero potus, aut infantis inſatiabilitas culpam habeat, num vero morbus aliquis adſit aut immineat, chylificationem impediens. Quod ultimum pene ſolenniter in mammis, ex lacte prius obſervatur, quam ulla alia in parte. In tribus ſiquidem prioribus caſibus ſuccurri adhuc poteſt malo, vel copioſioribus aut evchymis alimentis infanti ſimul oblatis; aſt in reliquis non tuta erit fides, cum nil facilius contingat, quam ut morbificam materiam inſons ſugat puſio.

[Q]uid de abundantia lactis ſentiendum?

§. XVI. Sequitur lactis abundantis conſideratio. Rarius equidem ea de cauſa nutrices repudiari facile admitto, cum juxta vulgi opinionem, excellentia & prærogativa illarum potius probetur inde. Liceat nihilominus mihi id aſſerere, & has non minus quam priores haud poſſidere omnes bonitatis notas: nam aut debilis eſt lactens, aut robuſtus; ſi debilis, non deplebit aut exhauriet mammas, ſed ſemper copia lactis remanebit in illis, quæ poſthac ex mora diuturniori congrumatur, vappeſcit & corrumpitur, adeo, ut in ſubſequentibus ſuctionibus non niſi admodum vitiatum eliciatur; quod ſi vero robur majus adſit in infante, tum majorem quam par eſt luxuriantis hujus fluidi copiam ingurgitat, unde interdum ſubitaneæ, & non raro lethales epilepſiæ, ſuffocationes, aliique gravisſimi morbi poſthac naſcuntur certo certius, niſi ſuperfluum iſtud ſagacis naturæ beneficio brevi poſt vomitu iterum ejiciatur, uti recte id annotavit illuſtris Autor *Medicinæ mentis & corporis*. Quapropter ad abundantiam hanc lactis quodammodo imminuendam, tenuis diæta, & evacuantia, inprimis dein Venæ Sectio vel Scarificatio in pedibus adornanda, & pro impediunda corruptione lactis in mammis ſtagnantis, ut emulgeatur iſtud vel alio adhibito apparatu depleatur, ſvadendum eſt ſerio.

§. XVII. Imo vero abundantis nimium Lactis depletio crebra, non ſolius corruptionis præcavendæ gratia, inſtitui debet; Sed omnino propter aliud incommodum, novis nutricibus valde familiare, quod in Illuſtrisſimorum Infantium Nutricibus aliquoties deprehenſum fuit. Hæ, è rebus tenuioribus quidem venientes, interim bene ſanæ, & infantes robuſtos & ſemeſtres plus minus hactenus alentes, ſcatebant perpetuo Lacte, & affluebant Cum vero ea communiter ſit ſuperſtitio, ut mulierculæ, quæ aularum nitores ſectantur, pro inquinamento fere habeant, ſi Nutricis infans, ubi ſemel illuſtris puerulus mammam arripuit, eandem ulterius attingat; Fit inde ordinarie, ut insufficiente illa evacuatione, quam tener recens natus infans præ anteceſſore ſuo robuſto & quadrato perpetrat, reſtitatio reſidui, & inde in robuſtis atque ſanis fœminis, regurgitatio & palindrome ſequatur, ut forte tertio aut quarto die omne lac perfecte evaneſcat, & ſiccæ hæreant Mammæ. Quod quidem, licet fatuæ maleficio invidarum cum ejulatu adſcribant, revera tamen non niſi dictam habet cauſam: Adeo ut Fœminæ lactantes, ſi ablactato, aut mortuo infante lac diſcuſſum cupiant, vix meliore methodo ſcopum ſuum aſſequi valeant.

[Qu]æ habeat

§. XIIX. His itaque abſolutis, devolvimur ad conſiderandas qualitates lactis genuini, quæ ſunt, ut habeat in ſe debitam conſiſtentiam, naturalemque colorem, ſaporem & odorem. Cum autem omnium ſæpiſſime

debitam conſiſtentiam

piſſime ex inſpectione lactis, de ejus & per conſequens quoque nutricis bonitate, cogamur pronuntiare, merito fuſius ſigna iſta perpendenda erunt. Faciam hinc initium à conſiſtentia, ad quam dijudicandam ſuadet *Oribaſius*, ut portioni ejus è mammis expreſſæ aliquid coaguli vulgaris admiſceatur; quod ſi enim major pars ſeri faceſſat, minima ſub forma caſei relicta, debitam exin conſiſtentiam concludendam eſſe: ſecus ſi contrarium contigerit. Aliud ſignum ſuggerit *Actius*, nempe ut filum ſericeum aut cannabinum lacti immergatur, & obſervetur, num æqualiter lateribus ejus, num vero glutinis ad inſtar adhæreat, vel num omne mox rurſum delabatur, prius enim conſiſtentiæ debitæ, alterum lactis nimium ſpiſſi, & tertium exceſſive tenuis erit ſignum. Alii jubent, ut guttula lactis vel dorſo ungvis, vel vitri aut patinæ convexitati imponatur, nam ſi tunc intra terminos proprios, & quidem firmiter maneat, utut invertantur aut inclinentur ungvis vel vaſa dicta, nimis ſpiſſa erit conſiſtentia; ſi vero diffluat celeriter, oppoſitum aderit vitium: quando vero pedetentim locum ſuum priorem deſerit, laudabilis erit ejus compages.

§. XIX. Inſuper tamen ipſius lactis, ſi mihi ita loqui licet, ætas, de ejus conſiſtentia ſuſpicionem movere poteſt. Semper enim in nutricibus, quæ non multum retro matres ſunt factæ, conſiſtentia magis fluida, & è contrario, craſſa obſervatur, ſi jam per aliquot menſes aut annos officio tali præfuerint. Deinde alimentum, quo utuntur nutrices, ejusque copia, ſigna quoque dabunt conſiſtentiæ exin oriundæ lactis. Evpepta enim, larga manu ingeſta, uti ſunt juſcula, pulmenta ex farina triticea aut ſecalina, milio, oryza, lacte, ovis, aliaque hujus generis edulia, potus vero parcior aut craſſior, uti ſunt plures cereviſiæ lupulatæ, aſſumtus, in nutrice ſana certo generabit chylum, & per conſequens etiam lac craſſum; ſicuti ex oppoſito, difficilioris aut nullius chylificationis alimenta, vel quæ non ſufficienter gelatinoſas aut butyraceas in ſe habeant partes, cum potu multo tenui aſſumta, ut chylum, ita lac tenue & fluidum dabunt.

Colorem candidum.

§. XX. Colorem lactis quod concernit; ejus candor naturalis cunctis eſt notus, ita ut etiam ab illo quædam albedinis claſſis lactea dicatur. Velim tamen id notetur, utut in quamplurimis brutis, domeſticis non minus quam feris, inprimis tamen in bubulo, caprillo ac ovillo lacte, ſe ſe talis albisſima facies offerat, tamen in humano non ſemper, imo rarius, adeſt, utpote quod potius ad luteum & cæſium inclinat ſolenniter. Tali proinde ſub pallio, ſi ſe offerat Lac, nil plane alit monſtri. Veruntamen ſi inſigniter flaveſcat, ſi nigricet, virideſcat, rubrum, vel ſaphirinum colorem in ſe oſtendat, procul diſcedant ac removeantur penitus nutritiæ iſtæ, cum nil ſit certius, quam quod integra haud ſit textura lactis hujusmodi, ſed ex maxime corruptis humoribus talem promanaſſe. Subinde tamen, licet rariſſime, ex alimentis aut medicamentis, colore notabili imbutis, mutuo ſumit illos colores lac, quale quid de rhabarbaro, & vino ſupra ceraſa recentia infuſo *M. N. C. Dec. II. A. VI. pag. 27.* teſtantur. Unde tunc demum ferendum hoc eſt judicium, quando diu colorem hujusmodi retinet atque ſervat.

Saporem gratum

§. XXI. Sapor lactis in naturali ſtatu gratus admodum eſt, palatoque tenellulorum maxime arridens, hinc vulgo de rebus ſapidis dicitur: **Es ſchmeckt ſo gut wie Muttermilch.** Ergo lac genuinum non ſuggerunt nutrices, quod deguſtatum vel ſalſedinem notabilem, inſtar ſcilicet ſalis culinaris, vel acido-ſalſum, auſterum, amaricantem, aut quemcunque alium vel ſimplicem, aut magis mixtum in lingva relinquat ſaporem. Nam ſi tale miſellis vel inſcie, aut conſulto exhibeatur, proh Deum! quibus & quam diris non exponuntur ſubito affectibus, cum hoſtilia admodum & tantum non exitioſa ſint quæcunque ſalia acria tenellulis his corporibus; ita ut nec levem ejus attactum, niſi graviſſime, ferant. Si forſan dubitas,

provoco ad ſalia volatilia, quorum una ſcil. vel altera tantum gutta, tali tenello ſubjecto exhibita, miras faciei contorſiones & pene totius generis nervoſi irregulares motiones conciliare apta eſt, ſi minus diluta, reſpirationi officiant, & palatum infantis gravius feriant. Provoco etiam ad aphthas, tormina ventris, Epilepſiam, alvi fluxus, intertriginem, cruſtam lacteam, mictum acerrimum, partes proximas excoriantem, alioſque infantiles morbos, quibus brevi poſt tale lac vitiatum aſſumtum, etiam à Cibis nimis ſalitis nunc & tunc ſolum naſcens, implicantur, mireque torquentur.

Odorem nullum. §. XXII. Tandem quod lactis odorem attinet, genuinus omnium conſenſu eſt, rectusque, ſi nullus fuerit. Sunt equidem quidam emunctioris & excellentioris naris, qui ſuum ſpecificumque odorem lacti ineſſe aſſerant, & memini me a quodam viro fide digno audiviſſe, ante aliquot luſtra ſibi notum fuiſſe villicum, qui naribus admoto lacte non ſolum caprillum ab ovillo, ac bubulo ſecernere, ſed quod pene ſupra fidem aut ſaltim naturales vires videtur, animalis quoque colorem poterat determinare. Facile itaque & huic fuiſſet, morboſum lac à laudabili diſtingvere. At enimvero cum excellentiam hujusmodi non omnibus ineſſe voluerit naribus Summus rerum Conditor, ſatis erit, ſi olfactus organo ſaltim notabiles diſtingvamus anomalias, odoris ratione in lacte occurrentes, uti ſunt ſi ſpiret acidi quid, aut putridi, planeque cœnoſi, quod ſæpe notatur poſt moram aliqualem in mammis. Etenim abſolute eſt impoſſibile, ut fluidum hoc ex partibus àdeo diverſis, pingvibus ſcilicet ſeu butyraceis, ſalinis, aqueis caſeoſisque compoſitum, ſuſtinere diutius digeſtionem poſſit, quin ex actione ſalium in ſulphura, odores exſurgant diverſi, fluidumque iſthoc totaliter tandem invertatur & deſtruatur. Non igitur miror ulterius, ſi lac è mamma inflammata, aut ſaltim ex tumida, aut nodis hinc inde obſita, infantes ſugere detrectent, ſæpe enim tam acidus aut alius inſvetus odor tum ineſt, ut etiam mulierum ſuctricum nares, ſatis alias obeſæ, illum ferre haud valeant. Nec abſonum eſt, profundius, h. e. in viſceribus latitante fomite mali, peregrinum quendam odorem lacti communicari poſſe, cum mihi conſtet ex relatione Medici cujusdam in Phthiſica, aliaque, quæ inveterato uteri rhevmatiſmo laborabat, lac fœtore putrilaginoſo exacte ſimili fuiſſe imbutum, qualem ſordes ab his excretæ ſpirabant. Et quæſo quid notius eſt, quam odores alimentorum lacti imprimi: ſi dubitas, admove, quæſo, tale naribus recens mulctum, quod dedit vacca alliaria, vel urſino allio aliquandiu nutrita, & ſi torpidus non plane tibi fuerit odoratus, alliatas quasdam exhalationes nares tuas verberare annotabis. Ut igitur concludam, nutrices, quarum mammæ lac præparant, fœtore, alioque quocunque odore peregrino imbutum, ſint ſuſpectæ, removeanturque ab hoc officio, ſi præprimis ex viſcerum læſionibus, & diuturna mora in mammis pravam hanc diſpoſitionem eſſe natam conſtet. Mitius vero tractentur, i. e. ſaltim ſuſpendantur a lactatione ad tempus, quæ ex errore in diæta immutarunt odorem ejus.

§. XXIII. Sic, ni fallor, ſatis huc usque expoſita ſunt illa requiſita nutricis, quæ tam in organis lactis elaborationis, quam in ipſo producto, ſenſibus noſtris ſunt obvia. Licet autem ſatis ſint declarata omnia, tamen plurima latitant adhuc æquè, imo magis neceſſaria, ſenſibus noſtris externis minus nota; adeo, ut etiamſi quis lynceus plane foret, non tamen poſſet per cuncta examina circa conſiſtentiam, ſaporem, colorem & odorem adhibita, labem deprehendere ſæpe maximam in lacte latitantem. Multa enim adhuc ſunt, quæ inſenſibiliter miſcelam ejus naturalem corrumpunt, adeoque in diverſos morbos præcipitant puſiones tenellulos, aut mores ſaltim & animum illorum egregie corrumpunt.

§. XXIV. Spirituum enim & fermentorum, ſpiritua ſcentium, in lacte nutricum latitantium, vitia, adoptione in hæ- *Vitia nutricum in mores infantum transfunduntur.*

in hæreditatem tenellulis cedere dudum conqueſti ſunt plures antiquorum & recentiorum, tam Medicorum quam Philoſophorum. Non adducam probationis loco Romulum & Remum à lupa, Jovem à capra, Cyrum majorem à cane, Telephum, Herculis filium à cerva, Alexandrum Priami ab urſa, Peliam Neptuni filium ab equa educatos, mores poſthac beſtiis his ſatis exacte conformes poſſediſſe, uti referunt *Ælianus Rar. Hiſtor. Lib. XII. cap. 42. Jul. Cæſar. Baricell. in Hortul. Genial. pag. 268. Philipp. Camer. Hor. Subciſiv. Cent. I. cap. 75.* Novi enim à quibusdam negari hos enutritos fuiſſe à beſtiis, ſed fœminas nominibus tantum his inſignitas curam illorum habuiſſe, prout id potiſſimum probant de nutrice Romuli & Remi, quam Accam Laurentiam nominatam, uxorem Fauſtuli paſtoris fuiſſe perhibent, lupæ vero titulum acquiſiviſſe propter quæſtum corporis. Similiter de nutrice Jovis referunt, non capram, ſed filiam Hermonii Attalorum Regis, Amaltheam dictam extitiſſe, confer. *Plinius, Livius, & Natalis Comes Mytholog. c. 2. Lib. VII.*

§. XXV. Ne igitur cum larvis pugnare deprehendar, alia adducam exempla: refert Diodorus *Lib. 11.* de Cæſaris Tiberii Neronis Imperatoris nutrice, eam multibibam fuiſſe; & ejus Anteceſſoris Caligulæ nutriculam, quo prompte arriperet puſio mammas, ſangvine illinere eas in conſvetudine habuiſſe: unde factum, ut primus inſatiabili bibendi appetentia per univerſam laborarit vitam, adeo ut frequenter à Romanis non Tiberius Nero, ſed Biberius Mero dictus fuerit. Alter vero tam ſævus & ferox extiterit, ut non multa ſolum homicidia propriâ patrarit manu, verum aliquando optarit, ut toti humano generi unicum eſſet collum, maxima enim cum voluptate illud ſe præciſurum. Quid quod Helmontius teſtetur, *Tract. de Infant. Nutrit. pag. 622.* ſe obſervaſſe ſæpius ſalaces, furtivas, avaras, iracundas, aliisque perverſis moribus præditas, in lactentes infantes deduxiſſe pravos hos mores. Et quid multa! tota dies aſſerti hujus veritatem triſtem comprobat, dum miſeri parentes non ſine ſuſpiriis & lacrymis in filiis & filiabus corruptiſſimos animos deprehendunt, à nutricibus in illos derivatos. Adeo ut nulla ulterius adducere exempla neceſſum putem, quæ alias facile etiam ex brutis peti poſſent, quorum ferocia mutatur cum manſvetudine, & verſa vice manſvetudo cum ferocia, unice ex lactis diverſi uſu, in educatione adhibito.

§. XXVI. Summo igitur cum ſtudio in ſeligenda nutrice ejus animi mores obſervandi ſunt. Et licet non exacte ad regulas moraliſtarum ſint formati, quod vix in hac mortalitate expectandum: ſatis tamen erit, ſi modo fræna injicere animi inſultibus valeant, nec nimis pronæ ſint in admittendis pathematibus, nec perſeverantes in illis. Inprimis vero eſt neceſſum, ſint patientes & manſvetæ; non enim leve opus eſt, per unius anni ad minimum ſpatium, unice pene inhærere Lactationi ac nutritioni infantis. Omnia enim decenter, & ſuo ordine abſolvenda ſunt, ſi munere demandato cum laude fungi velint. Initium certe lactationis res eſt laboris & patientiæ multæ, nam ſtupidus puſio ſæpe difficulter apprehendere incipit mammas, hinc opus habebit nutrix vel Coloſtrum, ſi puerpera fuit, ſapore ingratum prius emulgere: aut alieno lacte, vel amygdalino, aut quodam ſyrupo, areolas illinere, aut comprimendo papillas oſculo ejus lac inſtillare, ut ſc. ſenſu diſcat, iſtis ex collibus prodire fluidum, quod ſitim famemque cum gratia lenire poſſit. Deinde patientia opus habebit in progreſſu, frequenter enim mammæ exhibendæ ſunt infantibus primis à partu menſibus, ſc. omnibus bihoriis, poſt tres vero, vel quatuor menſes, ſexies aut ſepties, poſtmodum vero bis vel ter, ſingulis nycthemeris. Et quis enarrabit moleſtias cunctas, quas devorare cogitur, dum papillarum fiſſuras ex ſuctione forti pati cogitur, vel pultem ori infantis indere, aut eum a ſordibus purgare, cunas pro provocando ſomno motitare, aliis-

Nutrix ſit patiens

aliisque ſexcentis muniis ad curam recens natorum neceſſariis præeſſe.

Abſtineat ira, §. XXVII. Poſtmodum & animi Pathemata alia coërcere diſcat, certisſimum enim eſt, nil magis nocere lacti, quam furioſam & Erynnicam intemperiem, ſeu ut clarius loquar, excandeſcentiam & vehementem ab ira animi & humorum commotionem. Subito enim corrumpitur nobilis iſte liquor, ut penitus ejus texturam inverſam, & ex alimento in venenum mutatam deprehendas. Paulo enim poſt, tormina ventris, Agrypnia, Inquietudo, imo & Epilepſia utplurimum ſequuntur. Dico utplurimum, nam rarisſimis exemplis annumerari debet, ſi forſan lac tale non noceat, qualem nutricem conductam ipſe novi, quotidianis iisque enormibus excandeſcentiis minime tamen lac ſuum corrumpentem: Niſi forte ſatiatio iræ huic magis profuit, daß ſie den Zorn ausgelaſſen.

mœrore, ac terrore, §. XXIIX. Fugiat etiam mœrorem triſtemve ſeveritatem, cum inde lac coaguletur & inſpiſſetur. Omnium vero maxime Terrori reſiſtat, cum, quo magis vehemens iſte fuerit animi motus, eo major triſtiorque imprimatur inde lacti effectus, & maxime pavoribus & Epilepticis motibus exponat Infantes. Quoniam vero vix inter mortales ullus reperitur, qui horrida objecta, ex improviſo oblata, animo tranquillo & placido excipere poſſit, ferenda quidem & excuſanda hæc animi imbecillitas eſt, modo id obſervetur, ne prius exhibeat ſugendas mammas, quam ad minimum ſpatium quatuor vel quinque horarum emenſum ſit, omneque lac, quod tempore terroris inerat jamjam mammis, vel a cane juniore, aut aliis inſtrumentis, aut ſollicita expreſſione, fuerit evacuatum, ſimulque remedium, coagulatum lac reſolvens, adhibitum, & aſſumtum fuerit.

ſtudeat temperantiæ, XXIX. Ulteriꝰ commendatã ſibi habeat temperantiam, ſive in aſſumendis alimentis, ſive in aeris admiſſione. In aſſumendis eapropter fugiat ceu angvem, copioſa acida, acetaria puta, braſſicam muriaticam, vina acida &c. imo & facile aceſcentia v. g. dulcia & mellita; concreſcit enim ab illis lac & in coagulum abit, ſumme poſtmodum infantibus noxium, dum corrumpit & præcipitat caſeoſas partes à butyraceis, roditque ſæpe ſatis importune infantum interanea. Quod ultimum contingit quoque, ſi nimium ſalitis, fumoque induratis delectetur, aut acrimoniam quandam in ſe habentibꝰ, quorſum in ſpecie ſpectat raphanus ruſticanus, a cujus eſu ſemper tormina & inflationes infantibus eſſe natas obſervavimus. Eadem quoque ratione frigidus potus, imo frigidæ deambulationes nudis pedibus, denudationes brachiorum, mammarum, &c. tenerioribus infantibus præſentiſſime infeſta obſervantur.

Vitet aeris frigus aut calorem nimium, §. XXX. Circa aerem enim obſervatur, temperiem lactis alterari notabiliter in mammis, tam à nimia ejus caliditate quam frigiditate. Non ita pridem ipſe id annotavi in quadam conducta nutrice, quæ utut turgidisſimas à lacte haberet mammas, omne tamen amiſiſſe penitus, poſtquam pro abluendo corpore per bihorium caldariam occupaſſet cellam. Frigus vero libere ad mammas admiſſum, non ſolum repellendo inhibet notabiliter ſecretionem lactis, ſed quoque coagulando, aut ſi mavis congrumeſcendo, fluidi hujus texturam lædit enormiter, hinc peſſime ſibi, alumnisque ſuis conſulunt eæ nutriculæ, quæ ex petulantia vel incuria nudatas mammas gerunt, aut ſaltem dum lactant, diutius aſpero cœlo ac frigido exponunt.

Abſtineat Venere, §. XXXI. Ultimo omnium decet nutricem temperantia in Venere. Quamobrem vero ultimo loco hanc virtutem poſtulem non eſt, ac ſi hanc animi moderationem non adeo neceſſariam putem ac reliquas recenſitas, quin potius eam primo loco inter omnes ponendam exiſtimem. Sub hac temperantia in Veneris opere volo, non ſolum concubitum, ſ. ab ipſo imprægnentur nutrices nec ne, verum quoque deſiderium & orgaſmum venereum, qui æque imo ſæpe magis adhuc nocivus eſt, quam ipſe repetitus congreſſus. Adeoque inſufficiens color

color iſte mihi videtur, quo quædam matres, lactationi natorum ſe ſubducentes, factum hoc incruſtare ſolent, quod ſcil. id faciant, ne cum ad illa officia conjugali lege invitentur, ab illa conſvetudine cum viro, quam vix evitari poſſe dicunt, lactis temperiem immutent. Quaſi ſcilicet fœminæ haud nuptæ, venereis furiis agitatæ, etiam citra cohabitationem viri non æque corrumpant liquorem hunc nutritium? Et quidni corruperint illum ſolis laſcivis cogitationibus aliisque ſimilibus actionibus, cum fluxus menſium modo præter morem ſolennem accidens nutricibus, enormiter ſtatim bonitatem lactis lædat, & ad vociferationes, inquietudines, pluraque alia ſymptomata diſponat tenellulos: obſervantur vero præcipue paulo teneriores infantes, poſt actum matris lactantis talem, non ſolum langveſcere atque inquietudine affici, ſed etiam lac fere revomere.

Valetudine ſit robuſta. §. XXXII. Sic proinde mores obſervandi ſunt in nutricum delectu. Sed habenda quoque eſt ratio corporis, ejusque conſtitutionis in illis. Repudientur igitur nutrices valetudinariæ, adhuc manifeſtis morbis laborantes, ſive ſint ex claſſe illorum, quibus ſpiritus, vel ſolidæ, aut fluidæ partes, vel omnes ſimul ſubinde laborant. Cum enim œconomia totius corporis turbata plus minus in illis reperiatur, non aliud niſi notabiliter vitiatum lac ſecerni & reddi iſthoc in ſtatu poteſt. Imo ne ſeneſcentes ſolum, licet de cætero ſatis vegetæ & ſanæ nutrices, provinciæ huic cum laude præeſſe poſſe firmiter mihi perſvaſum habeo, cum naturale corporis decrementum in his ſuccos laudabiles non videatur polliceri, hinc obſervatum eſt etiam a quibusdam, infantes à talibus enutritos, maturius exoleſcere, & corpora illorum toto vitæ decurſu imbecillia admodum remanere. Confer *Weinrich de Ort. Monſtr. cap. 15.*

non morbis infecta §. XXXIII. Ante omnia vero in hodierna non magis morum quam corporum Epidemica corruptione, bene cavendum, ne nutrices, de meretricum cenſu communiter petendæ, Venereæ Luis inquinamenta Corpori ſuo immerſa gerant, eaque miſeris infantibus affricent. Cujus generis ut profecto non ita rara ſunt ſpecimina, ita memini præcipue unius, ubi *puellula, militaris proſtibuli* lacte in infantiâ aliquandiu ſuſtentata, ſatis ſana atque vegeta apparuit, ad ſeptimum usque annum: ubi derepente hinc inde in partibus carnoſis æque atque tendinoſo-oſſeis, pluribus ſteatomatibus correpta, poſt multa remedia, imo ipſam Salivationem, bis & diu repetitam, denique tamen hectica interiit, ſteatomatibus non perſanatis. Neque vero ſcorbuticis manifeſtioribus, & quidem ſtricte talibus impuritatibus onerata ſit: A quali ſimiliter nutritum nobilem Infantem vidi, qui ita à cunis usque exquiſitisſime Scorbuticus, perpetuis maculis violaceis, imo ceraſi acidi colore nigricantibus, & latitudinem mediocris ceraſi æquantibus obſeſſus, membris diſtortus, dentibus partim nigris, partim elapſis, mutus, & ſimiæ vetulæ, quam homini ſimilior, vixit ad undecimum usque ætatis annum, quo tamen ulnæ unius cum uno quadrante longitudinem vix exceſſit, & denique mortuus eſt. Quæ exempla ſane cautionem ſvadent.

§. XXXIV. Sed ſatis hæc dicta ſunto de Notis Nutricis Bonæ in genere. Binis nunc verbis, antequam finem huic labori imponam, in animo quoque habeo, adjicere ſpecialia requiſita earum reſpectu hujus ſcilicet vel illius infantis. *Requiſita ſpecialia reſpectu hujus vel illius infantis.* Uti enim non omni pedi omnis calceus adaptatur, aut omnis arbor omni terræ inſeri poteſt; ſic abſurdisſimum eſt quamvis nutricem cuivis infanti nutriendo dare. Sed requiritur, ut corpuſculo ejusque texturæ teneræ & molliori reſpondeat lac ſuppeditatum. Sunt igitur non pauci Medicorum, qui eapropter ſummopere urgent, ut ipſa mater in ſe ſuſcipiat hoc officium, aut quod ex antiquis *Alzarrhavius*, inter Arabes Medicos facile Princeps, *in libro Theoricæ & Practicæ Tract. 26. cap. 3.* ſvadet, ut nutrix ſit ex neceſſariis & cognatis puerperæ, tale enim ſolum,

non

non aliud nutrimentum conformè eſſe texturæ corporis infantum putant. Nihilominus cum non omni tempore conſilia hæcce locum inveniant, ſed innumera reperiantur obſtacula, quæ nec ipſas puerperas, nec ſangvine junctas admittant ſubinde, ſatis erit, modo nutrix adhibeatur, quæ non a longo tempore peperit.

§. XXXIV. Nam ſeroſum tale fluidum, quod ex mammis harum provenire ſolet, apprime convenit ætati huic ratione aquoſarum juxta ac ſalinarum particularum intus concluſarum, utpote à quibus ſaburra illa, ex atro viridicans, quæ communiter Meconii titulo ſalutatur, & pene ex toto inteſtina recens in lucem editorum infarcire ſolet, ad excretionem feliciter diſponitur. Quod ſi tamen non impetrari poteſt nuper facta puerpera, ſufficiet, ſelegiſſe nutricem, cujus lac moderate tenue fluidumque poſſideat temperamentum. Excoctum etenim magis craſſumque & ſpiſſum, haud convenit recens natis primo hauſtu, parit enim obſtructiones alvi, inflationes abdominis, ſuffocationes, ſæpeque mortem, cum nullo modo viſcera hæc tenerrima ferre poſſint nimis nutritivum hujus modi lac. Conſultum eſt, ut tales nutrices largius bibant.

Habitus nutricis cum puerpera conveniat.

§. XXXV. Non inconſultum quoque eſt annotante *Pechlino Obſ. Phyſico-Medic. pag. 108.* habitum corporis etiam in nutricibus obſervare, num ſcilicet iſte reſpondeat germanæ matri, ſi enim ſimilia quoad partem maximam, h. e. conformationem & magnitudinem adſint membra, aut partes transcolationibus inſervientes, non adeo diſconvenient in ſe ratione texturæ humores in illis ſecreti, hinc ſi junceæ, teneræ & delicatulæ fuerint puerperæ, ſeligantur quoque ſimiles nutriculæ; ſi vero robuſtæ, habitiores & obeſæ fuerint matres, convenient quoque nutrices tali habitu præditæ. An etiam quoad faciei crinium que colorem, uti aliqui putant, harmonia matris & nutricis requiratur, non facile dixerim, quemadmodum nec nutrices, capillis ruffis ornatas, penitus ineptas eſſe ad hæc officia ſubeunda, credo, uti *Mauriceau Tr.* von Kranckheit der Schwangern *p. m. 395.* docere non erubeſcit. Ratio enim ejus, quod nempe nimis calidò præditæ ſint temperamento tales, eſt petitio principii. Niſi igitur graviora adſint impedimenta, ſententiam tam rigoroſam miſellæ hæ non videntur mereri. Magis notatu dignum illud nutricis bonæ requiſitum mihi videtur, quod idem Autor c. l. adjicit circa ſermonem ejus, ut nempe vox ſit ſvavis & articulata, infinita enim adſunt teſtimonia, corruptam ab initio loquelam in infantibus eſſe à balbutie, blæſitate, alioque nutricum lingvæ vitio, ſic ut in ſequentibus temporibus, vix & ne vix quidem, maxima licet adhibita diligentia, potuerint emendari.

§. XXXVI. Hæc dixiſſe de *Requiſitis Bonæ Nutricis* ſufficiat. Ergo vela contrahentes,

Tendendo ad portum ſuperatas linquimus undas.

Prius tamen quam id fiat, DEO Ter Optimo Terque Maximo, pro viribus conceſſis laudem decernimus gloriamque decentem.

FINIS.

DISPUTATIONUM LANGIANARUM
Quadrageſima ſeptima:

VALETUDINARIUM LACTANTIUM.

PRÆFATIO.

AGitur inter Phyſicos controverſia, cum Alma Mater, Natura, fæminis conceſſerit mammas, cum primario in finem, ut habeant ſtatim recens ex illis nati, unde poſſint depromere ad vitæ conſervationem neceſſariam alimoniam; qua de cauſa maribus in pectore ſimiles pene protuberantias etiam papillis ornatas poſuerit. Et varia adducuntur ab Auctoribus Reſponſa, quæ inter etiam reperitur, *ne mulier ſuperbum animal gloriaretur ſe partem quandam habere, quam Natura viris denegaſſet.* Num ſufficiens ſatis hæc ſit ætiologia, non diſputabo jam fuſius, puto tamen quam plurimis Inſtantiis facile poſſe inſufficientiam ejus oculis exponi omnium, ſi neceſſum foret. Aſt linquamus hanc prærogativam eleganti & amœno huic ſexui libenter, cum in his partibus plures etiam experiri morbos ac mala egregia perferre cogatur, quæ neſcimus nos viri; adeo ut hæc qualis qualis prærogativa magno ſatis pretio veniat miſellis, prout ex profeſſo inpræſentiarum exponere mihi ſumſi. Quo vero feliciter & ex voto fiant omnia, ſummi Numinis clementem adſiſtentiam animitus exopto, rogitans humillime, velit calamum meum ita dirigere, ut nihil elabatur, quod ſuo ſanctiſſimo nomini non glorioſum aut proximo haud utile fuerit.

CAPUT I.
LACTATIONIS HISTORIAM NATURALEM SISTIT.

§. I.

NOn eſt ut multum circa explicationem Rubricæ diſſertationis & quid velim valetudinarii lactantium nomine ſim ſolicitus. Quid enim ſint lactantes, neminem facile latere poſſe arbitror, multo minus valetudinarii ſignificatus præſens obſcurus eſt Medicis, cum tot jam ante me nunc univerſi corporis morbos, nunc infantum tantum & puerperarum ægritudines conjunctim exhibitas valetudinarii nomine inſigniverint. Ad quorum imitationem morbos, quibus Nutrices, dum huic munio præſunt, frequenter ſunt obnoxiæ, titulo iſto comprehenſos volo.

§. II. Ut vero, quæ mihi de his dicenda ſunt fundamentis firmis innixa, ſimulque ordine decenti ſiſtam, non abs re futurum puto, ſi de lactationis hiſtoria naturali ante faciam verba,

ba, quam dixero, quibus modis ac rationibus iſta vitietur. Scire itaque eſt, recenter in lucem editum infantem, poſtquam ea omnia cum ipſo facta ſunt obſtetricis ac adſtantium muliercularum manu, quæ neceſſaria erant, (ad umbilicalis funiculi ſordiumque externe adhæreſcentium remotionem juxta, ac capitis ac artuum figurationem debitam) faſciis involutum ſomnoque prævio quodammodo recreatum mammis applicari vel maternis, aut ſi hæc lactare puerum detrectet, vel inops à lacte fuerit, nutricis, ut ſuctione eliciat, quo ſine ſubſiſtere nequit, lac. Talis enim apparatus his in partibus à ſagaciſſima natura eleganter poſitus deprehenditur, qui non ſolum præparationi hujus materiæ apprime aptus eſt, verum quoque ſuctioni infantis egregie ſuccurrit, dum liquorem facile dimittit ad levem compreſſionem ac titillationem papillarum labiis ac lingua infantum præſtitam.

Structura mammarum §. III. Ut proinde propius ad metam mihi propoſitam progrediar, inſerviunt lactis generationi primario Mammæ, de quarum numero, ſitu & configuratione aliisque hujus generis conditionibus externis ne verbulum quidem addo, cum vix pueruli hæc ignorent hodie. Potius ero ſolicitus de interna ſtructura, quæ non niſi Anatomiæ peritis cognita eſt, & unice explicandis liquoris hujus alimentarii originibus & naturæ ſufficit. Hanc autem ne nimium prolixus ſim ex celeberrimi *Nuckii Adenogr. p. 14. & 22.* miſſis aliorum opinionibus apponam. Videlicet ex copioſis glandulis conglomeratis ſive vaſculoſis conſtant protuberantiæ hæ, ita tamen ut interpoſiti illis deprehendantur quam plurimi adipoſi ſacculi. E ſingulis autem harum glandularum vaſculum egreditur excretorium, quorum tres, quatuor vel quinque, dum coëunt, unicum formant canalem ad papillas abeuntem, ita ut omnium lactigerulorum vaſculorum terminus ultimus ſint dictarum papillarum cavitates.

Materia lactis §. IV. Materia, ex qua lac paratur, ſangvis eſt, qui elicitur per arterias mammarias ad hæc loca fluens. Ubi equidem brevibus monendum mihi venit, me neutiquam id velle, ac ſi ſangvinis purpureus color his in locis lactis albedinem ſingulari quadam metamorphoſi induat, verum id ſolum intendo ex ſangvine aliquas ſaltem ejus portiones ſeroſas, puta butyraceas & ſalinas, certa quantitate mixtas ſecerni, e quibus reunitis iterum adeo gratus in lacte ſapor exſurgit.

§. V. Quomodo ſecretio illa fiat, non difficile eſt explicatu, modo cum recentioribus glandulas vaſculoſas filtri chymici ad inſtar ſe habere, adeoque ex mechanica tali conformatione liquores diverſæ texturæ à ſe invicem ſeparare ſtatuamus. Inſurgere equidem aliquos audio dicentes, non adeo quadrare filtrorum chymicorum ac glandularum mammariarum comparationem, cum in illis aqua ab oleo aut verſa vice oleum ab aqua ſeparentur, prout ſcilicet conformatio pororum filtri reſpondeat alterutri horũ fluidorum; cum e contra in glandulis his conjunctim & ſub forma unici liquoris tranſeant aquoſæ & oleoſæ partes. Verum tamen his non obſtantibus manet adhuc firma noſtra aſſertio; primo enim credibile eſt ſecretioni huic naturali favere vaſculorum in mammariis glandulis occurrentium peculiarem conformationem, adeo ut ſub ſchemate unius liquoris oleoſæ & aqueæ partes conjunctæ tranſire poſſint. Deinde haud novum eſt in chymicorum laboratoriis unico actu per filtrum aquam cum oleo tranſcolari, quod inprimis notamus, quando æquali portione commixta hæc fluida ſicco infunduntur colatorio. *Modus ſecretionis*

§. VI. Hæret ſic lac in ſecretoriis tertio §. deſcriptis glandulis ac vaſis illorum lactigerulis, ita ut ſæpenumero partes hæ ad manifeſtam turgeſcentiam ipſo infarciantur, usque donec vel ſpontaneo motu vel ſuctionis beneficio rurſum depleantur. Quomodo vero dicta perficiatur ſuctio, non conſentientes inter ſe reperio *Suctionis modus*

Doctores. Antiqui de Ætiologia rogati, ore alumni attrahi lac e mammis aſſerunt, cui tamen effato à recentioribus Phyſicis ſtrenue contradicitur, ideo quoniam nulla cohæſio inter trahens & trahendum (quæ tamen in omni tractione tanquam pars eſſentialis adeſſe debet) hic reperitur. Quare plurimi illorum ſuctione educi lac e mammis admittere nolunt, cum communi Philoſophorum ſententia aliqua tractionis ſpecies ſit ſuctio. Hinc potius ad os infantis ab aëris elaſticitate, tam mammis incumbente quam lacti incluſo, expelli iſtud docent. Sed quis non ſtatim videt præter neceſſitatem hanc motam eſſe controverſiam, cum in re ipſa conſentientes, ſolum circa nomen pugnent. Sed ne quicquam obtinuiſſe ſuis rationibus videantur, qui ſuctionem lactis negant, dico illos male ad tractionem referre lactis e mammis egreſſum, qui potius expreſſionis cujusdam eſt ſpecies, dum nempe firma labiorum infantis applicatione & exin oriunda titillatione papillarum admodum ſenſatarum fibræ eriguntur non ſolum, verum inſimul undiquaque coarctantur, adeo ut non abſimili modo nunc proſiliat lac, quam ſi capris aut vaccis ubera mulgeantur & papillæ fæminarum manu comprimantur.

CAPUT II.

ORIGINEM MORBORUM IN LACTANTIBUS INDICAT.

§. I.

HÆc ſufficiant loco fundamenti valetudinario noſtro lactantium mox ſuperinſtruendo, quod ſi enim in unico aut pluribus ex his naturalibus requiſitis vel leviter ſaltem aberratur, præſto ſtatim ſunt plura nutricibus mala, quæ ad implorandam medicorum opem miſeras ſæpenumero vehementer ſtimulant, urgent ac impellunt. Inter hæc vero commemorare nolo dolorem illum tenſivum ſæpenumero admodum moleſtum, quo aliquot ante partum menſibus gravidarum mammæ affliguntur ex copioſiori materiæ lactis affluxu, quæ regurgitans ex abundantia in utero, his in locis ſede adeo commoda reperta nidulari incipit. Nec urgebo ſtillicidium illud papillarum importunum, quo ante partum vexantur plures ex gravidis. Rarius enim hoc ſymptoma videmus accidere, niſi turbata œconomia fœtus in utero, ubi puſioni deſtinatum nutrimentum vel ob ejus morbum aut interitum ad mammas quærere vias cogitur; hinc etiam olim monuit *Hippocrates Aphoriſm. lib. 5.52.* Mulieri gravidæ ſi lac copioſum e mammis effluat, fœtum imbecillum indicari. Nihilominus quandoque ſola copia regurgitare liquorem hunc & cum ſangvine tandem ad mammas ferri ſatis probabile mihi videtur. Sed requiritur tum, ut gravida recte ſe habeat quoad viſcera alimentorum præparationi inſervientia, ſimulque mammarum optima conſtitutione & inprimis tubulorum lactiferorum amplitudine gaudeat. Quæ cuncta facile cognoſces & a prioribus diſtingves vel ſolo intuitu ſubjecti, quod colore vivido ac habitu evſarco omnino nunc deprehenditur. E contra vero in priori caſu alia longe facie apparent prægnantes. Nunc enim dabunt querelas, ſe non adeo notabiliter amplius percipere fœtus in utero motum, imo ſæpe penitus ipſum ceſſaſſe indicabunt, cum ſuperveniente inſigni horrore, non minus quam dolore gravativo plus minus nunc ad regionem lumbarem, nunc uteri cervicem moleſto. Ulterius non tacebunt appetitus defectum, lipothymias, languorem corporis ſummum, anxietatesque. Cuncta enim hæc ſymptomata, dum male ſe habet fœtus in utero, vel præmature in illo exſtinctus eſt, nunquam non adeſſe ſolent.

Dolor mammarum tenſivus.

Stillicidium papillarum

§. II. Prodromos hos importunos poſt partum preſſo inſequitur pede turma frequens & numeroſa morborum & ſymptomatum mirum quantum ſæpe miſeras Nutrices excruciantium ac divexantiū. Vix enim in parturitionis cona-

Febris lactea conatu conſumtæ vires reſtitutæ paululum ſunt quiete & ſomno, alimentiſque eupeptis, cum tertia aut quarta ab hac die utplurimum horrore inſigni per unam pluresque horas concutiuntur puerperæ, quem excipit deinde æſtus non raro majoris adhuc temporis ſpatio cum cephalalgia, difficili reſpiratione, anxietate præcordiorum & inprimis mammarum manifeſta intumeſcentia ac induratione ſumme doloroſa moleſtus. Vocant hoc ſymptoma communiter Practici lacteam febrem, quoniam illo præprimis tempore ſupervenire ſolet, quando criſpatis intra uterum fibris lochiorum evacuatio largior quodammodo ſiſtitur; unde materia copioſior lactis productioni neceſſaria mammis advehitur. Conſulto vero dixi tertia aut quarta à partu die febrem hanc utplurimum ſupervenire, certa enim ejus invaſionis hora aut dies indicari nequit, quoniam pro læſionis uteri diverſitate ex ſeparatione ſecundinarum orta citius nunc, nunc tardius febricula hæc ſymptomatica ſupervenit. Quapropter ſæpenumero ſexta, ſeptima, octava ac nona die febrem hanc ſupervenire Practici annotarunt. Imo nec ephemera ſemper hæc febris eſt, experientia enim edoctus ſum illam quandoque typum aſſumpſiſſe tertianæ & alio tempore febris continuæ.

§. III. Ceſſat equidem iſta febris utplurimum ſponte, dum ejus æſtum larga inſequitur diaphoreſis, tolluntur eo ipſo ſymptomata cuncta, ſolam ſi excipias virium ac appetitus proſtrationem & tenſionem mammarum doloroſam, quæ pertinaciter adhuc aliquandiu remanere notantur. *Uſus eiuſdem* Nihilominus quæ in mammis occurrunt moleſtiæ hanc afferunt utilitatem, ut loco colliquamenti ſeroſi, nomine coloſtri inſigniti, quod infantes antea e mammis ſugebant, nunc lac egrediatur ſub debita conſiſtentia, ſapore, colore & quantitate, ſi nimirum omnia ſecundum ordinarium naturæ curſum jam fiant: aſt aliter ſi res evenerit, in novas deducuntur denuo anguſtias Nutrices.

Lactis vitia & damna §. IV. Scilicet accidit quandoque, ut ne tum quidem lac prodeat ſub debita conſiſtentia, ſed vel tenuius ſit juſto, vel craſſius, immo ſæpe ne quidem liquoris faciem, ſed potius coaguli præ ſe ferat: unde damna dein emergunt innumera. Nimia ſiquidem tenuitas habet in ſe ineptitudinem ad nutriendum infantem, cum à ſolis gelatinoſis ac butyraceis partibus opus hoc dependeat. Spiſſitudo econtra nimium nutrit corpuſcula tenera non ſine periculo, dum ex infarctu hoc inſigni facile circulationi ſangvinis & ſecretionibus humorum adeo neceſſariis, obex ponitur, unde poſtmodum imminens ſuffocatio, ſegnities alvi & ſexcenta alia accidentia naſcuntur, ut taceam cruditates primarum viarum teneræ huic ætati oppido periculoſas, aliaque ipſis nutricibus infenſa ſymptomata.

§. V. Cognoſcuntur hæc vitia lactis vel ex morbis ac ſymptomatibus ſupervenientibus, de quibus modo dictum, vel felicius adhuc, ex inſpectione lactis emulcti, de cujus Conſiſtentiæ legitimæ ſignis hæc referunt Auctores. *Signa eorundem* *Aetius* illud demum debite conſtitutum enunciat, quod filo immerſo æqualiter adhæret, nam ſi diffluat, pro nimium diluto; ſi vero firmius glutinis inſtar adhæreſcat, pro exceſſive viſcido habet. *Oribaſius* jubet, ut portioni lactis e mammis expreſſi aliquid de coagulo conſveto addatur, & ſi major pars ſeri faceſſat, minima in caſeum cogatur, bonum & debitæ compagis ipſum judicat, ſecus ſi contrarium eveniat. Alii pro indice boni lactis habent, ſi guttula ipſius unguis dorſo vel vitri aut patinæ convexæ parti impoſita proprios maneat intra ſuos terminos, ſed non nimis pertinaciter, quod ſignum eſſe nimiæ viſciditatis dicunt, ſicuti aquoſitatis excedentis, ſi ſponte ſua diffluat.

§. VI. Sed miſſis ſignis cauſas conſiderabimus horum malorum. *Cauſæ ſeroſitatis,* Primo igitur oritur nimia lactis tenuitas vel organorum ſecernentium vel materiæ ſecernendæ culpa. In organis ſe ſiſtit nimia anguſtia tubulorum glandulas conſtituentium, per quos non niſi tenuis ſeri portio tranſcolari poteſt.

poteſt. Equidem ſolenniter hæc anguſtia occurrit non ſolum in cunctis primiparis, verum quoque in aliis, quæ plurium infantum matres jam factæ ſunt, tribus poſt partum diebus, hincque fit, uti tertio ab hoc §. monui, non niſi coloſtrum reddi à Puerperis, antequam temporis tractu ampliatis tubulis lactiferis partibus paululum craſſioribus tranſitus concedatur. Subinde tamen ne tum quidem apparet lactis conſiſtentia, ſed pertinaciter coarctata manet hæc glandularum ac tubulorum excretoriorum textura, ut nunquam niſi mere limpidum & ſeroſum transmittat liquorem. Alio tempore non tam in glandulis quam papillarum oſtiis culpa latet, quæ ſimili arctitudine manifeſta laborant, quam ex diuturniori ac forti nimis harum partium conſtrictione contraxerunt, dum nempe à teneris ſtatim unguiculis ſtrophis anguſtiſſimis incluſæ ac vinctæ incedunt virgines. Sæpisſime tamen potus copioſior, vel impedita tranſpiratio, vel denique aeris humidioris frequens & diuturnus uſus, ubi probabiliter inſigni copia aquoſarum partium ad pulmones & brevi poſt ad ſangvineam maſſam tranſit, incuſari quoque debent.

ſpiſſitudinis §. VII. Lactis ſpiſſitudo ſi adfuerit, rurſum a diverſis cauſis naſcitur, nunc enim gelatinoſæ partes, nunc butyraceæ abundantes in culpa ſunt, quæ uti tota natura diſcrepant, ita quoque ab aliis ſemper principiis proveniunt. Inprimis tamen prior cauſa ab alimentorum vitiis dependet, quæ prout his vel illis luxuriant moleculis, alterutri cauſarum occaſionem ſubminiſtrant. Hinc ab eſu frequenti v. g. angvillarum, tincarum, muſtelarum, vitulinæ, hædinæ ac agninæ carnis, item a cremoris ptiſanæ, Oryzæ, hordei, aut pultis ex farina, lacte, aliisque hujus generis ingredientibus compoſitæ lactis contrahi viſciditatem in vulgus notum, & ſpeciatim ſi robore naturali deſtituatur ſtomachus Nutricis, & potus ſufficiens haud aſſumatur ab ipſis.

§. VIII. Altera ſpecies lactis ſpiſſi à pingvium & oleoſarum nimia deglutitione oritur, ubi tanquam cauſæ occaſionales incuſari debent non modo carnes pingviores, medullæ oſſium, butyrum, oleum olivarum, condimenti loco alimentis admixtum, item Caſtaneæ, amygdalæ, nuces, pineæ, piſtaceæ &c. verum quoque potulenta huc pertinent v. g. Cereviſia nimium coctura inſpiſſata, aut ſi frequenter lac a Nutricibus ſorbeatur. Confer quæ de hoc vitio habent *Miſc. Nat. Cur. Dec. 2. An. 2. pag. 364. 383. ſeqq.* multum quoque augent hanc lactis butyraceam partem ova tremula copioſius aſſumpta, non quidem ac ſi ſubſtantiam pinguem ſuggerant, verum quatenus unionem oleoſarum particularum cum aqueis promovent, adeoque chyli perfectioni ultimæ, ut ſic loquar, in inteſtinis manum admovent, quod opus alias unice a bile dependet, prout ex Phyſiologia præſuppono.

§ IX. Sequitur nunc lactis coagulatio. Amittit ſcilicet quandoque lac penitus ſuam conſiſtentiam fluidam, abitque in coagulum ſeu craſſamentum, quod mammarum tumoribus, inflammationibus, abſceſſibus & variis inſuper aliis ſymptomatibꝰ anſam præbet. Vocant hanc coagulationem lactis vulgo caſeſcentiam, & eſt illa vere nihil aliud, quam præcipitationis quædam species, ubi gelatinoſa & butyracea corpuſcula ab aqueis hactenus ſoluta, ſecedere coguntur. *coagulationis in lacte*

§. X. Promovent opus hoc primo remotio ſeri, cui inhærebant hæ pingves & gelatinoſæ moleculæ, quod ſi enim illud evocetur è corpore, per quodcunque id fiat emunctorium, brevi partes antea ſuſceptæ ſub coaguli forma ſponte præcipitantur: ſic memini, quod prægnans copioſiſſimis ſudoribus ultimis geſtationis diebus vexata lactis hoc vitium contraxerit, ita ut tertia ſtatim a partu die, nec inflammatio nec ſubſequens ſuppuratio cunctis licet contra adhibitis remediis præcaveri potuerit. Et licet non ſemper hujusmodi manifeſta ſeri præcedat dilapi- *ex ſeri diminutione,*

dilapidatio, tamen penuria ejus ex ſangvinis ebullitionibus, ſpirituumque agitationibus importunis naſci quoque poteſt, quales in febribus annotamus multo calore ſævientibus, utpote â quarum præſentia pene ſolenniter labem hanc lacti communicari notiſſima res eſt. Imo nec tali impetuoſo ſemper opus eſt calore aut fluidarum partium exagitatione, cum inſenſibilis etiam ſufficiat, prout ex ſola quiete & mora quali quali liquoris hujus intra tubulos mammarios demonſtrari poteſt. Hinc poſt ablactionem in ſucciplenis Nutricibus, aut ſi debilis nimium alumnus papillas non ſtrenue ſolicitet, frequentisſime malum hoc in lacte annotatur.

acidorum admixtione §. XI. Deinde concreſcit lac ab acidis admixtis, quod nec Villicas fugit, quæ pro hac intentione coagulum ſuum lacti vaccino aut caprino addunt, ut ejus ope caſeoſas partes â ſeroſis ſecernant. Vix igitur & ne vix quidem acida aut facile aceſcentia ferunt Nutrices, quin ab illis ſtatim effectum hunc pravum in mammis ſentiamus.

frigore §. XII. Ulterius frigori quoque eadem eſt conceſſa poteſtas, dubio ſine quatenus glutinoſæ, aliæque moleculæ antea flexiles rigeſcunt & condenſantur ab ejus attactu, prout patet in decocto raſuræ cornu cervi, aut pedum capitisque vituli, ſi aeri frigido aliquandiu exponantur. Conſulunt igitur lactantes & ſibi & infantibus peſſime, ſi mammas frigido aëri incaute exponant, quod ſæpe vel ex petulantia quadam fieri ſolet, aut ex ignavia, ne, dum ejulatu ſuo poſtulant alimentum, tenellulis multum temporis impendere cogantur in denudandis Promptuariis hujus liquoris.

ſpirituum retroceſſione §. XIII. Tandem huc quoque vocari debent ſpirituum retroceſſio atque fuga, quæ in lacte hunc quoque effectum poſt ſe relinquunt. Inſerviunt huic cauſæ inprimis animi Pathemata, uti ſunt terror, timor, mœror, triſtitia, ſolicitudo &c. quibus præſentibus celerrime corrumpi lac & caſeſcere palam eſt. Nullum autem magis probabilem hujus Phænomeni poſſum invenire ætiologiam, quam quod remotis activis his ſummeque mobilibus particulis coeant hactenus diſcontinuatæ, & fluxiles factæ Atomi craſſiores ac glutinoſæ, prout in ſangvine venæſectione emiſſo clare pateſcit.

§. XIV. Hæc ſunt damna, quæ circa lactis conſiſtentiam occurrunt. *Odor lactis corruptus.* Jam devenio ad reliquas fluidi hujus qualitates læſas, odorem puta, colorem ac ſaporem, in quibus ſingulis ſæpe a naturalibus regulis abire lac deprehendimus. Nam quoad odorem, qui nullus omnino aut non adeo manifeſtus ſecundum naturam ineſt, ejus loco ſe offert aciditas, ſenſibiliter ſæpe adſtantium nares feriens, ortum ſumens ex diuturniori liquoris hujus ſtagnatione, unde vapeſcit & corrumpitur. Alio tempore lac fœtorem ſpirat putridum omnino ac cœnoſum, naſcitur ſi in mammis ex nimia mora putreſcat. Retulit tamen mihi Medicus quidam, ſe quoque in lactante phthiſica, & in alia, quæ fluore muliebri albo per plures annos laboraverat, tam adverſum notaſſe fœtorem, ut illum vix per tantillum temporis naribus admotum ferre potuerit. Poſſem adhuc plures fœtorum ſpecies commemorare, v. g. Mephitim & hircum, qualem de febrientibus & orgaſmo venereo laborantibus vaccis ac capris ruſticæ mihi ſancte teſtatæ ſunt: Nullus enim dubito, quin ſimilis etiam in lacte muliebri poſſit obſervari, modo hæc ſacra mulierum libere ſcrutari ſemper eſſet conceſſum. Magis frequens eſt odor alimentorum ſpecificus lacti adhuc inhærens. Ita referunt *Miſ. Nat. C. Dec. 2. An. 4. in App. p. 204.* ab oleo olivarum aſſumpto lac contraxiſſe omnes olei hujus qualitates. Aliud exemplum, ubi poſt ſemen carvi adverſus flatus frequenter in juſculo ſumptum, odor hic lacti imprimebatur, mihi annotare licuit. Vide ſis inſuper *Miſ. N. C. Dec. 2. A. 2. p. 143.* ubi elegans obſervatio de lacte fœtorem de ſe fundente legitur.

§. XV. Quod

Sapor. §. XV. Quod ſaporem attinet palam eſt, gratam & plane peculiarem dulcedinem ſolenniter in lacte deprehendi, cujus tamen loco in ſcorbuticis ſubjectis ſe ſiſtit ſalſedo inſignis adeo, ut deguſtantibus lingva non aliter vellicetur, ac ſi culinaris ſalis ſolutio ori immiſſa eſſet, alio tempore acido-ſalſa in hypochondriacis ſubjectis, aut ſi ex alimentorum acidorum abuſu chylus enormiter particulis his imbutus fuerit. Similiter ab aliis alimentis ſapores illorum proprii imprimuntur ſubinde lacti. De allio res eſt notiſſima, quod nempe vaccarum ipſo largiter enutritarum lac ita inficiat, ut butyrum exin factum saporem quoque illum retineat. Similiter ex decocto quodam amaricante adverſus lochia non debite fluentia exhibito, lac penitus amarum refert *Ridlinus in obſerv. medic. ſtatim prima.* Damna vero, quæ ex his ſaporibus peregrinis in infantes derivantur, ſunt plura ſimulque ſatis atrocia, ſcilic. Aphthæ, tormina ventris, Epilepſiæ, lactis averſatio &c.

itemque color depravatus §. XVI. Color lactis albicans cunctis eſt notus, quamvis in tam excellenti gradu ſolenniter haud occurrat in Nutricibus, quam in vaccis aut capris, ſed quantum mihi hucusque obſervare licuit, frequentius longe vel ad luteum inclinat vel cœruleum, vel ex his mixtus videtur. Quod ſi vero egregie flaveſcens appareat aut nigro colore tinctum, quale *Chriſtianus Franciſcus Paulinus* adducit in Iſidori ab Amelunxen & Alexandri de Inſula Monachorum Corbejæ Saxonicæ Breviario rerum memorabilium, quodque in appendice ad annum quartum *Decuriæ ſecundæ Miſ. N. C. p. 202. 203.* reperitur, vel viridi aut rubro, conferantur citata *Miſ. Dec. 2. An. 6. p. 29. Ridlin. obſerv. p. 124.* vel Saphirinum, teſte *Edmundo de Meara tract. Exam. Wilhſ. diatrib. de febr. c. 6.* tum fides tuta non eſt, indicat etenim totalem texturæ inverſionem, niſi forſan ab aſſumtis alimentis aut medicamentis tinctura hæc ſumat originem, prout flavedinem allegatam a Rhabarbaro, rubedinem a vino ſuper ceraſa nigra infuſo, natam fuiſſe ſimul ex adductis locis liquet.

§. XVII. Sed præter hæc manifeſta omnino ac in ſenſus incurrentia qualitatis vitia ſunt adhuc plura, quæ ad has claſſes commode reduci nequeunt. *alia lactis vitia, morborum* Inſtituantur licet varia lactis examina, ejusque bonitatis ſcrutinia, fallax tamen eſt, quod ex conſiſtentia, colore, ſapore, odore petere unice volunt Practici, cum plura ſint longe, quæ inſenſibiliter miſcelam lactis corrumpunt naturalem; ſunt verba *Helmontii Tract. de ſextupla digeſt. §. 74.* Certe res ipſa loquitur, quomodo innumera ſemina morborum inſenſibiliter ad infantes transferantur, ut ut lac cuncta bonitatis ſigna ſenſibiliter præ ſe ferat. Exempli loco ſit ſola venerea lues, cujus præſentiam in lacte nemo obſervabit, & nihilominus ſæpe malum hoc in infantes derivatur, quale exemplum duplex *Ettmullerus refert in ſuo Valetudinario infantili.* Quantum noceat tenellulis lac, ſi nutrix venereo orgaſmo laboret, aut virum deguſtet, vel ſangvinis menſtrui fluxum patiatur, aut ira vehementiori commota fuerit, ſtatim ex vociferationibus importunis infantum, aut ex vomitu, diarrhœa, Epilepſia, aliisque gravibus ſymptomatibus de ſubito ſupervenientibus diſcere poſſumus. Nec morborum *ac temperiei ſeminia.* ſeminia tantum, verum quoque temperiem, imo & mores Nutricum ſic derivari in alumnos quis neſcit? fidem faciunt exempla antiquorum, dum Romulus & Remus à lupa, Cyrus Major à cane, Telephus Herculis filius à cerva, Alexander Priami ab urſa, Pelias Neptuni filius ab equa, Ægiſthus à capra nutriti, beſtiarum harum mores dicuntur aſſumſiſſe. Si hæreas an vera ſint hæc exempla, opiliones te docebunt, quid lactis valeat conditio. Quod ſi enim hinnuli lacte nutriantur ovillo, pelle ornantur molliſſimis ſetis compoſita, & verſa vice lanam aſperrimam exhibent oves, lacte caprino educatæ. Conferatur *Aulus Gellius noct. Attic. l. 12. c. 1.*

c. 1. Julius Cæſar Baricellus Hort. G. p. 268. Helm. de Infant. Nutr. p. 623. Caſpar Rajes camp. Elyſ. quæſt. 47. p. 587. Theodotus Valet. p. 26. Nicol. Pechlin. obſerv. Phyſ. Med. lib. 1. obſerv. 46. p. 106. ſeqq.

Lactis defectus circa initium

§. XVIII. Sed miſſis quoque his vitiis lactis ad quantitatem ejus læſam devolvimur, ubi vel defectu vel exceſſu peccare iſtud obſervamus. Defectus ejus multifarius rurſum eſt, nunc enim deficit circa initium lactationis, nunc durante jam aliquandiu ipſa, iterumque vel deficit ſaltem ex parte vel ex toto. Quando deficit circa lactationis initium, culpa quærenda eſt quandoque in glandulis lactiferis nimia adhuc anguſtia præditis; quandoque in denegato affluxu ſufficientis materiæ, quæ nondum ad hæc loca tanta afferri poteſt copia, prout poſt ſucceſſivam mammariarum Arteriarum ampliationem adducitur; quandoque in infante, qui nunc vel debilis nimium, nunc nondum exercitatus fontes lactiferos ſtrenue, prout illorum præſens conditio exigit, ſolicitare haud poteſt.

itemque progreſſum lactationis

§. XIX. Quod ſi vero venæ hujus lactiferi fontis ſiccentur, ſuumque intermittant fluxum illo tempore, quando adhuc in ſolatium infantis manare debebant, in cauſa eſſe poſſunt ex parte lactantis defectus alimentorum ſufficientium. Nam majori nunc illam opus habere nutritivæ materiæ copia quis non videt? Cum non ſolum conſervari corporis proprii machina debeat, verum etiam non parva quantitas requiratur, unde ſe alumnus ſuſtentet. Aſt licet ipſis ſatis porrigatur de alimentis, deficere tamen lac poteſt, ſi ſtomachus haud præparet chylum genuinum. Hinc omnes chylificationis læſæ cauſæ, exiſtunt quoque occaſiones lactis penuriæ, adeo ut in imminentibus morbis gravioribus ſæpe numero ante percipiatur in mammis periculum, quam in alia parte aut functione læſa quædam appareant ſigna. Ulterius etiamſi chylus debite in ventriculo præparatus & in inteſtinis ad ultimum perfectionis gradum evectus fuerit, rurſum tamen lactis generatio impeditur, quando in Alvi fluxu chyloſo non per vaſa lactea, ductumque thoracicum iſte infundatur Maſſæ ſangvineæ, ſed per inferius guttur inutiliter effluat; Aut licet ſubintraverit ſangvinem, ad mammas tamen non deveniat, ſed alios ſibi quærat exitus, prout plura hujus generis exempla leguntur in *Miſc. N. C. Dec. II. An. obſerv. 177.* de lacte per umbilicum copioſe excreto, & *An. 6. obſerv. 76.* per ſalivalia vaſa effluente, de qua materia etiam legi poſſunt *Waldtſchmidi & Dolæi epiſtolæ p. 58. 59. 84.* Alia exempla ubi per urinaria loca, ex femore vulnerato &c. lactis excretio facta eſt, brevitatis cauſa non allego.

Cauſa.

§. XX. Sic penuria Materiæ tam remotæ, quam proximæ deficiunt lactiferæ ſcatebræ, aſt clauduntur inſuper, ſi avertatur rivus iſte, & in aliis excretoriis officinis, vel ſola ſangvinis profuſione intempeſtiva pereat. * Ita conſtat frequenti alvi ſolutione ceſſare novam generationem lactis, aut quando per habitum corporis largiter profunditur ſudor, vel per urinarias vias ubertim proſilit urinarius liquor. Nec alius ſequitur eventus à ſangvinis ſtillicidio largo, nihilque refert, ſive illud excitetur per venæ ſectionem aut cutis ſcarificationem, menſium fluxum aliamque hæmorrhagiam, cum certo certius & hac via impediatur inſigniter lactis ſufficiens in mammis ſecretio.

Abundantia lactis

§. XXI. Sequitur nunc abundantia lactis, ubi ſæpe numero tantam elaborari copiam ejus cernimus, ut evacuari nec à robuſtiſſimis Infantibus valeat, quin ſemper mammæ tumidæ maneant, aut ſponte ſuperfluum fundant non ſine inſigni Nutricum moleſtia. Cauſa ejus eſt in propatulo, ſimodo ex oppoſitis juxta ſe po-

ſe poſitis lucem fœnerari non diſplicuerit. Oritur igitur ex cibis euchymis ſtomachi bonitate in chylum debite converſis, & poſt ſecretionem à fecibus per inteſtinorum tunicam villoſam tranſcolatis, tandemque ad mammarias arterias, & organa huic liquori ſeparando deſtinata ablegatis; & ultimo ſi ab infante ſtrenue ſugantur mammæ.

Vitia mammarum ex conſtitutione prava

§. XXII. Sufficiant hæc de vitiis circa lac occurrentibus, devenio nunc ad mala illa lactantium, quæ in ipſis mammis occurrunt. Non eſt animus prolixe adducere illud quarundam fæminarum infortunium, ſi mammæ non ſitum naturalem in pectore, ſed dorſum aut alium minus conſvetum locum occupent, quales hiſtorias *Miſc. N. C. Dec. II. An. 4. p. 203. & An. 9. p. 456.* referunt. In quo ultimo loco hæc monſtroſitas de integra quadam familia refertur. Neque illam glandularum mammariarum ad lac generandum referam ineptitudinem, quam ſibi cætus virginum formæ, & inprimis teneritudinis ſtudioſarum, accerſit illa Thoracum balenaceorum geſtatione, quibus nimis violenter partes has conſtringunt, de qua cauſa jam ſupra §. *6.* Hoc ſaltem inſerere nunc placet, tale mammarum vitium ſæpenumero à Matre in filias & neptes tranſmitti, ut tandem in naturam ſine alia accedente cauſa externa abeat, & lactationis impotentia, quæ olim arbitrii res erat, nunc neceſſitatis fiat, prout hoc ipſum exemplo Macrocephalorum apud *Hippocratem*, & Sinenſiũ, qui acuminatos pedes inter elegantias corporis numerant, eleganter illuſtrat Clariſſim. *Pechlinus in ſuis obſerv. 46. pag. 107.*

Tumores

§. XXIII. Sed miſſis his ad morbos magis familiares explicandos propero, è quibus ſe offerunt, primo Tumores, inter quos tamen rurſum multiplex occurrit differentia; dum iſte nunc eſt univerſalis proveniens à copia lactis in glandulis & vaſis lactigerulis collecta. Et hic utpote ex neceſſitudine naturali ortus vix attendi meretur, niſi ex nimio infarctu dolor tenſivus cum impotentia motus brachiorum & ſpirandi difficultate ſuperveniat. Quod ſi vero ex nimia liquoris hujus mora ac ſtagnatione, vel ex terrore improviſe incuſſo Tumor hic naſcatur, inæqualis iſte eſt, duritiemque manifeſtam ſimul acquirit, eoque in caſu majus imminere periculum videtur, cum grumefactum lac difficile ſe educi permittat. Quapropter quantumvis tumor hic primis diebus indolens maximam partem fuerit, tamen tractu temporis auctoque acore lactis ad corruptionem vergentis inflammatio certo certius ſupervenit, in qua dolor non ſolum ardens, ſed etiam rubedo cum pruritu & tenſione harum partium enormi ſe ſiſtit; quæ ſymptomata deinde magis in horas augentur adeo, ut tandem præter omnem modum tumeſcens pars pondere ſuo creet moleſtiam ſummam, dum ægrotantes vix erecto corpore incedere, aut ad latus declinare pectus poſſunt, ni faſciis circumjectis aut manibus admotis in ſuſpenſo detineant monſtroſe tumidas has partes. Inſuper vero & color naturalis perit omnino in illis, & rubedo inflammationis ſocia in colorem ſubfuſcum, ac ex glauco nigrantem mutatur, ita ut vix ſine horrore loca hæc adeo inſigniter defœdata oculis uſurpare liceat.

Symptomata eorundem.

Abſceſſus ac ulcera.

§. XXIV. Aſt tolerabilia ſunt hæc recenſita ſymptomata ferrique adhuc poſſent, niſi inſignis cruciatus & dolor punctorius ac lancinans indeſinenter fodicaret ac diſcerperet loca hæc ſenſatiſſima, uſque donec rumpantur integumenta externa, unde quidem porta panditur intus hactenus incarceratis egregieque corruptis humoribus, adeo ut cum ſaltu nunc prorumpant & poſthac per ſatis prolixum tempus adhuc effluant ex ulcere his in locis excitato.

§. XXV. Sic ut plurimum tumor inflammatorius mammarum diutur-

nior

nior in abſceſſum & ulcus terminatur. Verum enim vero ſi materia hæc infarcta vel propter evaporationem ſeri aut adſtringentia ac refrigerantia frequentius contra importunos dolores inflammationis adhibita inſpiſſetur, adeoque intra poros mammarum aut in glandularum tubulis conſiſtentiam compactam magis & tantum non perfecte ſolidam acquirat, loco abſceſſus ſequuntur Tumores œdematoſi, ſcirrhi & ſtrumæ, in quibus etiamſi dolor nullus adſit, niſi tantum in quibusdam ſcirrhi & ſtrumarum ſpeciebus, nihilominus deterioris longe ſunt conditionis, non tantum ob difficultatem curandi, ſed inprimis, quod ex illis paululum incaute tractatis, facile peſſima generentur mala.

Scirrhi & ſtrumæ

Carcinoma & Cancer exulceratus

§. XXVI. Vocantur illa Carcinoma & Cancer exulceratus, oriunturque, dum temporis diuturnitate nimium illa viſcida materia acrimoniam ac malignitatem quandam induit, inprimis ſi intempeſtive medicamentis reſolventibus acribus aut adſtringentibus cura præcedentium morborum fuerit ſuſcepta. Poſſunt nihilominus ex ſolo humorum vitio interno ex parvo principio, quodque piſi magnitudinem vix præ ſe fert, etiam naſci, prout frequentes obſervationes Medicorum id teſtantur. Conſiſtit autem Natura Carcinomatis de prima Claſſe in eo, ut tumore ſcirrhoſo non ſolum durior fiat, aſperiorque, magisque inæqualis, ſed color etiam ex livido reddatur obſcurus venis circumcirca poſitis mirum in modum tumentibus & chelarum cancri ad inſtar nigricantibus. Accedit dein dolor in principio non adeo vehemens, mox tamen notabiliter auctus, ita ut ægerrime nunc ferri poſſit. In altero vero caſu, in minimo illo Tumore dolor deprehenditur non adeo importunus per plures ſæpe annos, niſi ab externis Medicamentis irritetur intus latitans morbifica cauſa, eoque incrementum ejus promoveatur. Audit hic tumor, quamdiu in hoc ſtatu manet carcinoma, quod ſi vero ſponte vel apparatu Chirurgico aperiatur, in Cancrum mutatur exulceratum, ubi ulceris labia craſſa tumidaque ac præter morem dura, ſanies vero effluens tenuis & nigricans ſangvineque tincta & cadaveroſo odore imbuta adjuncto ſimul dolore per intervalla exquiſitiſſimo obſervatur. Accedit his ſymptomatibus ſubinde tanta ſaniei malignitas, ut illa famelici lupi ad inſtar omnem carnem adjacentem miſero ſpectaculo depaſcatur & conſumat, & tum Cancer vocatur depaſcens, item lupus.

Papillarum defectus

§. XXVII. Sed mittamus quoque mammarum morbos, conſiderabimusque affectiones præternaturales in papillis occurrentes. Ubi merito ſtatim primo loco allegatur defectus illarum, qualia exempla *Amatus Luſitanus Curat. Medic. Cent. V. 31. & Miſc. N. C. Dec. 2. A. 9. p. 5.* adducunt, à quibus propter defectum oſtiorum lactis excretioni inſervientium omnino ad hoc opus ineptæ reddebantur. Rariſſima ſiquidem eſt illa hiſtoria lactantis ſine Papillis, quam *Miſcell. N. C. Dec. 2. Ao. 5. pag. 67.* habent.

depreſſio nimia, item fiſſura

§. XXVIII. Alterum in Papillis vitium eſt, ſi nimium mammis immerſæ ſint, vel adeo exiguæ, ut labiis parvulorum non prendi, multo minus ſugi poſſint. Tertium eſt illarum excoriatio ac fiſſura, ad quorum ſymptomatum explicationem multum inſervit notitia conformationis naturalis à *Celeberrimo Nuckio* in ſua *Adenograph.* data, utpote qui obſervavit papillarum internam ſubſtantiam non eſſe tubuloſam, verum fibroſam, hoc eſt lienis & glandularum conglobatarum ſtructuræ quodammodo conformem, unde dein facile innoteſcit, cur ſuctionis tempore dehiſcant aut excorientur tam facile. Scilicet in culpa videtur eſſe partim infans nimium importune ſolicitans has partes teneras; deinde in ipſis papillis aliquid culpæ latitat, quando cuticula ipſas tegens,

& quæ ordinarie perforata cribri ad inſtar eſt, vel præter naturam arcta aut penitus coalita reperiatur; tandem & lactis ipſius acidi, aut acris ſalivæ lactantis vitio multum quoque culpæ adſcribi debet, dum à ſalium aculeata hac textura facile fibræ illæ tenerrimæ diſcerpi poſſunt. Mirum autem dictu, quantum ab his ſymptomatibus turbentur in ſuo officio Nutrices, adeo ut ejulatus edant & lacrymas ſæpe propterea fundant acerbiſſimas. Immo quandoque ex inſigni hoc dolore graviora adhuc incurrunt ſymptomata, prout patet ex obſervatione, quæ habetur in *Miſc. N. C. Dec.* 2. *Ao.* 4. *in App. p.* 288. ubi ex papillarum fiſſura Nutricem quandam inſignem paſſionem Hyſtericam contraxiſſe refertur.

Sangvinis ſtillicidium

§. XXIX. Reſtat ultimo ut adhuc addam ſangvinis ſtillicidium lactis loco è mammis contingens, vel quando una cum lacte rivulus talis purpureus ab infante elicitur, conferantur *Miſc. N. C. Dec.* 2. *Ao.* 7. *pag.* 89. Ætiologia vero ejus in ſangvineis vaſis quærenda eſt, nunc in interioribus Papillarum dilaceratis, nunc ad exteriora uſque vergentibus inibique apertis, quod ultimum ad oculum quandoque notari poteſt.

CAPUT III.

PRÆSERVATIONEM ET CURATIONEM MORBORUM LACTANTIUM DOCET.

§. I.

Cum tantis malis miſeræ lactantes ſint obnoxiæ, utique opus eſt ut ſimus ſolliciti, quomodo imminentia avertamus & præſentia removeamus ſi fieri poteſt cito, tuto & jucunde. Accingo igitur me ad hunc laborem ſuſcipiendum ordineque hinc reaſſumo in præcedenti capite recenſitas affectiones præternaturales ipſis ſimul convenientia opponiturus Remedia. Monitum eſt ſupra ultimis geſtationis menſibus ſubinde mammas turgeſcere ac tendi, imo etiam lacteum ſerum effluere ex ipſis, antequam pondus uteri nobile depoſuerint prægnantes. Non puto opus fore, ut adverſus has moleſtias multa commendem Medicamenta, cum non adeo urgentibus ſymptomatibus ſtipari illas cernamus. Ferre enim has Tenſiones facile diſcunt temporis tractu, jamjam aliis gravioribus moleſtiis devorandis aſſuetæ, aut ſi nimis importunum ipſis fuerit lactis hoc ſtillicidium, linteaminibus circumjectis facile excipi poteſt effluxa materia, eoque averti, ne irroratione ventris & induſiorum humectatione, ipſis adeo adverſa exſurgat ſpurcities. Quod ſi vero ex morbo aut interitu fœtus in utero rivulorum horum fluxus oriatur, tum magis ad cauſam primariam, quam leve hoc ſymptoma attendendum eſt. Hinc tali in caſu vel confortantibus fœtum vel partum ejus accelerantibus opus erit.

Cura tenſionis ac ſtillicidii mammarum.

Febris lactea

§. II. Quod lacteam concernit febrem, quæ nunc ſequitur, niſi ſponte cedat, diaphoretica blandiora & quæ lochiorum fluxum tunc temporis quodammodo ceſſantem redintegrare valeant, erunt in ſubſidium vocanda. Imo nec alia antipyreta negligi debent, ſi inprimis febrem hanc alias ephemeram in continuam aut intermittentem abiiſſe videas, quapropter etiam ad venæſectionem, ſi nempe nimium ſtagnent lochia, aut ad laxativa blandiora, uti ſunt Enemata, & quæ ex Caſſia, Tamarindis aliisque hujus generis fiunt, ſi alvus ſimul ſit pertinaciter obſtructa, deveniri debet.

Lactis ſeroſi

§. III. In nimia lactis fluiditate, qualis primis diebus ſub nomine Coloſtri apparet, nullus locus medicamentis eſt relictus, cum illud alimentum medicamentoſum ſit, à natura eum in finem generatum, ut modice nutriendo leviter pro infantis imbecillitate purget per aliquot dies, uti recte monuit *Spigelius Tr.*

de

de Fœtus Format, cap. 13. pag. 17. Aſt quando jam plurimis interpoſitis diebus adhuc dicta lactis tenuitas adfuerit, de ejus emendatione utique cogitandum eſt. Quapropter in anguſtia nimia tubulorum ſecernentium & excretoriorum tentari debet, num continuata ſuctione Infantis aut ipſo inſufficiente, canum juniorum applicatione vel mulierum ſuctricum beneficio poſſint pedetentim illa ampliari. Quæ methodus optima & expertiſſima eſt, adeo ut aliquando ſuctionis ſolius ope etiam mammæ ad reddendum lac genuinum diſponantur, non minus in brutis, quam fæminis, quæ nunquam pepererunt, imo in maribus ipſis, prout hujusmodi exempla copioſa refert ex *Veſalio*, *Donato*, *Aquapendente*, *Baricello*, *Thomas Bartholinus vindiciar. Anatomic. p. 32. Conf. etiam Alex. Benedictus lib. 3. Anat. cap. 4. Dodonæus obſerv. 21. Paole Boccone Obſervatione naturali 13.* Cave modo, dum ſuctionem commendas, ne nimis importune tractentur loca hæc adeo delicata, cum facile dilacerentur ac dehiſcant maxima cum miſerarum moleſtia, ut in antecedentibus eſt monitum.

§. IV. Verum tamen quando in copioſiori ſero ſangvinis vitii hujus hæret culpa, videndum eſt, num evacuantibus tam purgantibus quam diaphoreticis abundans iſta portio educi, reſiduum vero alimentis eupeptis ac exſiccantibus corrigi poſſit, è quorum cenſu lacticinia & pultes farinaceæ, ova ſorbilia, amygdalæ, caſtaneæ, nuces, aliique pingvi & gelatinoſa ſubſtantia turgentes cibi primo inſerviunt loco, in ſpecie ſi ſimul potus largior Nutricibus aliis ſolennis interdicatur, quod ſi vero ab aëris intemperie proveniat malum, loci mutatio aut ſaltem focus frequenter accenſus remedii loco erit.

ſpiſſi nimium. §. V. Lactis nimia ſpiſſitudo auſcultat nunc diluentibus, potui ſcilicet tenuiori largius hauſto, quapropter cereviſia ſecundaria loco craſſioris ac viſcidioris propinata, ſucceſſu felici adhibetur, magisque adhuc convenit potus talis calide ſorptus, quatenus nempe ab igne communicatæ mobiles moleculæ penetrare, & cohærentem nimis lactis ſubſtantiam diſcontinuare ſimul poſſunt. Et memini hinc, quod nutricem quandam viderim, quæ continuo tractu per quatuor integros annos lactaverat diverſos infantes, ſemper circa initium novæ lactationis ſolo potu copioſiori infuſi veronicæ, conſiſtentiam iterum conciliatam fuiſſe lacti admodum laudabilem. His ſocientur optimo conſilio alia reſolventia & inprimis, quæ acribus & ſalino-volatilibus partibus luxuriant: uti ſunt ſalia volatilia oleoſa & aromatica ad Sylvii mentem compoſita, & ex his in ſpecie ſpiritus ſalis ammoniaci fœniculatus, aniſatus, carviſatus, ſaſſafratus, aut oleo roris-marini, majoranæ, lavendulæ, ſpicæ, origani, maritatus, aliaque, quæ ſub Eſſentiarum & Tincturarum nominibus in Tabernis Pharmacopœorum ex his vegetabilibus aſſervantur.

§. VI. A butyracearum autem particularum abundantia ſi craſſitiem nimiam contrahere lac obſerves, age detrahas Nutricibus alimenta pingvia, & loco illorum exhibeas macra juſcula, & quodammodo dyſpepta. Ubi vero ſuſpicio cadit in bilis laudabiliorem conditionem, adeo ut ab ejus nimia glutinoſitate aqueæ ac pingves chyli partes majori in copia, quam par eſt uniantur, tum omnium tutiſſime obviam ibis modo commendatis diluentibus & macris alimentis, quibus tamen nondum ſufficientibus etiam acida erunt in ſubſidium moderate tamen vocanda, quibus bilis conſiſtentia in reſinoſum ac ſpiſſum corpus redacta, ſtatim exuitur virtute ſua naturali, prout unusquisque facili negotio id experiri poteſt.

§. VII. In lactis coagulatione rurſum ſolicitare cogimur diluentia ſpeciatim actu calida, ſimul tamen reliquis concurrentibus cauſis ſatis eſt faciendum. Quare ſi ab acido oriatur coagulatio, propinentur terrea, Martialia, ſalia fixa & volatilia, quibus omnibus robur inſenſiſſimi hujus lactis hoſtis ex voto deſtrui, adeoque ad ulteriorem *coagulati* *ex acido*

teriorem actionem penitus ineptum reddi poteſt. Immo non præſervative ſolum conveniunt, verum etiam (niſi jam omnis conſiſtentia lactis fuerit inverſa, caſeoſæque partes a reliquis penitus ſecretæ) præſens coagulatio reſolvitur quoque. Nec externa ejusdem indolis, hoc eſt, quæ acidis inimica ſunt, debent negligi. Novi enim linteamina lixivio calido immerſa, ſæpiusque applicata egregie profuiſſe, aut qui mos eſt aliis, ſi ſcopis ſetinis lixivio tali imbutis diligentiſſime ſtrigillentur mammæ.

frigore

§. VIII. Frigori externo ſi debeatur coagulatio, conveniunt calefacientia dicta, quibus nunc actu ineſt caliditas, nunc potentia. Actualia ſunt, quando externe linteamina ad ignem calefacta, aut quo diutius calor inhærere his partibus valeat ſacculi, Oryza, Milio, ſale decrepitato, Arena &c. infarcti, imponantur mammis, magis tamen hæc pro præſervationis ſcopo conveniunt, quam ſi jam grumi præſentes fuerint. Interne potus ordinarius ad ignem calefactus inſervit. Potentia talia ſunt, quæ vel acrimonia aromatica, aut ſalina ſangvinem & ſpiritus (ex quorum motu calor corporis noſtri dependet) exagitari poſſunt. Inſerviunt proinde, ut ex eorum inſigni catalogo pauca ſaltem ſeligam pro uſu interno, ſemen Lini, Rutæ, Petroſelini, Aniſi, Fœniculi, Coriandri, Fœnugræci, Anethi, Cherba herefolii, Hyſſopi, Apii hortenſis, Majoranæ, Abrotani, folia Braſſicæ, Lauri, Rutæ, flores Chamomillæ, Sambuci, Myrrha, & ex Animali & Minerali regno pulvis Millepedum, Lumbricor. tereſt. ſalia quæcunque volatilia, Tinctura Bezoardica Michaelis, ſperma ceti &c. Externe præter dicta commendantur herba Cicutæ, Petroſelini, Halicacabi, folia Matricariæ, quæ apponuntur nunc ſolum contuſa vel trita, nunc vero in cataplaſmatis formam cum farina lini, fabarum, vel pane biſcocto aut ſimilagineo redacta. Aſt quoniam ſæpius reiterari cataplaſmata hæc debent, ne ubi refrixerint damno magis, quam emolumento ſint, his miſſis emplaſtra reſolventia magis commendantur ab aliis, e.g. de Meliloto, Cicuta, diaphoreticum Mynſichti de Spermate ceti, & Galbano crocato: & quod ex rob. ſambuci, ficubus, myrrha & felle bubulo &c. paratur. Nec alia adhiberi poſſunt medicamenta, quando ex terrore alioque graviori animi Pathemate ad fugam impetum facientis principii coagulatio ortum duxit, conſtat enim ex dictis, ab omnibus modo recenſitis remediis acribus & diaphoreticis, dum ſangvinis & ſpirituum motus concitatior redditur, rurſum ſolvi vincula, coagulationis cauſas. *terrore &c.*

Cura Lactis depravati quoad odorem, ſaporem & colorem.

§. IX. Siſtunt nunc ſe ad examen læſiones lactis circa odorem, ſaporem & colorem, de quibus in genere moneo, ſi vitia hæc fuerint enormia, non tuto poſſe lac tale ulterius dari tenellulis: quod quoque obſervandum, ſi ab ulceribus internis fœtor, & ab extreme radicato ſcorbuto aut hypochondriaco malo acrimonia, tandemque à cachexia coloris mutatio oriatur. Niſi enim celerrime penitus removeantur à mammis pueruli, & aliis integra ſanitate fruentibus concedantur nutricibus, ſanitas illorum verſatur in ancipiti, cum impoſſibile ſit, ſubito totam corrigere maſſam ſangvineam, vel removere internas exulcerationes. Sed quando alimentis aut medicamentis qualitatum hæ mutationes ſolum debentur, ſatius erit, quicquid jam præſens in mammis de fluido iſto, educere canis ſuctu, aut aniculæ ſuctricis vel inſtrumenti convenientis ope, & ne denuo occaſio ſuppeditetur, uſum nocentium rerum ſtudioſe interdicere.

§. X. Ubi vero inſenſibiles ſunt lactis læſiones phyſicæ, aut ſi vitia inhæreant moralia, dum adhuc magis dubia erit medendi methodus. Quæ enim Hippocrates de vulneribus exclamat, ſcilicet vere infelices eſſe illos, ad quorum abditos morbos nec oculi nec mentis penetrat acies; hic quoque repeti poſſunt. Etenim non intellecti nulla eſt curatio morbi. Aſt quando

Nutri-

Nutricum morbi hactenus latentes ſenſim manifeſti fiunt in lactantibus, quantocyus fieri poteſt occurri huic lacti vitiato debet, aut quæ adhuc tutior mihi videtur via, à nutrimento tali abigendi ſunt infantes. Et hoc inprimis ſuadeo, ſi in Nutrice vitia animadvertantur morum. Cum enim mulieres hæ ære conductæ ut plurimum ſint de fece vulgi, aut meretriculæ, hinc ſerviles, improbæ, impudicæ, rixoſæ, temulentæ &c. ſummo diſcrimini natos ſubjiciunt genetrices, quæ ſine urgente cauſa alituram ipſis à Deo & Natura ſæpius liberaliſſime datam denegant, & eo ipſo primordia virtutum ingenita degeneri hoc alimento corrumpere ſinunt. Sed cum ab aliis contra hanc peſſimam conſvetudinem matrum jam declamatum ſatis ſit, nolo hæc prolixius urgere.

Lactis defectui quomodo conſulatur. §. XI. Ut lactis defectui conſulatur, conveniunt frequentes mammarum frictiones cum panno aſpero ad promovendum copioſiorem affluxum materiæ ejus. Poſtmodum fortis ſuctio ſupra commendata hic quoque deprædicari debet. Qui vero ex alimentorum penuria gignitur, largiori cibo & potu facile in chylum convertibili reſtituetur. Sed quando à cacoſtomachia penuria ejus dependet, ſtomachica erunt in ſubſidium vocanda. Huic enim viſceri utplurimum primario ſuccurrunt, quæ tanquam euporiſta communi Medicorum acclamatione ad generationem lactis extolluntur remedia. Quæſo enim, quomodo cryſtallum montanam, medullam ſaxorum lac lunæ augere putas lac? Certe non aliter, niſi quatenus acidum primarum viarum chylificationem, & per conſequens lactis Geneſin lædens, ab illis deſtruitur. Quomodo credis operari ſemen fœniculi, aniſi, erucæ, melanthii, apii, item rorem marinum, ſerpillum, origanum? Niſi quod pituitam reſolvant chylo & lactis præparationi adverſam. Et ſic judica quoque de ſalinis, v. g. pulvere lumbricorum terreſtrium aſellorumque exſiccatorum, item dum piſces ſale conditi pro hac intentione aſſumuntur. Non itaque mihi audiendus venit *Rodericus à Caſtro*, qui *lib. 10. de morb. mulier. p. 523.* ſalſa hæc tantum ſitim excitando, hincque ad frequentem potum Nutrices invitando agere docet. Tali namque in caſu, h. e. quando ſtomachus cruditatibus laborat, potus copioſior lac neutiquam generabit.

§. XII. Quod ſi ob alvi fluxum chyloſum deficit materia lactis, inhibendus eſt iſte per deoppilantia remedia, quibus vel Periſtoma villoſum obſtructum aperitur, aut infarcta caſeoſa aut alia materia è lacteis vaſis glanduliſque meſaraicis removetur. Cum enim in his locis primario ſedes ſit morbi, ſalina non minus quam aromatica utramque hic abſolvent paginam.

§. XIII. Reliquis autem ut ſuccurras cauſis, obſtruendæ ſunt viæ, è quibus chylus præter naturam ſtillabat, quibus factis ad conſveta loca ex voto rurſum abibit materia hæc. Neque aliis opus erit remediis, ſudor nimius aut diureſis excedens ſi fuerint in cauſa, vel ſi ab hæmorrhagia defectus naſcatur materiæ lactis. Nam ſi evacuationes illæ importunæ non ſiſtantur, de lactatione non ſolum penitus eſt factum, ſed longe majora adhuc imminent miſeris pericula. Iterum itaque ad Nutrices conductas tanquam ad ſacram Anchoram & tum confugies. Quid ſi vero nulla Nutrix impetrari poſſit? Infantis vero nimia tenera ætas adhuc lacteum poſtulet alimentum, quid tum conſilii? Audi quid ſvadeant *Eph. Gall. An. 81. d. 24. Mart.* quod etiam ex illis referunt *Acta Erudit. An. 82. p. 197. ſeqq.* Præbeatur inquam ipſis lac animalium, ſed obſervetur 1) accurate reſpondeat ratione caloris lacti muliebri recenter è mammis emulcto, quod ipſum diſci poteſt Thermometro immiſſo, 2) deducatur ſub hac conditione ad ventriculum Infantis, quare vaſculo ſtanneo infundi debet, 3) aſſugatur ab Infante. Hinc fiunt mammæ artificioſæ ex tela ſericea tenui, quarum extremitates tu-

midæ & molles reddi poſſunt ſetis equinis infarctis.

Lactis abundantia quomodo minuenda.

§. XIV. Supereſt ut nunc lactis abundantiæ medicas etiam afferamus manus, adverſus quam equidem vix & ne vix quidem opus habemus medicamentis, quamdiu non ſtagnat intra officinam ſuam. Nihil incommodi affert, quam ut ſaturato alumno ſuperfluum ſponte è papillis effluat, vel emulgi aut aliis modis evacuari poſtulet; ſed ſi ſufficienter fuerint hoc alimento educati infantes & deſueſci nunc ſatis robuſti facti, aut præmatura morte decedunt ex hac mortalitate, ad imminuendam iſtam abundantiam ſoliciti eſſe utique cogimur. Quare in copia lactis ex alimentorum abundantia, & chylificatione laudabili orta commendata ſunto præter tenuem diætam, quæ chylum aliorſum ducere valent. Talia ſunt purgantia non minus quam diaphoretica, aut quæ per urinarias vias copioſe evacuant ſerum ſangvinis, aut ipſam ſangvineam maſſam una cum chylo admixto imminuunt. Subintelligo hic non ſolum ſcarificationes cutis frequentes, ſed inprimis venæſectionem in pedibus, & quod notandum eſt, brevi poſt paſtum celebratam, utpote quarum ope non imminuitur ſolum notabiliter materia proxima lactis, ſed avertitur etiam ad alia loca abducta. Accidit hinc, quod menſium fluxus medicamentis pellentibus promotus, item ſi extremitates corporis aſpero panno fricentur, quouſque nimium doleant, lactis copiam imminuat quandoque.

§. XV. Inſuper tamen opus quoq; eſt, ut de potu illo largiori Nutricibus ſolenni detrahatur, & quod primo loco nominari debebat, poſt plenariam eductionem lactis e mammis, faſcias arcte partibus hiſce circumjiciant ad arcendam ulteriorem novamque fluidi hujus ſecretionem. Non inconvenienter hujus gratia etiam adſtringentia ſimul externe apponuntur, vel quæ refrigerando repellunt. Seligo ex his vinum auſterum, acetum, panem nimis fermentatum, cortices granatorum, flores Roſarum ſylveſtrium, Balauſtiorum, folia Thee, radicem Tormentillæ, Biſtortæ, ſangvinem Draconis, Alumen, ſaccharum Saturni &c. Huc pertinent etiam emplaſtra ſaturnina quævis, non minus quam quæ defenſiva vocantur chirurgis, imo etiam Terebinthina cum cera mixta, Emplaſtrum diachylon ſimplex, ſparatrapa ex cera facta, item emplaſtrum quod ex cinnabari & cera ad imitationem Waldſchmidii componitur, de quibus recte Auctor hic concludit, quod emplaſtra maximam partem agant aërem arcendo, ne iſte ſuo acceſſu lactis coagulationi infauſtam præbeat occaſionem. Non tamen negandum etiam conſtringendo juxta ac roborando ſimul agere. *Conf. Waldſchm. & Dolæi Epiſt. p. 85.* Hæc ſi rite & debita cum prudentia adminiſtrentur, ſufficere omnino poſſunt, valeat igitur illud experimentum *Helmontii pag. 598.* quod jubet, ut lac ſupra prunas candentes emulgeatur, aut quando lac e mammis recenter expreſſum in angulo quodam domus reponitur ab Aniculis, ut illud mures domeſtici deguſtent. Toties enim illa tentata deſideriis ægrarum haud ſuffeciſſe vidi.

Tumores mammarum curandi.

§. XVI. Sic lactis vitiis occurrendum fuit, quibus abſolutis nunc me converto ad mammarum ac papillarum præternaturalem conſtitutionem. Siſtit autem ex illis ſeſe primo Tumor ex lactis collectione oriundus, cui commodius vix opponere poſſum remedium, quam evacuationem mammarum. Det igitur Nutrix mammas frequenter Infanti, ſi tumeſcere illas, eoque aliis ſymptomatibus anſam miniſtrari animadvertat. Aut ſi debilis fœtus evacuare Promptuaria hæc repleta nequeat, ſuperfluum ſupra jam indicato apparatu educi ſibi patiatur. Inprimis tamen evacuatio lactis per aniculam ſuctricem facta conducit, quando ex diuturna mora concreviſſe lac ex duritie inæquali, & nodis hinc inde in mammis comparentibus conſtat. Inſuper tamē interna non minus

nus

nus quam externa reſolventia, alias tunc propoſita, adhibeantur.

Inflammatio earundem ſedanda.

§. XVII. Quod ſi vero contigerit non obſtantibus his inflammari mammas, acceleranda eſt applicatio huic malo convenientium Remediorum; Hoc eſt, adhibeantur interne omnis generis diaphoretica, doloreque nimium urgente aſſocientur anodyna ac opiata. Ut ſpecificum inſigne à Riverio in ſua praxi poſtmodumque a Michaële in operibus laudantur ſpecula pavonum ſeu orbicula egregie colorata, quæ in pennis caudæ hujus avis conſpiciuntur probe inciſa & aſſumpta. Sed placet Epicriſis Clariſſ. Ettmulleri, quam habet in Praxi ſua capite de mamm. inflammat. Profecto inquit neſcio, an non ex falſa hypotheſi ſeducti ſint hi Auctores, & vereor, ne, quæ ſoli imaginationi ſatisfaciunt, fruſtra uſurpentur. Pro externo autem ſcopo ad imitationem Mayerni inungantur mammæ melle, inſpergaturque aliquoties de die pulvis ſuberis. Magis tamen experta ſunt vini ſpiritus ſimplex vel theriacalis camphoratus, cataplaſmata ac fotus ex Radicibus Ireos Florentinæ, Ariſtolochiæ rotundæ, Bryoniæ, Herba hyſſopi, Roremarino, Semine carvi, aniſi, fœnugræci, baccis Juniperi, Croco, Farina ſeminis lini & lupinorum &c. His adde repellentia ex phlegmate vitrioli, aceto, ſaccharo ſaturni, minio aliisque ſaturninis, quæ à *Riverio*, *Amato Luſitano* & cunctis Practicis commendari ſcio. Aut ſi mavis Emplaſtra de ſpermate ceti & cicuta cum tantillo camphoræ in oleo liliorum ſolutæ malaxata, quorum virtus incomparabilis vix digne decantari poteſt. Non ſi tibi hæc ſufficere videantur, fac periculum, num illis *Foreſti* experimentis, de quibus *lib. 17. obſerv. 23. pag. 128.* agit, voti compos reddi poſſis. Jubet vero, ut Talpa vivens tamdiu comprimatur dextra, donec vivere ceſſet, aut ut viginti quinque Ranæ jugulentur manu tua, unde tanta tranſibit virtus in volam, ut ſola ejus impoſitione in mammas, avertatur inflammatio omnis.

§. XVIII. Sed ſæpe omnis labor adhibitus irritus & inanis, nunc quod ſerius remediis dictis itum fuit obviam, aut quoniam nimis vehemens obſtructionis cauſa vim remediorum eludat, unde tandem ex nimis ſtagnante ſangvine abſceſſus exſurget infallibiliter. Quo præſente nil efficies omni antecedente apparatu, cum extra vaſa conſtituta materia prætereaque corruptionis labe infecta in gratiam recipi a natura nequeat. Proinde eo allaborandum nunc tibi erit, ut maturetur materia, & maturata educatur celeriter. Equidem a ſola natura utrique huic inclinationi ſæpe fit ſatis; attamen ad minimum aliquot dierum tempus elabitur, antequam id accidat, interea atrociſſimis vexantur cruciatibus ægræ & rupturam diverſis, & non raro plane inconvenientibus locis obtinent. Proinde pro ſcopo emolliendi circumjiciantur mammis cataplaſmata ex Radice Althææ, liliorum alborum, malvæ, brancæ urſinæ, violarum, ſemine fœnugræci, lini, item pultes ex farina fabarum & lupinorum, cremore ptiſanæ, aut loco horum inungatur butyrum non ſalitum. Axungia lucii piſcis, leporis, porci &c. vel oleum liliorum, alborum chamomelinum, roſarum, ſcorpionum. Deinde applicentur attrahentia & abſceſſum rumpentia, uti ſunt emplaſtrum diachylum cum gummat. de ammoniaco, ungventum baſilicon, de bdellio, quibus ſi dolor nimis urgeat oleum hyperici, lumbricor. terreſtrium, hyoſciami, tandemque crocus & theriaca admiſceantur.

Cura abſceſſus in mammis.

§. XIX. His præmiſſis immorigero adhuc tum malo opponantur cauſtica potentialia ex pice, euphorbio, ſagapeno, ſale tartari cum calce viva uſto, Cryſtallis Lunæ, butyro Antimon. vel quæ citius adhuc agunt inſtrumenta Chirurgica. Aſt licet in momento nunc a dolo-

re

re & aliis urgentibus ſymptomatibus liberatos ſe animadvertant ægri, tamen in ulcus mutato abſceſſu ſe offert nova difficultas, ſc. ex affluxu lactis continuo conſolidatio impeditur per plures menſes. Quo tamen non obſtante, quæ ulcus mundificant & conſolidationem ejus promovent, ſtudioſiſſime ſunt adhibenda.

Mammæ œdematoſæ

§. XX. Jam ſequuntur mammæ œdematoſæ, ubi de interno apparatu cum ſatis ſit dictum in antecedentibus, nempe in lactis pituitoſi cura, externa igitur tantum, & inter ea commendo præter reſolventia tertio ab hoc §. adducta majoranam, pulegium, origanum, baſilicum, flores lavendulæ, virgæ aureæ, tanaceti, lupuli, in lixivio vel etiam vino decocta. In quorum locum ſi fotus & Cataplaſmata non arriſerint, commode Emplaſtra ſubſtitui poſſunt, nempe Oxycroceum, diaphoreticum Mynſichti, hydropicum Auguſtanorum, diaſulphuris Rulandi, de baccis lauri, de gummi ammoniaco, quæ tamen ad augendam virtutem cum oleo deſtillato ſuccini aut tartari fœtido, aut Guajaci, malaxari & calide imponi debent. Quibus aliquandiu præmiſſis, roborantia & quodammodo adſtringentia ſubjungi poſſunt. Ex illis vero omnium ad inſtar ſit ſuffitus vini auſteri ſupra lapides candentes effuſi, ad mammas admiſſus; Acetum enim loco vini adhibitum, prout aliis placet experientia edoctus Sennertus rejicit.

Scirrhoſæ ac ſtrumoſæ quomodo ſanandæ

§. XXI. Scirrho & ſtrumoſo Tumore præſente plus negotii habetur in cura, niſi celeriter manus adhibeantur medicæ. Raro ſiquidem ſuppurari ſe patiuntur, nec tutum eſt pro hoc ſcopo acria adhibere. Quapropter eo ſolum eſt allaborandum, ut externis lenientibus ac emollientibus, v. g. medulla cervina & vitulina, adipe gallinaceo, anſerino, vel butyro non ſalito, & aliis antea jam indicatis tentemus, in quantum nimium induratis his partibus poſſit iri obviam. Accedunt dein reſolventia, uti ſunt radix mandragoræ, cucumeris aſinini, cepæ, gummi-ammoniacum, bdellium, galbanum, oppoponacum, & ex compoſitis unguentum martiatum de meliloto, vel illud, quod ab *Hildano* deſcribitur *cent. 6. obſerv. 85.* Cunctis tamen his palmam præripiunt, aut ſaltem reddunt dubiam mercurialia, quæ inter Emplaſtrum Vigonis de Ranis cum duplo vel triplo mercurii aut Amalgama ex mercurio & ſaturno factum ad imitationem *Deckeri in notis ad Barbetti praxin.* Convenit etiam lamina ſaturnina mercurio vivo intus inuncta.

Carcinomatis

§. XXII. Et hæc quoque ultimo nominata adverſus carcinomata commendata volo, quamvis ultro fatear, curam morbi hujus eſſe perdifficilem & tantum non impoſſibilem. Ne tamen otioſiſſimus tantum ſpectatores vocati ad ejus curam, interne exhibeantur ſalia tam volatilia quam fixa, & quæ diluendis his viſcidis humoribus inſerviunt, cui intentioni ſatisfaciunt infuſa Herniariæ & Theæ, è quibus ultimum à recentioribus admodum proficuum fuit deprehenſum. Non male his adjunguntur diaphoretica, item fonticuli pro ſcopo revulſionis adhibiti. De cætero quoniam præ reliquis urgent dolores, ipſis apponantur Saturnina, e. g. emplaſtrum diapompholygos, de minio vel ceruſſa Mynſichti, vel cataplaſma ex cochleis vivis, carne ranarum, aut ex pomis putridis Borsdorffianis, quibus tandem ſuccedent Theriaca & opiata, prout vel ex unico *Timæo à Göldenklee*, *l. 4. conſ. 39. 40.* prolixius addiſci poteſt. Alia & inprimis acriora non facile ſuaſerim, ſemper enim effatum *Hippocratis lib. 6. Aphor. 38.* in auribus meis reſonat. Cancrum occultum melius eſt non curari, nam curati cito pereunt, non curati autem in longum tempus ſine adeo notabili moleſtia perdurant.

& Cancri exulcerati cura

§. XXIII. Sed quando nihilominus Cancer exulceratus & depaſcens noſtræ affertur Curæ, ſine remediis non decet relinquere ægram, utut magis triſtis ſententia, ſi verum velimus fateri, ſit nobis de eventu dicenda. Quadrat enim huc illud Naſonianum:

Curan-

Curandi fieri quædam pejora videmus
Ulcera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

Laudatur tamen tanquam euporiſton ab *Overcampio in Chirurgia* Mixtura ex calcis vivæ unciis 6. Elixir vitæ drachm. ij. oleo Guajaci drachm. i ſem. Mercurii ſublimati ſcrupulo ſemis, ſi calide aliquoties de die loco affecto imponatur. Præterea non ſpernenda eſt caro animalium juniorum, canum puta, felium, columbarum & gallinarum adhuc calens lupo huic objecta. Præ cæteris tamen cancer vivus ligatis chelis impoſitus loco affecto extollitur, ſi nimirum mortuo primo plures ordine applicentur, uſque tandem ultimus ſuperſtes maneat. Deprædicatur etiam ab *Ettmullero* fuligo Caminorum ſplendens ulceri ſub forma pulveris inſperſa. Nihil tamen ſi cunctis his impetremus, imo ſi magis magisque in dies ſæviat malum, ad cauteria & ſectionem tanquam ultimum remedium confugiendum eſt, de quorum applicandi modo videatur apud *Barthol. Hiſtor. cent. 5. 100.* conf. etiam *Pareum*, *Scultetum*, *Solinum*, aliosque plures ex recentioribus.

Papillarum depreſſarum erectio.

§. XXIV. Jam devenio ad papillarum læſiones: cumque nihil habeam, quod in ſolatium illarum, quibus deſunt papillæ vel penitus occluſæ deprehenduntur, dicere poſſim, ad reliquas pergo. Exiguitatem itaque, item ſi profundius intra mammas abſconditæ lateant, diligens lactatio emendabit. Eriguntur enim non ſolum notabiliter corpora hæc ac rigeſcunt à quacumque blanda contrectatione, & hinc quoque ad tremulum linguæ lactentis motum, ſvavemque labiorum compreſſionem indies manifeſtius ſurgent, tandemque ex continuo humorum affluxu ad debitam provenient magnitudinem. Et licet quandoque nunquam tam turgida evadant, prout in quibusdam Nutricibus conſpiciuntur, tamen æque feliciter ipſis aſſvefactus infans haurit inde ſuum alimentum. Quod ſi tamen adeo in profundis latitent, ut lactantis labiis apprehendi plane non poſſint, cucurbitulis cum flamma ſuperimpoſitis aut fiſtulis illis terreis, quibus alias fumus Tabaci ſugitur, in apricum poni poſſunt.

Fiſſura papillarum quomodo reſtituenda.

§. XXV. In papillarum Fiſſura quædam præcautionis gratia, quædam vero præſente jam malo adhibentur. Priori intentioni inſervit inunctio harum partium per aliquot ſeptimanas ante partum cum oleo Amygdalarum dulcium, aut ſi caliculi ex cera formati & intus reſina abietina incruſtati pileolorum more ipſis imponantur vide, *Welſchii* Hebammenbuch p. 154. In altero vero caſu, ſi ab aciditate lactis eroſio dependeat, adhibeantur abſorbentia v. g. ochra Thermarum, pulvis ſubtiliſſimus cretæ, Bolus Armenia, Corallia rubra &c. Pro ſcopo vero conſolidandi conveniunt oleum ovorum, ceræ, mormodicæ, unguentum roſatum cum tantillo balſami Peruviani, quibus adde remedium, quod *Muys* laudat in *Chirurgia rationali Decade 4. obſervat. 7.* Nempe Gummi arabicum cum ſaliva ſubactum, aut quod *Heide* adducit, vitrioli albi ſolutionem in aqua factam, vid. *Obſerv. 98.* vel à *Velſchio* commendatum pileolum ex Geranio Robertiano compoſitum, vide ejus *Mictomimemata pag. 34.* Quandoquidem vero conſolidatæ iſtæ partes nova infantis ſuctione ſæpiſſime iterum ſcinduntur, vix unquam perfecta reſtitutio eſt ſperanda, niſi aliquandiu arceri jubeas alumnum à mammis, aut inſtrumenti illud genus adhibeas, de quo *Sennertus prax. lib. 5. part. 3. ſect. 1. c. 11.* & *Sebitius Spic. med. pract. Tom. 2. c. 14. p. 174.* agunt, paratur ſcilicet calix ex ligno, ſtanno vel argento ad formam pilei, qui ſuſcipere papillam ægram & firmiter baſi ſua mammis adhærere poteſt. Hujus extremitati apertæ apponatur papilla uberis recens mactatæ vaccæ, & infan-

ti

ti hæc papilla ſugenda præbeatur. Ita enim pars ægra ſine dolore reddet lac, quamvis majori niſu operi ſuo præeſſe infans debeat, quod urgente fame dierum aliquot ſpatio emenſo diſcere cogitur. Et hoc remedii genus etiam confert papillis, quæ ſangvinem ſeu ſolitarie ſeu cum lacte ſimul fundunt.

§. XXVI. Habes hic, Lector benevole, promiſſum Lactantium valetudinarium. Si in illo non omnia me acu tetigiſſe videas, da quæſo veniam, memor fragilitatis humanæ, ex qua hiatus iſti oriuntur. Proprium enim eſt hominum, ut omnia non intelligant, quædam male judicent, plura negligentius pertractent. Meum itaque facio *Martialis illud lib. I. Epigr. 17.* ubi ſic canit:

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura,
Quæ legis hic, aliter nec fit, Amice, liber.

F I N I S.

INDEX RERUM,

Ubi præmonitum velim B. Lectorem, numero majori Partem, minori paginam denotari; literæ interdum adjectæ ſubjunctas hinc inde annotationes indicant.

A.

Abdominis fiſſurarum in gravidis Cauſa III. 550. §. 21.
Cura. III.559.§.19
tenſionis in Gravidis Cauſa III. 550.§.21.
Cura.III.559.§.19.
Abietis deſcriptio.I.420
reſinæ uſus I. 420
Abortus quid ſit? II.156.III.547. §. 9
Cauſæ.II. 157.
Cauſa proxima & remotæ. III. 547. §.9
ab abuſu Spirituoſorum III. 547.§.9
ab animi pathematibus.III.547.§.9
a Capacitate Uteri exigua. III. 547. §.9
a motu nimio.III.548. §.9
a ſangvinis & ſpirituum defectu.III.548. § 9
a Scorbuto.III.547.§.9
a Sternutatione III.137.§.57
a Triſtitia III. 35.
Cauſæ curatu difficiles III.555. §.8
incurabiles.III. 555.§. 8.
Cura II.157. 158.
Præſervatoria III.554.§ 7
per analeptica III.554.§.7.
abſorbentia III. 555. §.7
Calefacientia.III.555.§.7
Clyſmata III.555.§.7
Diaphoretica III 555.§. 7
Specifica III.556.§.8
Venæ ſectionem III. 555.§.7
imminentis ſigna III.554.§.7.II.157, 309
Abſceſſus II.200.
Aurium II.113.
Cauſa & Cura II. 200,201,202
Mammarum II. 290, 291
renum & Veſicæ II. 65
rupti ab animi commotionibus III. 27. §.37.
a riſu III.27.§.37.
ſigna II.290
Abſorbentia vera terrea quot ſint? III.451. §. 4
Abſorbentium Catalogus II. 5.15.17.21.22.I.771
ſelectus II.273.
Acaciæ fructus unde proveniant I.386.411.
cujusnam uſus I. 386
Accipitris præparatio Chymica I. 496
uſus in confortandis oculis I. 496.
Aceta quid ſint? I. 565
an penitus liberari poſſint a tartaro I.606
Aceti acris Cauſa I. 566
Acetum acre parandi modus I.565.566
ex aqua parandi modus I.566
e Cereviſia parandi modus I. 566
Acetorum deſtillatio I.566
geneſis I. 565
Aceta Medicata parandi modus I. 589.
Acetum mellis parandi modus I. 566
Muſti parandi modus I. 566.
Obeſis nocet II 68.
Radicatum quid? I. 568.
Aceti Radicati deſtillatio I. 568
Aceta quæ Rectificatione non acuuntur I.567
Aceti rectificatio ex arena I. 567
ex igne aperto I.567
Acetorum ſubjectum I.566
Aceti ſulphurearum particularum ſubactio I. 565
Aceti tritici præparatio I. 566
Vermium origo I. 568
Acetum vires enervat II. 148
Aceti Vini præparatio I. 566
Achilles Rex medicus I. 8
Acidum ex Aere impetratur I.509
Anorexiæ Cauſa II. 5
Bulimiæ Cauſa II. 6
Cardialgiæ Cauſa II. 14
Epilepſiæ Infantum Cauſa II. 137. I.
an Famis naturalis Cauſa I.77,78. 79.
Acida Medicamenta III.240.§.14.
menſtrua unde habeantur I. 520
quænam ſolvant I. 522. ſ.
Acidorum abuſus tonſillarum tumores gignit II.11.
correctio I.770,771
virtus in ſangvine coagulando III. 231. 232.
uſus contra ſitim febrilem II.4.
Acidulæ artificiales II.26. p.
quomodo explorandæ I. 500
Acidularum virtus in ſangvine purificando III. 257. §. 15
Acmillæ vis lithontriptica II. 63. t.
Acori deſcriptio I.488
radix cujusnam uſus I. 488. 489
Acoſtæ ſcripta I. 26
Acria externe maculas curant II. 49

Acria in Peſte non danda II. 101.m.
Acrimoniæ acidæ Cura III. 195. §. 20.232. §. 39.
243. §. 21. 264. §. 5. 384. §. 41
Acrimoniæ alcalicæ Cura III. 264. §. 6
Acrimonia humorum Choleræ humidæ Cauſa
II. 18
diarrhœæ Cauſa II. 21
Dyſenteriæ Cauſa II. 22
Stranguriæ Cauſa II. 58
Torminum Ventris Cauſa II. 30
major eſt in ſenibus III. 112. §. 12
unde proveniat II. 21
Acrimoniæ ſalſæ Cauſa III. 265. §. 7.
Cura III. 265 §. 7
Sangvinis Cauſa III. 71. §. 29. §. 30.
Cura III. 195. §. 17. 232. §. 39.
efficacia in vulnerum conſolidatione
impedienda III. 496. §. 34
productum pus III. 496. §. 35
Scorbuticæ Cura III. 196. §. 21, 232. §. 39.
243. §. 21
Seri Cura III. 195. §. 17
Acrium natura in quo conſiſtat II. 30. a.
Acron Agrigent. Sectæ Empir. Autor. I. 10
Admirationis phænomena III. 44. §. 16.
Adſtringentia III. 240. §. 15. 490. §. 19. 491.
§. 22
hernias retinent III. 505. §. 13
obſtruunt I. 782
quomodo operentur III. 231, §. 33
repellunt I. 773, 774. II. 51. l.
caute dentur in Mictu cruento II. 61
cur Vitrioli ſolutionem inficiant nigre-
dine III. 448. §. 2.
Adſtringentium virtus præcipitatoria III. 448.
§. 2.
uſus in diabete notha II. 56. z.
Diarrhœa II. 21
Dyſenteria II. 22
Hæmorrhagia II. 53
Hæmorrhoidib. fluent. II. 25
Lienteria II. 19
Prolapſu ani II. 29
Ægagropilæ unde proveniant I. 451
Ægidii Monachi ſcripta I. 18
ſcripta I. 15.
P. Æginetæ vita I. 14
Ægyptii obeſitatis ſtudioſi II. 69. n.
Aer Chymiæ objectum I. 505. d.
Chymicum Inſtrumentum I. 514
an admittatur per Cutis poros III. 12.
§. 44
æſtuoſus morbos gignit III. 401. §. 6.
Aer alteratur in exitu è pulmone III. 152. §. 8. 9
aquoſis particulis inquinatus eſt III. 109. §. 7
athmoſphæricus compreſſus eſt III. 4.
177. §. 10
Coarctatus III. 4.
Condenſatus impedit reſpirationem III. 181
§. 26, 27
Aer Elaſticus III. 4. 176. § 8. 177. §. 9.
Exhalationibus metallicis refertus mor-
bos producit III. 403. §. 14
an exiccare queat III. 402. §. 10
febrium malignarum Cauſa II. 91. x.
fermentationis Cauſa. I. 514
frigidus quomodo operetur III. 400. §. 5
morbos producit III. 400. §. 3
Aeris gravitas Experimentis probatur III. 3. 177.
§. 11. 178. §, 12.
Aer heterogeneus maxime eſt I. 505. ſeq.
humidus Catarrhos gignit III. 12. §. 43.
109. §. 7
Morbos gignit III. 401. §. 8, 9.
humores alterat III. 306. §. 6.
humoribus noſtris ineſt III. 79. §. 9
a Larynge vertitur in vocem III. 153. §. 13
Aeris metallicis vaporibus referti corrigentia III.
411. §. 17
Aer Menſes ſupprimit III. 524. §. 12.
Aeris attrahendi magnes I. 508, 509
modificatio ad vocem formandam III.
151. §. 6
Aer Morbus producit. III. 360. §. 2. 3. 400. §. 2
Aer motus omnis Cauſa efficiens I. 71. 508
an per pulmones in Corpus feratur III.
13. §. 45. 401. §. 9
an premat III. 3
an quoad totam ſubſtantiam ſangvini
admiſceatur. I. 156, 159
an quoad totam ſubſtantiam ſuſcipiat
ſonos I. 178
rarefactus quomodo corrigendus III.
198. §. 30
impedit reſpirationem III. 180. §. 21.
§. 22. 23. 24
an ad Embryonem pro reſpiratione fe-
ratur I. 244
Salinus morbos producit III. 402.
§. 11, 12
quomodo corrigendus III. 411.
§. 15, 16
Sangvificationis Cauſa I. 107. 108
cur ſiccior ſit in montibus III. 410
Aeris ſicci calidi effectus III. 14 §. 49
damnum III. 14. §. 50
Uſus III. 14. §. 49
Aerem ſiccum corrigentia III. 410. §. 14
Aer an ſiccus eſſe poſſit abſolute III. 402. §. 10
ſiccus morbos producit III. 402. §. 10
Aeris ſicci frigidi effectus III. 14. §. 52.
Aer ſordibus inquinatus morbos producit III.
403. §. 13
Æris flores quid ſint I. 333
florum confectio & uſus I. 333. 334
viridis Cryſtalliſatio I. 676
Spiritus I I. 676
Aerometri deſcriptio III. 2. §. 3.
Etymologia III. 2. §. 2.
Sturmii confectio III. 2.

Ærugo quotuplex I. 334.
ejusdem confectio ac uſus I. 334.
Æs viride parandi modus I. 676
uſtum parandi modus I. 676. 486
Æſculapius Medicus quis fuerit I. 8, 9
Æſtus cur toleretur facilè a quibusdam III. 6. §. 23
Ætii Amideni ſcripta I. 15
Ætites quid ſit? I. 305
ejusdem contenta I. 305, 306
nomina ac ſpecies I. 305
patria & uſus I. 306
Affectus deſcriptio III. 40. §. 2
Affectuum differentia ratione objecti III. 43. §. 13
Subjecti III. 42. §. 12
Affectus mentis III. 42. §. 12
cum ſpiritibus communes III. 42. §. 12
Affectus quomodo fiant? III. 42. §. 11
non unus ſolum eſt III. 46
Affectuum objectum III. 42. §. 10.
Affectus ſpirituum III. 42. §. 12
Spiritus commovent III. 41. §. 7
Affectuum ſubjectum III. 40. §. 43, 44
Agarici deſcriptio I. 467
doſis, præparata I. 467
Agaſyllis quid ſit? I. 473
Agrypnia II. 127
Agrypniæ Cauſæ II. 127, 128
Cura II. 127. 128. III. 621. §. 11
Mart. Akakiæ ſcripta I. 28
Alabaſtri definitio & Etymologia I. 306
Species ac uſus I. 306. 307
Albugo vid. Pannus
Album Græcum cujusnam Uſus I. 453
Alcalia ſunt antacida I. 771
Alcalia naturalia an dentur III. 469. §. 1 I. 770.
Alcalium natura I. 520, q. 523
operatio I. 523. t.
Alcalica Salia ex R. M. III. 469. §. 2
Alcea in maculis ſpecificum II. 107. k.
Alces deſcriptio & patria I. 435
Ungulæ & Cornua quid proſint I. 435, 436
Alcoholiſatio quid ſit? I. 530
Ul. Aldrovandi ſcripta I. 27
Alexandria ob ſtudium Medicum Celebris I. 14
Alimentorum comminutio I. 80
deglutitio I. 82
Uſus juxta Craan III. p. 3
Jac. Alkindi ſcripta I. 17
Allantois in fœtu humano an detur I. 241
Allii uſus in Carcinomate II. 190. h.
J. F. Allmacheri ſcripta I. 48
Aloe planta quotuplex I. 462
ubi naſcatur? I. 463
Aloes ſucci natura & varietas I. 407. 462. 463
præparata I. 464
Alphus quid? II. 43. f.
P. Alpini ſcripta & vita I. 30
Alſaharabus Medicus I. 16
Alterantia quid & quotuplicia I. 765. ſeqq. 693
Aludel quid I. 529
Alvi adſtrictæ in malignis Cura II. 95. d.
fluxus II. 20
Curatus a Veneris uſu III. 25. §. 27
obſtructio ab aere æſtuoſo III. 401. §. 7
obſtructæ ab aere æſtuoſo Cura III. 410. §. 12
in gravidis Cauſa III. 549. §. 17
Cura III. 558. §. 15
ſegnities II. 25. 26
ſegnitiei in gravidis Cauſa III. 549. §. 17
ſolutio a frigore III. 10. §. 35
ab Ira III. 26. §. 32
a Riſu III. 26. §. 22
a terrore III. 26. §. 31. 43. §. 14
Suppreſſio in Ictero II. 335
variolis II. 254
Alumen foſſile, glaciale, rupeum I. 293
plumoſum I. 307. 308
ſciſſile I. 309
ſangvinem ſiſtit II. 53
Aluminis præparata I. 633
Spiritus deſtillatio I. 633
Urinoſus I. 633
Uſtio I. 633
Uſus varius I. 295. 503
Amalgamatio quid? I. 530
Amarorum Eſſentia III. 366. §. 22
incidendi modus III. 366. §. 25
Amara an incidant omnia III. 366. §. 21
Amavroſis II. 108
ex pleuritide repulſa II. 316
Amblyopiæ Cauſa & Cura II. 109
Ambra gryſea Orientalis I. 359
ubi naſcatur I. 360, 500, 501
ejus notæ ac uſus I. 360
Liquida quid & unde I. 416
ejus vires & uſus I. 417
Eſſentiæ extractio I. 646
Olei deſtillatio I. 646
Ambuſtionis Cauſa & Cura II. 207
Cura per Saturnina I. 562
Amethyſti Orientalis deſcriptio I. 324
differentia ab aliis I. 324
Uſus medicus & ſuperſtitioſus I. 325
Ammanni ſcripta I. 50
Amnii deſcriptio III. 543. §. 7
Liquoris origo I. 238
Liquor an ex mammis fœtus veniat I. 240
ore fœtus fluat I. 240
ovo veniat I. 240
per arterias Chorii ſudet. I. 240

per Chorii tubulos ſingulares ſudet? I. 240
an ſit excrementum ani I. 240
ſudor fœtus I. 240
Urina fœtus I. 240
Liquoris Uſus I. 238
Amomum unde & cujus Uſus I. 395
Amor mortem accerſere poteſt III. 39. 40. §. 7
Amoris phænomena III. 44 §. 15
Amuleta in abortu II. 158. q.
Febb. II. 85. m.
in hæmorrhag. II. 24. 25
Amuletorum operandi modus III. 32. §. 54
Amygdalarum patria I. 387
Species & uſus I. 386, 387
Anacardiorum patria & uſus I. 387, 388
Analeptica III. 270 §. 11. 297. §. 15
in Hectica II. 88. 3.
Lienteria II. 19
Analepticorum Catalogus II. 36. 37. I. 774
Anaſarca II. 36
ejus Prognoſis III. 322. §. 8
ſigna III. 320. §. 3
Anaſtomoſis quid ſit? III. 228. §. 22
an inter vaſa diverſa detur. III. 221. §. 33. I. 113. 116
Anaſtomoſis ab obſtructionibus III. 237. §. 4
a Sangvine abundante III. 237. §. 4
J. Andreæ Scripta I. 39
Andromachus ſenior. I. 11
Anevrisma quid? II. 197
Cauſa & Cura II. 198
prope Cor III. 210. §. 34
Angelicæ plantæ deſcriptio I. 489.
radix Sudorifera I. 489
Anginæ hiſtoria II. 326
ſpecies variæ II. 11. 326
nothæ Cura II. 12.
veræ Cura II. 12, 327
Cauſa II. 11, 12, 327
Angina à frigore III. 9
Anginæ Cura III. 172. §. 59. 186. §. 53. 200. §. 44
Angvillæ Epar an juvet partum II. 159. y. III. 581. §. 35
Anima corporea an ſentire poſſit III. 20. §. 9
mundi quid ſit? I. 507, 508
rationalis an ſolum ſentiat & patiatur III. 19. §. 8
rationalis ſemper præſens eſt in ſenſoriis externis I. 189
ſenſitiva repugnat menti interdum III. 20. §. 10. 41. §. 8
ſentit revera III. 18. §. 3
& ſpiritus an differant I. 164, 72
Animæ immaterialitas probatur I. 65, 66.
immortalitas probatur I. 65
Animalia integra Chymicis inſerviunt I. 496
quædam cur noctu cibum quærant I. 175
an Salia fixa præbeant. III. 470. §. 3.
Animalium gelatinæ. I. 618
incineratorum vis antacida III. 470. §. 3
partium exiccatio. I. 611.
fluidarum deſtillatio. I. 613
Magiſteria. I. 612.
pulveres. I. 611.
putrefactio I. 613.
Solidarum deſtillatio. I. 613
præparata. I. 611
ſulphurea. I. 617.
Salia volatilia. I. 612
Salium volatilium differentia. I. 612
Tincturæ & Eſſentiæ. I. 619
Animus quid? III. 18. §. 2
quot modis ſumatur? III. 18. §. 2
Animi commotionum vis Medica. III. 17. 34
deliquium à conſpectu Eccliſpeos ſolaris III. 35
deliquii per acria cura. III. 30. §. 46
Cura per Concuſſionem III. 30. §. 47
per terrorem. III. 30. §. 47
Pathemata adjuvat mens. I. 199
Cachexiæ Cauſa II. 36
diarrhœæ Cauſa II. 21
pathematum definitio I. 198
Cauſa an ſit amor. I. 200, 201
Cauſa an ſit motus Cordis. I. 200, 201
differentia I. 198
Pathemata duplicia ſunt. III. 20. §. 11. I 198
Pathematum effectus in fluidis. III. 21. §. 14.
in ideis III. 21. §. 13
in ſolidis. III. 21. §. 15
in ſpiritibus. III. 20. §. 12
efficacia in abſceſſibus. III. 27. §. 37
Inteſtinis. III. 26. §. 31
obſtructionib. III. 25. §. 30.
partibus dislocatis III 28. §. 41
in Stomacho. III. 26. §. 34
tumoribus. III. 28. §. 38
Veſica Urinaria III. 26. §. 35
Utero III. 27. §. 36.
Animi pathemata imprimunt motum duplicem Spiritibus I. 199
lædunt reſpirationem. III. 184. §. 40
peſtis Cauſa. II. 100
ſangvinem inviſcant. I. 768
pathematum nomina. III. 21. §. 26
ſigna. I. 199
Sedes an ſit Cor? I. 200, 202.
an ſit hepar. I. 200, 201
lien. I. 200, 201
Subjectum an ſit anima ſenſitiva I. 199
an ſit mens. I. 199. 201
vis medica in auditu III. 29. §. 43

in febb. III. 31. ſſ. 50
Guſtu. III. 30. §. 46
humorum fluxu compeſcendo. III. 23. ſſ. 20
humorum fluxu promovendo III. 22. ſſ. 20
humoribus imminuendis. III. 25. §. 27.
humoribus reſolvendis III. 24. §. 26.
humoribus reſtituendis. III. 25 §. 28
Olfactu. III. 29. §. 45
Spiritibꝰ morboſis III. 29. §. 42
Spirituum motu irregulari III 30. §. 49.
Spirituum torpore. III. 30. §. 47
Viſu III. 30. §. 47.
Tactu. III. 29. §. 44
Aniſi ſeminis oleum expreſſum. I. 570
Anodyna Medicamenta. III. 385. §. 48. 493. §. 26
egregia in arthritide II. 42
Diarrhœa. II. 21.
Dyſenteria. II. 22
Hoemorrhagia. II. 24
Inteſtinorum motu inverſo. II. 27
Prolapſu ani II. 29
Variolis. II. 253
Anodynorum Catalogus II. 186.
modus operandi. II. 185. i.
Uſus cautus in Tympanite. II. 34. f.
doſis. I. 694.
Anorexia. III. 267.
Anorexiæ Cauſæ. III. 269. §. 7, 8. 297. §. 14. II. 4, 5
Cauſarum ſigna. III. 269. §, 8
Anorexiæ Cura. II. 4, 5.
per analeptica. III. 297. §. 15
aromatica III. 298. §. 18.
Salina. III. 297. §. 17
Svaveolentia. III. 297. §. 16.
Vomitoria. III. 298. §. 20.
definitio. III. 268. §. 1
diviſio. III. 268. §. 1
Etymologia. III. 268. §. 1
Anorexiæ exatonia Ventriculi Cura. III. 271. §. 13
Cruditate acida Cura. III. 271. §. 13
bilioſa Cura. III. 272. §. 14
pituitoſa Cura III. 272. §. 15. 304. §. 4
defectu Spirituum Cura. III. 270. §. 11.
ſigna prognoſtica. III. 270. §. 10.
ſymptomata. III. 269 §. 9.
Anſeres transmittunt aerem per Oscribriforme. I. 151.
Antacida. I. 770, 771. III. 263. §. 5
Antacida alcalia fixa differunt a terreis. III. 469. §. 1.
Regni Animalis. III. 470. §. 3
Mineralis. III. 469. §. 2.
Vegetabilis III. 470. §. 4
volatilia Regni Animalis III. 475. §. 9
Mineralis III. 474. §. 7
Vegetabilis. III. 475. §. 8.
Aquea. III. 480. §. 1
Cautè adhibeantur III. 264. §. 5.
Chymiæ ope parata. III. 453. §. 6
Lapidoſa impropria III. 456. §. 8
vera. III. 457. §. 9
Martialia. III. 463. §. 12.
Metallica. III. 460. §. 6.
Antacidum an ſit Chinæ radix. III. 449. §. 2
an ſint Cynosbati fungi. III. 449. §. 2
Feculæ III. 449. § 2
Gallæ & Granatorum Cortices III. 448. §. 2
Gvajaci & Winterianus Cortex. III. 449. §. 2
Lapides pretioſi III. 456. §. 8.
Magiſteria vegetabilium. III. 449. §. 2
Martis Tincturæ III. 467. §. 16.
Mercurialia. III. 461. §. 11.
nuclei vegetabilium. III. 449. §. 2
plantæ Cephalicæ. III. 448. §. 2
refrigerantes III. 448. §. 2.
vulnerariæ III 448. §. 2.
patamina III. 449. ſſ. 2
Antacida ſaturnina III. 463. §. 12
an ſint ſolidæ hominum & brutorum partes. III. 450. §. 3
Stercora brutorum III. 450. §. 3
Succi vegetabilium III. 449. §. 2.
Terrea gelatina deſtituta III. 451. §. 4
terrea gelatina prædita III. 452. §. 5
quotuplicia ſint III. 451. §. 4
Regni Mineralis III. 455. §. 7
Vegetabilis III. 447. §. 1. 2
Vegelabilis quotuplicia ſint? III. 447. §. 2.
ſudorem movent. III. 452. §. 4.
Vegetabilia ſale volatili alcalico gaudentia. III. 447. §. 2.
Viſcida III. 481. §. 2
Antacidorum differentiæ & natura III. 445
Martialium operandi modus III. 468. §. 17
nomen quibus conveniat III. 447. §. 1
Terreorum uſus III. 452. §. 4
Vegetabilium ſalvolatile probatur per Experimenta III. 448. §. 2
Anthelmintica III. 278. §. 31. 283. 296. §. 11. II. 15, 32.
acida III. 290. §. 24
acria III. 290. §. 26
alcalica III. 290. §. 25
amara III. 288. §. 17. 289. §. 21
pingvia III. 290. §. 27.
Mercurialia III. 291. §. 29
ſalſa III. 289. §. 23
ſvaveolentia III. 291. §. 28
ſunt aquæ extinctionis Metallor. III. 292. §. 30.
Terrea III. 289. §. 22
Vermes ſatiantia III. 286. §. 12, 13. 287. §. 14, 15

Anthelminticorum acidorum operandi modus III.290.§.24
acrium - - III.290.§.24
amarorum adhibendi modus III.288.§.20.
operandi modus III.288.§.18
deſcriptio III.283.§.2.
Etymologia III.283.§.1
pingvium operandi modus III.291.§.27
Mercurialium operandi modus III.291.§.29.
ſalſorum operandi modus III.289.§.23
Svaveolentium operandi modus III.291.§.28
terreorum operandi modus III.289.§.22
varietas III.286.§.11
Antihectici Poterii præparatio I.653
Antimonialia an ſint antacida III.460.§.10
Antimonialium operandi modus III.460.§.10
Antimonium quid ſit? I.334.
quotuplex & unde? I.335
cujus uſus I.336
Antimonii Præparata I.504,505,485,486,647
aceti deſtillatio I.662.663
butyri deſtillatio I.665
ſine Merurio ſublimato I.656
origo I.656
rectificatio I.656
Cinnabaris copioſæ elaboratio I.657
præparatio I.656.657
rectificatio I.657
Clyſſi deſtillatio I.663
Croci confectio I.648
Antimonium diaphoreticum ex Antimonio crudo I.652.
e Scoriis I.652
in dyſenteria Epidem.II.22
Martiale I.653
in Ictero II.38
Scabie II.43
Magiſterium præbet I.654
cum Croco in Pleuritide II.72
Antimonii Epar an differat à Croco metallorum I.648.
florum ſublimatio I.654
Incineratio I.648.
purgantis præparatio I.658
regulus quid ſit? I.649.
reguli Jovialis confectio I.651
Martialis - I.650
ſimplicis - I.650
ſtellæ Cauſa. I.651
ſubſtantia duplex eſt. I.647
ſubſtantiæ Metallicæ demonſtratio I.647
ſulphureæ demonſtratio I.647
ſulphuris Aurati præparatio I.651
extractio ex Antimonio Crudo I.654,655
ex Cinnabari I.655
ſeparatio per acida Menſtrua I.655
Tinctura è ſcoriis I.651
è vitro I.651.
an ſit Emetica I.652
Vitrificatio I.648.
Antiparalytica II.29
Antiſcorbutica in acrimonia ſalſa I.772
Antiſcorbuticorum virtus qualis? III.80.§.15
Antiſpaſmodica II.51.I.776,778.
externa III.490.§.17
interna III.490.§.17
Anum clauſum aperiendi modus III.619.§.5
Anus clauſus à membrana III.619.§.5
Ani procidentia II.29
prolapſi reſtitutio percuſſione natium III.29.§.41
Antophylli quid? I.335.
patria & ſpecies I.396
Anxietas à Calore corporis aucto III.7.§.24
Apepſiæ Cauſa II.12.III.297.§.14.
Cura II.13
per analeptica III.297.§.14
aromatica III.298.§.18
ſalina III.297.§.17
ſvaveolentia III.297.§.16
Vomitoria III.298.§.19
Aperientia externa I.777
interna I.779.780,781
Apes quale animal I.28
exiccatæ cujusnam uſus I.429,479
ſangvine carent I.149
Aphonia III.157.§.3
Aphonia ab apoplexia III.162.§.13
quomodo curanda III.170.§.48
a Catarrho. II.142.f.
Colluvie ſeroſa III.52.§.13
Concuſſione nervorum III.160.§.10
ab Ebrietate II.142.d.
a febre II.142.e.
a fractura cranii III.160.§.10
frænulo conſtricto III.150.§.29
ab hydrocephalo III.53.§.13
Incubo II.286
Ira III.39.§.6.
a Menſibus ſuppreſſis III.160.§.10
a Muſculis Intercoſtalibus reſolutis III.170.§.49.
a Paralyſi III.161.§.13
quomodo Curanda III.170.§.48
ſero in Cerebrum effuſo III.160.§.20
ſpaſmis III.159.§.9
ſyncope III.161.§.13
quomodo Curanda II.170.§.48
Aphonia a terrore II.142.c.
curata per Gaudium III.24.§.26
Aphthæ unde earumque cura II.174
Aphtharum exulceratarum Cura III 625.§.26
inflammatarum Cura III.625.§.26.
ſine inflammatione Cura III.625.§.26
Apis Medicinæ inventor. I.5
Apollo Medicinæ inventor I.5
Apollonides quando vixerit I.13
Apophlegmatizantia III.260.§.19.I.752

an

an ſint evacuantia univerſalia III. 260. §. 19.
quando & quomodo adhibenda I. 753
Apoplexia II.133.302. III. 47.
ejus Cauſæ II. 133. 303
Apoplexiæ Cauſa antecedens proxima III. 54. §.16.
remota III. 54. §. 16
continens III.53.§.6
Externa III.54.§.16
Immediata juxta Carteſium III.50.§.8
Galenum III. 50.§.6
Paracelſum III 50.§.7
recentiores III. 51. §.11
Sylvium III.50.§.9
Tachenium III.50.§.7
Wepferum III. 51. §. 10
Cauſarum dijudicatio III. 54.§. 18
Apoplexia ab abſceſſu Capitis III. 52.§.12
affectibus animi III. 53.§.15
a Carotidum obſtructione III. 54.§. 16
Caſu ab alto III.51.§.11
Cerebri & Cerebelli affectibus III. 50. §. 5.
Colluvie ſeroſa III.52.§. 13.
Conturbatione, torpore, III. 51. §. 9
Cordis pingvedine III 53.§.15.
ab hæmorrhagia narium ſuppreſſa III.53. §.13.
hydatibus intra Cranium III. 53.§.15
Ira III.39.§.6
a Lue venerea III.53. §. 15
Menſium obſtructione III. 52. §.11 526.§.15.
mineralium effluviis III.53. §. 14
Polypo Cerebri & Cordis III.53.§. 15
ſangvinis acrimonia III.52 §. 11
ſangvine intra Caput effuſo III. 51. §. 11
ſcorbutica diatheſi III.53. §. 15
ſteatomate Cerebri III 53.§. 15
ſternutatoriorum abuſu III. 137.§. 72
venere immodica III. 53.§. 15
ab Urina ſuppreſſa III.53. §.13
Apoplexiæ Cura II.133,304
Cura per Cauteria III. 56. §. 25
Clyſteres III.56.§. 23
Excitantia III. 55. §. 21
Fonticulos III.56.§. 26
Laxantia III 56.§. 25.
odores volatiles III. 29.§. 45. 55. §. 21
Præſervativa III.55.§.19.57.§.26
per ſpirituoſa III.56 §. 25
Sternutatoria p. III. 32.§.33.
Suppoſitoria III. 56. §. 24
Trepanationem III. 57.§. 26
Venæſectionem III.55.§.21
Vomitoria III.56.§.22
Vomitoria rejicitur a Sylvio III.56.§. 22
definitio III.48 §. 3.
differentia ab aliis II. 302.
homonymia III.48.§.2
Sedes in Cerebro juxta veteres III. 49. §. 5
& medulla oblongata III. 50. §.5
Cordis Ventriculo ſiniſtro III. 49. §.5
Corpore Calloſo III.49 §.5
Signa diagnoſtica III.54.§.17
imminentis ſigna III.54.§.17
Signa prognoſtica. III.54. §. 18
ex Urina I. 730
Symptomata III.49 §. 3,4
Univerſalis tres ſunt gradus III.49 § 4
Appetentia Canina II.5
ejus Cauſæ II. 5.6
Appetitus Cauſa juxta Autorem III. 269. §.1
recentiores III.269. §.6
Veteres III. 269. §.6
depravatus III. 4,6
Objectum III. 268. §.4
Sedes III.268 §.2
an à ſtomachi contractione I. 439
Apri dentes in pleuritide I 439
teſticuli Officinales I. 495
Aqua acidis particulis gaudet III. p. 466. §. 14
- ex Aere impetranda I. 508
Aquæ converſio in Acetum I.566
Aquas deſtillatas conficiendi modus I. 559
Aquarum deſtillatarum differentia I. 559
Aqua deſtillata multam terram relinquit I. 500
Aquarum deſtillatarum differentia ratione ſaporis I. 559
Aquarum deſtillatarum differentia ratione virtutis ſpecificæ I. 560
Aquarum deſtillatarum cohobatio I. 559.
Aquarum deſtillationi inſervientia Inſtrumenta I. 559
Aquarum deſtillatio ex ſiccis I.559
- - - ex ſucculentis I. 559
Aquæ deſtillatæ vegetabilium I. 559
Aqua deſtillata an vires plantæ ſuſtineat? I.495
Aquarum deſtillatarum uſus I. 559
Aquæ fortis deſtillatio I.632
- gravitas III. 3.
- magnanimitatis deſtillatio. I.621
- marinæ edulcoratio I. 500.
- materia an ſint ſaxa I.182
Aqua petrefacta quantum abſorbeat acidi. III 459. §. 9
- ex quibus plantis deſtillanda I. 495
Aquæ regiæ deſtillatio I. p. 632
- ſaltus in machinis unde? III.4
Aquæ ſpirituoſæ I. 560
Aquas ſpirituoſas parandi modus I. 560
Aquarum Spirituoſarum Subjectum I. p. 565.
Aqua Stygia an nihil participet de ♁li I.632
Aquæ thermalis exploratio I. 500
Aquæ uſus Chymicus I. 499
Aquæ ductus in Auribus III. 95. §.6
Aquea alcalicorum vim augent III. 481. §. 1.

anta-

- antacida.III. 481. §.1
- corroſiva mitigant III.481.§.1
- menſtrua terras & metalla ſolvunt I. 517.518
- ſalivæ vitia&defectum reſtituunt II.4
- Scorbuto medentur.II.39
- Sodam tollunt II.16
- Stranguriam curant II. 59.

Aquorum doſis I.695
H.F.Aquæ pendentis ſcripta I. 31
Aquila mittit Aerem per os cribriforme.I.151.
Araneæ telarum uſus I. 450.
Araneæ vitro incluſæ cur vivant.I.159
Arcani Corallini præparatio. I. 682.
Arcani duplicati præparatio I.630.631
Arcanum duplicatum frigida ſolvatur I. 536.
Joh.Arculani ſcripta.I. 22.
Ardor ſtomachi. v. Soda.
Urinæ. v. Urina.
Aretei Cappadocis Vita. I.11
Joh.Argenterii Scripta I. 25
Argenti foliati præparatio I.336
- - uſus I. 337
- Muſici uſus I.337
- pulveriſatio I. 551
- Scriptorii præparatio I. 388.

Argentum vivum quid & quotuplex I.338.339
- - - unde acquiratur I.339
- - - cujusnam uſus I.339
- - cur ab Aquaforti ſolvatur I.522

Ariduræ Cura III.12. §. 41
Ariſtolochia longa ſudoriferum I. 489
- - rotunda I.489

Ariſtoteles κατ' ἐξοχὴν philoſophus I.10
Henning, Arniſæi Scripta I. 35
Aromatica Medicamenta III. 298. §. 18
Arſenicalis Minera qualis I.340
- - metallurgis inimica & deprædatoria I. 341

Arſenici collectio.I.340
- uſus & Cautio I. 340.341.505

Arſenicum album quid & quotuplex I. 339
- Citrinum I. 341
- Rubrum I. 341
- an tutum antipyreton.II. 85. K.

Arteriæ quid? III. 219. §. 20.
- Cordis obſtructæ III.206. §. 19

Arteriarum inflammatarum diagnoſis III. 378. §. 12.
Arteriæ magnæ initium offeum III.208. §.27
Arteria magna obſtructa à polypo III.208 §. 25.
Arteriarum motus periſtalticus an detur I. 12. 115
- - unde dependeat I.112.115
- principium III. 220. §. 28

Arteria pulmonalis abſceſſu affecta III. 209. §. 28.
Arteria pulmonalis quid ſit? III. 220. §. 20
Arteriarum ruptura vix curatur III. 57. §.26
Arteriarum ſtructura & pulſus I. 111
- cum venis communicatio qualis I. 113. 116.

Arteriæ Umbilicalis officium I. 237
- - origo I. 237

Arteriotomia rejicitur I.738.739
Arthritis quid. II 41
Arthritidis ab aëre humido Cura III.410. §.13
- Cauſa II. 41.240
- Cura II. 41.241
- - per iram III. 22. §.20

Arthritici dolores à frigore III. 10. §.36
Arthritis morbus Endemius II. 41
Arthritidis ſigna II. 41. I. 730.
- ſymptomatum ratio II. 240

Arthritis vaga Scorbutica II. 239
Aſa dulcis quid & quotuplex I. 407.
Aſæ dulcis uſus I.407
Aſa foetida quid? I.407
Aſæ fœtidæ patria & uſus I. 408
Aſari deſcriptio & uſus I.481
Aſcaridum eductio III. 288. §. 16. II. 23
Aſcarides teneſmi cauſa II. 23.
Aſcites II. 35.
- ex ovis deglutitis II.32. e.

Aſcitis Cura III. 186. §.40. p.200. §.40
- - per Clyſteres III. 327. §.16
- - per Paracenteſin III. 326. §. 14
- Signa. III. 320. §. 3

Aſclepiades novæ methodi autor I. 10.11
Aſelli quid & cujusnam uſus I.429
Aſparagus Urinæ fœtidæ Cauſa II. 67
Aſperum quid ſit? I.186
Aſphaltum quid & unde I.360.361.500
- ejusdem uſus I. 361

Aſtaci ſuccus contra abortum utilis II. 158. p.
Aſthma humidum II. 78
ab œdemate thoracis III. 183. §.35
a pituita III. 305. §. 4
a polypo arteriæ magnæ III. 208. §.25
ſiccum II. 79
a ſacharo ſaturni II. 79. y

Aſthmatis Cauſa II. 78
Cura II. 79
ab aere humido Cura III. 410. §.13
a frigore Cura III. 408. §. 5.

Aſthmatis diagnoſis II. 78
ſicci Cauſæ III. 199. §.37

Aſthmatici cur à Romanis ad loca ſicciora ablegentur III 14. §.49.
Aſtragalus ſylvaticus inviſcat II.4.d.
Athanor quid ſit? I.525.
Atheroma quid. II. 290
ejus Cauſa & Cura II. 291. III.183. §.3

Atmoſphæra inſigniter compreſſa §.III. 4
Atonia ſolidarum reſtituenda I.777.
ſtomachi apepſiæ cauſa II. 13. b.

Atretæ quid? III. 531. §.1
cur fiant virgines III. 531. §.1

Atretarum cura III. 517. §. 42 535. §.1
per Emollientia III. 535. §. 1.
per ſectionem III. 535. §. 1.2

Atrophia III. 273.
Atrophiæ Etymologia III. 274. §. 1
Synonymia III. 274. §. 2
formalitas III. 274. §. 3
Atrophia particularis III. 274. §. 6
univerſalis III. 274. §. 5
Atrophiæ Cauſæ III. 274. §. 8. 275. §. 9
Atrophia a Chyli defectu III. 275. §. 10
a Chylo depravato III. 275. §. 14
a Chyli motu inordinato III. 275. §. 11. 12
a Chylo non unito cum partibus III. 275. §. 13
ab Exanthematibus III. 276. §. 20
ab Exulcerationibus III. 276. §. 19
a ſangvinis motu peccante III. 267. §. 16
a Sangvinis paucitate & defectu III. 276. §. 17
a ſangvinis qualitate vitioſa III. 276. §. 18
a Spirituum alteratione III. 277. §. 23.
a Spirituum defectu III. 276 §. 22
a Spirituũ influxu denegato III. 277. §. 24
Atrophiæ Cauſarum ſigna III. 274. §. 7. 277. §. 26
Cura III. 12. §. 41
ex alvi fluxu Cœliaco Cura III. 279. §. 33
ex Chyli defectu Cura III. 278. §. 30
ex diarrhœa Cura III. 279. §. 34
ex hæmorrhagia Cura III. 280. §. 39
ex Lienteria Cura III. 278. §. 32
ex Mictione Chyloſa Cura III. 280. §. 35
ex ſangvinis defectu Cura III. 282. §. 40
ex ſangvine depravato Cura III. 282. §. 41
ex Spiritibus alteratis Cura III. 282. §. 40
ex ſpiritibꝯ deficientibꝯ Cura III. 282. §. 42
ex ſpiritibus impeditis Cura III. 282. §. 44
ex Ventriculi Cruditatibus Cura III. 280. §. 36
ex vermibus Cura III. 278. §. 31
ex Ulcere Cura III. 281. §. 41
Prognoſis III. 277. §. 26
Attenuantia I. 768
Attrahentia I. 786. II. 218. m.
Auditus I. 177.
an abſolute neceſſarius ſit ad loquelam III. 158. §. 5
gravis II. 111
ejus Cauſa & Cura II. 112
modus I. 178
objectum I. 178
organon I. 177
organon primarium an ſit membrana tympani I. 178
an ſint oſſicula auditus I. 178
ſub undis factus I. 178
Avenzoar Medicus Arabs I. 16, 17
Averrhois ſcripta I. 17. 18
Hor. Augenii ſcripta I. 27
Avicennæ vita & ſcripta I. 17
Avium organorũ auditoriorũ conformatio I. 179
Aurantiorum Cortices conditi I. 597
oleum infuſum I. 575
C. Aureliani ſcripta I. 13
Auripigmentum quid & quotuplex I. 342
ejus uſus I. 342
Auris arteriæ I. 177
Canalis Euſtachianus I. 177
Externa quid ſit? I. 177
Externæ partes I. 177
Interna I. 177
Internæ Cavitas prima I. 177
Cavitas ſecunda I. 177
oſſiculorum uſus I. 179
Labyrinthus I. 177
Nervi & Venæ I. 177
Aurium dolor. v. Otalgia
mortificatio à frigore II. 9. §. 34
ſonitus II. 11. 277. 318
ſinnitus II. 279. m. t.
Auri præparata I. 685
Calces parandi modus I. 685
Florum ſublimatio I. 686
foliati bicoloris præparatio I. 342
Fini præparatio I. 343
fulminantis præparatio I. 474. 686
ætiologia I. 686
repurgatio I. 685
Aurum ſcriptorium quotuplex I. 343
quomodo parandum I. 344
Spurium parandi modus I. 674
vitæ Kegleri parandi modus I. 683
cur tantum ab aqv. reg. ſolvatur I. 522
Axungiarum deſtillatio I. 617. 618
Purificatio I. 617

B.

Baccæ ſpinæ infectoriæ laxant. I. 477
Antioch. Bachius Hieræ Bachiæ autor. I. 11
Matth. Backmeiſteri ſcripta I. 33
Joh. Backmeiſteri ſcripta I. 34
Balbuties II. 141. III. 157. §. 3
Bernh. Baldini ſcripta I. 26
Gvil. Ballonii ſcripta I. 31
Balnei formulæ I. 705
Balneorum uſus III. 12. §. 42
Balſamica quænam ſint? III. 495. §. 32
interna III. 495. §. 33
in dyſenteria II. 22, 23
in Lienteria II. 19
in Ulcere pulmonum II. 74
in Vulneribus III. 495. §. 32
ubi noceant III. 495. §. 32
Balſamorum præparatio I. 713
M. Banzeri ſcripta I. 42
Barbæ in mortuis creſcentis Cauſa I. 145
Herm. Barbari vita & ſcripta I. 22. 23
Bardanæ planta I. 489
C. Barlæi ſcripta I. 38
Barometrum quid? III. 14. §. 53
Boylianum III. 15. §. 53
Toricellianum III. 14. §. 53
Barometri uſus III. 15. §. 53
C. Bartholini ſcripta I. 33
Th. Bartholini - I. 46
Fabr. Bartoleti - I. 34
Jac. Bartſchii - I. 35
Conr. Batti - I. 28
Baſiliſcus an detur I. 174
Baverii de Baveriis ſcripta I. 22

C.Bauhini ſcripta I. 32
Bauſchii Joh. Laur. ſcripta I.42
P.Bayri ſcripta I. 23
Bdellium quid & quotuplex I,408
ejus patria & uſus I. 408
Joach.Beccheri ſcripta I. 47
Becchica Medicamenta III. 394.§.31
Dan. Beckeri Patr. Scripta I. 40
Filii - - I. 43
Bellidis Tinctura I.583
Chriſt Benetti ſcripta I. 40
Benzoes quid ejusque uſus I. 407
deſtillatio I.569
florum ♎tio I. 569,570
Leonh.Bertapaliæ ſcripta I.22
Hieron. Besleri - - I 34
Mich. Rup. - - I.42
Joh. Beverovicii - I. 38
Joh.Hart. Beyeri - I. 32
Bezoar Occident.natales I.452, 453
Oriental.natales & ſpecies I.450,451
diagnoſis & Uſus I. 452
Bezoardicum animale I.498
Bezoardici Martialis color qualis I. 662
præparatio I. 662
Mineralis differentia ab antimonio diaphoretico I.661
Mineralis ignitio I. 660
Præparatio I. 660
Solaris color qualis I. 661
Solare edulcorandum haud eſt I.661
Solaris præparatio I.660. 661
Sapor ſit nullus I.661
Biba I. 387
C.Theophr. Bierlingii ſcripta I. 51
Bilificatio an facilitetur liene I.135
Bilis abundantis correctio & evacuatio I.762
an ſit alcalica III.469.§.1
Anorexiæ Cauſa II. 5
Cardialgiæ Cauſa II. 14
cum Chylo Concurſus I.90.138
Febrium ardentium Cauſa II.88
an ſit excrementum I.91
an feces ſeparet I.92
generatio I. 133
an generetur per modum transcolationis I. 133
hepatica an Inteſtino tenui infundatur I, 91
cur non adeo ſit amara I.134
Materia I.131
- - - - - proxima I. 133
- - - - - - - an ſit ſangvis bilioſus I. 133
an motu alio gaudeat prætervulgarem I.134
an moveatur ad Cyſtidem per Cyſthepaticos ductus I. 133. 138
an moveatur per ductum hepaticum ad inteſtina I. 133
Natura I. 549. b.
Origo III.333.§.8
an putredinem arceat I.91,92
an ſangvificationis cauſa ſit I. 104,106
in ſangvinem refluxus III.334.§.9
Secretio III.223.§.49. 334. §. 8
Secretionis locus I.130. 132
Secretio an fiat per ſolutionem nexus ſangvinis I.135
Secretio in Liene carentibus ſubjectis I. 136. 135
Sodæ Cauſa II. 16
an ſtimulet alvum I.91,92
an Venis Meſaraicis reſorbeatur I.134.138
Veſiculæ lympha I.134
Uſus I. 90, 91
Biſmuthum quid ? I. 664
Biſmuthi compoſitio artificialis I. 664
Magiſterii præparatio I.664
uſus externus I. 664
uſus internus I,664.505
Blæſitas quid ? III. 157.§.3.II. 141
Blatta Byzantina quid ? I.361
ab Onyche differt I. 362
ejusdem uſus I.362
Sigiſm.Boldonii Scripta I. 33
Boletus Cervinus quid ? I.381
ejus origo & uſus I. 383
Bolus alba quid ? I. 279
unde afferatur I. 280
ejus uſus I. 281
Bolus Armena quid & unde I.281
ejusdem præparatio & vires I. 282
Spiritus acidus I. 621
Bolus vulgaris rubra quid & unde I. 282
uſus ejusdem I.282
quomodo præſcribendus & componendus I.697,698
Corn.Bontekoe Scripta I. 46
Eliæ Bonvinii Scripta I. 30
Borborygmorum Cauſa I. 77
Borraginis Conſerva in Menſ.Suppreſſ. II. 152
Ol. Borrichii Scripta I.50
Boviſt I. 381
Henr. à Bra Scripta I. 26
Bradypepſiæ Cauſa II.12
Cura II.13
Branchus à frigore III.9
Zach.Brendelii Scripta I.33.37
J.H.Brenzelii - I. 33
P. Briſſoti - I.24
Bruni Longoburgenſis ſcripta I. 19
Balth.Brunneri Scripta I. 27
Bruta an agant liberè & patiantur ? III.41. § 8.I. 72
an animam immaterialem habeant? I. 167
habent animi commotiones III.78. §. 5. p. 19.§.6,7.I. 167
animi commotiones nullas habent juxta Carteſium III.19.§.6
cogitant ſuo modo III.20.§.8.41. §.8
differunt ab homine ratione ſenſuum I. 189
an immateriale quid habeant ultra ſpritus III.42.§.9
Inſtinctu naturali gaudent III.19. §. 7
Judicium habent ſuo modo III.20.§.9
an Loquelam habeant III. 149.§.8.I.208.210
an Machinæ ſint ? I.68,69
moveantur immediatè a Deo ? I. 70
ſentiunt verè contra Carteſ. III,19.§.6.I.162

ſenſus

ſenſus internos habent I. 188
Brutorum imaginationis quantus effectus III.20.
Paſſionum Cauſa juxta Carteſium I. 167
Bryonia planta quotuplex I.482
Bubones II. 191
eorum Cauſa & Cura II. 192
Peſtilentiales II. 100.
eorum Cura II.101
Bubonocele II. 27
Bufones exiccati cujusnam uſus I.429, 430
incinerati - - I. 498
Bufonites quid I.325
ejus ortus & uſus I.326
Bufonum pingvedo in ſtrumis utilis II.192.n.
Bulimi Cauſa. II. 5,6,246. III, 395. §.8
Cura II. 6, 247. III. 295. §. 8. 408. §. 4.
deſcriptio II. 5,246
a refrigerio Cura III. 296. §. 9,10.
Symptomatum ratio II.246
J.J.a Brunn Scripta I. 41
Burggravii Biolychnium I. 498
Aur.Baſſoli Scripta I. 35
C.Buttieri Scripta I. 38
N. Buttleri I. 32
Butyri uſus in Tuſſi II. 75
Butyrum Caprinum cujus uſus I. 453
Majale - - I. 453
Buxus I.376

C.

Cacao qualis fructus, & cujusnam uſus I. 389
Cachexia qualis morbus II.36
ex Menſium ſuppreſſione II. 150.III.533. §. 7.
ex pituita III.305.§.4
cum tumore pedum II. 310
Cachexia gaudio curata III.24. §. 26
Cachexiæ cauſa II.36
cura II.36,37,151,312.III.305.§.4
Cacochymia II. 36
quomodo ſangvinem inficiat III.523.§.9
Cacochymiæ diviſio III.263.§.4
Cadaveroſæ manus contactus tumores tollit III. 28.§.39.
Cadmia foſſilis qualis & unde I.344
ferrei coloris I. 345
cujusnam uſus I.345,505
Cæmentatio quid I. 531
A. Cæſalpini ſcripta I. 27
Bernh.Cæſii ſcripta I. 33
Caffee flatus generat II.18.u.
quid & cujus uſus I.389
toſtio I. 555
Pomp.Caimi ſcripta I. 34.
Calamus aromaticus antiquorum I. 397
hodiernus I. 397
cujusnam uſus I. 398
Calcinatio immerſiva I.530
vaporoſa I.531
Calcinationis effectus I. 531. I.III.454.§.6
Calculus fellis unde noſcatur II.37.p.
cordis - - III.211.§.38
renum & veſicæ II,62,255. 321
ſublingvalis III.166.§.31
Calculi cauſa II.62,257,322. III.305 §. 4
cura II. 63. 257. 323. I. 751. III. 200. §. 41. 354.§.42, 43
diagnoſis à cholera & colica II. 62, 256,322.
ſigna ex urina I, 730
ſymptomata II.62,256
Callorum emollitio III 12 §.40
Callus quid II. 193
ejus cauſa & cura II. 163, 194
Calor corporis noſtri unde dependeat III.44.§.18
febrilis quomodo extingvendus II 86
vitalis an ſangvificationis cauſa I.106
Caloris actio in corpus humanum I 188
Calvitiei remedium I.497
Calx viva quid III.458.§.9.I. 626
quantum acidi abſorbeat III. 459. §. 9
quomodo operetur III.458 §. 9
Sal fixum ſuppeditat III.458.§.9
Spiritum ſuppeditat I. 626
Camera obſcura quid ſit I.172
J. Camerarii ſcripta I.37
Campanæ urinatoriæ uſus III.4.
Symph.Campegii ſcripta I. 23
Camphora quid I. 408
an ſpiritus liget III.517.§.41.
Camphoræ patria & arbor I. 409
pulveriſatio. I.551
varietas & vires I.409, 410.
vis aphrodiſiaca II.146.x.
Cancer depaſcens & exulceratus II. 203
incipiens II. 189
Cancri cauſa & cura II. 189, 203, 204
Cancri contuſi in vomica ſpecificum II. 73, d.74
Cancrorum anatomia I. 436
lapides unde afferantur I.436,437
a falſis dignoſcendi I. 437
an gelatina gaudeant III. 453. §. 5.
cujusnam uſus I.437
Cancrorum uſus Chymicus I. 498
Caniram arbor I. 393
Canis calvaria contra Icterum & ulcera manantia I. 498
ſtercora cujusnam uſus I. 453
Cantharides quid, quotuplices, & unde I.430
an ſalivationem excitent II. 48. vv.
cur vaſa urinaria aggrediantur. II. 58. e.
Cantharidum Eſſentia I.619
natura & operandi modus I. 759
vis Aphrodiſiaca II.245. o.
diuretica II.61. n.
uſus I.430,431.758

Capellarum compoſitio I. 684
Capitis dolor quotuplex III.69.§.4,5.6
ardens III.69.§.8.
gravativus III.70.§.8
lancinans III.70.§.10
miſtus III.70.§.13.
pulſans III.70.§.12.
rodens III.72.§.31.
tenſivus III.70.§.11.72.§.32
Capitis magnitudo nimia ab hydrocephalo III. 320.§.2
Artemid.Capito medicus I.13.
Joh.Bapt.Capponi ſcripta I.45
Caput quid ſit III.69.§.2.
Caput purgantia I.752
Carannæ deſcriptio I.420
ortus & uſus I.420,421
Carbunculi peſtilentialis cura II.100,101.
Carcinomatis cauſa,cura ſigna II.189
Cardamomum quid & quotuplex I.398
unde & cujusnam uſus I.398
Cardiacæ cauſa & ſigna II.172
cura II.172,173.III.296.§.8.622.§.17
Cardialgia per conſenſum II.15,14.e.
eſſentiam II.14.f.
ex oſſiculis alaudarum II.15.i.
Cardialgiæ cauſa II.13,14.
cura II.15.III.135.§.43.296.§.19
ſymptomata II.14
Carduus benedictus officin. I.489
Caricarum fructus quotuplices I.388.
uſus I.389
Caries maxillæ ab odontalgia III.78.§.7
naſi ab Ozæna III.121.§.2
Carlina planta ſudorif. I.490
Carminativa quænam III.300.§ 26
proficua in Cardialgia II.15
Cholera II.18
Herniis II.28
Tympanite II.33,34.f.
Carneoli diagnoſis a Sardo I.327
nomen,ſpecies & uſus I.327
Caro an Tactus organon I.187
Carteſius an bruta pro machinis habuerit I.68.
ejusdem ſcripta I.39
Carthami plantæ deſcriptio I.482
Caruncula urethræ quomodo curanda II.48.y.
Caruncularum origo III.206.§.19
Cari deſcriptio II.126
cauſæ & cura II.126.127.III.132.§.34
Caryophyllum regium quid & unde I.397
Caryophyllorum ol.expreſſum I.571
patria I.395,396
uſus medicus I.396.397
Caſſia fiſtularis quid & unde I.468
ejus doſis,præparata,ſelectus I.468
Caſſia lignea quid,quotuplex cujusque uſus I.398
P.Caſtellani ſcripta I.4
Caſtoreum quid & cujus uſus I.448.619
Caſtoris deſcriptio I.439
Steph.Roder. Caſtrenſis ſcripta I.36
P.a Caſtro ſcripta I.42
Caſus ab alto hiſtoria & cura II.319.ſeqv.
Cataplaſmatum compoſitio I.706,707
Cataputia quid, cujusque uſus I.487
Cataracta v. Suffuſio.
Catarrhales affectus II.40
Catarrhus cum Apoplexiæ metu II.279
ſeroſus unde II.40.vv.III,12.§.43.108 §.5.109.§.5
mobiles reddit dentes II.9
ſuffocativus v. Suffocat.
Catarrhus a frigore III.9.400.§.3.407.§.3
pituita III.305.§.4
acrior circa crepuſculum III.78.§.7.
ſenibus frequentior III.142.§.11
Catarrhorum cauſa II.40.280.III.107.§.3.
cura II.40,41.2·1.III.25.§.27.194
ſymptomata,eorumque ratio II.280
Cathartica quænam & quotuplicia III.251.252
quomodo operentur III.252.253
Gvidon.de Cauliaco ſcripta I.21.
Cauſtica I.784
Cauteria actualia III.89.§.42.245.§.27
potentialia III.88.§.41
quomodo operentur III.245.§.28
Cauteria hæmorrhagias ſiſtunt III.245.§.27,28
Odontalgiæ remedia II.8
Corn.Celſi ſcripta & vita I.12.
Cephalalgia ex abſceſſu III.52.§.12.
calculo III.73.§.33
coryza ſicca III.111.§.11
crapula II.117.l.
frigore III.10.§.36
inflammatione III.73.§.45
Lue venerea III.75.§.59.
malo hypochondr. III.75.63
mineralibus effluviis III.71
nervorum connexione III.72
obſtructione alvi III.75.§.63
plethora III.71.§.25
ſenſuum exercitio nimio I.192
ſpaſmis III.73.§.45
ſternutamentis III.136.§.52
vaporibus III.72.§.35,36
vermibus III.75.§.60
Cephalalgiæ cauſa II.117.III.70,71,72
cura II.117.III.73,74.75
prognoſis III.73.
Cephalica remedia I.780
Cephalicæ plantæ an Sale vol. alcal.gaudeant III. 448.§.2.
Cera virginea alba quomodo conficiatur I.454
quas vires poſſideat I.454
Ceratonia quid I.394
Ceratorum formulæ ac præparatio I.712
Cerebri nervi I.147
ſubſtantia duplex I.146
quomodo demonſtranda I.146
quænam ſpiritus ſecernat I.146.
ventri-

ventriculi quali lympha turgeant I. 148
unde lympham habeant III. 97.§.11
ventriculorum lympha cujus uſus I. 150
Cerebro læſo an ſemper lædatur ſenſus I. 192
Cerebrum an gaudeat ſyſtole & diaſtole III. 128. §. 11
vaſis ſangviferis I. 142
Cereviſia lupulata in febb. ardent. noxia II, 87. f.
Ant. Cermiſonii ſcripta I. 22
Cervi cornua quomodo generentur I. 437
cujusnam uſus I. 438
Cervicis nervi I. 147
Ceruſſa alba communis I. 345
ejus præparatio I. 346. 665, 666
varietas & uſus I, 346
Ceruſſa citrina quomodo paranda I. 347
Chalcitis quid ſit I. 304
Chalybis confectio I. 669
limaturæ uſus in Chymia I. 347
Chalybs remedium antacidum III. 465
Chamæleon caret liene I. 135
Chamomillæ ol. quomodo deſtillandum I. 572
Characteres Medico Chymici I. 690
quare inventi I. 689
Chelidonium majus quotuplex I, 490
Cherſa quid ſit & cujus uſus I. 558
China Chinæ unde nomen habeat III. 362. I. 399
ejus ſynonyma & ratio eorundem III. 362
China cortex non lignum eſt III. 363 I. 399
an acidum præcipitet III. 369. §. 39
an alexipharmacum III, 370. §. 43
condenſet humores adſtringendo III. 371. §. 45 46. 47
antifebrilibus reliquis præfertur III. 372. §. 50
genuina quomodo dignoſcenda I. 399. III. 374
præſervat ab æſtu Solis III. 371. §. 48
an ſpiritibus imprimat contrariam ideam III. 369. §. 38
ad quænam ſudorifera pertineat III. 369. §. 38
Chinæ arbor I. 399. III. 363. §. 7, 8
doſis cur quandoq; augenda III. 373. §. 55
efficacia in Dyſenteria III. 372 §. 51
Febb. II. 84. k. III. 372. I. 399
Podagra III. 372. §. 51
Chinæ natura an ſit alcalica III. 364, 365
narcotica III. 369 §. 38
operatio qualis III. 370. ſeqq.
uſurpandæ modus ac tempus I. 399. III. 374. §. 56. 373 §. 53
uſus quandoque noxius III. 373. §. 52
in recidivis III 374. 375
Chiragra v. Arthritis
Chiron Centaurus Theſſalus Medicus I. 8
Chloroſis ex menſium ſuppreſſione III. 532. §. 5, 6
an ab uteri fermento I. 220, 223
quomodo curanda II. 150, 151
Cholagoga quænam I. 692
Cholera artificialis II. 18. u.
humida unde, ejusq; cura II. 18. III. 593. §. 22
ſicca unde, ejusque cura II. 18, 19
Chorion quid ſit III. 543. §. 7
Joh. Chreſnephori ſcripta I. 35
Andr. Chriſtiani - I. 28
Chryſocolla factitia quomodo paretur I. 348
ejus ſpecies 4. & uſus I. 348, 349
nativa vera quid I. 347
ejus ſpecies & uſus I. 348
Chryſolithus quid & quotuplex I. 327
unde & quis ejus uſus I. 327, 328
Chylificatio quomodo fiat III. 295. §. 6. 300. §. 27. I. 85, 86, 87, 88
Chylificationis cauſa I. 84
officina I. 84, 86
ſpatium I. 86, 89
Chylificationis læſæ cauſa II. 12
Chyli adſcendentis motus unde I. 101. III, 175. §. 11
lacteſcentia unde I. 93
an ſemper eadem I. 94, 96
progreſſus ad ſubclaviam I. 100, 102, 103
ſecretio a fecibus I. 96, 97. III. 61. §. 13
viæ ad pancreas inventor I. 101
vitiati cauſa III. 61. §. 16. 275. § 14
Chylus cum lotio excretus III. 275. §. 13
deficiens quomodo reſtituendus III. 278 §. 30
a pituita in fluxu læſus III. 304. §. 4
Chylus digeſtione longiori rubeſcit I 104
an diluatur in glandulis I. 102. 103
abeat ad hepar I. 98. 99. 102, 103.
lienem I. 98, 99
vaſa lactea I. 97, 98, 99
an materia ſit nutritionis I. 140
omnis per ductum thoracicum feratur I. 101. 102
ſupra glandulas meſaraicas abeat I. 102
transcoletur I. 98. 100
tranſeat per ſuctionis modum I. 98. 100
Chymia Medico neceſſaria I. 493
Chymiæ definitio I 493
etymologia I. 494
finis I. 509
objectum I. 494. ſeqv.
Cibi poſt inediam copioſè aſſumti nocent II. 50
pituitæ cauſa III. 307. §. 6
Cicatriſantia quænam I. 791
Ciconiæ cineres alexipharmacum I. 496
ventriculus remedium ſtomachicũ I. 496
Cicuta ſalacitatem extingvit II. 170. m.
Cinerum vis antacida III. 470. §. 4. 471
Cingula ex corio humano cujusnam uſus I. 454
Cinnabarina optima ſunt in Apoplexia III. 56. §. 25
Cinnabaris factitia quomodo paranda I. 352. 681
cujusnam uſus I. 352
nativa ubi proveniat I. 348, 349, 350
quomodo depuranda I. 351. 681
cujusnam uſus I. 351, 352

Cinnamomi arbor I.399
colligendi modus & patria I. 400
tinctura vid. tinctura
uſus I.400, II. 19
Cinnamomum album quid I. 400
Circulatio quid I. 531
Cirſocele II. 28. 143
ejus cura II. 143
Citri cortices quomodo condiendi I. 597
oleum infuſum I. 575
Clarificatio Chymica I. 532
Clavorum pedis emollitio III.12, §.40
Clavus quid II. 193
ejus cauſa & cura II.194
Clitoridis excreſcentia præternaturalis III. 512. §. 17
nimiæ cura III. 517. §. 43
N.du Cloos Scripta I. 47
Car. Cluſii ---- I.29
Clyſſi præparatio I. 663
Clyſma ſpecific. in Malignis II.96.d.
Paralyſi inteſtinornm II. 26
ventoſum in Ileo II. 27
Clyſmata lenientia & vulneraria II. 23
Clyſmatum formulæ I. 705, 706
ingredientia I. 704
uſus in alvi ſuppreſſione II. 26
Aſcaridibus II. 23
Hæmorrhoid. II. 24
Omphalocele infant. II. 173.t.
Teneſmo II. 23, 24. k
Cnicus qualis planta I. 482
Coagulatio Chymica I. 532
humorum quomodo corrigenda I. 774
Coagulum hœdi cujus uſus I.457
leporis cujus uſus I. 457
Coarthi arbor I.431
Coccus quid ſignificet III. 427, 428
Cochinilla I.431. III.427
an bacca aut fructus III.432, 433
inſectum III.433, 434. 435
in ſcarabæum mutata non tingit III. 436. §. 13
Cochinillæ adulteratio III.435. §. 9, 10
collectio III.437. I.432. 441
cum cocco convenientia & diſconvenientia III. 429. §.3,4,5
differentia a ſcarabæis III. 436
patria I.432. III. 429
planta cui inſidet I.432, III. 430. ſeq.
ſpecies I.432, III.441, 442
uſus in tingendo I.433. III.432. §. 8. 442, 443
coſmeticus III. 443
medicus in Calculo III.444. I.433
Iſchuria III.444. §. 11
Cochleæ contuſæ in fungis proſunt II. 195. u.
Cœcitas ex ſcabie retropulſa II. 271
ex ſteatomate cerebri III.53. §. 15
Cœliaci fluxus cauſa & cura III.279. §.33
Cogitatio Angelis & Deo adſcribitur III.20. §.8
animæ non omni rationali competit III. 19. §. 8
materiæ competit I.166. III.41. §.8, 9
quænam ſpiritibus competat I. 166
Cogitationis ſpecies 4. juxta Carteſium I. 166
brutis competentes I.166
Marſ. Cognati ſcripta I. 29
Cohobatio quid I. 532
Volcheri Coiteri Scripta I. 26
Coitus nimius mictus cruenti cauſa II. 61. o.
Colatio quid I. 532, 533
Coli cellulæ quem uſum habeant I. 97
Colica paſſio a pituita III.305. §.4. vid. dolor.
Joh. a Colle Scripta I. 34
Collouvies ſeroſa unde III. 52. 13
Joh. Colneri Scripta I. 33
Colocynthidis fructus & planta I. 390, 472
doſis, præparata & vires I. 472
Colophonia quid ejusque uſus I. 421
Color in facie plumbeus unde II. 36
Colores tactu a cœcis dijudicati I. 178
reales an dentur I. 171
Colorum forma eſt lux I. 173
quidditas I. 170
Coloſtrum unde I. 255
ejus uſus I. 255
Realdi Columbi Scripta I. 24
Coma ex abuſu ſternutatoriorum III.136. §.50
ſomnolentum II. 126
vigil. II. 126
utriusque cura II. 127
Comarum in mortuis creſcentium cauſa I. 145
Comitialis morbus III. 58. §. 1
Comminutio I. 533
Conatuũ in Partu deficientiũ cura III.581. 582. 583
ſpuriorum cura III. 581
Conceptio an cadat in fœminas menſtruatas III. 513
quomodo fiat III. 542. §. 2. I. 226
Conceptionis ſigna II.307. 308. III. 545. §.2. 547. §.8
Conceptus ubi fiat I. 227
an ſolo affrictu poſſit fieri I. 228. 231
an in ſangvine menſtruo fiat I. 230, 231
Conceptus cauſa efficiens quomodo ad ovaria perveniat III. 542. §. 3
materia an univerſum ſemen ſit I. 228, 231
Conchæ remedium antifebrile I. 498
Concharum cineres ſynoviam ſiſtunt I. 498
Joh. de Concoregio ſcripta I. 22
Concubitus quando cum & ſine dolore fiat I. 219
Concurſus Dei immediatus aſſeritur I. 70
negatur I. 71. 72
Conditurarum præparandarum modus I. 597
Conditura corticum Aurantiorum I. 597
citri I. 597
fructuum molliorum I. 597
Conditura per acetum I. 598
Confectionum parandarum ratio I. 597, 598.
Confortantia externa I. 777. 778
Congelatio I. 534
Conquaſſatio I. 534
chyli in corde an ſangvificationis cauſa I. 108

Herm.Conringii ſcripta I.46
Conſervarum parandarum ratio I.592,593
Conſolidantia II.71
Conſonantes quomodo formentur III.155.§.6
Conſtantini Afri Scripta I.17
Conſtrictio fortior ſangvinem ſiſtit III.244.§.23
Conſvetudinis mutatio morborum cauſa III. 399.§.1
Contagium quomodo fiat III.263.§.3.II.93
Contractura per iram ſublata III.28.§.40
 ex mineralibus effluviis III.71.§.29
Contra indicantia quid ſint I.733
Contrayerva qualis planta I.490
Contuſio ex caſu ab alto II.320
 ejus cura II.320,321
Convulſio quid III.62.§.21.v.motus,it. Spaſmus.
 ex dentis reſciſſione III.79.§.11
 ex frigore,ejusque cura III.184.§.39
 mali mortui ſanatione III.62,§.21
 menſium ſuppreſſione III.526,§.15
 odontalgia III.78.§.5
 a pituita III.305.§.4
 Scorbuto III.62.§.21
Convulſionum cura III.199.§.36
Corallia quid I.363.623
 an mollia ſub undis,nec ne I.623
 quotuplicia ſint I.364.623
 cujus uſus & virtutis ſint I.364.624
Corallia quomodo præparanda I.624
 Magiſterium miniſtrant I.624
 Tincturas ſuppeditant I.625
Cor an ſedes affectuum I.202
 evulſum quare adhuc moveatur I.162
Cor an flammula gaudeat vitali I.158
 muſculus ſit I.111,113
 ſangvinis circuli principium I.110.III.203.§8.9
 - - officina I.108
Cor quotuplici motu gaudeat III.219.§.12
 utrum refrigeretur per reſpirationem I.157
Cor unde moveatur & quomodo I.158.I.112,114.III.218.§.7,8,9.219.§.10.34.§.5
Corallina quid & quotuplex I.362
 ejus uſus I.363
Cordis augmentum ab impulſu ſangvinis III. 205.§.15
Cordis deſcriptio III.218.§.3
Cordis inflammati cura III.214.§.46
 ſigna III.211.§.38
 magni nimium ſigna III.211.§.38
 motus abolitus quomodo reſtituendus I.159
 nervi quotnam I.110
 Palpitatio quid III.201,202.§.4.203.§.5, 6,7,8.205.§.14
 ejus hiſtoria III.202.§.1.204.§.10
 quomodo differat a polypo III. 204.§.11.207.§.21.208.§.25
Cordis palpitantis cauſa proxima III.205.§.15
 cauſæ remotæ III.205.206.207, 208.209.210.548.§.12
Cordis palpitantis cura III.212,213,214,215, 216.556.§.10
 ſigna diagnoſtica III.211.
 prognoſtica III.212
 ruptura ab impulſu ſangvinis III.205.§.15
 ſtructura I.110
 trepidatio quid III.203.§.4
 valvulæ quidnam ſint III.210.§.33
 calloſæ & ſabuloſæ III.206.§.20
 vermes unde noſcantur III.211.§.38
Jani Cornarii ſcripta I.22
Cornu Alces v. Alce.
Cornu Cervi uſtum in Scabie egregium II. 43. vid. Cervus
 Hirci cujus uſus I.442
 Rhinocerotis vid Rhinoceros.
Corporis compages ſolida tubuloſa eſt III.4
 integumenta quotuplicia III.332.§.4
 partes integrantes I.66.67.III.59.§.3
Corpulentia nimia vid.Obeſitas
Corpus & anima amicitiam mutuam colunt III.17
 vivum an ſit machina I.68
Corrugatio partium a frigore III.10.§.35
Joh.Bapt.Corteſii Scripta I.35
Cortex Winterianus quid & unde I.400
 an ſale alcalico gaudeat III. 449.§.2
 cujus uſus I.401
Juſti Cortumnii ſcripta I.45
Coryza calida contagioſa eſt III.110.§.9
 ejus ſigna III.111.§.11
Coryza habitualis III.112.§.12
Coryza Epidemica unde III.109.§.7
Coryza frigida III.110.§.9
 ejus ſigna III.111.§.11
Coryza humida qualis III.110.§.8.II.114
 ſicca III.110.§.8.II.114
Coryzæ cauſæ II.114.III.107,108,109
 cura in ſenibus difficilior III.112.§.12
 cura II.115.III.111,112,113,114,115,134.§.40.305.§.4
 ſigna III.111.II.114
 ſubjectum III.107.§.2
Coſſi quidnam II.44.h.
J.Coſtæi Scripta I.27
Coſtarum incurvatio a palpitatione cordis III. 204.§.10
 fractura - - - ibid.
Cotyledones an mammarum vicem præſtent I. 242
Caſp.Crameri Scripta I.46
Theod.Craanen Scripta I.48
Cranii depreſſio quomodo curanda II.221
 fiſſura & contrafiſſura II.220
 quomodo explorandæ II.221
Cranium humanum cujusnam uſus I.439
Cratevas de herbis illarumq; viribus ſcripſit I.10
Crepitus lupi quid I.381
Creta quid & unde I.382
 quotuplex,ejusque uſus I.383
Cretæ uſus in Soda II.16.n.

Cribratio I. 534
Crinonum enecatio III.287.§.16
Criſpatura fibrarum tollenda III.490.§.17
Crito Medicus quando vixerit I.12
Croci metallorum præparatio & doſis I,485,648
Crocus quid & quotuplex I.401
ejus character & vires I.401
Oſvv.Crollii Scripta I.29
Cruditates Anorexiæ cauſa II.5
Cephalalgiæ cauſa II.117.l.
chylificationis læſæ cauſa II.12
Mali hypochondr. - - II. 33
Picæ cauſa II.7
Vomitus cauſa II.17
Cruditatis acidæ ſigna & cura II.5,14,15,17,21. III.412
bilioſæ ſigna & cura ibid.
nidoroſæ origo I.134
pituitoſæ ſigna & cura II.5,14,15,17.36. III.412
Cruditatum ortus III. 61. §.16
Dav.Cruſii Scripta I.37
Cruſta lactea quid II.174
ejus cauſæ & cura II. 175
Cryſtalliſatio quid I. 534
ejusdem cautelæ I. 535, 536
Cryſtalli Lunares quid I. 474
Cryſtalli modus operandi III.456. §.8
colores varii I.622
uſus in lactis defectu II. 167. b.
Cryſtallus quid I.309
unde proveniat I.310
quotuplex ſit I. 309
quem uſum præſtet I.310.504
Cubebæ quid I. 401
ubi proveniant I.402
cujusnam ſint uſus I.402
Cuculi cineres calculo medentur I. 496
Cucumeres Choleræ cauſa II.18, u.
Cucumis aſininus quid I. 472
Cucurbita Chymica quid,cujusq; uſus I. 528.i.
Cucurbitularum ſiccarum applicatio III. 239. §. 10
uſus in Petechiis II.95.d.
Joh. Clement.Cunonis ſcripta I.34
Cupreſſi deſcriptio I. 376
Curcuma quid & unde I.406
ejus uſus I. 406
Matthæi Curtii Scripta I.24
Cutis anſerina a frigore III. 10.§.35
Cutis pori an fluida externa admittant I. 242
pororum conformatio III.13.§.44
pyramidalium papillularum inventor I. 185
textura qualis I. 187
Cyclamen qualis planta I.480
ejus vires ac uſus I. 480
Cynosbati fungus an ſal alcalicum contineat III. 449. §. 2
Cyperus quotuplex I.491

D.

Dactylorum fructus quales I.390
ex quanam arbore & cujus uſus I. 390
Decantatio I. 537
Decoctorum formulæ I. 704
ingredientia & præparatio I. 702
Decoctum Mercurii qua ratione fiat & operetur I. 518
Plumbi contra vermes expertum I. 518
Decrepitatio I.537
Defenſiva I.787,788,789.III. 490.§.18
Defenſivorum uſus in Chirurgia III. 491.§.19
noxa III.491.§.20
Defloratio I. 219
Deglutitio a commoda partium ſtructura dependet I. 82
quibusnam Inſtrumentis opus habeat I. 83
an ſit actio voluntaria I. 83.84
detur in Embryone I. 243
læſa ex Muſculorum paralyſi II.10
inflammatione II. 11
tumore glandularum ſublingval. II. 11
tonſillarum II. 11
Uvulæ II. 11
Iſaac Deimiram Medicus I. 16
Deliquium I. 537
Deliria variant II.120. I.798
unde oriantur II.120. I.798
quomodo curanda I.798. II. 121
Delirium ab odontalgia III 78. §. 5
a vigiliis nimiis III.62. §.18
Democritus Abderites quando vixerit I. 10
Dens Apri in vivo Animali durior I.439
Hippopotami cujusnam uſus I.440
Dentalium quid ſit I. 364
an idem ſit cum conchis venereis I.365
quotuplex ſit & cujusnam uſus I. 365
Dentes an guſtus organum I.80,81.I. 181
Caſtoris cujusnam uſus I.439
hominis quid proſint in Medicina I.440
Lupi cujus uſus I. 441
ſentiunt III.77. §. 2
Dentitio difficilis II.175,268
præmatura ejusque ratio II. 269
Dentitionis ſigna & ſymptomata eorumq; ratio II.175,176. 269
Cura & Cauſæ II. 175.176.269
Dentium Caries II. 9
ejus Cauſa & Cura II.10.III.88.§.40
ejus Cura per Cauteria actualia III. 89.§.42
Potentialia III. 88 §.41
dentium evulſionem III.89.§. 43
deficientium reſtitutio III. 175.§. 75
Diſcoloratio unde & quæ ejus Cura II.10
Doloris Cauſa & Cura II. 8
Evulſio quomodo fiat III.89.§. 43
Extractio per Medicamenta impoſita III. 90. §. 44
Mobilitas unde & quæ ejus Cura II. 9

Partes III.77. §.2
radicum ſubſtantia oſſea ſentit III 78.§.3
ſtupor unde & quæ ejus Cura II. 9
textura diverſa ab aliis III.77 §.2
Vellicationis doloroſæ Cauſa III.78. §.6
Depilatoria quænam I. 783
Deſiderii expleti efficacia in morbis III. 32. §.56. 67. §. 38
Deſpumatio I. 537
Deſtillatio I. 538
Detonatio I. 538
Deus an immediata actionum Cauſa I. 70, 71
Anton. Deuſingii Scripta I. 43
Diabete III. 13. §. 45
notha & vera II. 55
ex renibus conſumtis II. 56. x.
Diabetes cauſæ II. 55
Cura II. 56
Symptomata II. 55
Diæreſis quid III. 228. §. 22. 236. §. 3.
Diæta in abſceſſu renum II. 65
Catarrhis II. 281
Hæmorrhoidibus furent: II. 330
Hydrope II. 35
Hypochondriaco malo II. 35. i.
Incubo II. 287
Lachrymarum continuo fluxu? II. 103. ſ.
Locchiorum ſuppreſſione II. 255
Maculis volaticis II. 107
Malignis II. 95
Menſium ſuppreſſione II. 235. ſq.
Omphalocele II. 234
Scorbuto II. 39
Tympanite II. 33
Varis II. 45
Vertigine ſtomachica II. 333
Vulneribus II. 222
Diamne qualis morbus II. 59. 258
Diamnes Cauſæ II. 59
Cura II. 59. 60. 259, 260
Diapedeſis quid? III. 228. §. 22. 314. §. 15
Cauſæ III 229. §. 24
an ſit ſtatuenda III. 229. §. 24. 236. §. 3
Diaphoretica quotuplicia I. 745
quomodo operentur III. 254. §. 14. I. 746
Diaphoreticorum Catalogus I. 448. ſq. 746, 747
Contraindicantia I. 748, 749
Uſus in Dyſenteria II. 22
Febribus catarrhal. II. 86. n.
Hæmorrhoid. II. 25
Hydrope II. 35
Ictero II. 38
Diaphragma III. 178. §. 14. 192. §. 3
Diaphragmatis inflammati Cura III. 199. §. 35
Muſculi III. 178. §. 14. 192. §. 3. I. 154
motus in Exſpiratione I. 161
Inſpiratione I. 161
Uſus I. 154
Diarrhœa III. 13. §. 45
curata à Veneris uſu III. 25. §. 27
in dentione ſalutaris II. 269
Febb. petechial. Epidem. ſalutaris III. 349. §. 4
a Fulgure III. 26. §. 31
ab Omento exſecto I. 133
pituitoſa III. 305. §. 4
Diarrhœæ Cauſa II. 21
Cura II. 21. III. 279. §. 34
Gravidarum Cura per abſorbentia III. 553. § 5
adſtringentia III. 553. § 5.
lenitiva III. 553 § 3
Signa ex Urina I. 730
Diaſtole Cordis III. 219 §. 16
an motus verus Cordis I. 112, 115
Cordis Auricularum III. 219 §. 15
Isbr. Diemerbrœk ſcripta I. 44
Digeſtio I. 84
artificialis I. 84
Chymica, ejusque Cautelæ I. 538, 539, 540
Digeſtiva quænam I. 790. III. 494. §. 30
quomodo operentur in vulneribus III. 494. §. 30
quo tẽpore applicanda ſint III. 494. §. 30
Diluentia ſunt antacida I. 771
in febb. Catarrhal proſunt II. 86. n.
ſalſedine experta I. 771
Diocles Cariſtius primus Anatomiam ſcripſit I. 10
Dioſcorides Alexandrinus quando vixerit I. 13
Anazarbenſis - - I. 12
Phocas - - I. 11
Diſcutientia in hæmorrhoidib. II. 24
Lienis vitiis experta II. 55
Diuretica III. 256. §. 15
cum diaphoreticis quomodo conveniant III. 256. §. 15
a Diaphoretic. quomodo differant I. 749
in Hydrope experta II. 35. III. 325 §. 11.
Paſſione hyſterica experta II. 250
Salſedine quænam adhibenda I. 772
Sangvine purificando utilia II. 256. §. 15
Scorbuto qualia adhibenda II. 39. ſ.
Diureticorum contra indicantia I. 752
Catalogus & diviſio I. 749, 750
modus operandi I. 749. III. 256. §. 15
Mich. Dœringii Scripta I. 38
Leonh. Doldii Scripta I. 29
Dolor quid III. 70. §. 4
quotuplex ſit III. 388. §. 4. 591. §. 19
Colicus unde & quomodo curandus II. 30. 31
Dentium II. 8
a frigore III. 10. §. 36
Gaudio mitigatur III. 30. §. 49
Iliacus II. 30
Inteſtinorum unde II. 21
Lienis II. 54
Scapularum, vid. Arthritis
a pituita III. 305. § 4
Riſu mitigatur III. 23. §. 23
Ventriculi gravativus unde II. 13. 48
ejus Cura II. 13

Dolores derivantia quomodo agant III. 90. §. 47
cur differant III.71.§.21
Dolores poſt partum unde II.161.III.591.§.19
a paſſione hyſterica III.592.§.21
quomodo curandi II.161
partus ſpurii II.158.r.
Doloris Cauſæ II.116.III.70.§.15, 16
Cauſarum diagnoſis II. 30
Cura II. 116.117
Inflammatorii Cauſa III.378. §. 14
Natura II. 116
Subjectum II. 116. III.70.§. 14
Pulſatorii ratio II. 290
Dolorum ex Lue Venerea Cura II. 48
Poſt partum Cura per Opiata III. 594. §. 25
antiſpaſmodica III.594.§.25
reſolventia III.594.§.25
Dolus quantum valeat in morbis curandis III. 23 §. 57
Dona diis oblata pro recuperata valetudine I. 8
Jac. & Joh.Dondi Scripta.I.21
Caſpar.Dornavii – I. 34
Tobiæ Dorncrellii - I. 28
Dorſi nervi I. 147
Doſes Medicamentorum I.692.ſq.
Draco medendo clarus I. 10
Dropaces quid I. 785
Ductus lachrymalis III.95.§.6
Ductus Thoracici inventor. I. 101
valvulæ I. 101
Urinarii cœci an dentur I. 118.120
Dulcia ſalivæ ſalſedinem curant I.4
an vermes generent III. 286.§.13
necent III. 287. §. 14
vermes ſatiant III. 286. §. 13
Duriora aſſumta Cardialgiæ cauſa II.14
Dyſenteria vel maligna vel benigna II. 21, 22
a diarrhœa quomodo differat II. 22
ab Omento exſecto I. 133
Curata aggreſſu impudico III.25.§.27
Dyſenteriæ Cauſa II.22
Cura II.22. III.372.§.51
Signa II.22.730
Dyſpepſia quid ejusque cauſæ II. 12
Cura II. 13
Dyſpnœa quid II. 78
ejus Cauſæ & Cura II.78.79
a Malo hypochondriaco III. 185. §. 48
Plethora III. 193.§.7
Dyſuria quid ? II. 56
ejus Cauſæ II.56.I. 750, 751
Cura II.56.I.751
Curata per terrorem III. 27 §.35

E.

EBrietas delirii cauſa II. 121
quomodo præcavenda II. 121 .vv.x. y.
diſcuſſa per evulſiones pilorum myſtacis III.30.§. 47
terrorem III. 30.§. 48
dolorem III.30.§. 48
Ebulus quid ejusque vires ac doſis I. 479
Ebur quid & cujus uſus I.441
Ecchymoma quid II. 199
ejus Cauſa & Cura II. 199,200
Ecchymomatis Infantum Cauſa & Cura III.610.§ 8
Ectropion II.102
Edulcoratio I. 540
Efferveſcentia nulla in ſangvine III. 72.§.40.73. §.41
Efflorescentia Scorbutica quid ? II. 260
ejus Cauſa & Cura II.261
ſchematiſmus varius II. 260, 261
Laur.Eichſtadii ſcripta I.41
Elaſticitas quid ? III. 3
Elaterium quid & unde I.471
ejus doſis, præparatio & ſelectus I.472
Electuarium quid ? I. 595
Electuarii a bolo differentia I.698
diverſitas I. 595
differentia ratione conſiſtentiæ & uſus I, 595. 596
parandi ratio I. 596
Color quomodo jucundus reddendus I. 596
fermẽtatio quomodo impedienda I 596
promovenda I 596
Formulæ I. 698
Sapor quomodo jucundus reddendus I. 597
Elephantiaſis quid ? II.43.f.
Elephantis deſcriptio I. 441
Elixatio quid ?I.540
Elixir quid ſit ? I.587
Alliatum I.587
Camphoratum I. 587
ejus inventor I.587
Proprietatis ejusque menſtrua diverſa I. 587.588
ejus confectio juxta Charras, Ettmüller.& Helmont.I.589
Elixiria unde fieri debeant I. 495
parandi ratio I. 583. 587
Nicol.Ellani Scripta I. 32
Ellychnii incombuſtibilis compoſitio I.308
Joh. Sig. Esholzii Scripta I.48
Embryo quodnam augmentum ſingulis diebus capiat III 544.§. 10
utrum in Utero reſpiret I.244. 245
Urinam mittat I. 246
Embryonis augmentum III.543.§.9 I.246
delineatio prima I. 226
inverſio tempore partus I. 248
motus quando incipit III 544. §. 11
ſitus in utero I. 248
trium ſeptimanarum figura III.544. §. 10
Emmenagoga ſangvinem purificant III. 238. §. 16
Emollientium catalogus I.790.775
operatio qualis ? III. 86.§ 32

Empedo-

Empedocles Agrigentinus Medicus I. 10
Emplaſtrorum formulæ ac compoſitio I. 712. 713
Emproſthotonus qualis morbus II. 140
ejus Cauſa & Cura II. 140. 141
Empyema thoracis qualis morbus II. 140
ejus Cauſa & Cura II. 73. 74
ejus Cura per Paracenteſin & fonticulos III. 198. §. 33. 34
ejus ſigna II. 73 I. 730
Emulſionum formulæ I. 700. 701
Ingredientia I. 700
Entalia quid & cujus uſus? I. 365
Enterocele II. 28
Enteroepiplocele II. 28
Enula cujus uſus I. 491
Epar angvillæ cujus uſus I. 497
bubulum aut caprinum cujus uſus I. 498
muſtelæ piſcis maculas oculorum tollit I. 497
ranarum quartanas curat I. 497
Ephialtes vid. Incubus
Epiala quid? II. 85
Epiglottidis uſus I. 83
Epilepſia ab acrimonia III. 62. §. 20
adipoſa excreſcentia in ventriculis Cerebri III. 62. §. 20
Aere frigido III. 62. §. 19
Amore nimio III. 35
Animi pathematibus III. 61. §. 18
a Colica III. 62. §. 20
Conſpectu Venæ ſectionis III. 62. §. 18
Cruditate pituitoſa & bilioſa III. 61 §. 17
Hæreditaria III. 62. §. 18. 64. §. 27
Infantum II. 137. l. o.
ab Ira III. 35
a Lienis & hepatis vitio III. 62. §. 20
Locchiorum retentione III. 63. §. 26 599. §. 37
Epilepſia a Menſium obſtructione III. 62. §. 20. 63. §. 26
ſuppreſſione III. 526. §. 15
Phantaſia III. 62. §. 18
Plethora III. 63. §. 26. 62. §. 20.
Sangvinis fermentatione irregulari III 61. §. 14
Sangvinis Vitio III. 61. §. 13.
Scybalis III. 62. §. 20
Sternutatoriorum abuſu in vertigine III. 133. §. 35. 136. §. 52
Terrore III. 35. 62. §. 18
Vermibus III. 62. §. 20
Vigiliis nimiis III. 62. §. 18
ab Utero II. 285
a Vulneribus III. 62. § 20. 63. §. 26
Epilepſiæ Cauſæ & Cura II. 136. 137. 284. 285
Cauſa antecedens juxta Barbette & Sylvium III. 60. § 10
juxta Helmont. III. 60. §. 11
Waldſchmied. & Williſ. III. 60. §. 10
Proxima III. 60. §. 9
Cura per conceſſionem alimentorum III. 67. §. 38
alterantia III. 65. §. 32
diætetica III. 67. §. 38
per divertentia III. 64. §. 29
Opiata III. 66 §. 33
Pollicum extenſionem III. 65. §. 29
Salia volatilia III. 67. §. 36
Setacea III. 67. §. 36
Specifica III. 66. §. 35
Sternutatoria III. 133. §. 36
Sulphurea III. 66. §. 34
Terrorem III. 30. §. 49
Thermas & acidulas III. 67. § 36
Venæ ſectionem III. 67. §. 36
Vomitoria III. 65. §. 31
definitio II. 135. 283. III. 58. §. 2
diviſio III. 59. §. 7
Etymologia & Synonymia III. 58. §. 1
Imminentis ſigna diagnoſtica III. 62. §. 22
Paroxyſmorum decurſus ratio III 61. §. 15
Particularis Cauſarum diagnoſis III. 63. §. 26
differentia ab univerſali III. 63. §. 23
Cura III. 67. §. 37
Præſentis diagnoſis III. 63. §. 21
Sedes in Cerebro III. 60. § 8. §. 12
Signa prognoſtica III. 64. §. 27
Symptomatum ratio II. 284
Univerſalis Cauſarum diagnoſis 63. §. 25
Univerſali opiata nocent III. 66. §. 33
Epiplocele II. 28
tympanitem tollit II. 34. f.
Epiſpaſtica quænam I. 786
Epithymum qualis planta I. 477
ejus præparata, vires, doſis I. 478
Epulis qualis morbus I. 197
ejus Cauſa & Cura I. 197
Epulotica quænam III. 498. §. 39. 792
quomodo operentur III. 498. §. 39
Equi genitalium anatome I. 217
veſiculæ ſeminales novæ I. 217
veſicularum ſeminalium ſtructura I. 217
ungulæ officinales I. 441
Eraſiſtratus cura amoris inſani celebris I. 10
Errhina quænam II. 115. I. 754. III. 260. §. 19
an ſint evacuantia univerſalia III. 260. §. 19
Maculas tollunt II. 107
Odontalgiam curant II. 18. f.
Eryngii deſcriptio I. 491.
Eryſipelas Capitis III. 70. §. 18
an ſemper habeat tumorem conjunctum III. 376. §. 3
Eryſipelatis Cauſa & Cura II. 51
Signa II. 51
Eſcharotica qvænam I. 784
Eſſentia lil. conv. Eſſoram curat II. 261
Eſſentia Ambræ I. 501
Eſſentiæ unde impetrandæ I. 495
quid ſint? I. 584
Eſſentiarum inſpiſſatio I. 584. 590

parandarum ratio I.583. 584
purgantium parandarum ratio I. 585
Eſſoræ Cura & ſymptomata II. 260,261
Lubert. Eſthii Scripta I.28
Eſula quid I.479
ejus doſis, præparata & vires I. 480
Mich. Etmülleri Scripta I. 46
Evacuantia commoda in Aſthmate humoroſo II. 79
Catarrhis II. 41. x.
Febb Catarrha III. 86. n.
Hydrope II.35.
Ictero II.37. 38
Odontalgia II.8
Tuſſi humida II. 75
an in diabete ſvadenda II. 56
Malignis - 92
Univerſalia quænam II. 253 §.12
ſunt diaphoretica III. 253. §. 13
Evaporatio Chymica I.540
Evax Rex Arabum Medicus I. 11
Eunuchorum gracilioris vocis Cauſa I. 209
Euphorbium quid & ex qua planta. II. 410
ejus vires I.410,411. II.115. f.
Exanthemata vid. Efflorescentia
repelluntur à frigore III. 9
à Sangvinis acrimonia Salina III. 7. §. 27
Excreta alvi morborum indicia I.725
ex Trachea morborum indicia I. 726
Exedentia quænam I. 784
Expectorandia quænam II. 74,79
Expellentia remedia quænam I.774.775. 786
Sangvinem purificant III. 261. §.21
Experientia quid & quotuplex I. 734
Expreſſio Chymica I.540
Exſpiratio Experimentis probatur III. 179. §.19
quomodo fiat III. 179. §.18. I. 155
multum humiditatis eliminat. III. 14. §. 51
Extinctio Chymica. I.541
Extractio Chymica I. 541. 581
Extracta quid? I. 590
aſſervandi modi diverſi I.591.
parata ex Tincturis & Eſſentiis I. 590
an poſſint parari ex omnibus Eſſentiis & Tincturis I.591
Exulcerantia quænam I. 784
Exuviæ anguillæ officinales I. 497
ſerpentum officinales I.447

F.

Fabariæ radix in hæmorrhoidib. coec. experta II.24.
Gvilielmi Fabricii Hildani ſcripta I.35
Jacob. Fabricii ſcripta I.39
Gabr. Fallopii - I. 24
Fames quid ſit? I.76
an ab acido I.77, 78,79
Aucta II. 5
a frigore III.400. §.4
ejus Cauſa II.5.6. III.295. §.8
Cura II. 5.6. III.295. §. 8. 264. §. 5
deficiens II. 4
ejus Cauſa & Cura II. 5. 6
Famis Caninæ Cauſa & Cura III. 295. §.8
præternaturalis Cauſa III. 269. § 6
Sedes III. 268. §. 2
an in Ventriculo I. 77,78
Fame mortui ſangvinis defectu laborant I. 142
Aug. Henrici Faſchii ſcripta I. 49
Faſciarum rita applicatio in vulnerib. III. 489. §. 14
Fauces quid? III. 154. §.3
an forment vocales III. 154, §. 3
Faucium conſtrictarum ab aqua forti Cura III. 172 §. 60
Inflammatarum Cura III.172. §. 59
Febres algidæ II.82
olim curatu difficiles II. 84
ardentes II.88
ab odontalgia III. 78. § 5
a ſiccitate Aeris III. 14. §. 50
ab Aere æſtuoſo III. 401. §. 6
Compoſitæ II.82
Continuæ & continentes II.81
an oriantur a miaſmate venenato III. 370. §. 43
ab extractione dentium III.89. §. 13
Hecticæ II. 86
ab Humoribus III. 369. §. 35
Intermittentes II. 82
ab Ira III. 139. §. 6
Lentæ & Catarrhales II. 85. 86
Malignæ II.82. 90
a partium ſolidarum vitiis, III. 369. §. 36
quartanæ II.82
quotidianæ II. 82
Scarlatinæ II.96. e.
Tertianæ II. 82
Vulnerariæ quomodo curandæ II. 301
Febricitantium Urinæ I.729
Febriculæ poſt congreſſum fœcundum Cauſa I. 230. 234
Febrifuga adſtringentia III. 372. §. 49
Febrifugorum primum Genus. III. 369. §. 37
Secundum - ibidem
Tertium - ibid.
Febris algidæ Cauſa & Cura II.83. 84. 85
Symptomata eorumque ratio II.83
typus unde II.83
Febris ardentis Cauſa & Cura II. 88. 89
Cura per ſubmerſionem in aqua III. 31. §. 51
per volutationem ſupra ſolum hypocauſti III. 31 §. 56
Signa & ſymptomata II.88
Continuæ nota Characteriſtica III. 353. §. 1
Etymologia III. 340. §. 2
Hecticæ Cauſa & Cura II. 86. 87
Signa & Symptomata II.86
Hungaricæ Cura III. 265. § 6
Lactea I. 255
Lacteæ Cauſa III. 641. §. 2

cura III. 648. §.2
ſymptomata III. 641. §.2
uſus III. 641. §.3
Lentæ cura II. 86
Malignæ Criterium III. 553. §.1
Petechialis III. 339
definitio III. 340. §.3
Etymologia III. 340. §.2
ab animi pathematib. III. 342. §.9
Cauſæ externæ III. 344. §.16
internæ III. 344. §.16
Cauſa juxta Sylvium & Williſium III. 344. §.18
Cura diætetica III. 347. §. 26
per analeptica III. 346. §.23
diaphoretica III. 346. §.25
Narcotica III. 346. §. 24
differentia III. 343. §.14
malignitas in quo conſiſtat. III. 343. §.13
an à putredine oriatur III. 344. §. 17. 355. §.4.
ſigna diagnoſtica III. 345. §. 19
prognoſtica III. 345. 20, 21
ſubjectum III. 341. §. 5, 6, 7, 342. §. 8
ſymptomata III. 342. §.10
ſymptomatum cauſa & ratio III. 342, 343. §.11. 355. §.4
Epidemica III. 348
cur ita appelletur III. 353. §.1
an poſſit dici putrida III. 354. §.3
cur exacerbetur opiatis III. 358. §.9
cur exacerbetur corporis ſitu erecto III. 357. §.9
Epidemicæ cauſa eſt Aer III. 359, 360. §. 2, 3.
cura per Clyſteres III. 352 §. 13
diætetica III. 353. §. 15.
præſervatoria III. 353. §. 16. 360. §.4
per ſudorifera III. 352. §. 12, 14. 358. §.10
venæ ſect. III. 352. §. 13
veſicatoria III. 352 §. 13
vomitoria III. 352. §. 13
Febris Petechial. Epidemic. diverſitas III. 350. §.9
evacuatio per diarrhœam. III. 349 §. 4. 357. §. 8
per hæmorhagiam III. 350. §. 6
per mictionem III. 350. §.7
per ſudorem III. 349. §. 5. 357. §. 8
per vomitum III. 350. §. 8
prognoſis III. 351. §. 11
ſymptomata III. 349. §. 2. 356. §. 7. 357
ſymptomatum diverſitas III. 349. §. 3
plagis curata II. 85. I.
Quartana curata per iram III. 31. §. 51
ſaltationem III. 32. §. 56
terrorem III. 31. §. 50
Febri Tabula votiva ſuſpenſa I. 8
Febris Tertiana curata per gaudium III. 31. §. 51
terrorem III. 31. §. 50
Febrium differentia & natura II. 81, 82. III. 367. §. 28, 29
ſpecialis III. 368 §. 33
Eſſentia in qvo conſiſtat III. 353. §. 1. 368. §. 30
Formalitas in quo conſiſtat III. 367. §. 27
Intermittentium cura per animi pathem. III. 31. §. 50. 51
malignarum cauſæ & cura II. 90, 91
ſymptomata II. 90
malignitas in quo conſiſtat. III. 343. §. 13. 354. §. 3. 368. §. 32
Putridarum cauſa III. 355. §. 4
recidivarum ab uſu Chinæ cura III. 374 §. 58
ſymptomatum Cura II 74, 294.
ratio III. 368. §. 31
Vulnerariarum cauſa III. 369. §. 36
Feces induratæ alvi ſuppreſſæ cauſa II. 26
quomodo ad maſſam ſangv. abire queant. III. 275. §. 14
Feculæ an abſorbeant acidum III. 449. §. 2
Fecularum confectio I. 158.
uſus I. 158
Fecum albedo in Ictero unde II. 334
excretio quomodo fiat I. 97
fœtor unde I. 98
ſecretio à Chylo quomodo fiat I. 96, 100
ſiccitas unde I. 121
viridicans color unde II. 339
Joh. Mich. Fehrii Scripta I. 48
Fel Lucii piſcis officin. I. 456, 497
Perdicis officin. I. 456.
Tauri officin. I. 456
cujusnam uſus I. 498
Vitri quid & cujus uſus I. 351
Caſſius Felix Medicus I. 11
Fermentatio quid I. 541
Fermentatio quomodo inſtituenda I. 542. vv. 560
an fiat in corpore humano III. 370. §. 42
nulla in ſangvinis ſtatu naturali III. 72. §. 40

Fer-

Fermentationis abſolutæ ſigna I. 543
adjumenta I.514
differentia ratione coloris I. 551
effectus I.551
odoris ibid.
turgeſcentiæ ib.
effectus I.541.u.542
irregularis in ſangvine cauſa III. 61 §.7
ratio I.543.x.544
Fermentum Cordis an detur I.112.114
ſangvificans an detur I.104,107
ſtercoreum refutatur I.100
ſtomachi refutatur I. 79.77
Joh.Fernelii Scripta I.25
Ferri differentia a Chalybe I.669
diverſæ ſubſtantiæ III.464 §.13
Emollitio I.669.
Induratio I.669
mineræ an ſint antacidæ III.464.§.13
Pulveriſatio I.551
vis antacida III.463.§.13
Ferrum unde naturam ſuam habeat III.464.§.13
ſecundum quam ſubſtantiam ſit antacidum III.464.§.13
a vento conſumitur I. 87. 505
Fibræ corporis humani poroſæ ſunt & contortæ III.11.§.39
Fibrarum commotio ab animi pathematib. III. 21.§.15
Criſpatura a contuſione III.38.§ 28
a læſionibus aliis III. 38. §.29
Laxatio ab Aere humido III.12.§. 43
ab humiditate III.11.§.39.40
Muſculoſarum officia III.316.§. 21
Fiduciæ efficacia in ſanitate reſtituenda III.31.§. 52. 32. §. 55
Thom.Fieni Scripta I.34
Filtratio quid. I.544
Thom.Finckii Scripta I.40
Fiſſuræ II. 212
Cranii II.220
Fiſtulæ quid? II. 204
ejus Cauſa & Cura II. 204, 205
Fixatio I.544
Flammula Cardis an detur I.106
an motus Sangvinis Cauſa I. 112,114
an ſangvificationis Cauſa I. 104,106
Flatus Cordialgiæ Cauſa II.14
in hypochondriis unde II. 33
a motu exceſſivo III.405.§. 25
in pericardio III.209.§.29
Torminum ventris Cauſa II. 33
Tympanitis Cauſa II. 33
ex potu Coffee II. 18
Flatuum diſcuſſio III.200 §.39.300.§. 26
generatio III. 61. §. 13
Flavedinis in Ictero ratio III.334.335
Pauli Flemmingii Scripta I.37
Flores Antimonii I. 485
Flores Joviales parandi modus I.668
Perſicorum laxant I.475
violarum laxant I.475
Rob.Fludii de Fluctibus Scripta I. 36
Fluiditatis definitio I. 186
Fluor albus qualis morbus II.154.262
a menſibus albis differt. II.154.262, 263.
Fluoris albi Cauſæ II.155.263,264.III.534.§.10.
Cura II.155.263,264.III.518.§.46. 540.§. 14
Maligni Cura III.540.§.15
Symptomata III.534.§.10
Fluxus Cœliacus unde ejusque Cura II. 20
poſt dyſenteriam lethalis II.20.d.
Locchiorum v.Locchia.
Menſium v.Menſes.
Fœcunditas an eſſe poſſit teſtibus deficientibus, I.213.216
Fœmellæ an ſemen communicent I. 230,234
an tria habeant integumenta.I.238.240
Fœmellarum augmentum I. 237
concurſus ad conceptum I.218
differentia a brutis I. 222
pubertas I.218
Fœniculum qualis planta I.491
ejus præparata I.491, 492
Fœtor Excrementorum unde I. 98,100
oris ex oſculo defunctæ II.67.g.
Fœtus deformatio a dente oculari gravidæ extracto III.89.§.43
a terrore III. 34, 35
an fiat ex vermiculis I.229.232
Involucra III.612
Involucris craſſis veſtiti extractio III. 567. § 18
Monſtroſi extractio ex utero III.572.§.7
Mortui excluſio per abdomen à natura facta III.572.§.6
extractio per fruſtula III. 570. §.17
per Inſtrumenta Chirurgica III 570.§.16
per manualem operationem III. 570.§.15
ſectionem in fruſtula prohibentia ſymptomata III.571.§.19
ſigna ſumpta a puerpera III. 567.§.4
ab applicatione calefacientium III.568 §.7
a fœtu flaccido III. 569 §.12
fœtus lapſu de latere in latus III. 568. §.6.
fœtus motu deficiente III. 568. §.7.

fœtus

foetus lingvæ motu deficiente III.568. §.8.
ab horrore puerperæ III.567.§.5
a Meconio intra Uterum depoſito III.568.§.9
a pulſus defectu in foetu III.569.§.12
a ſecundina prius enixa III.569.§.10
Foetus natibus exitum quærentis Extractio III. 567.§.17
unde nutriatur I.244
an nutriatur per nares, aures & anum I.239
per os I.239
per vomitum ibid.
nutrimentum an afferatur ſub forma lactis aut Chyli ibid.
ſub forma lymphæ ibid.
an ſit ſangvis Menſtruus I. 220
Nutritio I.236
Pedis ex utero prolapſi repoſitio III.566§14
an in Utero reſpiret I.246
Situs vitioſi explicatio III.563.§.2
correctio III.565.§.13
ſigna III.563.§.4
ex aquarum profluvio III.564.§.5
ex doloribus Uteri III. 564.§.5
ſitus vitioſus a foetu ipſo III.564.§.8
matris animi pathematibus III.564.§.8
motu irregulari. ib.
ab Obſtetricis errore III. 564.§.9
quotuplex ſit? III.563.§.4
cur vitam novam incipiat extra Uterum III.612
vivi matre mortua extractio III.571.§.2
vivus matre mortua an legat viam ordinariam III.571.§.2
Gabr. de Fonſeca ſcripta I.43
Jac. Fontani - I.32
Fonticuli ubi & quomodo excitandi I.760
quomodo conſervandi I.760
Fonticulorum contraindicantia I.761
ſymptomata præcavenda I.761
Uſus I.761
in Impotentia virili II.145
varis II.45.l.
Foramen ovale I.237
Formicarum acidi origo I.621
generatio I.456
ova quid proſint I.456
Spiritus acidi deſtillatio I.620
uſus Chymicus I.497
Formularum neceſſitas I.689
requiſita I.690, 691
Fotus quomodo præſcribendi I.705
Hieron. Fracaſtorii Scripta I.25
Fracturæ Cauſa & Cura II.212, 213, 214
Signa II.212
Joh. Franckenii Scripta I.42
Franciſci de Pedemontio Scripta I.21
Frangulæ Cortex purgat I.478
Fraxinus officinal. I.378
ejus Sal volat I.581
Pauli Freheri Scripta I.46
Joh. Freitagii - I.37.40
Frenuli lingvæ latitudo III.165.§.29
Brevitas II.142.III.165.§.29
brevis Cura III.173.§.67.622.§.15
Penis ruptura II.148.c.
Jan. Coecil. Frey Scripta I.34
Frictiones quomodo operentur III.239.§.12
fluxus ſiſtunt III.239.§.12
Arnoldi Friederici Scripta I.44
Frigida Sangvinem inviſcant I.768
Frigoris actio in Corpus humanum I.188
damnum in vulneribus III.490.§.18
formalitas in qvo conſiſtat. III.381.§.23
impatientia ſumma III.10.§.36
Frigus alvum ſolvit II.26.III.10.§.35
Bulimiæ Cauſa II.6
Corpora noſtra alterat III.109.§.6
dolores producit III.10.§.36.79.§.8
diarrhoeæ Cauſa III.§.21
Epilepſiæ Cauſa II.62.§.19
Exanthemata repellit III.9.§.32
fluida coagulat III.9.§.33
Lienteriæ Cauſa II.19
Morborum - III.400.§.3.4
Partes corrugat III.10.§.35
mortificat III.9.§.34.79.§.8
ſtupefacit III.10.§.35
pernionum Cauſa III.9.§.34.109.§.6
Sangvinem ſiſtit III.79.§.8
Syncopes Cauſa II.298.299
Torminum ac Colicæ Cauſa II.30
Tumorum Cauſa II.11
Fructus horæi flatulentiæ Cauſa II.18.u.
Georg. Fuiren. Scripta I.33
Henrici - - I.41
Fulminatio I.544
Fulmen motum reſtituere poteſt III.29.§.44
Fumigatio I.545
Fungi Cauſa & Cura II.195
a Callo differentia II.305
Fungorum diviſio II.305
Fungus Cerebri II.304, 305, 306
Chirurgorum quid I.381
quotuplex & cujus uſus I.382
Cynosbati cujus uſus I.382
Juglandis cujus uſus I.383
Larycis unde habeatur I.383
quinam ſeligendus I.384
cujus uſus I.384
Quercinus cujus uſus I.384
Sambuci cujus uſus I.384

Funiculi Umbilicalis exulcerati Cura III.620.§.9
reſectio I.254.III.613.§.5.4
reſecti deligatio III. 614. §.9.619.§.4
ligatio I.254
ſubſtantia III.543.§.8.I.237
uſus I.237
Funiculus Umbilicalis quid ſit? III.543.§.8.I.237
an fulciat infantem I.242
in fœtu humano deficere poſſit I.241
Funiculus Umbilicalis an deficiat in porcellis I.241
cur reſecandus ſit III.613 §.4
Fures deprehendendi remedium I.306
Furni Chymici quomodo conſtruendi I.526
eorum varietas I.525
Furor à triſtitia III.38.§.3
Furoris Uterini Cauſa II.170.III.534.§.12
Cura II.170
Cura per Coitum frequentem III.32.§.56
per refrigerantia III.541.§.8
Diagnoſis II.169.170
Differentia à Melancholia Uterina III.534.§.12
Furunculi Cauſa & Cura II.202
Fuſio Chymica I.545.

G.

GAgates quid & unde I.503
Galanga quotuplex I.404
ejus patria & uſus I.405
Galbanum quid I.412
ejus planta & uſus I.413
Cl. Galeni vita & Scripta I.13
Gallæ quid? I.390
an fructus quercuum I.391
an Sale alcalico gaudeant III.448.§.2
cur vitrioli ſolutionem nigredine inficiant III.448.§.2
cujusnam Uſus I.391
Galli ad Cretam ſtupent I.283
Galli Criſta in dentitione utilis I.496
teſticuli Aphrodiſiacum I.496
Gallinæ remedium analepticum I.496
Gallinarum Ventriculus ſtomachicum I.496
Ganglion quid? II.192
ejus Cauſa & Cura II.193
Gangræna qualis morbus II.208
a deligatione vulnerum inepta III.489 §.14
a frigore III.10.§.34
Gangrænæ Cauſa II.208.III.379.§.16
Cura II.209
ex vulnere Cura III.494.§.19
Dini de Garbo Scripta I.20
Thomæ de Garbo - I.21
Gargariſmatum formulæ I.705
Flaminii Gaſtonis Scripta I.31
Gaudii Cauſa III.44.§.18
efficacia in doloribus tollendis III.30.§.49
efficacia in humoribus reſolvendis III.24.§.16
Gaudii efficacia in morte concilianda III.38.§.5
Podagra III.23.§.22
Phænomena III.41.§.16
Laur. Geisleri Scripta I.47
Gelatinarum coctio accelerata I.517
Gelatinæ aſſervatio I.519
Coloratio I.519
Confectio I.518
Subjectum I.519
Terreis miſtæ efficacia III.453.§.5
Gelatinoſa remedia quænam I.693
Gemmæ an præbeant Tincturas I.623
habeant vim ſpecificam I.623
Gemmarum Colores I.503
hiſtoriam quinam tradiderint I.332
Magiſteria I.623
Tincturæ I.623
Uſus I.504
Generandi libido indita eſt à Deo I.211
Generatio I.210
æquivoca an detur I.212.214
Inſectorum I.214
Generatio quomodo perficiatur a fœmina III.509.§.5
a Mare III.509.§.5.I.211
quot requirat III.509.§.5
quorundam animalium an fiat ſine mare I.212.214
an poſſit fieri teſtibus deficientibus I.213 216
Generationis diviſio I.214
Genitalium equinorum ſtructura & Anatome I.217
Gentiana quid & quotuplex I.492
Gentilis de Fulgineo Scripta I.20
Gerhardi Cremonenſis - I.19
Conr. Geſneri - I.25
Geſtationis tempus quando finiatur I.248
an certum ſit I.249.250
undecimo menſe finiatur I.249.251
falſo calculo ſæpe nititur. I.250.251
Gialappa v. Jialappa.
Gibberis Cauſa III.82.§.29
Gilberti Anglici Scripta I.19
Gillæ Paracelſi præparatio I.639
Gingivarum abſceſſus ab odontalgia III.78 §.7
cura III.87.§.35
Tumor ab odontalgia III.78.§.7
Matth. Glandorpii Scripta I.36
Glandula pinealis arenulis & lapidibus referta I.192
an ſit principium nervorum I.193
ejus ſitus I.193
Glandulæ conglomeratæ quid? III.108.§.4
an omnes fermentum ſeparent I.220.223
ſolæ ſecernant I.145

Glandularum diviſiones I. 125
miliarium inventor I. 122
ſtructura I. 122
uſus I. 122, 123
ſtructura I. 125
ſublingvalium tumor ejusque cura II. 11
Joh. Henr. Glaſeri Scripta I. 45
Gloſſopetræ quid ſint? I. 323
Glottis quid? III. 152. §. 14
Andr. Gnoffelii Scripta I. 41
Ant. Guainerii - I. 22
Rud. Goclenii - I. 31
Gonagra v. Arthritis.
Gonorrhœa curata a Veneris exercitio III. 25. §. 27
a motu exceſſivo III. 405. §. 26
quomodo curanda III. 414. §. 25
a ſeminis ſeroſitate III. 511. §. 12
virulenta quomodo curanda III. 518. §. 46
Gonorrhœæ cauſæ II. 147, 148. 242
cura II. 148, 149. 242, 248, 249
ſymptomata eorumq; ratio II. 248
Joh. Matth. de Gradibus Scripta I. 22
Cæſonis Grammii Scripta I. 44
Gramphus v. ſpaſmus.
Granatorum cortices an gaudeant Sale alcalico III. 448. §. 2
quomodo menſium obſtructiones tollant III. 448. §. 2
ſpecies & patria I. 328
uſus I. 328
Grando v. Hordeolum.
Granulatio quid? I. 545
Benev. Grapheus de Jeruſalem Medicus I. 18
Gratiolæ doſis I. 480
præparatio & uſus I. 480
Gravedinis definitio III. 107. §. 1
Cura III. 114. §. 15
Gravedo ab Aere frigido III. 108. §. 5
Gravidarum abortus cauſæ III. 547, 548. §. 9
cura III. 554. 555. 556. §. 7, 8
alvi obſtructæ cauſa III. 549. §. 17
cura III. 558. §. 15
alvi Segnitiei cauſa III. 549. §. 17
diarrhœæ cauſa III. 547. §. 7
cura per abſorbentia, adſtringentia & lenitiva III. 553. §. 5
doloris in lumbis cura III. 556. §. 9
dolorum tenſivorum in abdomine cauſa III. 550. §. 21
in abdomine cura III. 559. §. 19.
Febriculæ prioribus menſibus invadentis cauſa III. 545. § 2
Fiſſurarũ abdominis cauſa III. 550. §. 21
hæmorrhagiæ cauſæ externæ & internæ III. 549. §. 15
cura per adſtringentia, glutinoſa & Ven. Sect. III. 557. §. 12
hæmorrhoidũ fluentiũ cauſa III. 550. §. 20
cura III. 559. §. 18
tumentium cauſa III. 550 §. 20
cura III. 558. §. 18
Iſchuriæ cura III. 557. §. 14
Lipothymiæ cauſa III. 548. §. 13
Malaciæ cauſa III. 546. §. 5
cura III. 552. §. 3
Morborum hiſtoria generalis III. 544. §. 12
Nauſeæ cauſa III. 545. §. 3
cura III. 551. §. 1
Nauſea quando finitur III. 545. §. 4
Notæ II. 307, 308
Odontalgiæ cauſa III. 547. §. 8
cura III. 554. §. 6
palpitationis cordis cauſa III. 548. §. 12
cura III. 556. §. 10.
pedum Oedematoſorum cauſa III. 550. §. 18
Picæ cauſa III. 546. §. 5
cura III. 552. §. 3
Stillicidii aquoſi ex utero cauſa III. 550. §. 22
Stranguriæ cura III. 557. §. 14
Symptomata priorum menſium III. 545. §. 2
mediæ geſtationis III. 548. §. 10
ultimorum menſium III. 549. §. 16
torminum ventris cauſa III 547. §. 6
cura per anodyna III. 553. § 4
torminum Ventris cura per calefac. III. 553. §. 4
carminativa III. 553. §. 4
clyſmata III. 553. § 4
tumoris pedum Oedematoſi cura III. 558. §. 16
Tuſſis origo III. 449. §. 14
cura III. 556. §. 10, 11
Valetudinarium III. 542
Varicum Cauſa III. 550. §. 19
Cura III. 558. §. 17
Vomitus cauſa III. 545. §. 4
cura per acida & anodyna III. 551. §. 2
antacida & incidentia III. 551, 552. §. 2
lenitiva & roborantia III. 551. 552. §. 2
Variatio III. 545, 546. §. 4
Urinæ ſuppreſſæ cauſa III. 549. §. 16
Uteri hæmorrhagiæ cura III. 557. §. 13
Joh. Groſſei Scripta I. 32
Philip. Grulingii - I. 43
Gvajaci cortex an gaudeat ſale alcalico III. 449. §. 2
Chriſt. Gvarinonii Scripta I. 26
Caroli Gvillemeau - I. 40
Joh. Gvinteri - I. 25
Balth. Tim. à Guldenklee Scripta I. 43

Gummatum deſtillatio I.569
pulveriſatio I. 558
Gummi Ammoniacum quid & quotuplex I.473
ejus doſis ac præparata I.473
Animæ quid & unde I.411
cujusnam uſus I.411
Arabicum quid & unde I. 411
quibus viribus I.411,412.II.53
Ceraſorum cujusnam uſus I.412
Elemi quid & unde I. 412
ejus uſus I. 412
Guttæ quid & unde I. 471
ejus doſis & præparata I.471,472
hederæ unde, cujusque uſus I. 413
Juniperi uſus ac deſcriptio I. 413
Guſtus III.138.I. 180
an abſolvatur in Corde I.181,182
adjuvetur a Saliva III.143.§.28,29
cognatio cum olfactu III.100. §. 16
definitio III. 138. §.1
Guſtus depravatus à Coryza ſicca III.143.§.29
febri ardente III. 143. §.29
papillularũ vitio III.141.§16
differt a tactu III.139.§.3
diverſitas I.180
materia an ſit Aqua I. 181
an ſint qualitatum primarum miſtiones I. 181, 182
Objectum III.141.§.17.I. 180
Organon an ſint dentes III. 139.§.8
an ſit Lingva III.139. §.4
an ſint Lingvæ fibræ Carneæ III. 140. §. 10
integumentum membranaceum III. 140 §.11
nervi III. 140.§.11
papillulæ nerveæ III.140 §.12.I. 180
an ſit Oeſophagus aut ventriculus III. 139. §.6
palatum III.139. §.5
ſint tonſillæ III.139. §. 7
Subjectum an ſint dentes I.181
ſit Lingva I. 181
Lingvæ membrana I. 181
palatum & Gula I. 181
ſint Tonſillæ I. 181
Vitia II. 114
Gutta roſacea quid II. 44
ejus cauſæ & Cura II. 44
Gutta ſerena a partu difficili II. 108. m.
ſternutatione III.137. §.52
Guttæ ſerenæ Cauſa II.108
cura II.109
diagnoſis II.108
Gypſi natura I.283
præparatio ac varietas I.284
uſus II.284. 285

H.

HÆmatitis florum ſublimatio I.673
natura qualis ſit I. 672.313.314
præparata I.672
præparatio I.672,673
Tinctura I. 673
Hæmiſphæriorum Magdeb.cohæſio unde? III.4
Hæmoptyſis Critica II.76.p.
Cauſa II.76.III.197. §.25
Cura per adſtringentia II. 76,77. III.197. §. 25
Incraſſantia III.197.§. 26
Hæmorrhagia III. 224. II. 52
quid? III.224. §. 3
ab acrium ciborum abuſu III.227.§.17
ab Aeſtu III.401. §. 6
febrili III.228.§.17
Amore III.44.§.15
Amputatione artuũ III.226.§.12
Anaſtomoſi III. 237.§. 4
animi pathematibus III.21.§.14
Critica III.225. §. 9
a diæreſi III.237.§.5
Gammaris elixatis III.227. §.17
ab Ira III. 22.§. 17
a motu corporis nimio III.227.§.17
partiũ ſolidarũ læſione III.228 §.21
plethora III.226.§.11
ſpuria III.226.§. 13
potuum calidorũ abuſu III.227. §.17
radiis ſolaribus III.227.§.17
ſangvinis acrimonia III.228.§. 18
aquoſitate III. 228. §. 19
Uteri ab ira III 227. §. 17
Uterina II.152,153
cur nunc major nunc minor poſt partum I. 244
Hæmorrhagiæ Cauſæ III. 226.§. 10.236.§.3.II. 52
Cura III.230.§.28.280.§.39 486. §.9.II.52.53
per adſtringentia III. 233. §. §.46.246.§.29.557. §.12
Conſtringentia III.233. §.45. 244. §.23
Cucurbitulas III. 239. §. 10
Eſcharotica III. 233. §. 47.245.§.27, 28
Frictiones III. 239. §. 12
Glutinantia III.233.§.43. 246.§.31.557.§.12
Lanuginoſa III.233.§44
ligaturas III. 232. §. 42. 239.§.11.243.§.24.245 §. 26.
Obturantia III.247.§.31
Refrigerantia III.232.§. 38.241.§.16
ſtupefacientia III. 241. §. 17
ſuturas III.244. §. 25
ſuperſtitioſa III.242.§.18
per ſympathiã III.234.§. 48
Terrorem III.232. §.37. 242.§.19

differentiæ III. 225.§.5.
Etymologia III.224. §. 1.
Hæmorrhagiæ homonymia&ſynom.III.224 §.1,2
Formalitas III.225. §.5
Gravidarum Cauſæ III.549.§.15
Materia III.224.§.4
cur hyeme frequentiores II.52.m
loci conſveti III.229.§.25
inconſveti ibidem
Nariũ cura per pediluvia III.239 §12
per terrorem III.23.§.24
ex Orgaſmo Cura III.230.§.31.239
§.13.410.§.11.231.
ex Plethora Cura III. 230. §.29.
238.§.7,8,9
a Sangvinis acrimonia cura III.
232.§.39.243.§. 21
aquoſitate Cura III.
232.§.40.243.§.20
Sangvinis infarctu cura III.238.§.9
Signa ratione morbi & loci III.
229.§.26
cauſarũ III.229.§.26
prognoſtica III. 229.§.27
a ſpirituum motu cura III. 231.§35
ſymptomata concomitantia III.
225.§.5
inſequentia III.225.§.8
Symptomatũ cura III. 234.§.51,52
Hæmorrhoides Cœcæ ſ.tumentes quid ſint? III.
550.§.20.II. 24. 328
fluentes quid ſint III. 550. §.20.
II. 24
tumentes a motu exceſſivo III.
405.§. 26
cur viduis familiares II. 329
Hæmorrhoidum cauſæ II. 24,329
cura II.24,25,330
differentia a dyſenteria II. 329.
Fluentium in Gravidis cauſa III.
550.§.20
in Gravidis cura III.
559.§.18
fluxus an ſit hæmorrhagia III.
225.§.6
a motu exceſſivo III.405.§.26
ab amputatione pedis ſphacelati I.136
ſubjectum II.329
tumentium à motu cura III.
414. §. 25
in Gravidis cauſa III
550.§.20
cura III. 558
§.18.585 §.51
Hæſitantia quid? III.157.§.3
Sam.Hafenrefferi Scripta I.41
Halex Batavorum ſtomachicum II.13.c.
Haly Abbatis Scripta I.16
Lud.van Hammen Scripta I.49.
Gvil.Joh. Hartmanni - I. 34
Gvil. Harvæi - I.41
Joh.Ludov. Havenreuteri Scripta I. 31
Aug.Hauptmanni - I.45
Hedera qualis planta I.413
Helenium ejusque præparata I.491
Hellebori albi & nigri deſcriptio I.481
præparata I.481, 482
uſus in Hæmorrhoidib. II.25
Joh.Bapt.ab Helmont. Scripta I.37
Joh.Hellvvigii Scripta I.44
Hemicrania quid? III.69.§.4
a Coryza III.111.§.11
a phlegmone & abſceſſu in capite
III.52.§. 12.
Hemiplegia quid? III.49.§ 4.II.134
Henricus piger quid ſit? I. 525
Hepar an ſangvinis Officina I.109
Hepatica remedia quænam I. 780
Hepatis ſubſtantia I.130,131
vaſa I.131.v. Epar.
Heraclidis Erythræi Scripta I. 11
Herculeus morbus quid? III.58. §.1
Dav.Herlicii Scripta I.36
Paul.Hermanni - I.51
Hermetes quotnam I. 5
Hermodactylus quid. I.470
ejus doſis notæq;bonitatis I.471
Hernia Ilei cauſa II. 26
carnoſa qualis II.28
Herniæ Etymologia III.499.§.1
hæreditariæ III. 501.§.2
ab Inſpiratione ſufflaminata III. 501.§.3
Inteſtinales & omentales III.499.II.28
a motu exceſſivo III.405.§.25
a ſternutatione III.137.§.55
cur quandoq;ſine dolore fiant III.502.§.7
doloroſæ ſint III. 502.§.7
conjunctum habeant vomitum III. 502. §. 7
cur in principio citius curentur III.503.§4
in junioribus felicius curentur III.503.
§.4
an cauſari poſſint ſterilitatem III. 503.§.4
Umbilicales cur Infantibus familiares?
III.501.§.1
Herniarum Aquoſarum ſigna III.502.§.1.II.28
Carnoſarum cura per terrorem III.
28.§. 39
Cauſa proxima III.501.§.1.II. 27
Cauſæ remotæ III. 501.§.2,3,4
Cauſarũ remotarũ ſigna III. 503.§.3
definitio III.499.§. 3
cura per acida III 506. §.14
Carminativa III. 503.§.2
Cauteria III.507.§. 16
Conſolidantia interna III.506.§14
ratione annulorum membranaceorum III.504.§.4.II.28,29
diætetica III.506.§.15
per diaphoretica III. 506. §. 14
Emollientia III.503.§ 1, 2
Emplaſtra magnetica III.505.§11,12
Firmantia adſtringentia III.505.§13

Herniarum cura palliativa per ſubligacula III.507 §. 18
punctum Aureum III.507.§.16
Teſticulorum amputationem III.507.§.16
purgantia III.506.§.14
quietem III.506.§.15
repoſitionem III.504.§.5
ſectionem III.505.§. 8,9
ſympathiam III.505.§.10.
Ingvinalium & ſcrotalium cauſa III.501.§.6
Inteſtinalium cura per terrorem III.29.§.41
ſigna III.502.§.2
Locus III.500.§.8
a motu nimio Cura III.413.§. 24
Omentalium ſigna III.502.§.2
prognoſis III.503.§.4
repoſitio facilitatur per Jejunium III.504.§.7
quomodo fiat III.504.§.5,6
ſubjectum III.499.§.4
an poſſit eſſe Omentum III.500.§.7
an ſint Inteſtina omnia III.500.§.6
ſolum ſit Inteſtinum Cœcum III.500.§.5
Synonymia III.499.§.3
Tumoris inflammatorii Cauſa III.504.§.3
Cura III.504 §.3
Varicoſarum ſigna III.502.§.1.II.28
ventoſarum ſigna III.502.§.1.II.28.
Herophilus Chalcedonius Anatomicus I.9,10
Herpes miliaris II.44
Anton.de Herrera Scripta I.32
Joh.Heurnii Scripta I.27
Andr.Hildebrandi Scripta I.36
Hippocratis vita I.10
Hippopotami deſcriptio I.440
Hirci pellis decocta dyſenteriam curat I.498
pili officinal.I.457
Hirudines quales eligendæ I.740
quomodo applicandæ & removendæ I.471
Hirundinum cineres antepilepticum I.496
nidus cujus uſus I.457
Phil. Hœchſteteri Scripta I.36
Hœdi coagulum officin.I.457
Caſpar.Hoffmanni Scripta I.38
Frid. -- -- I.45
Laur. -- -- I.33
Maur. -- -- I.51
Jac. Hollenii -- I.52
Hominis comparatio cum Barometro III.14.§.53.15.§.54
hygrometro III.11.§.38
Thermometro III.6.§.21
convenientia cũ Thermometrô III.6.§.22
Corpus eſt Machina III.2,3
Corporis & Machinæ differentia III.2.I.68.69
& machinæ hydraulico - pneumaticæ convenientia III.4,5.§.16,17
Uſus Medico Chymicus I.498
Homo Aerometrum III.1,2
quid ſit? III.2
e quibus partibus conſtet III.47.148.§.2.I.65
Chriſt.de Honeſtis Scripta I.21
Hordeolum quid,ejusque cauſa & cura II.102
Joh.van Horne Scripta I.43
Hieron. Hornſchuchii Scripta I.31
Horror à frigore III.10.§.37
Febrilis quomodo compeſcendus II.86
Joh.Dan.Horſtii Scripta I.47
Greg.Horſtii - I.36
Horti quare templis olim adjuncti I.8
Hieron.de Hueta Scripta I.26
Hugonis Senenſis Scripta I.22
Humani corporis calor notabilis eſt ob anxietates III.7.§.24
Exanthemata III.7.§.27
Inflammationem III.8.§.29
Laſſitudinem III.8.§.28
Phlogoſes III.7.§.26
ſitim III.7.§.25
ſudorem III.7.§.24
Humectatio Chymica I.545
Humiditas partes emollit III.11.§.39,40.12.§.41.42
Humores an corporis pars ſint I.66,67
acres quid? III.71.§.27,26
Humorum ebullitio ab animi pathematib.III.21 §.14.
ſtagnatio a ſpiritibus alteratis III.61.§.18
timore III.22.§.18
Hyacynthi adulteratio I.329
uſus in ſyncope II.33.d.
vires I.329
Hyacynthus quid ſit? I.328
ubi inveniatur I.329
Hydragoga I.692
Hydrocele II.28
Hydroceles prognoſis III.322 §.8.C.2
Signa III.320.§ 3
Hydrocephali cur non ſint apoplectici III.52.§ 13
externi cura per cauterium actuale III.620.§.7
per diſcutientia III.620.§.7
faſcias & inciſionem III.620.§.7.
Prognoſis III.321.§.5
ſedes variæ III.619.§.7
ſymptomata III.311.§.5

Hydrocephalus qualis morbus II.38
ab abuſu acidularum & vini II. 52. ʃʃ.13
internus a caſu ab alto III. 318. §. 28
partu difficili III. 318. §. 28
tuſſi ibidem
lapſu in occiput. III. 318. ʃʃ. 28
ejus ſigna III.320.§.2
Hydrophobia II.122.244
ejus cauſa & cura II. 123.124, 245, 246
cura per ſubmerſion. in aqua III.53.§. 58
ſubjectum II.244
Hydrophobi cur aquas metuant II. 245
Hydrops III.310
artificialis II. 240
a Chylo effuſo III.314.§.11
ab Epatis & Lienis vitio III.318.ʃʃ.26
a fibrarum laxitate III.316. ʃʃ. 21
Hydrops ab Iſchuria III.319.§. 30
Lienis III.311.ʃʃ.4
a Lympha inſpiſſata III. 315.ʃʃ. 17
Meſenterii III. 311.§.4
a Meſenterio indurato III,318.§. 26
Omenti III.311.§.4
ab Omento indurato III.318. §. 26
Pericardii III.209.§.31
Peritonæi III.311.§. 4
a pulmonum ſcirrho & vomica III. 318. §.26
a renum vitiis III. 314. §. 12
a ſangvinis & Lymphæ Circulo impedito III. 317. §.25
a ſeri abundantia III.316. § 19
ſero per diapedeſin profuſo III.314.ʃʃ.15
ſero per unitatem ſolutam effuſo III. 315. ʃʃ.16
terrore III. 35
ſudore ſuppreſſo III.314.§. 13
tumore œdematoſo III. 318. ʃʃ. 26
vaſis ſangviferis & lymphaticis compreſſis III. 317 §. 25.
vaſorum ſangviferorum & lymphaticorum laxitate III.316.ʃʃ.20
Venæ cavæ coaleſcentia III.318. §. 27
Venarum & lymphaticorum vaſorum anguſtia III.316.ʃʃ.21
Ventoſus vid. Tympanites.
a ventris contuſione III.318.ʃʃ. 28
Veſicæ vitiis III.314.§. 12
Veſicularis III.311.§.4
ab ulceribus III.318.ʃʃ.28
Urina effuſa III.318.§. 29. 319
Utero III.318.ʃʃ.26
Uteri III.311.§.4
a vulnere III.318.§.28
ſtomachi III.311. ʃʃ. 4
Tubarum Fallop.III. 311.§. 4
Hydropici cur ſitiant II.3
quomodo ſiti liberandi II.4
Hydropicorum purgantia III. 324.§. 8
ſerum an ſit gelatinoſum III. 313. §. 11
Hydropis cauſa juxta Autorem III. 313.§.10. 265 §. 9
Helmont.III. 313.§.9
Galenum III.312.§.6,7
Piſonem III.312.§.8. 313
an ſit ſerũ laudabile III.313.§.11
cauſæ occaſionales III.315.§.17
cura III. 265 §.9. 266
per abſtinentiam à potu III.328 §.18,19
aperientia III.328. §. 20
Chirurgica III.323. §.3
per Clyſteres III.327.ʃʃ.16
diuretica III.325. §. 10
eductionem ſeri extravaſati II. 35,36.III.322. §.2
Fonticulos III.326. §.13
Ligaturam III. 326. §. 13
Paracenteſin III. 326.§. 14
pharmaceutica III.323. §. 3
præſervativa III.327.§.16,17
per purgantia III.323.§. 4.324. §.8.
Hydropis cura an recte fiat per purgantia III. 323 §. 5, 6.
per ſcarificationem III.326. §.13
ſudorifera III.325 §. 12
tonum fibrarum reſtituentia III.328.§.21
veſicatoria III.326. §.15
vomitoria III.323.§.4
deſcriptio III.310.§.1
differentia III 311. §.3
formalitas III.311.§. 2
imminentis ſigna III.319.§.30
pericardii ſigna III. 211. §. 38
præſentis - III.319.§.1
prognoſis III.320.§.4
ſpecies, quibus nocent purgantia fortiora III.324.§ 8
ſymptomata III.311.§. 5
Thoracis cura III. 198.§.32.326.§.14
prognoſis III. 321.§.6
ſigna III. 320.§.2
ſymptomata III.311. §.5
Hydropneumatocele II. 28
Hygrometri fabrica diverſa III.11.§ 38
origo III.11. §. 38
Hygrometrum quid? ibid.
Hymen. I. 219. 225
an ſit ſignum virginitatis I.221,224
Hymenis rupti cruentatio & dolores I.219
Hyoſcyami Cauta propinatio II.77.ſ.
Hypericonis Tinctura I.583
Hyperſarcoſis unde I. 792

quomodo tollenda I. 792
ejus cauſa I. 143
cura per evacuantia III. 498. §. 38
exiccantia III. 498. §. 38
Hypochondriacum malum v. malum
Hyſterica paſſio orta ab ira III. 35.
a menſiũ obſtructione III. 331. §. 1
papillarum mammarum fiſſura III. 648. §. 28
potu Spiritus vini III. 597. §. 33
ſvaveolentibus III. 106. §. 27
an afficiat Uterum III. 593. §. 22, 21
Hyſtericæ excitatæ per evulſionem crinium III. 30. §. 47
paſſionis cauſæ III. 535. §. 13. 592. §. 21
remotæ III. 503. §. 23
cura per anodyna III. 541. §. 19
antiſpaſmodica III. 594. §. 25. 541. §. 19
carminativa III. 595. §. 27
clyſmata III. 595. §. 28
cucurbitulas III. 597. §. 32
diætetica III. 597. §. 33
per Frictiones III. 597. §. 32.
Ligaturas III. 597. §. 32
odores volatiles III. 29. §. 45. 541. §. 19. 595. §. 28
opiata III. 594. §. 25
præſervatoria III. 596. §. 30
per refrigerantia III. 595. §. 26.
reſolventia III. 594. §. 25
ſternutatoria III. 595. §. 28. 135. §. 45
Hyſtericæ paſſionis cura per Ven. Sect. III. 596. §. 31
Vomitoria III. 596. §. 30
diagnoſis III. 592. §. 20
prognoſis III. 593. §. 24.
Symptomata III. 592. §. 20. 535. §. 13
Hyſteromatocia quid? III. 571. §. 3
maximè feſtinanda eſt III. 571. §. 4
an debeat fieri in matre viva III 572. §. 5. 571. §. 3

I.

JAcobi Forolivienſis Scripta I. 21, 22
- de partibus - I. 21
Jalappa quid. I. 465
ejus ſelectus vires ac doſis I. 465
Jaſmini olei præparatio per amygdalas I. 576
per oleum balan. Myrepſ. I. 576
oleum infuſum I. 57, 5576
Icteri cauſa III. 332. §. 5
cauſæ occaſionales III. 335. §. 11. II. 37, 236, 237, 234
cura per alterantia III. 337. §. 16. 338
balnea III. 338. §. 18
diætetica III. 336. §. 14
per gaudium III. 24. §. 26. 31. §. 51
pharmaceutica III. 337. §. 15. II. 37, 38. 237, 335
deſcriptio III. 331. §. 3
differentia III. 332. §. 5. II. 37
etymologia & ſynonymia III. 331. §. 2, II. 333, 334
Flavi cauſa proxima III. 333. §. 6
materia tingens juxta Autorem III. 334. §. 9
Helmontium III. 333. §. 7
Paracelſum III. 333. §. 7
ſigna diagnoſtica III. 335. §. 12. II. 37, 236, 334 730
prognoſtica III. 335, 336. §. 13
ſubjectum III. 332. §. 4
ſymptomata II. 237
Jcterus a depravata diæta III. 336. §. 14
fervore æſtivo III. 336. §. 14
infantum unde? III. 334. §. 10
a menſium obſtructione III. 335. §. 11
paſſione hyſterica III. 329
refrigerio II. 334
Jchthyocolla quid & unde I. 457
ejus uſus I. 457
Idearum origo III. 21. §. 13
Idioſyncraſiæ unde? III. 43. §. 12
ratione odorum III. 106. §. 27, 28.
Jejunium in Plethora utile II. 49
Joh. Jeſſenii a Jeſſen Scripta I. 32
Ignis an ſit acidus I. 561
inſtrumentum Chymiæ I. 510
quotuplex I. 510
gradus quotnam I. 513
natura in quo conſiſtat I. 510, 511
operandi modus I. 512. f.
Ignitio quid? I. 546
Ilei cauſa & ſigna II. 26
cura II. 26, 27
Iliacus dolor vid. Dolor.
Imaginatio ſanitatem reſtituit III. 31. §. 52, 53
Imbecillitas virium in hectica curatur II. 85
Imbibitio quid? I. 546
Immaterialia omnia an agant eodem modo I. 167
Immaterialitatis dantur gradus diverſi I. 166
Immerſio I. 546
Imperatoriæ deſcriptio I. 492
Joh. Bapt. Imperialis Scripta I. 32
Impetigo II. 43
Impotentia a pituita III. 306. §. 4
Impotentiæ virilis cauſa II. 144, 145
cura I. 498. II. 145, 146
cura per dolorem III. 28. §. 40.
Incidentia I. 768, 769. III. 308. §. 10. 309, §. 10. 327. §. 17
Incineratio quid. I. 546
Inciſio I. 546
Incontinentia urinæ vid. Diamne.
Incraſſantia I. 765. 766, 767, 768. II. 25, 29. t. 52, 53, 56, 87. III. 395. §. 32
Incubus qualis morbus II. 129. 285, 286
Incubi cauſa II. 129. 286, 287
cura II. 129, 130. 287
Indicantium doctrina I. 732
Indicatum quid ſit I. 732
Indicus color quid & quotuplex I. 351
ejus bonitatis notæ I. 352
Indignationis phænomena III. 44. §. 16
Infantes alias conditiones corporum à nutricum lacte accipiunt III. 617

cur ejulent III.617.§.19
Infantibus an tuto lac alienum præbeatur? III. 615.§.14
lac maternum primum dandum? III.616.§.16
quoties lac præbendum de die III. 617. §.19
Infantum abluitio quomodo fiat I.255
applicatio ad mammas III.615.§.13
Commotio per Cunas III.615.§.12
Ecchymomatis in facie Cauſa III.620.§.8
Cura III 620.§.8
formatio quoad Caput I.255
involutio ac repoſitio in Cunas I.255. III.615.§.12
Lactationis vitia III.621.§.13
vitiatæ Cura III.621. §.13. 622.§.14
Loquela vitiata III.637.§.35
Lues Venerea a nutrice infecta III.636. §.33
Mores a lacte nutricum mutantur III. 616.§.17
Morborum a lacte acido Cura III.625. §.25
Morbi a lacte coagulato III.624.§.23
Morborum a - - Cura III. 624. §.23,24
ſigna III.624.§.23
Morbi a lacte pravo aſſumto III.624.§.22
Morborum a - - - Cura III.624. §.22
purgatio a Meconio III.621.§.10
regimen in ſtatu præternaturali III. 618. §.1
mutatum III.617 §.21
reſpiratio impedita à debilitate III. 618. §.2
reſpirationis excitatio per balnea III. 618.§.2
inflationem ib.
Scorbutus à lacte nutricis ſcorbuticæ III. 636.§.33
Soporis Cauſa III.621.§.12
Cura III.621.§.12
Vigiliarum Cura III.621.§.11
Vomitus a lacte nimio aſſumto III. 623. §.21
Cura III.624.§.21
Inflammatio ab Aere ſicco III.14.§.50
Aere æſtuoſo III.401.§.7.8.§.29
Aurium lethalis II.112.a
Critica II.185.c
Externa II.51
Inteſtinorum Ilei Cauſa II.27
Lienis II.54
Mammarum II.288.ſqq.
Renum v. Nephritis.
Teſtium II.144
Veſicæ v. Veſica.
Inflammationum Cauſæ II.51.64.x.III.70.§.20 II.294
Cura II.51.I.773,774
per terrorem III.28,§.38
Signa II.51.730
Vulnerum Cauſa III.493.§.26
Inflatio Abdominis unde II.172
ejus ſigna II.173
Infuſio Chymica I.546
Infuſorum formulæ I.707,708
ingredientia & præparatio I.707
Joh.Ingolſtetteri Scripta I.31
Inſania ab amore nimio III.35
Inſectorum generatio I.214.
Uſus Chymicus I.497
Inſolatio Chymica I.546
Inſomnia I.194
an ad ea anima rationalis concurrat I.195
turbulenta II.128
cum Vertigine II.274
eorum Cauſæ II.128.275
Cura II.128,129.275
Inſpiratio quomodo fiat III.179.§.17.I.155
Experimentis probatur III.179.§.18.
an fiat per attractionem aeris I.157
pulſum aeris I.157.160
Inſpiſſatio Chymica I.546
Inſtinctus naturalis in brutis quid ſit? III.19.§.7
Inſtrumenta Chymica activa I.510
paſſiva I.525
Inſtrumentaliter ſe habere quid ſit? I.67
Intellectus mentis I.166
ſenſuum I.166
Intertrigo a motu exceſſivo III.405,§.27
Intertriginis Cura III.625.§.27
Inteſtina an omnia hernias poſſint cauſari III. 500.§.6
Inteſtinorum diviſio III.500.§.4. I.96
Contorſio II.27
Inflammatio II.27
ab herniis III.502.§.7
ingreſſus mutuus II.26
Morbi II.19
motus periſtalticus I.96,97
inverſus II.27
tunicæ ac valvulæ I.96
Inviſcantia III.240 §.13.I.765.ſqq.
ſunt antacida I.771.III.481 §.2.
an penitus acida deſtruant III.481.§.2
obſtruunt I.782
ſalſedinem obtundunt I.772
in ſtranguria experta II.59
Joh.Alexandrinus quando vixerit I.15
Johannis Anglici Scripta I.21
de Mediolano Scripta I.19
Jovialia an poſſint ſolvi Spiritu Salis III.460.§.10
Ira alvum ſolvit III.26.§.32
humores alterat III.635 §.27
reſolvit III.24.§.26
morbos frigidos curat III.23.§.21
mortem inferre poteſt III.39.§.6
Paralyſi medetur III.23.§.21
Podagram tollit III.22.§.20
Iræ Origo III.44.§.18
Phænomena I.199
Symptomata III.22.§.17.43.§.15

Iris Aquatica I.484
Irroratio quid I. 547
Iſchæma III.236 II.53.222
in Plethora III.237,238.§.7,8
Iſchæma in ſangvinis aquoſitate III.243.§.20
Orgaſmo III.239.§.13
Vulneribus III.243,244.§.22
Iſchæmorum definitio & onomatologia III. 236. §. 1
Iſchiadicum Malum v. Arthritis
Iſchuria ex Caſeo Holland.& Cereviſ.Wettin II. 57.b.
a Pituita III.305.§. 4
a refrigerio pedum II.57.a
Iſchuriæ & Dyſuriæ differentia II.56
Cauſa & Cura II.57
Cura per gryllos vivos applicatos III.27. §.35
Gravidarum Cura III. 557 §. 14
Symptomata II. 56
Iſis Medicinæ inventrix I. 5
Judicium ſuo modo competit brutis III. 10.§.9
Juglandium nucum conditura I.597
Jujubæ quid & unde I. 391
earum vires I. 391
Julapium in ſiti egregium II. 4. e.
Julepi antiquorum I.701
Juleporum formulæ I.701, 702
Julius Alexandrinus quando vixerit I. 13
Lud.Jungermanni Scripta I. 39
Juniperi deſcriptio I.413. 378
Sal volatile I.581

K.

Kaskarilla quid I.399
Ludov.Kepleri Scripta I. 42
Kerkringius plagii accuſatur I.246
Henr Khunrathi Scripta I.28
Joh.Georgii Kirſteinii Scripta I. 41
Petri Kirſtenii Scripta I. 37
Chriſtoph Knauti Scripta I. 51
Joh. Sophr. Kozacki -- I. 47

L.

Labii leporini cura III. 174.§.70.622.§. 4
Labiorum uſus in loquela III.155.§.7
Laboratorii Chymici commoda conſtructio I.525
Lacca Florentina quid, cujusque uſus I.352
ejus parandæ modus I.352.III. 443.§. 6
Lacca Muſica quid, modusque confectionis I. 353
in rotulis I.352, 353
Laccæ gummi quid, cujusque uſus I.422, 423
Lac Lunæ quid & unde I.353
operandi modus III.456.§.7
cujusnam uſus I.354
Lac muliebre contra Varos ſpecificum II. 45
Lac an ex chylo generetur I.256,259.III.639.§.4
an ex ſangvine --- I.256,257,258
ubi generetur I.257,259.III.639.§.3
quomodo ſecernatur III. 639.§.5
Lactantium valetudinarium III.638
Lactatio artificialis II.255
Lactationis hiſtoria I. 255.III.639. §. 2.
impedimenta III.629,630.641.§. 4
Lactis abundantis cauſa III.646,645.§.21
cura III.631.§.16,652.§.14,15
incommoda III.631.§.16
acidi cura III.624.§.23,24.625.§. 25
alteratio ab ira III.635.§.27
a concubitu III.635.§.31
ab intemperantia III.635.§. 29
orgaſmo venereo III. 635. §. 31.
644.§.17
Lactis coagulum ab acidis aſſumtis III.643 §.11.
a frigore III.635.§. 30.643.§. 12
a mœrore III.635.§ 28.643. §. 13
a ſeri diminutione III.642.§.10
a terrore III.635.§.28
Lactis coagulati cura II.166,167.III. 649,650
Lactis color naturalis III.632.§.20
vitiatus a medicamentis III.632. §.20
ab aliis cauſis III.644.§.16
vitiatus quomodo reſtituendus III. 650.§.9
Lactis conſiſtentia laudabilis III.632. §.18
Lactis corrupti ſigna, cauſæ & cura II.165,166, 167
corruptio ex Lue Vener.III.636.§. 33
a ſcorbuto III.636,§.33
Lactis defectus a caliditate nimia III.635.§.30
circa initium ac progreſſum III. 645.§. 18,19
Lactis deficientis cauſæ III.628.§. 6. III. 631. §.15. 645.§.19,20
cura II.166,III.623.§.18.651.§.11, 12, 13
ſigna III.630.§.14
Lactis efficacia in mutandis moribus III. 633, 634. § 24,25
effluxus impeditus III.628.§.5
Lactis odor naturalis III.633.§.22
vitiatus quare III.633.§.22.643.§. 14
reſtituitur III.650.§.9,10
Lactis ſapor naturalis III.632.§.21
ſaporis vitiati cauſa III.644 §. 15
cura III.650.§.9,10
Lactis ſeroſitas unde III.623.§.19. 632.§. 19. 642. §.7, 8
quomodo cognoſcenda III. 641. §. 5
corrigenda III.623.§.19. 649.§.56
Lactis ſpiſſitudo quomodo cognoſcenda III. 641. §. 5
Lactis ſuctio quomodo fiat II.257,260.III.640.§.6
unde ab infantibus diſcatur I.242
Lacrymæ per frigus expreſſæ III.10.§.35
ſangvinis qualitatem indicant I. 725
Lacrymarum fluxus continuus quare contingat II.103
quomodo curandus II. 103
viſciditas unde II.103
quomodo curanda II. 104
Lactuca Venerem ſtimulat II. 146. vv.
Ladanum quid & unde I.425
cujus uſus I.425
Lætitia mortem accerſivit III.38. §.5
Lævigatio I. 547
Laminæ plumbeæ pollutiones noct. reprimunt II. 148

Laminatio I.547
Lanfranci Mediolanenſis ſcripta I.19
Chr.Langii ſcripta I.42
Cephalicum externum II. 120
nectar adſtringens II. 19.y.56.z.
Langvoris cauſæ I. 795, 793,794
remedia I.793,794,795,796
Lapides antacidi & non antacidi III.458.§. 9,457. §. 8
per uſtionem antacidi III 456.§. 8
an ſal fixum alcal.præbeant III.470. §. 2
Lapides pretioſi an ſint antacidi III.456.§.8
Lapidis infernalis præparatio I. 685
Lapidum præparationes Chymicæ I. 503, 504. 626
Lapis Ætites quomodo in partu difficili operetur III 579,580.§.26
Armenius quid & unde I.310.478
cujus uſus I.311.479
Bezoar quid & quotuplex I.450,452
Calaminaris quid & cujus uſus I.311.312
Lapides Cancrorum cujus uſus I.436.497,498
Carpionum quotuplic.& cujus uſus I. 442
Lapis Ceraunius qualis, quid,& unde I. 312,313
cujus uſus I.313
de Felle bovis quid & cujus uſus I 453
Foſſilis quomodo operetur III. 457
Hæmatites quid & quali textura I.313, 314
quotuplex & cujus uſus I 314
Judaicus quid I. 314
quotuplex,unde & cujus uſus I.315
Lazuli quid I.315.478
quotuplex & cujus texturæ I.316.478. III.458.§.9
uſus I.316. 478
Lyncis quid & cujus figuræ I. 316
unde & cujus uſus I. 317
Manati quid III.417.420.§.17. 18
differt a lap.Tuberon. III. 417.§. 3,4. 420. 421
cujus figuræ ac coloris III.421.§. 20
cujus naturæ III. 422, 423
ubi reperiatur III.420.§. 14
quas vires poſſideat III.423.§.4,5,6. 424.§.8.425
quomodo uſurpandus III. 425, 426
Nephriticus quid & quotuplex I. 329
quomodo a Jaſpide differat I. 329
unde & cujus uſus I. 330
Percarum cujus uſus I.442
Smirites quid & quotuplex I.320
unde & cujus uſus I.320
Specularis cur ita dicatur I. 317
unde,quotuplex & cujus uſus I.317, 318
Spongiæ quid ſit I. 318
in calculo & ſtrumis prodeſt I.318
Lardum variolas repellit II. 253
Larix qualis arbor I. 383
Laryngis cartilagines III.153.§.14.
muſculi ibid.
Laſciviæ nimiæ cura III. 540.§.16
Laſſitudo ab aëre humido III.12.§. 43
a pituita III. 306. §. 4
a ſangvine ſpiſſo III. 8. §. 28
Henr.Lavateri Scripta I. 32
Petri Laurembergii Scripta I. 37
Wilhelm. Lauremb. -- I. 29
Andr.Laurentii Scripta I.29,31
Laureola quid & quotuplex I. 480
ejus doſis ac præparata I.481
Lauri baccarum ol.expreſſum I.571
Joh.Lauterbachii Scripta I.30
Joh.Lechelii Scripta I. 47
Leipyria quid II. 85
Lenitiva medicamenta I.742.III.260.§.18
quomodo operentur III.260.§.18
Lentigines quid I.45
earum cauſa & cura II. 46
Lentiſci deſcriptio I.379.417.
N.Leoniceni Scripta I.22
Leporis coagulum I. 457
cineres diureſin movent I. 498
tali quid proſint I. 442, 443
Lepra Arabum II.43.f.
Græcorum ibid.
Lethargi cura per ſternutatoria III.132.§. 34
Leuca II. 43.f.
Levcophlegmatia a pituita III. 305.§.4. vid.Anaſarca.
Leviſticum qualis planta I. 492
cujus uſus I. 492
Andreæ Libavii Scripta I.30
Lien an deficere poſſit I.135.II. 55.f.
an hæmatoſeos officina I. 109
motum ſangvinis retardet I. 135
ſecretionem bilis adjuvet I. 135
Lienis ſcirrhus unde III.305. §. 4
ſubſtantia III.223.§. 53
vitia,eorumque cura II.54,55
Lienteria II. 19
a pituita III.304.§.4.
Lienteriæ ab atonia cura III.278.§.32.II.19
ab apoſtemate & aphthis cura III.279. §. 32
a frigore cura II. 19.x.III.279.§.32
Ligaturæ uſus in ſangvine ſiſtendo III. 239.§. 11. 244.§.24
Lignorum deſtillatio I. 568,569
Lignum Aloes quale I.373
cujus arboris & quotuplex I. 374
cujusnam uſus ſit I. 374
Aſpalathum quid & quotuplex I. 374
ubi naſcatur I. 374
Braſilianum quid & quotuplex I. 375
cujusnam uſus I.375
Buxi quid & cujus uſus I. 376
Colubrinum quid & quotuplex I. 375
cujus uſus I.376

Lignum Cupreſſi quale I.376
nomen unde & cujus uſus I.377
Cydoniorum I.377
Ebenum quale & cujus arboris I.377
quotuplex & cujus uſus I.377, 378
Fraxini, ejusque uſus I.378
Gvajacum quale, & cujus arboris I.378
unde & cujus uſus I.378
Juniperi I.378, 379
Lentiſci quid & unde I.379
cujusnam uſus I.379
Nephriticum ex qua arbore I.379
cujusnam uſus I.379, 380
Rhodium quale I.380
cujus arboris & uſus I.380
Saſſafras quid & quotuplex I.380
cujus arboris radix I.380
cujusnam uſus. ibid
Santali quotuplex I.381
cujus arboris & unde I.381
cujusnam uſus I.381
Limatio I.547
Anton. Antonid. v. Linden I.35
Joh. Antonius v. Linden I.42
Joh. Hugo a Lindſchotten I.29
Lingva exſecta an loquela ſupereſſe poſſit I.207, 208, 210
Lingva guſtus organon III.139. §.9. I.180
Lingvæ apex conſonantes format III.155. §.6
exulceratæ cura III.173. §.65
paralyticæ cura III.173 §.66
tumidæ cura III.172. §.61, 62
uſus in loquela III.154. §.5
vulneratæ cura III.173. §.64
Lingvæ papillulæ deſcribuntur III.140. §.12, 13. 141. §.14, 15. I.180
Linum incombuſtibile quomodo paretur I.308
Lipopſychia II.231
Lipothymia ab aere rarefacto III.180. §.22
ex caſu ab alto II.321
gravidarum unde III.548. §.13
Lipothymiæ cauſa II.132
cura II.132, 133. III.133, §.37
differentia a Syncope II.132, 298
Lippitudo a frigore III.19
curatur per ſternutatoria III.134. §.40
Liquatio I.547
Liquor Alcaheiſt Glauberi I.631
Liquor amnii an nutriat fœtum I.242
unde proveniat I.246, 247
an ſudor ſit I.246
in partu profuſus cujus uſus I.248
Liquor C.C. ſuccinatus I.646
mineræ martiſolaris quomodo parandus I.642
Liquores mixti quomodo ſeparentur I.137
Liſteri circa Cantharides opinio II.61. n.
in Ictero experimentum III.38. q
Literæ quomodo formentur III.154. §4. I.206
Lithanthracum natura & uſus I.503
Lithargyrium quid & quotuplex I.354
unde & cujus uſus I.354, 505
Lithargyrium cum aceto coctum in prolapſu ani prodeſt II.29. x.
Lithontriptica an verè dentur II.63. u. I.751
Matth. Lobelii Scripta I.30
Locchia quid ſint III.598. §.34. II.161, 254
quomodo ab hæmorrhagia differant III. 225. §.6
Locchiorum fluxus unde II.161, 254. III.598. §.34
fluxus nimius unde II.162, 598. §.36
fluxus nimii cura II.163, 255, 601, §.41. 602, 603
nomen unde III.598. §.34
Locchiorum parce fluentium ſigna III.598. §.35
ſuppreſſorum cauſæ II.162, 254. III. 598. §.36
cura II.163. 255. III.599. §.38. 600, 601
ſigna II.162, 255. III.598 §.35
Locchiorum fluxus vitiati cauſa III.598. §.36
cura diætetica III.603. §.44
ſymptomata III.598, 599
Joh. Lœſelii Scripta I.40
Loquela quid ſit I, 206. III.147. §.1
brutorum qualis III.149, 150. §.8. 9. I.167, 208
Loquela ſalva reſecta licet lingva I.207, 208, 210
an mente perficiatur immediate III.148. §.5
connata nobis III.159. §.6
in inſpiratione formetur I.207. 210
Loquelæ adjumenta III.154, 155
defectus an ſit aphonia III.157. §.3
ob ſurditatem nativam III.158 §.5
difficultas III.157. §.3.
efficiens cauſa III.148. §.2, 3, 4.
læſæ cauſa III.158. §4. 159 §.7, 8, 9. 160. §.10, 11. 161. §.12, 13, 14, 15. 162. §.16, 17, 18. 163. §.19, 20, 21. 164. §.23, 24, 25, 26, 27. 165. §.28, 29, 30. 166. 31, 32, 33, 34, 35. 167. §.36, 37, 38, II.141
Loquelæ ex mentis vitio læſæ diagnoſis III.167. §.39
organorũ vitio læſæ diagnoſis III.168 §.41
ſpirituum — -- -- III.168. §.40
Loquelæ ex angina læſæ cura III.171 §56
buccis vulneratis læſæ cura III.170. §.50
dentium vitiis læſæ cura III.175. §.75
fauciũ vitiis læſæ cura III.172. §.59. 60
labiis leporinis læſæ cura III.174. §.70
laryngis conſtrictione læſæ cura III. 171. §.55
inundatione - - III.172
paralyſi - - III.171. §.57
lingvæ vitiis - - III.172, 173. §.61 - 67

maxilla

maxilla luxata læſæ cura III. 174. §. 69
narium vitio læſæ cura III. 175. §. 73
nervorum obſtructione læſæ cura III. 169. §. 46
œſophagi - - - III. 171. §. 54
organor. reſpirat. motu abolito læſæ cura III. 170. §. 48
palati vitiis læſæ cura III. 175. §. 74
pleura inflammata læſæ cura III. 170. §. 51
pulmonum vitio læſæ cura III. 170. §. 52
ranulæ vitio læſæ cura III. 174. §. 68
ſpaſmodico conſenſu - - III. 169. §. 45
ſpirituum defectu - - III. 169. §. 44
torpore - - III. 169. §. 47
temulentia læſæ cura III. 169. §. 47
thoracis inundatione læſæ cura III. 170. §. 50
trachea vulnerata - - III. 170. §. 53
vertebris luxatis - - III. 171. §. 55
uvula prolongata - - III. 175. §. 72
Loquelæ materia III. 150. §. 1. I. 206, 207, 209
modus III. 156. §. 11.
officina III. 154. §. 1
organa I. 206. III. 154
reſtitutæ per fulmen hiſtoria III. 29. §. 44
iram -- III. 28. §. 40
Jeremiæ Losſii Scripta I. 46
Joh. Petri Lotichii Scripta I. 39
Lotio Chymica I. 548
Ludus Helmontii quid III. 459. §. 9
Luis Venereæ cauſæ & cura II. 47
contagium II. 47. t.
ſymptomata II. 46
Raym. Lullii Scripta I. 21
Lumborum dolentium in gravidis cura III. 556. §. 9
nervi I. 147
Lumbrici terreſtres an ſolum tactus ſenſu gaudeant I. 164. 168
quotuplicis generis I. 433
quomodo deſtillandi I. 613
cujus uſus I. 433
Luna an operetur in corpora humana I. 223
Lunæ Cupellatio I. 684
cryſtalli I. 685. III. 366. §. 23
dealbandæ modus I. 684
tincturam parandi modus I. 685
Lunam ſpuriam parandi modus I. 674, 675
Lunaticus morbus quid III. 58. §. 1
Lupia qualis morbus II. 190
ejus cauſa & cura II. 191
Lupus qualis morbus II. 203
ejus cauſa & cura II. 203, 204
naſi quid III. 122. §. 5
Lupus animal in ol. infuſus remedium antipodagr. I. 498
Lupi hepar officinale I. 443
inteſtina officin. I. 443
ventriculus officin. 443
ad quid prodeſſe credantur I. 433
Luxatio coſtarum curata III. 182. §. 30
repoſita per terrorem III. 29. §. 41
vertebrarum cognoſcenda III. 242
curanda II. 243. III. 182. §. 29. 623. §. 17
Luxationum cauſæ II. 209
compoſitarum cura II. 211, 212
cura II. 210, 211
ſigna II. 210
Symptomata, eorumque ratio II. 243
varietas II. 209
Lycus Macedo Medicus I. 13
Lympha an acida I. 128. 130. 84. 126
gelatinoſa I. 128. 130. 84
inſipida I. 128. 130
Lympha ſtomachalis an detur I. 84. 124
in embryone unde I. 243
Lymphæ coagulum a frigore III. 9. III. 315. §. 17
ex ſpirituoſorum abuſu III. 315. §. 17. thermarum abuſu III. 315. §. 17
hydropis cauſa III. 315. §. 17
Lymphæ motus demonſtratur I. 125
an a centro ad peripheriam I. 127
Lymphæ natura I. 84
Lymphæ ſecretio I. 124
quomodo fiat I. 127, 129, 130
ubi, an in tubulis extremis arteriarum I. 127, 129
unde an ex chylo I. 127, 129
ſangvine I. 127, 128
ſucco nervorum I. 127, 128, 129
Lymphæ uſus, an ſit alimentorum promotio I. 128
fermentatio effœti ſangvinis I. 128. 130
motum cordis adjuvare I. 128
Lymphatica vaſa. vid. vaſa
Michaelis Lyſeri Scripta I. 41

M.

Joh. Georg. Macaſii ſcripta I. 39
Maceratio I. 549
Machaonis vita I. 9
Machina hydraulico-Pnevmatica quid III. 3
Machinæ & brutorum differentia I. 69
hominis differentia III. 2
Papinianæ operatio admiranda I. 515. 517
Machinarum artificioſarum exempla I. 68.
motus III. 3
Macis quid I. 402
Macies virginum a fluore albo III. 534. §. 10
Æmilii Macri Scripta I. 13
Maculæ criticæ quid III. 355. §. 5
hepaticæ quid II. 45
earum cauſæ II. 45, 46. III. 355. §. 5
cura II. 46
ſymptomaticæ quid III. 355. §. 5
volaticæ quid & unde II. 106
Batavis frequentes II. 107. h.
curandæ II. 106, 107. III. 134. §. 41
Magiſteria ex animalium partibus I. 612
ſolubilia quomodo paranda I. 612

cujus uſus ſint ibid.
Magiſterium diureticum ex teſtis ovorum I. 496
Rudolphi Magiſtri Scripta I. 33
Magnetica emplaſtra quanti facienda I, 786
Magnus Antiochenus Medicus I. 14
R. M. Maimonidis Scripta I. 17
Malacia abortus cauſa II. 6. r.
fœtum ſignat II. 6. r.
Malaciæ cauſæ II. 6. ſ. 7. III. 546. §. 5
cura II. 7. III. 552. §. 3
deſcriptio II. 6
exempla II. 6. r. III. 546. §. 5
Malignitatis febrilis cura III. 346. §. 23
gradus diverſi III. 354. §. 2
ſubjectum III. 354. §. 2
Marcell. Malpighii Scripta I. 51
Mali hypochondriaci cauſæ II. 33, 34. 273
cura II 34, 273
ſedes II. 273
ſymptomata II. 33
Malum hypochondriacum inveteratum II. 271
qualis morbus II. 33
a pituita III. 305. §. 4
Malum Iſchiadicum v. Arthritis.
Mammæ tumor in abſceſſum abiens II. 289, 290
ex lactis coagulo III. 646. §. 23
ex lactis ſtagnatione II. 287, 288
Mammæ tumoris ſymptomata III. 646. §. 23
Mammarum abſceſſus quomodo curandus III. 653. §. 18, 19
cancri & carcinomatis cauſa III. 647. §. 26
cancri exulcerati cura III. 654. 655
carcinomatis cura III 654. §. 22
definitio III. 628. §. 4
doloris tenſivi cauſa III. 640. §. 1
exareſcentium cauſa III. 628. §. 6. 629. §. 9
flacciditas unde III. 631. §. 17
glandulæ quomodo conformatæ III. 639. §. 5
incrementum a ſuctione III. 628. §. 7
inflammatarum cura III. 653. §. 17
Mammarum lacte coagulato turgidarum cura III. 183. §. 35. III. 652. §. 16
œdematoſarum cura III. 654. §. 20
ſcirrhi unde III. 647. §. 25
ſcirrhoſarum cura III. 654. §. 21
ſtructura I. 255. III. 639. §. 3
ulcera III. 646. §. 24, 25
uſus III. 628. §. 4
Manati Piſcis unde nomen III. 418. §. 6
qualis ſit III. 418. §. 8
quomodo differat a Phoca III. 418. §. 7
a Tuberone III. 419. §. 10, 12
Joh. Alb. a Mandelsloh ſcripta I. 37
Mandibulæ Lucii piſcis cujus figuræ I. 443
cujusnam uſus I. 443
Mania ex amore nimio III. 35
ex menſium ſuppreſſione III. 526, §. 15
Maniæ cauſa II. 121
cura II. 122. III. 33. §. 59
ſymptomata II. 121
Manna Calabrina quid ſit I. 425, 426. 468
cujus naturæ I. 426. 468, 469
cujus uſus I. 426, 427. 469
Mannæ origo & ſpecies variæ I. 426, 469
præparata & doſis I. 426, 427, 469
ſpiritus acidus I. 570
Manuum mortificatio a frigore III. 9. §. 34
Barthol. Marantæ Scripta I. 25
Joh. Marci Marci Scripta I. 43
Marga quid ſit I. 285
Margæ differentia I. 285
locus natalis ibid.
uſus in arte medica ibid.
fœcundandis agris ibid.
Margaritæ quid ſint I. 365
Margaritarum diviſio I. 366
ortus & generatio I. 366, 367
præparata I. 367
uſus in Medicina I. 367
Georg. Marggravii Scripta I. 38
Georg. Marii vel Mejeri -- I. 28
Marmora duo polita cur cohæreant? III. 4
Marſilii de S. Sophia Scripta I. 22
Martialia in Cachexia egregia II. 37
Ictero egregia II. 38
quomodo operentur III. 468. §. 17
Henrici Martini Scripta I. 45
Martis Croci ſolubiles III. 465, §. 14
per ſalia ſalſa parati III. 466. §. 15
per ſalia alcalia parati ibid.
quomodo operentur in malo hypochondriaco III. 466. §. 15
verè antacidi III. 466. §. 15
Martis Crocos adſtringentes parandi modus I. 670, 671
aperitivos parandi modus I. 671
Martis Crocus per calcem vivam paratus an ſit antacidus III. 465. §. 14
per ſulphur paratus III. 466. §. 15
juxta Stiſſerum quid III. 465. §. 14
Martis facultas duplex unde I. 670, 671
flores parandi modus I. 670
limatura quantum acidi abſorbeat III. 467. §. 15
præparata I. 669
an omnia antacida III. 465. §. 14. I. 771
tinctura & extractum an ſint antacida III. 467. §. 16
tincturas adſtringentes parandi modus I. 672
aperitivas parandi modus I. 672
N. Maſſæ Scripta I. 25
Maſticationis deſcriptio I. 79
neceſſitas I. 80
operatio duplex I. 80

Maſtica-

Maſticationis læſio ex dentium carie II. 9
ex dentium dolore II 7
ex dentium ſtupore II. 9
ex dentium vacillatione II. 9
Maſticatoria medicamenta III.260.§. 9
an evacuent univerſaliter III.260.§.19
quomodo operentur III.83.§.24. 25. 260. §. 19
an ſangvinem depurent III.260.§. 19
Maſtiche alba I.417
in granis unde, cujusque uſus I. 417
quibus præparatis inſerviat I 418
Materia an ſit ſenſus incapax I. 165
Materiæ eſſentia juxta Carteſium I. 165
Mater Perlarum in officinis non genuina I.367
quid, cujusque uſus I. 367
Joh Mattenburgi Scripta I. 34
P. Andr. Matthioli -- I.24, 25
Maxillæ fractura ab extractione dentis III. 89. §. 43
luxatæ cura III.174.§.69
Mechoacannæ plantæ qualis I. 466
præparata, ibidem.
radix officinalis ibid.
ſelectus ibid.
Meconii provocatio neceſſaria I. 255.III.615, 621
Meconium an embryonis nutrimentum I. 247
unde virideſcat I. 242
Mediaſtini inflammati ſigna III.392. §.20
Medicamentorum color qualis eſſe debeat I.691
diviſio III. 191. 249
Medicamentum quid III.191.§. 1
unde deſumantur I.733.
Medicina inventa tentando I. 6. 7
Medicina Principibus olim culta I. 6
Sacerdotum munus I.8
Medicinæ ars ab Adamo poſteris relicta I. 6
Autor Deus I.5
fundamenta I. 731
Inventores I.5,6
veterum facies I.7
Medicinam petendi modus apud veteres I. 7.8
Medici Officium in Partu difficili III. 573
Medico ſcitu neceſſaria I.731
Medicorum miſeria & felicitas unde III.31.§.52
Medulla Saxorum I. 285
Medullæ ſpinalis nervi I. 147
ſubſtantia duplex I. 146
Thomæ Meermanni Scripta I.30
Henrici Meibomi -- I. 52
Joh.Henr.Meibomii - I. 40
Mel quid & quotuplex I. 458
in Aphthis egregium II. 174.x.
cujusnam uſus in Chymicis I.497
in Pharmacevticis I.459
Melampus furioſos helleboro reſtituit I. 9
Melanagoga quænam I. 692
Melancholia qualis morbus II. 119
ex menſium ſuppreſſinoe III. 526. §. 15
a pituita III.305. §. 4
ſublata per riſum III.23.§.23
per verbera III.33.§.59
Melancholiæ cauſa I. 798.II. 119
cura I.798.II.119
Melancholiæ uterinæ cauſa III. 534.§.11
cura III.540.§.17
differentia a Furore uteri III. 534.§.12
Melancholicorum urina qualis I. 730
Melanteria quid ſit I. 304
Melas qualis morbus II.43.f.
Meliceris qualis morbus II. 190
ejus cauſa & cura II. 191
Mellis acetum parandi ratio I. 566
deſtillatio I. 620
ſpiritus ardens I.620
tincturam parandi modus I. 620
Melones Choleræ ſiccæ cauſa II.18. u.
Membranæ fœtus utrum rumpantur an evolvantur I. 249, 251. 252
cur non ſint rutilantes I. 142
Membranarum origo I. 487
in cartilagines transmutatio I. 143
Memoria quid ſit II. 118
an ſomni tempore operetur I. 195
an ſomni tempore planè quieſcat I. 195, 196
Memoriæ imbecillis cura I.192
læſæ cauſa II. 118.324, 325
læſæ cura II. 118. 325
læſæ deſcriptio II.118.323
læſæ reſtitutio per ſternutatoria III. 134. §.39
ſedes I. 189, 190 193
Menecrates Syracuſanus Medicus I. 9
morbi ſacri cura celebris I. 9
Mens quid? III.40. § 3
afficitur ab animi affectibus III.40. §.3
cooperatur in animi commotionibus III. 20.§.10
an perpetuo cogitet? I. 165
eſt immaterialis III.40 §.3
non immediate influit in organa III. 148. §. 5
motum ſpirituum determinat III.20.§.10
motuum in organis contingentium an cognitionem habeat III.149.§.6
pugnat interdum cum anima ſenſitiva III.20 §. 10
Menſes quid ſint I. 218
cientia medicamenta III. 259 §. 16. 266. §. 10. 267
an effluant ex cervicis uteri vaſis I. 221. 224
cur emaneant geſtationis & lactationis tempore I. 224
cur fluant ex vagina uteri I.218
an fluere poſſint in ſangvinis penuria I. 220
fœtus nutrioni deſtinati 219
inſtantes cur lumborum dolor præcedat I. 221. 224
an pubertatis ſignum I. 220
an ſangvis laudabilis III.258. §. 16
an virulentus ſangvis I. 175
Menſium acrimonia an perpetua ſit I.222, 223

acrimoniæ cauſa III.533.§.8
aquoſitatis cauſa III.533.§.9
cura III.539.§.13
defectus naturalis in vetulis III.522.§.8.II.150
defectus præternaturalis II.150.III.522.§.8
ſterilitatis cauſa III.513.§.24
quæ ſymptomata afferat II.150
unde proveniat II.151.III.522.§.8
unde reſtituendus II.151,152
emanentium in virginibus ſymptomata III.532.§.5
fluxus unde dependeat I.218.III.533.§.6
an a lunæ curſu & recurſu I.220, 223
an ab uteri fermento I.220, 223
fluxus cur per genitalia contingat I.220
fluxus primus quando contingat III.532 §.4.
quænam ſymptomata habeat ibid.
fluxus toto geſtationis tempore durans I.224
ad annum 70.& 80.durans I.221.224
fluxus doloroſi cauſa II.153.154
cura II.154.III.539.§.12
fluxus nimii cauſa II.152,153 III.533.§.7
cura II.153.III.539.§.11
fluxus parcioris cauſa III 533.§.7
obſtructio a terrore III.24.§.24
curatur per ſternutatoria III.135.§.44
Menſium ſuppreſſio quid III.519
ab aere & calido & frigido III.524.12
a cibis,potuque gelido III.524.12
ab excretis & retentis ibid.
a motu aut quiete nimia ibid.
ab orgaſmi defectu III 537.§.4
a pathematibus III.525.§.12
a pituita III.305.§.4
a ſomno & vigiliis III.524.§.12
Menſium ſuppreſſio naturalis in gravidis III.521.§.3
picæ cauſa II.7
quomodo morborum cauſa III.526.§.15
quam uteri partem afficiat III.521.§.5
ubi,an in venis aut arteriis contingat ibid,
Menſium ſuppreſſorum cauſæ III.522.§.6,7,8.II.235
cura II.235.III.526.§.16
cura Chirurgica III.527.§ 16
cura Diætetica III.529.§.19
Pharmacevtica III.527.528,529.§.18.537.§.4,5,6.538.§.7.8,9.II.235
Menſium ſuppreſſorum diagnoſis ab ingravidatione II.151.307.III.525.§.14
hiſtoria II.234
hiſtoria in ſuſpecta II.306.309
ſymptomata,eorumq; ratio II.235
Menſtrua quid & quotuplicia I.516
aqueæ quid ſolvant I.516,517
ſalina quotuplicia I.519,520.ſeqv.
ſulphurea quænam I.518
quid ſolvant I.519
Menſtruus ſangvis in varis ſpecificum II.45
Menſtruum ſtomachi an acidum I.84.86.89
an ſalino volatile oleoſum I.85,86.87
an chylificationis cauſa I.84,85
Menſtruum ſtomachi vitioſum apepſiæ cauſa II.13.a.
univerſale an detur I.516
Ludovici Mercati Scripta I.26
Hieronymi Mercurialis ſcripta I.29
Mercurialia Antacida remedia I.771.III.461.§.11
dentium mobilitatem gignunt II.9
in ſcabie expertiſſima II.43
Mercurii natura & operandi modus I.755,756.III.291.§.29.462.§.11.
Mercurius an alcali ſit I.339.682
corporum quid I.678
crudus in Ileo utilis II.27.q.
dulcis ætiologia I.680,681.I.474
qua doſi exhibendus I.474
quomodo præparandus I.680
Mercurius Philoſoph.quid ſit 679
præcipitatus quomodo parandus I.682
cujusnam uſus I 682
ſublimatus quomodo edulcoretur a Mercurio vivo III.461.§.11
quomodo morbum Gallicum curet ibid.
quomodo præparandus I.679.680
Mercurius vitæ quid ſit & cujus uſus I.484.658
quomodo præparandus I.657,658
quomodo ex vomitorio in purgans mutandus I.484.658
Mercurius vulgi quid ſit I.678
Mercurium depurandi ratio I.638
figendi modus I.684
vivificandi modus I.554
Joh.Meſue quando vixerit I.16
Joh. Meſue Damaſceni Scripta I.18
Metallorum diviſio I.504
præparationes Chymicæ I.504
Methodicorum Sectæ Autor I.11
Adriani Metii Scripta I.35
Metus efficacia in morte concilianda III.36.§.1,37.§.2
ratio III.45.§.20
ſymptomata III.43.§.14
Chriſt.Meureri Scripta I.30
Joh. Michaelis -- I.43
Mictio involuntaria a riſu III.26.§.35,27.v.Urina,
a terrore III.43.§.14
Mictionis chyloſæ cura III.280.§.35
Mictus cruentus ex Aphrodiſiaco II.145.p.
criticus II.61.q.
Mictus cruenti cauſa II.60.61
cura II.61
ſigna II.60

Mille

Millepedes cujusnam uſus I. 429
Milvus liene caret I. 135
Raymundi Mindereri Scripta I. 31
Minera arſenicalis I. 339
cadmiæ ferrei coloris I. 345
cinnabarina I. 350
Mineræ martiſolaris natales I. 673
nomen unde ? ibid.
præparata I. 673, 674
Mineralia an tuto exhiberi poſſint I. 499
Mineralibus an putrefactio competat I. 552
Mineralium præparata I. 621
uſus Chymicus I. 499. ſeqv.
Minii deſcriptio I. 355
nomina varia ibid.
pondus cur ab igne augeatur I. 665
præparatio I. 355. 665
uſus in Medicina I. 355
Miſerere mei vid. Ileon
Mithridates Mithridatii inventor I. 10
Mixturarum compoſitio I. 698
Gottfr. Mœbii Scripta I. 42
Mœroris efficacia in concilianda morte III. 37. §. 3
Mola quid II. 164
Molarum cauſæ & cura II. 165
ſigna II. 165
ſymptomata ibid.
Joh. Moleri Scripta I. 33
Mollitiei definitio I. 186
Momordicæ fructus efficacia in Partu difficili III. 580. §. 27
Joh. Monardis Scripta I. 23, 24
Barth. Montagnanæ Scripta I. 22.
Ovidii Montalbani -- I. 37
Joh. Montani Scripta I. 27
Joh. Baptiſt. Montanæ Scripta I. 25
Vincent. Montecalvi -- I. 36
Sebaſtiani Montii Scripta I. 23
Morbillorum deſcriptio II. 97
cauſa II. 98
cura II. 98, 99
Morbi ex animi pathematibus III. 34
accidentales quomodo dividantur I. 717, 718
definitio I. 715
eſſentiales quomodo dividantur ab antiquis I. 715
a recentioribus I. 716
infantum II. 171. ſeqv.
mulierum II. 150. ſeqv.
ſoporoſi a pituita III. 30. §. 4
a ſangvinis dyſcraſia acida III. 263. §. 5
virorum II. 143. ſeqv.
Morborum cauſæ quotuplices I. 719. 720. 721
cognitio quomodo impetranda I. 732
frigidorum ab ira cura III. 23. §. 21
in peregrinantibus origo III. 399. §. 1. 2
ab aere frigido cura III. 407. §. 2
ab aere impuro cura III. 411. §. 15, 16. 17
Morborum in peregrinantibus a ciborum vitio cura III. 412. §. 18. 19
a potus vitio cura III. 413. §. 21, 22
a pathematibus animi cura III. 415. §. 13.
a motu nimio cura III. 413. §. 23
Morborum olim minor copia I. 7
Morbus caducus III. 58
Gallicus cur mercurialibus curetur III. 58. v. Lues
Hungaricus ſ. caſtrenſis II. 92
ejus cauſæ II. 93
ejus cura II. 93, 94
ejus ſymptomata II. 92
Rob. Moriſonis Scripta I. 46
Matthiæ Moroni -- I. 39
Morphæa qualis morbus II. 44. h.
Morſulorum formulæ I. 711
Mortificatio Chymica I. 549
partium a frigore III. 9. §. 34
Mors repentina a glandulæ pinealis læſione I. 190
Mortis origo III. 45 §. 21
Mortui ex amore III. 39. §. 7. 40, 46. §. 21
animi ſolicitudine III 38. §. 4
colapho impacto III. 36. §. 1
ira III. 39. §. 6. 46. §. 21
lætitia III. 38. §. 5. 45. §. 21
metu III. 36. §. 1. 37. §. 2. 45. §. 21
riſu III. 39. §. 5
terrore III. 36. §. 1. 37. §. 2 45. §. 21
triſtitia III. 37. §. 3. 45 §. 21
Mortuus ex aſpectu vetulæ III. 37. §. 2
ab extractione dentis III. 89. §. 43
a flatibus retentis III. 406. §. 30
ab opiatis III. 90. § 46
Moſchi adulteratio I. 459, 460
deſcriptio I. 459
origo ibid.
uſus in arte Medica I. 460
Motus contractivus ſtomachi I. 77
convulſivus unde oriatur II. 30
colicæ paſſionis cauſa II. 30
diaphragmatis II. 70
cordis unde dependeat I. 112
corporis humani unde I. 68 69. III. 3
muſculorum quomodo fiat II. 337
periſtalticus inteſtinorum I. 96
deficiens reſtituitur II. 26
ſangvinis in venis unde I. 113. 116
Motus an fiat ſola præſentia animæ ſine inflatione I. 204, 205
criſpatura fibrarum I. 204, 206
per inflationem I. 203
Motus cauſa an ebullitio ſpirituum I. 203. 204
ſangvinis infarctus I. 203. 204
Motus efficacia in pituita producenda III. 307. §. 6
impotentia ſublata per fulmen III. 29. §. 44
per terrorem III. 28. §. 38
organon ſunt fibræ motrices I. 202
principium juxta antiquos eſt facultas motrix I. 203. III. 59. §. 5
juxta recentiores ſunt ſpiritus I. 203 III. 59. 5. 60. §. 9
Motus vitia II. 130. ſeqq.
Moxæ in Arthritide uſus II. 42. b.
Mucus aurium fluidus quid indicet I. 725
narium quid indicet I. 725

Muliebria nimis arcta ab injuria externa III.531.§.2
a natura III.531.§.2
clauſa III.511.§.6
Muliebrium liquor quid & unde I. 234
pruritus cauſæ III.595.§.26
pruritus cura III.595.§.26
Nicol.Mülleri Scripta I.33
Phil.Mülleri Scripta I. 41
Mumia quid? I.433
Mumiæ acceptio varia I.433
pulveriſatio I.611
Mumiarum ſpecies quatuor I.433
uſus in Pharmacevt. ibid.
Mundificantia medicamenta III.496.§ 35
Johan.Munſteri Scripta I.29
Abrah.Muntingii -- I.46
Mures incinerati cujusnam uſus I.498
Anton.Muſa Auguſti Medicus I.11
Apollonius Muſa Medicus I.11.
Muſcarum ac veſparum uſus Chymicus I.497
Muſcerda medicamentum laxans I.475
Muſculi cur non intumeſcant in motu I.205
motus organon paſſivum III 59.§,4
Muſculorum formatorum ſtructura I.203
non formatorum definitio I. 202
motus an fiat per inflationem I.203
an fiat per criſpaturam I. 206
Muſculorum tubuli demonſtrantur I. 113. 116
Muſicæ efficacia in podagra & doloribus ſedandis III. 23.§.22
ſpiritibus ſopiendis III.30.§.49
Muſti in acetum converſio I 566
Myopia qualis morbus II.109
ejus cauſa & cura ibid.
Myrepſus quinam ita dictus I.18
Myrmeciæ quid ſint II. 194
Myrobalanus arbor variat I.475
Myrobalanorum fructus laxant I, 475
eorum bonitas quibus notis cognoſcatur I 476
qua doſi exhiberi debeant I. 476
Myrrha communis I. 418
Myrrhæ electæ arbor I. 418
præparata ibid.
vires & uſus ibid.
Myſy quid ſit I.304.

N.

NArdus Celtica I. 405
cujusnam uſus I. 405
Nares quid ſint III.95 §.7
Narium extremitates a coryza pituitoſa frigent III. 111. §. 11
exulceratio a coryza III.112.§.12
mortificatio a frigore III.9.§.34
obſtructio a ſternutatoriis III.74.§. 56
a coryza pituitoſa III.111.§.11
obſtructionis mucoſæ cura III.622.§. 16
pituita unde proveniat III.130,131.§.26, 29
ſeptum III.92.§. 2
uſus III.95.§. 7
Naſus quid III.92.§ 1
Naſus externus quid III.92.§ 2. I. 182
Naſi externi conformatio I.182.III.92.§. 2
interni conformatio I.182.III.95.§.8
caro papilloſa cujus uſus III.99.§.15
membranæ lymphatica III.95.§.6
nervi III.95.§.6 98.§.13 128.§.13
origo III.94 § 5.128.§.13.131.§. 27
vaſæ ſangvifera III.94.§.6
uſus III.94.§. 5.131.§. 26
oſſa turbinata tria III.95.§ 8 98. §. 14
an nervos habeant & unde III. 99.§.15.100.§.16
ſtructura tubuloſa cujus uſus III.101.§.17
Naſi cutis cur pingvedine deſtituatur III.93. §.4
muſculi quotnam III.93.§.3
partes oſſeæ & cartilagineæ cujusnam uſus III, 93.§.2
tunicæ internæ cohæſio cum aliis partibus III.129, §.14.131.§.27
tunicæ internæ ſubſtantia III.131.§.28
uſus III.92.§.1
Natta qualis morbus II. 190
ejus cauſa & cura II. 191
Natura quid ſit? III.485.§. 6
Naturæ ſignificationes variæ I.64
vocabulum utrum adhiberi debeat I.63
Navigatio vomitus & nauſeæ cauſa II.17.q.
Nauſea ex abuſu III.206.§.28
ab animi commotionibus III. 26.§. 34
gravidarum unde III.545.§.3
quomodo tollenda III.551.§. 1
a motu nimio curanda III.414.§.27
a purgantibus orta III.106.§.28
a vomitoriis orta III.106.§.28
Nauſeæ cura II.17. 18
Nebularum diverſitas in quo conſiſtat III.402.§.12
Nephritis qualis morbus II.63
Nephritidis cauſa II.64
cura ibidem
ſigna II.64.III. 378.§.11
Nervina externa I.788
Nervina quomodo tonum reſtituant I.778
repellant II.52.I. I.774
Nervi acuſtici ſtructura II.317, 318
cerebri I.147.148.149
cervicales I. 147
dorſales ibidem
hepatis I.131
intercoſtales III.129.§.15
lumbares I. 147
medullæ ſpinalis ibid.
oſſis ſacri I.147
Nervi quomodo affici poſſint III.62.§.20
diſſecti nil liquoris ſtillant I.144
ſubjectum ſunt motus paſſivum III.59 §. 6
Nervorum motus juxta veteres I. 205
an ſit idem cum chordarū motu I.191
principia prima an poſſint demōſtrari I.193
ſuccus an detur I.141
a quo inventus ibid.
eſt non-Ens I.152.III.71.§.27
Nervorum obſtructio Paralyſeos cauſa II.135. i.337
ſtructura II. 337
Pauli Neukranzii Scripta I.44

Nicander Theriacæ inventor I. 10
Nicolai Calabri Scripta I. 18
Nicomachi vita I. 9
Nicotianæ deſcriptio I. 487
ſpecies I. 488
uſus in re Medica. ibidem.
Jac. Nicotius plantæ Nicotianæ inventor I. 26
Nidus hirundinum officinalis I. 457
Joh. Euſeb. Nierenbergii ſcripta I. 41
Nihili quid ſit & quotuplex I. 355
unde & quomodo acquiratur I. 355, 356
ejus nomina varia I. 355
uſus I. 356
Nitrata ſitim in febb. ſedant II. 4
Nitri antimoniati præparatio I. 653, 654
uſus I. 654
depuratio I. 629
fixatio per carbones I. 630
calcem vivam ibid.
natales I. 300, 301. 629
præparata I. 301. 503. 628
principia interna I. 629
puri ſigna ibid.
Nitri ſal volat. I. 579
Nitri ſpiritus bezoardic. quomodo parandus I. 660
ſpiritus dulcis quomodo præparandus I. 632
urinoſus I. 579
vitriolatus quomodo parandus I. 630. 631
Nitri ſpiritus quomodo deſtillandus I. 631
rectificandus I. 632
vis antacida III. 470. §. 2
Nitrum quid I. 300
antiquorum quale I. 300
parandi modus I. 301
cujusnam uſus I. 301
Nivalis aqua quali acrimonia gaudeat III. 465. §. 14
Nodi in Arthritide unde II. 41
Nodorum cauſa II. 193
cura II. 193
differentia a Ganglio II. 192
Georgii Nösleri ſcripta I. 38
Noni Scripta I. 16
Nubecula v. Pannus
Nuckii de maculis volat. opinio II. 106. f.
Nuclei an ſint medimamenta antacida III. 449. §. 2
Nutricis bonæ requiſita III. 626, 627. §. 4
habitus cum puerpera conveniat III. 637 §. 35
requiſita ſpecialia III. 636. §. 34
vitia in infantes transfunduntur III. 633. 634 §. 24, 25. I. 227
Nutricum electio III. 617
Nutritio Chymica I. 539
Nutritio corporis I. 139
notha & vera I. 139
an ſola nutrimēti ſecretione abſolvatur I. 141
an per agatur ex eodē, ex quo naſcimur I. 144
Nutritionis cauſa efficiens I. 140. 141
materia chylus eſſe probatur I. 139, 140, III. 275. §. 9
an ſangvis ſit? I. 140. 142
an ſerum ſit I. 140, 143
an ſuccus nervorum I. 141
modus I. 140. 141. 142
morbi II. 67
neceſſitas I. 73. 139
objectum I. 139
Nutritivæ particulæ quomodo cognoſci poſſint I. 139, 145
Nutrix an tuto admittenda I. 257, 260
a venere abſtineat III. 635. §. 31.
valetudine ſit robuſta III. 636. §. 32. 33
frigus & calorem fugiat III. 635. §. 30
ira coerceat III. 635. §. 27
mœrorem & terrorem fugiat III. 635. §. 28
patiens ſit III. 634. §. 26
temperantiæ ſtudeat III 635 §. 29
Nux Cupreſſi qualis I. 392
cujusnam uſus ibid.
Moſchata quid I. 402
quotuplex ſit I. 403
ex quanam arbore I. 402
cujus uſus ſit I. 403
Vomica quid ſit I. 393
unde & cujusnam uſus I. 393
Nyctalopia ſubita in Viro docto II. 110. ſ.
ejus cauſa & cura II. 110
Gregor. Nymanni Scripta I. 37

O.

Obauditio curata per ſternutatoria III. 134. §. 40
Obeſitas nimia ab animo tranquillo III. 25. §. 28
Obeſitatis cauſa II. 68
cura II. 68
diagnoſis ab hydrope ibid.
ſymptomata ibid.
Obmuteſcentia a Colica III. 160. §. 9
ab indignatione III. 159. §. 8
inflammatione faucium III. 162. §. 18
a lumbricis III. 160. §. 9
a nervorum reſciſſione III. 125. §. 28
vitioſa conformatione III. 165. §. 28
a paſſione hyſterica III 160. §. 9
a tremore III. 159. §. 8
Obſtetricandi munus fœminis demandatur III, 571. §. 6
Obſtetricantes partium muliebrium gnaræ ſint III. 561. §. 7
ſint animoſæ & affabiles III. 561. §. 9
prudentes & robuſtæ ibid.
nec ſordidis aut prægrandibus manibus III. 562. §. 10
nec garrulæ ſint aut rixoſæ III. 562. §. 11
nec obſtinatæ aut tardæ ibid.
Obſtetricantium examen III. 562. §. 12
manualis operatio in partu difficili III. 560
munus an viris competat III. 563. §. 14
Obſtetricantium officiū priſcis temporibus III. 561. §. 7
manual. operatio in extrahendo fœtu mortuo III. 570. §. 15
in extrahendo fœtu vivo matre mortua III. 571. §. 4.

in fœtu extrahendo vitioſe egrediente III. 566. §. 16, 17. 567.§.18
in fœtus elapſis partibus reponendis III.566.§. 15
Obſtetricantium munus in fœtus ſitu vitioſo cognoſcendo III.564.§.7
reponendo III.565. §.11.& 13
Obſtetricum errores in extrahendis ſecundinis III. 588, 589.§.11
Obſtructiones a ſero viſcido III.71.§. 23
reſerantur ab animi pathematibus III. 25.§. 30.
Obſtruentia quænam I.781
Adolph.Occonis Scripta I.28
Ochra quid ſit I. 286
quotuplex ſit I. 286, 287
Ochræ patria I.287
uſus in Medicina I. 287
Ochræ factitiæ præparatio I. 665
plumbariæ deſcriptio I. 287
uſus I. 287
Oculi an radios emittant I.171, 172
tunicas 8. habent juxta Veteres I. 170, 171
Oculorum affectus II. 102. ſeqq.
arteriæ I. 170
glandulæ I. 169
hebetudo II.315
humores I.170
ligamentum ciliare ibid.
muſculi I, 169
nervi I.170
tunica communis I. 169
tunica cornea in plures dividitur I. 173
tunica retina unde oriatur I 176
perſpicua eſt ibid
radios ſiſtit ibid
tunicæ propriæ I.170
Odontalgia Gravidarum unde III. 547.§.8
quomodo curanda III. 554.§.6
Odontalgia catarrhoſa a pluviis immodicis III.87.§.35
quomodo curanda ibid.
Odontalgia ex dente carioſo III.79.§.11
ex diætæ erroribus III.79.§.8
cur poſt incaleſcentiam recurrat III.79.§.9
Odontalgiæ cauſa catarrhi III.78.§.6
flatus incuneati III.79.§. 9
frigus aeris III.78.§.7.8
potus frigidus III.79.§.8
vermes III. 79.§. 10
Odontalgiæ cauſarum cognitio III.78.§.4, 5, 7
ſubjectum ſpeciale III.77.§.2, 3
Symptomata III.78. §.5
Odontalgiæ remedia an dentur III. 76. §.2
remedia in aures caute immittantur III. 85.§.30
remediorum operandi modus III.80.§.12
Odontalgiæ cura per adſtringentia externa III. 84. §.29
alcalia externe III.81.§.16
amuleta III.91.§.49
anodyna III.90.§.45.46
antacida III. 80. §. 14
anthelmintica III.87.§. 8
arteriarum diſſectionem & ambuſtionem III.85.§.31
avertentia III.83.§. 24
calefacientia III.87.§.36
carminativa III.87.§. 37
cauteria III.88.§.41.89.§.42
clyſmata III.82.§.20
dentis evulſionem III.89.§.43
diaphoretica III.82 §.22.
diluentia III.80.§.15
diſſipantia III.86.§. 33
diuretica III.80.§.15
dolorem alio derivantia III.90 §. 47
emollientia III.86.§.32
errhina III.84.§.27
evacuantia III.81.§. 18
gargariſmata III.83.§. 26
hyoſcyami ſemen III. 88. §. 39
idearum aliarum impreſſionem III.90.§.48
infuſionem oleorum in aures III.81.§.17
inviſcantia III.80.§. 15
ligaturas fortiores III. 85.§. 31
maſticatoria III.83.§. 24
maturantia III.87.§. 35
ptarmica III.84.§.27.134.§. 40
purgantia III.82.§. 20
repellentia III.86.§ 34
reſolventia III.87 §.37
rumpentia III.87.§. 35
ſcarificationem III.81.§.19
temperantia externa III. 81. §. 16, 17
Venæ ſectionem III.81.§. 18
Veſicatoria III.84.§. 28
Vomitoria III.82.§.21
Odor medicamentorum qualis eſſe debeat I.691
volatilis in excitando egregius III.29.§.45
Odoratus I. 182
Odoratus, ejusque læſiones III.92
adjuvatur ab aere III.104.§. 25
a reſpiratione III.104.§.26
perficitur particulis ſulphureo-ſalinis III. 104.§.24.I. 184
an a ſolis ſalibus produci poſſit III 103.§. 23. I.184
Odoratus modus I.183.III. 105.§. 27
objecta an pondere imminuantur III.103.§.21
cujusnam ſint ſubſtantiæ III.103.§. 22
objectum an multum aeris tractum implere poſſit III. 102.§.20
reale, non intentionale eſt III. 101. §.18.19.I.183
Odoratus objectum textura eſt rara III. 102.§.19
tenerius quam guſtus objectum III.102.§.20
organum an cavitas oſſis frontis III.96.§.9

an membrana interna naſi I. 183. III. 98. §. 13
an proceſſus mammillares III. 96 §. 10
an tunica inveſtiens oſſa turbinata III. 99. §. 15
an ventriculi anteriores cerebri III. 96. §. 9
Odore carent corpora ſulphure deſtituta III. 103. §. 12
Odores quid ſint I. 553
an ſponte nares ingrediantur I. 184
Odoris omnis radices ſunt particulæ ⊖no ♁reæ III. 103. §. 22. I. 183
Oedema II. 186, 187. 310, 311
Oeſophagi obſtructi a bolis majoribus cura III. 189. §. 66
ſtructura I. 83
Oeſypus quid I. 460.
cujusnam uſus ibid.
Olea abſorbentur à ſalibus I. 572
ætherea cur ſupernatent aquis I. 574
parandi modus I. 572
an rectè per ſalia adjecta parentur? ibid.
Olea deſtillata I. 571
expreſſis meliora ſunt I. 519. o.
Olea expreſſa ex quibus & quomodo paranda I. 570. 571
quomodo rectificanda I. 571. 574
an & unde fragrantiam habeant I. 571
an alembicũ poſſint tranſcendere I. 574
Olea infuſa quomodo paranda I, 574
odorata quomodo paranda I. 575
præmiſſa coctione aut additione parata I. 575
Olea an acidum admiſſum habeant I. 574. II. 23. i.
an acidis in reſinas redigantur ibid.
Olea quædam cur fundum petant I. 573
Olea ſunt reſinæ ſolutæ I. 570
an ſal volatile habeant I. 574
Oleorum concretis inexiſtentium ſigna I. 571. 495
rectificatio I. 573. 618
uſus externus in inflammationibus II. 186. k.
in vulneribus III. 493. §. 27
Oleoſa ab ebrietate præſervant II. 121. y.
ſalivæ ſalſedinem involvunt II. 4
Olera ebrietatem diſcutiunt III. 448. §. 2
Oleum antarthriticum I. 497
anodynum I. 497
aſphalti antipodagricum remed. I. 500
Been cum aſellis & roſmar. infuſum contra prolapſum ani ſpecificum II. 29. x.
ceræ in puncturis nervorum egregium II. 71. r.
cucurbitæ ſpecificum in Pleuritide II. 72. a.
Vomicis II. 66. c.
lini in Pleuritide egregium II. 72. a.
Olivarum acidum in ſe habet II. 23. i.
ovorum vulnerarium ſine pari I. 496
petræ unde proveniat I. 500
pingvedinis humanæ in Arthritide prodeſt. II. 42. c.
ſuccini in doloribus poſt partum egregium. II. 161. h.
terebinthinæ in Hæmorrhoid. fluent. utile. II. 25
terræ quodnam & unde I. 500
fragrans Schrœderi I. 502
Olfactus cum guſtu cognatio unde III. 100. §. 16
læſio a Coryza III. 107. §. 1. 111. §. 11
ab ozæna III. 121. §. 1.
a polypo III. 115. §. 1
organon I. 182, 183, 184
vitia II. 114
Olfactu excellunt quædam animalia III. 100. §. 16
Olibanum commune quid ſit I. 427
Olympicus quando vixerit I. 13
Omentum an poſſit in herniis procidere III. 500. §. 7
Omphalocele II. 27. 173
in puella II. 231. 232
Omphaloceles cauſæ II. 173. 232
cura II. 173. 174. 233. 234
diagnoſis II. 232
Ophthalmia à frigore III. 9
contagioſa III. 104. a.
Ophthalmiæ cauſa II. 104. 238
cura II. 104, 105. 239
ſymptomata, eorumque ratio II. 238
Opiata quid ſignificent I. 595.
quomodo operentur III. 74. §. 49
inviſcant I. 768
in ſalſedine proſunt I. 772
caute adhibenda III. 214. §. 48
Opiatorum vis concentrata II. 126. l.
uſus in dyſuria I. 751. II. 116. t
Opii correctio quomodo inſtituatur I. 608
an recte adhibeatur I. 609
extractio quomodo inſtituenda I. 592. 610
ſubſtantia duplex I. 610
tinctura ibid.
vis aphrodiſiaca II. 146. y.
Opium quid ſit? I. 427
quomodo & ubi colligatur I. 427
crudum impune adhibetur I. 609
cujusnam ſit uſus I. 427
Opiſthotonus morbus II. 140
Oppopanax quid ſit I. 413. 476
ex qua planta colligatur I. 414. 476
quas notas bonitatis habeat I. 477.
quibus præparatis inſerviat ibid.
cujusnam uſus ſit, & qva doſi I. 414, 477
Orbiculorum formulæ ac præparatio I. 710
Orgaſmi ſangvinis cauſa III. 72. §. 39, 40
ab æſtu cura III. 409. §. 9
ex motu ſpirituum cura III, 231. §. 35
Orgaſmi ſangvinis cura per acida III. 230. §. 32. 409. §. 9
adſtringentia III. 231. §. 33
glutinantia III. 231. §. 34.
ſangvinis miſſionem III, 230. §. 31
Orgaſmus ſangvinis ab æſtu III. 401. §. 6
ſcorbuticus II. 49. g.
Oribaſii vita & ſcripta I. 14
Orthopnœa qualis morbus II. 78
Orthopnœæ cauſa II. 78. 79
cura II. 79
Joh. Frid. Ortlobii Scripta I, 52.

Orus medicinæ inventor I. 5
Os eſt officina loquelæ III.154 §.1
Oris partes III.154 §.2
Os de corde Cervi quid ſit I. 443
cujusnam uſus ſit I. 444
Os cribriforme an aërem transmittat I. 151
an perforatum ſit I. 184
Oſſa cur alba ſint I. 142.
an gaudeant vaſis ſangviferis I. 142
Oſſa ſepiæ quid ſint I. 444
unde afferantur I. 444
cujusnam uſus I. 444. 445. 497
Oſſis cribriformis foraminula non ſunt aperta III. 96 §.8. 128. §.11
uſus juxta veteres III. 96. §. 8. 128. §.10
Oſſis Coccygis nimis indurati emollitio III. 584. §.49
Oſſis ſacri nervi I. 174
Oſſium pubis nimis indurati emollitio ibid.
in partu difficili relaxatio I. 248, 249. 252. III. 578. §.20
Oſcheocele II. 27
Oſiris medicinæ inventor I. 5.
Oſteocolla quid ſit I. 318
cur ita dicatur I. 319.
ubi naſcatur, veraque ejus origo ibid.
cujusnam uſus ſit? ibid.
Otalgia ex illapſis peregrinis II. 113. o.
Otalgiæ cauſa II. 113. 318
cauſarum ſigna II. 115
cura II. 113. 318. 319
cura per ſternutatoria III. 134. §. 40
ſymptomata II. 113. 317, 318
Ovarium unde cicatricibus notatum I. 235
hydatibus plenum I. 235
hydrope correptum III. 512. §.19
an ornatus ſaltem cauſa adſit I. 230, 234
Ova ſtruthionum cujus uſus I 461
Ovorum cicatricula quid ſit I. 227
putamina cujusnam uſus I. 461. 496
Ovulorum muliebrium contenta I. 227
figura ibid.
ſedes ibid.
Ovulum fœcundatum unde augeatur I. 227
cur ex ovario deſcendat III. 543. §. 4. I. 228
an ex ovario deſcendat III. 543. §. 5. I. 230, 234
quomodo utero adnaſcatur III. 543. §. 6
Ovulum duobus integumentis veſtitur I. 237. III. 543. §. 7.
an fœcundetur demum in utero I. 231. 236
an fœcundari poſſit ſine aura ſeminali ibid.
an glandula ſaltem ſit I. 231
liquorem continet 🜄 fervida coagulandum I. 235
quomodo a ſeminibus reliquis differat I. 236
Oxyſaccharum emeticum Mynſichti I. 485
Ozæna benigna III. 122. §. 4
a coryza III. 121. §. 3
ab humorum acrimonia III, 121. §. 3
a lue venerea ibid.
maligna III. 122. §. 4
a ſcorbuto III. 121. §. 3
Ozænæ cura cur adeo difficilis III. 122 §. 6
Chirurgica per exſiccationem III. 124. §. 10
inciſionem III. 124. §. 9.
uſtionem III. 124 §. 9, 11
Pharmacevtica III. 123. §. 7, 8
Ozænæ deſcriptio III. 121. §. 1
diagnoſis III. 122. §. 5
etymologia III. 121. §. 1
prognoſis III. 122. §. 6
ſubjectum III. 121. §. 2

P.

Fab. PAcii Scripta I. 30
Pædarthrocace qualis Morbus II. 205
ejus cura II. 206
Pæon medicinæ inventor I. 6
Palatum ab ortu deficiens III. 167. §. 37
perforatum III 167. §. 37
Palladius quando vixerit I. 15
Pallor faciei ab animi pathematibus III. 21. §. 14. 22. §. 20
Palma I. 390
Palpebrarum vitia II. 102
Palpitatio cordis II. 139. III. 201. §. 3
per eſſentiam & conſenſum ibid.
ex mœrore curata II. 139. u.
Palpitationis cauſæ II. 139
cura II. 140
ſigna II. 139
Panax Hercul. I. 414
Panckovii Thom. Scripta I. 43
Pancreatici ſucci inventor I. 93.
natura ibid.
origo ibid.
uſus I. 92, 93, 94, 95, 96.
Pancreaticus ſuccus an lympha ſit inſipida aut ſalſa I. 93, 94, 95
Pancreatis officium I. 94
Pannus oculorum II. 105
unde oriatur ibid.
quomodo tollendus ibid.
Panthaleon de Confluentia Medicus I. 22
Panthaleon de Vercellis quando vixerit I. 13
Papaveris tinctura I. 583
Papillarum in mammis nimis anguſtarum cura III 623. §. 20
color an attendi debeat III. 630. §. 13
defectus III. 647. §. 27
depreſſarum cura III. 655. §. 24
exiguitas nimia III. 630. §. 12. 647. §. 28
fiſſarum cauſæ III. 647. §. 28
cura III. 655. §. 25
protuberantium nimis cauſa III. 630. §. 12
ſtillicidium cruentum III. 648. §. 29
a bona conſtitutione corporis III. 640. §. 1
ob fœtus morboſitatem ibid.
uſus III. 630. §. 12
Papulæ II. 43. f.
Paracelſi ſcripta & vita I. 26
Paracenteſeos cautelæ III. 327. §. 15

uſus in Empyemate II. 74
Hydrope II. 35. III. 326. §. 14
Tympanite II. 34. f.
Paracenteſis quando conveniat III. 327. §. 15
noceat. ibid.
Paralyſeos cauſa II. 135. 337.
cura III. 135. 337, 338
deſcriptio ac diviſio II. 134. 336
ſigna ex urina I. 730
Paralyſis inteſtinorum curatur II. 26
ex Apoplexia II. 336
a pituita III. 306. §. 4
a ſternutatoriorum abuſu III. 137. §. 52
Paralyſis curata per iram III. 23. §. 21
lætitiam III. 24. §. 26
ſalivationem III. 257. §. 15
ſternutatoria III. 133. §. 38
Paraphrenitidis cauſæ II. 72
cura ibid.
ſigna diagnoſtica II. 72. III. 392. §. 20
ex urina I. 730
ſymptomata II. 72, 295
Paraplegia II. 134
Paraſtatæ I. 211
Paronychia II. 202
unde oriatur II. 202
quomodo curanda II. 203
Parotides II. 191
earum cauſæ & cura II. 192
Partes eſſentiales hominis I. 65
corporis fluidæ III. 59. §. 3
impetum facientes III. 59. §. 3
integrantes I. 66
ſolidæ I. 66. III. 25. §. 29 59. §. 3, 4
Jacobi de Partibus Scripta I. 21
Partus difficilis cauſæ II. 158, 159
cauſarum ſigna II. 159. III. 579. §. 23.
III. 574. 575. §. 4. 5
Partus difficilis ex animi pathematibus III. 577. §. 16
calculo veſicæ III. 578. §. 19
colica III. 576. §. 11
evacuatione larga & inedia III. 576. §10
febribus ibid.
flatibus & fecibus incuneatis III.
578. §. 21
frigore III. 576. §. 9
gibboſitate III. 577. §. 16
herniis III. 577. §. 18
oſſium rigiditate III. 578. §. 20. III.
12. §. 42
plethora III. 576. §. 11
pulmonum expanſione denegata
III. 577. §. 16
ſcirrhis hepatis, lienis, meſenterii,
uteri III. 577. §. 17, 18
ſeroſitate in abdomine collecta
III. 577. §. 17
ſiccitate viarum III, 578. §. 22
ſitu fœtus vitioſo III. 578. §. 21
ſpirituũ langvore III, 575. §. 8. 576. §10
motu turbido III. 575. §. 7
tumoribus & abſceſſibus muſculo-
rum abdominis III. 577. §. 18
ventriculi repletione nimia III. 577. §17
uteri arctitudine III. 578. §. 19
inflammatione ibid.
motu deficiente III. 576. §. 12
irregulari III. 576. 577. §. 14
inſufficiente III. 576. §. 13
prolapſu ac tumore III. 578. §. 19
Partus difficilis ex conatuum defectu cura III. 581.
§. 32, 33, 34, 35, 36. 582. §. 38. 39, 40.
583. §. 41. 42. II. 159, 160
ex conatibus ſpuriis cura III. 583. §43. 44
fecibus induratis cura III. 584. §. 50
frigore cura III. 580. §. 29
hæmorrhoidibus cura III. 585. §. 51
herniis cura III. 584. §. 46
impatientia cura III. 583. §. 45
inedia cura III. 580. §. 30
inflammatione pudendorum cura
III. 584. §. 48
oſſiũ induratione cura III. 584. §. 49
plethora cura III. 580. §. 30
ſiccitate viarum cura III. 585. §. 52
ſomnolentia cura III. 580. §. 31
timiditate cura III 579. §. 26. 580.
§. 27, 28
ventriculo nimis infarcto cura III.
584. §. 46
virium defectu cura III. 579 §. 25
utero & genitalibus clauſis cura III.
585 §. 47
Partus difficilis prognoſis III. 579. §. 24
ſymptomata III. 574. §. 3
Partus nat. cauſa an alimenti defectus & ineptitudo
I. 250 252, 253
amnii corruptio I. 250, 253
meconii collectio I. 250, 253
reſpirationis deſiderium I. 250, 252
uteri moleſtia ibid.
Partus nat. facilitatio ex animi pathematibus III. 27.
§. 36
a campanarũ ſonitu III. 29. §. 43
a colapho impacto III. 30. §. 47
per muſculor. abdominis mo-
tum. III. 577. §. 18
reſpirationem III. 577. §. 16
riſum III. 27. §. 36
ſternutationem III. 135. §. 46
Partus nat. hiſtoria, & cauſæ ex parte fœtus I. 247, 249
matris I. 248
Partus octimeſtris an vitalis I. 251
14. & 15. menſiũm an legitimus I. 249
præcocis & retardati cauſæ I. 250, 252
ſigna III. 575. §. 4
vitiati ſpecies III. 574. §, 2
Partum inſequentia I. 253
Parturiendi Conatuum cauſa III. 575. §. 7
Paſſio colica v. dolor.
hyperica qualis morbus II. 249
an detur II. 167
ex cepis vulvæ intruſis II. 152. r.
Paſſionis hyſtericæ cauſa II. 168. 250

cura II.169.250.I. 498
ſigna II. 167
ſymptomata II. 167, 168
Paſſio Iliaca v. Ileon.
Paſſulæ majores quid ſint? I. 393.
quomodo præparentur? ibid.
Paſſulæ minores unde apportentur I. 394
cujusnam uſus ibid.
Pathemata animi v. animus.
Pathologiæ definitio I. 715
Gvid.Patini Scripta I. 44
Petri Pau ſcripta I. 31
Simon Pauli - I.45
Pavonis ſtercus cujus uſus I.460, 496
Joh.Nicol.Pechlini Scripta I.50
Pecqueti inventa in arte Medica I. 101
Pectorales affectus & remedia III. 191
Pectoralia remedia quænam & quid ſint I. 780. III. 191.§.1
Pectoris affectuũ ex acida acrimonia cura III.195.§.20
acrimonia ſcorbut.cura III. 196. §.21
acrimonia ſangvinis ac ſeri cura III.195.§.17
aere rarefacto cura III. 198.§.30
æſtu cura III. 97.§.29
angina cura III.200. §. 44
aſcite cura III.200. §. 40
calculo cura III.200. §.41
ab empyemate cura III.198.§.33,34
ab exhalationibus acribus III.195.§.19
a flatibus cura III.200. §. 39
frigore cura III.197. §. 28
grumeſcentia ſangvinis cura III. 193. §.8
hæmoptyſi cura III.197.§.25. 26
Pectoris affectuum ab hydrope thoracis cura III. 198 §. 32
ex illaſu peregrinorum in tracheam cura III. 126.§. 23
inflammatione pleuræ & diaphragmatis cura III. 199. §. 35
materia tartarea cura III.196.§. 22
motibus convulſivis cura III. 199. §. 36
obeſitate nimia cura III.200.§.43
ſero abundante cura III. 194. §. 11, 12,13,14,15,16
ſcirrho pulmonum cura III. 199. §. 38
ſpaſmis cura III.199. §.37
ſuffocatione hyſter.cura III. 200. §.42.
ſuppuratione pulmonum cura III. 197.§.27
vomica cura III.193 §.9.164.§.10.
vulnere thoracis cura III.198. §.31
Fr.Pedemontani Scripta I. 21
Pediculi quomodo fugandi & necandi III. 415. §.29
Pediluviorum formulæ I.706
Pediluvium ex lacte in Variolis II. 253
Peditio quid III.58 §.1
Pedum œdemat.cauſa in gravidis III. 550. §.18
cura III. 558.§.16
dehiſcentia a frigore III. 14. §. 52
Pelliculæ intern.ventric.gallin.cujus uſus I. 445
Pelope Medicus I. 13
Joh.Georg.Pelshoferi Scripta I. 36
Penetratio corporum nil monſtri continet I. 72, 73
Penis curti elongatio III.515.§. 33.
flacciditas a ligatura III.510. §. 9
ab organorum vitio ibid.
a ſectione calculi ibid.
a ſpirituum defectu ibid.
Penis flaccidi cura per analeptica III. 516.§.37
ſtimulantia III. 516. §. 36
Penis nimia longitudo ſterilitatis cauſa III. 510. §.7
curata III.515 §.34
Penis an rigidus fiat ab humore in flatum converſo I. 214,218
Penis tenſionis cauſa I.212
Pericardii connexio cum vaſis cordis III.209. §.29
inflammati ſigna III.211.§.38
Peripnevmonia a frigore III. 9
Peripnevmoniæ a frigore cura III.408.§. 5.
Peripnevmoniæ cura II.71.III.190.§.69,70
ſigna II.72. I. 730.
Periſtoma villoſum inſtar filtri ſe habet I.97
Periſyſtole cordis quid? III.219.§. 12, 13
an detur I.112. 115
Peritoneum quomodo ad hernias concurrat III. 501. §. 6.
cur non frequentius hernias gignat III. 501.§.7
Chr.Perizonii Scripta I. 39
Perniones quomodo generentur III. 9
Pernionum cauſa II.196.III.109. §.6
cura II.196.III.408.§.6
intumeſcentia à calore III.16.§.58
Peſtis veteribus venenoſa II.99
a terrore III. 37.§. 1
Peſtis cauſa II.100.I.506
cum malignis convenientia II. 99.
cura II. 100.101.III. 31.§. 51
diagnoſis II.100
Petaſitis qualis planta, ejusque vires I. 492
Petechiæ unde ſic dictæ II.94.III.340.§.2
cur ex ſudoriferorum abuſu augeantur III. 358.§.9
Petechiarum cauſa & malignitatis ratio II. 94
cura II. 95
Petechiarum colores varii II. 94
diagnoſis II.94.III. 345.§. 19
origo III. 343.§.14.355,356.§.5
retroceſſio lethalis II. 95. d.
prohibenda II. 95
Petri Petiti Scripta I. 48
Henr. Petræi - I. 31
Sim Petreji - I.31
Petri Aponenſis - I. 20
Hiſpani ſcripta & vita I. 19
Caſp.Peuceri Scripta I. 27
Pezette quid ſint I. 358

Phantaſia an comprehendi poſſit ſub ſenſu communi aut memoria I. 194
an ſomni tempore ferietur I. 195, 196
ſomni tempore operatur I 195
Phantaſiæ efficacia in dolore dentium curando III. 91. §. 48, 49
in morbis curandis I I. 32. §. 55. 56 p. 53. §. 57
ſedes an ſit in corporibus ſtriatis I. 190, 193
Phantasmata an ſint corpora realia I. 174
Philiſtæi aureas nates conſecrant I. 8
Philonides Acutus medicus I. 11.
Philtrum an magnetismus ſit II. 125
unde paretur II. 124. 1.
Philtri cura II. 125
modus operandi II. 124
ſigna II 125
Phimoſeos cura III. 515. §. 35
Phiola ap. Chymicos quid I. 528
Phlegmagoga quænam? I. 692
Phlegmatorhagia ex pituita III. 306. §. 4
Phlegmone cur abeat in gangrænam III. 379. §. 16
cur conjunctas habeat puſtulas ibid.
cur conjunctum habeat ſcirrhum ibid.
cur contrahat tumorem ædematoſum ibid.
Phlegmones cauſa II. 288. III. 378. §. 13
ex acidorum abuſu III. 380. §. 21
animi pathematib9 III. 381. §. 25, 26
apum & veſparum punctura III. 382. §. 30
calculo III 382. §. 32
contuſione III. 381. §. 28
fibrarum criſpatura III. 381. §. 27
frigore III. 381. §. 23
plethora III. 379. §. 18
ſangvinis congrumatione III. 380. §. 20
craſſitie III. 379. §. 19
ſcorbuto I I. 382. §. 32
venenatis rebus III 382. §. 31
Vermibus III 382. §. 33
Phlegmones cura, ſi ex acido III. 384. §. 41
calculo III. 384. §. 42, 43
ictu venenato III. 386. §. 51, 52. 53
plethora III. 383. §. 35
ſangvine congrumato III. 383. §. 39
craſſo III. 383. §. 38
ſpaſmis III. 384. § 40
ſi jam ſuppurata III. 386. §. 56. 387. §. 57. 58
ex vermibus III. 384. §. 44
Phlegmones cura diætetica III. 387. §. 59
per anodyna & oleoſa, II. 289. III. 385. §. 48. 49
repellentia II. 289. III. 384. §. 45
reſolventia II. 289. III. 485. §. 48
Phlegmones definitio III. 376. §. 2
diagnoſis ex pulſu & urina III. 377. §. 10
differentia a Febb. aliis II. 288
Phlegmones etymologia III. 378. §. 1
externæ & internæ diagnoſis III. 377. §. 9
hiſtoria II 287. 288
prognoſis I I 382. §. 34
ſubjectum III. 376. § 4. 377. §. 5, 6
ſymptomata III. 377. §. 8. 378. § 14
ſymptomatum ratio III. 378. 379. §. 15
Synonymia III. 376. §. 1. 377 § 7
Phlogoſis a calore corporis aucto III. 7. §. 6
in ſcorbuto ſedatur II. 40
Phlyctenæ a frigore III 9
Phlyctenæ a frigore cura III. 408. §. 6
Phoca quid III. 418. §. 7
quomodo a Manato differat. ibid.
Phoſphorus Balduini unde parandus I. 282
Phreneſis ab ira III. 39. §. 6
Phrenitis qualis morbus III. 70. §. 18
ex abuſu ſternutatoriorum III. 136. §. 50
quomodo curanda III. 74. §. 21
Phthiſici a Romanis ad ſicciora loca ablegati III. 14. §. 49
Phthiſis cauſa II. 73. III. 190. §. 71
cura II. 73, 74. 498. III. 216 §. 53. 281. §. 42
ſigna II. 73. I. 730
Phyſiologia a Phyſicis negligenter tractata I. 63
an pars ſit medicinæ I. 63, 64
Phyſiologiæ definitio & Etymologia I. 63
Picæ cauſa II. 6. 7
cura II. 7.
deſcriptio II. 6
exemplum II. 7 x.
Picæ gravidarum cauſa an humores pravi III. 546. §. 5.
an ſpiritus III. 546. §. 5
Picæ gravidarum cura III 552. §. 3
exempla III. 546. §. 5
Pila marina quid I. 367
quotuplex I. 368
Pilæ marinæ origo controverſa I. 368
uſus I. 368, 369
Pilularum compoſitio & ingredientia I. 708
formulæ I. 709
Pili hirci officinales I. 457
leporis officinales I. 458
Pinei enucleati quid & unde? I. 392
cujusnam uſus? ibid.
Pini deſcriptio I. 392. 420
reſina I. 420
Pingvedo cati ſylveſtr. laudatur in Epilepſia III. 67 §. 35
Pingvedinis nimiæ cura III. 182. §. 3
Pingvia ſalivæ ſalſedinem inviſcant II. 4.
Piper album quid I. 403
indicum quale I. 404
longum I. 403
ubi proveniat I. 404
nigrum quid I. 403
quomodo ab albo differat. I. 404
Piperis planta I. 403
Piperis indici planta I, 404

Piperis ſal volat I. 581
Piperis vires I. 404
Piſces an ſola aqua nutriantur I. 141
Piſciũ organa auditoria quomodo conformata I. 179
uſus Chymicus I. 497
Piſtacia excorticata quid & unde I. 392
cujusnam uſus I. 392, 393
Pituita præternat. quid III. 303. II. 311
Anorexiæ cauſa II. 5
vomitus cauſa II. 17
Pituitæ cauſa juxta veteres III. 304. §. 3
cauſa externa aer eſt III. 306. §. 6
ſunt animi pathemata III. 308. §. 6
cibus & potus III. 307. §. 6
evacuationes III. 308. §. 6
Pituitæ cauſa externa motus & quies III. 307, 308. §. 6
ſomnus & vigilia III. 308 §. 6
Pituitæ cauſa interna III. 306. §. 5
cura per incidentia II. 5, 17. III. 308. §. 10
ſalivationem III. 309 §. 11
thermas III. 309. §. 12
vomitoria II. 5, 17. III 309. § 10
Pituitæ cura diætetica III. 309 §. 13
prognoſticon III. 308. §. 9
ſigna diagnoſt II. 5. III. 308. §. 8
Pix Judaica I. 360
navalis quid. I. 418
quomodo conficiatur I. 419
cujusnam ſit uſus I. 419
Placenta uterina ejusque ſtructura I 237
Andr. Planeri Scripta I. 29
Plantarum recentium deſtillatio I 568, 569
Joh. Platearii Scripta I. 18
Felicis Plateri Scripta I. 30. 44
Thomæ Plateri Scripta I. 33
Plato medicus I. 10
Vopiſc. Fort. Plempii Scripta I. 44
Plethora ad vaſa II. 48. I. 734
ad vires II 48. I. 734
an detur I. 735. III. 493. §. 25
Plethora ab animo tranquillo III. 25 §. 28
Plethora ſpuria II. 49
ejusdem cauſa III. 226. §. 13
cura III. 213. §. 42
Plethora vera II. 49. I. 734
menſium ſuppreſſorum cauſa III. 522. §. 7
Plethoræ cauſa I. 734 ſeq. II. 49. III. 226. §. 11
cura I. 735. ſeq. II. 49. III. 193. §. 7. 212. §. 41. 230. §. 29. 237. § 7
ſigna II 49. III. 62. §. 26. 379 §. 18
Pleuræ inflammatæ cura III. 199. §. 35
Pleuritis III. 388. II. 71. 264. 265, 294
notha a flatibus III. 391. §. 19
a pituita ibid.
notha, quibus ſignis noſcatur III. 391. §. 20
Pleuritis ab acrimonia acida III. 390. §. 14
animi pathematibus III. 390. §. 13
cibi potusque vitiis III. 389. §. 12
cœli inclementia III. 38. §. 11
motu nimio III. 390. §. 12
retentis III 390. §. 13
ſalſedine III. 390. §. 15
ſomni, vigiliarumq; vitio III. 390. §. 12
temperamenti vitio III. 389. §. 10
viſciditate I. 390. §. 16
Pleuritis abortus cauſa II. 157. n.
poſt febrem catarrhalem III. 391. §. 17
cur febrem acutam conjunctam habeat? III. 390. §. 17
Pleuritis curata per abſceſſum aurium III. 393. §. 23
diarrhœam. ibid.
Pleuritidis cura per anodyna III. 396. §. 37, 38
bechica III 394. § 31
clyſmata III 395 § 34
cucurbitulas III. 394. § 28
diaphoretica fixiora III. 394. §. 30
diuretica III. 395. §. 33
hirudines III 394. §. 28
incraſſantia III. 395. § 32
laxantia III. 395 §. 35
refrigerantia III. 396. § 39
ſalia volat III. 394. § 29. 408. §. 5
v. ſectionem III. 393. §. 25, 26, 394. § 27. 408. §. 5
vomitoria III. 396. §. 36
Pleuritidis cum diarrhœa cura III. 396. §. 40
Flatulentæ cura III 397. §. 41
pituitoſæ cura III. 397. §. 42
Spuriæ ſcorbuticæ cura III. 396. § 42
Pleuritidis cura diætetica III. 397. §. 44
externa III. 397. §. 43
præſervatoria III. 397. §. 45
differentiæ III. 391. §. 18. 388. §. 6.
materia quomodo ad pulmones feratur III. 389. §. 7
prognoſis ratione excretionum III. 392. §. 23
ratione ſputi III. 392. §. 22
ratione virium ac ſymptomatum III. 392. §. 21
ſigna I. 730. II. 72
ſubjectum III. 388. §. 5
ſymptomata III. 389. §. 8. II. 295
Pleuropnevmonia II. 71. III. 388. § 6
Plexus choroideus an ſenſus communis ſedes I. 193.
cujus ſtructuræ ſit I. 194
Plinii ſecundi ſcripta I. 12
Plumbago quid & quotuplex I. 356
cujusnam uſus ibid.
Plumbi calcinatio I. 665
pulveriſatio I. 551
purgatio I. 665
uſti præparatio I. 665
Plumbum quænam præparata præbeat ibid.
Pnevmatocele qualis morbus II. 28.
tympanitem tollit II. 34. f.
Podagra retropulſa convulſionum cauſa II. 30
ſublata a gaudio III. 23. §. 22
ab ira III. 22. §. 20
Podagra ſublata per Muſicam III. 23. §. 22
per chinam III. 572. §. 11

Poda-

Podalirius quando vixerit I. 9
Pœon medicinæ inventor. I.6
Pœoniæ deſcriptio I.492
fecularum præparatio I. 558
Pollutio nocturna II.174
curata a ♀is exercitio III. 25. §. 27
Pollutionis noct.cauſa II.147, 148
cura II,148. 149
Polybius Medicus I. 10
Polygonum in Hæmorrhoid fluent.utile II. 25
Polypodium cujus uſus I.475
Polypus cordis II.138.vv.III.206.§. 20.207.§. 21
quomodo curandus II. 140. III. 216. §. 55
Polypus narium II.196.III. 115
narium aquoſus III.116. §.2
benignus III.116.§.4.III. 117. §. 5
carnoſus III. 116.§.2
malignus III 116.§. 4
Polypus narium cur multas habeat radices III. 116. §. 3.
ſponte emunctus III.120.§.14
Polypus narium ex hæmorrhagiis frequent III.116.§3
lue venerea ibid.
ſcorbuto ibid.
ſeri acrimonia ibid.
Polypi benigni cura per adſtringentia III. 117.§.7.186 §.52.
cauſtica III.117.§.7
exiccantia ibid.
extractionem III. 120. §. 14
puncturam III.119. §. 12,13
ſectionem III. 118.§.9.10,11
uſtionem III.118 §.8
Polypi cancroſi cura palliativa III. 117.§. 6
Polópi prognoſis & ſigna III.116.§.5
Pompholyx duplex 356
Pondera Medicorum I.690
Pori partium conſpirant inter ſe III. 221.§.36
non ſunt anaſtomoſes III. 221. §. 35
Joh.Bapt.Portæ ſcripta I. 30
Poſidonius Medicus I,13
Potionum commodus ac frequens uſus I. 698
compoſitio ac formulæ I.699
Potus efficacia in pituita producenda III.307,§.6
Præcipitantia I. 771
Præcipitatio Chymica I.549
ejus methodus varia I.550
Præparatio quid I.550
Præſagii tempeſtatum cauſa poſſunt eſſe humores III. 16. §.58
cauſa poteſt eſſe ſentiendi principium III.16.§.59
Præſagium tempeſtatum cur in animalibus certis contingat III.15.§.55, 56
cur a vulneratis fiat III.15 §. 56. 57
ex ſymptomatibus nonnullorum hominum III 15.§.55
Præſervatio a Luis ♀eæ contagio II.47. u.
Joh.Prævotii ſcripta I.34
Priapiſmi deſcriptio II.146
cauſa & cura II. 146,147
Priapus ceti qualis figuræ I.445
quomodo præparetur ibid.
cujusnam uſus I.446
Priapus cervi quando colligendus I. 445
cujusnam uſus I.445
Priapus Tauri I. 446
vulpis ibid.
Theod.Priſcianus idem qui Vindicianus I. 14
Proceſſus mammillares an cavi ſint III.97. §. 10
cur magis cavi in brutis III. 98.§.12
an nervi ſint III. 96.§.10
an tunicæ pituitariæ inſerantur III. 98.§. 13
Proceſſuum mammill.uſus III.97.§.10
an ſit odoratus III.98.§.13
pituitæ delatio ad nares III. 97.§.11
Procidentia ani v. Anus.
Prognoſis quomodo danda I.723, 724
Prolapſus uteri a nimia humiditate III.513.§.23
Prometheus medicinæ inventor. I. 6.
Proſtatæ an ſemen contineant I.214, 218
Proſtatarum liquor cujus uſus I.212
Theoph. Protoſpatarii ſcripta I. 18.
Pruritus ab æſtu III.16. §.58
in Eſſara quomodo ſiſtendus II. 261
manuum a frigore III.10.§. 36
pedum a frigore III,16.§. 57
in ſcabie II. 270
Pruritus in Maculis hepat.cauſa II.45. p.
Michaelis Pſelli ſcripta I.16,17
Pſeudocorallia I. 364
Pſilothra quænam I. 783
Pſittacorum loquentium exempla I. 208
Ptarmica medicamenta quænam I. 753. III. 260. §. 19
an univerſaliter evacuent.III. 260.§.19
an ſangvinem depurent? ibid.
quomodo operentur I. 754
Pterygion v. Ungvis
Pubertas I. 218
Pubertatis initium I, 218
ſigna in fœminis I. 218
ſignum an fluxus menſtruus I. 220
Pudendorum inflammatorum cura III. 584 §. 48.
Pudoris phænomena III. 44. §. 6
Puerperæ morbi a dolore poſt partum III. 591. §. 17
a paſſione hyſterica differunt III. 592.§.20

Puerperæ morborum a dolore poſt partum cura III. 594.§.25.26
prognoſis III.593 §.24.
Puerperæ morbi a lochiis ſuppreſſis III.598 §.35
morborum a lochiis ſuppr. cura III. 599. 600, 601
Puerperæ morbi a lochiis nimis fluentibus III. 598. §.34.
morborum a lochiis - cura III.601,602 §.41.
Puerperæ morbi a ſecundinarum retentione III.587. §.7
morborum a ſecund. retent. diagnoſis. III. 588.§.9
cura III.588.589,590
Puerperæ morbi ab uteri procidentia III. 603. §.45
morbor.ab uteri procidentia cura III. 606. §52.607.§.59
Puerperæ ſtatus periculoſus III.587. §.4,5
Puerperæ a doloribus poſt partum præmunitio I. 254.
in lectum repoſitio.ibid.
refectio I. 254
a ſomno præſervatio ibid.
Puerperarum diæta I. 255
nixus in partu I. 248
valetudinarium III.586
Pulmones embryonis defuncti cur ſubſideant? I. 245, 246
extenduntur ab aere ingreſſo I. 157
an ſangvificationis officina I. 109
vituli cujus uſus I.449
vulpis cujus uſus I. 450
Pulmonum infarctorum cura III.218.§.52
motus a motu cordis diſtinctus I. 158
ab aere dependet I. 160. III. 151. §.7
muſculi reticularis uſus I. 160
obſtructorum a calculis & materia tartarea cura III.196.§.22
putridorum cura III.197.§.27
ſcirrhoſorum cura III.199.§.38
ſtructura III.151.§.6.192.§.4.I.154
veſiculæ quomodo aerem expellant III. 151.§.6
cujus uſus III.151.§.6.192.§.4
uſus III. 224. §.54
Pulſus magnus ab ira III.22 §17
quid & quotuplex I.727.728
quot fiant intra horam III.222.§.39,40
Pulveriſatio I.550
Pulveriſationis modi I. 551
inſtrumenta ibid.
Pulverum e vegetabilibus confectio I.557
compoſitio I.695
formulæ I.696.697
Pumex quid ſit I. 319
Pumicis bonitatis notæ I.320
differentiæ I.319
operandi modus in ſtrumis III.457.§.8
origo I. 320
uſus I.320
Purgantia benigniora III.250.§.4
quomodo operentur III.250. §.5
fortiora III.250.§4
quomodo operentur III.250,251. §.5,6.
promoventur ab animo ſereno III.26.§.33.
retardantur ab animo triſti III.26.§.33
ſangvinem depurant III.251.§.7
uſitatiora I.462.742
uſitata rarius I. 474
Purgantia utilia in diarrhœa II.21.f.
dyſenteria II.22.h.
Fluxu cœliaco II.20
Hæmorrhoid.fluent.II.25
hydrope III.324.§.3
Malo hypochondr. II. 34. h.
Scabie II.43
Vulnerum cura III.491.§.21
Purgantium contraindicantia I.743
diviſio I.742
doſis I.692
exhibendorum regimen I.743
tempus I.742
natura I.742.III.250 §.3
operandi modus I.743,744
Purpura alba III.351.§.10
benigna III.609.§.64
maligna ibid.
Puerperarum III.608.§.60.63
Purpura an novus morbus II.96.III.608.§.62
cur dicatur der Frieſel II.95
Lipſiæ frequens I.96.III.608.§.61
Purpuræ cauſa II.96.III 609.§66
cura II.97.III.609.§.67.68,69
chirurgica III.611.§.71
diætetica II.611.§.72,73.74,75
præſervativa III.610.§.70
vetat dulcia & nitrata adhiberi III. 609. §.69
ſigna II.96.III.609.§.65
Pus quomodo gignatur III.496.§.35
Putamina an ſint antacida III.449.§.2
ovorum officinal.I.461
Putredo quid III.354.§.2
Putredo ſangvinis an Febrium cauſa II.88
Putredini reſiſtentia III.496.§.35
Putrefacientia I.784
Putrefactio I. 551
differt a fermentatione I.551
quomodo acceleranda I. 514
prohibenda ibid.

Q.

Qualitatum diviſio juxta Ariſtotelem I. 167, 168

Quar-

Quartatio quid ſit I. 685
Greg. Qveccii Scripta I. 34
Quietis efficacia in pituita producenda III. 380. §. 6
Quinta Eſſentia vini I. 586
Quintæ eſſentiæ origo ibid.
Quintæ eſſentiæ quid ſint I. 585
quomodo parandæ I. 585, 586

R.

RAbies canina v. Hydrophobia.
Radices alimentoſæ laxant. I. 475
Radicum Conſervæ I. 592
Radix Acori I. 488
Angelicæ I. 489
Ariſtolochiæ ibid.
Aſari I. 487
Bardanæ I. 489
Bryoniæ I. 482
quomodo colligenda I. 482
ejusdem præparata & doſis ib.
Cardui benedicti I. 489
Carlinæ I. 490
Chelidonii Alexipharm. I. 490
Chinæ an ⊖ habeat alcalicum III. 449. §. 2
Contrayervæ Alexipharm. I. 490
Cyclaminis Laxans II. 480
Cyperi ſtomach. I. 491
Eryngii I. 491
Fœniculi ibid.
Gentianæ I. 492
Imperatoriæ Alexiph. ibid.
Ireos aquat. quando colligenda I. 484
ejus doſis ac præparata ibid.
Polypodii layans I. 475
ejus doſis ac præparata ibid.
Joh. Raici Scripta I. 34
Rana calcinata prodeſt in Pollution nocturn. I. 497
in oleum infuſa remed. anodynum ibid.
Ranarum generatio I. 214
Ranula quid ſit III. 16 . § 30
Ranulæ cura III. 74. § 68
diverſitas III. 165 § 30
Raſpatio I. 553.
Ratio quid ſit I. 731
Medico admodum eſt neceſſaria I. 731. ſeqq.
Raucedo ab aere æſtuoſo III 8. § 30. 401. § 7
ſymptomatica II. 77
Raucedinis cauſæ ibid.
cura II. 77. 78
Rectificatio quid? I. 553.
Recens nati cur balneo repurgandi III. 613. §. 6
quomodo repurgandi ibid.
Recens natorum involutio III. 614. §. 9
quomodo fieri debeat. III. 614 §. 10.
lotio an tuta ſit III. 613, 614. §. 7
purgatio a meconio III. 615. §. 11
regimen III. 612
ſordes unde oriantur III. 613. §. 6
Receptaculi lumbaris inventor I. 101
Refrigerantes plantæ an ſale vol. alcal. gaudeant III. 448 §. 2
Refrigerantia in Hæmorrhoid. proficua II. 24. 185
quænam ſint III. 241. §. 16. 491. §. 22
quando adhibenda II. 185. g.
quomodo operentur III. 241. § 16. 448 §. 2.
repellunt II. 52. I. 773
Refrigeratio poſt commotionem inflammationem gignit II. 51
Refrigeratorium Chymic. I. 529
Regeneratio ex aere quomodo contingat I. 506, 509. 515
Henrici Regii ſcripta I. 45
Regei animalis præparata cur magni æſtimentur I. 496
Reguli Jovialis præparatio I. 651
Martialis præparatio I. 650
Regulus antimonii cujus uſus I. 486
Joh. Rehefeldii ſcripta I. 38
Thomæ Reineſii - I. 43
Remedia per inſomnium monſtrata I. 7
Renum abſceſſus II. 65. 265
abſceſſus cauſa II. 65, 267
cura II 66. 267, 268
ſigna II. 65, 267
ſymptomata II. 65
ſymptomatum cura II. 66
exulceratio II. 65
glandulæ a quo inventæ I. 117
inflammatio v. Nephritis.
tubuli an dentur I. 11 , 118, 119
a quonam inventi I. 116
Repellentia quænam I. 773. II. 184. III. 385. §. 45. 46
an dentur III 86. §. 34
nocent in Angina II. 12. u.
inflammationibus II. 51. I. 184
Repellentium natura II. 184. b.
operatio III. 86. §. 34. 384. § 45. II. 184
in vulneribus III 491. §. 22
uſus commodus ac noxius II. 184. III. 385. §. 47
Reſina abietis in ſtranguria ſpecific. II. 59. g.
Reſina abietis quomodo colligatur I. 420
Reſinæ albæ pini deſcriptio & vires ibid.
factitiæ I. 574
Reſinarum deſtillatio I. 569
Reſolventia quænam I. 788. 768, 770, II. 51. III. 385. §. 48. 491 20, 23, 599. §. 38
in Eryſipelate proſunt II. 185. h. 186
repellunt II. 52. I.

Reſolutio humorum ab animi pathematibus III. 24. §. 26.
Reſpiratio actione duplici abſolvitur III. 176. §. 2
Apoplecticorum quomodo cognoſcenda III. 49. §. 4
difficilis periculoſa II. 78
ex Plethora II. 49
a Timore III. 22. §. 18
embryoni recte denegatur I. 244. 245.
impedita a Coryza pituitoſa III. 111. §. 11
a polypo III. 115. §. 1
læſa ab aere nimis gravi III. 181. §. 26
pulverulento III. 187 §. 58
rarefacto III. 180. §. 21. 22, 24
animi pathematibus III. 184. §. 40.
gibbere III. 182. §. 29
humoribus in Thoracis cavum effuſis III. 18. § 28
incubo II. 286
luxatione vertebrarum III. 182. §. 29.
vulnere thoracis III. 181. §. 27
Reſpirationis læſæ ex adſtringentibus cura III. 188. §. 58.
aere rarefacto cura III. 180. §. 21, 22. 181. §. 25. 198 §. 50
angina cura III. 186. §. 53. 200. §. 44
aſcite cura III. 186. §. 49. 200. §. 40
aſthmate cura III. 190. §. 68
bolis majoribus cura III. 189. §. 66
coſtis dislocatis cura III. 182. §. 30
epatis tumore cura III. 185. §. 45
epiglottidis muco III. 188. §. 59
ſeroſo affluxu III. 188. §. 60. 194. §. 11. 15
faucium conſtrictione cura III. 189. §. 64
laryngis occluſione cura III. 187. §. 54. 55. 56
Lienis tumore cura III. 185. § 46
malo hypochondr. cura III. 185. §. 4 48
Menſibus ſuppreſſis cura III. 526. §. 15
Muſculis nimium pingvibus cura III. 182. § 33
Narium obſtructione cura III. 186. §. 51
polypo cura III. 186. §. 52
nervis affectis cura III. 18 . §. 43
Om enti ſcirrhoſa mole cura III. 186. §. 50
Pathematibus animi cura III. 184. §. 42
Peripnevmonia cura III. 190. §, 69. 70. 199. §. 35
peregrinis in Tracheam illapſis cura III. 188. §. 61. 62. 196. § 23
phthiſi cura III. 190. §. 71
Plethora cura III. 187. §. 67. 193. §. 7
pulmonum vitio cura III. 188. §. 63. 193. §. 9
Sangvinis acrimonia cura III. 181. §. 37. 195. §. 17
ſpasmis cura III. 183 §. 36. 184. §. 39. 199. §. 37
ſtagnatione cura III. 183. §. 34
ſpina dorſi depreſſa cura III. 181 §. 33
ſterno depreſſo cura III. 182. §. 31
ſtrumis cura III 189. §. 65
tumoribus in pectore cura III. 183. §. 35
tympanitide cura III. 185. §. 47. 200. §. 39
vertebris luxatis cura III. 182. §. 29
viſciditate III. 184. § 38
Reſpirationis materia I. 154. III. 176, §§. 4, 5, 6, 7
modus I. 155 III. 179. §. 17, 18. 192. § 5
neceſſitas ad olfactum III. 105. §. 26
organa I. 154. III. 178. §. 13, 14, 15. 192. § 2
ſomni tempore continuatio I. 197
uſus juxta antiquos I. 155.
reventiores I. 156
Reverberatio aperta I. 553
clauſa I. 553
Revivificatio I. 554
animalium I. 554
vegetabilium ibid.
Revulſionis utilitas in vulneribus III. 493. §. 25
Retis mirabilis uſus I. 150
Retorta quid I. 529. i. 528
Joh. Hennem. Reuſinghii ſcripta I. 30
Rhabarbarum quid ſit I. 464
album I. 466
genuinum unde noſcatur I. 464
naturæ qualis ſit? I. 465
nomen unde acceperit I. 464
plantæ cujusnam radix ibid.
præparata quænam præbeat I. 465
Rhazis vulgo Almanſor dictus I. 16
Rhinoceros quale animal I. 438
Rhinocerotis cornu cujus uſus I. 439
Johann. Rhodii Scripta I. 41
Joh. Conr. Rhumelii Scripta I. 42
Ricinus quid & quotuplex I. 487
qua doſi exhibendus ibid.
quibus præparatis inſerviat ibid.
Rigor a pituita III. 306. §. 4
Joh. Riolani Scripta I. 40
Riſus efficacia in alvo ſolvenda III. 26. 33

morbis III.26.§.23
morte concilianda III. 39.§.5
partu facilitando III.27.§.36
vomica pulmonum III.27.§.37
urina cienda III.26.§.35
Riſus præternaturalis a terrore III. 36.§.1
Sardonicus unde eveniat III.593.§.22
Andr.Rivini Scripta I. 40
Roborantia quænam I.777
Robur Iratorum unde III.45.§.19
Rogerii Chirurgi Scripta I.19
Gverneri Rolfinckii Scripta I.44
Gvilielm.Romani Scripta I.37
Gvilielm. Rondeletii ſcripta I.25
Ros majalis Burrhi Mercurius philoſoph. I. 518
Andreæ Roſæ Scripta I. 27
Roſæ Hierichunticæ virtus in partu difficili III. 580.§.28
Roſæ mineralis confectio I. 658
Roſarum tincturas conficiendi modus I. 583
Mich.Angeli Rotæ Scripta I. 42
Rotularum formulæ ac præparatio I. 710
Rubefacientia quænam I. 783
Rubi Idæi ſyrupus emeticus I. 649
Rubini quot genera I.330
uſus medicus I.331
Rubor faciei ab animi pathematibus III. 22. §.20
Rubrica fabrilis quid I. 286
ubinam effodiatur ibid.
nominibus variis inſignitur ibid.
cujusnam uſus ibid.
Rubricæ nomen generale eſt I.286
Joh.Ruellii Scripta I. 24
Ruffus Epheſius quando vixerit I.12,13
Petri Ruffi Scripta I. 33
Martini Rulandi Scripta I.27,29
Rulandi Parmenſis ſcripta I.19
Chriſtoph. Rumbaumii - I.28
Joh.de Rupeſciſſa - I.21
Ruſma Turcarum unde componatur I. 783
Rutæ Sal volatile I.581

S.

SAbinus Medicus quando vixerit I. 13
Saccharum Joviale parandi mods I. 668
noſtrum ab antiquo differt. I. 296
parandi modus I. 297
variat nominibus & bonitate ibid.
ubinam & ex qua Canna generetur ibid.
cujusnam uſus I. 298
Sacerdotes Medici I. 8
Phil.Jac. Sachſii Scripta I. 44
Sagapeni collectio I. 414, 477
deſcriptio I. 414
doſis I. 417, 477
planta ibid.
vires ibid.
Sal ammoniacum ad quod regnum pertineat III. 474.§.7
veterum quid ſit? I.615
an differat a Sale ammoniaco recentiorum I.615
Sal culinare quomodo paretur I. 299
unde generetur I. 299
cujusnam uſus I.300
Sal Gemmæ ſeu foſſile quid ſit I.295
cujus coloris ac figuræ ſit? I.296
cur in fodinis leve? ibid.
ubinam eruatur I. 295
cujus uſus I. 296
Sal Indus quid ſit? I.296,297
Marinum quid ſit? I. 298
quam varium ſit? I. 298,299
petræ v. nitrum.
Salacitas nimia II.169
unde oriatur II.170
quomodo curetur ibid.
Saladini de Eſculo Scripta I. 18
Salernitanæ Scholæ Autor I.19
Salernitani Medici olim celebres I. 18
Salia non agunt niſi ſoluta III.104.§.25
alcalica fixa an ſuper alembicum aſcendant III. 478.§.10
eſſentialia parandi modus I. 581
quo pertineant I. 582
vegetabilium I. 581
an ab oleis ſolvantur? 519
fixa quid ſint? I.552,576
an nulla gaudeant differentia I.577, 578
an ſangvificationis cauſa I. 107
an oriantur ex ſulphure & acido I. 578
ex ſulphure & ſale volatili I. 578
Vegetabilium I.576
ex quibus vegetabilibus habenda I. 495
an virtutem ſpecificam habeant? I. 578
homogenea haud reperiuntur III. 142.§.24
Lixivioſa cur copioſius ex quibusdam plantis eliciantnr III. 471.§4
quotuplicia ſint? I.180
ſalſa diverſa ex lapidum ſulutione III. 459 §.9
Salia volatilia alcalica ex R. A. III.475.§.9
R. M. III. 474.§7
R.V. III. 474.8
oleo deſtituta odore deſtituuntur III. 104.§.23
ex piſcibus habenda I. 497
an Sangvificationis cauſa I. 107
ex viperis cujus uſus II. 36. n.
gravidis caute danda II. 314
in Ictero proſunt II.38,39. r.
in morbileis non danda II. 98. g.

 in

in petechiis an danda II.95
peſte non conveniunt. III. 101.m.
Scabie proſunt II.43
Sangvinem purificant III. 480, §. 21
in Variolis non danda II. 98.g
an Sulphure careant I. 185
an producantur ſolum ex vermibus rebus putreſcibilibus admiſtis I. 552
Gvil. de Saliceta Scripta I. 19
Salina qua doſi danda I. 694
Salis Ammoniaci Eſſentiales partes I. 615
præparatio juxta Cæſalpinum I. 615
juxta Unzerum I. 615
Salia an ſeparari poſſint. III.476. §. 10.477
Spiritus an ſit antacidus III. 477. §. 10
Spiritus cum aqua parati vis antacida III.476.§. 10
cum calceviva parati vis antacida III. 476. 477.§. 10
ſimplicis deſtillatio I. 616
Coagulatio per Spiritum vini I.561
vinoſus an ſit antacidus III.475.§.10
Sublimatio I. 616
virtus in elevandis ſalibus fixis III.478.§.10
Salis communis decrepitatio I.627
differentiæ ratione coloris I. 627
originis I. 627
Spiritus dephlegmatio I. 628
deſtillatio I. 627
ſine igne aperto I. 627
Mirabilis Glauberi præparatio I. 628
Spiritus dulcis præparatio I. 628
volatilis præparatio I. 628
uſus in probandis antacidis. III. 482.
Saliva num acida. I.80.81
unde effluat I.81.82
jejuna ſerpiginem tollit II. 44. g.
cujusnam uſus I.80,81,82. 124. 129. III. 143. §.28,29
Salivæ defectus II. 3
inviſcatio a timore III.22.§.18
deficientis reſtitutio II. 4
ſalſedo præternaturalis II. 3.
quomodo corrigatur II.4
ſecretio impedita II. 3
Viſciditas unde II. 3
quomodo corrigenda II. 4
uſus in ſemiotica I. 726
Salivatio quomodo excitanda III. 257.§. 15
poſt apoplexiam III.54. §. 18
in hydrope II. 35.m.
per mercurialia ubi noceat. III. 75. §. 60
ſangvinem depurat III.257.§.15
Salivationis Cura quo ordine inſtituenda I. 756, 757. II.47.vv.
Contra indicantia I. 757
Salivatoria qvænam I. 755
exhibendi modus I. 56
odontalgiam ſanant II. 8
quomodo operentur I.755. III. 257, 258. §.15
Salium abundantia quomodo corrigenda I.711
Eſſentialium ſubjectum I.583
Fixorum cryſtalliſatio I 577
Depuratio I.577
Elixatio è cineribus I. 577
fluidorum varietas III. 471. §. 5.
vis antacida III.472 §. 5.
ſubjectum I. 576
ex vegetabilibus præparatio I. 576
Salium Lixivioſorum vis antacida. III. 471. §. 4.
volatilium alcalicorum uſus. III. 479. §. 21.
oleoſorum præparatio I. 617.
origo I.551
ex regno animali productio I. 613
ex vegetabilibus productio I.579
ex vegetabilibus inventor.579
rectificatio I.580
uſus in præcipitando III.480 §. 21
Salium uſus Chymicus I. 503
Salſa non fermentant. III. 72. §. 40
Salſorum menſtruorum operatio I.524
natura & origo I. 521.r. 524
Saltatores ad podagram proni II.41. y.
Salvatellæ ſectio in Liene II.54. r.
Joh. Salvii ſcripta I. 39
Joh.Rud.Salzmanni Scripta I.40
Sangvificatio I.103
Sangvificationis Cauſæ variæ I.104,105. ſqq.
fermentum andetur? I. 107
modi Autoribus varii I. 105, ſqq.
Officina I. 104,105, ſqq.
Sangvinem purificantia III. 248
ſunt acidulæ III.757. §.15
Sangvinem purificantia ſunt diaphoretica III. 253. §. 13.

Diare-

Sangvinem purificantia ſunt Diuretica III.256. §. 15
Emetica III.259. §.17
Emmenagoga III. 258. §.16
Evacuantia particularia III.253. §.12
Univerſalia III. 253. §. 12
Expellentia III. 261. §. 21
Lenitiva III. 260. §. 18
Maſticatoria III. 260. §. 19
ptarmica III. 260. §. 19
Purgantia III. 251. §. 7
Salivam moventia III. 257. §. 15
Temperantia III. 260. §. 20
Purificantium Synonyma III.249. §. 2
Siſtentia II. 216. i. III. 236. §. 1. vid. Iſchæma.
Sangvinis abundantia v. Plethora
acrimonia odontalgiæ cauſa II. 8. z.
æſtuantis cauſa III.72, §.38. 73. §. 43
affluxus ad caput quot modis impediatur III.51. §. 10
Aquoſi cauſæ I. 765. III. 265. §. 9. 533. §. 9
correctio I.765, 766. III.232. §.40. 281. §.41. 265. §.9
cura per diaphoretica III. 243. §. 20
fonticulos ibid.
inviſcantia ibid.
purgantia ibid.
Sangvinis circulatio III.217. 228. §. 20
qualis I.109. 110
an detur I. 111, 113, 116
circulationis inventor I.110. III.217
obſervatio per microſcopia III. 223 §. 45
Principium I. 112, 115. III. 218. §. 4
circulus duplex eſt III. 219. §. 18
Circulationis uſus particularis III.223. §.48
in bilis ſecretione III. 223. §.49
in lymphæ ſecretione III. 223. §.51
in ſangvine alterando III. 223 §. 53, 54
in ſeri excretione III. 223 §. 50
in ſpirituum & ſeminis ſecretione III.223. §.52
uſus univerſalis III. 223. §. 47
coagulatio ab acido III 380. §.20, 21
ab animi pathemat. III.381. §.25, 26
a contuſione III.381. §.28
a criſpatura fibrarum III.381. §. 27
Sangvinis coagulatio a frigore III. 380. §. 23. 381
a ſpirituum receſſione III. 380. §. 22
a Spiritu Vini I. 561
a terrore III.24. §. 25
congrumati cura III.193. §.8. 213. §. 43. 383. §. 39. 213. §.44
corrupti ſpecies III.263. §. 4
craſſi origo III.379. §. 19
defectus in fame mortuis I.142
deficientis cauſa III. 276. §. 17
cura III.281. §. 40
Sangvinis dyſcraſia acida III.263. §. 5
alcalica III. 264. §.6
dyſcraſiæ acidæ cura III.263 §.5
alcalicæ cura III. 264. §.6
ſalſæ cauſa III. 265. §. 7
cura III.265 §.7
Ebullitio mœrore ſedata III.24. §. 25
effuſiones ab ira III.44. §. 15
ab animi pathematibus III. 25. §. 27
effluxus per venam ſectam cohibitus a conſpectu ſponſi III.24. §. 24
expectoratio a riſu III.27. §. 37
extravaſatio unde fiat III.52. §. 11.
gelatinoſi nimis cura III.266. §. 10
humani deſtillatio I.614
principia III.303. §.1
impuritas quid ſit? III. 262. §. 2
ejus diviſio III. 262. §. 2
inquinatio quomodo fiat? III. 263. §. 3
ejus cura III. 263. §.3
inſpiſſatio ab infuſo Chinæ Chinæ III. 375. §.46
materia I. 104
motus cauſa III. 359. §. 1
an ab arteriis adjuvetur I. 112, 115
invenis unde I.113. 116
deficiens quomodo corrigendus I. 774
exceſſivi correctio I. 770
naturalis ſapor III.71. §. 28
orgaſmo cauſa juxta recentiores III.227. §. 15, 16
juxta veteres III. 226. §. 14
cura III. 239. §. 13. 240. §. 14, 15
per acida III. 240. §. 14
per adſtringentia III 240. §.15
inviſcantia III. 240. §. 13
refrigerantia III. 241 §. 16
ſtupefacientia III. 241. §. 17
Sangvinis particulæ qualis figuræ I. 104
particularum tinctarum quantitas I. 104
pingvis nimis cura III.265. §. 8
Sangvinis refluxus a partibus inferioribus unde adjuvetur I. 111

rubor unde I,103,104
ſalſedinis correctio I. 770
ſigna & colores I. 730
ſpiſſi correctio I. 768
ſputum II. 74. vid. Hæmoptyſ.
ſtagnantis effectus III. 355. §. 4
ſtagnatio II 51
anginæ cauſa II. 11. 12
in Plethora III. 71. §. 15
transfuſio II. 50. i. III. 234. §. 52. 234. §. 44.
viſcidi cura III. 213. §. 45. 527. §. 17. 287 §. 41
vitia II. 34. 50. I. 741
vitiati cauſa III. 61. §. 16

Sangvis Cervi non coagulatur I. 446
cujus uſus ibid.
congrumatur per acida III. 206. §. 18
a terrore III. 206 §. 18
an ad corporis partes omnes feratur I. 142
Draconis quid & unde I. 414
quinam ſeligendus I. 415
cujusnam ſit uſus ibid.
an fermentare poſſit? III. 227. §. 15
hirci quomodo colligendus I. 446
cujusnam uſus I. 446
eſt materia nutritionis I. 139
pingvibus abundans particulis III. 265. §. 8
quomodo præſervetur a putredine III. 355. §. 3.
tranſit per poros partium III. 221. §. 33
cur rutilus reddatur per reſpirationem I. 158
an in ſemen vertatur in teſticulis I. 215
quot modis vitietur III. 262. §. 2

Sanitas quid ſit? I. 63. III. 45. §. 21
Sanitatis definitio impugnatur I. 64
Anton Santorelli Scripta I. 39
Sapa vomitoria Sylvii I. 485
Sapæ vomitoriæ præparatio I. 649
Sapo venetus expertus in mictu cruento II. 61. p.
in ulcerib. renum II. 66. d
Sapor Medicamentorum qualis eſſe debeat II. 691
Saporum adſtringentium origo III. 143. §. 25
amarorum origo III. 143. §. 25
definitio III. 141. §. 17
dulcium origo III. 143. §. 25
materia juxta Ariſtotelem III. 142. §. 20, 21
Chymicos III. 142. §. 22, 23, 24
Empedoclem III. 141. §. 18
an ſit aqua I. 182
Saporum particulæ determinari nequeunt III. 143. §. 26
perceptio ab anima juxta Carteſium III. 146. §. 41
Platonem III. 146. §. 40

Salſorum origo III. 143. §. 25
Varietas juxta Abercrombium III. 144. §. 31
a diverſa ſalium figura III. 144. §. 34, 35. 145. §. 36, 37, 38, 39
Sapphiri quot genera I. 331
uſus I. 331
Sarcanda arbor I. 381
Sarcocele II. 28, 143
quomodo curanda II. 143
Sarcocollæ deſcriptio I. 415
planta I. 415
Sarcotica I. 791 III. 495. §. 31
eorum uſus I. 791
Sarſaparilla quid ejusque vires I. 492
Gellii Saſceridis Scripta I. 29
Saturni balſamum parandi modus I. 667
balſami uſus I. 667
butyri præparatio I. 667
uſus ibid.
Magiſterii præparatio .. 666
uſus I 667
Sacchari Cryſtalliſatio I. 666
præparatio I. 666
Spiritus deſtillatio I. 667. 668
origo I. 668
Saturnina an in ambuſtis abſorbeant acidum I. 562
internè cur noceant III. 463. §. 12
in inflammatione egregia II. 64. z.
Saturninorum vis antacida III. 463. §. 12
uſus & operatio externa III. 463 §. 12
Satyra Medicus I. 13
Satyriaſis II. 146
ejus cauſæ & cura II. 146, 147
Joh. Mich. Savanarolæ Scripta I. 22
Hercul. de Saxonia -- I. 29
Scabies humida II. 270
qualis morbus II. 42
unde oriatur II. 43. 271
an a vermibus II. 42. d.
quomodo curanda II. 43. 271. III. 415. §. 28
Scabioſorum Urina I. 730
Scammonii bonitatis notæ I. 423
uſus I. 423, 424
Scammonium officinale quid? I. 466, 423
quomodo colligatur ibid.
quomodo præparetur I. 477. 423. 424
Scammonium unde & ex qua planta I. 466. 423
Scarabæorum generatio III. 438. §. 5, 7
Uſus Chymicus I. 497
Scarificatio an conveniat in Gangræna vulnerum III. 494 §. 29
in hæmorrhoidibus utilis II. 24, 25
ubi inſtituenda in odontalgia III. 82. §. 19
Scarificationis inſtrumenta & modus I. 739
locus & uſus I. 740
contraindicantia I. 740

Caroli

Caroli Schæfferi Scripta I.451
Sebaſt. Schæfferi - I.47
Chriſtoph.Schelhammeri Scripta I.39
Joh. Theod.Schenkii -- I.44
Phil. Scherbi -- I.28
Andr. Schillingii -- I. 37
Sigismund. Schillingii -- I.32
Schlaff-Kunſten quid? I. 382
Pauli Marqv. Schlegelii Scripta I. 39
Joh.Schmidii Scripta I. 49
Conr. Victor.Schneideri Scripta I.46
Mart. Schokii Scripta I. 43
Chriſtoph. Schoreri -- I.43
Caſpar.Schvvenkfeldii -- I.29
Scilla quid & quotuplex I. 486
quibus præparatis inſerviat I 487
Scirrhi cauſa II. 187
cura II.188. III.183. §. 35
per terrorem III. 28.§.39
Scirrhorum definitio II.187
Schirrhus lienis II. 54
ex lue venerea II.188.u.
Scorbutici ad odontalgiam proclives II.8. 1
Scorbuticorum urina qualis I. 729, 730
Scorbutus ab aere ſalino III. 402. §. 11
dentium mobilitatis cauſa II. 9
quibus endemius II. 39
cum eroſione colli II. 275
utrum ſit lues venerea II. 277
a navigationibus III. 71.§. 19
ejus cauſa II. 39
cura II. 39.277
ſigna II. 39
ſymptomata II. 38
Scorzonera I.492
Scotomia qualis morbus II.130
per conſenſum II. 285
ejus cura II.131.III. 135.§.35
Scrophulæ quid II.191
Scrophularum cauſæ II. 191. 192
cura II.192
Sebeſten quid ſit ejusque vires I. 394
Melchior Sebizii Scripta I.32. 44
Secretio omnis an fiat per glandulas I. 145
Sectio in Calculo II.63. vv.
Secundinæ primiparæ cur præ aliis officinales I. 446
cujusnam ſint uſus I.447
Secundinarum excluſio naturalis I. 224
retentio II. 160.III. 587. §. 7
retentionis cauſæ II. 160. III. 588. §. 8
Cura Chirurgica III. 588. §. 10
retentarum Cura per Clyſmata III. 590.§. 14
Cura diætetica III. 590. §. 16
per Emollientia 589. §. 12
per fœtum pellentia III.589. §.13
Peſſaria III.590. §.14
Pharmacevtica II. 161.III.589 §. 12
per ſternutatoria III. 589. §. 13
ſuffumigia III. 590. §. 14
Diagnoſis III. 588. §.9
Symptomata III. 588.§.8
Georgii Segeri Scripta I. 45
Sela Medicus I. 16
Sella parturientium I. 254
Semen an adeſſe poſſit teſtibus deficientibus I. 213.216
Carthami quale I. 482
qua doſi dandum I. 483
quibus præparatis inſerviat, ibidem.
an elaboretur a facultate σπερματοποιη-τικῇ I. 213.216
an elaboretur per fermentum peculiare I. 213. 217
fœmininum an ſit liquor ex ovulis preſſus I.231.235
Maris an potius ſit genitura I.213. 215
Maſculinum inſenſibiliter effluit è mulieribus I. 232.
Maſculinum quomodo ejaculetur I. 212
an omne conſummatur in fœtus formatione I. 232
an omne mulieribus denegandum III. 509. §. 5
ſpiritibus concentratis plenum II.138.p.
ſtagnatione ſpiſſum redditur I. 218
teſtium an differat a ſemine veſicularum ſeminalium I.213,218
virile an conſtet ex vermiculis I 229.232
an omne retineatur in coitu I. 229, 231
Seminis acrimonia III. 511.§.14
acrimoniæ cura II. 148
acidæ cura III 516.§. 40
ſalſæ cura III.516.§. 40
aſſervationis locus I.212
deficientis cura III.516.II.149
defectus ab organorum abſentia III. 510. §. 10
ab organorum mala conformatione III.510. §.10
Diluitio a liquore proſtatarum I. 212
Elaborationis organa I. 211
Eſſentiales partes quot ſint III.510. §.11. I. 211
fœminini & maſculini differentia I. 230. 234
materia an ſit lympha I. 213. 215
an ſit ſangvis rutilans I.213.215
an ſit ſuccus nervorum I. 213. 215
Seroſitatis emendatio II. 148

Spirituoſa

ſpirituoſa pars aſcendit ad ovaria I.228
an per nervos ad ovarium feratur I.229.233
an per vaſa ſangvifera ad ovarium feratur I. 229. 233
an penetret ovuli pelliculas I. 230. 235
an per poros uteri veniat ad ovarium I. 230. 234
& ſeri differentia I. 215
ſeroſitas III.511. §. 12
ſecretio per transcolationem I. 211
ſpirituoſa ſubſtantia an in teſticulis ſecernatur? I.213. 215
ſpirituoſitas deficiens III.511. §.15
viſciditas præternaturalis III.511. §. 13
viſciditatis cauſa II. 149
cura II.149 III.516. §. 39
vitiati ſigna III.514. §.28
Seminum exiccatio & pulveriſatio I. 558
Semicupiorum formulæ I.705
Semioticæ definitio I. 723
Mich. Sendigovii Scripta I.28
Senna quid & quotuplex I.467
Sennæ bonitatis notæ I. 467
doſis I. 468
præparata I. 461. 468
Dan. Sennerti Scripta I. 36
Senſatio I. 161
quid ſit juxta Carteſium I.163
quomodo fiat juxta Ariſtotelem I. 164
Senſorium commune non datur I. 191
Senſorii communis ſedes an ſit in centro ovali I. 190, 193
uſus I. 190
Senſus brutis competit III. 19. § 7
communis an quieſcat ſomni tempore I. 195, 196
conjunctam habet ſemper aliquam cognitionem I 162. 163
figura nulla perficitur III.19. §.5
hominum quomodo differant a ſenſibus brutorum I. 189
Interni I. 188
competunt etiam brutis I. 188, 189
Internus an ſit unicus ſolum I.192, 194
Interni an duo ſint I. 191, 194
an ſint quatuor ibid.
an ſint quinque ibid.
an plures ſint quam quinque I. 164
Senſuum internorum ſedes an ſit in cerebro I. 190. 192
corde I. 190, 192
corpore calloſo III. 50. §. 5
pineali glandula I.190, 92
plexu choroideo I.190, 193
ſenſoriis externis I. 189
ſenſorio communi I.190, 191
Sepiæ deſcriptio I. 444
Ludov. Septalii Scripta I.35
Joh. Serapionis -- I.16
Serapionis -- I.17
Serapis Medicinæ inuentor I. 5
Q. Sereni Sammonici Scripta I. 13
Serici geneſis & uſus I. 461
Seri abundantiæ cauſæ I.765
cura II. 35. I.765, 766. 767
per diaphoretica III.194 §.13
incraſſantia III. 194. §. 13, 14, 15
Seri abundantis cura per purgantia III. 194. §. 11
augmentum ab aere frigido III. 109 §. 7
aere inſpirato III. 109. §.7
imminutio a ſternutatoriis III. 136. §.51
inſpiſſati cauſa III. 71. § 24
in glandula pineali & plexu ejus ſeparati refluxus III. 131. §. 25
ſtagnatio curata per animi pathemata III. 23. §. 21
Sermonis origo III.156. §. 11. I.207
Seroſis ſubjectis prodeſt aer ſiccus III. 14. §. 49
Seri vitia ex quantitate quomodo curanda I.742
Serum abundans a potu nimio III. 316. §. 19
extravaſatum cur non in vaſa remeet III. 321. §.2
Lactis in alvi duritie egregium II. 26. o.
an ſit materia nutritionis I.140
ventriculi vitiatum quomodo cognoſcatur I. 726
Serpentes ſiccati cujusnam uſus I. 434, 435
cur deponant exuvias I. 447
Serpentum uſus I. 447
Serpigo qualis morbus II. 43
Serpiginis cauſa II. 44
cura II.44. g.
Stacea ubinam trajicienda I. 761
Setaceorum apparatus I.761
ducendorum modus I. 762
uſus ibid.
Setaceum in varis profuit II. 45. l
Sexus diverſi cauſa I. 231. 236
Simeon Sethi Medicinam in Italiam tranſtulit I. 17
Marc. Aurel. Severini Scripta I.40
Petri Severini Scripta I. 27
Sibili aurium cura per ſternutatoria III. 134 §.40
in loquela cauſa III. 150. §. 1
Siccitas quid? III.13. §.47
Siccitatis definitio I.186
origo III.14. §. 49

Joh.

Joh. Siglicii Scripta I. 31
Signa morborum quotuplicia I. 723, 724
unde ſumantur I. 724, 725
Sil quid? v. Ochra
Siliquæ quid & unde I. 394
cujusnam uſus ibid.
Simia cur habeat menſium fluxum I. 222
Sinapi ſal volatile I. 581
Singultus quomodo fiat? III. 135. §. 42
cauſa II. 70, 71
cura II. 71
Singultus cura per gaudium III. 30. 59
metum ibid.
promiſſionem doni ibid.
ſternutat. III. 134. §. 42
terrorem III. 30. §. 49
lethalis II. 71. u.
ſubjectum II. 70
Sitis aucta II. 3
a calore corporis aucto III. 7. §. 25
epilepſiæ ſymptoma II. 3. a.
naturalis quid ſit? I. 74
aſſeritur I. 75
negatur ibid
Sitis an ex defectu ſalivæ oriatur I. 75, 76
an fluidis tantum ſedetur I. 75, 76
in febribus quodammodo ſedanda II. 4
hydrope quomodo delenda II. 4
Sitis auctæ cauſa II. 3
hydropicorum cauſa II. 3. b.
naturalis cauſa I. 74
cura II. 4
ſedes ubi ſentiatur I. 74, 75, 76
Smaragdi genera varia I. 332
nomina varia I. 331
uſus Medicus I. 332
Henric. Smetii Scripta I. 30
Soda qualis morbus II. 15
Sodæ cauſa II. 16
cura II. 16
in gravidis origo II. 16. k.
Soldanellæ plantæ deſcriptio I. 479
doſis ac præparatio I. 479
vires medicamentoſæ ibid.
Solicitudo animi mortem inferrre poteſt III. 38. §. 4
Solidæ partes inſtrumentaliter ſe habent I. 67
unde moveantur I. 68
nutriantur I. 73
Solidæ partes quænam ſint? I. 66
Soliditatis definitio I. 186
Somni cauſa an ſit ebullitio ſucci nutritii I. 196, 197
an ſint vapores ventriculi I. 196, 197
diverſitas I. 196
finis an ſit nutritio partium ſolidarum I 196, 198
vitia II. 126. ſqq.
Somnolentiæ cauſa II. 126
cura II. 127
deſcriptio II. 126
a frigore cura III. 409. §. 7
Somnus pituitam producit III. 308. §. 6
productus a muſica III 30. §. 49
Soni diverſitatis cauſa III. 152. §. 11. I. 178
formalitas I. 178
ſubjectum eſt aer I. 178
an unice ſit aer I. 178
Soniferæ particulæ quænam ſint I. 178
Sonitus Aurium v. Auris
Sonus quid? I. 178
an propagari queat per undas I. 179
prototypus quid ſit? I. 179
Sorani duo fuere I. 13
Soranus Epheſius I. 12
Sory quid ſit? I 305
Spaſmi ab anodynorum abuſu III. 493. §. 26
a calculo III. 73. §. 45
cauſa III. 72. § 34. 425. §. 11. II. 140
cura II. 141
per animi pathemata III. 26. § 30
antiſpaſmodica III. 214. §. 47, 48. 384. § 40
a frigore III. 72. §. 34
inflammationum cauſæ II. 51
a menſium ſuppreſſione III. 526. §. 15
Spaſmorum diviſio II. 140
vulneratarum partium cura III. 490. §. 17
externa III. 490. §. 17
interna ibidem.
Spaſmus Cynicus II. 140
pedum in gravida II. 312, 313
Specificum in ambuſtione II. 207. b
calculo II. 63. f.
contra cantharides II. 61. p.
in febb. II. 84. k.
contra Gonorrhœam II. 149. g.
hæmoptyſin II. 77
hecticam II. 87. g.
lachrymarum fluxum continuum II. 103
lochiorum fluxum nimium II. 163. n.
maculas II. 107
Maniam II. 122. b.
Specificum pro memoria confortanda II. 118. m. n.
in menſium ſuppreſſione II. 152. g.
Nervi punctura II. 71. r.
oculorum hebetudine II. 316
oculorum Panno II. 106. d.
partu difficili II. 159. x. y. z.
pleuritide II 72. a. b.
pollutionibus II. 149. g.

raucedine II. 77. u.
raucedine ex pituita II. 77
ſudore fœtido II. 67
variolis II.98. h. 283
vertigine II. 131
ungve oculorum II. 106. d.
vomica pulmonum II.66.c.II.73.d.
vomitu ſangvinis II.77
Joh. Spedii Scripta I. 37
Sperma ceti quid ſit I. 369
cur flos ſalis dicatur I. 369
parandi modus I. 370
cujusnam ſit uſus I. 370,371
Sperma ranarum in hæmorrhagiis prodeſt II. 512. n.
orgaſmum ſangvinis ſedat II. 49. g.
Spermatis ranarum uſus Chymicus I. 497
Sperniola Crollii hæmorhagias ſiſtit II.52.n.
Sphaceli cauſa II. 208
cura II. 209
deſcriptio II. 208
a vulneribus cauſa III. 491. §.20
Sphacelus a frigore III.10. §. 34
a vulnerum deligatione III.489.§. 14
Sphincteris veſicæ atonia II. 60
laceratio ibid.
ſpaſmus ibid.
Spica celtica I. 405
indica. ibid.
cujusnam uſus ibid.
Adr. Spigelii Scripta I. 32
Spina cervina quid & quotuplex I.477
quibus præparatis inſerviat ibid.
cujus uſus ſit ibid.
Spina muſtelæ piſcis cujusnam uſus I.447
Spina ventoſa qualis morbus II. 205
quomodo curanda II.206
Spinæ viperarum quid ſint? I.447
quomodo præparandæ ibid.
cujusnam uſus ibid.
Spiritus an ſint acidi I.148
acidi I. 568
e lignis I. 568
plantis recentibus I. 568
reſinis & gummatibus I.569
ſeminibus I. 570
ſulphureis I. 570
ex quibus vegetabilibus habendi I. 496
acidus terræ lemniæ I. 502
Aluminis in ſudore nimio prodeſt II. 87. p.
Spiritus animales quid? III. 41. §. 4. 47. 218. §.5.359.§. 1
cogitant III.41.§.8.42. §.9
conſiderant objecta III.41.§ 7
quotuplici modo ſe moveant in affectibus III.44.§.17
an ex aere generentur I. 148, 150
& anima an differant I. 164
Spiritus ardentes an differant ab invicem I.564
an ſola fermentatione parentur. ibid.
an potius oriantur ex fermento addito I.564,565
ex quibus plantis habeantur I.496
aſthmatici Michaelis deſtillatio I. 677
Spiritus in cerebri corticali ſubſtantia ſecerni negatur I. 147
an in cerebri ventriculis generentur I. 150
carminativi de tribus præparatio I.603
rectificatio I.603
an dilapidari poſſint III. 61. §. 18
digeſtorii quales ſint I. 87
an in medulla ſpinali ſolum ſecernantur. I. 150
non eſſe acidos probatur I. 152
an ſint nitro aerei I. 152
inflammabiles I.560
habent particulas oleoſas ibid.
ſalinas ibid.
an ſint pars corporis I.66, 67
ſunt motus & functionum cauſa I.69.III. 59. §.5.60.§.9
unde nutriantur I. 73.I.146
an nutritionis cauſa efficiens ſint I.141
ab odoramentis non reſtituuntur I.150
an præparentur in reti mirabili I.150
an producantur per ſecretionem I. 151
an reſtituantur in reſpiratione I. 153
ex ſangvine oriri negatur I. 147
an ſint ſalini I. 151
an ſint ſalino volatiles I. 148
quomodo reficiendi per frigus I. 149
non ſentiunt juxta Carteſium I.163
ſomni tempore quieſcunt I. 195, 196
an recedant è ſenſoriis ſomni tempore I.196. 197
an cum ſpiritu vini comparandi I. 153
in teſticulis elaborati I.213, 215
turbantur ab humoribus pravis III. 369. §. 35
unicus eſt I.150
vini adſtrictoria vis III.372.§.49
cur coagulet ſpiritum ſalis ammoniaci 562
Spiritus vini ſangvinem coagulat I. 561
rectificatio per cucurbitam I. 563
per phiolam I. 563
per ſal alcali I. 563
rectificati per alcali depuratio I. 564
ſal an ſit acidum I. 561
ſal volatile quomodo parandū I. 562,563
an habeat particulas phlegmaticas I. 563.
Spiritus vitalis quotuplex ſit? III. 342. §.7
ſalis ammoniaci ab ebrietate præſervat II.271
ſcirrhos curat II.156. i.
vini rectificatus hæmorrhoides fluentes ſiſtit II.25
in cachexia prodeſt II.36.o.
hæmorrhagias ſiſtit II. 53
tabem inducit II.69.n.

vitriol

Vitrioli hæmorrhagias ſiſtit II. 52.
Spirituum activitas præ aliis partibus I. 69.
affluxus quomodo cohibendus III. 51. §. 10. 277. §. 24.
affluxus cohibetur ab abſceſſu. III. 52. §. 12.
effluviis mineral. III. 53. §. 14.
a ſangvine extravaſato III. 51. §. 11.
ſcorbuto & lue Venerea III. 53. §. 15.
- ſeroſa colluvie III. 52. §. 13.
copioſior cauſatur ardorem III. 70. §. 19.
Spirituum alteratio unde? III. 61. §. 18.
à terrore III. 24. §. 25.
animalium exiſtentia. III. 41. §. 5.
natura III. 41. §. 6.
Commotio ab affectibus III. 41. §. 7.
objectis. ibid.
averſio III. 90. §. 47, 48.
Conturbatorum Cauſa III. 51 §. 9.
Defectus Anorexiæ Cauſa II. 4.
Apepſiæ Cauſa II. 12.
Cachexiæ Cauſa II. 36.
Defectus Cauſa I. 793 ſqq. III. 270 §. 22. I. 146.
Cura I. 793, 794, 795, 796. II. 5. 36, 37. III. 270. §. 11. 282. §. 42. 516. §. 41. p. 5. §. 17.
Deſcriptio I. 66, 69.
Deſperatorum cura III. 346 §. 25.
Spirituum Elaſticitatis auctæ effectus. III. 45. §. 19.
imminutæ effectus III. 45. §. 19.
Errores unde oriantur I. 797, 798.
quomodo corrigendi I. 798.
Excitatio ab acribus ſumptis III. 30. §. 46.
ab animi pathemat. III. 29. §. 42.
odorib. volatilib. III. 29. §. 45.
Exiſtentia negatur I. 70.
vindicatur I. 71.
Inflammabilium præparatio I. 560.
rectificatio I. 563.
Influxus impediti Cura. III. 282. §. 44.
Infirmitatis Cura III. 346. §. 23.
Inquietudinis Cura. III. 346. §. 24.
Languor quomodo corrigendus I. 774.
Materia ex qua I. 146.
Spirituum motus inordinati Cauſa I. 796. III. 368. § 34.
Cura I. 796.
rapidus quomodo ſedandus I. 772.
officium in functionibus negatur. I. 70.
vindicatur I 71, 72
Origo III. 359. §. 1. I. 146.
Quies quotuplex ſit I. 196, 197.
Quietis uſus I. 195.
Splenetica quænam I. 780. II. 55.
Carol. Sponii ſcripta I. 46.
Jacob. Sponii ſcripta I. 47.
Spongia marina quid? I. 371.
quotuplex ſit? I. 371.
cujusnam uſus. ibid. (§. 48.
Spongiarum madidarum uſus in aeris ſiccitate III. 13.
Sputatoria quænam I. 752.
quomodo operentur? I. 752, 753.
Sputum ſangvinis in phthiſi II. 74.
v. Hæmoptyſ.
Stagnatio humorum ab animi pathemat. III. 21. § 14.
Stanni præparata I. 668.
pulveriſatio I. 551.
Steatoma quid ſit? II. 190.
Steatomatis Cauſa II. 191.
Cura II. 191. III. 283. §. 35.
Stenomarga v. Marga.
Stercora Brutorum an ſint antacida III. 450. §. 3.
Stercus pavonis officinale I. 460.
Sterilitas III. 508.
a Cauſis ſupranaturalibus III. 509. §. 6.
an excitari poſſit ab herniis III. 503. §. 4.
Sterilitas fœminarum a cicatricibus Integumenti ovariorum III. 512. §. 19.
ab adſtringentium abuſu III. 607. § 58.
a Clitoridis excreſcentia III. 512. §. 17.
a vitio extremitatum Tubarum Fallop. III. 512. §. 19.
ab hydrope ovariorum. III. 512. §. 19.
a lympha viſcida in ovariis. ibid.
a naturalibus clauſis III. 511. § 16.
ab Ovariorum integumento nimis craſſo III. 512. §. 19.
a Tubarum Fallop. anguſtia III. 512 §. 18.
a Tubis Fallop. obſtructis ibid.
ab Uteri compreſſione III. 512. §. 20, 21.
ab Uteri defectu III. 511. § 16.
humiditate III. 512. §. 22.
pingvedine III. 512. §. 20.
Sterilitas in mare ab organorum vitiis III. 509. §. 7.
a penis flacciditate III. 510. §. 9.
a phimoſi III. 510. § 8.
ab opiatorum abuſu III. 511. §. 15.
a ſeminis acrimonia III. 511. §. 14.
defectu III. 510. §. 10.
ſeroſitate III. 511. § 12.
vitiis III. 510. § 11.
viſciditate III. 511. §. 13.
a ſemine non ſpirituoſo III. 511. § 15.
a Virgæ brevitate III. 510. §. 8
conformatione prava III. 510. § 8.
Sterilitas in mare a virgæ defectu III. 510. §. 8. (§. 7.
magnitudine nimia III. 510.
Sterilitas an a menſium obſtructione oriri poſſit III. 513 §. 24.
a pituita III. 306. § 4.
a ſpirituum defectu III. 513. §. 26.
ab uteri ſiccitate nimia III. 513. §. 25.
Sterilitatis Cauſæ II. 155, 156.
Cauſarum ſigna II. 156.
Cura II. 156. III. 515. §. 33.
a Clitoridis magnitudine Cura III. 517. §. 43.
a Coalitione genitalium Cura III. 517. §. 42.
in fœmina Cauſæ incurabiles III. 515. §. 33.
in fœminis Cauſæ III 511 §. 16.
ſigna III. 514. §. 29. 30.

Ex qua-

Ex quadam individuali conjugum inconvenientia ſigna III. 514. §.31.
Sterilitatis in mare Cauſæ incurabiles III. 515. §. 33.
ſigna III. 514. §.28.
a penis flacciditate Cura III. 515. §. 36. 516. §. 37.
longitudine Cura III. 515. §. 34.
a Phimoſi Cura III. 515. §. 35.
Prognoſis III. 515. §. 32. (§.40.
a ſeminis acrimonia acida Cura III. 516.
ſalſa Cura. ibid.
defectu Cura III. 516. §. 38.
viſciditate Cura III. 516. §. 39.
a ſpirituum defectu Cura III. 516. §. 41.
a Vitiis utriusque ſexus Cauſa III. 513. §. 27.
Cura III. 518. §. 49.
ab Uteri humiditate Cura III. 517. §. 44, 45.
ſiccitate Cura III. 518. §. 47.
Sterni depreſſi Cura III 182. §.31.
Sternutatio a Catarrhis III. 130. §. 21.
cur totum corpus concutiat III. 131. §. 30.
quomodo in conſenſum trahat alias partes III. 128. §. 15
inſpirationem profundam ſequitur III. 127. §. 8.
a menſium ſuppreſſione III. 130. §. 21.
quomodo fiat III. 127. §. 6.
quot vicibus fiat III. 127. §. 7.
a pituita III. 205 §. 4.
violenta nervis nocet II. 303.
Sternutationis Cauſa efficiens III. 129. §. 17.
definitio III. 127. §. 4, 5.
Finis III. 130. §. 24.
Formalitas III. 129. §. 16.
homonymia & ſynonymia III. 127. §. 3.
ſubjectum III. 128. §. 9, 12, 10, 11.
Uſus III. 132. §. 31.
in affectibus ſoporoſis III. 131. §. 34.
Apoplexia III. 132. §. 33.
Cardialgia III. 135. §. 43.
Catarrhis III. 134. §. 40.
Cephalalgia III. 132. §. 32.
Epilepſia III. 133. §. 36.
Lipothymia III. 133. §. 37.
Maculis volaticis III. 134. §. 41.
Memoriæ vitiis III. 134. §. 39.
Menſium ſuppreſſ. III. 135. §. 44.
Paralyſi III. 133. §. 38.
Sternutationis uſus in partu difficili III. 135. §. 46.
paſſione hyſterica III. 135. §. 45.
ſcotomia III. 133. §. 35.
ſecundinis retentis III. 135. §. 47.
ſingultu III. 134. §. 42.
ſyncope III. 133. §. 37.
vertigine III. 133. §. 35.
Sternutatoria I. 754.
Externa III. 129. §. 18.
ſub forma exhalationum III. 129. §. 19.
liquoris ibid. (§. 18.
pulveris III. 129.
turundarum III. 130. §. 20.
quibus in caſibus prohibeantur I. 755.
quomodo operentur III. 130. §. 22.
Sternutatoriorum natura III. 129. §. 17.
noxa in conceptu III. 137. §. 56.
gravidis III. 137. §. 57.
herniis III. 137. §. 55.
fluxu menſium III. 137. §. 54
hæmorrhagia narium. ibid.
ob nervorum concuſſionem III. 136 §. 52
ſeri detractionem III. 136. §. 51.
in vitiis Thoracis III. 137. §. 53.
ex uſu frequentiori III. 136. §. 50.
operatio diverſa II. 327. III. 130. §. 23.
uſus & abuſus III. 126.
Stertor & Rhonchiſmus ex Incubo II. 286.
Nicolai Stenonis ſcripta I. 52.
Stimulantia atoniam curant I. 779.
Joh. Andr. Stiſſeri ſcripta I. 52.
Joh. Stockmanni ſcripta I. 38.
Stomachalis menſtrui cruditatibus acidis & bilioſis vitiati Cura per alcalia III. 302. §. 32.
per Martialia III. 302. §. 34.
per terrea III. 301. §. 31.
menſtrui ſalſi Cura III. 301. §. 30.
viſcidi Cauſa III. 300. §. 28.
Cura III. 301. §. 29.
Stomachi atonia apepſiæ Cauſa II. 13. b.
ardor v. ſoda.
deſcriptio anatomica I. 76.
dolor v. dolor.
Eroſio tollitur balſamicis II. 20.
Menſtruum I 84, 85.
vitioſum II 13. a.
motus contractivus I. 77.
Nauſea v. Nauſea.
Nervi I. 77.
Vitia II. 12.
Stomachica remedia III. 294.
acida III. 299. §. 25.
adſtringentia III. 299. §. 22.
Amara III. 299. §. 23
Analeptica III. 297. §. 15.
Aromatica III. 298. §. 18.
in Bulimia III. 296. §. 10.
Carminativa III. 300. §. 26.
Evacuantia III. 298. §. 20, 21.
in refrigerio III. 296. §. 9.
Stomachica ſalina III. 297. §. 17.
ſuaveolentia III. 297. §. 16.
in ulceribus & aphthis Ventriculi III. 296. §. 12.
in Ventriculi motu deficiente III. 297. §. 6.
in Ventriculi ſeroſa colluvie III. 298. §. 18.
in Vermibus III. 296. §. 11.
Stomachicorum definitio III. 294.
Strabiſmi Cauſæ II. 104.
Cura II. 104.
Varietas ibid.
Strangulatio II. 79.

Stranguria ab ardore Urinæ differt II. 58.
a dyſuria differt II. 57.
Stranguriæ Cauſa II. 58.
Cura II. 58.
gravidarum Cura III. 557. §. 14.
Stratificatio quid ſit? I. 554.
ejus Inſtrumenta I. 554.
Laur. Strauſſii ſcripta I. 48.
Strumæ II. 191.
Strumarum Cura III. 189. §. 65.
per manum Cadaveroſam III. 18 §. 39
Struthionum ova cujus uſus I. 467.
Eman. Stupani ſcripta I. 42.
Joh. Nic. Stupani ſcripta I. 32.
Stupefacientia Medicamenta III. 241. §. 17.
Stupor v. Tactus imminutus.
ab abſceſſu in Capite III. 52. §. 12.
a frigore III. 10. §. 37.
a fulminis tactu III. 53. §. 15.
Stuporis a frigore Cura III. 408. §. 6.
Styncus marinus quid ſit? I. 434.
unde afferatur. ibid.
cujusnam ſit uſus. ibid.
Stiptica Medicamenta III. 246. §. 29, 30.
Stipticus liquor Anglicus I. 638.
à le Mort deſcriptus I. 638.
Styrax Calamita vera quid ſit I. 424.
ubinam reperiatur. ibid.
in granis I. 424.
Liquida. ibid.
ubinam colligatur. ibid.
cujusnam ſit uſus. ibid.
Svaveolentia Lipothymiæ Cauſa II. 132. 6.
Sublimatio quid? I. 554.
Sublimationis Inſtrumenta I. 554.
Uſus I. 554.
Succinum quid ſit? I. 371.
ubi inveniatur I. 372. I. 643.
Succini compoſitio artificialis I. 644.
dealbatio I. 644.
deſtillatio ibid.
olei rectificatio I. 645.
ſeparatio a phlegmate & ſpiritu I. 644.
origo & natura I. 371, 372, 501.
præparata I. 643.
ſal volat. eſt naturæ acidæ I. 645.
ſalis volat. Tinctura I. 646.
Succini ſpecies variæ I. 372.
ſpiritus & ſalis volat. rectificatio I. 644, 645.
Tincturæ extractio I. 645.
ſunt a ſubſtantia ſuccini ſoluta I. 646.
Vernix I. 644.
Vires I. 372, 373.
Succolatæ confectio I. 389.
uſus I. 390.
Succorum vegetabilium aſſervatio per aeris excluſionem I. 582. (582.
per ſaccharum I.
per ſulphurationem I. 582.
depuratio per album ovi I. 594
colaturam I. 582
quietem I. 582.
Inſpiſſatorum præparatio. ib.
parandorum modus I. 581
Succus roſarum ſolutivus I. 474, 475.
Suctionis lactis modus III. 639, 640. §. 6.
Sudor quid ſit I. 121.
in Apoplecticis mortis nuncius II. 303.
a Calore corporis aucto III. 7. §. 24.
Lactis deficientis Cauſa II. 166. z.
fœtidus a motu nimio III. 406. §. 28.
ſangvineus a terrore III. 37. §. 2.
ſangvinis conditionem indicat I. 725.
an ad motum facilitandum faciat? I. 123, 124.
ſuppreſſus à frigore III. 10. §. 35.
an cum Urina ejusdem naturæ I. 122, 123.
Naturalis an detur I. 122, 123.
quomodo ſecernatur I. 122, 124.
ubi ſecernatur I. 122, 123.
Sudoris differentia a tranſpiratione I. 121.
fœtidi cura III. 414. §. 26.
hecticorum Cauſa II. 87.
Cura II. 87.
Materia I. 121, 122, 123.
Nimii Cauſa II. 66, 67.
Cura II. 67.
Vitia reliqua II. 66.
Sudorifera III. 255. §. 14. v. diaphoretica.
acria III. 255. §. 14.
minus acria. ibid.
Sudoriferorum efficacia III. 254. §. 13.
modus operandi III. 254. §. 1. 255.
Sudoriferi maximi Fabri præparatio I. 669.
uſus I. 669.
Suffitus in prolapſu ani utilis II. 29. y. (85. §. 29
Suffocatio ab adſtringentium abuſu in odontalgia III.
ab halitu cloacæ III. 187. §. 55.
a fumo III. 187. §. 54.
a ſternutatoriorum abuſu III. 137. §. 52.
Uteri unde cognoſcatur II. 168.
quibus ex cauſis accidat II. 168.
quomodo curanda II. 169.
quibus ſymptomatibus ſtipetur II. 168.
Suffocationis cauſæ II. 79.
cura II. 80, 81.
ſuffumigia in Epilepſia caute adhibenda II. 285.
Suffuſio a pituita III. 306 §. 4.
ex Incubo II. 286.
qualis morbus II. 107.
Suffuſionis Cauſæ II. 107.
Cura II. 108.
ſigna diagnoſtica II. 107.
Sulphur Auratum Antimonii I 485, 486.
an omne accenſum ſpiret acidum I. 561.
Commune quid ſit I. 356, 503.
quotuplex ſit I. 357.
cujusnam uſus I. 357.
Sulphurea qua doſi exhibenda I. 693.
Sulphuris balſami præparatio I. 643.
flores compoſiti I. 642.
differunt a ſulphure crudo I. 642.
florum ſublimatio. ibid.
lactis confectio I. 643.
Præparata I. 642.
ſpiritus per campanam I. 642, 643.
Tincturæ Extractio I. 643.

Sigiſm. Rup. Sulzbergeri ſcripta I. 45.
Suppoſitoria contra Aſcarides II. 23, 24.
Suppurantia quænam I. 776.
Surdi à nativitate cur muti ſint? III. 158. §. 5.
muti ſunt ob auditum denegatum III. 158. §. 5.
an viſu loquelam intelligere poſſint I. 210.
Surditas a pituita III. 306. §. 4
an ſemper oriatur rupta membranâ tympani I. 179
a ſternutatione III. 137. §. 52
a ſteatomate Cerebri III. 53. §. 15
Surditatis Connatæ Cura III. 168, 169. §. 42, 43.
per ſoni directionem III. 168 §. 42
per viſum III. 169. §. 43
Cura per ſternutatoria III. 134. §. 40.
Gabr. Surianus Medicus I. 16
Sutura ſicca quid ſit? III. 489. §. 15
quomodo paranda. ibid.
ubi non ſufficiat III. 489. §. 16
vera ubi conveniat III. 489. 16
ubi adhibenda ſit III. 490. §. 16
non applicanda. ibid.
Suturæ quotuplices ſint? I. 786, 787
ſiccæ utilitas præ aliis III. 489. §. 16
veræ Inſtrumenta. ibidem
diverſæ ſpecies. ibid.
Matth. Sylvatici ſcripta & vita I. 20
Franc. de le Boe Sylvii ſcripta I. 44
Jacob. Sylvii ſcripta I. 25
Sympatheticorum remediorum modus operandi III. 234. §. 49.
Symptomatum definitio I. 721.
diviſio I. 722
Syncope qualis morbus II. 131
per conſenſum II. 298
ab odontalgia III. 78. §. 5
ſtomachica II. 297
per ſtrepitum tympanorum prohibita III. 29. §. 43
Syncopes Cauſæ II. 132, 298. III. 593. §. 22
Cardiacæ & ſtomachicæ confuſio II. 298
Cura II. 132, 133, 299
per odores volatil. III. 29. §. 45. 556. §. 10.
per ſternutatoria III. 133. §. 37.
gravidarum Cura per analeptica III. 556. §. 10
per Venæ ſection. III. 556. §. 10
a Lipothymia differentia II. 132, 298
Syringæ Italicæ oleum infuſum I. 575.
Syrupi I. 593
Etymologia I. 593
Ingredientia. ibid.
quibus ex plantis parandi I. 594
Vomitorii A. S. præparatio I. 649. 485.
Schröderi præparatio I. 649
Syrupis quomodo gratus ſapor conciliandus I. 595
Syruporum aſſervatio I. 595
Syrupus de Eryſimo Lobelii commendatur II. 77
de rad. Ireos pal. Langii nectar adſtringens II. 19. y
in lienteria utilis. ibid.
Rubi idæi Emeticus I. 484.
Syſtole quomodo fiat III. 219

T.

TAbaci fumus in oculorum affectu commendatur II. 316
Tabellarum formulæ I. 710
Tabes ex Hectica II. 88
hirudine aſſumtâ II. 70. p
Liene extirpato I. 133, 136
nervi punctura II. 71. r
Phthiſi curata II. 74
a Venere III. 276. §. 22
Tabis cauſa II. 69
cura II. 69, 70
per Venæſectionem I. 140
diviſio II. 69
ſigna. ibid.
Tabula Smaragdina Chymicis maxime æſtimata I. 6
Tabulæ votivæ in templis ſuſpenſæ I. 7. 8
Tacamahaca quid & unde I. 415
ejusdem collectio ac vires I. 415, 416
Tactu colores a Cœcis dijudicati I. 173
Tactus I. 185
Tactûs imminuti cauſa & cura II. 115
modus I. 186
objecta aſpera I. 186
an ſint calida? 186, 188
dura I. 186
fluida. ibid.
fluida eſſe negatur. ibid.
an ſint frigida I. 186, 188.
an ſint gravia? ibid.
humida I. 186
lævia. ibid.
an ſint levia I. 186. 188
ſicca ibid.
ſolida. ibid.
Tactûs organi inventor I. 185
organon I. 185. II. 115. h
an ſit caro I. 186, 187
an ſit cutis I. 186, 187
an ſint membranæ ibid.
propagines nerveæ. ibid.
Tactus an ſit multiplex I. 187, 188
quomodo à τῷ ſentire dolorem differat? I. 187
vitiatus II. 115
Talbotius Febrium curâ per Chinam celebris II. 84. k
Talci color & natura I. 321
patria & origo I. 321
Synonyma. ibid.
varietas. ibid.
uſus medicus I. 322
Talcum quid ſit I. 321
Tali leporis officinales I. 442

Talpa habet oculos I. 168
incinerata remed. diureticum I. 498
qualis morbus II. 190
Talpæ cauſa & cura II 191
ſymptomata. ibid.
Tamarindi Horſtii I. 470
Tamarindorum arbor I. 469, 470
fructus I. 469
patria, doſis, ac præparata I. 470
Joachimi Tanckii ſcripta I. 29
Jobi Tandleri ſcripta I. 31
Jacobi Tappii ſcripta I. 46
Tartarus I. 598
Tartarus emeticus Mynſichti I. 484
Tartari cremoris collectio I. 599
cryſtalliſatio I. 598
depuratio ab acido I. 602
emetici præparatio I. 649
ex vitro antimonii præparatio ibid.
lotio I. 598
oleum per deliquium I. 601
olei rectificatio I. 602
ſalis fixi volatiliſatio III. 479. §. 102
juxta Autorem I. 608
Helvvig I. 607
Langelott. ibid
ſalis fugitivi præparatio I. 602
ſal cum nitro paratum I. 600
Philoſophicum ibid.
ex capite mortuo ſpiritus tartari I. 600
ex pulvere tartari crudi. ibid.
volatile I. 579
ſolutio quomodo fiat I. 599
ſoluti depuratio. ibid.
filtratio. ibid.
ſpiritus acidi deſtillatio I. 601
per fermentationem I. 604
rectificatio I. 601
ſeparatio ab oleo I. 602
urinoſi deſtillatio I. 501
terræ foliatæ inventor I. 606
liquor. ibid.
præparatio. ibid.
tinctura an paranda cum ſpir. vini rectificatiſſimo I. 605
an ſpirit. vini mutato imputanda I. 605
tincturæ acres cur non alcalicæ III. 472. §. 5
quomodo curent luem veneream III 473 §. 6
tincturæ concentratio I. 605
nephriticæ præparatio I. 602
præparatio I. 584. 604
an ſint pure ſulphureæ III. 473
tincturam diverſæ parandi rationes I. 605
tincturarum vis antacida III. 472. §. 5
vitriolati confectio I. 640
Nicol. Taurelli ſcripta I. 28
Taxus incineratus remedium diureticum I. 498
Telæ aranearum officinales I. 450
unde gignantur. ibid.
oculorum vid. Maculæ.
Temperantia medicamenta III. 260. §. 20
ſangvinem depurant ibid.
Templa Medicinæ olim repertoria I. 7
Temulentiæ cura III. 30. §. 48
Tendines muſculorum conſuti III. 490. §. 16
Teneſmus ex calculo II. 23
legitimus II. 23
nothus. ibid.
ex uteri preſſione. ibid.
Teneſmi cauſæ II. 23.
cura II. 23, 24
Tentigo II. 146
poſt mortem II. 146. u
Terebinthina communis quid ſit I. 421
Veneta I. 421
ubinam & ex qua arbore colligatur. ib.
cujusnam uſus I. 422
Joh. Terentii ſcripta I. 33
Terra citrina v. Ochra.
Japonica v. Catechu.
Lemnia quid ſit I. 289
adulteratur plerumque I. 290
ubi & quomodo eruatur I. 289.
ejusdem ſigillum quid ſignificet I. 289, 290
vires II. 290
Melitenſis I. 292
Orleana quid ſit I. 290, 291
quomodo conficiatur I. 291
ejus varietas. ibid.
uſus. ibid.
Samia quæ fuerit I. 285
Sileſiaca I. 291
quotuplex ſit I. 291, 292
ejusdem inventor I. 292
uſus. ibid.
Toccavienſis I. 293
Terra an materiam habeat lapidis Philoſophic. I. 501
Terræ an omnes æque abſorbeant III. 455. §. 7
ac dum haud abſorbentes quænam? ibid.
ubi conveniant III 455. §. 7
quomodo differant I. 279, 280. 501
fermentum quid ſit I. 223
an ſuppeditent ſalia alcalia fixa III. 470. §. 2.
an omnes ejusdem virtutis ſint III. 455. §. 7
oleum I. 622
Terrarum criterium III. 469 §. 2.
magiſteria I. 622
præparatio I. 502
ſpiritus acidi deſtillatio I. 621
uſus Chymicus I. 622. 501. 502
varius I. 280
Terrea quænam I. 771
qua doſi exhibenda I. 692
gelatinoſa animalium an ſint antacida III. 450. §. 3
uſta quomodo in febb. proſint III. 454. §. 6
Terror quomodo fiat III. 45. §. 20
alvum ſolvit III. 26. §. 31
animi deliquia curat III. 30. § 47
ebrietati medetur III. 30 §. 48
febres curat III. 31. §. 50
fœtum deformat III. 34. §. 35
hæmorrhagias ſiſtit III. 232. §. 37. 242. §. 19

Terror humores ſiſtit III. 23. §. 24
mortem inferre poteſt III. 36. §. 1. 37. §. 2
ſpiritus alterat III. 24. §. 25
divertit III. 62. §. 18
tumores diſcutit III. 28. §. 39
urinam ciet III. 27. §. 35
Terroris damna II. 288
ſymptomata I. 199. III. 43. §. 14
Teſſellarum formulæ I. 710
Teſta Metallurgorum cujus uſus I. 528. h
Teſtacea habent oculos I. 168
Teſtes muliebres an pro ovariis habendi I. 230, 235.
Teſtium dolor II. 143.
ſcirrhus II. 143
tumoris inflammatorii cura II. 144
pituitoſi cura II. 143, 144
Teſticuli apri cujusnam uſus I. 448
caſtoris an recte ita dicantur. ibid.
equi cujus uſus I. 449
Teſticuli an communicent cum vaſis ſpermaticis I. 213, 216
ſunt ſeminis officina I. 211
Teſticulorum nervi I. 211
textura I. 211
vaſa deferentia I. 212
ſangvifera I. 211
Teſtudo qualis morbus II. 190
ejus cauſa & cura II. 191
Tetanus qualis morbus II. 140
ejus cauſæ & cura II. 140, 141
diagnoſis à ſyncope II. 140
Thaddæi de Florentia ſcripta & vita I. 19
Thapſiæ radix Hiſpanorum Turbith I. 483
Theæ potus agrypniam tollit II. 127
ſoporem abigit II. 127. n
Themiſon Laodiceus Methodicorum Parens I. 10
Theophraſti Ereſii vita I. 10
Therapia quid ſit I. 731
Thermarum uſus III. 12. §. 42
in Podagra II. 42
in Soda II. 16. m
Thermometrum quid ſit? III. 5. §. 19
Thermometri Belgici conſtructio III. 5. §. 19
Florentini conſtructio III. 5. §. 19
convenientia cum corpore humano III. 6. §. 21
liquoris aſcendentis & deſcendentis ratio III. 6. §. 20
Theſſalus medendo clarus I. 10
Theſſalus Trallianus Methodicorum Parens I. 11
Johann. Thile ſcripta I. 48
Thorax quid? III. 178. §. 13. 192. §. 2
Thoracis dilatatio unde contingat I. 154
dilatatio & conſtrictio fit per coſtas I. 157
partes I. 154.
partium uſus in reſpiratione III. 178. §. 18. 192. §. 2
Andreæ Thurini ſcripta I. 23
Thus commune unde proveniat I. 427
Thus electum in granis I. 428
ejus origo & patria I. 428
ſpecies triplex I. 428
uſus in arte medica. ibid.
Franciſci Tidicæi ſcripta I. 31
Timor ſpiritus compeſcit III. 30. §. 49
Timoris ſymptomata III. 22. §. 18
Chriſtoph. Tinctorii ſcripta I. 42
Tinctura Ammelungii quomodo paranda I. 601
antiphthiſica quomodo paranda I. 642
Catechu in Lienteria experta II. 19. y
cinamomi quomodo paranda II. 19
Corall. Michael. antiſcorbut. in Elſora prodeſt II. 261.
Metallorum in fluxu cœliaco egregia II. 20
quomodo paranda. ibid.
Myrrhæ in gonorrhœa utilis II. 149. g
Solis Schrœderi I. 501, 502.
Solis ex terra ſigillata I. 502
Terræ pro auro extrahendo I. 501
Vitrioli martis ſolaris Varos curat II. 45. k
Tincturæ quid ſint I. 583
unde eliciantur I. 495
Tincturarum extractio per acidula I. 583
ſpirituoſa I. 583, 584
inſpiſſatio I. 590
materia I. 583
menſtrua I. 583
parandarum ratio I. 589
Tineæ capitis cura per lotiones III. 625. §. 26
Tinnitus aurium a frigore III. 9. v. Auris
a pituita III. 306. §. 4
Tituli medicamentorum quales eſſe debeant I. 691
Tonica remedia quænam? I. 777
Tonſillarum tumor II. 11
in abſceſſum abiens II. 326
Tonſillarum tumoris cauſa II. 11
cura II. 11. 327. III. 134. §. 40
ſymptomata II. 11
Tophi ex Lue Venerea quomodo curandi II. 48
in Podagra unde II. 41
quomodo curandi II. 42
Tormina Ventris II. 30. 171. 338
Torminum ventris cauſa II. 30, 171, 339.
in gravidis cauſa III. 547. §. 7
Torminum ventris cura II. 30. 171, 172, 340
in gravidis cura III. 553. §. 4
Torminum ventris in infantibus ſigna II. 171. 339.
Torna ſolis quid ſit I. 358
ſina quid ſit I. 358
quomodo paretur ibid.
quot ſpecies ejus ſint I. 359
cujusnam uſus I. 358, 359.
Torpor a colluvie ſeroſa cerebri III. 52. §. 13
Torrefactio I. 555
Tragacanthæ deſcriptio I. 416
planta I. 416
vires & uſus. ibid.
Hieron. Tragi ſcripta I. 25

Alexandri Tralliani ſcripta I. 14
Tranſpiratio inſenſibilis I. 121
a ſudore quomodo differat I. 121
Travlotis II. 141
Tremor partium II. 138
ſenibus familiaris II. 138. q
Tremoris partium cauſæ II. 138
cura II. 138
differentia a motibus convulſivis. ibid.
ſigna ex urina I. 730
Victoris Trincavellii ſcripta I. 25
Tripolis quid ſit I. 293
quotuplex ſit I. 293
ubinam naſcatur. ibid.
cujusnam uſus. ibid.
Triſtitia memoriæ læſæ cauſa II. 325
Trochiſcorum compoſitio I. 709, 710
Tubero quid III. 419. §. 10
quomodo differat a Manato III. 419. §. 10, 12
Tuberonis lapis differt à lap. Manati variis modis III. 421. §. 22
Tuberonis ſynonyma III. 419. §. 11
Tubæ Fallopianæ I. 227
imperviæ III. 512. §. 18
an ovula poſſint excipere I. 230, 235
Tubarum Fallop. ampliatarum poſt impragnationem exempla I. 235 (§. 3
officium tempore conceptus I. 227. III. 542.
ſtructura I. 227
Tubuli corporis humani quomodo demonſtrandi III. 4
Tumor carnoſus per terrorem curatus III. 28. §. 39
cyſticus in ſcrobiculo cordis II. 291
quomodo curandus II. 293
quomodo differat ab aliis tumoribus II. 292
unde oriatur II. 292
Tumor glandularum ſublingval. II. 10
quomodo curandus II. 48
lienis II. 54
pedum œdematoſus II. 36, 37
quomodo curandus II. 310. ſq.
phlegmaticus II. 36
ejus cura II. 42
teſtium v. teſtes.
tonſillarum II. 10
uvulæ II. 10
in abſceſſum abiens II. 326, 327
Tumores hyeme leniores II. 187. n
tunicati II. 190, 292
Tumoris diverſa facies unde II. 41
nomina diverſa II. 184
ratio in Podagra & dolore dentium II. 51
Tumorum cura I. 775, 776, 777.
emollitio III. 12. §. 40
Tunica allantois an in fœtu humano detur I. 241
retina quid ſit II. 315
tumorum unde II. 292
Tunicæ corneæ in oculis vitium II. 315
Turbith. officin. qualis planta I. 483
Dioſcoridis I. 483
Türckiſche Erde I. 285
Turpethum minerale quomodo parandum I. 682
vegetabile I. 483
ejus delectus ac doſis. ibid.
præparata I. 484
Turriſani de Turriſanis ſcripta I. 20
Tuſſis cur ſub auroram redeat II. 75. l
in ſcorbuticis frequens II. 74. g
ferina cum grampho in gravida II. 312
ejus cauſa II. 313
cura II. 314
prognoſis II. 314
a frigore III. 9.
gravidarum cauſa III. 549. §. 14
cura per anodyna III. 557. §. 11
calefacientia. ibid.
incidentia III. 556. §. 11
reſolventia. ibid.
temperantia. ibid.
ab humiditate aeris cura III. 410. §. 13
a menſium ſuppreſſione III. 526. §. 15
a pituita III 305. §. 4
vel ſicca vel humida II. 75
ſiccæ vel humidæ cauſa II. 74
cura II. 75
ſymptomatica II. 75. k
Tutia Alexandrina quid? I. 357
quomodo præparetur. ibid.
ejus uſus I. 358
Tympani membranæ origo I. 177
Tympanites qualis morbus II. 32, 295
ex ovis deglutitis II. 33, e
ejus cauſa II. 32, 296, 297
cura II. 32, 34. f. 297. III. 185. §. 47
differentia ab aliis morbis II. 296
ſigna II. 296
ſymptomata II. 32, 296

V.

Vaginæ uterinæ nimis amplæ Cauſæ III. 532. §. 3
Cura per Balnea III. 536 §. 3
per Peſſaria. ibid.
nimis arctæ Cauſæ III. 531. §. 2
Vectius Valens Antiochenus medicus I. 11
Valeſci de Taranta ſcripta I. 22
Valetudinarii peregrinantium origo III. 399. §. 1, 2
Valetudinarium quid ſit III. 587. I. 3
peregrinantium III. 398 (§. 6, 7
ab aere æſtuoſo. III. 401.
frigido III. 400. §. 3
humido III. 401. §. 8, 9
mutato III. 400. §. 2
exhalationibus metall. referto III. 403. §. 14
ſicco III. 402. §. 10
ſordibus referto III. 403. §. 13
Valetudinarium Peregrinantium à Cibis pravis III. 403. §. 18
inordinate ſumptis III. 404. §. 19
nimiis ſumptis III. 403. §. 16
deficientibus III. 403. §. 15
ab Excretis III. 406. §. 30
a motu exceſſivo III. 405. §. 24
potu aqueo III. 404. §. 22
corrupto III. 404. §. 21
nimio III. 404. §. 20
parco III. 404. §. 20
inordinate hauſto III. 405. §. 23
a retentis III. 406. §. 30
ſomno III. 406. §. 31
vigiliis III. 406. §. 32
Valvulæ Bauhini uſus I. 97
ductus Thoracici I. 101
inteſtinorum I. 96
Valvularum uſus III. 223. §. 43
Vaniglia quid & unde I. 394
cujus uſus I. 395
Vapores Epileptici quinam ſint III. 61. §. 13
humidi in ſangvine an motus Cordis Cauſa I. 112, 115
an ex ſtomacho aſſurgant ad principia nervorũ I. 197
Antonii Vari ſcripta I. 36
Vari qualis excreſcentia II. 44
repulſi periculum inferunt II. 45. n
Varorum Cauſæ II. 44
Cura II. 44, 45
Varices II. 198
Varicum Cauſa II. 199
Cura. ibidem.
Gravidarum Cauſæ III. 550. §. 19
Cura III. 558. §. 17

 Wilhelm.

Wilhelm. Varignanæ ſcripta I. 20
Variolæ quomodo à facie arcendæ II. 153, 98, 254
Variolæ benignæ II. 97, 252
earundem Cauſa II. 98
Cura II. 98, 99, 251. III. 288. §. 19
ſigna imminentium II. 97, 251. I. 730
Variolæ malignæ II. 281
earundem Cauſa II. 282
Cura II. 282, 283
differentia a benignis II. 281
præſervatio II. 283
ſigna II. 282
ſymptomata. ibid.
Vaſa Chymica colligentia I. 529
continentia I. 527
tranſmittentia I. 529
Vaſa lactea in Pennatis an dentur I. 99
an radices venæ meſaraicæ I. 102, 103
Vaſa lactea primi generis ubi terminentur I. 102, 103
lactea cujusnam ſint uſus I. 97, 98, 99
Vaſa Lymphatica colli & brachiorum I. 126
femoris ac tibiæ I. 125
hepatis I. 125, 126
Lienis. ibid.
Meſenterii. ibid.
Omenti. ibid.
Stomachi. ibid.
Thoracis. ibid.
Vaſa ſangvifera an ſolum paſſive ſe habeant III. 220. §. 26
Vaſorum diſcrimen III. 220. §. 21, 22, 23
lymphaticorum inventor. I. 124
origo I. 125
uſus I. 124
ſangviferorum Cordis coarctatio à flatibus pericardii III. 209. §. 29
coarctatio a ſpaſmo III. 209. §. 31
Nervi III. 209. §. 31
Occaleſcentia III. 208. I. 26
oſſeſcentia III. 208. §. 27
Motus qualis III. 220. §. 27
Principium III. 220. §. 28
Tunicæ III. 220. §. 21
Vegetabilia an ſola aqua nutriantur I. 141
Vegetabilis Regni uſus I. 517
Vegetabilium aquæ deſtillatæ I. 559
Elyxiria. I. 583
Eſſentiæ I. 583
Exiccatio I. 557, 558
præparatio ad aquas deſtillatas I. 559
pulveres I. 557
Putrefactionis modus primus I. 580, 552
ſecundus I. 580
tertius I. 580
Putreſcentium fœtor unde? I. 552, 553
ſalia Eſſentialia I. 581
fixa I. 576
volatilia I. 579
quomodo elicienda III. 474. §. 8
ſucci I. 582, 581
Tincturæ I. 583
Georg. Hieron. Velſchii ſcripta I. 45
Lambert. Velthuſii ſcripta I. 47
Vena Portæ quid ſit III. 220. §. 24
an ſiat arteria I. 112, 115
pulmonalis quid ſit? III. 20. §. 20
Venæ quid ſint III. 219. §. 20
Meſaraicæ cur ampliores ſint arteriis I. 138
arcuatas anaſtomoſes habeant I. 138
Venæſectio in Apoplexiâ II. 304
prodeſt in hæmorrhagiis II. 52
hæmorrhoidibus II. 24
Inflammationibus II. 51
ubi in Odontalgia inſtituenda III. 81. §. 18
prodeſt in Plethora II. 49
ſcorbuto II. 40
Lipothymiæ Cauſa II. 132. a. I. 738
Venæſectio rejicitur II. 49. d. I. 735
an rejicienda ſit III. 393. §. 25
an ſangvinem revellat III. 583. §. 37
an conveniat in Vulnerum Eryſipelate III. 492. §. 25
Venæſectionis Contraindicantia I. 738
Indicantia I. 737
locus II. 265. I. 736
modus I. 736
quantitas II. 265, 295. I. 737
tempus I. 735, 736.
Venarum inflammationum diagnoſis III. 378 §. 12
officium III. 220. §. 24
Principium III. 220. §. 28. 221. §. 29, 30, 31
ſangvis quomodo moveatur I. 113, 116
Venena Cardialgiæ Cauſa II. 14
Icteri Cauſa II. 38
quomodo obtundenda II. 15
Venenorum natura II. 30. a
Venerea ad quam claſſem pertineant III. 460. §. 10
Veneris calcem parandi modus I. 676
dealbatio I. 675
præparata I. 674, 675, 676
ſulphuris præparatio I. 678
Tincturæ præparatio I. 677
Vitrioli confectio I. 676
Venerem excitantia III. 516. §. 36
Ventoſa in hæmorrhagiis prodeſt II. 53. e
Ventriculi atoniæ Cura III. 271. §. 12
per acida III. 299. §. 25
adſtringentia III. 299. §. 22
Amara III. 299. §. 23.
potum Théé III. 299. §. 24
Ventriculi Cruditatum acidarum Cura III. 271. §. 13
bilioſarum Cura III. 272. §. 14
pituitoſarum Cura III. 272. §. 15
Ventriculi Gallinarum ſtructura I. 445
morbi ex ſpirituum influxu aucto III. 295. §. 8
motus auctus ab acidis & acribus III. 297. §. 13
deficiens III. 297. §. 14
deficientis Cura III. 297. § 14, 15, 16, 17
per analeptica III. 297. §. 15
aromatica III. 298. §. 18
ſalina III. 297. §. 17
ſvaveolentia III. 297. §. 16
vomitoria III. 298. §. 20
Ventriculi læſio quoad motum III. 295. §. 7
ſeroſa colluvie repleti Cura III. 298. §. 24
ſpirituum defectu laborantis Cura III. 270. §. 11
uſus III. 295. §. 5
Ventriculus v. Stomachus.
Venus prodeſt in alvi fluxu III. 25. §. 27
Catarrhis III. 25. §. 17.
Coryza. ibid.
diarrhoea. ibid.
dyſenteria ibid.
Gonorrhoea. ibid.
pollutionibus nocturnis ibid.
virginum fœdo colore III. 24. §. 26
vomitu bilioſo III. 25. §. 27
Verberum efficacia in Mania III. 33. §. 59
Melancholia III. 33. §. 59
Dav. Verbezii ſcripta I. 35
Vermes in abdomine III. 284. §. 6
acidis necantur III. 290. §. 24
acribus necantur III. 290. §. 26
alcalibus necantur III. 290. §. 25
amaris fugantur III. 288. §. 17. 296. §. 11
aquis extinctionis metallorum necantur III 292. §. 30
Vermes in auribus III. 284. §. 4
Bulimiæ Cauſa II. 6
Cardialgiæ Cauſa II. 15
in Capite III. 284. §. 4
Corde III. 284. §. 5. 207. §. 24. 208
in dentibus III. 284. §. 4.
dentes erodunt II. 10
dentium doloris Cauſa II. 8

Vermes dulcibus necantur III. 287. §. 14, 15
ex ſedibus evocantur III. 287, 288. §. 16.
Enecantia vid. Anthelmintica.
in Lingva III. 284. §. 4
an lumbricorum pulvere necentur III. 292. §. 32
Mercurialibus necantur III. 291. §. 29
morbos cauſantur III. 285. §. 9.
in muſculis III. 285. §. 7.
Naribus III. 284. §. 4.
oculis III. 284. §. 4.
pericardio III. 284. §. 5. 208. §. 24
pingvibus necantur III. 290. §. 27
in pleura III. 284. §. 5
pulmonibus III. 284. §. 5.
Salia volatilia non ferunt III. 88. §. 39
Salſis necantur III. 289. §. 23
in Saliva III. 285. §. 8
ſangvine ibid.
ſemine ibid.
Svaveolentibus necantur III. 291. §. 28
Teneſmi Cauſa II. 23
Terreis necantur III. 289. §. 22
in Teſtibus III. 285. §. 6
Vaſis ſpermaticis III. 285. §. 6
Variolarum Cauſa II. 98. i.
in Ventriculo III. 296. §. 11. 284. §. 4
veſicula fellis III. 285. §. 6
Urina III. 285. §. 8
Utero III. 285. §. 6
Vermium in auribus extractio III. 287. §. 15
in Corde Cura III. 216. §. 55
ſigna III. 211. §. 38
Cura II. 32. III. 278. §. 31.
Enectorum eliminatio III. 292. §. 32
perpurgantia III. 293. §. 10
Figura varia II. 31. III. 284. §. 11
generatio II. 31. d. III. 79. §. 10. 286. §. 33
ex ſemine hyoſcyami III. 88. §. 39
odontalgiam cauſantium qualitates III. 79. §. 10
in Infantibus copia unde II. 31. c.
præſentium ſigna II. 31, 32
quantitas II. 31. e.
Symptomata II. 31
Verrucæ II. 194
venereæ curantur II. 48
Verrucarum Cauſæ II. 194.
Cura II. 195
per manum cadaveroſam III. 23. §. 39
Emollitio III. 12. §. 40
Vertigo II. 130
ex Capitis vulnere II. 300
a pituita III. 306. §. 4
a motu nimio III. 406. §. 29
Stomachica II. 330
Vertiginis Cauſa. II. 131, 331, 332. III. 133. §. 35
Cura II. 131, 301, 332, 333
per ſternutatoria III. 133. §. 35
Vertiginis diviſio II. 331
Sedes II. 130
Fr. Bac. de Verulamio Scripta I. 24
Andr. Veſalii Scripta I. 24
Veſica Urinaria cur excernat lotium I. 118, 121
Veſicæ abſceſſus & exulceratio II. 65
humiditas externa unde I. 120
Veſicæ exulceratæ Cauſa II. 65
Cura II. 66
ſigna II. 65.
Inflammatæ Cauſa II. 64
Cura II. 64
ſigna II. 64
Solutio a frigore III. 10. §. 35
Structura II. 259
Veſicatoria ubi applicanda in odontalgia III. 84. §. 28
quid evacuent I. 757, 784
Veſicatoriorum applicatio & regimen I. 759
Contraindicantia I. 760
Veſicatoriorum operandi modus I. 758.
Uſus & Scopus I. 759.
Veſiculæ felleæ vaſa I. 131
Veſiculæ ſeminales equorum novæ I. 217
cur turgeant ſemine I. 213. 217
an non cohæreant cum vaſis deferentibus I. 213, 217.
Veſicularum ſeminalium ſemen an differat a ſemine teſtium I. 213, 218.
Uſus I. 212
Joh. Veſlingii Scripta I. 38.
Veternus II. 126.
ejus Cauſa II. 126
Cura II. 127
diſcuſſus à vociferatione ſuis III. 29. §. 43.
Vetulæ cur deſtituantur menſium fluxu III. 523. §. 8
Petri Uffenbachii ſcripta I. 35
Vibex II. 100
a Carbunculo III. 378. §. 12
a Vulnere III. 378. §. 12
Leon. Favent. de Victoriis ſcripta I. 23
Joh. Vigonis ſcripta I. 23
Arnold. Villanovani ſcripta I. 20
Vindiciani vita I. 14
Vini Cryſtalli I. 586
quinta Eſſentia I. 586
noxa in vulneribus III. 492. §. 24
Oleum I. 586
potus largior an in malignis ſvadendus II. 91
moderatus à peſte præſervat II. 100. l.
ſal volat. I. 586
Vinum à fulmine corrumpitur III 53. §. 15.
quot modis corrumpi valeat III. 262. §. 2.
Violarum ſyrupus ab alcali virideſcit III. 365. §. 18
Viperarum deſtillatio I. 613
Virgæ remedium tonicum I. 779
Marcelli Virgilii ſcripta I. 24
Virgines à quibusnam Cauſis ita amplientur III. 532. §. 3.
atretæ aliquando ſponte curantur III. 535. §. 1
unde atretæ fiant III. 531. §. 1
quando primum fluxū menſium patiantur III 532. §. 4
Virginitas quid? I. 219
Virginitatem cuſtodiendi modus Æthiopum I. 226
Judæorum I. 226
Virginitatis ſignum an ſit hymen I. 221, 224
Virginum amplarum Cura III. 536. §. 3
deſcriptio III. 532. §. 3
arctarum nimis deſcriptio III 531. §. 2
atretarum Cura per Emollientia III. 535. §. 1
ſectionem III. 535. §. 1
definitio III. 531. §. 1
cōgreſſus primus cur non ſemper cruentus I. 221, 225
Virginum morbi a Furore uterino III. 534. §. 12
menſibus emanentibus III. 532. §. 5
ſuppreſſis III. 533. §. 6
a menſium acrimonia III. 533. §. 8
aquoſitate III. 533. §. 9
fluxu largo III. 533. §. 7
fluxu parco III. 533. §. 7.
primo III. 532. §. 4.
a Paſſionibus hyſtericis III. 535. §. 13.
a Pruritu Venereo III 534. §. 11
Virginum morborum diverſitas III. 530. §. 4
a Fluore albo Cura III. 539. §. 14
a Furore Uterino Cura III. 541. §. 18
hiſtoria generalis III. 530, 531. §. 4
a laſcivia nimia Cura III. 540 §. 16
a melancholia Uterina Cura III. 540. §. 17
a menſibus emanentibus Cura III. 537. §. 4, 5, 6, 7. 538. §. 8, 9, 10
a menſium fluxu doloroſo III. 539. §. 12
Cura III. 539. §. 11
fluxu aquoſo cura III. 539 §. 13
nimio cura III. 539. §. 11
a paſſione hyſterica Cura III. 24. §. 19.

Virginum præſentia lipothymiæ Cauſa II. 132. b
Pruritus unde oriatur. III. 534. §. 11.
Valetudinarium III. 530
ejusdem Onomatologia III. 530. §. 1
Vis quid ſit? III. 18. §. 1
quotuplex ſit? III. 18. §. 1
Viſciditas humorum quomodo corrigenda I. 774, 775
Viſcus corylinus, quercinus, tiliaceus I. 385
ejus planta & naſcendi modus I. 385
vires I. 386
Viſum non fieri per modum Cameræ obſcuræ probatur I. 175
fieri per Conum duplicem probatur I. 172
tanquam in ſpeculo negatur I. 171
Viſus I. 169
an fiat per particulas coloratas è Corporibus egredientes I. 173
hebetudo II. 315
hebetudinis Cauſa II 316
Cura II. 316
Imbecillitas a frigore III. 400. §. 5
a pituita III. 306. §. 4
Imbecillitatis a frigore Cura III. 409. §. 8
modus I. 170
per nares factus I. 171
Objectum ſunt colores I. 170
radios lucidos eſſe negatur I. 171
Objecta an cernantur in debitâ magnitudine I. 174
Organon I. 169
Subjectum verum an ſit humor cryſtallinus I. 172
an ſit Tunica Choroides I. 172.
Vitia II. 102
Vita in quonam conſiſtat III. 45. §. 21
Vitiligo II. 43. f.
alba II. 43. f.
Vitra ob poroſitatem volatilia tranſmittunt I. 527. g.
Vitri Antimonii confectio I. 556. 486
Colorati confectio I. 556. 622
Jovialis confectio I. 556.
materia I. 556.
purificatio I. 556
Saturni confectio I 556
vulgaris confectio I. 556.
Vitrificatio I. 555
Vitrioli artificialis confectio I. 636
Caput mortuum unde regeneretur I. 159
Calcinatio I. 638
Communis præparata I. 634. 305
depuratio I. 637
a particulis terreis I. 637
venereis I. 637
deſtillatio I. 639
efficacia in ſalivatione excitanda examinatur I. 755
generatio I. 634. 636
liquores ſtyptici I. 638.
Martis inexiſtentis eductio III. 464. §. 13
Martis artificialis confectio I. 641
ex minera Martis ſolari productio I. 641
præparata I. 641
ſigna I. 636
Tinctura I. 642
materia ex qua generetur I. 302, 303
in metallum reductio I. 635
Noſtri ab antiquorum differentia I. 302.
Particularum acidarum demonſtratio I. 635
metallicarum - - I. 635
terrearum - - I. 636
regeneratio I. 640
Salis vomitorii præparatio I. 639
Sapores diverſi unde I. 302
Species quatuor ab antiquis numeratæ I. 304
Spiritus Cephalici deſtillatio I. 639
Cryſtallinus I. 639
Philoſophici origo I. 659
præparatio I. 658, 659
rectificatio I. 659, 660.
rectificatio I. 638
Vitrioli Sulphuris præparatio I 634
Tinctura I. 634, 635
ſynonyma I. 302
terræ dulcis confectio I. 640
Tinctura I. 640
Veneris ſigna I. 636
Uſus I. 305, 503
Vitriolum album I. 302
ejusdem patria I. 303
Commune I. 302
ejusdem patria I. 304.
Cyprium I 302
ejusdem patria I. 304
dulce an detur? I. 636
Hungaricum I. 302
ejusdem patria I. 304
an particulas aqueas habeat I. 635
ſulphureas - I. 634
Romanum I. 302
ejusdem ſolum natale I. 304
Vomitorium I. 486
Ulcera cum nigredine & carie oſſium conjuncta II. 205
quomodo Curanda II 206
Renum ex oleorum abuſu II. 65. b.
ſimplicia II. 200.
quomodo curanda II. 201
Sinuoſa II. 204
eorundem cura II 205
origo II. 204
Ulcera Venerea Curandi modus II. 48
Ulcerum apertorum Cura III. 281. §. 42. 282.
apertura III. 281. §. 42
Cura per mundificativa III. 496. §. 35. 497. §. 37.
putredini reſiſtentia III, 496. §. 35
Ichor unde veniat III. 497. §. 36
Ichorem augentia medicamenta III. 497. §. 26
ſedantia - - - III. 497. §. 26
ſiccorum Cura III. 497. §. 35
Verminoſorum Cura per amara III. 497. §. 35
mercurialia. ibid.
Ulcus lethale ex ſpiritu Carminativo II. 65. b.
mammarum tardius conſolidandum II. 291
Fried. Ulmi ſcripta I 30
Umbilici Eminentia. II. 173.
Eminentis Cauſa II. 174. III. 620. §. 9.
Cura. II. 174. III. 620. §. 9.
Umbilicus Marinus quid ſit? I. 373.
ejusdem uſus. I. 373
Ungventa in ſcabie minus tuta II. 271
Ungventi Pomadini confectio I. 618
Ungventorum formulæ I. 712
præparatio I. 711
Ungvis Cauſa II. 105
Cura II. 106
deſcriptio II. 105
ſedes. ibid.
Ungvium humanorum raſura vomitum movet I. 488
Ungula alcis I. 435
cujusnam uſus I. 435
Equi cujus uſus I. 441
Unicornu Animale quid ſit? I. 449.
ex veterum opinione quid ſit? ibid.
cujusnam uſus. ibid.
foſſile quid ſit I. 322
ejus locus natalis I. 324
origo controverſa I. 322, 323
Synonymia I. 322.
Uſus I. 324.
Matth. Unzeri ſcripta I. 32
Vocales ubi formentur III. 154. §. 3.
Valent. Henr. Vogleri Scripta I. 45.
Volatiliſatio quid? I. 555
ejus Inſtrumenta I. 555.
Joh. Georg. Volkammeri Scripta I. 51
Henr. Volgnadi Scripta I. 46

Volvulus v. Ileon.
Vomica pulmonum. II. 73.
rejecta per tuſſim. II. 73. c.
rupta à riſu. III. 27. §. 37.
Vomicæ Cauſa. II. 73. III. 193. §. 9.
Cura. II. 73, 74. III. 193. §. 9. 194. §. 10. 215. §. 52.
ſigna. II. 73.
Vomitoria quænam. I. 484. III. 259. §. 17.
augeantur in doſi in Apoplexia. III. 56. §. 22.
qua doſi exhibenda. I. 692.
quid ſint? I. 763.
an ſint Evacuantia Univerſalia. III. 259. §. 17.
quomodo operentur. I. 763, 764. III. 259. §. 17.
quotuplicia ſint? I. 763.
Sangvinem purificant. III. 259. §. 17.
Vomitoriorum contraindicantia. I. 764. 765.
regimen. I. 764.
uſus ibid.
Vomitorium in Apoplexia egregium. II. 134. f. 304.
an pleuriticis conveniat. II. 295.
an in Vomica pulmonum proſit. II. 73.
Vomitus ab Aëris ſubtilitate. III. 13. §. 48.
in Angina noxius. II. 12.
ab animi pathematibus. III. 26. §. 34.
in ardentibus quomodo ſiſtendus. II. 90. u.
bilioſus & ſtercoreus ab herniis. III. 502. §. 7.
ex circumgyratione. II. 17. q.
Conſenſu. II. 17. 300.
cum. II. 27.
frigore cura. III 296. §. 9.
Gravidarum Cauſa. III. 545. §. 4.
Cura per acida. III. 551. §. 2.
Anodyna. III. 552. §. 2.
Antacida. III. 551. §. 2.
Incidentia. III. 551. §. 2.
lenitiva. III. 552. §. 2.
Roborantia. ibid.
Venæſectionem. ibid.
Cruentus. III. 546. §. 4.
ab Irâ. III. 26. §. 34.
a motu nimio Cura. III. 414. §. 27.
muſica III. 26. §. 34.
navigatione. II. 17. q.
quid? II. 16, 17.
Sangvinis. II. 76.
quomodo ſiſtendus. II. 76, 77.
unde oriatur. II. 76.
ex ſtomacho per Eſſentiam affecto. II. 17.
quomodo ſiſtendus. II. 17, 18.
ex Vulnere Capitis. II. 301.
Adolph. Vorſtii ſcripta. I. 42.
Ælii Everhardi Vorſtii Scripta. I. 32.
Vocis Cauſa. III. 150. §. 2, 3.
Clangoſæ Cauſa. III. 153. §. 15.
flexionis diverſæ Cauſa. III. 153. §. 16.
formatio integra. III. 153. §. 15. I. 206.
gracilioris in Evnuchis Cauſa. I. 209.
pueris Cauſa. I. 209.
materia. III. 151. §. 4.
Raucæ Cauſa. III. 153. §. 15.
varietas unde. III. 152. §. 7.
Vox poteſt etiam formari ab aëre inſpirato. III. 151. §. 4.
formatur in Larynge. III. 153. §. 13.
adjuvatur pulmonibus. III. 151. §. 5.
rauca & clangoſa ab uvula exeſa. I. 210.
vitiata per Coryzam pituitoſam. III. 111. §. 11.
polypum. III. 115. §. 1.
Upupa remedium adverſus Colicam. I. 496.
Urethræ exitus præternaturalis. III. 510. §. 8.
Urina an ſit alcalica. III. 469. §. 1.
Cruenta ab eſu Cochinil. III. 432. §. 8.
Embryonis qualis. I. 246.
Equi vomitorium. I. 498.
potus & ſangvinis an recte dicatur I. 118, 119.
per vomitum rejecta. III. 319. §. 30.
Urinæ Colores. I. 729.
Contenta. I. 728.
Excretio quomodo fiat. I. 116. II. 259.
Urinæ humanæ deſtillatio. I. 614.
Sal volat. I. 614.
Incontinentia. II. 59.
partes conſtitutivæ. I. 614.
Secretio quomodo contingat. I. 117.
an a fermento renum dependeat. I. 117, 119.
an per præcipitationem fiat. ibid.
an per tranſmutationem fiat. ibid.
per tubulos renales negatur I. 117, 118, 119.
Subſtantia qualis. I. 117, 118, 121.
Suppreſſionis in Gravidis Cauſa. III. 549. §. 16.
Vaſa ex glandulis lumbaribus an dentur. I. 118, 120.
Urinæ vitia ex ardore. II. 57.
eorundem Cauſa II. 58.
Cura. II. 58, 59.
Urinatores quomodo reſpirent. I. 160.
Uroſcopia. I. 726, 728.
Urticarum ictus proſunt in apoplexia. III. 55. §. 19.
Urtico Cantharorum ortus. III. 438. §. 7.
metamorphoſes. ibid.
Uſnea Cranei humani quid? I. 454.
quomodo generetur? I. 455.
cujus uſus. I. 455, 456.
Utenſilia Chymica. I. 529.
Uteri arctitudo nimia. III. 578. §. 19.
apertio in partu. I. 248.
Coalitus. III. 578. §. 19.
Coaliti Cura. III. 584. §. 47.
Clauſi cura. III. 584. §. 47.
Conatus. I. 248.
defectus. III. 511. §. 16.
definitio. III. 603. §. 45.
diſtenſio ab Embryone. III. 544. §. 12.
Evulſi Exempla. III. 589. §. 11.
Fermentum. I. 220.
foetoris Cauſa vera. I. 223.
Gangræna à menſibus ſuppreſſis. III. 526. §. 15.
hæmorrhagiæ in Gravidis Cura. III. 557. §. 13.
humiditas externa unde? I. 120.
nimia. III. 512. §. 22.
humidi nimis Cura per Evacuantia III. 517. §. 44.
Roborantia. III. 517. §. 45.
Inflammatio a menſibus ſuppreſſis. III. 526. §. 15.
Ligamenta. III. 548. §. 11.
Ligamentorum dilaceratio. III. 548. §. 11.
motus deficiens in partu. III. 576. §. 12.
inſufficiens in partu III. 576. §. 13.
irregularis - - III. 576. 577. §. 14.
odor an ſit fermentaceus & acris. I. 220. 223.
Procidentia. II. 163.
a Conatu nimio parturiendi. III. 605.
a Corporis cōſtitutione ſeroſa. III. 605. §. 50.
a diſruptis ligamentis. III. 604. §. 45.
Uteri Procidentiæ Cauſæ. II. 163.
Cura. II. 164.
per adſtringentia III. 606, 607. §. 54.
diætetica. III. 607. §. 59.
per diſcutientia. III. 606. §. 52.
per faſcias. III. 607. §. 58.
per repoſitionē. III. 605. §. 51. 606. §. 52.
ſuffitus. III. 607. §. 58.
Terrorem. II. 164. f. III. 606. §. 53.
p. 29. §. 41.
Venæſectionem. III. 605. §. 51.
Vulneraria. III. 606. §. 52.
diverſitas. III. 604. §. 48.
ſigna. III. 605. §. 49.
ſymptomata. III. 605. §. 51.
Uteri ſiccitas nimia unde oriatur. III. 513. §. 25.
ſicci Cura. III. 518. §. 47.
ſtillicidii aquoſi Cauſa in Gravidis. III. 550. §. 22.
Vulnerati Cura. III. 595. §. 27.

Uterus an ſit animal III. 604. §. 47.
an aſcendat & deſcendat III. 604. §. 46.
an afficiatur in paſſione hyſtericâ III 592 §.21. 593. §. 22.
an placentæ ſangvinem communicet. I. 243.
Uterina I. 780.
Vulnera II. 214.
quænam pericnloſa. II. 214, 215, 216.
Compoſita quænam ſint? III. 485. §. 4. II. 300.
Simplicia quænam ſint? III. 485. §. 4. II. 300.
Vulneraria. I. 785, 786, 787. ſq. III. 484.
eorum Onomatologia. III. 484. §. 2. 3. 485.
Vulnerariæ plantæ an habeant ſal volatile alcalic III. 448. §. 2.
cur præcipitent ſolutionem ſacchari Saturni III. 448. §. 2.
Vulnerariarum febrium Cauſa. III. 491. §. 20.
Cura per diaphoretica III. 493. §. 28.
refrigerantia. III. 493. §. 28.
Vulnerariorum remediorum deſcriptio. III. 485. §. 5.
Vulneratarum partium Criſpaturæ Cura. III. 490. §. 17.
Vulnere curato canaliculi redduntur anguſtiores III. 16. §. 57.
Vulneribus inhærentiũ peregrinorum diverſitas. III. 488. §. 10.
Extractio per Epiſpaſtica III. 488. §. 13.
Extractio per operationem manualem. III. 488. §. 10.
Vulneris in abdomine Cura II. 219.
in Capite Cura. II. 220, 300.
definitio juxta Arabes. III. 485. §. 3.
Græcos ibid.
Exploratio. II. 219, 300, 301.
Vulnerum Cauſa II. 214.
Conſolidatio à quonam fiat? III. 485. §. 6.
per digeſtiva. III. 494. §. 30.
per Sarcotica. III. 495. §. 31.
quot modis impediatur. III. 495. §. 31.
Conſolidationem impedientis falſedinis Cura. III. 496. §. 34.
Convulſionum Cauſa. III. 491. §. 20.
Cura. II. 216, 217, 218, 219, 222, 301, 302.
dolorum Cauſa. III. 493. §. 26.
gluten naturale an reſtitui poſſit per balſamica III, 496. §. 32, 33.
hæmorrhagiæ Cura per Cauteria actualia III. 487. §. 9. Potentialia III. 487. §. 9.
Vulnerum hæmorrhagiæ Cura per Compreſſionẽ III. 487. §. 9.
Cõſtrictionem. III. 487. §. 9
inviſcantia. ibid.
lanuginoſa. ibid.
Sangvinẽ coagulantia. ib.
ſpiritum vini ibid.
venæſectionẽ. III. 486. § 9.
Vulnerum hyperſarcoſeos Cura per Cathæretica. III. 498. §. 38.
indicans primarium III 485. §. 6.
Inflammationis Cauſa. III. 491. §. 20.
Inflammatorum Cura per anodyna III. 493. §. 26.
Reſolventia III. 493. §. 26
Vulnerum labiorum conjunctio. III. 489. §. 14.
per deligationẽ. III. 489. §. 14.
ſuturam ſiccã III. 489. §. 15.
veram III. 489. §. 16.
tumidorum Cura. III. 489. §. 14.
Vulnerum præſervatio à frigore per calorem. III. 490. §. 15.
Prognoſis. II. 214. 300. 301.
Purulentorũ Cura per mundificantia III. 496. §. 35.
Symptomata. III. 486. §. 8.
quomodo tollenda. III. 486. §. 8.
Thoracis Cura. III. 170. §. 50.
Tumor à frigore. III. 490. §. 15
Tumores unde oriantur. III. 491. §. 20.
Tumorum cura per Evacuantia. III. 491. §. 21.
Reſolventia III. 491. §. 20.
Tumoris Eryſipelacei Cura per adſtringẽtia III. 495. §. 22.
refrigerantia. ibid.
repellentia ibid.
reſolventia. III. 492. §. 23.
V. S. III. 492. §. 25.
Vulpis lingua. I. 450.
pulmones officinales.
Vultures an ſint fœminæ tantum. I. 212. 214.
eorum modus generandi. I. 212, 214.
Uvulæ prolongatæ Cura. III. 175. §. 71.
tumor. II. 11.
tumoris Cauſa. II. 11.
Cura ibid.
per ſternutatoria. III. 134. §. 40.

W.

Waldſchmidii (Joh. Jac.) Scripta. I. 49.
Joh. Weidneri I. 29.
Wehen unde. I. 248.
Godofr. Welſchii Scripta I. 50.
Thom. Williſii - - I. 45.
Sebaſt. Wirdigii - - I 48.
Joh. Wolffii - - I. 30.
Olai Wormii - - I. 40.

Z.

Zacchiæ (Pauli) Scripta. I. 41.
Abrah. Zacutus Luſitanus. I. 37.
Zedoaria. I. 405, 406.
quid & quotuplex. I. 406.
ejus patria & uſus. I. 406.
Joh. Zeidleri Scripta. I. 38.
Matth. Zeiſii - - I. 29.
Zenexton Helmont. quomodo operetur. III. 32. §. 54.
Zeno Cyprius Medicus. I. 13.
Zibethum impotentiam tollit. II. 145. Y.
quid ſit? I. 461.
ubi naſcatur. I. 461.
ejus Uſus. I. 462.
occidentale. I. 498.
Zingiber quid & quotuplex. I. 406.
ejus patria. I. 406.
Uſus. ibid.
Zirbalis. II. 28.
Ziziphi quid? I. 391.
Jac. Zvvingeri Scripta. I. 29.
Joh. Zvvœlfferi - I. 43.

F I N I S.